THEODORI BEZAE VEZELII, VOLUMEN

Tractationum Theologicarum,

IN QVIBVS PLERAQVE Chriſtianæ Religionis dogmata aduerſus hæreſes noſtris temporibus renouatas ſolidè ex Verbo Dei defenduntur.

Additi ſunt Indices: Prior locorum vtriuſque Teſtamenti, quos ipſe Auctor explicat, aut appoſitè ad ea quæ tractat accommodat: Poſterior verò rerum & ſententiarum.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

Spes mea CHRISTVS *erit ſemper fidiſſima, rebus*
Qui fuit in dubiis ANCHORA *ſacra meis.*

ANCHORA

IOANNIS CRISPINI.

M. D. LXX.

TH. B.

Illuſtri viro, & amplitudine ac

DIGNITATE PRÆSTANTI DOMINO

D. VVALTERO MILDMAYO, EQVITI AVRATO, SE-
reniſsimæ Regiæ in Anglia Maieſtatis ab intimis conſili-
is, & ærarii Regii præfecto, Gratiam & pacem
à Deo Patre noſtro, & Domino
IESV CHRISTO

QVONIAM in ea tempora incidimus, quibus, ſi vnquam aliâs, non modò non agnoſcitur veritas ab imperitis quibus doctrina opus eſt vt eam agnitam excipiãt & colant, verùm etiam ab hominibus improbis & malitioſis, quorum etiam magna pars ἐξ ὧν ὀπίσω ἀπαγόντων, *quod ſuo iam tum ſæculo querebatur Apoſtolus, & vi & dolo oppugnatur: idcirco vſu venit mihi quod optimis quibuſque ætatis noſtræ hominibus, vt* ἐλεγκτικὸς *plerunq; potius quàm* διδακτικὸς *euaſerim.*

Sed bene eſt quòd vtrunque hoc munus idem Apoſtolus imponit mei ordinis hominibus, & quidem ſuo exemplo nobis præiens: quod ijs opponere conſueui qui nos ex eo rixoſos & contentioſos eſſe perperam arbitrantur, quòd non tantùm oues nobis commiſſas paſcamus, verùm etiam lupos quanto maximo clamore poſſumus, abigamus. Hoc tamen teſtari poſſum, quum primùm animum ad ſcribendum appellerem, nihil minus cogitaſſe me, quàm vt iſta qualeſcunque meæ ſcriptiunculæ magno vſui Eccleſiæ eſſe poſſent. Tantum enim id ſpectabam vt officio meo quoquo modo defunctus, nonnullis tantiſper prodeſſem dum ipſi duces ac veterani in certamen prodirent.

Quoniam autem aliter res cecidit, adeò vt omnia noſtra in aliquod volumen colligenda, ac ſimul excudenda non pauci iudicarint, non ſum magnopere reluctatus, ſed mihi tamen illa recognoſcenda exiſtimaui, tum vt emendatiora prodirent, tum etiam vt ijs quoque ſatisfieret, qui, quum mihi alioqui in rebus ipſis aſſentiantur, quadam ta-

men,partim vt aſperiora:partim vt ἐξαπατῶντες in meo ſcribendi genere reprehendunt.

Itaque illorum iudicijs obſequutus, illa expunxi, quibus offendi poſſe moderatioris ingenij homines animaduerti. Moroſos enim illos quibus in tuenda veritatis cauſa nihil prorſus ſalis & acrimoniæ admiſceri placet,non putaui tanti faciendos,vt in eorum gratiam quaſi memetipſum retexerem. Spero autem eos ipſos mihi æquiores fore,vbi & quibus de rebus & in quos homines ſcribam paulò attentius conſiderarint.

Cur autem amplitudini potiſſimùm tuæ, volumen hoc iſtarum lucubrationum dicarem,eaſdem ferè cauſas habui atque olim,quum ante quinquennium ſereniſſimæ Regiæ Maieſtati maius Nouum Teſtamentũ meum cõſecrarem. Etſi enim hodie Angliæ regnũ multis & pietate & omni virtute præſtantiſſimis hominibus abundat, ſcio tamen ita eminere te inter pleroſque quos ſibi Regia Maieſtas aſciſcendos & maximis dignitatibus ornandos ſapientiſſimè iudicauit, vt ſi mihi vel iudex aliquis harum controuerſiarum quas in his libris pertracto deligendus foret,vix ac ne vix quidem poſſim alium accommodatiorem reperire.

Sed quoniam his de rebus quod tuum ſit iudicium plenius conſtat quàm vt eam conditionem accepturi ſint veritatis hoſtes,ſaltem δεύτερον πλοῦν mihi tenendum putaui,vt te videlicet ſi non iudicem (quod illi non paterentur) at certè patronum meorum laborum habeam. Etſi enim is non ſum qui vel commodè,vel grauiter ſatis iſtiuſmodi controuerſias explicare poſſim,ſpero tamen fore vt bonitate ipſius cauſæ quam defendo,delectatus,litem etiam penè tuam facias, tantum abeſt vt de tuo patrocinio dubitare poſſim.

Huc accedit & alia maximi momẽti ratio:nã te certè norunt omnes aſperrimis iſtis & calamitoſiſſimis temporibus nihil non miſerorum exulum gratiâ feciſſe:adeóque nihil antiquius habuiſſe quàm vt egenus, miſer, perditiſſimorum denique latronum inaudita immanitate in vltimas vſque terras expulſus Chriſtus, iſthic non modò exciperetur, verùm etiam veſtiretur, aleretur, omni denique officij genere foueretur: vt iam planè videatur Anglia comitatis etiam & humanitatis ſingularis palmam populis omnibus præripuiſſe. Et hoc quidem eſt proprie ipſius ſereniſſimæ Regiæ Maieſtatis beneficium, planè Regium & omnium ſeculorum memoria digniſſimum. Quantum tamen inter alios in ea re perficienda,conſilio,diligentia,reipſa denique multis profueris, vel ex eo intelligi poteſt quòd ſumma tua liberalitas quaſi ſatis illius capax non eſſet ampliſſimum ipſum Angliæ regnum,

ad noſtros vſque miſeros ob eandem cauſam exules redundauit.

Itaque quum ego quoque vnus ſim ex illis, minimé quidē egens, Dei beneficio, ſed tamen eodem in Chriſto ſpiritu ita cum eis coniunctus, vt quæcunque ipſos attingunt, mea eſſe ducam, credidi me ingrati animi vitium effugere non poſſe, niſi hoc veluti adhibito pignore (quod tum fortè in manibus habebam, quum ad nos allatus eſt, opportuniſſimo ſanè tempore, tuæ iſtius in pauperes noſtros ſtudioſos voluntatis nuntius) aliquam viciſſim meæ in te obſeruantiæ ſignificationem darem. Gratiam enim hanc tibi is demum vltimo illo die cumulatiſſimè referet, qui quod ipſius membris feciſti, ſibi factum ducet: nempe æternus ille Filius Dei, Dominus noſter Ieſus Chriſtus, cuius hodie perpeſſiones in membris ipſius complentur, victoria verò & triumphus tandem aliquando apparebunt.

Interea generoſiſſime Domine, vt, qualecunque hoc munuſculum, quaſi tabellulam beneficij à te accepti memoriæ conſecratam à me accipere non graueris, vehementer etiam atque etiam peto.

¶ Bene vale Vir & pietate & omni virtutū genere præſtantiſſime.

D. Ieſus te Angliæ regno cuſtodiat, tibíque & tuis omnibus è cœlo benedicat. Geneuæ, III. Cal. Martias, Anno nouiſſimi temporis M. D. LXX.

Amplitudini tuæ addictiſſimus

THEODORVS BEZA.



LIBRORVM TH. BEZÆ HOC VOlumine contentorum ordo & catalogus.

I. CONFESSIO Chriſtianæ fidei, & eiuſdem collatio cum Papiſticis Hæreſibus. 1

II. ALTERA breuis fidei Confeſsio, eiuſdem cum ſuperiore argumenti. 80

III. DE Hæreticis à ciuili Magiſtratu puniendis, aduerſus Martini Bellii farraginem, & nouorum Academicorum ſectam. 85

IIII. SVMMA totius Chriſtianiſmi, ſiue deſcriptio & diſtributio cauſarum ſalutis Electorum & exitii Reproborum, ex ſacris literis collecta & explicata, 170

V. SVMMA Doctrinæ de re Sacramentaria. 206

VI. DE Cœna Domini, plana & perſpicua tractatio: In qua Ioachimi VVeſphali calumniæ refelluntur. 211

VII. ΚΡΕΩΦΑΓΙΑ, ſiue Cyclops, Dialogus de vera communicatione corporis & ſanguinis Domini: aduerſus Tilemanni Heſhuſii commenta. 259

VIII. ABSTERSIO calumniarum quibus aſperſa eſt Eccleſia Geneuēſis à Tilemanno Heſhuſio. 312

IX. AD Sebaſtiani Caſtellionis calumnias quibus vnicum ſalutis noſtræ fundamentum, id eſt æternam Dei Prędeſtinationem euertere nititur, reſponſio. 337

X. AD defenſiones & reprehenſiones Sebaſtiani Caſtellionis, quibus ſuam Noui Teſtamenti interpretationem defendere aduerſus Bezam & eius verſionem viciſsim reprehendere conatus eſt, reſponſio. 425

XI. AD Ioannis Brentii argumenta, & Iacobi Andreæ Theſes, quibus carnis Chriſti Omniprçſentiam nituntur confirmare, id eſt, Aduerſus renouatos Neſtorii & Eutychetis errores, reſponſum. 507

XII. DE hypoſtatica duarum in Chriſto naturarum vnione, aduerſus Iacobi Andreæ aſſertionem. 625

XIII. DE vnitate Eſſentiæ diuinæ, & tribus in ea ſubſiſtentibus Perſonis aduerſus Arianos ὁμοουσίους 646

XIIII. THESES ſiue axiomata de Trinitate Perſonarum & Eſſentiæ vnitate. 651

XV. PSALMI aliquot Dauidici variis numeris expreſſi: Integri, ſi dederit Dominus, futuri operis ſpecimen. 654

XVI. QVÆSTIONVM & Reſponſionum Chriſtianarum libellus, in quo præcipua Chriſtianæ Religionis capita κατ' ἐπιτομὴν proponuntur. 669

IOANNES CRISPINVS

LECTORI.

QVAM ſit grauis aduerſarius Satan, præterquàm quòd priuatim vnuſquiſque noſtrûm reipſa quotidie experitur, vel in publicis de Religione controuerſiis maximè elucet: & præcedens librorũ enumeratio demonſtrat. Quid enim ille pro ſuo ingenio per ἑτεροδιδασκαλίαν non agit? Pacem à Chriſto tantopere commendatam conturbat, & quantum in ipſo eſt κοινωνίαν illam, qua maximè conſtat Eccleſia, labefactat, efficitque vt primæuum illud de Chriſtianis τὸ αὐτὸ φρονεῖν, καὶ ἡ καρδία καὶ ψυχὴ μία, quod omnes audire deberemus, iam tandem ad paucos pertineat.

Quod vnum quanta quámque periculoſa ſequantur incommoda, nemo tam obtuſo eſt ingenio qui non videat. nam & his artibus nõ tanrùm ille ſuos perdit quos iam mancipio habet, ſed & alios aut à recto itinere retrahit, aut dubitanres & quaſi in biuio poſitos remoratur, deterioremque ſæpe viam ingredi facit. At nec ille quidem quum rurbas dedit ſemel conquieſcere ſolet, ſed alios ex aliis nodos nectit in quibus ſoluendis, atque interdum etiam, quum opus eſt, diſſecandis, cùm viros bonos & pios ſeriò totos eſſe vider, hoc ſepiæ inſtar atramẽto effuſo, aliò elabitur & nouis fraudibus perſequentes eludit.

Ne longius extendarur orario, ab initio ſurgentis Eccleſiæ, cùm tot Apoſtolorum prædicationibus conſertam, tot Martyrum ſanguine irrigatam euertere, & torcular ad vineam poſitum penitus diruere non poſſet, ad zizania confugit: imò & caput ipſum anguli ſenſim atterere & comminuere conatus eſt. Nam de perſona Chriſti eas lites excirauit, quibus veluti tormentis tota maceria concuti, tandem etiam fortaſſe diſiici poſſe videbarur, ni Dominus vineæ ſuæ miſertus, ſtrenuiſsimos agricolas fortiſsimóſque propugnatores oppoſuiſſet, qui dum multis annis non ſine maximis ſudoribus hoc vnum agunt vt ne quid in poſterum detrimenti ea parte Eccleſia caperet, alia vaferrimus hoſtis cuniculos agere cœpit, & officium Chriſti quo fides noſtra præcipuo fundamento nititur, ita deformauit atque deminuit, vt nomen quidem in ore reliquum eſſet, res autem ipſa ex animis hominum deleretur.

Hac qnidem ille victoria paulatim rechnis ſuis potitus & inſolentior factus, de hominibus aliquandiu rriumphauit donec fortior tandem noſtris temporibus experrectus eſt, qui ſigno Euangelii rurſus erecto palma Satanæ de manibus erepta, hoc etiam eum curru deiiceret. quo Veterator excuſſus non ſtatim depoſuit animum, ſed ad veteres artes, quarum putabat tot iam ſeculorum fluxu obliteratam memoriam, iterum confugit, & vitilitigatorum more, qui res bis terque iudicatas nouis rurſus coloribus in iudicium reuocant, antiquas illas lites pluribus antea præiudiciis ſententiiſque definitas rurſus renouare conatus eſt. Quò ſanè magis mirandum atque etiam dolendum eſt non publicos tanrùm Euangelii hoſtes aut ſycophantas quoſdam & Ecebolios in eam rem operas ſuas Satanæ vltro locaſſe, cuius ſunt pridem mancipia: ſed ex iis etiam qui veritati in primis nomẽ dederunt doctos & ſtrenuos, tamen imprudentius paulò quàm par erat (ſic enim nos charitatis norma hactenus interpretari ſuaſit) ad has contentiones veteri litium concinnarori, cuius artes pridem noſſe debuerant, quaſi in rem ſuam procuratores ſe præbuiſſe.

Interea verò, Næ iniquè & calumnioſè faciunt qui has Satanæ artes in Eccleſiæ opprobrium conuertunt, eámque ex aduerſarii ingenio in inuidiam trahere conantur. Delicatiores etiam ſe præbent qui hac ſe vna ratione à recto itinere deduci ac diuerti, & igniculos ſemel in ſe excitatos, hac veluti aqua reſtingui patiuntur.

Laudetur verò Dominus qui nec trinoctium dilectiſsimã coniugem Eccleſiam abeſſe, nec hęreditatẽ ſuam vnquam vſucapi paſſus eſt, ſed eius ſemper poſſeſsionẽ vel ſurculo defringendo vſurpauit, dum plures, modò pauciores, ſemper tamen aliquos excitat qui vtendo eã retineãt, & occupatoris detentionẽ interrumpant. Quod quum antea perpetuò fecerit, tum hoc noſtro ſeculo Euangelii luce pro ſua clementia in oculis omnium excitata ouile ſibi chariſſimum non ſepibus ſolùm & maceriis, ſed & Paſtoribus fidiſsimis muniuit, qui & immanes lupos caularum aditu prohibere, & fraude ingreſſos expellere atque exigere poſſent. Inter quos THEODORVS BEZA huius noſtri ſepti paſtor vigilantiſsimus, pro ea qua à Domino donatus eſt prudentia & eruditione ſumma, egregiam ſanè operam nauauit hactenus. Cuius rei, (prӕterquàm quòd ipſa nobis ſatis per ſe clara eſt) teſtimonium etiam poſteris dicent hi libri, quos eò quidem de diuerſis rebus in vnum veluti corpus collectos maiorem vtilitatem allaturos ſperamus, quò vt ſӕpe antea, ita nunc maximè experimur Protea illum Satanam modò hanc modò illam ſibi formam aſſumere: ſӕpe etiam vario habitu in publicum prodire. Quas ei perſonas ita feliciter hӕc ſcripta detrahunt, vt aliӕ illi iam quӕrẽdӕ ſint. Quod cum pro ſua inueterata malitia ſtatim facturum non dubitamus, ſed à Domino, vt toties ſubinde vultus mutantem certo tandem aliquando nodo teneat, omnibus votis expoſcimus: & confore etiam ſperamus.

Interea verò ſi quid in huius voluminis editione τυπογραφικῶς peccatum eſt, dabit veniam ӕquus Lector, qui, vel etiam properando, ex animo prodeſſe ſtuduimus. Geneuӕ v. Kal. Martias.

M. D. LXX.

TH. B.

CONFESSIO

Chriſtianæ Fidei, & eiuſdem collatio cum Papiſticis Hæreſibus.

THEODORVS BEZA VEZELIVS MELIORI VOLMARIO RVFO, PRÆCEPTORI ET PARENTI PLVrimùm obſeruando, Gratiam & pacem à Domino.

QVOTIES anteactæ vitæ meæ recordor, recordor autem ſæpiſsimè ſicut par eſt, toties neceſſe eſt vt innumerabilia tua in me beneficia mihi in mentem veniant, pro quibus quum parē tibi gratiam referre nullo modo poſſim, habere tamen conſtitui, ſicut gratum hominem decet & acceptorum beneficiorum memorem. Quoniam autem hunc libellum placuit Confeſsionem vocare, volui cum fidei meæ profeſsione coniungere ſuperioris ætatis meæ narrationem, & quidem ab ipſo, quod aiunt, ouo exordiri. Patieris enim me, vt ſpero, in iſtis repetendis, quaſi repueraſcere, quorum narrationem nec tibi iniucundā nec mihi inutilem fore confido. Anno Domini 1519. die 24. Iunij, Ioan. Baptiſtæ natalibus ſacro, Vezeliis, vetuſto Heduorum oppido, placuit Deo Opt. Maximo vt mundi lucem primùm aſpicerem, P. à Beza eius oppidi præfecto & Maria Burdelotia, vtroque, Dei gratia, genere nobili, (vtinam verò potius veri Dei cognitione imbuto) & integræ famæ parente natus, & in paterna domo tenerrimè educatus. Erat mihi per id tempus patruus Nicolaus à Beza in ſenatum Pariſienſem allectus, cælebs quidem ille, ſed qui fratris ſui, id eſt mei parentis filios ita charos haberet, vt omnes ſtatim domum ſuam cuperet tranſlatos, & in iis honeſtiſsimè educandis nec ſumptibus vllis nec diligentiæ parceret. Is quum fortè Lutetia ad ſuos veniſſet, ſingulari quodam mei adhuc infantis amore captus, Deo iam tum ſaluti meæ proſpiciente, non deſtitit donec à patre impetraret vt me quamuis adhuc à nutricis vberibus pendentem, Lutetiam abduci ſineret. Id verò, vt ſæpe audire memini, ægerrimè quidem tulit mater, quaſi venturi mali præſcia, ſed tamen mariti imperio obſecuta, Lutetiam vſque me recens ablactatum perduxit. Inde domum reuerſa, non ita multò pòſt alterum femur ex equi lapſu confregit, & ipſa ſuis manibus reſtituit. Erat enim, vt accepi, ad phyſiologiæ ſtudium, pro fœminarum captu, quodam impetu naturæ propenſa, ideóque ſeſe in iſtiuſmodi rebus ab infantia exercuerat, & libentiſſimè ſolebat nō ſine quapiam dexteritate pauperes variis eiuſmodi ſubſidiis ſub-

leuare, adeò quidem vt quaſi communis quædam illorum parens ab omnibus diligeretur, &, quod ad me attinet, id quoque inter ſingularia Dei beneficia numerem, quòd me ex illa muliere naſci voluerit. Sed, vt ad rem redeam, paulò pòſt ardente febre correpta, è viuis exceſsit, magna cum familiæ noſtræ iactura, annos nata circiter 32, ſeptem relictis ſuperſtitibus liberis, nempe fœminis quatuor, maribus tribus, quorum ego minimus natu, tertium annum nōdum impleueram. Ego interea Lutetiæ quanuis ſumma cura educarer, tamen moriebar potius quàm viuebam, perpetuis languoribus ita proſtratus, vt vix ante quinquennium è cunis proreperem. Et vixdum emerſeram quum ex pediſſequi cuiuſdam, quicum puellus luſitabam, non animaduerſa contagione, porrigo me miſerum corripit: malum ſuapte natura peruicax, ſed tum valde acerbum, quòd imperitia medicorum, quanuis in vrbe celeberrima, eiuſmodi tum eſſet, vt non niſi validiſsimis atque adeò crudeliſsimis medicamentis ad abigendum id malum vterentur. Itaque horret animus meminiſſe quantos eo tempore cruciatus miſerante patruo & fruſtrà omnia experiētē, ſuſtinuerim. Et placet hîc quoque ſingulare exemplum diuinæ in me beneuolentiæ cōmemorare. Quum Chirurgus qui me ſanandum ſuſceperat, ſoleret domum noſtram ventitare, nec omnino pati poſſet patruus vt abſente ſe vel digitum mihi admoueret (adeò ille me tenerè & ardenter diligebat) non potuit vir humaniſsimus tantorum dolorum diutius eſſe ſpectator. Itaque cubiculario ſuo mandauit vt quotidie me vnà cum cognato quodam meo quem mecum alebat, quíque eodem malo fuerat correptus, ad Chirurgum deduceret, cuius ne conſpectum quidem ipſe poſſet ſuſtinere. Habitabat patruus in ea vrbis parte quam appellant Vniuerſitatem: Chirurgus autem non procul arce Regia quam Luparam vocant, medio interiecto ponte qui à molitoribus denominatur. Erat igitur pons ille traiciēdus nobis ad quotidianos cruciatus, illi præſertim ætati intolerabiles, properantibus, proſequēte quidem famulo, ſed, vt ſerui ſæpè ſolent, non ſatis diligenter nos obſeruante. Hic verò memini, & animus horret meminiſſe, meū illum cognatum, qui iam tum militare ingenium totus ſpirabat, ſæpenumero me cohortatum vt in ſubiectum flumen inſilientes tantis doloribus nos ſemel eximeremus. Ego vt natura timidior, primùm quidē exhorreſcere, ſed tamen poſtea vi dolorum cogente, & illo vehementer vrgente, polliceor me ſubſequuturū. Iā igitur hoc vnum ſupererat vt nos miſeros perderet Satan, quū Dominus noſtri miſertus effecit vt nobis fortè rediens è Curia patruus nihil eiuſmodi ſuſpicans occurreret, & valde procul ſequentem ſeruū animaduertens, domū nos reduci & Chirurgum deinceps ad nos potius accedere iuberet. Ita me igitur Dominus iā tum mirabiliter velut ex ipſius Satanæ faucibus liberauit, & quum ab eo morbo eſſem ſanatus, patruo in animum iniecit vt me domi per pædagogum doceret literarum figuras dignoſcere, & ſyllabas coniungere, ita fauente & propitio Deo, vt iam tum omnino decerneret patruus me totum literarum ſtudiis conſecrare. Hîc verò rurſum idem Deus inſigni & inexpectato prorſus modo me conſeruauit. Quum enim in ea vrbe habitarem quæ iampridem habita eſt pro gymnaſio totius orbis terrarum florentiſsimo, factum eſt vt contra omnium noſtrorum conſilium, & impetu potius quodam quàm iudicio, Aureliam ad te, mi obſeruande præceptor, mitterer, qui tum ludum illic ſelectis quibuſdam inſtituendis adoleſcentibus aperueras. Eras autem ipſe patruo meo penitus ignotus, ſed ſingulari Dei prouidentia acciderat, vt tum fortè apud illum cœnaret

ret quidam ex noſtris cognatis, ciuis Aurelienſis, & regii maioris cõſilii Senator.
Is vbi me conſpexiſſet,& filium mihi prorſus æqualẽ ſe habere dixiſſet apud
Volmariũ quendam, hominẽ in Græca etiã lingua, quod tunc planè nouũ erat,
eruditiſsimũ,& in iuuentute inſtituenda miræ cuiuſdã dexteritatis, Nicolai Beraldi
& P.Stellæ doctiſsimorũ hominum iudicio: illico patruus, Deo proculdubio
id illi inſpirante,non modò omẽ accepit, ſed ſanctè etiã promiſit fore vt mox
Aureliã me ablegaret,rogauitque vt me filio ſuo ſodalẽ adiungi pateretur.Ita igi
tur factũ vt ad te peruenirem anno Domini 1528, Nonis Decẽbris:quẽ diem ego
nõ aliter quàm alterũ natalem meritò ſoleo celebrare. Fuit enim iſte mihi profectò
omniũ bonorum principiũ quæ ab eo tẽpore percepi, & deinceps in futura
vita me percepturũ confido.Nam ab eo tẽpore quum me penitus puerũ domum
tuã vnà cum magnæ ſpei diſcipulis iam prouectioribus inſtituendũ accepiſſes,
quẽ laborẽ non vltro in me formãdo ſubiiſti? quas moleſtias in me docẽdo non
pertuliſti,Aureliæ primùm,deinde Biturigibus,quũ in eã vrbem Regina Nauarræ
te honeſto ſtipẽdio ad Græcas literas profitẽdas euocaſſet? denique quid non
tentaſti,ne mihi vlla in parte viderere defuiſſe? Hoc enim verè poſſum affirmare,
nullũ eſſe nobilẽ vel Græcũ vel Latinũ ſcriptorẽ quem ego intra ſeptenniũ quo apud
te vixi nõ deguſtarim:nullã ex liberalioribus illis diſciplinis, ne Iuriſprudẽtia
quidẽ excepta,cuius ſaltẽ elementa te præceptore nõ didicerim. Volebas enim
paucos quidẽ diſcipulos habere,ſed quos omnes ita inſtitutos dimitteres,vt infinitæ
cuiuſdã diligentiæ tuæ tot domeſticos teſtes haberes. Neque verò hæc expe
ctatio te feſellit,quũ hoc tibi quod paucisſimis aliis cõtigerit,vt ex ſchola tua vix
quẽquã meminiſſe poſsim præter me vnũ diſceſſiſſe,qui nõ ad inſignẽ eruditionẽ
peruenerit. Sed hoc eſt omniũ beneficiorũ quæ à te accepi longè maximũ, quòd
veræ pietatis cognitione ex Dei verbo tanquã limpidiſsimo fonte petita tu me
ità imbuiſti,vt niſi te non dico pro præceptore, ſed pro parẽte colam & obſeruẽ,
omniũ hominum ſim maximè ingratus & inhumanus.Iam verò quũ te ſocer ex
Gallia in Germaniam retraheret, quẽ non mouiſtis lapidẽ tu & ſuauiſsima vxor
tua,vt mihi per patrẽ liceret in Germaniam vos proſequi? Ita enim ab vtroque ve
ſtrum diligebar, & ego viciſsim ita vos obſeruabã,vt non niſi perinuiti me relinqueretis,
& ego non ſine ſummo mœrore à vobis auelli poſſem.Itaque hæſerunt
mihi ſemper & adhuc hærent in animo Calendæ Maiæ, quo die quũ à vobis auellerer,
& tu quidẽ Lugdunũ, ego Aureliam verſus ex patris imperio diſcederem,
memini ac ſemper meminero nullũ vnquam diem mihi triſtiorẽ & luctuoſiorem
illuxiſſe.Aureliã igitur triduo pòſt,quum iã ageretur annus Domini 1535,
perueni,vt Iuri Ciuili operã nauarem. Ibi verò quum ab illo ſtudio quod & bar
barè & ſine methodo illic tradebatur,neſcio quo modo abhorrerem,ita ſum illud
amplexus,vt tamen multò maiorem temporis partem in politioribus literis,& vtriuſque
linguæ ſcriptoribus legendis conſumerem. Delectabar autem Poëtices
ſtudio mirum in modũ,ad quã naturæ quodã impetu trahi me ſentiebã:quæ res
effecit vt eius academiæ doctiſsimos quoſque mihi coniunctiſsimos haberẽ,qui
nunc omnes in Gallia amplisſimis honoribus fruuntur:tũ verò me ſuo exemplo
ad politiorum literarũ ſtudia cũ Iure Ciuili coniungẽda & poëticos luſus, mirificè
incendebant. Hic igitur à me intra annum ætatis viceſimum perſcripta ferè
ſunt omnia illa Poemata quæ aliquot pòſt annis edidi & nomini tuo inſcripſi,
in quibus etſi nonnulla ſunt paulò licentioſius, ad Catulli videlicet & Naſonis
imitationem, ſcripta, tamen minimè tum verebar, ac ne nunc quidem vereor

ne qui me cũ nouerunt qualis fuerim, mores meos ex fictis illis luſibus æſtimēt. Sed de hac re poſtea. Aureliæ igitur ita vixi cũ honeſtiſsimis & doctiſsimis hominibus tantiſper dũ ad Licentiæ,quã vocant,gradũ promouerer,quod quidem factũ memini anno Domini 1539,11. Cal. Auguſti, quũ annũ ætatis viceſimũ eſſem ingreſſus.Inde Lutetiã venio,mortuo quidē ante ſeptenniũ meo illo patruo ac Mæcenate,ſed altero adhuc ſuperſtite,Abbate Frigidi montano, qui me nihilo minus quàm alter ille diligebat.Sed,Deus bone,quãti noſtra intereſt,vt nõtantùm diuites & fidos,verùm etiã verè pios ac religioſos amicos habeam*? Nã profectò nihil propius factũ eſt quàm vt ii me perderent qui mihi maximè prodeſſe volebãt.Ecce enim,quũ Lutetiã veniſſem, primùm omniũ multos præſertim ex Senatu, partim cognatos & affines,partim noſtræ familiæ veteres amicos inuenio,& eos quidē valde mihi priuatim beneuolos,quòd neſcio quã ſpē de me, ex quorundam opinione,concepiſſent.Huc accedebat quòd duobus pinguibus & opimis beneficiis me alioqui macrũ adoleſcentē,& præterea,quod vere teſtor,iſtarũ rerũ prorſus ignarũ & abſentē onerarãt,quorũ vectigalia aureos coronatos annuos plus minus ſeptingētos æquabant:& patruus ille meus,cuius Abbatia nõ minus quàm quinque coronatorũ millibus annuis æſtimabatur,certum me ſibi ſucceſſorē animo deſignabat:frater denique meus natu maximus, homo iã tum deploratæ valetudinis,alia iterũ aliquot ſacerdotia mihi deſtinabat.Denique infinitas mihi tēdiculas circunquaque à Satana obiectas cõperio.Ego verò hîc ingenuè,vt par eſt, fatebor quod res eſt. Omnino decreuerã antea ſimulatque mei iuris eſſem,& nõnnullæ mihi facultates nõ deeſſent,ad te diſcedere,& puræ conſcientiæ libertatē cæteris rebus omnibus anteferre, & ſæpiſsimè à Deo cũ precibus & lachrymis poſtularã,vt me huius voti reũ exaudiret. Sed quũ mihi & iuueni,& à meis,otio,pecunia,rebus denique omnibus potius quàm cõſilio abundanti, Satanas omnia illa impedimēta derepēte obieciſſet, fateor me inani illarũ rerũ ſplēdore & vanis blanditiis ita fuiſſe pellectũ, vt me totũ huc & illuc abripi facilè pateret.Quid hîc verò cõmemorē infinita pericula in quæ ipſe me ſciēs ac prudens cõieci?quoties & domi & foris,corpore & animo ſum periclitatus? Sed quũ mihi non poſsit nõ eſſe multis de cauſis acerbiſsima omniũ illorũ temporũ recordatio,facit è contrario ſingularis & incredibilis in me Dei Opt.Max. beneuolentia vt viciſsim quoties illorũ recordor, toties incredibili quadã voluptate perfundar, quũ in meipſo agnoſco clariſsima ac maximè perſpicua eius paternæ ſolicitudinis exēpla, qua ſeſe optimus ille Pater electos ſuos proſecuturũ promiſit.Is enim me quãuis extra viã ſpõte à meipſo abreptũ, nunquã tamen ita paſſus eſt errare,quin ſæpiſsimè ingemiſcerem,& meũ illud votum de Papiſmo penitus tandē repudiando,retinerē.Effecit deniq; vt ita vitã inſtituerē,vt ſingulari quodam ipſius beneficio, quũ neutrũ mererer, nec pietate poſtremus inter pios, nec bonarũ artium prorſus rudis inter eruditos haberer. Quúmque mihi præter illa impedimenta quæ antè cõmemoraui, triplicē laqueum Satanas circundediſſet, nēpe voluptatum illecebras quæ ſunt in ea ciuitate maximæ:gloriolæ dulcedinē, quã ego nõ paruam, ex meorũ præſertim Epigrãmatum editione,ipſius quoque M.Antonii Flaminii doctiſsimi poëtæ, & quidem Itali, iudicio eram conſequutus: ſpem denique maximorum honorum mihi propoſitam, ad quos ex ipſis aulicis proceribus aliquot me vocabant, incitabant amici, pater & patruus hortari non deſinebant: voluit Deus Opt. Max. vt miſer ego, & qui ſciens ac prudens in hanc viam tam periculoſam eram ingreſſus, tandem ex his quoque periculis

culis euaderem. Primùm enim, ne à turpibus illis deſideriis ſuperarer, vxorem mihi deſpondi, ſed clàm, id tamen fateor, & vno tantùm & altero ex piis amicis conſcio, partim ne cæteros offenderem, partim, quòd adhuc non ſatis poſſem à ſcelerata illa pecunia quã ex ſacerdotiis, de quibus antè dixi, percipiebam, vt impurus canis ab vncto corio abſterreri. Addita tamen eſt ſponſalibus expreſſa promiſsio, fore vt illam primo quidem tempore, reiectis impedimentis omnibus, in Eccleſiam Dei abducerẽ: & palàm eum ea matrimonium confirmarem: atque etiam interea nullo ex ſacris illis Papiſticis ordinibus initiarer: quod vtrunque poſtea ſanctè præſtiti. Gloriolam autem illam & propoſitos honores vt pertinaciter reiicerem idem clementiſsimus Pater effecit, amicis non modò mirantibus, ſed etiam reprehendentibus pleriſque, & nouum philoſophum per iocum appellantibus. Ego tum interea ſemper in luto hærere, inſtantibus meis vt tandem certum aliquod vitæ genus amplecterer, & patruo mihi omnia deferente, adeò vt, quum vna ex parte me premeret conſcientia, & coniux de promiſſo appellaret: ex altera verò perſonatus Satan mihi placidiſsimo vultu blandiretur, & ex fratris morte auctiores mihi reditus eſſent facti: quaſi omnis conſilii inops inter iſtas animi curas iacerem. Hic verò quàm mirabiliter mei miſertus ſit Dominus libentiſsimè commemorabo. Ecce enim grauiſſimum morbum mihi infligit, adeò vt penè de vita deſperarem. Hîc ego miſer quid facerem, quum nihil mihi præter horrendum iuſti Dei iudicium ob oculos obuerſaretur? Quid multa? poſt infinitos & corporis & animi cruciatus, Dominus fugitiui ſui mancipii miſertus ita me conſolatus eſt, vt de venia mihi conceſſa nihil dubitarem. Meipſum igitur cum lachrymis deteſtor, veniam peto, votum renouo de vero ipſius cultu apertè amplectendo, denique totum illi meipſum conſecro. Ita factum vt mortis imago mihi feriò propoſita, veræ vitæ deſiderium in me ſopitum ac ſepultum excitaret: & morbus iſte veræ ſanitatis mihi principium eſſet: adeò mirabilis eſt Dominus in ſuis vna eadémque opera ſimul & deiiciendis & erigendis, vulnerandis & ſanandis. Simulatque igitur licuit lectum relinquere, abruptis omnibus vinculis, ſarcinulis compoſitis, patriam, parentes, amicos ſemel deſero, vt Chriſtum ſequar, méque vnà cum mea coniuge Geneuam in exilium voluntarium recipio. Itaque anno Domini 1548. 9. Cal. Nouembris in eam vrbem relicta Ægypto ingreſſus, inueni quod ne ſuſpicari quidem antea potuerã, quamuis eam ciuitatem iampridem audiuiſſem à piis quibuſque hominibus maximè cõmẽdari: ibique domicilium poſui. Porrò quum de vitæ genere cogitarem, & te, mi pater, Tubingæ inuiſiſſem, ecce me nihil tale expectantem Lauſanenſis academia ad Græcas literas ibi profitendas vocat, cuius iudicium quum amplexus eſſet ampliſsimus Senatus Bernenſis, neceſſe mihi fuit Chriſtum vocantem ſequi. Lauſanam igitur anno inſequenti veni, vbi ita me, Dei gratia, vixiſſe puto cum doctiſsimis & optimis viris collegis meis, vt nulli bono viro diſplicuerim. Inde verò tandem, id eſt poſt annum decimum, partim quòd meipſum cuperem Theologiæ totum conſecrare, partim alias ob cauſas quas nihil hîc attinet commemorare, bona cum Senatus venia, in hanc vrbem iterum tanquam in placidiſsimum portum redii, vbi me non tam mea voluntas addnxit, quàm maximorum virorum iudicium huc adegit vt ſacri miniſterii munus ſubirem, cui quidem longè maximo oneri ſuſtinẽdo vtinam mihi Dominus tantas vires ſuppeditet vt cum nonnulla Eccleſiæ ædificatione eo defungi poſsim.

ne qui me tũ nouerunt qualis fuerim, mores meos ex fictis illis luſibus æſtimẽt.
Sed de hac re poſtea. Aureliæ igitur ita vixi cũ honeſtiſsimis & doctiſsimis ho-
minibus tantiſper dũ ad Licentiæ, quã vocant, gradũ promouerer, quod quidem
factũ memini anno Domini 1539, II. Cal. Auguſti, quũ annũ ætatis viceſimũ eſ-
ſem ingreſſus. Inde Lutetiã venio, mortuo quidẽ ante ſeptenniũ meo illo patruo
ac Mæcenate, ſed altero adhuc ſuperſtite, Abbate Frigidi montano, qui me nihi-
lo minus quàm alter ille diligebat. Sed, Deus bone, quãti noſtra intereſt, vt nõ tan-
tùm diuites & fidos, verùm etiã verè pios ac religioſos amicos habeam⁹? Nã pro-
fectò nihil propius factũ eſt quàm vt ii me perderent qui mihi maximè prodeſſe
volebãt. Ecce enim, quũ Lutetiã veniſſem, primùm omniũ multos præſertim ex
Senatu, partim cognatos & affines, partim noſtræ familiæ veteres amicos inue-
nio, & eos quidẽ valde mihi priuatim beneuolos, quòd neſcio quã ſpẽ de me, ex
quorundam opinione, concepiſſent. Huc accedebat quòd duobus pinguibus &
opimis beneficiis me alioqui macrũ adoleſcentẽ, & præterea, quod vere teſtor, i-
ſtarũ rerũ prorſus ignarũ & abſentẽ onerarãt, quorũ vectigalia aureos coronatos
annuos plus minus ſeptingẽtos æquabant: & patruus ille meus, cuius Abbatia nõ
minus quàm quinque coronatorũ millibus annuis æſtimabatur, certum me ſibi
ſucceſſorẽ animo deſignabat: frater denique meus natu maximus, homo iã tum
deploratæ valetudinis, alia iterũ aliquot ſacerdotia mihi deſtinabat. Denique in-
finitas mihi tẽdiculas circunquaque à Satana obiectas cõperio. Ego verò hîc in-
genuè, vt par eſt, fatebor quod res eſt. Omnino decreuerã antea ſimulatque mei
iuris eſſem, & nõnullæ mihi facultates nõ deeſſent, ad te diſcedere, & puræ con-
ſcientiæ libertatẽ cæteris rebus omnibus anteferre, & ſæpiſsimè à Deo cũ præci-
bus & lachrymis poſtularã, vt me huius voti reũ exaudiret. Sed quũ mihi & iu-
ueni, & à meis, otio, pecunia, rebus denique omnibus potius quàm cõſilio abun-
danti, Satanas omnia illa impedimẽta derepẽte obieciſſet, fateor me inani illarũ
rerũ ſplẽdore & vanis blanditiis ita fuiſſe pellectũ, vt me totũ huc & illuc abripi
facilè paterer. Quid hîc verò cõmemorẽ infinita pericula in quæ ipſe me ſciẽs ac
prudens cõieci? quoties & domi & foris, corpore & animo ſum periclitatus? Sed
quũ mihi non poſsit nõ eſſe multis de cauſis acerbiſsima omniũ illorũ temporũ
recordatio, facit è contrario ſingularis & incredibilis in me Dei Opt. Max. bene-
uolentia vt viciſsim quoties illorũ recordor, toties incredibili quadã voluptate
perfundar, quũ in meipſo agnoſco clariſsima ac maximè perſpicua eius paternæ
ſolicitudinis exẽpla, qua ſeſe optimus ille Pater electos ſuos proſecuturũ promi-
ſit. Is enim me quãuis extra viã ſpõte à meipſo abreptũ, nunquã tamen ita paſſus
eſt errare, quin ſæpiſsimè ingemiſcerem, & meũ illud votum de Papiſmo penitus
tandẽ repudiando, retinerẽ. Effecit deniq; vt ita vitã inſtituerẽ, vt ſingulari quo-
dam ipſius beneficio, quũ neutrũ mererer, nec pietate poſtremus inter pios, nec
bonarũ artium prorſus rudis inter eruditos haberer. Quúmque mihi præter illa
impedimenta quæ antè cõmemoraui, triplicẽ laqueum Satanas circundediſſet,
nẽpe voluptatum illecebras quæ ſunt in ea ciuitate maximæ: gloriolæ dulcedinẽ,
quã ego nõ paruam, ex meorũ præſertim Epigrãmatum editione, ipſius quoque
M. Antonii Flaminii doctiſsimi poëtæ, & quidem Itali, iudicio eram conſequu-
tus: ſpem denique maximorum honorum mihi propoſitam, ad quos ex ipſis
aulicis proceribus aliquot me vocabant, incitabant amici, pater & patruus hor-
tari non deſinebant: voluit Deus Opt. Max. vt miſer ego, & qui ſciens ac pru-
dens in hanc viam tam periculoſam eram ingreſſus, tandem ex his quoque peri-

culis

culis euaderem. Primùm enim, ne à turpibus illis deſideriis ſuperarer, vxorem mihi deſpondi, ſed clàm, id tamen fateor, & vno tantùm & altero ex piis amicis conſcio, partim ne cæteros offenderem, partim, quòd adhuc non ſatis poſſem à ſcelerata illa pecunia quã ex ſacerdotiis, de quibus antè dixi, percipiebam, vt impurus canis ab vncto corio abſterreri. Addita tamen eſt ſponſalibus expreſſa promiſsio, fore vt illam primo quidem tempore, reiectis impedimentis omnibus, in Eccleſiam Dei abducerẽ: & palàm eum ea matrimonium confirmarem: atque etiam interea nullo ex ſacris illis Papiſticis ordinibus initiarer: quod vtrunque poſtea ſanctè præſtiti. Gloriolam autem illam & propoſitos honores vt pertinaciter reiicerem idem clementiſsimus Pater effecit, amicis non modò mirantibus, ſed etiam reprehendentibus plerìſque, & nouum philoſophum per iocum appellantibus. Ego tum interea ſemper in luto hærere, inſtantibus meis vt tandem certum aliquod vitæ genus amplecteter, & patruo mihi omnia deferente, adeò vt, quum vna ex parte me premeret conſcientia, & coniux de promiſſo appellaret: ex altera verò perſonatus Satan mihi placidiſsimo vultu blandiretur, & ex fratris morte auctiores mihi reditus eſſent facti: quaſi omnis conſilii inops inter iſtas animi curas iacerem. Hic verò quàm mirabiliter mei miſertus ſit Dominus libentiſsimè commemorabo. Ecce enim grauiſſimum morbum mihi infligit, adeò vt penè de vita deſperarem. Hîc ego miſer quid facerem, quum nihil mihi præter horrendum iuſti Dei iudicium ob oculos obuerſaretur? Quid multa? poſt infinitos & corporis & animi cruciatus, Dominus fugitiui ſui mancipii miſertus ita me conſolatus eſt, vt de venia mihi conceſſa nihil dubitarem. Meipſum igitur cum lachrymis deteſtor, veniam peto, votum renouo de vero ipſius cultu apertè amplectendo, denique totum illi meipſum conſecro. Ita factum vt mortis imago mihi ſeriò propoſita, veræ vitæ deſiderium in me ſopitum ac ſepultum excitaret: & morbus iſte veræ ſanitatis mihi principium eſſet: adeò mirabilis eſt Dominus in ſuis vna eadémque opera ſimul & deiiciendis & erigendis, vulnerandis & ſanandis. Simulatque igitur licuit lectum relinquere, abruptis omnibus vinculis, ſarcinulis compoſitis, patriam, parentes, amicos ſemel deſero, vt Chriſtum ſequar, méque vnà cum mea coniuge Geneuam in exilium voluntarium recipio. Itaque anno Domini 1548. 9. Cal. Nouembris in eam vrbem relicta AEgypto ingreſſus, inueni quod ne ſuſpicari quidem antea potuerã, quanuis eam ciuitatem iampridem audiuiſſem à piis quibuſque hominibus maximè cõmmẽdari: ibique domicilium poſui. Porrò quum de vitæ genere cogitarem, & te, mi pater, Tubingæ inuiſiſſem, ecce me nihil tale expectantem Lauſanenſis academia ad Græcas literas ibi profitendas vocat, cuius iudicium quum amplexus eſſet ampliſsimus Senatus Bernenſis, neceſſe mihi fuit Chriſtum vocantem ſequi. Lauſanam igitur anno inſequenti veni, vbi ita me, Dei gratia, vixiſſe puto cum doctiſsimis & optimis viris collegis meis, vt nulli bono viro diſplicuerim. Inde verò tandem, id eſt poſt annum decimum, partim quòd meipſum cuperem Theologiæ totum conſecrare, partim alias ob cauſas quas nihil hîc attinet commemorare, bona cum Senatus venia, in hanc vrbem iterum tanquam in placidiſsimum portum redii, vbi me non tam mea voluntas adduxit, quàm maximorum virorum iudicium huc adegit vt ſacri miniſterii munus ſubirem, cui quidem longè maximo oneri ſuſtinẽdo vtinam mihi Dominus tantas vires ſuppeditet vt cum nonnulla Eccleſiæ ædificatione eo defungi poſsim.

Habes, mi pater, breuẽ totius vitæ diſcipuli, imò verò filii tui à te nimiũ intempeſtiuè auulſi, narrationem, quam ego vel hanc ob cauſam contexui quòd non ſine maximo fructu ſoleã tot diuinæ prouidentiæ ad me conſeruandũ exẽpla libenter intueri, & te præ cæteris non dubitẽ meis cõmodis non aliter quàm meipſum affici ſolere. Hanc autẽ fidei meæ confeſsionẽ Gallicè initiò edideram, vt patri meo quem nonnullorum calumniæ à me tanquam impio & hæretico abalienarant, ſatisfacerem, ac illũ etiam ſi poſſem, in extrema ſenectute, Chriſto lucrifacerem. Suadentibus autem poſtea nonnullis vt illam in publicum ederẽ, non magnopere ſum reluctatus, & hoc quicquid eſt Latinè expreſsi, ſi modò diſertuli nonnulli patientur, vt Latinum appellem quod ſimplici potius & inconditо quodam dicendi genere explicare malui, quàm procul accerſita & recondita quadã facundia exornare. Sunt tamen hæc eadẽ, fateor, à multis, hoc noſtro præſertim ſæculo, fœliciter declarata, & quidẽ in primis (dicã enim quod res eſt, vt crepet inuidia) à magno illo Ioan. Caluino altero meo parente: qui & in ſua Inſtitutione copioſiſsimè, & in huius Eccleſiæ Catechiſmo breuiſsimè quidem ſed accuratiſsimè omnia iſta pertractauit, ex quibus etiã libris hæc à nobis profiteor deſumpta. Sed nihil impedit quo minus magno cum fructu in iſto multorũ faſtidio, eædem dapes mutato tantùm nonnihil apparatu reponãtur. Vtiliſsimum autẽ eſſe eorũ ſtudium arbitror qui breues & perſpicuas harũ controuerſiarũ ſummas conſcribunt, vt qui ad ſacrorũ librorum lectionẽ accedunt, certa quædã capita velut numeratò habeant, ad quæ poſtea ſingula quæ legunt referre & accõmodare poſsint. Denique futurũ ſpero vt ex ipſa lectione nõnulli fateantur ſeſe nonnihil fructus ex hoc meo labore percepiſſe. Volui autẽ hoc quicquid eſt tuo nomini conſecrare, partim quidẽ quòd æquiſsimũ ſit vt eius agri quem tu primus ſeuiſti fructum percipias, cuiuſmodi quidẽ ex aruo non admodũ feraci colligi poteſt: partim verò vt pro meis illis Epigrammatũ libellis, quos à me iterum edi volebas, hunc infinitis partibus meliorem & ſanctiorem accipias. Quod enim ad illos attinet, quis tandem eos vel prius quàm ego ipſe infelix illorũ auctor damnauit, vel magis etiã hodie deteſtatur? Vtinã igitur tandem perpetua obliuione ſepeliantur, & mihi, quod ſpero, concedat Dominus vt quãdoquidẽ quod factum eſt infectũ fieri nequit, qui deinceps noſtra legent ab illis plurimùm diuerſa, mihi de tanto in me Dei beneficio potius gratulari, quàm ſua ſponte culpã adoleſcentiæ confitentem & deprecantem accuſare malint.

Vale, Geneuæ, quarto Idus Martii, anno Domini
1560.

INDEX

INDEX CAPITVM ET SEctionum huius Confeſſionis.

De Trinitate, caput primum.

Sectio I	Deum vnum eſſe	pag. 1.
II	Vnum Deum tribus perſonis non diuidi ſed diſtingui	1.
III	De æterna Dei prouidentia	1.

De perſona Patris, caput ſecundum.

I	De perſona Patris	1.
II	Patrem eſſe creatorem & conſeruatorem omnium rerum	1.
III	De Angelis	1.
IIII	Opera Trinitatis inſeparabilia	1.

De Ieſu Chriſto, caput tertium.

I	De diuinitate Filii	2.
II	Filium ab æterno conſtitutũ eſſe vnicum Mediatorẽ inter Deum & Electos	2.
III	Deus eſt perfectè iuſtus & perfectè miſericors	2.
IIII	Deus eſt immutabilis	2.
V	Secundas cauſas æterno conſilio Dei non excludi	2.
VI	Hominem ad declarandam Dei iuſtitiam ac miſericordiam creatum eſſe	2.
VII	Qua de cauſa primum hominem oportuerit purum creari	2.
VIII	Oportuiſſe hominem puritate & integritate ſua excidere	2.
IX	Hominem à Deo purum ac bonum creatum eſſe	2.
X	Quomodo ſeſe primus homo cum vniuerſa poſteritate tum primæ tum ſecundæ morti obnoxium fecerit	2.
XI	Qua via ad priorem mortem peruenitur	3.
XII	Priorem mortem ſempiternam eſſe non poſſe	3.
XIII	Quæ via ad ſecundam mortem deducit	3.
XIIII	Cuiuſmodi arbitrii libertas homini poſt peccatum reliqua ſit facta	3.
XV	Summa doctrinæ de peccato originis	3.
XVI	Quomodo Deus ad gloriam ſuam vtatur hominis peccato	3.
XVII	Ieſus Chriſtus vnicus Mediator, quomodo promiſſus ſub Lege	3.
XVIII	Quæ ſit conuenientia, & quod diſcrimen veteris & noui Teſtamenti	4.
XIX	Cur oportuerit Chriſtum fieri verum hominem, ſed abſque peccato	4.
XX	Cur Chriſtum oportuerit verè Deum eſſe	4.
XXI	Quomodo ſalutis noſtræ myſterium in Chriſto exhibito fuerit impletum	4.
XXII	Duæ naturæ, Diuina & humana, in vnam perſonam vnitæ, ab ipſo conceptionis carnis momento	4.
XXIII	Maria virgo eſt mater Ieſu Chriſti Dei & hominis	5.
XXIIII	Breuis deſcriptio quomodo Chriſtus ſalutem nobis attulerit	5.
XXV	Quomodo Chriſtus ſeſe in cælum ſubduxerit, & tamen nobiſcum adhuc verſetur	5.
XXVI	Nullam aliam eſſe poſſe veram religionem quàm Chriſtianam	5.

De ſancto Spiritu, caput quartum.

I	De perſona Spiritus ſancti	6.

II De effectibus qui in Spiritu ſancto propriè conſiderantur 6.
III Spiritus ſanctus ſola fide nos facit Christi participes 6.
IIII Quibus mediis vtatur Spiritus ſanctus ad fidem in nobis creandam ac conſeruandam 6.
V Quantopere neceſſaria ſit fides, & quid ſit 6.
VI Quod ſit veræ fidei obiectum, & quæ eius efficacia 7.
VII Quomodo ſit accipiendũ quòd ex Paulo affirmamus nos ſola fide iuſtificari 7.
VIII Certum eſſe ſuæ ſalutis per Chriſtum fide apprehẽſum, nihil minus eſſe quàm arrogantiam 7.
IX Fidem inuenire in vno Chriſto quicquid ad ſalutem requiritur 7.
X De primæ tentationis primo inſultu, in quo nobis innumerabilia peccata noſtra proponuntur: & vnico remedio quod in vno Chriſto aduerſus hunc inſultum per fidem inuenitur 7.
XI De remedio quod vna fides in vno Chriſto nanciſcitur, aduerſus alterũ eiuſdem tentationis inſultum, poſitum in eo quòd nuſquam in nobis extat iuſtitia illa quam Deus à nobis ſuo iure requirit 9.
XII De tertio eiuſdem tentationis inſultu, quòd natura ſimus corrupti, ac proinde Deo exoſi 9.
XIII De remedio aduerſus ſecundam tentationem, an Fidem habeamus 10.
XIIII Impudentẽ eſſe calumniam eorũ qui dicunt bona opera à nobis reprehẽdi 11.
XV Prima controuerſia in argumento bonorum operum, Quænam ſint pro bonis, & quæ pro malis habenda 11.
XVI Quæ ſint opera omnium excellẽtiſsima, quæ ſint veræ preces, & quanta ſit earum præſtantia 11.
De operibus charitatis erga proximum 13.
De operibus indifferentibus 13.
XVII Altera controuerſia de bonis operibus, in qua quæritur de eorum principio & origine 13.
XVIII De tertia controuerſia in bonis operibus, nempe quænam ſit eorũ vtilitas 14.
XIX Quorſum nobis vtilia ſint bona opera apud Deum & apud homines 14.
XX Remedium aduerſus vltimã eámque grauiſsimam tẽtationem, in qua quæritur an ſimus ex electorũ numero: & quis ſit vſus doctrinæ de particulari electione 16.
XXI Quibus inſtrumentis vtatur Spiritus ſanctus vt fidem creet in Electorum cordibus 18.
XXII Quid intelligatur verbi Dei appellatione, & de duabus eius partibus, Lege nimirum & Euangelio 18.
XXIII Quid inter ſe commune habeant Lex & Euangelium: & rurſus quibus in rebus differant 19.
XXIIII Quorſum vtatur Legis prædicatione Spiritus ſanctus. 20.
XXV De altera verbi Dei parte quæ Euangeliũ dicitur, cuius ſit auctoritatis, quamobrem, quomodo & in quem finem ſcriptum 21.
XXVI Ad Euangelium pertinere aliqua etiam ex parte libros qui veteris Teſtamenti dicuntur 21.
XXVII Quæ ſit ſacræ Scripturæ auctoritas, & quamobrem debeat in omnia vulgata idiomata transferri 22.
XXVIII Quomodo vtatur Spiritus ſanctus externa Euangelii prædicatione, ad fidem in Electis gignendam, & indurandos reprobos 22.
XXIX De altero fructu prædicationis Legis qui conſequitur efficacem Euangelii declarationem 23.
XXX De altero inſtrumento quo vtitur Spiritus ſanctus vt nos efficiat Ieſu Chriſti participes, & quibus de cauſis Dominus nõ acquieuerit in nuda & ſimplici prædicatione Verbi 23.
XXXI Definitio Sacramenti 24.
XXXII Quod ſit diſcrimen inter veteris & noui fœderis Sacramenta 24.
XXXIII Quibus notis vera Sacramenta ab adulterinis diſtinguantur 24.
XXXIIII De iis quæ communia ſunt Verbo & Sacramentis 25.

Quid

xxxv Quid habeant proprium & peculiare Sacramenta, eius quidem finis reſpectu propter quem à Deo ſunt conſtituta 25.
xxxvi Duo tantùm eſſe Sacramenta Chriſtianæ Eccleſiæ 26.
xxxvii Quatuor eſſe præcipua capita conſideranda in Sacramentorũ explicatione 26.
xxxviii Primum caput, quid ſit ſignum, & quamobrem Deus res penitus vulgares in conſtituendis Sacramentis delegerit 26.
xxxix De illorum errore qui ſubſtantiam Signorum abolent in Sacramentis 27.
xl De mutatione rerum corporalium in Sacramentis 27.
xli Vnde proficiſcatur mutatio rerum quæ in Sacramentis adhibentur 27.
xlii Mutationem hanc non eſſe perpetuam 27.
xliii Secundum caput in quo agitur de re ipſa Sacramentorum 27.
xliiii Tertium caput in quo quæritur quomodo res ipſa, id eſt Ieſus Chriſtus, dicatur cum ſignis coniungi 27.
xlv Diſtinctio ſignorum & rei 28.
xlvi Quartũ caput, in quo quæritur quomodo tũ ſigna, tũ res ipſas percipiamus 28.
xlvii Applicatio ſuperioris doctrinæ ad Baptiſmi Sacramentum 28.
xlviii De infantium Baptiſmo 29.
xlix Cur Baptiſmus non reiteretur 30.
l Applicatio ſuperioris doctrinæ de Sacramentis, ad Cœnam Domini 30.
li Concluſio rei Sacramentariæ 32.
lii Cur Spiritus ſanctus vocetur paracletus, & quis ſit afflictionũ noſtratũ vſus 32.

De Eccleſia, caput quintum.

i Semper fuiſſe & fore aliquam Eccleſiam, extra quam non ſit ſalus pag. 32.
ii Vnam duntaxat eſſe veram Eccleſiam 32.
iii Cur Eccleſia Catholica vocetur 32.
iiii De ſanctorum communione 33.
v Eccleſiam vnum duntaxat caput habere, quod nullo ſocio, neque ſucceſſore, neque vicario indigeat 33.
vi Communionem ſanctorum non impedire quominus varii ſint munerum Eccleſiaſticorum gradus 33.
vii De ſignis quibus vera Eccleſia dignoſcitur ab adulterina 33.
viii De veris Eccleſiæ membris 34.
ix Signa Eccleſiæ non eſſe ſemper in eodem ſtatu 34.
x De auctoritate Eccleſiæ 35.
xi De auctoritate Conciliorum vniuerſalium, ac primùm quidem quid hoc nomine intelligatur 35.
xii Penes quem ſit ius conuocandi vniuerſalis Concilii 35.
xiii Quomodo ſint eligendi qui ad Concilia mittuntur 35.
xiiii Quemuis poſſe audiri in Concilio, modò id ritè & ordine fiat 36.
xv Quis præeſſe debeat actionibus Conciliorum vniuerſalium 36.
xvi Quantum tribuendum ſit auctoritati Synodorum 38.
xvii Cur indici conſueuerint Synodi in Eccleſia Chriſtiana, & quæ ſit earum poteſtas 39.
xviii Quid primo loco ſit conſiderandum in politia Eccleſiæ conſtituenda 40.
xix Quid ſecundo loco ſit conſiderandum in politicis Eccleſiæ legibus 41.
xx Quid tertio loco ſit in politicis Eccleſiæ legibus ſpectandum 41.
xxi Quid ſit iis reſpondendum qui Conciliorum authoritatem nobis obiiciunt 42.
xxii De Synodis particularibus, id eſt Prouincialibus vel Nationalibus, quas vocant 42.
xxiii Quot ſint ſpecies ordinariarũ functionũ in Eccleſia legitimè conſtituta 42.
xxiiii De munere Apoſtolorũ, Euãgeliſtarũ, & Prophetarũ, in primitiua Eccleſia 42.
xxv De munere Paſtorum & Doctorum 43.
xxvi Diſcrimen eſſe inter Paſtores & Doctores 43.
xxvii Paſtores & Doctores eſſe duntaxat inſtrumenta quibus vtatur Deus 43.
xxviii Quibus ſignis diſtinguantur veri Paſtores & Doctores à falſis 43.
xxix Aliquem ordinem conſtitui oportere in Paſtorum collegio 44.

XXX De ſecunda ſpecie publicorum munerum in Eccleſia, id eſt, officio Diaconorum,& ærarii Eccleſiaſtici adminiſtratione 45.
XXXI De inferioribus Ordinibus quos minores vocant 45.
XXXII De tertia ſpecie Eccleſiaſticarum functionum, earum videlicet quæ verſantur in iuriſdictione 46.
XXXIII Quis ſit ſcopus iuriſdictionis Eccleſiaſticæ,& quæ ipſius partes 46.
XXXIIII De ſingulis partibus officii Preſbyterorum 47.
XXXV De Electoribus Eccleſiaſticis 47.
XXXVI Cuiuſmodi eſſe oporteat qui eliguntur 48.
XXXVII De ratione ferendorum ſuffragiorum 48.
XXXVIII De confirmatione electionum 48.
XXXIX De Matrimonio, Cælibatu,& diuortio 49.
XL De Ieiunio 50.
XLI De dierum & ciborum delectu 50.
XLII De ea parte Iuriſdictionis Eccleſiaſticæ quæ ad correctiones ſpectat 50.
XLIII Quid ſit excommunicatio,& quis ſit ipſius rectus & legitimus vſus 51.
XLIIII De Chriſtiani Magiſtratus officio 53.
XLV De obedientia quæ Magiſtratibus debetur 53.

De vltimo iudicio, caput ſextum.

Quid ſit nobis credendum & ſperandum de venturo vltimo iudicio 55.

Breuis antitheſis Papatus & Chriſtianiſmi, caput ſeptimum.

I Papiſtas pro vero Deo colere fictitiũ & imaginarium numen, quod neque perfectè iuſtum, neque perfectè ſit miſericors 56.
II Si vera eſt Papiſtarum doctrina, Chriſtum deſiiſſe hominem eſſe, ac proinde ſpem noſtram eſſe prorſus inanem 56.
III Papatus eneruat Chriſti oblationem 57.
IIII Papiſtæ abolent Chriſti intercesſionem 59.
V Papatum negare Chriſti prophetiam 59.
VI Papatus Chriſtum ſpoliat ſuo Regno 59.
VII Papatus ignorat quàm miſera ſit hominis conditio 60.
VIII Papiſtæ ignorant quid ſit fides, ac proinde quo pacto poſsit Chriſti beneficiũ miſeris & perditis hominibus applicari 60.
IX Papiſtæ neque Legis neque Euangelii vſum norunt 61.
X Ignorat Papatus quæ ſint bona opera & quis ſit eorum fructus 61.
XI Papiſtæ non ſatis tenent quæ ſint Sacramenta, & in quem vſum inſtituta fuerint. 62.
De Baptiſmo Papiſtico 62.
De ſacramento altaris Papiſtico, ſiue de Miſſa Papiſtica 63.
De prorſus fictitiis ſacramentis Papiſticis, ac primũ quidẽ de Cõfirmatione 64.
De pœnitentia Papiſtica 65. De Contritione 65.
De Confeſsione 66. De Satisfactione 67.
De Ordinibus Papiſticis 67. De Clericali tonſura 68.
De quatuor minoribus Ordinibus 68.
De maioribus Ordinibus Papiſticis 69.
De Matrimonio 70.
De Extrema vnctione 71.
XII Nullum eſſe Verbi miniſterium legitimum in Papiſtica ſynagoga 71.
XIII In ſynagoga Papiſtica nullam eſſe Diaconiam 75.
XIIII De falſo Papiſticæ ſynagogæ Preſbyterio 76.
De Monachis 77.
XV Papiſtæ Magiſtratuum contemptores manifeſtiſsimi 78.
Concluſio totius operis 79.

LOCI COMMVNES QVI INTER CAETEROS IN HAC THEODORI BEZÆ CONFESSIONE FIdei diſertè explicantur.

A

ANGELI 1
Arbitry libertas 3

B

Baptiſmus 28

C

Chriſtianiſmi cum Papatu antjtheſis 58
Chriſtiani magiſtratus officium 53
Ciborum & dierum delectus 50
Cælibatus 49
Cæna Domini 30
Concilia vniuerſalia 35,& 36

D

Deus Pater 1
Diaconorum munus 45
Diaconia nulla in Papatu 75
Dierum & ciborum delectus 50
Diuortium 49

E

Eccleſia 32. eius authoritas 35.
ſigna quibus ab adulterina diſcernitur 35
Electionum eccleſiaſticarum confirmatio 48
Electores eccleſiaſtici 47
Euangelium 21
Euangely prædicatio 22
Excommunicatio 51

F

Fides iuſtificans 6. eius efficacia. 7
Filius Dei 2
Functionum Eccleſiæ prima ſpecies 42.
ſecunda 45. tertia 46

H

Hominis creatio 2

I

Ieiunium 50
Infantium baptiſmus 29
Iudicium vltimum 55
Iuriſdictio eccleſiaſtica 50
Iuſtificatio 9

L

Lex & Euangelium 19

M

Magiſtratus 53
Matrimonium 49
Mediator vnicus 3
Meritum Chriſti 8
Mors prior & poſterior 3
Mortificatio 10

N

Naturæ duæ in Chriſto 4
Nouum teſtamentum 4

O

Opera 11,12.13
Ordinariæ functiones in Eccleſia 42
Originis peccatum 3

P

Papatus quàm à vera doctrina & religione diſtet 56
Paſtores & doctores 43
Politia Eccleſiæ 40 & 41
Precum præſtantia 11
Presbyteri 47
Presbyterium papiſticum 76

R

Religio vera 5
Remedia aduerſus tentationes 10 & 16

S

Sacramenta 24
Sacramenta adulterina 24
Sacramentorum nota 24
Sanctorum opera 8
Scripturæ authoritas 22
Signorum & rei diſtinctio in Sacramentis 28
Spiritus ſanctus 6 & 32
Synodi 38 & 39

V

Verbum Dei & eius partes 18
Vetus teſtamentum 4

RELIGIONIS VERE EVAN-
gelica pictura, verſibus expreſſa.

Quænam age tam lacero veſtita incedis amictu?
RELLIGIO, *ſummi vera Patris ſoboles.*
Cur veſtis tam vilis? opes contemno caducas.
Quis liber hic? patris Lex veneranda mei.
Cur nudum pectus? decet hoc candoris amicam.
Cur innixa cruci? Crux mihi grata quies.
Cur alata? homines doceo ſuper aſtra volare.
Cur radians? mentis diſcutio tenebras.
Quid docet hoc frenum? mentis cohibere furores.
Cur tibi mors premitur? mors quia mortis ego.

De Trinitate.

CAPVT PRIMVM.

Articulus primus, Deum vnum eſſe.

Credimus vnam eſſe diuinam eſſentiam quam Deum appellamus, non eò tantùm quia rerum naturalium contemplatio & aſpectus nos id docet [1], ſed multò magis quoniam Scriptura ſacra nobis eius rei teſtis eſt [2].

[1] Rom. 1. c. 20.
[2] Deu. 4. e. 32. Eph. 4. a. 6.

II. Vnum Deum tribus perſonis non diuidi, ſed diſtingui.

Scriptura ſacrá perſpicuè nos docet hãc diuinam eſſentiam in tres perſonas verè eſſe diſtinctam, nempe Patrem, [3] Filium, ac Spiritum ſanctum, quæ tres perſonæ ſunt vnus Deus, [4] æternus, infinitus, & in ſeipſo perfectiſsimus. Suntque hæ perſonæ conſubſtantiales & coæternæ abſque vlla proprietatum aut relationum confuſione, itemque abſque vlla inter ſe imparitate ſiue inæqualitate, ſicut definiit Eccleſia ex Dei verbo contra Sabellium, Samoſatenum, Arium, Neſtorium, Marcionem, Eutychetem, & reliquos eiuſmodi hæreticos, quorum furores toto corde execramur.

[3] Matth. 28. d. 19. 1. Ioh. 5. b. 7.
[4] Act. 17. f. 25. Deu. 4. b. 12.

III. De æterna Dei prouidentia.

Nihil temerè [5] & ſine iuſtiſsimo Dei decreto accidit, tametſi Deus nullius omnino peccati ſit author vel particeps. Eius enim tum potentia, tum bonitas tanta eſt, adeóque comprehendi non poteſt, vt tum quoque quum Diabolum, vel prauos homines adhibet in opere aliquo perficiendo, quos poſtea meritò punit, ipſe nihilominus bene iuſtéque ſanctum ſuum opus efficiat [6].

[5] Eph. 1. b. 11. Mat. 10. c. 30. Pro. 16. a. 4.
[6] Act. 2. c. 23. & 4. c. 27. Ro. 9. d. 19. & 20.

De Deo Patre.

CAPVT SECVNDVM.

Articulus primus de perſona Patris.

Credimus in Deum Patrem, cuius perſona nec Filius eſt, vtpote quem ab æterno genuit, nec Spiritus ſanctus, vt qui à Patre & Filio procedat [1].

II. Patrem eſſe creatorem & conſeruatorem omnium rerum.

Is eſt qui quo tempore ei viſum eſt omnia per æternum ſuum Filium Patri cooperãtem è nihilo creauit, [2] & ordine diſpoſuit: quique etiam vi ſua infinita & conſubſtantiali, id eſt Spiritu ſancto, à Patre ac Filio procedente, omnia pro æterna ſua prouidentia tuetur & adminiſtrat.

[1] Ioh. 1. a. 1. & 17. a. 5.
[2] Gen. 1. a. 1. Heb. 1. a. 2. & 11. a. 3. Iob 1. a. 3.

III. De Angelis.

Credimus hunc ipſum condidiſſe non tantùm hunc mundum aſpectabilem, id eſt cœlum & terram & omnia in eis comprehẽſa, ſed etiam ſpiritus illos inuiſibiles [3], quorum vni, id eſt ii qui ſingulari conditoris gratia freti in ſua integritate permanſerunt, ſunt beati ac felices Dei Angeli, id eſt nuncii ad conſeruandos Electos [4]. alteri verò, id eſt Diaboli, quum exciderint [5] abſque vlla ſpe recuperandæ ſalutis, idque ſua ipſorũ malitia, adiudicati ſunt damnationi æternæ quæ ipſos manet [6]. Itaque Sadducæorum furores deteſtamur, qui negant vllos eſſe Spiritus ſubſiſtentes [7]: item Manichæorum, qui arbitrantur Diabolos à ſeipſis ortos, & natura, non autẽ naturæ corruptione, malos eſſe [8].

[3] Colo. 1. c. 16.
[4] Heb. 1. d. 14. Pſa. 103. d. 21. & 34. b. 8.
[5] Ioh. 8. f. 44.
[6] 2. Pe. 2. a. 4. Luc. 8. d. 31. Mat. 25. d. 41.
[7] Act. 23. b. 8.
[8] Vide paſſim Auguſtinum in Manichæos.

IIII. Opera Trinitatis inſeparabilia.

Sic tribus perſonis, Patri, Filio, Spiritui ſancto, ſuas diſtinctas proprietates tribuimus, vt quod attinet ad prouidentiam, creationem, ac gubernationem mundi, cæteraque omnia ad eſſentiam ipſam Dei pertinentia, nec Filium nec Spiritum ſanctum à Patre ſeparemus.

De Ieſu Chriſto vnico Dei Filio.

CAPVT TERTIVM.

Primus articulus, de diuinitate Filii.

CRedimus Ieſum Chriſtum, quatenùs eſt Deus[1], eſſe Filium Patris vnicum, ἀμήτορα, genitum, non factum, vnum Deum cũ Patre & Spiritu ſancto, coæternum, conſubſtantialem, & omni ex parte Deo Patri ſuo æqualem.

1 Ioh.1.a.1. & 17.a.5. & 14. b.9. & 20.f. 28. Rom.9.a.5. Phili.2.a.6.

II. Filium ab æterno conſtitutum eſſe vnicum Mediatorem inter Deum & Electos.

Is vnus eſt[2] quem Pater ab æterno naturæ humanæ participem facere ſtatuit, vt per eum ſuos Electos conſeruaret, idque eo modo qui ſequitur.

2 1.Ti.2.a.5. 2.Ti.1.c.9. 1.Petr.1.d.20. Apoc.13.b.8 Eph.1.a.5.

III. Deus eſt perfectè iuſtus & perfectè miſericors.

Deus ſummè ac perfectè iuſtus eſt[3], quod quum ita ſit, ſequitur vt nullã iniquitatem probet, aut inultam relinquat. Idem præterea ſummè ac perfectè miſericors eſt[4]: vnde ſequitur omnia beneficia, quibus humanum genus afficit, ex mera ipſius gratia ac munificentia proficiſci[5].

3 Exo.20.b.5. Pſ.5.a.5. 2.Cor.6.c.14

4 Exo.34.a.6.

5 Ro.3.c.21. & 11.d.35. Gal.2.b.8. 1.Cor.4.b.7.

IIII. Deus eſt immutabilis.

Deus in ſuis conſiliis prorſus eſt immutabilis, nec in iis falli aut impediri vllo modo poteſt[6]. Quò fit vt quicquid accidit, id ipſe ab omni æternitate decreuerit[7]. Id enim iis conſentaneum eſt quæ ſuperius diximus de æterna ipſius prouidentia[8].

6 Nu.23.c.19. Mal.3.b.6.

7 Epheſ.1.b.11. Mat.10.c.29.

8 Suprà articulo tertio primi capitis.

V. Secundas cauſas Dei conſilio non excludi.

Neque verò hæc impediunt, ſed potius ſtabiliunt cauſas ſecundas & intermedias, per quas omnia eueniunt. Deus enim quum ab æterno quicquid ſingulis momentis euenturum erat, decerneret[9], ſimul etiam rationem ac viam decreuit per quam ita euenire vellet: vſque eò vt etiam ſiquid in cauſa ſecunda vitii reperiatur, nihil tamen in æterno Dei conſilio vitii aut culpæ inſit.

9 1.Sa.2.c.25. 1.Reg.12.f.24. Act.2.d.23. & 4.f.27.28.

VI. Hominem ad declarandam Dei iuſtitiam ac miſericordiam creatum eſſe.

Hominum alii beatam vitam ac ſalutem, alii ſempiternam mortem ac miſeriam conſequentur, idque propter Dei gloriam, vt paſsim literæ ſacræ teſtantur. Itaque quum neque fortuitò quicquam accidat, neque Deus vnquam conſilium mutet, perſpicuum eſt Deum non modò præuidiſſe, ſed etiam ab æterno decreuiſſe genus hominum demonſtrandæ ſuæ gloriæ cauſa creare[10], alios quidem gratis ſeruando per miſericordiam[11], alios verò iuſto ſuo iudicio damnando[12].

10 Gen.1.d.26. Pſe.8.b.6.

11 Ro.9.c.23. Eph.1.b.5. & deinceps.

12 Exo.9.d.16. Ro.9.c.22. 2.Tim.2.c.20

VII. Qua de cauſa primum hominem oportuerit purum creari.

Vt Deus hoc conſilium exequeretur, oportuit primum hominem purum & bonum creari. Nam præterquam quòd Deus, qui ſummè bonus eſt, nihil niſi bonũ poteſt efficere[13], ſi homo prauus & malus conditus fuiſſet, videretur Deus nullã habere potuiſſe ſatis iuſtam cauſam eius improbitatis puniendæ, cuius ipſe creator & effector fuiſſet.

13 Gen.1.a.31.

VIII. Oportuiſſe hominem puritate & integritate ſua excidere.

Præterea oportuit hominem ita creari bonum ac purum vt eſſet tamen mutabilis, & de iſto integritatis gradu (ſua quidẽ vnius culpa) decideret. Niſi enim peccatum ita ingreſſum eſſet in mundum[14], non haberet Deus tantum argumentum, neque ad demõſtrandam ſuam miſericordiam in iis ſeruandis quos ad ſalutem deſtinauit: neque ad declarandam ſuam iuſticiam, condemnandis iis quos meritis pœnis propter ipſorum peccata ſubiicere decreuit[15].

14 Ro.11.d.32.

15 Ro.9.d.17. & c.21.22.

IX. Hominem à Deo purum ac bonum creatum eſſe.

Itaque Dominus, eo tempore quo ipſi viſum eſt æternum illud ſuum conſilium exequi, creauit hominem, tum marem, tum fœminam, ad imaginem ſimilitudinémque ſuam, id eſt, iuſtitia veráque ſanctitate præditum[16].

16 Gen.1.d.27. Heb.7.d.30. Eph.4.f.24.

X. Quomodo ſeſe primus homo cum vniuerſa poſteritate tum primæ tum ſecundæ Morti obnoxium fecerit.

Homo verò quum eiuſmodi creatus eſſet[17], Diabolo tamen ſeſe ſua ſponte & nullo penitus cogẽte coniunxit per peccatum, ideóque ſe totámque ſuã progeniem & priori & poſteriori Morti obnoxium reddidit, ac propterea etiam iis rebus omnibus quæ tum ad priorẽ tum ad poſteriorem Mortem perducunt.

17 Gen.2.c.17. Rom.5.b.12.

X I. Quæ via ad priorem Mortem peruenitur.

Humorum corruptio & alia infinita incommoda ex Adami & Euæ peccato quaſi genſilitio & hæreditario quodam iure promanantia, vniuerſum genus hominum priori morti (id eſt, migrationi animæ ex corpore mox in cinerem vertendo) obnoxium efficiunt.

Vide Auguſtinum lib. 13. De ciuitate Dei, cap. 2. 12. 13. 14. Ro. 5. b. 12. Heb. 9. g. 27.

X I I. Priorem Mortem ſempiternam eſſe non poſſe.

Hæc prior Mors ſempiterna eſſe non poteſt. Ita enim ſaltem corpus vel mortem æternam, id eſt, ſempiternos cruciatus, quibus dignum eſt, effugeret, vel à perpetua illa fœlicitate, quæ donum Dei eſt, excluderetur. Quod ſi ita accideret, certè æternum illud Dei decretum de æterna miſericordia iuſtitiaque ſua demonſtranda, irritum ac inane fieret.

X I I I. Quæ via ad ſecundam Mortem deducit.

Interior corruptio totius hominis, (totius, inquam, hominis ita vt ne particulam quidem eius excipiam,) quam peccatum Originis vocat, cum ab ipſo conceptionis momento reum facit iræ Dei, ac proinde poſterioris Mortis quæ eſt æterna [1]. Etenim, vt rem in pauca conferam, ea corruptio nos ad omnem veri boni ſpeciem ineptos, imò etiam ab omni vero bono auerſos & peccati ſeruos efficit. Quapropter præclarè ſanè Auguſtinus cum Scriptura conſentiens, *Victa*, inquit, *vitio in quo cecidit, voluntate, cœpit carere libertate natura* [2]. Item, *Homo libero arbitrio malè vſus, & ſe, & illud perdidit* [3]. Item, *Laborant*, inquit, *homines inuenire in noſtra voluntate quod noſtrum ſit & non ex Deo: & quomodo inueniri poſſit ignoro* [4].

1 Gen. 6. b. 5. & 8. d. 21. Pſa. 51. b. 7. Ioh. 3. a. 5. Eph. 2. b. 5. Ro. 5. c. 14.
2 li. de perfectiōe iuſtitiæ.
3 Enchiridio ad Lauren. Cap. 30.

X I I I I. Cuiuſmodi arbitrii libertas homini poſt peccatum reliqua facta ſit.

Interea tamen non inficiamur tantum lucis relictum eſſe hominibus, vt ſint ἀναπολόγητοι [5], neque ſpoliamus eos facultatibus naturalibus, vtpote quas non ademptas ſed corruptas fuiſſe dicimus, veluti ratione, iudicio, voluntate, quaſi facti ſint ſtipites: imò ne liberum quidem arbitrium eis adimimus, ſi modò illud adiiciatur, omnia iſta nihil aliud eſſe quàm tenebras & odium aduerſus Deum: neque liberi arbitrii nomine intelligamus facultatem aliquam naturalem cogitandi, nolendi, faciendi vel bonum vel malum, ſed potius voluntatem non coactam, quæ tamen nihil niſi malum neque velit neque poſſit [6]. Bonum enim Scriptura longè aliter quàm humana ratio definit. Adeò eſt natura hominis non regenerati, id eſt, non ſanati, nec per gratiam inſtaurati, non modò vulnerata ac ſauciata, ſed penitus corrupta & ſerua peccati, lubens ac voluntaria. Rectè igitur Auguſtinus [7], *Per libertatem*, inquit, *factum eſt, vt eſſet homo cum peccato, ſed iam pœnalis vitioſitas ſubſecuta ex libertate fecit neceſſitatem.* Nec minus præclarè alibi teſtatur [8], liberum arbitrium, ita vt eſt ſeruum peccati, non valere niſi ad peccandū, nempe quòd neceſſariò quidem ſed tamen ſponte peccet.

4 Li. 2. de peccat. meritis ac remiſſione.
5 Ro. 1. c. 20. 21. Act. 14. c. 17. & 17. d. 27.
6 Ioh. 3. a. 6. & 8. e. 36. Rom. 8. b. 7. & 7. c. 18. 1. Cor. 4. b. 7. 2. Cor. 3. b. 5. Phil. 2. b. 13.
7 De perfec. Iuſtitiæ.
8 Libr. 3. ad Bonifacium.

X V. Summa doctrinæ de peccato Originis.

Itaque peccatum Originis eſt vniuerſalis quædam labes ac corruptela totius humanæ naturæ, ab Adamo in omnes ipſius poſteros propagata, quæque in iis tria peccatorū genera quaſi fructus profundit. Horū prima ſpecies complectitur omnem interiorem motum ac conceptum in intelligentia vel affectibus, etiam ſi voluntas non conſentiat. Vult enim Deus tota intelligentia, tota anima, totóque corde diligi, nos autem anteà oſtendimus omnia hæc eſſe deprauata. Altera peccatorum ſpecies tum incidit, quoties voluntas cum motibus & affectibus conſentit. Tertia verò, quoties re ipſa exequi conamur quod cogitamus ac volumus.

X V I. Quomodo Deus peccato hominis ad gloriam ſuam vtatur.

Hoc vnum ergo ſupererat, vt omnes homines in exitium ruerent [9]. Verùm Dominus, qui non tantū ſummè iuſtus eſt, ſed etiā ſummè miſericors, pro infinita ſua ſapientia ab æterno decreuerat quo modo omnia hæc mala ad inſignē gloriā nominis ſui cōuerteret, id eſt, ad ampliorem declaratione [10], partim infinitæ ſuæ bonitatis in eos quorum ſalute ab æterno decreuit gloriā ſuam illuſtrare [11]: partim ſummæ ſuæ potentiæ & iræ in iuſta condemnatione vaſorum quæ ſunt ad interitum comparata [12]. Nam præclarè inquit Auguſtinus [13], ſi omnes liberarentur, fore vt abſconditum eſſet quod peccato debetur propter iuſtitiā: ſin autem nemo liberaretur, fore vt non appareret quod per gratiam donatur.

9 Rom. 3. c. 19.
10 Ro. 3. c. 19. & 25.
11 Ro. 8. f. 29. & 9. c. 25. Ephe. 1. a. 5. & 6.
12 Ro. 9. e. 22. Ex. 9. d. 16.
13 Ep. 10. 5. ad Sixtum.

X V I I. Ieſus Chriſtus eſt vnicus Mediator à Deo conſtitutus ac promiſſus.

Modus ille, de quo diximus, vnicus eſt, nempe Myſteriū incarnationis Filii Dei cum

omnibus quæ cohærent cum ipſa ἐνσαρκώσει. Is igitur certis reuelationis gradibus fuit promiſſus iam inde Adamo ad Iohannẽ vſque,& à Prophetis ac Patriarchis annunciatus [1], atque adeò diuerſis figuris ſub Lege adumbratus, quemadmodũ iſta copioſè deſcripta in veteris Teſtamenti libris, vt eorum ſeculorum homines ſeruarentur per fidem in Chriſtum Ieſum venturum.

XVIII. Quæ ſit conuenientia & quod diſcrimen veteris & noui Teſtamenti.

Itaque, ſi rem ipſam ſpectemus, vnum ſemper fuit, & erit fœdus inter Deum & homines, nempe Ieſus Chriſtus [2]. Verùm ſi quis circunſtantias conſideret, duo ſunt fœdera ſiue Teſtamenta, quorum tabulas planè authenticas habemus, nempe ſacram Scripturam ſiue verbum Dei. Vnum igitur Verus: alterum Nouum appellatur [3], idque multò melius vetere, in quo videlicet Ieſus Chriſtus nonniſi eminus proponebatur vmbris & figuris tectus, quæ ad ipſius Chriſti tanquam ſolis aduentum euanuerunt [4].

XIX. Cur oportuerit Chriſtum eſſe verum hominem, ſed abſque peccato.

Oportuit huius fœderis ac reconciliationis Mediatorẽ eſſe verum hominem, ſed nulla vel peccati Originalis, vel altera quapiam labe infectum, ſicot ex ſequentibus rationibus intelligi poteſt. Primùm enim [5] quum Deus ſit ſummè iuſtus, & homo propter corruptionẽ ſit iræ ipſius obnoxius, ſicut paulò antè oſtendimus, neceſſe fuit aliquẽ verè hominem exiſtere, in quo ruina iſta inſtaurata, genus humanũ Deo reconciliaretur. Deinde tenetur homo [6] implere omnem illam iuſtitiam quam Deus ab eo requirit gloriæ ſuæ cauſa. Ex quo efficitur oportuiſſe hominẽ aliquem exiſtere qui implera omni iuſtitia Deo acceprus eſſet. Tertiò, [7] vniuerſi homines ſunt infinita omnis generis peccatorum multitudine cooperti, ac proinde Dei maledictioni obnoxii. Oportuit ergo hominem aliquem exiſtere qui prorſus Deo ſatisfaceret, vt ei gratus eſſet. Quartò [8], nullus homo corruptus iſta vel auſpicari, nedum conficere potuiſſet, imò verò proprii mediatoris opera indiguiſſet, tantum abeſt vt alios potuiſſet Deo conciliare, aut quicquam Deo iucundum ac gratum efficere [9]. Conſequitur ergo oportuiſſe vt hominum redemptor verè homo eſſet, id eſt, verè humano corpore & humana anima præditus, ac nihilominus tamen integer & nulla prorſus peccati labe inquinatus.

XX. Cur Chriſtum oportuerit verè Deum eſſe.

Eundem illum Mediatorem oportuit non tantùm hominem, ſed etiam verũ Deum eſſe [10], ob eas ſaltem rationes quas ſubiiciemus. Primùm enim niſi verus Deus eſſet, ſeruator non eſſet, vt qui potius ſeruatore indigeret [11]. Deinde neceſſe eſt vt coram iuſtitia Dei inueniatur proportio inter peccatũ & peccati pœnã. Atqui ſi infinita eſt Dei maieſtas, quæ peccato offenditur, peccatum quoque infinitũ eſt, ac pœna infinita meretur. Ex quo efficirur oportuiſſe, vt is qui pœnã tanquã homo lueret, ſimul eſſet infinitus, id eſt, verus Deus. Tertiò, quum ira Dei ſit infinita [12], nulla vis tanta fuit, ſiue Angelica ſiue humana, quæ tanto põderi par eſſe potuerit. Oportuit ergo eũ non hominẽ modò ſed etiã verè Deum exiſtere, cui reſurgendũ fuit, Diabolo, peccato, mundo, morte denique ipſa cũ ira Dei coniuncta, profligatis ac ſuperatis. Deus denique, vt incõprehenſibilẽ illam ſuã bonitatẽ patefaceret, noluit dunraxat ſua gratia peccatũ noſtrum æquare, ſed longè etiam ſuperare [13]. Itaque Adam quidem ille primus noſtrorũ malorũ author [14] ita fuit conditus ad imaginẽ Dei, vt nihilominus terreſtris eſſet, ſicut ipſius fragilitas re ipſa comprobauit: è contrario verò ſecundus ille Adam, id eſt Ieſus Chriſtus, per quem liberamur, ita eſt verus ac perfectus homo, vt interea ſit Dominus è cælo, id eſt, verus Deus, in quo omnis plenitudo Deitatis corporaliter habitat. Nempe vt ſi Adã cõtumacia nos perterrefacit, iuſtiria Ieſu Chriſti nos multo magis confirmet: & vitam in Ieſu Chriſto acquiſitam ſperemus meliorem ea quam in Adamo perdidimus, tanto, inquam, meliorem quanto Chriſtus Adamo prę́ſtat.

XXI. Quomodo noſtræ ſalutis myſterium fuerit impletum Chriſto exhibito.

Agnoſcimus igirur proprium illum vnicum & ęternũ Dei Patris Filium, tempore à Patre conſtituto, vt ratũ eſſet fœdus illod antiquis patribus promiſſum [15], & ore Prophetarum promulgatum [16], formam ſerui aſſumpſiſſe [17], id eſt, veram hominis naturã omnibus humanis infirmitatibus, excepto peccato, obnoxiam, conceptum in beatæ Mariæ virginis vtero [18] ex Spiritu ſancto, nulla viri actione interueniente.

XXII. Duæ naturæ, diuina & humana, in vnam perſonam ſunt vnitæ, ab ipſo conceptionis carnis momento.

Fatemur perſonam Filii, [19] ab ipſo momento quo caro ipſius concepta fuit, vnitam fuiſſe

[Marginal notes:]
1 Gen. 3.c.15. & 12.a.3.& 18.c.18, & 20.d.18. Deut.18.d.18. 2.Sam.7.b.12. Matth.21.b.13. Act.13 f.38.& 26.b.6 & 7. Rom.1 a.2. Tota epi. ad Heb. & pluribus aliis locis.
2 Heb.11.b.8. Ro.3.d.25. 2.Ti.1.c.9. 1.Cor.10.a.2. 3.4. & c.11. Eph.1.b.9. 2.Cor 1.d.20.
3 Ier.31.f.31 & 32. Heb.8.b.6.
4 Ioh.4.c.23, & 24.
5 1.Ti.2.a.5. Ioh.1 b.24. Rom 3 a 3. Gal 4.a.4. Rom 8 a 2. 1.Cor.1.d.30. He.1.a.10 11.
6 Mat.3 d.15. Rom.5.d 18. 2.Co.5.d.21.
7 Rom 3.d.23. 25.26. Act.20.f.28, & alibi ſæpe. Eſa.63.b 22.
8 Rom.8.a.2. 2.Cor.5.d. 21. Heb 4.d.15. 1 Pe.2.d.22. & 3.d. 18. 1.Ioh.3 a.5.
9 Rom.14.d.23. Heb.11.b.6.
10 Ioh 1.b.14. Et alibi ſæpiſſimè.
11 Eſa. 43.b.11. Oſe 13 b.4. Ier.17.a.3.
13 Ioh 14 b.10. & 12.c.31.& 36.d.39. 2.Cor.3 d.19.
13 Ro.5.c.d.18. 19.20.
14 1.Cor.15.f.45. 47.
15 Eſa.7.c.14. Luc.1.c.31, & d 35.e.11.& 9.70.
16 Rom.1. a.3. Ioh.17.a.3, & 26.d.28.
17 Phil.2 a.6. & 7. Heb 4.d.15. & 5 a.7.
18 Matth.1.d.18, & 20. Luc.1.c.28, & d.33.
19 Mat.1.d.18 & 20. Luc.1.c.31, & 32.& d.35.42.43.

fuiſſe humanæ naturę inſeparabiliter, ita vt non ſint duo Filii Dei, nec duo Chriſti, ſed vnus ſit propriè Dei Filius Ieſus Chriſtus, verus Deus & verus homo, manentibus tamen ac diſtinctis vtriuſque naturæ proprietatibus. Nam diuinitas ab humanitate, vel è contrario humanitas à diuinitate ſeiuncta, vel alterutra cum altera confuſa nulli nobis vſui eſſet.

XXIII. Maria virgo eſt mater Ieſu Chriſti Dei & hominis.

Itaque Ieſus Chriſtus [1] verus Deus & verus homo (id eſt, verè humana anima, & humano corpore conſtans ex virginis Mariæ filiæ Dauidis ſubſtantia, idque virtute Spiritus ſancti compoſito) verè cõceptus eſt, ac natus ex ea ipſa virgine, virgine, inquã, & ante & poſt partum: eáque omnia propter noſtram ſalutem impleri oportuit.

XXIIII. Breuis deſcriptio, quomodo Chriſtus ſalutem nobis attulerit.

Venit igitur in terras Chriſtus, vt nos in cælum eueheret [2]: pertulit noſtrorũ peccatorum pœnas à momento conceptionis ad reſurrectionẽ, vt nos ab iis immunes eſſemus [3]: perfectè impleuit omnẽ iuſtitiam, vt noſtrã iniuſtitiã obtegeret [4]: patefecit nobis omnẽ Patris ſui voluntatẽ & verbis, & vitæ exemplo, vt veram ſalutis viam nobis cõmonſtraret [5]. Denique vt pleniſsimè ſatisfaceret pro peccatis noſtris, quæ in ſuos humeros recepit [6]: vinctus fuit, vt nos ſolueret: damnatus, vt abſolueremur: affectus infinitis contumeliis, vt nos ab omni infamia eximeret: affixus cruci, vt in ea crucifigeret peccata noſtra [7]: mortuus eſt, ſuſtinens maledictionem nobis debitã, vt vnica oblatione ſui ſemel facta, iram Dei in perpetuũ pacaret [8]: ſepultus eſt, vt verè mortuum eſſe conſtaret, & mortem vinceret in intimis ipſius penetralibus, id eſt in ſepulchro, in quo nullã ſenſit corruptionem, vt nobis liqueret mortẽ ipſam ab eo mortuo ſuperatã [9]: reſurrexit victor, vt extincta ſepultáque omni noſtra corruptione, renouemur in nouã, ſpiritualẽ, ac æternam vitam [10]: & nobis deinceps prima illa mors nõ ſit peccati pœna, neque ingreſſus in alterã mortẽ, ſed è contrario ſit mortificationis noſtræ complementũ, aditúmque nobis ad æternam vitã patefaciat [11]. Denique, poſtquã reſurrexiſſet, & confirmandæ ſuæ reſurrectionis cauſa per quadraginta dies in hoc mũdo eſſet cõmoratus [12], viſibiliter, ac re ipſa aſcendit ſupra omnes cælos, vbi ſedet ad dextrã Patris, poſſeſſionẽ æterni ſui regni noſtra cauſa adeptus [13], quorum etiam eſt vnicus Mediator & Aduocatus [14], gubernans Eccleſiam ſancto ſuo Spiritu, quoadvſque numerus Electorũ Patris impleatur [15].

XXV. Quomodo Chriſtus ſeſe in cælum ſubduxerit, & tamen nobiſcum adhuc verſetur.

Arbitramur glorificationem attuliſſe corpori Ieſu Chriſti immortalitatẽ cum ſumma gloria coniunctã [16], non autem veri corporis naturam ſuis dimenſionibus circunſcriptã ademiſſe [17]. Itaque Chriſtum dicimus naturam ſuam humanam, ſiue ſuum illud verum corpus à nobis verè ac re ipſa abſtuliſſe in cęlum, vbi permanſurũ eſt, donec veniat iudicaturus viuos & mortuos. Verùm diuinæ naturæ reſpectu, & efficaciæ Spiritus ſancti, qua nos ſimus non dimidii ſed totius & integri Chriſti omniumque eius beneficiorum participes [18] (ſicut mox dicemus) agnoſcimus eum eſſe, ac ſemper futurũ præſentem cum ſuis ad conſummationẽ vſque ſæculi: hæc enim ipſe ſuis verbis nobis confirmauit [19]. Præclarè igitur Auguſtinus [20] cũ verbo Dei conſentiens, monet cauendũ nobis eſſe, ne ita aſſeramus Diuinitatẽ, vt veritatẽ corporis negemus: aut putemus conſequi, vt quicquid in Deo eſt, vbique ſit, quia Deus eſt vbique.

XXVI. Nullam aliam eſſe poſſe veram religionem.

In hoc noſtræ redemptionis myſterio quod humano iudicio comprehendi non poteſt, Deus ſeſe patefecit verum Deum, id eſt, ſummè iuſtũ & ſummè miſericordẽ. Summè iuſtum [21] in eo quòd ſummo iure vltus eſt omnia noſtra peccata in eo qui ſeſe pro nobis vadem interpoſuerat, id eſt, in Ieſu Chriſto [22]. Deinde quòd nos non agnoſcit pro ſuis, niſi coopertos ac indutos eiuſdẽ Ieſu Chriſti innocentia, ſanctitate, perfectáque iuſtitia [23]. Ex aduerſo verò ſeſe ſummè miſericordem declarauit, in eo quòd quum toti eſſemus æternæ damnationis rei, voluit tamen Filium ſuum aſſumere naturam noſtram, vt in eo inueniret modum pacandæ iuſtitiæ ſuæ [24], nobis videlicet eum gratis impartiendo cum omnibus ipſius beneficiis [25], vt ſua vnius bonitate ac miſericordia fiamus æternæ vitæ participes, Chriſto per fidẽ apprehenſo, ſicut mox à nobis dicetur. Religio igitur omnis [26], quæ aliud quicquam iræ Dei opponit quàm vnicam innocentiam, iuſtitiam, & ſatisfactionẽ Ieſu Chriſti, per fidem apprehenſi, Deum ſpoliat perfecta ſua tum iuſtitia, tum miſericordia: ac proinde falſa eſt & ad fallendos homines comparata, ſicut infrà explicabimus, capite huius libri ſeptimo.

1 Matth. 1, d, 18, 21, & 23. Luc. 1, d, 35. 2 Eph. 2, b, 6. 3 Mat. 11, d, 18. 1. Pet. 2, d, 24, & 3, c, 18. Eſa. 53, b, 11. 4 Ro. 3, d, 19. Mat. 3, d, 15. 5 Ioh. 15, c, 15. & 20. f, 30, 31. Act. 1, a, 1. 6 Eſa. 53, a, 4, & 5. 7 Col. 2, c, 14. 8 Gal. 3, b, 13. 2 Cor. 5, d, 21. He 10, b, 10, & c, 14. 9 Act. 2, d, 24, & c, 31. 10 Ro. 6, & alibi Paulus infinitis locis. 1. Pet. 4, a, 1, 2. 11 Ro. 7, g, 24. Philip. 1, d, 23. 12 Act. 1, a, 3, b, 9, 10, 11. 13 Ioh. 14, a, 2. 14 1. Ti. 2, b, 5. Heb. 7, a, 3, & 9, d, 24. 15 Mat. 28, d, 20. Eph. 4, b, 10, 11, 12. 16 Luc. 24, f, 39. Ioh. 20, f, 25. Act. 1, a, 3. 17 Act. 2, b, 9, & 11, & 3, d, 21. 18 Mat. 28, d, 20. Ioh. 16, b, 13. Eph. 4, b, 8, & c, 13. 19 Mat. 26, a, 11. 20 Auguſt. Epiſt. 57. ad Dardanum. 21 Rom. 3, d, 25. 2. Co. 5, d, 21. 22 1. Ti. 2, b, 6. 1. Pet. 2, d, 24. 23 2. Cor. 5, d, 21. Ro. 5, d, 19. Colo. 1, c, 22. 24 Rom. 5, b, 8. 1. Co. 1. d, 30. 25 Rom. 8, f, 32. 26 1. Cor. 2, a, 2, & 3, c, 11. Gal. 1, b, 8.

De Sanɛto Spiritu.

CAPVT QVARTVM.

Articulus primus, de perſona Spiritus ſancti.

CRedimus in Spiritum ſanctum, qui eſt eſſentialis virtus Patris ac Filii [1], coæterna & conſubſtantialis, in quibus reſidet, & à quibus procedit [2], ita vt ſit vnus Deus cum illis [3], perſona tamen ab vtroque diſtinctus [4], ſicut rectè ex verbo Dei definiit Eccleſia aduerſus Macedonium & alia eiuſmodi monſtra [5].

II. De effectibus qui in Spiritu ſancto propriè conſiderantur.

Eius vis ac efficacia infinita ſeſe exeruit in creatione & cõſeruatione omniũ creaturarum iam inde à mundi initio [6], ſed præcipuè in hac tractatione à nobis æſtimabitur ex iis quæ effecit in filiis Dei, cuius videlicet dona ſecum aduehit, vt eos faciat illorum participes [7], ac, vt paucis dicam, vt eos gradatim ad eum finem perducat cui ſunt ante iacta mundi fundamenta deſtinati [8].

III. Sanctus Spiritus ſola fide nos facit Chriſti participes.

Itaque Spiritus ſanctus is eſt per quem Pater electos ſuos mittit in Ieſu Chriſti Filii ſui poſſeſſionẽ, & in eodem ipſos cõſeruat, ac conſequenter facit eorum omnium compotes quæ ſunt ad ſalutem neceſſaria. Sed neceſſe eſt in primis vt idem Spiritus ſanctus nos ad Ieſum Chriſtum recipiendum aptos & idoneos reddat. Id autem nobis præſtat quum intra nos creat [9], & gignit pro ſua meta bonitate & miſericordia id quod Fidem vocamus [10], vnicum illud inſtrumentum videlicet, quo Ieſum Chriſtum oblatum apprehendimus, & vas vnicum ad eum percipiendum comparatum.

IIII. Quibus mediis vtatur Spiritus ſanctus ad fidem in nobis creandam ac conſeruandam.

Vtitur Spiritus ſanctus duobus ordinariis mediis, tum vt creet, tum etiam vt in dies magis ac magis corroboret inſtrumentum illud quod Fidem vocauimus, ita tamen vt ſuam vim ad ea non transferat, ſed per ea duntaxat operetur: nempe prædicatione verbi Dei, & Sacramentis [11], ſicut ſuo loco oſtendemus. Prius enim explicabimus quid ſit Fides illa tam precioſa, & quænam ſint ipſius effecta.

V. Quantopere neceſſaria ſit Fides, & quid ſit.

Nos propter inſitam in nobis corruptionẽ ita aduerſum nos ipſos coniurauimus [12], vt ſi Deus nos duntaxat admoneret fore vt ſalutem noſtram in Chriſto inueniamus, ſimus eum ludibrio habituri, ſicut ſemper conſueuit Mundus [13]. Quòd ſi præterea id vnũ adderet, nos credendo in Chriſtum Ieſum percipere poſſe fructum vnici illius remedii aduerſus mortem æternam comparati, ne id quidem nos iuuaret. Nam, quantum ad hæc attinet, dici non poteſt, quantopere ſimus muti [14], ſurdi [15], & cæci naturæ ipſius vitio [16]: nec minus difficile nobis fuerit velle credere, quàm difficile fuerit cadaueri volare [17]. Hîc igitur neceſſe eſt, vt præter illa omnia bonus ille Pater cæleſtis qui nos ad gloriam ſuam elegit, duplici gratia erga ſuos hoſtes vtatur: & quum nobis annuntiat, ſe ita dilexiſſe mundum, vt pro eo vnigenitum ſuum Filium dederit ea conditione, vt quiſquis in eum credit, non pereat, ſed habeat vitam æternam [18], pariter in nobis creet Fidem illam quam à nobis flagitat. Fides autem, de qua loquimur, non ea eſt qua duntaxat credimus Deum eſſe Deum, & verum eſſe ipſius Verbum (habent enim ipſi quoque Diaboli hanc fidem, & eò magis tremunt [19]) ſed Fidem appellamus certam quandam ſcientiam, quam Spiritus ſanctus ſua vna gratia ac bonitate magis ac magis inſculpit cordibus Electorum, qua ſcientia fit, vt eorum vnuſquiſque in corde ſuo certior factus ſuæ electionis, ſibiipſi applicet promiſsionem ſalutis in Ieſu Chriſto [20]. Fides, inquam, non tantùm credit Ieſum mortuum fuiſſe ac reſurrexiſſe pro peccatoribus [21], ſed etiam amplectitur Ieſum Chriſtum, in quo vno confidit qui verè credit, & ita certus eſt ſuæ ſalutis, vt, quoad eius fieri poteſt, de ea nihil dubitet [22]. Rectè igitur Bernardus cum verbo Dei prorſus conſentiens [23], Si credis, inquit, peccata tua non poſſe deleri niſi ab eo cui ſoli peccaſti, & in quem peccatum non cadit, bene facis: ſed adde adhuc, vt & hoc credas quia per ipſum tibi peccata condonantur. Hoc eſt teſti-

---

Marginal notes:

3 Gen 1.a.2.
2 Ioh.14.b.16. & d.26. & 16.a.7 & b.13.
1 Rom.8.b.9. & 11. Act.5.a.3. & 4. 1.Cor.12 a.4.5.6 & 3.c.16.
4 Mat.28.d.19.
5 Conſtantinopolitana Synodo prima.
6 Gen.1.a.2. Pſa.104.d.29 & 30.
7 Rom.8.b.9. & c 14.15.16. 1.Co.2.c.10. & 12. 1.Ioh.4.c.13.
8 Eph.1.a.3. & 4.
9 Ephe.1 c.17. Phil. 1.d.10. 2.Theſ 3.a.2.
10 Ioh.3.b.6. & d.36.
11 Mat.28.d.19. & 20. Act. 6.a.4. Ro.10.c 17. Iaco 3 c.18. 1.Pet.1.a.23.
12 Rom.8.b.7. 1.Cor.2.d.14.
13 1.Cor.1 c.23. Ioh 10 d.20. Act.2.b.13. Luc.23.c.35. Ioh.3.a.5. & 6.
Pſ.51.d.17.
14 Eſa.6.b.5. Iere.1.b.6.
15 Pſ.40 b.7. Ioh 8.f.47. Mat.13.b.13.
16 Ioh.3.a.5. & 3.a.3. & 9.f.41.
Eph.5.b.8.
17 Ioh.12.f.38. & 39. & 6.a.44.
Rom.8.b.7.
18 Ioh.3.b.16.
19 Iac.2.d.19.
20 2.Cor.2.c.13. & d.16. Rom.8.g.18.
21 Rom.8.c.16. Hebr. 10.d.22. & 23. 1.Ioh.4.c.13. & 19.
22 Ephe.3.c.12.
23 Sermone primo de Annuntiatione.

eſt teſtimonium quod perhibet in corde noſtro Spiritus ſanctus, dicens, Dimiſſa ſunt tibi peccata tua.

VI. Quod ſit vera Fidei obiectum, & quæ eius efficacia.

Quum Chriſtus ſit fidei ſcopus, Chriſtus, inquam, qualis in verbo Dei nobis proponitur, duo cõſequuntur magnopere digna quæ ab omnibus obſeruentur. Vnum, [1] vbicunque nullum Dei verbum extat, ſed humana duntaxat auctoritas, ibi nullum eſſe fidei locum, ſed ſomniis & opinionibus quæ nos non poſſunt non decipere. Alterum[2], fidem amplecti, ac ſibi vt proprium aſſerere Ieſum Chriſtum & quicquid ei ineſt, quoniam videlicet nobis poſſidendus offertur, cum hac conditione, ſi credamus in eum[3]. Itaque duorum alterum neceſſarium eſt, nempe, vt vel non inſit Chriſto quicquid ad ſalutem noſtram requiritur, aut, ſi omnia in eo inſunt, is omnia poſſideat qui Chriſtum per fidem poſſidet. Atqui prius illud nemo ſine inſigni blaſphemia dixerit, quoniam conſequeretur Chriſtum non eſſe Ieſum, id eſt ſeruatorem, niſi aliqua ex parte[4]. Efficitur ergo poſterius verum eſſe, nempe vt qui Chriſtum obtinet per fidem, omnia in eo obtineat quæ ad ſalutem poſſunt deſiderari[5], ſicut ſignificat Apoſtolus quum teſtatur nullam eſſe condemnationem iis qui ſunt in Chriſto Ieſu[6].

1 Rom. 10. b. 8. & c. 17. Marc. 16. c. 15. & 16. Rom. 1. b. 16. 2 Pet. 1. d. 19. Gala. b. 8. 9.
2 Ioh. 17. d. 20. & 21. Rom. 8. b. 9. & 11. 1. Cor. 2. d. 30.
3 Ioh. 1. b. 12. & 3. b. 15.
4 Mat. 1. d. 21.
5 Rom. 8. a. 1.
6 Ro 5. a. 1.

VII. Quomodo accipiendum ſit quod ex Paulo affirmamus nos ſola fide iuſtificari.

Ratio qua nititur ſuperior concluſio, hæc eſt, quoniam Fides eſt inſtrumentum quod Chriſtum recipit, ac proinde iuſtitiam eius, id eſt, pleniſſimam perfectionem. Quum igitur ex Paulo [7] affirmamus nos fide ſola ſiue gratis, ſiue fide, ſiue ſine operibus iuſtificari (ſunt enim hæc ſynonyma) non eſt hoc dictum perinde accipiendũ ac ſi diceremus, Fidem eſſe quandam virtutem quæ nos in nobis curam Deo iuſtificet. Id enim eſſet fidem ſubſtituere in locum Ieſu Chriſti, qui vnus eſt noſtra perfecta & integra iuſtitia. Verùm ita loquimur cum Apoſtolo, & fide ſola nos iuſtificari dicimus, eò quòd amplectitur eum qui nos iuſtificat, nempe Ieſum Chriſtum, qui cũ nos vnit ac copulat, vt ſimus & ipſius & omnium eius bonorum participes, quæ quidem nobis imputata, prorſus ſufficiunt ad hoc vt coram Deo abſoluamur, & pro iuſtis cenſeamur.

6 Ro 8. a. 1.
7 Ro. 3. c. 21. 24. & d. 27 & 4. a. 3. & 9. g. 30. 32. & 11. a. 6. Gal. 2. c 16. & d. 21. & 3. b. 9. 10. 11. 18. & 15. a 4. Phil. 3. b 9. 2. Ti. 1. c. 9. Ti. 3. a. 5. Heb. 11. b. 7.

VIII. Certum eſſe ſuæ ſalutis per Chriſtum fide apprehenſum, nihil minus eſſe quàm arrogantiam.

Ex hoc efficitur non modò non eſſe arrogantis hominis nihil dubitare de ſua ſalute, [8] ſed etiam è contrario ſola hac ratione homines omnem arrogantiam deponere, vt omnem gloriam Deo tribuant. Fides enim vna nos docet quaſi ex nobis migrare, ac planè cogit nos agnoſcere, nihil in nobis ineſſe præter damnationis cauſſas & argumentum: ideòque nos ad vnum Chriſtũ ablegat, per cuius ſolam iuſtitiam nos certiores facit ſalutis à Deo obtinendæ, quoniam videlicet quicquid Ieſu Chriſto ineſt (ineſt autem ſumma & abſolutiſſima iuſtitiæ perfectio, tum quia peccatum in eo nullum ineſt, tum etiam quoniam omnẽ legis iuſtitiam impleuit) nobis imputatur, perinde ac ſi propriè noſtrum eſſet, ſi modò per fidem ipſum amplectamur. Ideò pulchrè Bernardus [9], *Gloria*, inquit, *noſtra hæc eſt, non quidem tale teſtimonium, quale ſuperbus ille Phariſæus habebat ſeducta & ſeductrice cogitatione teſtimonium perhibens de ſemetipſo, & teſtimonium eius verum non erat: ſed quum Spiritus teſtimonium perhibet ſpiritui noſtro.*

8 Ro. 3. d. 27. & 4. d. 19. & 8. c. 16. & 9. 36. Ep. 3. c. 12. Heb. 10. d. 22. 23. Ioh. 4. c. 13. & 5. d. 21. 1. Cor. 4. a. 4. & 1. d. 16. Ti. 3. a. 5.
9 Bernardus 1. in o ſermone de Annũciatione.

IX. Fidem inuenire in vno Chriſto quicquid ad ſalutem requiritur.

Dignum autem eſt hoc argumentũ quod ſigillatim explicetur, vt ſciamus an per fidem apprehendatur ſatis idoneum remediũ quo fieri poſſimus vitam æternã certò ſperare, quemadmodum ſcriptum eſt, Iuſtum ex fide ſua victurũ[10]. Dico igitur quicquid impedit hominem, quominus illi cum Deo conueniat, ad tria capita poſſe reuocari, quibus totidem parata remedia nanciſcimur non in nobis ipſis, ſed in vno Ieſu Chriſto, ita tamen vt nihil magis propriè ſit noſtrum quàm Chriſtus, & quicquid Chriſti eſt, [11] ſi modò per fidem cum eo vniti ac coniuncti ſocietatem vnà coiuimus. Hæc enim cauſa eſt cur Eccleſia, id eſt, fidelium cœtus, vocetur ſponſa Chriſti, cui tanquam marito nupſit[12], nempe vt melius appareat arctiſſima illa ſocietas ac coniunctio quæ inter eũ & fideles intercedit. Nam huius ſocietatis ac ſpiritualis coniugii ea lex eſt, vt omnes noſtras miſerias in ſe recipiat, nos autem è contrario omnes bonorũ theſauros ex bonitate ac miſericordia ipſius percipiamus, ſicut ex iis quæ ſubiiciam intelligi facilè poterit.

10 Ab. 2. a. 4. Rom. 1. b. 16. & 17. Gal. 3 b. 17
11 Io. 17. b. 10. 19. & d. 20. 21. 22. 23. 26.
12 Ro 7. a. 4. & 8. 31. 2. Cor. 11. a. 2. Ep. 5. g. 32.

X. De primæ tentationis primo inſultu, in quo nobis innumerabilia peccata noſtra proponuntur: & vnico remedio quod in vno Ieſu Chriſto aduerſus hunc inſultum per fidem inuenitur.

Nunc igitur propius conſideremus an in vno Ieſu Chriſto poſſimus certa remedia nãciſci aduerſus omnes Satanæ & cõſcientiæ noſtræ inſultus. Primùm omniũ Satan &

conſciẽtia noſtra, vt nos penitus indignos eſſe probent qui ſeruemur, dignißimos autem qui pereamus, nobis ob oculos ponunt Dei naturam ſummè iuſti, & omnium ſcelerum capitalis hoſtis ac vindicis. Quod quum ita ſit, & ſatis conſtet nos infinitis ſceleribus eſſe coopertos, quid aliud nobis meritò expectãdum quàm peccati ſtipendiũ, [1 Rom. 3.b.19, & 6.d.23.] id eſt, Mors æterna[1]? Quid autem poterunt miſeri mortales aduerſus hanc Satanæ & conſcientiæ ſuæ concluſionem opponere? Nihil profectò quod vllius ſit momenti, præter id vnum quod mox dicam. Nam primùm omnium ſi præterita Dei iuſtitia ad eius miſericordiam confugerint, ſeipſos decipiunt. Certißimum enim eſt Deum ita eſſe miſericordem, vt interea ſummam ipſius iuſtitiam oporteat nos profiteri, qua de re diximus paulò antè, id eſt, articulo vigeſimo ſexto tertij capitis.

Sin autem tegendis noſtris peccatis libeat ad Sanctorum merita (quę vocant) confugere, [2 Pſa. 143.a.2.] primùm omnium magnam eis iniuriam facimus. Dauid enim clamat,[2] Ne intres in iudicium cum ſeruo tuo: & alibi confitetur opera ſua ad Deum vſque non pertin- [3 Pſa. 16.a.2.] gere[3]. Paulus verò quid commemorat de Abrahamo illo fideli, atque adeò fidelium Pa- [4 Rom. 4.a.2, & 3.] tre[4]? Si Abraham, inquit, ex operibus iuſtificatus fuit, habet de quo glorietur, at non apud Deum. Quid enim dicit Scriptura? Credidit Abraham Deo, & imputatum eſt ei [5 1. Cor. 4.a.4.] ad iuſtitiam. Imò, quid de ſeipſo refert Paulus[5]? Sanè, inquit, nullius mihi ſum conſcius, ſed non in eo iuſtificatus ſum. Quomodo igitur poterimus pro noſtrorum peccatorum [6 Phil. 3.b.8, & 9.] ſatisfactione proferre vlla Sanctorum merita, quum ipſimet Sancti non aliò confugerint quàm ad vnam miſericordiam Dei per Chriſtum reconciliati[6]? *Pręterea etiam ſi [* Secunda ratio.] Sancti ſuis meritis vitã æternam eſſent adepti (quod tamen falſum eſſe ex totũ ſcriptis conſtat) nónne iam perſoluta eſſet ipſis meritorum merces? Quo iure igitur iterũ illa co- [* Tertia ratio.] ram Deo proferamus? * Nam ſi quis excipiat, tantum illos habuiſſe meritorum, vt aliquid etiam ſuperſit quod alii poßint mutuari, nõne id perinde eſt ac ſi vniuerſam Scripturam falſi accuſaret? Imò nónne id perinde eſt ac ſi dicat, Sanctos illos morte Chriſti [* Quarta ratio] nihil indiguiſſe, quum ſatis ſupérque meritorum in ſeſe habuerint? * Sed age, etiam ſi daremus, quod petunt aduerſarii, Sanctorum merita ſuperabundaſſe, quo tamen iure exiſtimabimus illa ad nos pertinere? An quia nos ita eſſe ſomniamus, aut quoniam pecuniis illa redemimus? Atqui ſatis conſtat quàm acerbè Petrus Simonem illũ Magum [7 Act. 8.d.20.] ſpiritualia mercantem reprehenderit[7]: Pecunia, inquit, tua tecum pereat, qui exiſtimaris Dei dona pecuniis comparari.

En quomodo Sanctos eo ipſo afficimus contumelia, quo maximè volumus eos colere. Quòd ſi nullus hîc locus eſt Sanctorum operibus, quid tandem aut in nobis, aut in quoquam alio comperiemus, quo aduerſus illum Satanæ inſultum ſatis ſimus instructi? Sed vt ſemel iſtis falſis imaginationibus occurratur, age ſequẽtes rationes expẽdamus.

Primò, nónne penitus inſanũ eum eſſe iudicaremus, qui obrutus ære alieno, propterea ſe nihil creditoribus debere ſeriò contenderet, quòd ſomniaſſet vel ſeſe, vel alium quempiam ſuo nomine illis ſatisfeciſſe? Atqui non aliter agimus cum Deo, quoties in vnius Chriſti ſatisfactione non acquieſcimus. Cætera enim omnia quo tandem fundamento nituntur, quídve ſunt aliud, quam vana hominum ſomnia, quaſi Deo arrideat quicquid nobis lubet? Nos igitur è cõtrario audiamus quid Filius Dei ore ſuo pronun- [8 Mat. 7.a.7.] tiet[8]: Fruſtra, inquit, me colunt, obſeruantes hominum mandata. Et alibi[9]: Quum [9 Eſa. 1.c.12.] inquit, apparetis coram me, ecquis iſta requiſiit ex manibus veſtris?

Secundò, quum dicimus nos in vna Dei miſericordia confidere, & nihilominus arbitramur nos illi vel penitus, vel aliqua ſaltem ex parte ſatisfeciſſe, an nõ tantum ipſius [10 Rom. 4.a.4.] miſericordiæ derogamus, quantum ipſi nobis arrogamus[10]?

Tertiò, quiſquis in vno Chriſti merito non acquieſcit, & aliud quodpiam cum eo coniungit, an non perinde facit, ac ſi apertè clamaret Chriſtũ non eſſe Ieſum, id eſt, ſer- [11 Gal. 2.d.21.] uatorem, niſi aliqua ex parte[11]?

Quartò, quoties eò impudentiæ deuenimus vt audeamus iræ omnipotẽtis Dei opponere hominum opera, in quibus tantum ineſt labis, etiam ſi excellẽtißima quæque [12 Luc. 17.c.10.] ſumas[12], an non hoc eſt Deum ſua perfecta iuſtitia, ac proinde ſua quoque Diuinitate, [13 Rom. 3 d.26.] quantum in nobis eſt, ſpoliare[13]? Ideo clamabat Dauid, Ne intres in iudicium cũ ſeruo [14 Pſ. 143.a.2.] tuo[14]. Diſcam' igitur ad Satanæ argumentũ alio prorſus modo reſpõdere, iſto videlicet. Tu hoc principium ſumis Satã, Deum eſſe ſummè iuſtũ & omnium ſcelerũ vltorẽ. Hoc ego ita eſſe concedo: ſed aliud quiddam adiicio, quod & ipſum iuſtitiæ conuenit, & à te eſt prætermiſſum, nempe, quum Deus ſit ſummè iuſtus, non ferre iuſtitiã ipſius, vt v-

num

num idémque debitum bis ſibi perſolui velit. Deinde, illud quoque minimè inficior quod aſſumpſiſti, me nimirum infinitis peccatis totum ſcatere, quibus mors æterna debeatur. Sed hîc rurſum adiicio quod malitioſè præteriiſti, Deum videlicet omnes meas iniquitates ſeueriſsimè & ſummo iure vltum eſſe in Ieſu Chriſto, qui meo nomine ſeſe puniendum Patri exhibuit[1]. Itaque concluſionem colligo tuæ prorſus contrariam: Quandoquidem Deus iuſtus eſt[2], neque bis idem debitum vult ſibi perſolui: & Chriſtus Ieſus Deus & homo[3] infinitæ Dei maieſtati, infinita ſua obedientia[4] ſatisfecit[5], ex his poſitis conſequi, fieri iam non poſſe vt iniquitates meæ animum meum concutiant, vtpote quæ ſint penitus deletæ & expunctæ Chriſti ſanguine, vt in rationem coram Deo nunquam veniant[6]. Eſt enim Chriſtus pro me factus execratio[7], mortuus iuſtus pro iniuſtis[8]. Hîc verò non dubium eſt quin Satan nobis ob oculos ponat varias afflictiones, & mortem ipſam[9], quaſi ſint totidem teſtimonia, Deum nobis peccata noſtra non condonaſſe. Sed duo ſunt quæ reſpondeamus. Vnum, quanuis afflictiones omnes, & mors ipſa per peccatum introierint in mundum, Deum tamen non ſemper eò reſpicere quoties nos affligit, ſicut liquere poteſt in hiſtoria Iobi, & aliorum multorum[10].

Habet enim Deus varias ac multiplices cauſas, quibus gloriæ ſuæ cõſulit, & ſuorum ſaluti, vt dicemus vltimo articulo quarti huius capitis. Alterum eſt, Deum ne tum quidem quum ſuos affligit propter ipſorum peccata, & eos mortis doloribus inuoluit[11], aduerſus illos ſuccenſere, tanquam iudicem ad eos dãnandos paratum, ſed vt patrem clementiſsimum, qui filios ſuos caſtiget, ne pereant[12], vtque exẽplo in vnũ quempiam edito multos ad frugem reuocet[13].

XI. De remedio quod vna fides in vno Chriſto nanciſcitur aduerſus alterum eiuſdem tentationis inſultum, poſitum in eo, quòd nuſquam in nobis extat iuſtitia illa quam Deus meritò à nobis requirit.

Secundus inſultus quo nos Satan adoritur, argumento à noſtra indignitate ſumpto, eſt eiuſmodi. Non ſatis eſt non peccaſſe, vel pro ſuis peccatis per alium ſatisfeciſſe: ſed præterea requiritur perfecta Legis præſtatio, id eſt, vt Deum & proximum perfectè dilexerimus[14]. Affer igitur, obiiciet Satan miſeris noſtris conſcientiis, iuſtitiam iſtam, aut agnoſce te non poſſe iram ac maledictionem Dei effugere. Cæterùm aduerſus hunc inſultum quod tandem præſidium in vllis hominibus inueniemus, vno Chriſto excepto? Requiritur enim hîc perfecta obedientia, quam quidem nemo vnquam homo, præter Chriſtum Ieſum, præſtitit. Hîc igitur rurſum diſcamus nobis per fidem applicare alterum hunc Chriſti theſaurum, id eſt, ipſius iuſtitiam. Scimus enim hunc vnum eſſe qui omnem iuſtitiam impleuit[15], quoniam & Patrem perfectiſsimè dilexit ac reueritus eſt, & hoſtes ſuos adeò perfectè amauit[16], vt ſuſtinuerit etiã maledictio pro eis fieri[17], id eſt, iram Dei ſuſtinere[18], vt hac ipſius perfecta & omnibus numeris abſolutiſsima iuſtitia induti, vtpote quæ per fidẽ nobis imputetur[19], Deo accepti ſimus[20], vt Chriſti fratres ac cohæredes. Hîc verò prorſus neceſſe eſt, vt, quãtum quidem ad hunc inſultum attinet, Satan penitus obmuteſcat[21], ſi modò fidẽ illam habemus quæ nobis Ieſum Chriſtum cum omnibus ipſius theſauris applicat.

XII. De tertio eiuſdem tentationis inſultu, quòd natura ſimus corrupti, ac proinde Deo exoſi.

Supereſt Satanæ in hac tentatione quidam præterea inſultus ex noſtra indignitate ſumptus. Nam, obiiciet Satan, etiam ſi in Chriſto Ieſu ſatisfeciſti pœnæ quam peccata tua merebantur, & eiuſdem iuſtitiam induiſti per Fidem, nihilominus tamen diffiteri non potes, quin ſis natura deprauata, adeò vt omnis vitii ſemen tibi ſit inſitum[22]. Qua fronte igitur audebis comparere coram Dei maieſtate, capitali omnium ſordiũ hoſte[23], & ipſorum etiam cordiũ ſcrutatore[24]? Nos verò aduerſus hunc inſultũ nuſquam alibi, quàm in vno Ieſu Chriſto, promptũ remediũ inueniemus, in quo poſsimus acquieſcere.

Eſt autem eiuſmodi reſponſum, quod nobis Chriſtus in hac tentatione ſuppeditat. Nos quidem incluſos adhuc teneri corpore iſto mortali[25], quò fit, vt nõ faciamus bonũ quod volumus, & adhuc ſentiamus peccatum in nobis habitans[26], & carnem aduerſus ſpiritũ decertantẽ[27], adeò vt & corpore & animo aliquatenus in illo vetere luto hæreamus[28]. Verùm quoniã per fidẽ ſum9 Chriſto vniti[29], & incorporati[30], & in eodẽ radicati[31], & inſiti[32], in quo natura noſtra à primo momento, quo conceptus eſt in Mariæ virginis vtero, multò fuit pleniore ſanctificatione inſtaurata[33], quàm olim quũ in Adamo pura cõderetur (fuit enim Adamus duntaxat conditus ad imaginem Dei[34], Chriſtus[35]

1 Rom.3.d.25. 1.Pe.2.d.24.
2 Rom.3.d.26.
5 2.Cor.5.d.19.
4 Rom.5.d.19. Phil.2.a.5
5 Rom.8.c.3. & f.33.
6 Col.2.c.14.
7 Gal 3.b.13.
8 1.Pet.2.d.24.
9 Rom 5.b.12. Ephe.5.b.6.
10 Ioh.9.a.3. 1.Pet.2.d.19. & 3.c.14. Iac.1.a.2.c.4.
11 Iob 13.c.15.
12 2Cor 6.b 9. Heb.12.b.6. 2.Sam.7.b.14.
13 2.Sam.12.d.13.a.
14 Deut.27.d 5. Gal.3.b.10. & 12. Rom.2.c.14. 15.16.
15 Mat.3.b.15. Phil.2.a.8. Es.53.b.11
16 Rom.5.b.9. & 10
17 Gal.3.b.13.
18 Col.1.c.22. 1.Cor.5.d.21.
19 Ephe.2 b.8.
20 Ioh.1.b.12. & 20.d.27.
21 Rom.8.f.33.
22 Rom.7.c.17 18. & d.23.
23 Iob 4.d.18. Pſal.7.a.5.
24 Pſa 44.d.22 Ierem.17.b.10.
25 Rom.7.c.17.
26 Rom.7.d.21 & 23.
27 Gal.5.c.17.
28 Rom.7.d.18. Phil.3. b.9
29 1.Cor.6.d.
30 Ephe.4.d.16. Col.2.b.19.
31 Col.2.b.7.
32 Rom.6.a.5.
33 Heb.2.c.11. Rom.5.c.15.
34 Gen.1.d.26 2.Cor.15.47
35 Mat.1.d.20. Luc.1.d.35.

autem verus Deus carnẽ noſtram aſſumpſit ex Spiritu ſancto conceptam[1], idcirco ſanctificatio iſta naturæ humanæ in Chriſto nobis per Fidem imputata, effecit vt reliquiæ corruptionis illius quæ in nobis etiam regeneratis inſident, in rationem non veniant coram Deo[2], propterea quòd Chriſti ſanctimonia abſorbentur ac ſepeliuntur: Chriſti, inquam, cuius robur ad nos ſanctificandos coram Deo, infinitis partibus ſuperat corruptionis vires ad nos polluendos.

XIII. De remedio aduerſus ſecundam tentationem, in qua quæritur, an fidem habeamus.

Ad ea de quibus diximus, excipiet Satan, Chriſti mortem non prodeſſe omnibus peccatoribus, quum innumerabiles pereant. Nos verò viciſſim regeremus, ſolos quidem fideles Chriſti paſsionis ac ſanctificationis eſſe participes, ſed tantum abeſſe vt propterea deſpondeamus animum, vt è contrario nulla res æquè nos conſoletur[3], quoniam ſcimus fidem intra nos eſſe, fidem, inquam, illam qua non modò in genere & confuſè credimus Ieſum veniſſe, vt mundi peccata tolleret: ſed nobis ipſis ſigillatim Chriſtum applicamus, adeò vt vnuſquiſque noſtrûm ita apud ſe ratiocinetur, Ego ſum in Ieſu Chriſto, ideóque non poſſum perire[4].

Hic verò, vt poſſimus certum fundamentũ ſubſternere ſuperioribus victoriis, & alteram iſtam tentationẽ fortiter ſuperare, quæretur, Fidem habeamus néc ne: quæ controuerſia non aliter poteſt à nobis explicari, quàm ſi ab effectis ad efficientem cauſam aſcendamus. Sunt ergo Chriſti à nobis per fidem apprehenſi, & intra nos habitantis, effecta duplicia. Primùm enim Spiritus ſanctus teſtimonium reddit ſpiritui noſtro nos eſſe filios Dei, adeò vt intrepidè clamemus Abba Pater[5]. Deinde hoc quoque cõſtituendum eſt, quando nobis Chriſtum per fidem applicamus, id non fieri vana quadam & inani opinione ſiue imaginatione: ſed re ipſa & planè efficaciter[6], quanuis totum hoc myſterium ſit ſpirituale, adeò vt quemadmodum anima phyſico modo corpori adiuncta effectus ſuos edit, ita Chriſtus Ieſus per fidem intra nos habitans ſpirituali modo ac virtute, vires ſuas in nobis exerat, quæ quidem in ſacris literis intelliguntur Regenerationis & Sanctificationis nomine[7], quoniam per illas noui prorſus homines euadimus, quod ad qualitates attinet. Sunt autem huius regenerationis, id eſt, nouæ originis ac conditionis tres partes. Quemadmodum enim[8] natiua illa corruptio nos penitus & corpore & anima captiuos retinens, edebat in nobis peccata, & mortem: ita etiam ex aduerſo virtus Ieſu Chriſti ſeſe nobis efficaciter inſinuãs, & nos ſibi liberali, quod aiunt, cauſa manu aſſerens, tria in nobis efficit, nempe Mortificationem peccati, id eſt, natiuæ illius labis, quæ vetus homo dicitur: Sepulturam eiuſdem: & noui hominis Reſurrectionem: ſicut iſta copioſè in primis à Paulo explicantur.[9]

Eſt igitur Mortificatio corruptionis ſiue peccati, effectum Chriſti in nobis, quò fit, vt ea ſenſim in nobis perimatur & extinguatur, adeò vt non ſit ita efficax ad ciendas prauas motiones, conſenſiones, & actiones Dei voluntati contrarias. Eiuſdem veteris hominis Sepultura[10], alterum eſt Chriſti opus intra nos, cuius videlicet virtute vetus ille homo, accepto lethali vulnere, paulatim euaneſcit. Denique quemadmodũ ſepultura corporum noſtrorum eſt quidam mortis progreſſus, ita veteris noſtri hominis ſepultura eſt quædam continuatio ac progreſsio mortificationis illius cuius antè meminimus. Ad eam rem autem mirificè nos iuuant afflictiones, quibus dicitur Dominus nos reſpicere[11], itémque exercitationes illæ tum ſpirituales tum etiam corporales, quibus nos aſsiduè vti oportet vt rebellãtem carnẽ opprimamus[12]. Denique Mors prima, quod ad fideles attinet, complementum eſt iſtius mortificationis ac ſepulturę peccati, quatenus certamen carnis & ſpiritus dirimit[13].

Reſurrectio noui hominis, ſiue hominis, quod ad qualitates facultatũ attinet, prorſus renouati, tertiũ eſt effectum Chriſti intra nos viuentis, qui, corruptione naturę noſtræ perempta, nouum nobis robur inſpirat, adeò vt intelligentia noſtra[14], & facultas illa ingenii, qua de rebus perceptis iudicamus, gratia Spiritus ſancti illuſtratæ, & à noua iſta virtute Chriſti gubernatæ[15], incipiant intelligere & probare, quod anteà pro ſtultitia[16] & abominatione ducebant[17]. Deinde voluntas noſtra eodem robore corrigitur ac confirmatur, vt peccatum fugere incipiat, & iuſtitiam amplecti[18]. Denique vniuerſæ facultates hominis vitare quod vetuit Dominus, & quicquid præcepit ſectari incipiunt.[19]

Itaque, vt ad rem redeamus, ſi duplex hoc effectum in nobis ſentiamus, neceſſariò colligitur nos fidem habere, ac proinde etiam Ieſum Chriſtum ad vitam æternam, ſicut antea diximus. Nihil ergo nobis æquè curandum eſt, at-

que

1 Gen. 3 d.17. 1.Cor. 15. 47
2 Rom. 8.a.2.3
3 Rom. 8 c.15. 1.Cor. 7. c.18. & d 16. 1.Io. 4. c.13
4 Rom. 8 a.1 & g 38. 1.Cor. 1.d.6. 1.Ioh. 5.d.19. & 20.
5 Rom 8 c.16. 1.Cor. 2.c 10. 11.12. Gal. 4. a. 6.
6 Rom 6.a.1.3. 4 5 6.8. & b. 9. & c.14. 1 Ioh. 2.c 6. & 3. a. 5. & 3. b. 7.
7 Ioh 3 a. 5. Ephe 4. e. 22. f.23.24.
8 Rom 7. a.1.2. 3.4.5.6.
9 Rom. 6. & alibi paſſim.
10 Rom 6.1.4. Col. 2 b. 11. & 3. a. 1.
11 2.Cor. 4. d.16.
12 1.Cor. 9 d.27. Gal. 5. e.17
13 Phil. 3. d.13.
14 Eph. 1. d.18.
15 Rom. 8.c.14.
16 1.Cor. 2.d.14.
17 Rom. 8.b.7.
18 Rom. 6.b.6. & 8.c.13.
19 Rom. 7.d.22. Phil. 2.b.13.

que hæc duo: nempe vt iugi & aſsidua inuocatione foueamus pretioſum illud teſtimonium, quod reddit Dominus ſpiritibus noſtris[1]: deinde vt quotidiano quaſi bonorũ operum vſu pro ſe quiſque, ſecundum vocationem ſuam, in regenerationis dono proficiat. Huc reſpexit Iohannes[2] quum diceret eum qui natus eſt ex Deo non peccare, id eſt, ſeipſum non dedere peccato, ſed illi magis ac magis obſiſtere, vt ſeſe electionis ac vocationis ſuæ quotidie magis ac magis reddat certiorem[3]. Omnino enim ad fructus veniendum eſt vt de arbore iudicium fiat. Quiſquis verò, vt modò diximus, à ſeruitute peccati manumiſſus eſt[4], id eſt, ab illa Originali labe, incipit eos fructus edere, quos Bona opera vocamus: & hæc cauſa eſt, cur optimo iure dicamus, Fidem, de qua nunc agimus, neceſſariò coniunctam eſſe cum bonis operibus[5], quemadmodum lux cum ſole, & calor cum igne cohæret.

[1 Rom. 12.c.22. 16.26] [2 1.Ioh.5.d.18.] [3 1.Pe.1.b.10.] [4 Ioh.8.e.36. Ro.6.c.16. 17.18.d.20. 21.22.] [5 Ioh 2.b.9. & 4.b.8. & 5.b. 7. Iac.2.d.24]

XIIII. Impudentem eſſe calumniam eorum qui dicunt bona opera à nobis reprehendi.

Boni igitur illi viri nimiùm ſanè impudenter nos calumniantur, qui dictitant bona opera à nobis reprehendi, propterea quòd affirmamus nos nulla re alia iuſtificari, quàm per Chriſtum ſola fide apprehenſum. Interim verò non diſſimulamus nos, vt Deo ſuam gloriam in ſolidum vindicemus, tribus maximè in rebus ab eis diſſentire in hoc bonorum operum argumento, quum alioqui tantum abſimus ab eo, vt dicamus Chriſtianos non decere ſanctam & honeſtam vitam, vt è contrario affirmemus eos turpiter mentiri, qui quum ſeſe Chriſtianos vocent, nihilominus tamen nec veras virtutes ſectantur, nec vitia fugiũt à Deo damnata. Hæc autem ſunt in quibus nos ab iſtis diſſentire vltrò & apertè profitemur.

XV. Prima controuerſia in argumento bonorum operum. Quænam ſint pro bonis, & quæ pro malis habenda.

Primùm ab eis diſſidemus in bonorum & malorum operum diſtinctione coram Deo. Nam, quod ad nos quidem attinet, in vna Dei voluntate prorſus acquieſcimus, tanquam certiſsima regula eorum quæ vel probat vel improbat: neque aliam vllam diuinæ voluntatis declarationem requirimus, quàm ſacroſanctam ipſius Legem[6], cui vel adũcere, vel detrahere quippiam nefas putamus[7]. Itaque inter bona opera coram Deo nihil recenſemus eorum quæ nuda hominum voluntate nituntur, qualeſcunque ſint ipſi[8]. Affirmamus præterea vt aliquis dici poſsit bene egiſſe, non ſufficere ſi quod egit in verbo Dei mandatum inueniatur, ſed hoc etiam requiri, vt opus illud agendo quod à Deo præſcriptum eſt, voluntatem ipſius nobis in agendo proponamus, & certi ſimus ex eius verbo in animis noſtris, illud quod agimus Deo placere. Nam, vt inquit Paulus, quicquid ſine fide fit, id eſt, quicquid à nobis ſuſcipitur dubitante conſcientia an Deo placeat, ac proinde à Deo ſit præceptum nécne, peccatum eſt.

[6 Pſal.119.104. Deut.18.a.5. Deut.39.c.12. 13.14.15.& d. 19.] [7 Deut.4.2.2.& 12.d.32] [8 Eſa.1.c.12 Mat.15.a.9. Col.2.d.23.]

XVI. Quæ ſint operũ omnium excellentiſsima, & quæ precum ſit præſtantia.

Itaque, hoc poſito fundamento, dicimus Legem, quam Decem mandata nuncupamus, diſtinctam eſſe in duas tabulas: quarum vna declarat quid Deo, altera quid proximo debeamus: ac proinde duas eſſe bonorum operum ſpecies. Nam vna propriè cultum Dei, altera proximum reſpicit. Sunt autem illa tanto iſtis præſtantiora quanto Deus hominibus præſtat. Sed inter omnes fructus quos Fides vniuerſaliter in omnibus verè Chriſtianis hominibus edit, principatum noſtro iudicio facilè tenẽt preces, id eſt, inuocatio nominis Dei per Ieſum Chriſtum, neque vllũ opus ei gratius eſſe arbitramur, ſiue quid ab eo poſtulemus, ſiue laudes eius canamus, ſiue gratias ei agamus pro acceptis beneficiis. Sed in precibus iſta requirimus quæ ſubiecimus.

Primùm, vt proficiſcantur ab eo animo qui non dubitet ſe exauditũ iri, quatenus expedit. Nam, vt inquit Iacobus,[9] rogãdus eſt Deus cũ fiducia abſque hæſitatione. Nã qui hæſitat ſimilis eſt fluctui maris, à vento agitato, & cum impetu impulſo. Nequis igitur eiuſmodi homo exiſtimet ſe quicquam à Deo accepturum. Ex hoc autem aliud conſequitur, nempe inutiles eſſe preces quæcunque cum verbo Dei non conſentiunt. Preces enim abſque fide nihil aliud ſunt quàm peccata[10]: nec ibi fides vlla eſſe poteſt, ſed ſunt vana duntaxat & ſtulta quædam opinatio, vbi nullum Dei verbum ac præceptum extat[11], ſicut paulò antè probauimus. Quæcunque igitur preces ab aliquo concipiuntur eo idiomate quod ipſe non intelligat, pro Dei ludibrio ſunt habendę: quibus verò quippiam poſtulamus Dei naturæ ac voluntati repugnans, cum Dei blaſphemia ſunt coniunctæ, tantum abeſt vt ſint opus Deo acceptum.

[9 Ia.1.a.p.7.8. Rom.10.c.14 Mat.21.d.21. Heb.4.d.16. & 10 d.22. Marc.11.c.24] [10 Rom 14.d.23] [11 Rom.10.c.14]

Pręterea ex iis quæ diximus conſequitur, preces quæ ad aliũ deprecatorẽ ſiue Media-

torem referuntur, quàm ad vnicum illum inter Deum & homines conſtitutum, Chri-
ſtum Ieſum videlicet, in extremum Dei & Sanctorum eius dedecus redũdare. Primùm
enim nullus apex in ſacris literis inuenictur qui morem iſtum confirmet, imò verò ex-
preſſè edicitur Dei verbo, vt quicquid à Deo petimus, in Chriſti vnici noſtri Media-
toris nomine petamus. Præterea ſi quærendus eſt interceſſor qui nos amore quodam
ſingulari complectatur, quem tandem inueniemus cum eo comparandum, qui vitam
ſuam pro nobis proiecit, tum quoque quum ipſius hoſtes eramus? Sin autem eo nobis
opus eſt qui pro ſua auctoritate ſit gratioſus, cuius tandem potentia cum eius auctori-
1 Eph.4.b.10. Heb.7.d.25. tate conferri poterit, qui ad Patris dextram aſsidet [1]? A quo verò ſeſe potius exorari ſi-
net Pater, quàm à Filio ſuo chariſsimo in quo vno acquieſcit, & ſuos omnes diligit [2]?
2 Eph.1.b.6. Denique quum defunctorum Sanctorum ſpiritus ſint in cælis, corpora in terris, quo-
modo tandem conſtituemus noſtras preces ab eis intelligi, quin, vel ſi præſentes eſſe
dixerimus, infinitos ſimul eſſe conſtituamus: vel, ſi malimus eos quamuis abſentes ani-
mum noſtrũ inſpicere, *καρδιογνώστας* eos eſſe arbitremur? Atqui infinitum & *καρδιογνώστην*
eſſe in vnum Deum cadit, quò fit vt Sanctos hac vita defunctos inuocare non poſsi-
mus, quin eos ſimul deificemus. Nam quod garriunt nonnulli, Sanctos iſta omnia ar-
cana in Trinitate, quaſi ſpeculo, intueri, quàm ineptè ac ridiculè dicitur? Quis enim
hoc eos docuit? vtque ita eſſe demus, profectò intuerentur etiam Sancti quid decreue-
rit Deus facere vel minus, vt ipſos minimè oporteat preces ſuas interponere. In Chri-
ſto verò qui Spiritu ſuo inter nos manet, & quem vnũ inuocare certa cum fiducia iube-
mur, nullũ eiuſmodi argumentũ valet. Iſta igitur mortuorum Sanctorũ inuocatio pror-
ſus inanis eſt, ac Deo ingrata, vtpote quæ nullo ipſius verbo nitatur, & cum inſigni e-
tiam Chriſti contumelia ac dedecore ſit coniuncta, atque adeò partim ab ignorantia,
3 1.Cor.13.c.8. partim ab hominum diffidentia exorta. Atqui charitas (inquiunt) nũquam excidit, [3] ac-
4 Luc.15.b.7. c.10. proinde ſalutem noſtram ſitiunt Sanctorum ſpiritus in cælis verſantes [4]. Id nos verò cõ-
cedimus: ſed quis propterea ſani iudicii homo collegerit vel noſtras preces eos exaudi-
re, vel, etiam ſi exaudiant, (vt de Angelis qui nos circumſtant fateri nos oportet) id-
circo eos ſibi vnius Mediatoris officium arrogare, vel tanquam ſubalternos quoſdam
ſequeſtres à nobis eſſe inuocandos? Atqui ad Martyrum ſepulchra iam olim edita ſunt
miracula. Eſto. Sic voluit Dominus Martyrum fidem nobis commendare, non vt inuo
carentur, ſed vt in eis adoraretur ipſius virtus, quæ Martyres teſtabatur in cælo viuere
per eum quem ipſi viuentes coluerunt, & cuius veritatem ſanguine ſuo ſanciuerunt.
Sed hoc tamen ingenuè confitemur, eos qui miracula iſta nimiùm curioſè commen-
darunt, nobis videri ſtrenuam operam Satanæ in ſtabiliendo myſterio iniquitatis na-
uaſſe: neque quàm vetuſta ſit hæc ſuperſtitio, laboramus. Excipiunt autem rurſus ad-
uerſarii, nobis licere, ac etiam præcipi, vt alii pro aliis precemur, nec tamen propterea
Chriſtum dici officio ſuo ſpoliari, quoniam (vt inquiunt) vnus quidem eſt redemptio-
nis Mediator, at non interceſsionis. Atqui nos paſsim legimus Chriſtum non vnicum
modò eſſe redemptorem, ſed vnicum etiam apud Patrem aduocatum. Neque tamen
quum id dicimus, Chriſtum imaginamur tanquam ſupplicem pro nobis deprecari, ſed
perpetuò vnici ſacrificii odore nos Patri reconciliare, ac preces noſtras coram Deo ef-
ficaces reddere. Quum autem mutuas preces alii pro aliis concipimus, nullos media-
tores Chriſto ſubordinamus, ſed contrà coniunctis animis, ſicut charitatis regula &
verbum Dei iubet, vnico Mediatore freti, communem Patrem inuocamus. Quæ ratio,
vt antè diximus, in iis qui hac vita defuncti ſunt, obtinere non poteſt. Imò verò quid
aliud afferre ſolent iſti cur ad Sanctos mortuos confugiant, quàm quòd ſe indignos eſſe
queruntur qui rectâ & ſine ſubordinatis interceſſoribus ad Chriſtum accedant? qua de
re paucis etiam dicendum eſt quid ſentiamus. Primùm omnium igitur quum preces
noſtræ nulla re nitantur nobis inſita, ſed vnica dignitate ac præſtantia Chriſti qui per fi-
dem vnà cum omnibus ſuis beneficiis noſter eſt factus, obiectio illa planè eſt inepta, nec
poteſt aliunde quàm ab incredulitate proficiſci. Quemadmodum enim nunquam no-
bis poſſumus videri ſatis indigni in nobis ipſis, ita è contrario neceſſe eſt antequã pre-
5 Ia. 1.a.6.7. Mat 7.a.7. Luc.11 b.9. Ioh 14 b.13. Heb.4.d.16. cemur, vt, niſi fruſtrà precari volumus, certiſsimus fore, vt quum nos Filius vnicus ille
dignus noſter interceſſor Patri reconciliarit, non poſsimus non obtinere quod peti-
mus in ipſius nomine, quatenus quidẽ noſtra interfuerit: & abſque fiducia iſta nunquam à
6 Hom.12. de Cananæa. Deo exaudiemur [5]. Deinde ſi recuſant iſti nobis credere, ſaltem Chryſoſtomo & Am-
broſio credant. Sic ergo Chryſoſtomus de Cananæa illa muliere diſſerens [6], *Cedò*, in-
quir,

quit, *mulier, quomodo auſa es ad illum accedere, quum ſis peccatrix, & iniquitatum plena? Noui, inquit, quid factura ſim. En prudentiam huius mulieris. Non precatur Iacobum, non ſupplicat Iohanni, non adit ad Petrum, nec Apoſtolorum cœtum reſpicit, aut vllum eorum requirit: ſed pro his omnibus pœnitentiam ſibi comitem adiungit, & ad ipſum fontem progreditur.* Idem Chryſoſtomus eodem in loco[1], *Quum*, inquit, *quempiam hominem es precaturus, percontaris quid agat, & audis illum dormire, vel ei non ſatis eſſe otii, aut fortaſsis etiam ſeruus tibi recuſat reſpondere. Sed iſtis nihil opus eſt apud Deum. Is enim te audit quocunque ſis loco, & vndecunque inuocetur. Hic nobis nihil opus eſt atrienſi ſeruo, vel interceſſore, vel ſeruo. Sed dic, Miſerere mei Deus.* Sed & idem alibi præterea[2], *Non opus eſt*, inquit, *patronis apud Deum, neque vllis ambagibus, ſed etiam ſi ſolus es, omni patrono & aduocato deſtitutus, & ſeorſim Deum precaris, obtinebis quod petis.* Ambroſius verò hanc ipſam ſimilitudinem reprehendens, quam tamen penè vnam iſti ſolent in ore habere[3]: *Solent*, inquit, *pudore paſsim neglecti Dei, miſera vti excuſatione, dicentes, per iſtos poſſe ire ad Deum, ſicut per Comites peruenitur ad Regem. Age nunquid tam demens eſt aliquis, aut ſuæ ſalutis immemor, vt honorificentiam Regis vindicet Comiti, quum de hac re ſi qui etiam tractare fuerint inuenti, iure vt rei damnentur Maieſtatis?* Idem paulò pòſt: *Ideo ad Regem per Tribunos & Comites itur, quia homo vtique eſt Rex, & neſcit quibus debeat Remp. credere. Ad Deum autem (quem vtique nihil latet, omnium enim merita nouit) promerendum ſuffragatore non opus eſt, ſed mente deuota. Vbicunque enim talis loquutus fuerit ei, reſpondebit illi.*

1 Eadem homelia.
2 Homelia de profectu Euangelii.
3 Ambroſius in primum cap. Epiſt. ad Ro.

Itaque, vt paucis hanc tractationem abſoluamus, arbitramur ex verbi diuini auctoritate nullum hominis opus eſſe Deo gratius quàm inuocationē nominis ipſius, ſi quidem ritè concipiatur. Reſpicit enim hoc opus priorem Legis tabulam, & complectitur expreſſam confeſsionem diuinæ tum potentiæ, tum miſericordiæ, cum timore ac reuerentia quæ vni ipſius Maieſtati debetur.

De operibus charitatis erga proximum.

In ſecundum ordinem reiicimus opera charitatis erga proximū, ex poſterioris Tabulæ præſcripto, ſed ea demum conditione, ſi proficiſcātur ex vero Dei amore nobis in Chriſto reconciliati, propter quem fratres noſtros, etiam quum nos oderunt, ſingulari charitate proſequimur. Niſi enim ſubſternatur hoc fundamentum, nihil aliud quàm peccamus, quantumuis ſpecioſa ſint opera noſtra: quemadmodū indicat Chriſtus propoſito Phariſæorum exemplo[4].

4 Mat. 6. cap. ferè integro & Rom. 14. d.

De operibus indifferentibus.

Tertium quoddam eſt operū genus, quæ ſuapte natura nec bona ſunt propriè, nec mala, ſed finis duntaxat reſpectu cuius cauſa ſuſcipiuntur, quatenus videlicet nos reddunt aptiores ad ea præſtanda quæ bona ſunt, vel in faciendo officio noſtro cōſtantiores. Huius generis eſt ieiunium, ſobrietas, & ſi quæ ſunt alia quibus carnis laſciuia coercetur, itémque retinendæ virginitatis ſtudium, in iis qui habent continentiæ donum[5]. Itaque hoc dicimus in genere, laudabilia eſſe hæc exercitia, modò adſit quod præcipuum & primarium eſt, id eſt, animus nulla ambitione tumens, nec ſuperſtitione imbutus, ſed Dei timore præditus & proximi charitate: deinde ſi ita vſurpentur vt ſic poſſimus promptiores & alacriores euadere tum ad Deum colendum, tum ad iuuandum proximum pro noſtræ vocationis ratione[6]. Neque etiam ambigimus quin Chriſtiani omnes teneantur vitare quicquid ad Chriſtianæ vitæ officia tardiores eos efficere poteſt. Sed abſit vt eorū errorem probemus qui in iſtis rebus externis obſtupeſcunt, quaſi in iſtiuſmodi exercitiis poſita ſit pietatis ſumma. Malumus enim Paulo aſſentiri, qui teſtatur regnum Dei ſitum non eſſe neque in cibo, neque in potu[7], & iſta omnia parui eſſe momenti præ ſtudio pietatis in Deum, & charitatis officiis[8].

5 1. Cor. 7. cap. penè toto.
6 1. Cor. 7. d. 17.
7 Ro. 14. c. 17. 1. Cor. 8. c. 8.
8 1. Tim. 4. c. 8

XVII. Altera controuerſia de bonis operibus, in qua quæritur de eorum principio & origine.

Altera controuerſia de bonis operibus quærit de vera eorum origine. Neque verò nos negamus fidem ac bona opera manare ex noſtra intelligētia ac volūtate, quas Dei gratia præueniat, immutet, adiuuet, & comitetur. Sed hoc in primis affirmamus, quum quæritur de prima origine eius boni quod eſt vtcunque in nobis inchoatum, tantū abeſſe vt vlla ſit in nobis naturæ diſpoſitio ad primā gratiam recipiendam, quæ diſpoſitio poſtea ſuperueniēte altera gratia adiuuetur, vt è cōtrario nihil aliud nobis inſit à natura, ita vt nūc omnes corrupti naſcimur, præter tenebras[9] & Dei odiū[10]. Oportet igitur in primis & ante omnia, nō vt Deus præueniat noſtrū liberū arbitrium debile & infirmū,

9 Eſ. 9. a. 2. Luc. 1. g. 7. Act. 26. d. 18. 2. Cor. 4. b. 6. Eph. 5. b. 8.
10 Rom. 5. b. 10. & 8. b. 7.

b.

(ſicut loquuntur Semipelagiani) ſed vt nos totis viribus renitentes trahat [1], id eſt, quod ad qualitates facultatum noſtrarũ attinet nos penitus nouos homines reddat [2]. Id autem fit dum nos non aliquatenus duntaxat, ſed penitus cæcos in iis quæ ad redemptionem ſpectant, Spiritus ſui lumine illuſtrat [3]: dum corda noſtra lapidea in carnea commutat [4]: dum cor mundum creat in viſceribus noſtris, id eſt, noſtram voluntatem prorſus deprauatam inſtaurat [5]. Denique dũ efficit in nobis & velle & perficere [6], vt conſtet Apoſtolum verè dixiſſe nos ne ad cogitandum quidem quod bonum eſt, ex nobis eſſe idoneos [7], & filios Dei nihil prorſus habere quod non acceperint [8], acceperint, inquã, non naſcendo, ſed renaſcendo, non ex naturæ ſed ex regenerationis gratia, quæ gratis quotidie in eis operatur, vt Pelagianorum cauillum effugiamus. Oportet igitur vt gratia nos ex putribus & mortuis truncis viuas & fructuoſas arbores efficiat, antequam illos bonos fructus edamus. Ex quo conſequitur nullum eſſe poſſe gratiæ & liberi arbitrii concurſum [9] quum Spiritus Dei mera ſua gratia nos manumittit à peccato [10], dum nos videlicet Chriſto per fidem inſerit, ex quo nouam vitam haurimus, vt Deo viuamus [11]. Qui enim concurreret liberum arbitrium, quod nuſquam eſt, antequam à ſeruitute peccati ſit manumiſſum? Deinde hoc quoque adiiciẽdum eſt, quòd liberata noſtra voluntas bene velle incipiat, & in eo curſu perſeueret, alteri rurſus Dei gratiæ in ſolidum deberi. Denique quum manumiſsi à peccato bene agere incipimus, nullũ hîc meritum cogitandum dicimus, ſed gratis promiſſam mercedem gratis dari [12]. Nam præſtantiſsima etiam opera noſtra, niſi interueniret Dei gratia, nihil niſi æternas pœnas mererentur, quoniã ſanctiſsimi quique, ſi ſummo iure cũ eis ageretur, deprehenderentur dona Dei ſibi cõceſſa infinitis modis, etiã quũ ſtuderẽt bene agere, polluiſſe ac cõtaminaſſe [13].

XVIII. De tertia controuerſia in bonis operibus, nempe, quænam ſit eorum vtilitas.

Supereſt tertia controuerſia longè maxima, in qua diſceptatur de bonorũ operum vtilitate, de qua nos quidem ita ſtatuimus. Si quæritur quo iure & titulo ſiamus æternæ vitæ participes, acquieſcimus in vno Ieſu Chriſto nobis oblato, & per ſolam fidem communicato, idque ex mera Dei gratia & miſericordia [14]. Itaque abhorremus à Meriti nomine, & ſerio cordis affectu agnoſcimus ac profitemur nos, quantũuis iuſtitiæ ſtudeamus, ſeruos eſſe inutiles [15], vitámque æternã penitus & omni ex parte gratuitũ eſſe Dei donum [16], cuius rei vnicum prætereà argumẽtum adſcribam. Bona opera certũ eſt manare ex Chriſto in nobis habitãte, cuius virtute & efficacia gratuita freti incipimus bene velle & operari, quẽadmodũ è cõtrario natiua illa veteris Adami corruptio nobis inſita profert in nobis vitioſos omnes motus ex quib⁹ prauę actiones edũtur. Neceſſe eſt enim vt Chriſtũ poſsideamus qui nos efficiat bonas arbores, antequam illos bonos fructus proferamus, quũ Paulus teſtetur peccatũ eſſe quicquid fit abſque fide [17], & effecta neceſſariò efficiens cauſa antegrediatur [18]. Quod quũ ita ſit, cõſequitur fidẽ neceſſariò præire bonis operibus. Atqui quiſquis fidẽ habet, iuſtificatus eſt eo ipſo momẽto, niſi fortè iuſtificatus non eſt, & pacem non habet [19], qui Chriſtum habet. Qui fiet igitur vt bonis operibus iuſtificemur, ac proinde ſeruemur, quum nos prius oporteat iuſtificari, ac proinde dignos fieri qui ſeruemur, quàm vel vnicum bonum opus edere poſsimus? Iuſtificamur autẽ & digni ſalute reddimur, vt antè diximus, nõ in nobis, ſed in Chriſto Ieſu, cui per ſolam fidem coniũgimur, vt omnia ipſius beneficia, nẽpe iuſtitia, ſanctificatio, & redemptio nobis imputentur. Itaque, vt paucis omnia cõplectamur, agnoſcimus nullis promitti vitam æternam niſi qui ſtudent operibus iuſtitiæ, nec alios cenſeri iuſtos coram Deo, quàm qui ſeriò reſipuerint [20]: ſed longè diuerſas quæſtiones eſſe dicimus, quinam iuſtificentur, & qua iuſtitia iuſtificẽtur: & eam iuſtitiam quam Spiritus Dei in nobis inchoauit, non cauſam, ſed teſtem eſſe dicimus eius iuſtitiæ qua vna freti coram Deo comparemus, & vitam æternam ad nos vt Chriſti cohæredes iure quidem ſed gratis pertinere contendimus [21]. Iuſtitia autem hæc, ſi ſpectemus cui propriè inhæreat, vnius Chriſti perſona includitur. Sed quoniam is nobis datus eſt vt quiſquis eum per fidem amplectitur, fiat eius particeps in vitam æternam, quoniam factus eſt nobis à Deo Patre ſapientia, iuſtitia, ſanctificatio, redemptio [22], idcirco noſtra etiam eſt per imputationem, & in ea vna, vtpote quæ ſola ſit perfecta, prorſus acquieſcimus.

XIX. Quorſum nobis vtilia ſint bona opera apud Deum & apud homines.

Ex iſtis facilè cognoſci poteſt, quàm ſint impudentes quicunque calumniantur bona opera à nobis vituperari, quum è contrario nulli rei æquè ſtudeamus atque huic

1 Io.6.c.44.
2 Ioh.3.a.5. 1.Pet.1.d.23.
3 Cor.5.d.17. Ephe.4.f.23. & 24. Col.3.b.10.
1 Deut.30.b.6. Ierem.24.c.7. & 31.f.33.
4 Ezec.11.c.19.
5 Pſa.51.c.12. Ez.36.c.33. & 18.g.31. Eph.1.d.18.
6 Phil.2.b.13.
7 2.Cor.3.b.5.
8 1.Cor.4.b.7.
9 Vide ſuprà articulum 17. cap.3.
10 Ioh.8.c.36. Rom.6.d.19. & 21.
11 Ro.7.a.4.5. 6.
12 1.Cor.4.b.7. Ro.4.a.4.5. & 6.d.23.
13 Rom.4.a.3. 2.Cor.4.a.4. Phil.3.b.9. Pſa.42.a.2.
14 Rom.1.c.18. 22. 1.Cor.2.a.2.
15 Luc.17.c.10. Pſ.16.a.2.
16 Ro.6.d.23.
17 Rom.14.d.23.
18 Rom.6.a.5. 6 & 7.a.4.5. 6.
19 Rom.5.a.1.
20 Matt.25.d.35. 36. Iac.2.c.14. & deinceps. 1.Ioh.3.b.7.
21 Rom.5.a.1. & 8.d.7. & g.39.
22 1.Cor.1.d.30.

vni, vt demonſtremus quænam verè bona ſint opera, & ex quo fonte promanent, ne
miſeri mortales ſibi ipſis imponant. Quanuis autem neque in ſolidũ, neque vlla prorſus
ex parte nitamur bonis operibus, quum quæritur quo iure ſeu titulo, vt loquuntur, vi-
ta æterna nobis obtingat[1]: quanuis, inquam, in vno Chriſto Ieſu acquieſcamus, tamen 1 Phil.3.b.9.
agnoſcimus regenerationis noſtræ fructus nobis multas ac magnas vtilitates afferre. Ro.6.d.13. 1.Cor.4.a.4.

Primùm enim hac ratione ſolem⁹ proximos noſtros vel Chriſto lucrifacere, vel in
Chriſto retinere: ipſóſque adeò Chriſti iuratos hoſtes cogimus gloriam Deo tribuere[2]. 2

Secũdò, bonis operibus certiores ſimus noſtræ ſalutis, non tãquam cauſis, vt paulò Matt.5.b.16 1.Pet.2.c.12.
antè dixi, ſed tanquam teſtibus & effectis cauſæ inſtrumentalis per quam adipiſcimur
ſalutem, fidei videlicet, vt eſt à nobis antea demonſtratum. Hæc nimirum cauſa eſt cur
teſtetur Deus ſe redditurum vnicuique ſecundum ipſius opera[3]: & cur Abraham dica- 3 Mat.16.d.27.
tur etiam ex operibus iuſtificatus[4]. Neque enim hæc ita accipienda ſunt, quaſi opera Rom.2.a.6.
noſtra ſint cauſa noſtræ ſalutis vel in ſolidum, vel aliqua ex parte[5], (nam certè ſi ita eſ- 4 Iac.2.d.21.
ſet, non ſatis firmum eſſet noſtræ ſalutis fundamentum) vel quaſi ex operibus noſtris 5 1.Cor.4.a.4.
poſsimus coram Deo iuſti cẽſeri[6], ſed quoniam bona noſtra opera ſunt effecta ex qui- Phil.3.b.9.
bus fides noſtra intelligitur, fides, inquam, apprehendens Ieſum Chriſtum, veram & v- 6 Rom.3.c.21. Gal.2.d.21.
nicam iuſtitiam noſtram, ſicut antea diximus.

Tertiò, neceſſe eſt vt fateamur quandam eſſe cognationem aquæ & eius ſcaturiginis
ex qua promanat. Quoniam igitur regeneratio noſtra, quãdiu in hoc mũdo verſamur,
nunquam euadit in ſummum gradum, & ſupereſt in nobis perpetuum illud Spiritus
& carnis certamen[7]: quoniam, inquam, adhuc reſident denſiſsimæ tenebræ in noſtra 7 Gal.5.c.17.
intelligentia[8], & maxima aduerſus Deum repugnantia[9], efficitur fore vt ſi ſummo iu- 8 1.Cor.13.c.9.
re inquireret Deus in ipſa quoque præſtantiſsima hominum opera, nihil aliud poſsit de d.12
iis conſtitui quàm meras eſſe donorum Dei pollutiones, quemadmodum ſæpiſsimè 9 Rom.7.c.15.
accidit, vt riuus alioqui clarus & limpidus, inficiatur cloacę ſordibus per quas decurrit. 17.d.19.23.25
Hæc igitur cauſa eſt cur exclamet Dauid, Non iuſtificabitur in tuo conſpectu vllus vi-
uens[10]: & Paulus hanc querelam effundat[11], Non facio bonum quod volo, ſed facio ma- 10 Pſa.143.a.2.
lum quod nolo. Me miſerum, quis me liberabit ex hoc corpore mortis? Hanc formu- 11
lam iudicii de optimis etiam noſtris operibus nobis ſancti ſerui Dei præſcribũt, tantum Ro.7.d.19. 23.24.25.
abeſt vt Meriti nomen vſurpent, quod ſanè nunquam in Eccleſia Dei irrepſiſſet, ſi ſatis
expẽſa fuiſſet veteribus Latinis Theologis eius vocabuli propria ſignificatio. Nã quod
ad Græcos attinet, quanuis hoc illis perpetuum fuit, Theologiæ fontes perturbare
humanæ Philoſophię luto, quę res effecit, vt ſuũ illud αὐτεξούσιον plus ęquo ſemper ex-
tulerint, tamen nullam apud eos vocem inuenio quæ glorioſo Meriti nomini ſatis reſ-
pondeat. Hoc tamen profitemur, tantam eſſe Dei noſtri bonitatem, vt, quoniam ado-
ptiuos ſuos filios non in ipſis, ſed in vnico ſuo Filio chariſsimo Ieſu Chriſto conſiderat,
quo videlicet coniuncti ſunt arctiſsimo illo Fidei vinculo: neque in æſtimandis ſuo-
rum donorum fructibus rationem habet eius pollutionis quæ à noſtræ carnis imbe-
cillitate promanat, ſed puriſsimi illius fontis à quo profluunt, id eſt, Spiritus Chriſti
in omnibus credentibus efficacis, vt peccato mortui, iuſtitiæ viuant: tantam, inquam,
eſſe Dei noſtri bonitatẽ, vt idcirco opera noſtra quanuis imperfectiſsima, tamen non
modò non improbet, ſed etiam eò vſque probet, vt mercede dignetur[12], tum in hac
vita tũ etiam in futura, ſicut in talentorum ſimilitudine declaratur[13]: minimè id qui- 12 Gen.15.a.1.
dẽ quaſi hæc merces operibus noſtris debeatur[14], ſed pro mera ſua gratia & miſeri- Mat.5.b.12, & 10.d.42.
cordia: ſicut Deus in ipſa etiam Lege teſtatur, ſeſe nimirum pro ſua miſericordia, non 2.Ioh.c.8.
autem ex iure quodam debito, benefacturum iis à quibus diligitur, quíque mandata 13 Mat.19.d.20.
ipſius obſeruant[15]. 1.Tim 4.c.8. Mat.25.b.13.

Quartò, quũ bona opera ſint Fidei noſtræ teſtimonia, conſequitur etiam inde pe- 14
tendam aliqua ex parte teſtificationem æternę noſtrę electionis, quoniam Electionem Rom.4.a.2.4. 5, & 6.d.23.
neceſſariò cõſequitur fides Chriſtũ apprehẽdens, per quã iuſtificati & ſanctificati, frua- 15 Exod.20.b.6.
mur ea gloria cui deſtinati ſum⁹ ante iacta mũdi fundamẽta[16]. Eſt autẽ hæc doctrina eò 16 Rom.8.f.30.
accurati⁹ obſeruãda quò magis ſolet à mũdo negligi, quaſi nimirũ doctrina de particu- Ephe.1.a.3. 4.5, & c.13.14.
lari electione vel ſit curioſa, vel cõprehendi nõ poſsit, quũ è cõtrario Fides nihil ſit aliud
quã illud quo certiores ſimus, vitã æternã ad nos pertinere, quoniã ante iacta mũdi fun-
damenta ſumus à Deo tãtæ huic ſaluti ac glorię per Chriſtũ poſsidẽdæ deſtinati. Itaque
quicquid antea de fide & eius effectis diſſeruim⁹, inutile foret, niſi hæc doctrina de æter-
na electione ſubſternatur, tanquam vnicum totius Chriſtianæ fiduciæ fundamentum.

Quoties igitur Satan nobis litem mouet de noſtra particulari electione, non eſt eius controuerſiæ explicatio ſtatim ſcrutanda in æterno Dei conſilio, cuius maieſtatem non poſsimus ſuſtinere: ſed è contrario initium faciendum eſt ab infimo gradu, nẽpe à ſanctificatione quam in nobis inchoatam re ipſa ſentimus, vt altius inde conſcendamus. Quum enim noſtra ſanctificatio, ex qua promanant boni motus & bonæ actiones de quibus antea diximus, ſit certum Fidei, aut potius Chriſti in nobis per Fidem habitantis, effectum [1], & quicunque Chriſto eſt vnitus, neceſſariò quoque ſit efficaciter vocatus, ac proinde ſaluti deſtinatus, nec falli poſsit Dei prouidentia, ac proinde nullus ex electis pereat [2]: ex his conſequitur, ſanctificationem veluti primum eſſe gradum à quo progredi incipiamus ad declarationem primariæ noſtræ ſalutis cauſæ, id eſt, æternæ illius ac gratuitæ noſtræ electionis. Quiſquis enim dicit ſe credere, neque ſecundum Spiritum viuit, ſeipſum vt mendacem coarguit [3]. Idcirco Petrus diligenter nos admonet vt noſtram vocationem & electionem bonis operibus firmam reddamus [4], minimè id quidem quaſi illæ nitantur operibus noſtris (quum Paulus contrarium affirmet [5]) ſed quoniam bona opera certò teſtificantur noſtræ conſcientiæ Ieſum Chriſtum habitare in nobis [6], ac proinde nos perire non poſſe, quoniam electi ſumus ad ſalutem.

1 Rom.8.b.9.
2 Ioh.6.d.37.
3 Rom.6.a.2,& 8.c.14. 1.Ioh.3.a.4.& 2.a.3.
4 2.Pet.1.b.10.
5 1.Cor.4.a.4. Rom.4.a.2.
6 1.Pet.1.d.25. Ioh.6.d.12.

XX. Remedium aduerſus vltimam eámque grauiſsimam tentationem, in qua quæritur an ſimus ex Electorum numero.

Præter illa de quibus iam antea diximus, ſupereſt Satanæ vltima & omnium grauiſſima tentatio qua nos imperat. Primùm enim conſtat vſuuenire interdum vt Chriſtus Electorum quorundam vocationem multùm differat, atque adeò ad extremum vſque vitæ momentum [7], quò fit vt iſti non ſatis muniti videantur præſidio ab illis Effectis petito quæ paulò antè commemorauimus, vtpote qui nunquam illa ſenſerint. Qui enim ſenſiſſent eius cauſæ effecta, quam nondum in ſeſe haberent? Deinde quoniam ſanctiſsimi etiam quique in eas anguſtias interdum rediguntur vt effecta de quibus diximus admodum languida ac penè nulla in ſeſe comperiant, Satan libenter alterutrum eis perſuaſerit, nempe vel id quod ipſi antea fidem eſſe exiſtimabant, fidem non fuiſſe, ſed inane duntaxat fidei ſimulachrum: vel etiam ſi antea crediderint, fidem tamen ſua ipſorum culpa ac negligentia amiſiſſe.

7 Matth.20.b.9 Luc.23.f.43.

Quærendum eſt igitur diligenter qua ratione poſsimus hanc tentationem omnium grauiſsimam ſuperare: quanuis de ea re iam nonnihil extremo articulo ſuperiore diximus. Ac primùm quidem quod ad eos attinet quorũ tarda eſt vocatio, ſpes eorum tamen iiſdem illis effectis niti debet. Quantum enim ad internum teſtimonium ſpectat, tardã vocatio non impedit quominus illud perſonet in eorum animis, & quidem ſæpenumero clarius ac magis ſonorè quàm in iis qui maturè ſunt vocati, ſicut ipſa experientia in Latrone illo celebri demonſtrauit. Quòd ſi quæritur de regenerationis effectis, reſpondeo præſtantiſsima hęc eſſe opera Chriſti intra nos habitantis, cordis contritionem ex odio peccati & reuerentia Dei proficiſcentem, fiduciámque in Chriſtum & eius inuocationẽ. Quiſquis igitur in ſeſe percipit hos motus vel in ipſo mortis pũcto, norit ſe habere certa fidei ſuę, ac proinde ſuæ quoque electionis ac ſalutis teſtimonia.

Qui verò ſunt in eas anguſtias detruſi, vt quod optimis etiã ac Deo chariſsimis hominibus contingit, effecta illa admodum languida ac penè nulla in ſe comperiant, diligenter iſta meditentur, vt ex hac tentatione emergant.

Primùm, quoniam Effecta illa quæ duplicia eſſe diximus, ſunt inſtar duarum anchorarum quibus vtrinque ſuſtineamur, quoties vna ex parte vacillabimus, neceſſe fuerit nos in alteram partem eò fortius niti, tantiſper dum vtrinque firmemur. Quid enim? Quum Dauid & Petrus tam turpiter eſſent lapſi, an nòn in illis admodum languebant regenerationis & ſanctificarionis effecta? Ita eſt profectò: ſed iidem illi in hac tentatione, quæ ipſos profectò ad deſperationem ſollicitabat, incubuerunt alteri anchorę, nempe teſtimonio quòd Spiritus ſanctus teſtabatur ipſorũ ſpiritui, eos nimirũ quãuis fœdiſſimè lapſos, tamen in numero filiorũ Dei cenſeri, ac proinde remiſſa illis eſſe peccata.

Deinde etiam ſi quis vtrinque vacillet, tamen non eſt quod animum deſpondeat. Neq; enim ad hoc vt Chriſti participes fiamus requiritur perfecta Fides, ſed Fides vera duntaxat. Vera autem Fides eſſe non deſinit quę admodũ eſt infirma ac debilis, adeò vt penitus interdũ ſit ſepulta. Itaque vel ſola Fidei ſcintilla, ac proinde etiam vel minimũ Fidei in nobis effectum, ſi modò verum ſit, & ex vera Fidei ſcaturigine promanet, hactenus eſt efficax, vt verè nos de noſtra ſalute ſecuros reddat. Quanuis enim nemo

niſi

niſi interueniente Fide ſeruetur, ſalus tamẽ noſtra propriè non nititur Fide noſtra, ſed eo vno potius quem apprehendimus per fidem, nempe Ieſu Chriſto. Tanta eſt autem Fidei vis, vt, quoniam Deus ita promiſit[1], vel minimum ipſius veluti granũ, totum Ieſum Chriſtum nobis inſinuet. Hoc tamen conſtat, quo plenior eſt Fides, eo maiorem ipſius vim eſſe qua nos magis ac magis cum Chriſto copulet. Ac ſanè magnopere nos pudere debet, quum non modò nihil promouemus, ſed etiam reſilimus. Non tamẽ efficitur victorẽ fore Satanam, ſi modò res ipſa declararit nos ideo retroceſsiſſe vt eò fortius poſtea progrederemur, id eſt, ſi, quod generoſis animis accidere ſolet, hæc infamia virtutem in nobis non extinxerit, ſed acuerit potius, & ex ipſa imbecillitate vires ſumpſerimus.

1 Mat.17.c.20.

Tertiò, quoties ita languebimus proſtrati, proponamus nobis ob oculos Sanctorum exempla, qui non minus profundis gurgitibus fuerunt immerſi[2], neque tamen propterea deſtiterunt Deum inuocare, à quo etiam ſunt exauditi, quoniam erant ex numero filiorum Dei, etiã ſi grauiſsimè peccaſſent. Proponamus, inquã, nobis eiuſmodi exempla, non vt pergamus in peccatis, (id enim illi minimè fecerunt poſtquam ſunt à Domino expergefacti) ſed è contrario vt eorum fidẽ & reſipiſcentiã imitemur. Denique falſam eſſe Satanæ concluſionem ſciamus, quoties colligit falſam noſtram fidem fuiſſe ex eo quòd certo tempore non appareant ipſius effecta. Perinde enim argumentatur, ac ſi quis colligeret nullum eſſe verum ignem vbicunque nulla flãma collucet, vel hyeme non viuere arbores, quoniam nec folia nec fructus edunt.

2 Pſ.77.c.11& 116 b.11, & alibi ſæpe. Huc pertinet tota Iobi hiſtoria.

Quartò, confugiendum nobis eſt ad verum & certũ remediũ, nempe ad firmitatem æternę noſtrę Electionis, quę nititur immutabili Dei propoſito. Vt autẽ huius tam certę electionis firmum teſtimoniũ habeamus, eo etiam tempore quo nulla penè Fidei effecta in nobis comperiemus, memoremus dies præteritos, Dauidem imitati. Ita enim fiet profectò vt tam multa támque aperta teſtimonia diuinæ erga nos beneuolentiæ inueniamus, vt meritò dubitare non poſsimus de paterno ipſius in nos affectu. Præterea comperiemus ſuperioribus temporibus tot támque illuſtria Fidei ac proinde etiam Electionis noſtræ effecta ſeſe in nobis exeruiſſe, vt ne Satan quidem ipſe inficiari poſsit nos eo tempore fuiſſe Deo acceptos, ac proinde veram fidẽ habuiſſe, quum abſque Fide nemo poſsit Deo verè placere. Quòd ſi obiiciat Satan, tum quidem nos fuiſſe fide prę-ditos, ſed ea amiſſa factos Dei hoſtes: nos contrà intrepidè reſpondeamus, falſiſsimam eſſe hanc doctrinã. Sunt enim hæc duo axiomata certiſsima ſine vlla exceptione, Deum nunquam mutare ſententiam: &, quicquid ſemel decreuit, neceſſariò perfici. Addamus autem tertium quoque axioma, Fidem eſſe Dei donum ſolis Electis proprium ac peculiare. Id autem ita eſſe probatur ex eo quòd quiſquis credit, Chriſto verè vnitur, ac proinde mori nunquam poteſt. Quæ quum ita ſe habeant, neceſſe eſt profectò vt fateamur donũ veræ illius Fidei qua iuſtificamur, nunquam à perſeuerantiæ dono diuelli poſſe, quanuis interdum labefactetur Fides, ac proinde quoque perſeuerantia quibuſdam veluti interuallis interrũpatur. Quod enim de Petro teſtatur Dominus ſe pro eo rogaſſe ne ipſius fides deficeret, locum habet in his omnibus qui, quod ad electionem & ſalutem attinet, pari ſunt cum Petro conditione: & manifeſtè declarat quanuis Petrus non peccarit ex Fide, neque ex S. Spiritu, ſed ex carne & ſanguine, eo tamen ipſo tempore Fidem non fuiſſe penitus ab eo ablatam, nec S. Spiritũ penitus ei ademptum, ſed hactenus duntaxat vt fides in eo ad tempus velut oppreſſa lateret, & nihilominus ſemen Spiritus adoptionis intra eum deliteſceret. Idem in Dauide quoque apparuit quũ eſſet Prophetæ voce velut ex ſomno expergefactus. Neque enim tunc Dominus S. Spiritum ei reddidit, quaſi antea prorſus eripuiſſet, verùm ſopitas S. Spiritus vires in eo excitauit. Alioqui non clamaſſet Dauid, Spiritum tuum ne auferas à me, ſed potius dixiſſet, Spiritum ſanctum tuũ reſtitue mihi: quod ipſum tamen ex fide dicere nunquam potuiſſet, ſi penitus fuiſſet ſancto Spiritu deſtitutus. Itaque quod nonnulli ſępe inculcant aduerſus eos qui in Fidei ſimulachro & vmbra ſibi placent, quíque ex falſa perſuaſione Fidei, qua & ſeſe & alios decipiunt[3], peccandi licentiam arripiunt, quaſi iuſtificari poſsit aliquis quin ſimul ſanctificetur: quod, inquã, nonnulli aduerſus eiuſmodi monſtra inculcant, peccatis excuti Fidem & ſanctum Spiritum, vel intelligendum eſt de eo Fidei gradu quò peruenire etiã poſſunt reprobi, eò vſque videlicet, vt non modò in Eccleſia cenſeri, ſed etiã bonum Dei donũ guſtare, nunquam autẽ cõcoquere & eius participes re ipſa fieri poſsint[4], quoniam hoc eſt electorũ propriũ[5]: vel eatenus accipiendũ

3 1.Ioh.2 a.4, & b.9. & 3.b.10 & d.19.24. & 4.c.13, & d.20.

4 Mat.12.d.43, & deinceps, & 13.c.19.20.21.22. & 22 b.22, & 24.b 13. Ioh.15.a.2, & 6 Act.8.b.13. Heb.6.a 4.5.6, & 10.e.26.

5 Ioh.6.d.37, & f.56 Ro.8.f.30, & g.37.

eſt vt intelligamus, quod ad effecta quidem & fructus attinet, ad tempus quodammodo tolli poſſe fidem, ſed ita vt ſemen & germen ipſum maneat, quod poſtea ſuo tempore erumpat. His igitur poſitis fundamentis affirmo eũ qui vel ſemel tota ſua vita ſenſerit certum veræ Fidei teſtimonium, ſecurum eſſe debere de ea nõ modò permanẽte, ſed etiam permanſura ad finem vſque, tum quoque quũ ea tempora inciderint quibus abeſſe penitus videatur. Neque enim infans recens natus, idcirco non eſt prǽditus anima rationis participe quòd nullum eius vſum experiatur: neque ebriũ hominem dicimus ratione & intelligentia ſpoliatum, etiam ſi neque mens neque pes in eo officium facit: neque vitalis omnis facultas eum deſeruit qui eſt ad tempus mortuo quàm viuo ſimilior, non modò ex medicorum ſententia, ſed ex ipſius etiam ægrotantis ſenſu. Quid igitur? an propterea qui ſemel crediderint, impunè peccabunt? Video enim nonnullos hoc modo infamare hanc doctrinam de particulari electione: quæ tamẽ ſi tollatur, quæ tandem erit noſtra conſolatio, quum Fides ea qua vna iuſtificamur non aliter in vniuerſales, id eſt, promiſcuè quibuſuis peccatoribus oblatas promiſsiones reſpiciat, quàm vt eas ſibi ſigillatim fidelis applicet? Reſpondeat pro me Paulus, Filios Dei eſſe qui Spiritu Dei agũtur, ac proinde nõ permanere in peccato qui ſunt à peccato liberati. Quiſquis enim eſt iuſtificatus per fidem, idem eſt quoque per Chriſti Spiritũ ſanctificatus, ideóque peccato reſiſtit, etiam ſi ad tempus interdum videatur à Deo derelictus, ſiue potius Deum deſeruiſſe. Non eſt igitur vox illa eorũ qui verè crediderunt: neque in hoc præcipitium nos pertrahit hæc doctrina, ſed huc potius adducit, vt quò pretioſiora ſunt Fidei effecta in nobis, & quò certiora ſunt hæc arma ad oppugnandum Satanam in iſto tam periculoſo certamine, eò maiore cura ac diligentia nitamur illa conſeruare, id eſt, Deo ac iuſtitiæ viuere, ex Spiritus ſancti virtute quam accepimus pro certo noſtræ adoptionis pignore. Denique ſciant iſti qui hanc doctrinam oppugnant, quaſi aditum patefaciat ad peccandi licentiam, ſe non aliter id colligere quàm ſi dicerent homines inſtrui ad abſtinendum à cibo & potu, vel ad otium inſtitui, quum certum eſſe ac præfixum vitæ noſtræ terminũ affirmamus qui præteriri nõ poſsit. Ergo, vt paucis abſoluam, id apud nos vnuſquiſque noſtrûm conſtituat, ſalutem noſtram pendere à decreto æterno illius qui Filium nobis, ſiue nos Filio dedit, hoc nobis pro certo affirmanti, fore vt
1 Ioh. 6.d.36. 39 neminem perdat ex iis quos à Patre accepit[1]. Omnino enim neceſſe eſt vt penes eum depoſita ſit ſalus noſtra, qui longè melius eã cuſtodire poſſit quàm nos ipſi. Neque tamen ignoro multa in contrariam partem à nonnullis afferri, ſed quæ facile ſit diluere, ſicut copioſè demonſtratum eſt in libris de hoc ipſo argumento noſtra memoria conſcriptis.

XXI. Quibus inſtrumentis vtatur Spiritus S. vt fidem creet in Electorum cordibus.

Antea demonſtratum eſt à nobis Spiritum ſanctum eũ eſſe qui in nobis creet Fidẽ, verum illud inſtrumentum quo Chriſtus apprehenditur, vt ex eo hauriamus quicquid ad nos iuſtificandos ac ſeruandos requiritur. Nunc autem conſequitur vt doceamus quibus inſtrumentis ad eam rem vtatur Spiritus ſanctus, & quatenus eis vtatur. Bina ſunt igitur hæc inſtrumẽta, nẽpe Verbũ & Sacramẽta, de quibus ſigillatim diſſeremus.

XXII. Quid intelligatur Verbi Dei appellatione, & de duabus eius partibus, Lege nimirum & Euangelio.

Verbi nomine hoc in loco (nam alioqui ſcimus ita etiam vocari æternũ Dei Filium) intelligimus vtriuſque Teſtamẽti libros Canonicos, quos vocant, nimirum à Deo ipſo dictatos: idque diuidimus in duas primarias ſiue partes, ſiue ſpecies, Legem videlicet & Euangelium. Cætera enim ſunt ad alteram harum ſpecierum reuocanda.

Legem vocamus (quoties quidem accipitur pro altera Verbi parte quæ ab Euangelio diſtinguitur) doctrinã cuius ſemẽ eſt naturaliter cordibus noſtris inſitum, quamuis ea ſit poſtea, luculentioris & certioris explicationis cauſa, à Deo ipſo inſcripta duabus tabulis, & decem mandatis comprehenſa, in quibus obedientiam illam ac perfectam iuſtitiam deſcribit, quam & ipſius Maieſtati & proximis noſtris debemus: idque addita
2 Deut. 27. c. 28. conditione altera ex his duabus [2], nempe vel vitæ æternæ, ſi perfectè Legem præſtiterimus:
Iac. 2. b. 10. vel æternæ mortis, ſi vel minimum eius apicem neglexerimus. Euangeliũ autem,
3 Mat. 16. c. 17 id eſt, feliciſsimum nuntium, appellamus doctrinam non quæ ſit nobiſcũ nata, ſed quæ
Ioh. 1. c. 8. captum omnẽ hominis ſuperat [3], éſtque nobis è cælo patefacta: in qua nobis teſtatur[4]
4 Ro. 3. c. 20. 21. Deus ſe velle gratis nos ſeruare in vnico Filio ſuo, ſi modò eum per fidẽ amplectamur
5 1. Cor. 1. d. 30. vt vnicã noſtram ſapientiam, iuſtitiam, ſanctificationẽ & redẽptionem[5]: qua, inquam, doctri-

doctrina Dominos ea omnia nobis declarat, & ita quidem vt nos ſimul per eam renouet quàm efficaciſsimè, vt oblata nobis beneficia amplectamur.

XXIII. *Quid inter ſe commune habeant Lex & Euangelium, & rurſus quibus in rebus differant.*

Sunt autem ea quæ modò diximus ſummopere obſeruanda. Hoc enim verè poſſumus affirmare, ignorationem differentiæ Legis & Euangelii, plurimis maximiſque erroribus occaſionem præbuiſſe, quibus hodie Chriſtiana religio perturbatur. Nam quod ad Legẽ attinet, plerique homines, iuſto Dei iudicio excæcati, nunquam animaduerterunt cui maledictioni Lex ipſa nos ſubiiciat, & quorſum inſtituta ſit à Deo: Euangelium autem nihil aliud eſſe crediderunt quàm alteram quaodam Legem perfectiorem: ex quo errore poſtea nata eſt diſtinctio illa inter Præceptum & Conſilium, adeò vt paulatim beneficium Chriſti fuerit penitus apud pleroſque obliteratum. Sunt igitur iſta longè accuratius nobis expendenda. Ac primùm quidem hoc inter ſe commune habent Lex & Euaogelium, quòd vous ille verus Deus [1], & ſui ſemper ſimilis, & huius & illius ſit auctor: quò fit vt mioimè exiſtimaodum ſit Legem ab Euangelio aboleri quod ad ſubſtantiã ſiue rem ipſam attinet, ſed è contrario ſtabiliri, ſicut mox oſtendemus [2]. Nam & Lex & Euangelium voum eundémque Deum, & ſi rem ipſam ſpectes [3], vnam eandémque iuſtitiam nobis proponunt, eam videlicet quæ poſita eſt in perfecto Dei & proximi amore. Sed diſcrimen magnum eſt in iis quæ ſubiiciemus, ac præſertim in eius obtineodæ iuſtitiæ ratione.

1 Hebr. 13, 8. — 2 Ro. 10, 3, 4. — 3 Rom. 3, d, 31.

Primùm enim, vt paulò aotè attigimus, Lex innata eſt homini, cuius nimirum cordi Deus ab initio inſculpſit eius cognitiooem [4]. Nam quòd multo pòſt tempore Dominus illam tulit duabus tabulis perſcriptam, non ideo factum eſt quaſi noua lex aliqua ferretur, ſed vt inſtauraretur vetus illa legis cognitio quam natiua illa labes ſenſim in hominibus abolebat [5]. Euangelium verò doctrina eſt naturam ipſam tranſcendens, de qua ne ſuſpicari quidem vnquam poruerunt homines, adeò vt nunc quoque illam approbare noo poſsint abſque peculiari Dei dono [6]. Patefecit autem eam Dominus primùm omnium Adamo paulò poſt eius peccatum, ſicut recitat Moſes [7]: deinde Patriarchis & Prophetis, ea qua libuit menſura, donec tandem Ieſum Chriſtum re ipſa nobis exhibuit [8]. Is verò nobis pleniſsimè annuntiauit impleuítque vniuerſum Euangeliũ [9], quod nuoc quoque patefacit & ad finẽ vſque ſæculorum patefaciet, prædicatione quam in Eccleſia ſua inſtituit [10].

4 Ro. 2, c, 14, 15, & 1, d, 32. — 5 Rom. 7, b, 8, & 9. — 6 1. Cor. 1, c, 21, & 2, d, 14. — 7 Gen. 3, c, 15. — 8 Ro. 1, a. 2. Luc. 2, c, 55, & 70. — 9 Ioh. 15, e, 15, & 6, d, 38, 39, 40. — 10 Ioh. 17, c, 18. Mat. 28, d, 20

Secundò, Lex nobis Maieſtatem & iuſtitiam Dei velutinndam proponit, ideóque nos perterrefacit atque adeò occidit [11]. Euangelium autem eandem qoidẽ nobis in Deo iuſtitiam proponit, ſed quæ ſit nobis per miſericordiã in Chriſto exhibitam pacata [12], ſicut copioſius oſtendimus articulo tertii capitis viceſimo ſexto.

2. Cor. 5, d, 20 Epheſ. 4, b, 10, 11, 12. — 11 He. 12, e, 18, & ſæpe apud Paulum.

Tertiò, Lex iubet vt in nobis quæramus eam iuſtitiam quam deſcribit, quæ nimirum in perfecta mandatorum impletione poſita eſt, ideóque nobis exitium noſtrum ob oculos ponit [13]. Euangelium autem nobis indicat vbi tandem nanciſci quod alioqui non habemus, & vbi inuenerimus, quomodo eo potiri poſsimus: ideóque nos à Legis execratione liberat [14]. Denique Lex pronuntiat oos felices, ſi plenè eam præſtiterimus: Euangelium verò ſalutẽ promittit ſi crediderimus, id eſt, ſi per fidem apprehẽderimus Chriſtum, in quo multò etiam plura inſunt quàm nobis deſint. Cęterùm & hoc & illud, nempe pręſtare quod Lex iubet, & per Fidem amplecti quę nobis in Ieſu Chriſto offeruntur, nobis, vt quidem corrupti ſumus, non modò difficillioıum eſt, verùm etiam prorſus ἀδύνατον [15], quò fit vt quartum præterea Legis & Euangelii diſcrimen ſit neceſſariò adiiciendum.

12 Hebr. 12, f, 22, 23, 24. — 13 Ro. 3, c. 20. Gal. 3, b, 11, 12 — 14 Ro. 3, c, 21, 22, & 4, c, 16. Ga. 3, b, 13, 14. — 15 2. Cor. 3, b, 5. Phi. 2, d, 19. 2. Theſ. 3, a, 2.

Quartum igitur diſcrimen Legis & Euangelii in eo poſitum eſt, quòd Lex hactenus in nobis per ſe eſt efficax quòd morbum noſtrum nobis indicat, atque etiam exaſperat: minimè id quidem ſua culpa, (eſt enim bona & ſancta,) ſed ideo potius quod natura noſtra, vt eſt corrupta, quò magis redarguitur, eò magis peccandi cupiditate exæſtuat, ſicut ſuo ipſius exemplo probat Apoſtolus [16]. Euaogelium verò præterquàm quod nobis certum remediũ proponit aduerſus Legis execrationem, hoc habet peculiare, ſicut mox oſtendemus, quòd adiunctam habet efficaciam illam Spiritus ſancti, à quo, vt ſuo loco diximus, regeneramur ac immutamur, quando videlicet in nobis Fidem creat, vnicum illud ioſtrumentum quo beneficium oblatum apprehendatur [17]. Sed age planius etiã hoc explicemus de Litera & Spiritu, quod peruerſiſſimè interpre-

16 Ro. 7, b, 7, 8, 9, & deinceps. — 17 Act. 26, 18.

tati ſunt nonnulli. Euangelium igitur dico non eſſe Literam, id eſt, mortuam duntaxat doctrinam quę nude ac ſimpliciter in ſcriptis proponat, non dico quæ facienda ſint, (hoc enim eſt Legis officium) ſed quæ credenda ſint, ſalutem videlicet in Ieſu Chriſto gratis promitti credentibus: ſed eſſe Spiritum, id eſt, potens illud & efficax Spi-
1 Rom.1.b.16. ritus ſancti organon[1], quo nimirum is vtatur vt nobis vires ingeneret iis ipſis rebus cre-
Act.16.c.14. dendi quæ in Euangelio traduntur, id eſt, gratuitam in Chriſto Ieſu ſalutem amplectē-
di, adeò quidem vt Lex ipſa, quæ nos in nobis condemnat & occidit, nos in Chriſto per
2 Rom.3.d.31. fidem apprehenſo iuſtificet ac ſeruet[2]. Hæc porrò cauſa eſt cur antea affirmarim Legē & Euangelium inter ſe non diſsidere quod attinet ad ipſam iuſtitiam qua indutos eſſe nos oportet vt à Deo recipiamur, & vitæ æternæ participes fiamus: ſed potius in eius conſequendæ iuſtitiæ ratione. Lex enim eam meritò quærit in nobis, quoniam non re-
3 Gal.3.b.12. ſpicit quid præſtare poſſimus, ſed quid præſtare debeamus[3], propterea quòd homo ſua vnius culpa eò recidit vt non ſit ſoluendo, ac proinde ex eo quod ſoluere non poteſt minimè abſoluitur. Ex eo verò conſequitur nullam iniuriam nobis fieri à Lege, ne tū quidem quum à nobis exigit quod noſtra culpa præſtare non poſſumus. Euangelium autem ius iſtud acerbiſsimum veluti melle quodam miſericordiæ temperans, ita tamen vt de ſumma Dei iuſtitia nihil derrahatur, fideiuſſorem illum nobis demonſtrat qui non modò expreſsis verbis fideiuſſit, ſed etiam noſtro nomine quicquid debebamus
4 Col.2.c.14. ad extremum vſque quadrātem exoluit[4], adeò vt illud ipſum Legis χειρόγραφον quod nos in nobiſipſis percellebat ac planè deiiciebat, nos in Ieſu Chriſto prorſus erigat ac confirmet. Quum enim vita ęterna iis debeatur qui Legi perfectè ſatisfecerūt, & Chriſtus Ieſus omnem iuſtitiam impleuerit in eorum gratiam qui per Fidem ipſum ample-
5 1.Cor.1.d.30. cterentur[5], efficitur profectò ex ipſo etiam Legis rigore, fieri non poſſe vt à ſalute exci-
Phil.3.b.10. dant quicunque per Fidem ſunt vnum facti cum Chriſto.

XXIIII. *Quorſum vtatur Legis prædicatione Spiritus ſanctus.*

Ex his quæ diximus de Legis & Euangelii diſcrimine facile eſt intelligere quorſum & in quem finem Spiritusſanctus vtatur vtriuſque annuntiatione in Eccleſia. Neque enim dubium quin hæc duo ad eum finem dirigat cui ſunt deſtinata. Quoniam igitur, quandiu natiua illa corruptio in nobis dominatur, ita cæci ſumus vt ipſam quoque ig-
6 Ioh.9.g.41. norantiam noſtram ignoremus[6], neque deſinamus extinguere quantulaſcunque illas
7 Rom.1.c.20.21, & 2.a.2.c.9. cognitionis ſcintillas in nobis relictas vt eſſemus ἀναπολόγητοι[7], adeò vt de eo potiſſimùm nobis placeamus in quo maximè nos oportuit nobiſipſis diſplicere: neceſſe eſt inprimis vt Deus ille ſummè bonus ac miſericors, nos eò adducat vt penitus intelligamus quantis & quàm certis in malis verſemur. Id verò nulla meliore ratione præſtari poteſt quàm ſi nobis velut indice commonſtrarit quales eſſe nos neceſſariò oporteat,
8 Ro.3.c.20, & 7.c.13. quemadmodum ater color optimè cognoſcitur ſi cum albo conferatur[8]. Hæc igitur cauſa eſt cur Deus initium faciat à Legis prædicatione, in qua vna videlicet animaduertere nobis liceat quid debeamus, neque tamen vlla ex parte exoluere poſsimus, ac proinde quàm propè abſimus ab exitio, niſi nobis aliunde ſubſidiū aliquod firmiſsimum ac certiſsimum affuerit. Id autem quàm ſit neceſſarium vniuerſalis ille ſtupor ſatis declarat quo mundus iampridem tenetur. Quum enim Lex non ſit poſita vt nos iuſtifi-
9 Gal.2.d.21, & 3.c.18.19.d.22. cet, quoniam alioqui Chriſtus fruſtrà eſſet mortuus[9], ſed è contrario vt nos condemnet & apertum damnationis gurgitem nobis ob oculos ponat, denique vt cōmonſtrata nobis noſtra ſuperbia & noſtris peccatis ordine diſpoſitis, manifeſtaque ira Dei pro-
10 Ro.4.b.13, & 4.c.15. Gal.3.b.10.d.22. poſita[10], nos penitus conterat, eò tamen inſaniæ redacti ſunt iampridem miſeri mortales, vt pro eo quòd eos oportuerat in vno Chriſto per Fidem remedium quærere aduerſus ea omnia de quibus meritò poſſunt coram Dei tribunali coargui, non modò petant ſalutem ex eo quod ipſos condemnat, id eſt, ex ſuis operibus, alii in ſolidum, alii quadā ex parte: ſed etiam vltrò nouis legibus quotidie conſcientias ſuas adſtringant, quaſi ni-
11 Gal.4.b.9.10 & 5.a.1. Col.2.b.8.c.16.d.20. & deinceps. mirum Lex illa Dei abſolutiſsima condemnandis eis nō ſufficiat[11]. Id verò qui faciunt, non minus certè inſaniunt quàm captiuus quiſpiā qui patentibus carceris ianuis, non aliter liberari ſe poſſe exiſtimaret, quàm ſi vltrò ſeſe in intimum carcerem coniiceret, & pro liberatione propoſita arctiores ſibi compedes indueret. Ergo, vt paucis abſoluam, hic primus eſt vſus prædicationis Legis, vt nobis pateſiant noſtra innumerabilia vitia, quibus cognitis incipiamus nobiſipſis diſplicere, & ad gradum illum primum reſipiſcentiæ perueniamus, nempe cordis contritionem, quam poſtea conſequatur plena & aperta coram Domino confeſſio. Neque enim vnquam ad medicum accedet qui ſe

optimè

optimè valere ſibi perſuaſit: ſuntque omnium hominum ineptiſsimi ad lucem ſalutis admittendam, quicunque ſe ſatis eſſe perſpicaces ſibi perſuaſerunt, quoniam videlicet non intelligunt quantis in tenebris ſint nati, vnde tantum abeſt vt emerſerint, vt contrà nunquam deſtiterint ex tenebris in tenebras ſeſe ſcientes ac prudentes conii- cere [1].

[1] Ioh.9.g.41.

XXV. De altera Verbi Dei parte quæ Euangelium dicitur, cuius ſit auctoritatis, quamobrem, quomodo, & in quem finem ſcriptum.

Legi ſuccedit Euangelinm, cuius vſus & neceſsitas optimè intelligitur ex iis quæ ſubiiciemus.

Primùm omnium ſicut vnus eſt ſeruator [2], ita etiam vna eſt ſalutis doctrina quæ Euangelium dicitur [3], id eſt, felix & optatus nuncius, à Chriſto [4] & eius Apoſtolis [5] plenè declaratus mundo, atque adeò ſumma fide velut in publicas tabulas relatus ab Euangeliſtis, vt fraudibus & aſtutiis Satanæ obuiàm iretur [6]. Is enim alioqui multò facilius ſua miſeris mortalibus ſomnia propoſuiſſet, ſpecioſo tamen Euangelii nomine adornata: quod ipſum facere nõ deſtitit, iuſto iudicio Dei hominibus irati, vtpote qui ſemper ſuo more tenebras luci antepoſuerint. Porrò verò nos quum dicimus integram Euangelicam doctrinam ab Apoſtolis & Euangeliſtis fuiſſe perſcriptam, hæc tria volumus ſignificare.

[2] Mat.1.d.17. Act.4.b,12. 1.Ti.2,a.5.
[3] Ro.1,b,16.
[4] Ioh.15,c,15.
[5] Ioh.17,c,18. 2.Cor.5,d,19.
[6] Eph.2,b,20. 2.Pe.1,d,19.

Primùm, quod attinet ad ipſius doctrinæ ſubſtantiam, eos nihil penitus de ſuo admiſcuiſſe [7], ſed ſimpliciſſimè paruiſſe huic Dei verbo [8], Docete eos ſeruare quæcunque vobis præcepi, ſicut conſtat ex ipſius Pauli verbis [9].

[7] Col.1,d,28. 2.Tim.3,d,16,17.
[8] Mat.28,d,20.

Deinde, nihil penitus ab illis eſſe prætermiſſum eorum quæ ad ſalutem requiruntur. Nam alioqui perfidioſi fuiſſent, quod nefarium eſt de illis cogitare: & quàm in ea re fuerint religioſi, ex Pauli [10] & Petri [11] teſtimonio liquere poteſt. Itaque Hieronymus de hac ipſa re ſcribens [12], *Sine auctoritate Scripturarum*, inquit, *garrulitas non habet fidem*. Et Auguſtinus multò etiam expreſsius [13], *Quum*, inquit, *Dominus Ieſus multa fecerit, non omnia ſcripta ſunt, ſicut idem ipſe ſanctus Euangeliſta teſtatur, multa Ieſum Chriſtum & feciſſe & dixiſſe quæ ſcripta non ſunt. Electa ſunt autem quæ ſcriberentur, quæ ſaluti credentium ſufficere videbantur.*

[9] 1.Cor.11,e,25.
[10] Act.20,e,27.
[11] 2.Petr.1,d,15.
[12] Hieron. in Epiſtol. ad Tit.cap.1.
[13] Auguſt. in Ioh.tract. 49.

Tertium eſt, ita eos ſcripſiſſe quæ ſcripſerunt, vt omnium etiam hominum craſſiſſimi & imperitiſſimi inde poſsint percipere, niſi per eos ſteterit, quicquid ipſorum ſaluti ſufficit [14]. Nam, obſecro, cur alioqui ſcriptum eſt Euangelium ea lingua quæ tunc poſſet à quibuſuis intelligi [15], & eo dicendi genere quod maximè viſum eſt vulgare ac populare [16]? Ideo teſtatur [17] Paulus ſi opertũ eſt Euangeliũ, iis eſſe opertum qui pereũt, quorum ſenſum excæcauit Deus huius ſeculi, id eſt, incredulis. Sed & ipſa experientia omnium temporum ſatis demonſtrat à Deo non fuiſſe vocatos doctiſsimos & ſapientiſſimos quoſque, ſed è contrario pleroſque maximè rudes [18], tantum abeſt vt doctrinam ſuã voluerit obſcurare ne quibuſuis pateret. ¶ Quod quum ita ſe habeat, duas concluſiones hinc colligimus, ad id de quo agitur maximè pertinentes.

[14] 1.Cor.1,d,26,27.
[15] 1.Cor.14.b,6,7, & deinceps.
[16] 1.Cor.2,a,1.
[17] 2.Cor.4,a,3.
[18] Eſ.29,e.14. Luc.10,d,21. 1.Cor 1,d,16,27, & 3,d,18.

Vna eſt, Euangelii nomine nihil eorum cenſeri oportere quæ homines ſcripto Dei verbo, id eſt, doctrinę in vtriuſque Teſtamenti libris comprehenſæ, adiecerunt. Sunt enim ea omnia potius meræ ſuperſtitiones & profanationes veri & vnici Euangelii, ſicut Paulus teſtatus eſt [19]. Sed & Hieronymus hac de re loquens, *Quod de Scripturis*, inquit, *non habet auctoritatem, eadem facilitate contemnitur qua probatur* [20].

[19] Gal 1,b, 8,9. 2.Tim.3,d,16,17. Matt.15,a,9.
[20] Hieronym.in Matt. cap. 23.

Altera concluſio eſt, eos eſſe verè Antichriſtos & inſtrumenta Satanæ [21], qui veriti ne ipſorum fraudes pateſiant, clamitant certis demum hominibus fas eſſe ſacram Scripturam legere, ac proinde nefarium eſſe ſacros libros in [22] vulgata idiomata transferre quæ ab ipſis mulierculis intelligi poſſint.

[21] Mat.23,a,13.
[22] Ro.1,b,14,& 16. Gal.3,d,28. Matth.11,d,28. 1.Cor.4,g.35. 2.Pet.1,d,19.

XXVI. Ad Euangelium pertinere aliqua etiam ex parte libros qui veteris Teſtamenti dicuntur.

Præterea tantum abeſt vt Euangelium vocemus ex vulgi more, certas duntaxat particulas temerè & plerunque ſine iudicio ex quatuor Euangeliſtis aut Apoſtolorum epiſtolis decerptas, vt è contrario non ipſos modò noui Teſtamenti libros eo nomine ſignificemus, ſed etiam quicquid de Ieſu Chriſto prędictum eſt in veteris Teſtamenti volumine [23]. Euangelium enim, vt iam antea diximus, vnicum illud eſt per quod Deus à condito mundo ſeruauit electos ſuos [24], ideoque ſtatim poſt Adami peccatum cœpit in mundo promulgari, ſicut teſtatur Moſes [25], quanuis longo pòſt tempore fuerit re ipſa exhibitum mundo per ipſum Ieſum Chriſtum & eius Apoſtolos [26]. Itaque vt pau-

[23] Act.25.e,22.23, & 9,d,21, & 28,f,23. Ioh.5,f,39. Rom.1,a,2,
[24] Heb.13,b,8. Act.4,b,12.
[25] Gen.3,c,15.
[26] Rom.1,a,2, & 16,d,25,26. 2.Pet.1,d,19.

cisabſoluam, Euangelium vocamus, optatum illud teſtimonium quo Deus pro ſua ſin-
gulari & infinita bonitate iam inde à mundi initio teſtatus eſt Eccleſiæ ſuæ, fore vt qui
1 Ro.3,c,21,22. Iuh.6,e,40. Chriſtum per fidem amplecterentur, fierent in ipſo vitæ æteroæ participes[1].

XXVII. Quæ ſit ſacræ Scripturæ auctoritas, & quamobrem debeat in omnia vulgata idiomata transferri.

2 Ro.1,b,14. Quum affirmamns Euangelium, ita vt eſt à Deo in tabulas relatum Eccleſiæ cau-
3 Ioh.6,g,68. ſa, vnicum eſſe ordinarium inſtrumentum quo Deus vtatur ad ſeruaodos homines[2],
Act.5,d,20. Phil. 1,b,16. quò fit vt vocetur Verbum vitæ[3] & reconciliationis[4], non tribuimus hanc virtutem
4 2.Cor.5,d,19. ſyllabis, vel atramento, neque chartulis è collo ſuſpenſis, aut certorum verborum re-
5 Ro.10,b,8. citationi, neque voluminibus precioſè compactis, & multo thure adhibito conſecra-
1.Pet.d,25. tis. Abſit enim vt eiuſmodi ſortilegia & ſacrilegia comprobemus. Sed primo loco viam
6 Mat.13,c,23. omnem occludimus fanaticis omnibus reuelationibus, quibus iampridem Diabolus
Act.16,c,14. conſueuit homines ludificari. Deiode hæc tribuimus Euangelio ritè annuntiato & ex-
7 Matt.28,d,19 20. plicato, vt genuinus eius ſenſus poſsit percipi[5], & animo inſculpi, vbi veros reſipiſcé-
tiæ fructus edat per Fidem[6]. Id enim apertè docent Apoſtoli, quos quũ mitteret Chri-
8 1.Cor.14. ſtus[7], nequaquam vſus eſt his verbis, Ite, recitate Euangelium incognita lingua, & ado-
9 Ro.10,e,17. rate librum in quo perſcriptum fuerit: ſed his potius, Ite, annunciate Euangelium qui-
10 1.Cor.14.b,9 & deincepſ. buſuis mortalibus: vt ea prætermittam quæ aduerſus Corinthios ex profeſſo diſſerit
Paulus de præpoſtero peregrinarum linguarum vſu in Eccleſia Dei, abſque prophetia
11 Ro.15,a.4. & ioterpretatione[8]. Enimverò quum fides ſit ex auditu[9], quî tandem credet aliquis
2.Tim.3,d,16 quod nunquam cognouerit? & quod peregrina lingua cantatur, quomodo percipi po-
12 Pſ.1,a,2. terit[10]? Sed & illud quæri poteſt, quî taodem poterunt miſeri homines in vera doctri-
13 Act.17,c,11. na confirmari, io tentationibus tam variis & tam multis fulciri, aduerſus falſas doctri-
Ioh.5,f,39. nas muniri[11], niſi, Dauidis conſilium ſequuti[12], noctes & dies conſumant in meditan-
14 2.Pet.1,d,19. 21. do Dei verbo, & Scripturæ teſtimooiis diligenter inter ſe comparãdis[13]? profectò ita fa-
ctitare conſueuerant Chriſtiani omnes, dooec Deo nobis irato, Diabolus hanc lucem
15 Ioh.21,[illegible],16 17. nobis incogitantibus adimeret, & deoſas illas tenebras iterum inueheret. Id ita eſſe te-
16 Act.17,c.11, & 26,c,17, 28. ſtatur Petrus laudans fidelium diligentiam eo oomine quòd Prophetarum verbis atten
derent[14]. Norat enim dictum illud Chriſti, Paſce oues meas[15], intelligi de prædicatione
17 Luc.3,a,1. Verbi, ſicut Paulus ipſe explicauit, & re ipſa comprobauit[16]. Interea tamen minimè
Ro.10,c,15. volumus vnicuique fas eſſe ſacram Scripturam in Eccleſia docere, ſiue interpretari,
18 2.Co.4,a,2. quum hoc munus ad eos propriè pertineat qui ritè ſunt ad eam functionem vocati[17],
2.Cor.5,d, 29,20. ſicut infrà copioſius dicemus: ſed legendam à quouis & cognoſcendam Scripturam
19 Heb.10,d,18. dicimus, hactenus vt in germaoa verbi explicatione quæ in Eccleſia traditur ſeipſum
confirmet, & pſeudoprophetas dignoſcere & cauere poſsit. Sed & illud adiicimus, tan-
20 1.Cor.14,f, 27,28. tum abeſſe vt lectio ſacrarum literarum, adhibito eo quod requiritur à fidis omnibus
21 2.Tim.3,d,7 25,16,17. paſtoribus, nempe vt eas fideliter interpretentur[18], noo autem vt deiotegrò Chriſtum
offerant[19], vel lingua peregrina vociferentur[20]: tantum, inquam, abeſſe vt ea res pa-
22 Ro.15,a,4. riat diſsidia & hæreſes, vt è contrario contendamus nulla alia ratione poſſe ex homi-
Luc.1,c,18. nũ cordibus hæreſes extirpari[21]. Denique quiſquis ſacrorum librorum lectione homi-
23 Luc.1,g,77. Act.13,d,26. nibus interdicit, ſciat ſeſe omnem ſpem certæ conſolationis[22] ac ſalutis[23] illis adi-
Eph.1,c,13. mere.

24 2.Cor.2,d,15 16. *XXVIII. Quomodo vtatur Spiritus ſanctus externà Euangelij prædicatione ad fidem in Electis gignendam, & indurandos reprobos.*

25 1.Cor.3,b, 7,8. Quemadmodum exterior prædicatio Euangelii eſt odor mortifer rebellibus qui ad-
26 Hebr.4,c,12 uerſus illam ſemetipſos obdurant: ita odor eſt viuificus filiis Dei[24]. Id verò non accidit
Iac.1,e,18. quaſi vis illa ſaluifica vel ipſis vocabulis, vel ipſius verbi miniſtris inſit, ſed ideo potius
1.Pet.1.d,13. quòd Spiritus ſanctus, de cuius officio diſſerimus[25], hac extetna prædicatione veluti
27 Act.16,c,14. canali ac vehiculo quodam vtens, ad intimas vſque mentis partes penetrat, vt teſta-
Ephe.1,d,18, 19. tur Apoſtolus[26], vt, pro ſua bonitate ac miſericordia, primùm omnium reddat intelli-
28 2.Cor.3,b,6, gentiam Filiorum Dei capacem cognoſcendi myſterii ſalutis in Chriſto Ieſu[27]. De-
7,8,c,10,11, d,14,16. inde etiam vt eorum iudicium inſtauret, vt tanquam Dei ſapientiam approbent idip-
ſum quod ſenſus carnis habet pro ſtultitia[28]. Præterea vt eorundem voluntatem mu-
29 Phi.1,d,29. tet & corrigat, adeò vt ardenti ſtudio amplectatur & ſibi applicet remedium illud v-
Act.13,g,48. nicum in Ieſu Chriſto[29] oblatum, aduerſus deſperatiooem, in quam neceſſe eſſet in-
30 Eph.2,a,1,4, 5. cidere & impelli per Legis prædicationem[30]. Ita igitur Spiritus ſanctus, per Euange-
31 Rom.6,a,14. lii prædicationem, vulnus ſanat quod prædicatio Legis aperuit & deterius effecit[32];
ita, in-

ita, inquam, Spiritus ſanctus per Euangelii prædicationem in nobis creat Dei donum, cuius ea vis eſt vt ſtatim in Ieſu Chriſto apprehendat quicquid ad ſalutem requiritur, ſicut antea demonſtrauimus.

XXIX. De altero fructu prædicationis Legis, qui conſequitur efficacem Euangelij declarationem.

Oſtendimus hoc eſſe non minimum effectum Ieſu Chriſti in nobis habitantis, quòd
in nobis creet cor mundum [1], vt ſciamus [2], velimus, & faciamus quæ Dei ſunt [3], id eſt, vt 1 Pſ.51.c.12.
Deo placere libenter ſtudeamus [4], pro eo quòd antea eramus mancipia peccati [5], ho- 2 Ier.24.c.7.
ſtes Dei [6], & ad omnem bonam cogitationem prorſus inepti [7]. Hæc verò cauſa eſt, cur 3 Phi.2.b.13.
noſtra mutata conditione, prædicatio Legis aliter etiam in nobis operetur, adeò vt 4 Ro.7.d.22.
quum antea nos terreret, incipiat nos [8] conſolari: quumq́ue paratã nobis condemna- 5 Ro.6.d.22.
tionem oſtenderet, præeat nobis vt bonorum operum iter ingrediamur [9], ad quæ vide- 6 Eph.2.c.12.
licet præparati ſumus, vt in eis ambulemus. Denique vt, cùm antea nobis eſſet durum 7 2.Co.3.b.5.
& intolerabile iugum, grata & iucunda nobis exiſtat [10]: ſi hoc vnum excipias, quòd ma- 8 2.Io.2.c.17.
gna in nobis triſtitia relinquitur ex eo quòd propter reliquias carnis contra Spiritum 2.Pet.1.b.11.
certantes, non poſſumus omni ex parte præſtare quod volumus [11]. Nihilominus tamẽ c.12.
quoniam fides, quæ certum eſt teſtimoniũ Spiritus Dei clamantis in cordibus noſtris [12], 9 Ier.31.f.33.
certò nobis affirmat maledictionem Legis deletam eſſe ſanguine Ieſu Chriſti qui cum Ro.7.d.22.
per fidem coniuncti ſumus [13]; & eadem fides certiores nos facit fore vt tandem aliquã- 10 Matt.11.d.30.
do Spiritus ſuperior euadat, atque adeò vt mors ipſa nobis ad certam victoriam aditum 11 Rom.7.d.24.
patefaciat [14]: idcirco omnis illa triſtitia nullam in nobis deſperationem gignit, ſed efficit 25.
potius vt eò ardentius patrem illum cæleſtem inuocemus, à quo in dies magis ac magis 12 Rom.8.c.15.
confirmamur [15]. Ita fit vt quibuſdam velut gradibus vera in nobis conuerſio ſiue pœ- 16.
nitẽtia, vel reſipiſcentia potius perficiatur, vtpote quæ incipiat, ſicut ſuo loco diximus, 13 Rom.8.a.1.
à ſerio peccati ſenſu (quẽ vulgò Contritionem appellant) & deſinat in veram emenda- 14 Ioh.5.d.24.
tionẽ hominis interioris & exterioris [16]. Quamobrem hinc quoque colligimus eos quos 1.Cor.15.d.
ſeriò pœniteret, neceſſariò ſua peccata confiteri apud eos quidem quorum intereſt, id eſt, 26.g.54.
quos priuatim offenderunt, vel etiam apud Eccleſiæ cœtum quum ita opus eſt: atque He.2.d.14.
etiam quoad eius fieri poteſt illis ſatiſfacere, quoniam ſi hæc abſint, fictam eſſe pœniten 15 Rom.8.d.23.
tiã conſequitur. Ex his verò facilè animaduerti poteſt, veram confeſsionem quæ à Deo 24.25.26.
conſtituta eſt non modò non repudiari à nobis, ſed etiam vt neceſſariam requiri: quan- 16 Philip.3.c.12.
uis minimè velimus conſcientias torquere commẽtitia illa Cõfeſsione auriculari ab ho- 13.
minibus excogitata: & quod ad Deum attinet, nullam aliam ſatiſfactionẽ agnoſcamus
quàm vnicum Ieſu Chriſti ſacrificium.

XXX. De altero inſtrumento quo vtitur Spiritus ſanctus vt nos efficiat Ieſu Chriſti participes, & quibus de cauſis Dominus non acquieuerit in nuda & ſimplici prædicatione Verbi.

Diximus Sacramenta eſſe alterum illud inſtrumentum quod adhibet Spiritus ſan- Vide Augu-
ctus vt nobis applicet quicquid ad ſalutem noſtram requiritur. Quoniam autem voca- ſtinum lib. 2.
bulo Sacramenti interdum ſignificatur omne ſignorum genus quæ ſacris & ſpirituali- de doctrina
bus rebus verbis ſignificandis adhibentur: idcirco eius vocabuli ſignificatio in primis Chriſtiana,
accommodanda eſt ad id de quo agere conſtituimus. Illud igitur primùm omnium cap.1.2.3.4.
ſciamus oportet, Deum noſtrum, quum pro ſumma ſua miſericordia vti conſtituerit Vide Chryſoſtomũ homel. 83. in Matthæũ
miſera noſtra natura ad bonitatem & patientiam ſuam declarandam, noluiſſe nobis
ſimpliciter duntaxat ſeipſum patefacere, & viam nobis ad ſalutem quaſi eminus com-
monſtrare, quanuis hac etiam in re vtatur incomprehenſibili quadam clementia &
miſericordia, dũ ad declarandã nobis ſuam voluntatẽ vtitur hominum ipſorũ opera [17], 17 Deut.18.c.15.
& nobiſcum inſtar nutricis veluti balbutit [18]: ſed præterea, vt infinitè bonum & cle- Phi.2.a.7.
mentem ſeſe nobis præberet, ad Verbi prædicationem adiicere voluiſſe quoſdam ri- 2.Cor.5.d.19.
tus, quibus homines, etiam maximè craſsi & rudes, excitarentur ad certò ſibi per- & 20.
ſuadendum, Deum minimè cum hominibus ludere quum æternam vitam eis in morte 18 1.Theſ.2.b.7.
Filii ſui proponit. Ea enim vis eſt iſtorum ſiue ſignorũ ſiue rituum, vt omnes ſenſus non aliter cogantur Euangelii promiſsionibus aſſentiri, quàm ſi in rẽ ipſam præſentem adducerentur. Non diſsimili ratione, ſi libeat incomprehenſam Dei bonitatem humanis quibuſdam ſimilitudinibus adumbrare, hunc morem videmus in pleriſque iudicum tribunalibus obtinere, vt cùm rei cuiuſpiam, vel dominium, vel poſſeſsionem alicui attribuerint, quaſdã prætereà cæremonias adhibeãt quibus ille in poſſeſsionem mittatur. Ita etiam in ciuilibus contractibus, quanuis publicus tabellio teſtium nomina adſcri-

pſerit, & ipſi inſtrumento ſubſcripſerit: ſolet tamen ciuitatis aut principis ſigillum ap-
1 Ro.4,b,11. poni, vt prorſus validum & authenticum inſtrumentum habeatur [1]. Deus igitur no-
ſter iam inde ab initio non contentus Adamo ſignificaſſe gratiam illam qua conſtitue-
rat Eccleſiam ſuam ſeruare in Filio ſuo, adiecit ſacrificia, vt viuas vnici illius ſacrifi-
2 cij figuras, per quas videlicet Eccleſia in ſpe futuræ redēptionis confirmaretur [2]. Dein-
Heb.11,a.2. de verò quum hoc ipſum fœdus gratiæ & miſericordiæ cum Abrahamo rurſus ſanci-
3 Gen.17,b,10 11. ret, adiunxit Circuncisionis Sacramentum [3]: ac demum etiam Moſis temporibus
4 Exod.12. Agnum illum Paſchæ [4], cum aliis cæremoniis penè infinitis, quæ totidem erant ima-
gines eorum quę Chriſtus ſuo tempore impleret, ſicut Apoſtolus copioſè & luculen-
ter in epiſtola ad Hebræos oſtendit. Tandem autem quum aduenißet tempus à Deo
conſtitutum, Ieſus Chriſtus omnes illas futuri ſui aduentus figuras aboleuit: ſed ita vt
5 quanuis veteres illas vmbras ſuo fulgore diſpulerit, & mundum docuerit puriore
Ioh.4,c,21,d, 24,25. quadam ratione, id eſt, in Spiritu & veritate Deum colere [5]: nihilominus tamen
6 Ro.8,d,24. craſſæ illius & rudis noſtræ naturæ maximam habuerit rationem: atque ob eam cau-
1.Cor.13,c,9. ſam, quò melius fidem noſtram aleret ac foueret, pauca quædam ſigna exteriora ad-
7 Eph.4,d,15, 16. iunxerit æterni Verbi prædicationi. Nam etſi Ieſus Chriſtus nobis regnum æternum
8 morte ſua iam acquiſiuit, tamen quandiu in hoc mundo hæremus, non aliter illud
Rom.6,a,3. Ga.3,d,27. poſſidemus quàm ſpe & expectatione [6], in qua neceſſe eſt vt quotidie magis ac magis
1.Cor.10,d, 16. confirmemur [7], ne animum deſpondeamus.

Aug.hom. 80 in 8. Ioh.tra- ctu.

XXXI. *Definitio Sacramenti.*

Ex iſtis facile eſt intelligere quid vocemus Sacramentum in tota iſta tractatione:
9 Ro.8,d,24. certa nimirum ſigna, ſiue certas notas, ac viſibilia teſtimonia à Deo ipſo conſtituta
10 in perpetuum vſum Eccleſiæ in hoc mundo peregrinantis: & eius auctoritate adiun-
Rom.4,b,11. 11 cta promiſſionibus Euangelii de gratuita Ieſu Chriſti ſalute, vt eò efficacius velut no-
1.Co.10,d,17 12 ſtris externis ſenſibus demonſtraret quod nobis per Verbum declarat [8], & per Spiritum
Rom.6,b,12, 13,14. ſanctum in cordibus noſtris efficit, quum ſalutem illam, quam ſola ſpe & fide in hoc
Ephe.6,c,13. mūdo poſsidemus [9], in cordibus noſtris obſignat [10]: pręterea vt ſacra & ſolennis cæremo
14,15,16,17, 18. nia nobis quotidie memoriam renouaret omnium officiorum quibus pręſtandis & ip-
13 Ioh.15,d.14, ſius maieſtati & proximis noſtris obſtricti ſumus [11] ex fœderis formula, qua nimirum
& 15,b,12. tenemur, eius Spiritus virtute freti [12], fortiter & conſtanter aduerſus carnem, mundum,
1.Ioh.4,c.11, 12. & Satanam certare, cumque pro Deo noſtro colere, & proximos noſtros propter eum
14 1.Cor.10,a,4. non aliter quàm nos ipſos diligere [13].

Auguſtinus aduerſus Fauſtum, lib. 19, cap.24.

XXXII. *Quod ſit diſcrimen inter veteris & noui fœderis Sacramenta.*

Hæc definitio vtriuſque fœderis Sacramentis communis eſt, in quibus tamen hæc
15 diſcrimina obſeruanda ſunt. ¶ Primùm, quòd vetera illa conſtituta ſunt ea conditione
1.Cor.10,c,11. He.10,a,1. vt Chriſtum venturum commonſtrarent [14], ac proinde vt in ipſius aduentu deſinerēt [15]:
16 He.12,g,27. noui autem fœderis Sacramenta ad conſummationem vſque ſæculi ſtabilita ſunt [16].
17 ¶ Alterum diſcrimen eſt in ſignis & ipſis ritibus multùm inter ſe diuerſis, vt res ipſa de-
1.Cor.10,a,2, 3.4. monſtrat [17]. ¶ Tertiò, differunt numero, & ipſa, vt ita loquar, ſignificandi menſura. Nā,
Auguſtinus lib. 2, contra vt præclarè inquit Auguſtinus [18], *pauciora habemus Sacramenta quàm veteres, ſed faciliora &*
Pelagianos cap.17. *vberioris ſignificationis, ac proinde maioris efficaciæ ad fidem noſtram confirmandam & promiſsiones in*
Item homil. *cordibus noſtris obſignandas.*
26,& 45. in Iohannem. Et hæc quidem ſunt diſcrimina Sacramentorum veteris & noui fœderis. Nam alio-
18 Auguſt in qui vnus & idem Deus auctor eſt vtrorūque [19], & idem omnium eſt ſcopus, nempe Ie-
epiſt. ad Ianuarium,& lib. 3. ſu Chriſti participatio ad vitam æternam, ſicut teſtatur Paulus [20], & confirmat quoque
de doctrina Chriſt.c.9. diſertè Auguſtinus [21].

19 Hebr.1,a,1.

XXXIII. *Quibus notis vera Sacramenta ab adulterinis diſtinguantur.*

20 1.Cor.10,a,2 3.4. Quum ex ipſa definitione liqueat Sacramenta eſſe à Deo cōſtituta tanquā σφραγίδας
Ro.4,b,11. Euangelicæ doctrinæ quæ in Eccleſia Dei annunciatur, ex eo conſequitur, vbi nullum
21 Auguſtinus in eſt Dei verbum, ibi nullum vel fidei vel Sacramentis locum relinqui [22]. Ex quo rurſus
Io. annē, tra- ctatu 26.& duo efficiuntur magnopere obſeruanda.
ſæpe aliàs. Vnum, Cæremonias omnes ac ritus ab hominibus excogitatos vt pars eſſent diuini
22 Auguſtinus in cultus, totidem eſſe ſacrilegia. Quemadmodum enim vnius Dei eſt promittere, ita pe-
Iohan. homilia 13,& 30. nes vnum illum reſidet auctoritas ſigilli conſtituendi, & ſuis promiſsionibus apponen-
23 di [23]. Quicunque igitur eò proruperunt audaciæ, vt vel noua Sacramenta fabricarent,
Ga.1,d,8,9. 1.Cor.11,c,23. vel iis quæ à Deo conſtituta ſunt aliquid adiicerent vel detrahetent, crimine falſi te-
nentur,

nentur, quò fit vt Eccleſiæ noſtræ in iis acquieſcant quæ Deus verbo ſuo conſtituit.

Alterum, vbicunque verbum Dei non prædicatur in ipſa Sacramentorum adminiſtratione, ſed duntaxat recitatur, idque peregrina & incognita lingua, & infinitis hominum commentis atque adeò blaſphemiis contaminatum, ibi horrendam Sacramentorum Dei pollutionem interuenire, à qua fideles omnes toto pectore neceſſe eſt abhorrere.

XXXIIII. *De iis quæ communia ſunt Verbo & Sacramentis.*

Ad illa de quibus diximus adiicere etiam oportet tractationem, ex qua intelligatur quid inter ſe commune & quid proprium ac peculiare habeant Verbum & Sacramenta.

Primùm igitur hoc eſt vtriſque commune, quòd vtraque ſunt inſtrumenta quibus vtitur Spiritus ſanctus in eundem finem, nempe vt nos magis ac magis cum Chriſto vnum efficiat, ex quo poſtea ſalutem noſtram hauriamus [1].

Secundò, quòd Spiritus ſanctus ita vtitur & prædicato Verbo, & Sacramentis, tanquam inſtrumentis gratiæ ſuæ, vt nihilominus tamen ſuam efficaciam in illa inſtrumenta non transferat, ſed efficacia & virtus omnis ab eo vno promanet [2].

Tertiò, quemadmodum antea diximus Verbi prædicationem nihil nos iuuare, niſi in primis ita nobis annuntietur vt à nobis poſſit intelligi: deinde, niſi quod per illud proponitur & offertur, id eſt, Ieſus Chriſtus cum omnibus ſuis donis, per fidem applicetur auditorum cordibus: ita etiam de Sacramentis ſentiendum eſt. Niſi enim ad ea percipienda fidem afferamus, id eſt, vnicum illud inſtrumentum per quod percipiamus quod nobis ipſa Sacramenta annuntiant & teſtantur, tantum abeſt vt nobis ad ſalutem proſint, vt è contrario, quoniam illa negligimus aut potius Chriſtum in ipſis aſpernamur, condemnationem in nobis obſignent [3]. Interea tamen ſicut Euangelium ſemper eſt ſuapte natura verbum vitæ & ſalutis, quanuis ab incredulis vertatur in odorem mortiferum: ita etiam Sacramenta in ſeſe non deſinunt vera eſſe Sacramenta, quanuis ab indignis, aut reprobis etiam hominibus, vel adminiſtrentur vel percipiantur. Neque enim poteſt hominum improbitas naturam diuinæ ordinationis peruertere [4].

Quartò, quemadmodum præſtantiſsimum quoduis ſemen fructum non edit eo ipſo momento quo ſeritur, ſed neceſſe eſt vt aliquandiu in terra reſideat: ita etiam ineptè fecerit qui virtutem & fructum aut Verbi aut Sacramentorum ad illud temporis momentum reuocarit, quo prædicatur Verbum & adminiſtrantur Sacramenta, quum & illius & iſtorum fructus in electorum animis eo demum tempore ſeſe exerat quod eſt à Deo conſtitutum.

[1] Rom. 4. b, 11. 1. Cor. 10, 3, 20, 3, 4.
[2] Ro. 2, d, 29. 1. Cor. 2, c, 11.
[3] Augustinus homil. 13. in Iohan. 1. Cor. 10, 2, 5, & 11, f, 27, 29. 1. Petr. 3, d, 21. Act. 15, b, 8, 9. Auguſtin. lib. 3. de doctrina Chriſtiana cap. 9.
[4] Auguſt. Homilia 26. in Ioh. Item lib. 2. contra Parmenianum cap. 8. Item lib. 2. cap. 22. contra Petili.

XXXV. *Quid habeant proprium & peculiare Sacramenta, eius quidem finis reſpectu propter quem à Deo ſunt conſtituta.*

Et hæc quidem præcipuè ſunt Verbo & Sacramentis communia, quibus nunc ſubiiciemus quid ſit & illi & iſtis proprium.

Primùm, quoniam conſtat Sacramenta eſſe veluti Verbi appendices [5], & in eum vſum adhiberi vt obſignent quod iam in nobis ineſt, nempe noſtram cum Ieſu Chriſto communionem [6], ex eo etiam liquet oportere vt in adultis hominibus ſimplicis Verbi prædicatio antegrediatur vnà cum clara fidei profeſſione, antequàm ritè cuiquã exhibeantur. Nam quod attinet ad paruulorum Baptiſmũ, peculiaris quędam eſt habenda illorum ratio, ſicut ſuo loco dicemus. Itaque in nullã Eccleſiam rectè conſtitutã vllus paganus vnquã fuit admiſſus niſi qui Catechumenus fuiſſet, & fidei confeſſionẽ prius edidiſſet [7], quàm ad Baptiſmũ reciperetur: quã ob cauſam etiã Paulus agens de Cœna Domini, requirit vt quiſque ſeipſum probet [8]: quod ſanè facere non poſsit qui probationis regulam, id eſt, doctrinam, non teneat.

Secundò, poteſt Verbum eſſe abſque Sacramẽtis, vt in quotidiana Verbi explicatione tum priuata tum publica, eâque etiã efficaci, vt in Cornelio apparuit [9]: Sacramenta verò abſque Verbo non item [10]. Nam inſtrumenta nonnunquam valida ſunt etiam non appoſito ſigillo: eſt autẽ ſigillum inutile atque adeò ſigilli nomen non meretur, niſi ſit appoſitum inſtrumento, eius confirmandi cauſa.

Tertiò, quum abſque fide nulli pateat aditus ad Chriſtum & vitam æternam [11], & prædicatio Verbi ordinarium ſit inſtrumentum Spiritus ſancti ad fidem in nobis procreandam [12], conſequitur prædicationem Verbi eámque efficacem ſequi in omnibus

[5] Auguſt. homilia 13. in Ioh.
[6] Ro. 4, b, 11. Vide omnes veteres Scriptores, nominatim Iuſtini Apologeticũ.
[7] Act. 4, f, 37, & 11, c, 17.
[8] 1. Cor. 11, f, 28
[9] Auguſt. quæſtion. in Leuiticum, quæſtione 84. Act. 10, 2, 3, 4 & g, 44, 45, 46, 47, & 11, c, 17.
[10] Aug. hom. 15. in Ioh.
[11] Ro. 14, d, 23. Ioh. 3, d, 36. Heb. 11, b, 6.
[12] Ro. 10, c, 17.

adultis,ad hoc vt ſeruati poſsint, niſi quum Deo libuit extra ordinem operari in eorum cordibus. Sed alia eſt Sacramentorum ratio. Quum enim ſola fide percipiatur res ipſa Sacramentorum,fides ad eorum perceptionem affectatur neceſſe eſt, ne indignè percipiatur [1]. Iam verò qui fidē habet,Chriſtum habet,ac proinde vitam æternam [2], quò fit vt prius nos oporteat veluti ius & titulum,vt loquuntur,in regnū cæleſte habere quàm dignè poſsimus Sacramenta percipere [3], tantum abeſt vt qui fidem habet, nec potuit Sacramentis potiri, propterea certa ſpe ſalutis excidat. Itaque non eò vſque pertingit neceſsitas percipiendorum Sacramentorum, vt ſine exceptione quiſquis Sacramentis non fuerit potitus,ſalute excidat:ſed hactenus duntaxat,vt qui ea ſpreuerit,quum ſeſe infidelem declaret, reus ſit mortis æternæ,niſi culpam agnouerit & reſipuerit. Rectè igitur teſtatus eſt Bernardus [4],non dānare Baptiſmi priuationē ſed contemptum. Non poteſt autem videri Sacramenta contempſiſſe cui non licuit ea ita percipere vti ſunt à Domino conſtituta,& abſit vt vllos neceſsitatis caſus imaginemur, in quibus liceat ordinationem Domini violare, ſicuti ſanè faciunt, vt mihi quidem videtur,qui Baptizandi miniſterium ad mulieres vel priuatas vllas perſonas tranſferunt: quique extra publicum cœtum & temporibus ab Eccleſia non præſcriptis, Cœnam Domini adminiſtrant.

1 Heb.11.b,6.
2 Ioh.6,c,49. f,56.
3 Actor.4,g,37. & 10,g,47,& 8,g,36,17.
4 Bernardus epiſt.77.

Quartò,quum ſimplex verbi prædicatio vnum duntaxat ex quinque illis noſtris ſenſibus feriat: Sacramenta verò præterea in oculos incurrant, & reliquos etiam noſtros ſenſus excitent,atque adeò, adhibitis maximi momenti ritibus adminiſtrentur: facilè intelligi poteſt quantum illorum vſus fidei noſtræ conferat [5], vtpote quæ nos veluti in rem præſentem adducant, quaſi Chriſtum ipſum quodammodo manibus iam palpemus,& oculis cernamus,& toto corpore ſentiamus. Tātum abeſt igitur vt aſpernemur Sacramenta,vt è contrario fateamur illorum vſum & commoda non poſſe ſatis commendari,& pro ſua dignitate prædicari.

5 Chryſoſt. homilia 83. in Matth.

XXXVI. Duo tantùm eſſe Sacramenta Chriſtianæ Eccleſiæ.

Eiuſmodi Sacramenta, quorum vſus in Eccleſia ſit perpetuus & vniuerſalis, duo tantùm eſſe cenſemus ex Dei verbo, conſentientibus etiam nominatim Auguſtino [6] & Ambroſio [7]: Baptiſmum videlicet, qui Circunciſioni ſucceſſit & reliquis Legis purificationibus: & Cœnam Domini, quam agnus Paſchæ adumbrauit. Hæc igitur vt penitus à nobis cognoſcantur, primùm de illis in genere, deinde de vtroque ſeorſim agemus.

6 Auguſt.lib.4. de doctr. Chriſtiana cap. 9. plura non recenſet.
7 Ambroſius in tractatione de Sacramentis,non facit aliorum mentionem.

XXXVII. Quatuor eſſe præcipua capita conſideranda in Sacramentorum explicatione.

Quatuor præcipuè cōſideramus in hac tractatione de Sacramentis. ¶ Primùm, quæ & cuiuſmodi ſint ſigna,& quo ſenſu ſigna dicantur. ¶ Secundò, quidnam illud ſit quod per illa ſignificatur. ¶ Tertiò,quæ ſit ſignorum & rei coniunctio. ¶ Quartò, quomodo tum ſigna,tum res ipſas percipiamus.

XXXVIII. Primum caput, quid ſit ſignum, & quamobrem Deus res penitus vulgares in conſtituendis Sacramentis delegerit.

Signorum nomine vtimur in explicandis Sacramentis,non vt inane quiddam ſignificemus,perinde ac ſi res quæpiam nobis vel in pictura vel nuda quapiam nota, vel figura ſignificaretur, ſed vt declaremus Dominum,pro ſua inſigni bonitate, externis & corporeis rebus vti, noſtræ infirmitatis ſubleuandæ cauſa, ad res maximas & diuiniſsimas, quas intus nobis verè per Spiritum ſuum communicat, externis noſtris ſenſibus adumbrandas: adeò vt non minus verè donet rem ipſam de qua mox dicemus, quàm externa illa & corporea ſigna. Præterea ſignorum vocabulo non tantùm comprehendimus corporea illa, vt aquam in Baptiſmo, panem & vinum in Cœna Domini: ſed hoc etiam nomine comprehendimus ipſas cæremonias, ſiue ritus ipſos myſteriorum, qui minimè ſunt inanes, quò fit vt iis quoque nihil etiam addendum aut detrahendum putemus. Sed & illud obſeruandum eſt [8], Dominum cui perſpecta eſt naturæ noſtrę vanitas ad idololatriam procliuis, pauca omnino Sacramenta in Nouo fœdere, id eſt, duo duntaxat conſtituere voluiſſe, eáque ſimpliciſsimis tum ſignis, tum ritibus conſtantia. Adhibuit enim aquam, panem, vinum pro corporeis ſignis. Ritus autem ſunt, aſpergere, edere, bibere, quibus rebus nihil eſt inter homines frequentius: nempe ne miſeri mortales in iſtorum myſteriorū vſu, idcirco inſtitutorum vt ſeſe in cælum vſque ſubleuent, è contrario in rebus terreſtribus hæreāt, & obſtupeſcant.

8 Augu.epi. 58. Chryſo.homil.60. ad populum.

Hoc igi-

Hoc igitur Dei conſilium vel non cognouerunt, vel de induſtria conati ſunt impedire quicunque cæleſti illa ſimplicitate non conrenti, putarunt ſe poſſe ſuis commentis Sacramentorum dignitatem ornare: quod illorum præpoſterum iudicium effecir, vr Sacramenta in fœdam & execrandam idololattiam degenerarint.

XXXIX. De illorum errore qui ſubſtantiam ſignorum abolent in Sacramentis.

Signa, prærerquàm quòd ſunt veluti myſteriorum ſubiecta de quibus res ipſa verè prædicetur, quò fit vr ſublatis ſignis tota actio exinaniarur, mirã quoque conuenientiã & analogiam habent cum iis rebus quarum viuæ ſunt imagines, proprer characterem illis ex Dei verbo imptesſum. Ex iis ergo conſequitur, omnem Sacramentotum rationem ab iis tolli qui tradunt ſubſtantiam ſignorum quaſi magica quadam incantatione vel mutari, vel aboleri.

XL. De mutatione rerum corporalium in Sacramentis.

Signa igitut in Sacramentis neque quoad ſubſtantiam, neqne quoad qualitates naturales aut quantirates mutantur, ſed duntaxat quoad finem & vſum, cuius gratia in Eccleſia Dei proponuntut: quoniam videlicet incipiunt nobis verè ſignificare res planè cæleſtes & diuinas, idque non ex ſui natura, ſed ex Filii Dei ordinarione. Eſt enim aqua, ſi naturalem vſum ſpectes, ad ablnendas corporis ſotdes comparata: panis autem & vinum ad hanc ſuſtinendam vitam: quæ res in Sacramentis longè alium in finem adhibentur, nempe vt noſtræ ſalutis myſteria velur noſtris oculis ſubiiciant, ſicut mox explicabimus[1]. Quòd ſi libet quibuſdam humanis ſimilitudinibus res iſtas tam ſacras illuſtrate, non diſsimilem rationem eſſe dicemus cerę, quæ vel principis vel ciuitatis alicuius impreſſo ſigno adhiberi ſolet publicis inſtrumentis confirmandis, vtpote quæ natura vel ſubſtantia nihil à quauis ceta differat, ſed vſu longè latéque diſsideat: adeò vt qui ceteum eiuſmodi ſignum corruperit, capitali læſę maieſtatis crimine teneatur. [1] Iren. li. 4, cap. 34.

XLI. Vnde proficiſcatur mutatio rerum quæ in Sacramentis adhibentur.

Mutatio hæc minimè pendet à reciratione vllorum verborum, ſicut Sophiſtæ & impoſtores tradunt, ſed à Dei ordinatione in ipſius Verbo comptehenſa. Eſt igitur verbũ, id eſt, ipſa inſtitutio Chriſti, ſicut ab Euangeliſtis & Paulo explicatur, veluti ipſa Sacramentalium ſignorum aaima, quoniam, ſicur in Vetbo nobis declaratur, aqua, panis & vinum fiunt Sacramenta, ideſt, vera ſigna & ſigilla eorum quæ nobis in Vetbo promittuntur, & per ipſa verè ſignificantur.

XLII. Mutationem hanc non eſſe perpetuam.

Quum hæc mutatio vſum dũtaxat eúmque publicum in Eccleſia reſpiciat, ex eo efficitur extra Sacramentorum adminiſtrationem, ſiue actionem ipſam myſteriorum nullum ei locum relinqui: quò fir vt quicunque vel aquæ Baptiſmi ſanctitatē aliquam affigunt, vel panem Cœnæ vt rem aliquam cæleſtem, nedum vt ipſum Domini corpus, circunferunt & adorant, teneantur duplicis idololatriæ crimine, cui nihil prorſus habēt quod meritò prætexant. Primùm enim execranda eſt ſuperſtitio, ad ſigna quæ in terris ſunt, eum honotem transferre qui ad eum vnum ſpectat qui in cælis eſt. Deinde quum extra Baptiſmi actionem, nec aqua ſit Sacramentum, ſed aqua ſimplex: nec panis aut vinum ſint corporis & ſanguinis Domini ſymbola, ſed panis duntaxat & vinum, ne Sacramenta quidem adorant religioſi iſti homines quum hæc adorant, ſed meras & ſimplices Dei creaturas, quæ ſi loqui poſſent, procul dubio tantum ſcelus ſuis cultoribus exprobrarent.

XLIII. Secundum caput, in quo agitur de re ipſa Sacramentorum.

Ptomiſſiones quibus adhibentur Sacramenta, quaſi authentica quædam ſigilla, in vnum Chriſtum reſpiciunt[2]. Itaqne ipſe Ieſus Chriſtns in primis, deinde omnes opes quas in ſeſe babet, vnicũ illud ſunt quod nobis clementiſsimus Pater donat ad vitã æternam, ſicut per ſigna viſibilia verè & certò nobis ſignificat, & ſicut ſonat vetbum ſignis adiunctum, vt fides per quam vnam poſſumus oblatum illnm theſaurum recipere, magis ac magis in nobis excitetur, ac confirmerur. Et quoniam bæc noſtri cũ Chriſto coniunctio ſingula Eccleſiæ membra reſpicit, ideo mutua illa cõiunctio quæ inter eiuſdem corporis membra vigere debet, alter eſt Sacramentorum finis. [2] Gal. 3, d. 27. 1. Cor. 10, d. 30.

XLIIII. Tertium caput, in quo quæritur quomodo res ipſa, id eſt, Ieſus Chriſtus, dicatur cum ſignis coniungi.

Non dubium eſt quin Deus, qui ſummè fidelis eſt, præter ſigna viſibilia, rem ipſam

quoque, id eſt, Ieſum Chriſtum vnà cum omnibus ipſius opibus, verè & abſque vllo dolo fruendum ſemper offerat, qua ratione dici poteſt ac debet (Dei videlicet promittentis reſpectu) res ipſa cum ſignis ſemper & verè eſſe coniuncta. Id autem fit non certa quapiam virtute vocabulorum vel ſyllabarum, ſicut magi & faſcinatores exiſtimant: neque vllo coniunctionis modo naturali vel locali, vt loquuntur: (neque enim Ieſu Chriſti corpus eſt imaginarium, vel inuiſibile, vel incircunſcriptum, vel denique vllo modo infinitum) neque propter aliquam ſanctimoniam eius qui hæc ſacra peragit, (pendent enim iſta à ſolius Dei, non autem hominum auctoritate) ſed ſola Spiritus ſancti potentia & virtute, qui efficit vt ille ipſe Ieſus Chriſtus, qui nunc, quatenus homo eſt, non eſt alibi quàm in cælis, ſicut Scriptura teſtatur, nobis tamen qui in terris ſumus, non minus verè donetur quàm ſigna ipſa de quibus diximus: quatenus videlicet fides noſtra eum contemplans in Sacramentis, ſicut expreſſa promiſſio teſtatur, in cælum vſque conſcendit, vbi verè eum complectitur magis ac magis, & credentium animis inſinuat.

XLV. *Diſtinctio ſignorum & rei.*

Veriſsima quidem & arctiſsima eſt iſta coniunctio, ſed in qua tamen illud magnopere eſt obſeruandum, non eſſe abolendam ſignorum ſubſtantiam, ſiue materiam: neque ſigna cum rebus eſſe confundenda, ſed diſtinguenda, vtpote quæ coniunctim quidē, ſed diſtinctè tamen à Deo nobis donentur: ita vt ſæpenumero, quemadmodum mox oſtendemus, qui ſigna ſumit, nihil minus quàm rem ipſam percipiat.

XLVI. *Quartum caput, in quo quæritur quomodo tum ſigna, tum res ipſas percipiamus.*

[1] Irenæus li. 4. cap. 34.

Quoniam, vt modò diximus, ita ſunt coniunctæ res ipſæ cū ſignis vt tamen vnum ab altero diſtinguatur [1], affirmamus ſigna exteriora naturali modo percipi, tum à fidelibus, tum ab infidelibus, ſed contrario prorſus euentu. Quoniam enim fideles præter ſigna res etiam ipſas percipiunt, inde nimirum conſequuntur fidei confirmationem, ad ſalutem & vitam æternam: infideles verò, quoniam ſola ſigna percipiunt, & ita quidem vt res ipſas quas Deus illis non minus verè quàm ſigna offerebat, ſuo contemptu polluant quantū in ſe eſt, & contumelia afficiant, iudicium & condemnationem ſibi ſumunt. Et hæc quidem de ſignorum perceptione. Quod autem ad rem ipſam attinet, id eſt, ad Ieſum Chriſtum cum omnibus ipſius opibus, iam antea demonſtrauimus fidem eſſe vnicum illud inſtrumentum per quod Chriſtus à nobis apprehendatur [2]. Hinc verò conſequitur, rem ipſam Sacramento totū ab eo non poſſe percipi qui fidem non afferat, & è contrario ab eo verè percipi qui veram fidem afferat, idque non dētibus, aut ventre, aut vllo craſſo & corporali modo, vel qui veritati & aſcenſioni corporis Domini repugnet, ſed ſpirituali modo per fidem [3], eóque non minus certo & efficaci quàm ſi naturalis eſſet. Tanta enim eſt fidei virtus, aut Dei potius, cuius verbo & Sacramentis fides credit, non vt Chriſti carnem è cælis eliciat (ibi enim manſura eſt donec ipſe veniat iudicaturus viuos & mortuos, ſicut Scriptura teſtatur [4], cui fides reluctari nec vult nec poteſt) ſed è contrario ſeſe in cælum vſque ſubuehat promiſſionibus Dei freta, ibique verè & efficaciter Chriſto illos vniat, &, vt ita loquar, incorporet, in quorum animis ipſa ineſt. Quamobrem etiam in vetere liturgia, iam olim recepta fuit vox illa SVRSVM CORDA: quibus verbis iubebantur fideles non obſtupeſcere in externis ſignis, ſed illis potius tanquam ſcalis vti, vt in cælum vſque ad Chriſtum penetrarent.

[2] Auguſt. ſermone de Sacramentis, in ſecunda feria Paſchæ. Proſper lib. ſententiarum. Innocentius li. 3. cap. 4. 13. 14.

[3] Cyprianus de Cœna Domini. Auguſt. in Ioh tracta 25. Origenes in Matth. ca. 15.

[4] Act. 3, d, 21.

XLVII. *Applicatio ſuperioris doctrinæ ad Baptiſmi Sacramentum.*

Signa Baptiſmi vocamus, primùm omnium aquā, deinde cęremonias eius ſubſtantiales, in verbo Dei perſcriptas, quibus nefas eſſe arbitramur quicquam adiicere vel detrahere: nempe Aſperſionem aquæ, Moram ſub aqua, & Emerſionem ex aqua.

Res ipſa Baptiſmi eſt [5], Aſperſio ſanguinis Ieſu Chriſti, in remiſſionem omnium peccatorum, & imputationem iuſtitiæ ipſius, quæ velut oculis noſtris ſubiiciuntur adhibito externæ aſperſionis ſigno. Præterea Mortificatio & ſepultura veteris hominis, id eſt, natiuæ noſtræ corruptionis, quæ in nobis perimitur & ſepelitur virtute mortis & ſepulturæ Ieſu Chriſti, quam ob cauſam dicimur Chriſtum induere in Baptiſmo, & cum eo crucifigi & ſepeliri, ſicut nobis in Baptiſmo repræſentat mora illa ſub aqua, tantiſper dum qui baptizatur emergat. Denique Regeneratio noui hominis in ſpem certam reſurrectionis Ieſu Chriſti (quo ſenſu mihi videtur Paulus dicere

[5] Act. 22, d, 16. Rom. 6. a, 3, 4. 1. Cor. 6. b, 11. & 15, d, 29. Eph. 5, f, 25, 25. Tit. 3 b, 5. 1. Pe 3. d, 21. Gal 3, b, 27. Col. 2, b, 12.

dicere eos qui baptizantur, baptizari pro mortuis [1]) verè repræſentatur, eò quòd baptizatus ex aqua velut ex ſepulchro emergit. Præterea, Baptiſmus complectitur externam & ſolennem Chriſtianæ religionis profeſsionem, per quam videlicet obſtringimus nos Ieſu Chriſto, agnoſcendo pro vero & vnico ſeruatore, & vitæ cum mutua charitate tranſigendæ, quum vno Baptiſmo in vnum ſpiritum baptizemur, vt cũ vno Chriſto coaleſcamus [2].

Verbum Dei vocamus in Baptiſmo, ordinationem Ieſu Chriſti cum promiſſione vitæ æternæ coniunctam, cuius hæc eſt formula, Baptizate in nomen Patris, Filii, & Spiritus ſancti: quicunque crediderit, & baptizatus fuerit, ſeruabitur [3].

Analogia ſiue conuenientia Rei cum ſigno maximè eſt propria & perſpicua. Neque enim vllum eſt elementum aptius abluendis corporis ſordibus quàm aqua, ideóque aptiſsimum eſt fidei noſtræ, repręſentando ſanguini Filii Dei, per quem vnum Eccleſia purificatur [4]. Præterea vna eadémque Baptiſmi forma in vnum eundémque finem omnibus communis, optimè teſtificatur ſummam illam coniunctionem omnium eiuſdem corporis membrorum [5].

Modus percipiendorum ſignorum naturalis eſt. Res autem ipſæ nobis communicantur, Dei quidem donantis reſpectu, per vnicum Spiritum ſanctum, qui gratis operatur in electis omnibus [6]. Vtitur autem Spiritus ſanctus, ſeipſum imbecillitati noſtræ accommodans, primùm quidem homine mortali ad hoc miniſteriũ in Eccleſia deſignato [7]. Deinde, verbo [8] clarè pronunciato & explicato, vt per fidem apprehendatur. Tertiò, ſignis & ritibus, de quibus paulò antè à nobis dictum eſt. Sed hoc in primis eſt obſeruandum, vim & efficaciam omnem in ſolidum manare à Spiritu ſancto, vt in genere Pauli dictũ illud retineatur, Neque qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat, ſed Deus qui dat incrementum [9].

Fides autem illud vnum eſt per quod homines rem Sacramenti ſibi applicant, vt verè dixerit Auguſtinus [10] nos Verbo purificari, non quòd duntaxat pronuncietur (id enim magicũ eſt) ſed cui pronunciato credatur. Porrò hæc fides non oritur à nobis, ſed gratuitò communicatur electis, quo tempore Deo libuit illos efficaciter vocare [11]. Deus autem is eſt qui ſuos electos nouit [12], quod arcanum illi, ſicuti par eſt, integrum relinquimus, quoties de proximis noſtris agitur. Interea tamen charitas iubet vt pro fidelibus agnoſcamus quotquot verè fidei confeſsionem edunt, tantiſper dum hypocritæ pateſiant [13].

XLVIII. De infantium Baptiſmo.

Quod ad infantes attinet, quãuis nobis non conſtet præditos eſſe habitu fidei quam diximus requiri ad rem Sacramentorum percipiendam [14]: neque veriſimile ſit, illo habitu præditos eſſe poſſe, qui nullum intelligentiæ vſum habent [15], niſi fortè Deus in illis peculiariter extra ordiõe operetur, qua de re nobis nõ liquet: tamen eos ad Baptiſmum admittimus [16], atque adeò in magno errore verſari affirmamus Catabaptiſtas, qui pædobaptiſmum reprehendunt.

Primùm, quoniam eandem eſſe dicimus rationem Baptiſmi & Circunciſionis, quæ à Paulo vocatur ſigillum iuſtitiæ fidei [17], & nihilominus tamen expreſſo Dei mandato iubentur omnes maſculi octauo die circuncidi.

Secundò, peculiaris quædam eſt ratio infantium ex fidelibus parentibus prognatorum. Nam vt illum fidei habitum in ſeſe non habeant qui in adultis fidelibus ineſt, tamen fidei ſemen & germen non poſſunt non habere, quos Dominus ab ipſo vtero ſanctificauit, & ab infidelium liberis diſcreuit [18], quoniam promiſſio à parentibus per fidem apprehenſa, eorum quoque liberos comprehendit in mille vſque generationes [19]. Quo iure igitur quiſpiam eis denegarit obſignationem eius rei quam Dominus iam illis eſt impertitus [20]? Quòd ſiquis obiiciat, non omnes eſſe electos, ac proinde non omnes eſſe ſanctificatos [21], qui ex fidelibus parentibus naſcuntur, quum ne Abrahami quidem, neque Iſaac liberos omnes Dominus elegerit, non deeſt quod reſpondeamus. Etſi enim hæc ita eſſe minimè inficiamur: tamen arcanum hoc iudicium Deo relinquendum eſſe dicimus [22], & in genere ex promiſsionis formula præſumimus ſanctificatos eſſe quicunque ex fidelibus parentibus, vel etiam altero duntaxat fideli parente nati ſunt, niſi quid obſtet vnde contrarium colligi poſſit [23]. Nam in adultis expreſſam fidei confeſſionem requirimus, non contenti nuda illa præſumptione de qua diximus: ſiue ad Baptiſmum [24] (putà ſi fortè nondum fuerint baptizati)

1 1.Cor.15,d,30
2 1.Cor.1,b,13. & 12,b,13. Eph.4,a,5.
3 Mat.28.d,19. Marc.16,b,16
4 1.Pe.3.d,21.
5 1.Cor.12,b.13. Eph.4,a,5.
6 Ioh.3,e,33. Act.11,c,15, 16,17. 1.Cor.12,b,13
7 Mat.18,d,19.
8 Eph.5,f.26. 1.Pe.3,d,21.
9 Mat.3,c.11. 1.Cor.3,b,7. 8.
10 Auguſt. in Ioh.hom. 80.
11 Eph.2,b,8. Phi.1,d,29. Gal.1,c,15,16. 2.The.3,2,20
12 2.Tim.2,c,19
13 1.Ti.5.d.24. 2.Tim.3,c,9.
14 Act.8,g,36, 37.
15 Deu.1,f,39. Ro.10,c,14, 17.
16 Luc.1,b,13.& d,4.
17 Ro.4,b,11.
18 1.Cor.7,c,14.
19 Ex.20,a,6.
20 1.Cor.7.c,14 Matt.19,b. 14.
21 Ro.9,b,6,7,8
22 2.Tim.2.9.
23 1.Co.7,c,14.
24 Act.8,g,37.

[1] 1.Cor.11,f,28 ſiue ad Cœnam Domini ſe poſtulent admitti [1]: quoniam videlicet quum intelligentia prędìti ſint, certius inde iudicium fieri poteſt, an ſint Sacramentis dignè percipiendis idonei, quantum quidem fert humanum iudicium. Nam hypocritas non poſſumus iudicare priuſquàm illos Dominus patefecerit [2].
[2] 1.Tim.5,d,14

Præterea, ſatis conſtat minimè inanes eſſe Eccleſiæ preces, quũ infantes Eccleſię per Baptiſmum inſerendi in publico cœtu proponuntur, qua eximia conſolatione nefas eſſe dicimus, vel parentes ipſos, vel eorum liberos priuare. Et hanc conſuetudinem ab ipſis vſque Apoſtolis ad nos manaſſe veteres teſtantur [3], vt minimè dubium ſit quin Dominus hoc impreſſo ſigillo quod cum precibus Eccleſiæ coniunctum eſt, æternam adoptionem in iis infantibus obſignet, quos ab æterno elegit: ſiue moriantur antequàm adoleſcant, ſiue ad eam vſque ætatem perueniãt in qua veræ fidei fructus edant, à Domino videlicet efficaciter vocati quo tempore & momento ipſi libuerit.
[3] Origenes li. 5. in epiſt. ad Rom. Et ſæpe in Actis Apoſtolicis dicuntur integræ familiæ baptizatæ.

XLIX. Cur Baptiſmus non reiteretur.

Baptiſmum diximus eſſe ſacramentum noſtræ inſitionis in Chriſtum & ipſius Eccleſiam: neque pendere ipſius efficaciam à baptizantis perſona. Iam verò quum quiſquis ſemel Chriſto verè datus eſt, quanuis interdum deflectat, nunquam tamen foras eiiciatur [4], ac proinde ſatis ſit ſemel receptum eſſe, nullo modo iis aſſentimur qui baptizatos ab hæreticis aut aliis impuris miniſtris rebaptizant: neque etiam ambigimus quin verus in Papiſtica Eccleſia Baptiſmus extet, quãuis à miniſtris minimè idoneis adminiſtretur, & infinitis pollutionibus contaminetur. Quoniam enim Dei miſericordiæ libuit Eccleſiæ ſuæ reliquias intra ipſum Papatum conſeruare tantiſper dum illam rurſus erigeret, idcirco noluit Satanæ tantum licere vt Baptiſmum, quo electi omnes conſociantur, penitus illic euerteret. Neque tamẽ conſequitur rectè facere qui liberos ſuos Papiſtis ſacrificulis offerunt baptizandos, quum id facere non poſſint quin ſeſe iiſdem ſacrilegiis & corruptionibus polluant: ac ſit potius piorum parentum officium, vel veris Verbi Miniſtris in vera Dei Eccleſia ſtatim liberos offerre ritè baptizandos: vel, ſi minus id licet, liberorum potius baptiſmum differre: quum neque eorum ſalus à Baptiſmo pendeat, ſicut antea docuimus [5], neque videri poſſint Baptiſmum ſpreuiſſe quibus non aliter licuit eum petere quàm cum Dei offenſione coniunctum. Videant tamen quid ſint coram Deo reſponſuri, qui dum ſuæ infirmitati nimium indulgent, & cum Papiſtis hærent, ſeſe & ſuos liberos malunt vel Baptiſmi beneficio priuare, vel Baptiſmi profanatione inquinare, quàm apertè Chriſtum profiteri ac complecti. Eſt enim iſtiuſmodi hominum neceſſitas quam ſolent prætexere, non coacta ſed voluntaria, ac proinde coram Deo ἀναπολόγητος.
[4] Ioh.6,d,37. 1.Ioh.2,c,19.
[5] Suprà articulo.36.

L. Applicatio ſuperioris doctrinæ de Sacramentis ad Cœnam Domini.

Signa vocamus in Cœna Domini panem & vinum, quibus benedicit Miniſter ex Dei verbo: deinde cæremonias ſiue ritus actionis eſſentiales, vt ita loquar, quibus neque adiiciendum, neque detrahendum quicquam arbitramur: nempe, quòd Miniſter quidem poſt claram explicationem diuinæ ordinationis, & inuocatum Dei nomẽ, panem frangit, & fractum ſingulis ordine diſtribuit, itemque poſtea poculum: qui verò ad Cœnam accedunt, panem iubentur accipere, & edere, & ex poculo bibere, mortẽ Domini concordibus animis annuntiantes [6].
[6] Matt.26.e.26,27,28. Marc.14,c,22 Luc 22,b,17,19,20. 1.Cor.11,e,23,24,25.

Res ipſa, quæ ſignis illis verè & efficaciter ſignificatur, illud ipſum eſt, quod & in ſimplici verbo, & in altero Sacramento, id eſt, Baptiſmo proponitur, nempe ipſe Ieſus Chriſtus [7], conceptus, natus, crucifixus, mortuus, ſepultus, qui reſurrexit, & aſcendit in cælos, vt omnibus credentibus fiat ſapientia, iuſtitia, ſanctificatio & redemptio [8]. Itaque minimè ambigimus quin, ſicut ordinationis verba teſtantur, verum corpus, & verus ſanguis Domini, id eſt, ipſe Ieſus Chriſtus cum omnibus ſuis opibus, verè & ſine vlla fraude offeratur, non ore, ſed fide, per Spiritus ſancti efficaciam percipiendus ad vitam æternam, idque non minus verè quàm corporeis noſtris ſenſibus offeruntur panis & vinum, quæ propterea etiam vocantur corpus & ſanguis Ieſu Chriſti, quoniam videlicet certæ ſunt notæ, & teſſeræ viſibiles & corporeæ earum rerum quas nobis Dominus ſpiritualiter offert, id eſt, veri corporis & ſanguinis Ieſu Chriſti. Vſitatum enim eſt, quum de Sacramentis agitur, ad declarandam ſacramentalis ſignificationis efficaciam ac veritatem, ſymbolis attribuere rerum ipſarum nomina. Sic enim dicitur poculum eſſe nouum teſtamentum, id eſt, verum & certum ſymbolum noui teſtamenti, quod effuſione ſanguinis Ieſu Chriſti ſancitum eſt [9].
[7] 1.Cor.1,e,21,29 & 30, b,16.
[8] 1.Cor.1,d,30.
[9] Luc.22,d,20.

Sic Cit-

Sic Circuncifio vocatur fœdus [1], id eſt, verum fœderis pignus. Sic alicubi Agnus dicitur eſſe Paſcha [2]: Petra deſerti Chriſtus [3], quòd Chriſtũ verè & efficaciter repræſentaret, quanuis eius caro nondum in rerum natura extaret: adeò certa eſt rerũ etiam abſentium præſentia, quæ verbo Dei & fide nititur. Sic etiam apud Paulum, panis dicitur communicatio corporis Chriſti, & poculum cõmunicatio ſanguinis Chriſti [4]: quæ verba neceſſe eſt vt aliqua interpretatione explicẽtur, quoniam videlicet certa ſint ſymbola & ſigilla noſtræ cum Chriſto communicationis. Quid amplius? petitam eſſe hanc loquendi rationem ex ipſa vulgi conſuetudine, poteſt etiam ex ipſo Homero comprobari, qui libro Iliados tertio, vbi ſanciendi fœderis ritum deſcribit, in hoc videlicet verſiculo, —ἀτὰρ κήρυκες ἀγαυοὶ ὅρκια πιςὰ θεῶν σύναγον, victimas, quibus fœdera ſanciebãtur nõ dubitat ὅρκια, id eſt, fœdera vocare. Neque aliter Virgilius, Fallere dextras dixit, pro fallere fidem & iuſiurandum quod daris dextris concipitur. Tropus igitur iſte quem conſtituimus in Chriſti verbis explicandis, non eſt à nobis excogitatus, aut à Scripturæ conſuetudine alienus, ſed cum Verbo Dei, & ipſa natura Sacramentorum prorſus conſentiens, neque aliter Cœnæ Domini myſterium à veteribus & orthodoxis fuiſſe explicatum, copioſiſſimè demonſtratum eſt à multis noſtrorum temporum ſcriptoribus.

Analogiam autem Rei & ſignorum ſic explicamus. Panis fractio noſtris ſenſibus repræſentat Domini noſtri paſsionem, qui fractus eſt doloribus & anguſtiis mortis, & Iudicii Dei, quod pro nobis omnibus ſubiit, & in corpore & in anima [5]. Eiuſdem panis itémque poculi diſtributio, noſtris ſenſibus teſtificantur, Ieſum Chriſtum cum omnibus ſuis opibus [6] nobis ſingulis donari à Patre in vitam æternam. Quòd autem panem accipimus & edimus, & ex poculo bibimus, teſtatur Ieſum Chriſtum verè nobis communicari, ſicut antea diximus. Nouit enim Spiritus ſanctus arctiſſimè coniungere fidei vinculo, quæ alioqui, ſi locorum diſtãtiam ſpectes, longiſſimè ſunt diſſita. Quemadmodum igitur naturali modo accipimus, edimus & bibimus naturalia ſymbola, quæ poſtea virtute naturalis facultatis in noſtram ſubſtantiam coaleſcunt: ita etiam cæleſti & ſpirituali modo Ieſus Chriſtus, qui nunc eſt in cælis & non alibi ſecũdum carnem [7], verè nobis cõmunicatur, vt ſimus caro ex carne eius, & oſſa ex ipſius oſſibus [8], id eſt, vt cum Chriſto vnum facti [9], & inſiti eius corpori per fidem [10], vitã æternam inde hauriamus: atque etiam eius ſpiritu ſanctificati, nos totos ipſius cultui, & proximis in eo diligendis conſecremus [11]. Denique, quòd omnes vno pane veſcimur, & ex vno poculo bibimus, vt vna fide cum vno Chriſto magis ac magis coaleſcamus: id verò nobis ponit ob oculos ſummam illam coniunctionem quæ in myſtico Chriſti corpore vigere debet, & cui ſolenni profeſsione nos obligamus [12].

Analogia ſignorum & Rei per ſe manifeſta eſt, præſertim quòd vnus panis ex multis granis, & vinum ex multis acinis conflatur: quæ res optimè repræſentat noſtram cum Chriſto coalitionem, & mutuam membrorum eiuſdem corporis conſenſionem [13].

Verbum, quod totam hanc actionem veluti viuificat, illud eſt, quod à tribus Euangeliſtis & Paulo exprimitur, nõ iiſdem quidem ſyllabis, ſed eadem prorſus ſententia [14]. Dominus enim (inquiunt) ea nocte qua fuit traditus, accepit panem, & quum gratias egiſſet, fregit, & dixit, Accipite, comedite: Hoc eſt corpus meũ quod frangitur pro vobis. Hoc facite in mei memoriam. Similiter & poculum poſtquam cœnaſſet, dicens: Hoc poculum eſt nouum teſtamentum in meo ſanguine: Hoc facite quotieſcunque biberitis, in mei commemorationem. Nam quotieſcunque hunc panem edetis, & hoc poculum bibetis, mortem Domini annunciabitis tantiſper dum veniat.

Inſtrumẽtum quo Chriſtus recipitur fides eſt, ſicut antea docuimus [15]. Rectè igitur Auguſtinus ſcripſit, ab eo non comedi corpus Chriſti qui non ſit in Chriſti corpore, & hæreticos qui ſunt extra Eccleſiam, poſſe quidem habere Sacramẽtum, ſed rem Sacramenti non item [16]. Hinc ergo conſequitur, oportere vt ſinguli ſeſe explorẽt, quemadmodum iubet Apoſtolus [17], num videlicet eos pœniteat anteactæ vitæ, & à Chriſto toti pendeant, tanquam vnico mediatore. Neque hîc tamen fides perfecta (quis enim mortalium ea præditus eſt?) ſed vera duntaxat requiritur, id eſt, non ſimulata. Itaque non dubium eſt, quin virtute Spiritus ſancti, quicunque veram fidem afferunt, magis ac magis cum Chriſto coaleſcant, quum ad ſacram hanc actionem ex Dei mandato accedunt: ſicut teſtatur Apoſtolus [18], Circuncifionem fuiſſe iuſtitiæ fidei ſigillum in Abrahamo. E contrario verò, qui alium animum afferunt, quum & ſigna & promiſsiones ſignis adiunctas, atque adeò Ieſum Chriſtũ rideant & aſpernentur, meritò rei fiunt

1 Gen.17.b.11.
2 Mat.26.b.17 Mar.14.b.12 Luc.22.a.7.
3 1.Cor.10.a.4.
4 1.Cor.10.b.16 Mar.14.c.24. Luc.18.c.24. ...
5 1.Cor.11.c.24.
6 Rom.8.f.30.
7 Act.3.b.21.& 3.d.21.
8 1.Cor.10.b.16.
Eph.5.g.29.
9 Ioh.17.d.21.
10 Col.2.b.7.
11 Ioh.6.f.5.6,57 7.a.4.5.6, &c.
Rom.8.c.11. 12.13.14. & 12.a.1, & 1.Ioh. 2.d.29. & 3.b.10.
13 1.Cor.10.d.17 & 12.b.13.
13 Vide Aug. ſermone de Sacramentis fidelium. 2. feria Paſchæ.
14 Matt.26.c.26. Marc.14.c.22. Luc.22.d.16.20.
1.Cor.11.c.23. & deinceps.
15 Ioh.5.f.13. & 6.d.15.
16 Vide Aug. de Ciuitate Dei. lib 21.cap.25. & Proſperi ſententia. & Hieron. in Eſaiã cap.66. & in Ierem. lib.4.cap.22.
17 1.Cor.11.f.28.
18 Ro.4.b.11.

1 1.Cor.11.f.27. 2 1.Cor.11.c.25.26. 3 Act.8.g.37,& 10.g.47. 4 Mat.18.c.17. 1.Co.5.d.11.

contempti corporis ac ſanguinis Domini,à quo magis ac magis abalienantur[1].

Annunciatio ſiue aperta confeſsio & comprobatio mortis Ieſu Chriſti, ac proinde omnium quæ noſtra cauſa impleuit, itémque gratiarum actio pro omnibus beneficiis ab eo in nos collatis, ſunt pars ipſius Cœnæ non minima[2]: quò fit vt ſine ſummo ſacrilegio nec omitti nec peruerti poſsint. Ex hoc autem efficitur, Cœnam Domini iis non competere qui ſeipſos non poſſunt explorare, vel quòd nullum habeant rationis vſum, ſicut infantibus accidit & mente captis: vel quòd in fidei myſteriis non ſatis ſint eruditi: neque item iis de quibus non conſtat an ſatis ſint Chriſtiani, vtpote qui fidei cõfeſsionem expreſſam non ediderint[3]: ac demum ne iis quidem qui legitimo Eccleſiæ iudicio ſunt extra Eccleſiæ communionem eiecti[4], neque adhuc ei ſatisfecerunt.

LI. Concluſio Rei Sacramentariæ.

Ex iis omnibus conſequitur, Sacramenta non eſſe à Domino inſtituta vt quicquam ei offeramus, ſi excipias Sacrificium gratiarũ actionis: ſed potius vt ex mera ipſius gratia & liberalitate percipiamus quod pretioſius eſt cælo & terra, nempe fidei noſtræ confirmationem, vt in dies magis ac magis Chriſto capiti noſtro vniamur, & adhæreamus in vitam æternam.

LII. Cur Spiritus ſanctus vocetur Paracletus, & quis ſit afflictionum noſtrarum vſus.

5 Ioh.14.b.16. Act.9.c.31. 6 Rom.8.b.15.16 7 1.Cor.2.c.10.11.12. Gal.4.b.6. 1.Ioh.3.c.24. 7 1.Cor.2.a.2. 8 Rom.5.a.2.3. Iac.1.a.2. 9 Rom.8.f.29. 10 Phil.3.b.9. 1.Cor.11.d.12. 11 Rom.8.c.26. 12 1.Pet.1.b.7. 13 2.Cor.4.b.7. & .10.d.15. Col.1.d.24.

Ex iis quæ diximus, facile eſt intelligere quã ob cauſam Spiritus ſanctus Paracletus, id eſt, Conſolator vocetur[5]. Quum enim is ſit qui Chriſtum nobis per fidem applicat[6]: & qui Chriſtum habet, nihil amplius poſsit ad ſalutem requirere[7]: conſequitur ab eo vno hactenus pacificari noſtras conſcientias, adeò vt in ipſis afflictionibus gloriemur[8], quoniam videlicet didicimus illas fortuitò non euenire, ſed ab eo immitti qui nos ſibi reconciliatos, partim his flagellis beneuolè caſtigat, partim etiam conformes facit imagini Filii ſui[9], & paulatim nos hac ratione docet peccatum odiſſe, mundum aſpernari[10], Patrem cæleſtẽ inuocare cum gemitibus inenarrabilibus[11], nos ipſos agnoſcere, & magis ac magis confirmare[12]: cui denique in nobis, tanquam ſpectaculis quibuſdã vniuerſo mundo propoſitis, placet oſtendere quæ ſit ſui Spiritus in fragilibus iſtis vaſis virtus & efficacia, ad gloriam nominis ipſius ſempiternam[13].

De Eccleſia.

CAPVT QVINTVM.

I. Semper fuiſſe & fore aliquam Eccleſiam, extra quam non ſit ſalus.

1 2.Sam.7.d.16 Luc.1.c.32. Pſ.89.c.37,& 110.b.4. 2 Pſ.72.c.14. Ier.31.f.35.g.36.37. Mat.28.d.20. 3 Eſa.54.d.10.11. Matt.16.c.18. 4 Ioel 2.g.32,& 3.d.20. 5 Ioh.3.d.36,& 17.a.3. Gal.3.d.22. 6 Eph.4.a.4.5. 7 1.Ti.2.b.5. 8 Ephe.1.d.22,& 4.d.15,& 15.f.13. Col.1.c.18. 1.Co.11.a.3. 9 Pſ.2.b.7.8. Eſa.54 a.1.2,& 55.b.5. Mar.16.c.15. Act.1.b.8. Col.1.c.25.

FRuſtra inſtituta eſſent à Deo quæcunque adhuc expoſuimus, niſi qui fierent omnium illorum beneficiorum participes. Præterea quũ perpetuum ſit Ieſu Chriſti regnum, neceſſe eſt aliquos ſemper exiſtere qui eũ pro Rege agnoſcant[1]. Itaque ab initio mundi aliqua ſemper fuit Eccleſia, id eſt, cœtus & multitudo hominum à Deo ſelectorum, qui verum Deum agnouerunt & coluerũt ex ipſius Verbo, nempe in vno Ieſu Chriſto per fidem apprehenſo, ſicut copioſè ſuo loco oſtendimus: & hanc Eccleſiam neceſſe eſt vt iiſdem de cauſis perpetuam fore confiteamur[2], quanuis nihil non moliatur Satan vt illam euertat[3]. Denique iiſdem argumentis efficitur, quum extra Ieſum Chriſtũ ſalus nuſquam extet, alienos eſſe à Chriſto, ac proinde certo perpetuóque exitio deuotos, quicunque prius moriuntur quàm Chriſti membra fiant[4]. Virtus enim illa ſaluifica, quæ eſt in vno Ieſu Chriſto, in illis ſolis eſt efficax quos ipſi donat Pater, id eſt, qui in eum credunt[5], ac proinde ſunt Eccleſiæ membra, quæ propterea Chriſti corpus vocatur.

II. Vnam duntaxat eſſe veram Eccleſiam.

Quum vnus ſit Deus[6], vna fides, vnus Dei & hominũ mediator[7] Ieſus Chriſtus, vnicum Eccleſiæ caput[8], conſequitur neceſſariò vnam quoque eſſe Eccleſiam.

III. Cur Eccleſia Catholica vocetur.

Quoniam Deus, ſparſo per vniuerſum mundum Euangelio ſuo, Filii regnum ad extremos vſque mundi fines propagauit, ideo agnoſcenda eſt nobis vnica Eccleſia, eáque Catholica, id eſt, vniuerſalis, ſiue per quaſvis mundi partes diffuſa[9]: non quaſi vnumquemque hominem ſigillatim comprehendat (cõſtat enim ab hoc beneficio plurimos

ſem-

ſemper homines fuiſſe excluſos, ſi vnumquemque ſigillatim ſpectemus[1]) ſed quoniam fideles ſparſi ſunt per vniuerſum terrarum orbem, prout Domino libuit electos ſuos quibuſvis temporibus, & ex quibuſvis gentibus ſibi adiungere[2].

IIII. De ſanctorum communione.

Quoniam Eccleſia vnicum Dominum & principem ſupremum agnoſcit[3], fideles vniuerſi, quocũque in loco verſentur, ciues ſunt vnius eiuſdémque ciuitatis[4], vt eius legibus & beneficiis fruantur, id eſt, Ieſu Chriſto, & cunctis ipſius opibus. Meritò igitur Chriſtus caput horum omnium membrorum dicitur, quæ videlicet in vnum corpus coaluerũt, quorum ipſe caput eſt, ſuam illis vitam infundens[5]: quod quũ ille vnus poſſit efficere, vnus etiam capitis nomen meretur[6]. Hæc igitur eſt Sãctorum communio. Nam ſolet Scriptura ſanctos vocare fideles adhuc in hoc mundo ſuperſtites, vtpote in Chriſto per fidem apprehenſo iuſtificatos & ſanctificatos[7].

V. Eccleſiam vnum duntaxat caput habere, quod nullo ſocio neque ſucceſſore neque vicario indigeat.

Ieſus Chriſtus, vnicũ Eccleſiæ caput ob eam cauſam quam paulò antè expoſuimus, cum nullo prorſus communicat hunc dignitatis gradum[8], quemadmodum probus & legitimus maritus nullum ferre poteſt riualem[9]. Eccleſia verò viciſſim, quę in ſpirituali iſto connubio perſonam caſtæ & pudicæ vxoris ſuſtinet, nullum alium dignatur mariti nomine[10]. Idem nullum ſucceſſorem requirit, vt qui Deo in æternum viuat[11]: neque item vllo vicario eget. Primùm enim plenè nobis patefecit voluntatem ſuam[12]. Deinde, quum ſit Deus æternus, perpetuò præſens verſatur in medio Eccleſię ſuæ, idque ſingulari cum efficacia dirigens ſingula corporis ſui membra, ſicut promiſit[13]. Neque eſt quod quiſquam miniſteriale caput, vt loquuntur, in Eccleſia requirat, quum ex verbo Dei expreſſo nihil tale poſsit conſtitui[14], & tot ſæculorum experientia ſatis ſupérque probet quantopere ſint hallucinati, qui in Eccleſia vniuerſalem quempiam Epiſcopum conſtituendum putarunt. Deus enim ſolus eſt qui huic oneri ſuſtinendo par eſſe poſſit. Neque de eiuſmodi primatu prius cogitatum eſt in Eccleſia, quàm miſeri mortales iuſto Dei iudicio fuerint in reprobum ſenſum traditi, vel ipſo teſte Gregorio, qui vniuerſalis Epiſcopi nomen vni Antichriſto dixit cõuenire[15]: & Hieronymo qui Eugubinum Epiſcopum & quemuis denique alium facit parem Romano[16]: & Cypriano qui vnum eſſe teſtatur Epiſcopatum, cuius à ſingulis pars in ſolidum tenetur[17].

VI. Communionem ſanctorum non impedire quominus varii ſint munerum Eccleſiaſticorum gradus.

Chriſtus ita Eccleſiam gubernat per Spiritum ſuum, vt interea vtatur hominum opera ad plantandum & rigandum, ſicut loquitur Paulus[18]. Præterea dona ſua diſtribuit quo tempore, qua menſura, & quibus libuit, ad vniuerſi corporis conſeruationem[19]: & præcipit vt omnia domi ſuæ ritè & ordine adminiſtrentur[20]. Abſit igitur à nobis vt vllã ἀταξίαν inuehamus in Eccleſiam Dei, quæ ſanè inuehatur neceſſe eſt, ſi omnia Eccleſiæ munera inter ſe paria & æqualia faciamus. Imò verò quid eſt quod maiore contentione petamus, quàm vt politia Eccleſiaſtica ex Dei verbo reſtituatur? Neque etiam vetuſtos Patrum canones repudiamus, modò ad præſcriptum verbi Dei reuocentur, & magna ratio habeatur locorum, temporum & perſonarum, vt cuncta ad ædificationẽ referantur. Id, inquam, nos aſſiduè flagitare nũquam deſtitimus, nedum vt ſimus ἄτακτοι & legitimorum Cõciliorum, veterúmque Canonum contemptores, ſicut non deſinũt quidam vociferari. Quum autem ii præter cæteros nobis reſtiterint & adhuc reſiſtãt, quos primos oportuerat de inſtaurandis Eccleſiæ ruinis cogitare, quid mirum ſi omni ſpe adempta publici & communis conſenſus, nonnulli Principes & ciuitates quædam, cognita veritate, ſibi & ſuis priuatim conſuluerunt? Nam profectò qui ab iſtis Eccleſiæ vſurpatoribus expectat legitimam Synodum Oecumenicam, non minus ineptè facit, quàm ſi fore ſperet vt communi meretricum & lenonum concilio lupanaria abrogentur.

VII. De ſignis quibus vera Eccleſia dignoſcitur ab adulterina.

Duo requirimus igitur in primis. Vnum, vt vera Dei Eccleſia diſcernatur ab ea quæ tam pretioſum nomẽ ſibi falsò vendicat. Alterum, vt qui non tantùm ſunt in Eccleſia, ſed etiam ex Eccleſia, diſtinguantur ab iis qui ex Eccleſia non ſunt, quanuis in Eccleſia verſentur, quatenus quidem ab hominibus cognoſci poſſunt. Conſtat enim Satanam totum eſſe in ſua Synagoga variis modis & artibus ita fucanda & exornanda, vt pro ve-

1 Mat.7.b.14. Luc.13.d.24.
2 Act.10.e.18. Apo.7.c.9. Mat.12.d.27.
3 Eph.4.a.4.5. d.15. Col.1.f.18.
4 Rom.12.b.5. 1.Cor.10.d.17. & 12.b.12.13. Col.3.c.15. Pſ.46.a.5.6.
5 1.Cor.1.d.30. Eph.4.d.15.16. Ioh.17.d.19.20.21. Ro.8.f.30.
6 1.Cor.3.c.11.
7 2.Cor.11.a.2. & 30.
8 1.Cor.3.c.11. Eph.4.d.15.16.
9 Exod.20.a.1.5.
10 2.Cor.11.a.7. Rom.7.a.4. Ephe.5.a.23.
11 Rom.6.b.9. Heb.7.d.23.24.
12 Ioh.15.b.15. Act.20.f.27. 2.Tim.3.d.16.17.
13 Mat.28.d.20. Ioh.14.d.16. Eph.4.b.10. d.16.
14 Eph.4.b.11.12.
15 Vide Epiſt. Gregorii lib. 4. epiſt.32.34.36.38.39. & lib.6. Epiſt. 24.28.29.30.
16 Hieron. Epiſtola ad Euagrium.
17 Cyprianus tractatu 3. de ſimplicitate prælatorum.
18 1.Cor.3.a.5.6.7. & 4.a.1. 2.Cor.5.d.19.
20
19 1.Cor.12.b.7. & deinceps. Eph.4.a.10.11.12.
20 1.Cor.14.g.40.

ra Eccleſia obtrudi poſsit: & ſatis liquet nunquam in hoc ſæculo futuram adeò ſinceram & integram Eccleſiam, quin palea & lolium tritico permixtũ reperiatur [1]. Itaque operæpretium eſt certa quædam diſcrimina de quibus dicemus, obſeruare, ne quis facilè circunueniri poſsit. Sciendum eſt igitur verũ germanæ Eccleſiæ ſignum eſſe prędicationem verbi Dei, in quo ſeſe nobis patefecit Dominus, ſicut declarãt Prophetarum & Apoſtolorum ſcripta: quò fit vt à Verbo neque Sacramenta, neque diſciplinam Eccleſiaſticam à Deo conſtitutam, ſeiungamus. Neque enim aliud verbum Dei agnoſcimus, neque aliam eius adminiſtrandi rationem. Quamobrem Ieſus Chriſtus teſtatur ſuas oues ſe ſequi, quòd vocem ſui paſtoris agnoſcant [2]: neque quum Apoſtolos ſuos in orbem terrarum dimitteret, poteſtatem eis fecit annũciandi quicquid eis libuiſſet, ſed potius, Ite, inquit, & docete ſeruare omnia quæ præcepi vobis [3]. Sed & Apoſtolus teſtatur ſeſe nõ aliud Corinthiis tradidiſſe, quàm quod à Domino accepiſſet, ac ſtatim ſubiicit hiſtoriam Cœnæ Domini, ita prorſus vt eſt ab Euangeliſtis perſcripta [4]. Et idem alibi ſcribit fideles ædificatos eſſe ſupra fundamẽtum Prophetarum & Apoſtolorum [5], id eſt, niti doctrina ab Apoſtolis & Euangeliſtis plantata in Eccleſia, cuius baſis ac fulcimentum eſt Ieſus Chriſtus. Petrus quoque diſertè declarat, non aliud eſſe verbum Dei quàm illud ipſum quod ad nos peruenit per Euãgeliũ prædicationem [6]. Neque dubium eſt quin Apoſtoli non tantùm annunciarint, ſed etiam perſcripſerint quicquid ad ſalutem noſtram neceſſariò requiritur [7], vt veriſsimum ſit quod ait Paulus, vniuerſam Scripturam diuinitus inſpiratam, ſufficere ad hominem Dei perficiendũ [8]. Ideo etiam Cyprianus [9], *Si ſolus* (inquit) *Chriſtus audiendus eſt, non debemus attẽdere quid aliquis ante nos faciendum putauerit, ſed quid, qui ante omnes eſt, Chriſtus prior fecerit.* Neque enim hominis cõſuetudinem, ſed Dei veritatem ſequi oportet, quum per Iſaiam Propheram Deus loquatur & dicat, Sine cauſa colũt me, mandata & doctrinas hominum docentes. Denique vbicunque verbum Dei purè annuntiatur, Sacramenta purè adminiſtrantur, diſciplina Eccleſiaſtica ex præſcripto verbi Dei vſurpatur, ibi germanam Eccleſiam Dei agnoſcimus, etiamſi paruus ſit grex [10], & in ſpeciem prorſus aſpernandus [11].

VIII. De veris Eccleſiæ membris.

Vera ſunt Eccleſiæ membra qui characterem illum habent Chriſtianorũ proprium, id eſt, fidem [12]. Fidelis autem aliquis ex eo agnoſcitur, quòd vnicum ſeruatorem Ieſum Chriſtum agnoſcit [13], fugit peccatũ, & ſtudet iuſtitię [14], idque ex pręſcripto verbi Dei [15]. Etſi enim ſuperſunt in quibuſuis multæ peccatorum reliquiæ [16]: tamẽ permagnum eſt diſcrimen inter filios Dei in quibus Spiritus pugnat aduerſus carnem, & eos in quibus peccatum regnat [17]. Denique ij demũ ſunt Eccleſiæ membra, in quibus Spiritus (Spiritus, inquam, proprium electorum donum) pugnat aduerſus carnem [18], & qui cum Paulo verè poſſunt teſtari ſe facere malum quod nolunt [19], id eſt, cui non aſſentiuntur niſi quatenus nondum ſunt perfectè regenerati. Nam quod ad reliquos homines attinet, cuiuſcunque tandem ſint ſtatus vel conditionis, non ſunt numerãdi inter Eccleſiæ membra, etiamſi (vt ita loquar) Apoſtolatu fungerentur [20]. Sed hîc cauẽdum eſt, ne vlterius progrediamur quàm par ſit, vel temerè iudicemus. Expectandum enim eſt Dei iudicium in detegendis hypocritis & falſis fratribus [21], & Dominus poteſt ſuo tempore vocare quoſcunque illi libuit [22], & prolapſos in viam reuocare [23].

IX. Signa Eccleſiæ non eſſe ſemper in eodem ſtatu ſiue gradu.

Conſtat quidem hæc eſſe vera germanæ Chriſti Eccleſiæ ſigna, ſed quæ non in vno ſemper ſtatu permaneant. Accidit enim plerunque vt Deus proſua incomprehenſibili ſapientia, vindicans hominum perfidiam, lucis ſuę radios quadamtenus occultet, adeò vt nonnunquam Eccleſia funditus periiſſe videatur, ſicut euenit eo potiſsimum tempore quo Filius Dei in hunc mundum eſt ingreſſus. Tunc enim certum eſt, veram religionem fuiſſe in Iudæa, tanquam in extremo quodam angulo concluſam. Ibi verò quæ fuit Doctorum ignorantia? quæ doctrinæ corruptio? quæ hominum improbitas [24]? Oſtendit tamen res ipſa firmum permanere Eccleſiæ fundamentum, & aliquem ſemper extitiſſe fidelium gregem, qui modò excreuerit, modò fuerit imminutus [25], & vni penè Deo interdũ cognitus, ſicut apparet ex Eliæ hiſtoria [26]. Hinc etiam accidit noſtris temporibus vt nulli magis hallucinentur quàm qui Eccleſiam Dei alligant certo loco, & eorum ſucceſsioni qui ſeſe falsò vocant Epiſcopos, quum nihil minus eſſe quàm Epiſcopos apertiſsimè poſsit oſtendi, & ex Dei verbo, & ex vetuſtis canonibus. Eſt enim profectò facillimum ex iis probare, omnes illos Hierar-

chas à

1 Mat. 13. c. 24. f. 47. & 13. a. 7. 1. Cor. 11. d. 19.
2 Ioh. 10. c. 27.
3 Matt. 28. d. 20.
4 1. Cor. 11. e. 3.
5 Eph. 2. d. 20. Act. 17. c. 11. 1. Pet. 2. d. 19.
6 1. Pet. 1. d. 23. 25. Rom. 10. b. 8.
7 Act. 20. f. 27. Gal. 1. b. 8.
8 2. Tim. 3. d. 15. 16. 17.
9 Cypr. Epiſt. 2. lib. 4.
10 Matt. 18. e. 20. Luc. 17. d. 32.
11 Luc. 10. d. 21. 1. Cor. 1. c. 19. 20. & d. 26. 27. 28.
12 Mat. 11. d. 17. Ioh. 8. 1. 47.
13 Ioh. 4. a. 2. 1. Ioh. 4. a. 2.
14 1. Ioh. 3. b. 9. Rom. 6. a. 2. Gal. 5. d. 25.
15 Iſa. 1. c. 32. Matt. 15. a. 9.
16 Rom. 7. c. 15. Phil. 3. c. 14. 1. Ioh. 2. b. 8.
17 Rom. 6. a. 2. & 7. a. 4. 2. Cor. 7. a. 1. 1. Ioh. 3. b. 8. 9.
18 Rom. 7. a. 4. Gal. 5. c. 16.
19 Ro. 7. c. 15.
20 Ioh. 6. g. 70. 1. Ioh. 2. c. 19.
21 2. Tim. 5. d. 24. Mat. 7. a. 1. 2. & deinceps. Ro. 4. c. 13.
22 Mat. 20. a. 6. 2. Cor. 7. c. 16.
23 2. Cor. 2. b. 6. 2. Tim. d. 24. 25. 26.
24 Mat. 15. b. 14. & 21. d. 42. Ioh. 2. b. 18. Luc. 11. c. 12. Eſa. 29. c. 14.
25 Mat. 28. b. 10.
26 1. Re. 19. b. 10. d. 18.

chas à maximo ad minimum ipſo iure millies eſſe excommunicatos, id eſt, ex communione ſanctorum eiectos: tantum abeſt vt ab eorũ vel dignitate vel ſucceſsione pendeat Eccleſia. Quid ergo? dicet aliquis, quod erit fidelium officium in eiuſmodi perturbationibus? nempe vt vbi eſt cadauer ibi congregentur omnes aquilæ [1], id eſt, vt vbicunque fuerit fidelis quiſpiam, & quæcunque ſit Eccleſiæ externa facies, cum Chriſto capite cohæreat, adhærens nimirum vnico èius verbo, ſiue dogmata, ſiue vitam ſpectes. Quòd ſi quis ſit in orbe terrarum angulus in quo Dominus, qui nulli neque loco, neque nationi, neque tempori adſtrictus eſt, ſceptrum vexillúmque ſuum, id eſt, Verbi miniſterium, erexerit, tunc verò filiorum Dei munus eſt ducem vocantem ſequi, & relictis idolis, ſeſe copiis Dei exercituum adiungere, ſicut paſsim admonent Prophetæ [2].

[1] Matt.24.c.28. [2] Eſa.49.f.23, & 52.d.11, 12. 1 Ioh.5.d.21.

X. De auctoritate Eccleſiæ.

His poſitis, conſequens eſt vt videamus quæ ſit veræ Eccleſię poteſtas & auctoritas, quam quæſtionem poſſumus vno verbo abſoluere, ſi dicamus eam omnem poteſtatem eſſe poſitam in eo vt vni ſuo marito, id eſt, Ieſu Chriſto, pareat [3]: tum in eo quod omnibus membris cum vno capite cohærentibus commune eſt, tum etiam in propria cuiuſque membri functione [4]. Sed planè dignum eſt hoc argumentum quod particulatim explicetur. Itaque primo loco de vniuerſi corporis Eccleſiæ: poſtea de ſingulorum membrorum vſu & facultate diſſeremus, eorum dico quæ publica quapiam functione funguntur.

[3] Luc.1.g.74. 1.Pe.1.c.15. [4] 1.Cor.14.e.32 Mat.5.b.16.

XI. De auctoritate Conciliorum vniuerſalium, ac primùm quidem quid hoc nomine intelligatur.

Concilii ſiue Synodi vniuerſalis nomen propriè declarat cœtũ ſingulorum fidelium qui ſimul conuenerint, ne vno quidem excepto. Verùm propterea quòd Dominus ſuos, ſicut ei libuit, per varias mundi regiones diſperſit [5], neceſſe fuit ordinis cauſa, totam illam multitudinem, quæ vnum corpus conficit, in varias claſſes diſtribuere, quas diœceſes & parœcias vocanr. Præterea minimè expedit quoties agitur de vniuerſæ Eccleſiæ negotiis, ſingulos fideles conuenire. Itaque in hoc argumento Concilium vniuerſale id vocamus, in quo omnes Eccleſiæ, quoad eius fieri poteſt, conueniunt: quanuis ſinguli fideles non adſint, ſed vnus quiſpiam interdum totius alicuius Eccleſiæ, aut etiam regionis nomine compareat [6].

[5] Act.14.d.23. Tit.1.b.5. [6] Act.15.a.2.

XII. Penes quem ſit ius conuocandi vniuerſalis Concilij.

Omnia ritè & ordine fieri in Eccleſia Dei [7], ac proinde etiam cõcilia legitimè conuocati debenr. Conſtat autem præcipuum hoc eſſe munus Magiſtratus, vt tranquillitatem Eccleſiæ conſeruet [8]. Itaque ſi quis eſt Monarcha Chriſtianus, hoc onus illi incumbit, quoties præſens requirit neceſſitas: ſicut etiam in vetere Eccleſia fuit ſine vlla controuerſia ſub Chriſtianis Imperatoribus factum [9], donec ambitioſi Patriarchæ ac præſertim Romanus, & Conſtantinopolitanus, omnem politiam euerterent. Sin autem, vt nunc videmus, plures fuerint principes *αὐτοκράτορες*, eorum munus eſt, ſummo ſtudio in rem iſtam adeò piam & ſanctam conſpirare [10]. Quòd ſi, vt plerunque accidit, officium ſuum neglexerint, at certè paſtorum munus eſt proſpicere quantum in ſe eſt ne quid Eccleſia Chriſtiana detrimenti accipiat, & mutuò ſeſe excitare, vt quoad eius fieri poterit, communi conſilio conſulatur Eccleſiæ commodis, & ita quidem vt nullus hîc ſit ambitioni locus, & omnis illa thronorum & ſedium prærogatiua, opus Domini ne tantillum quidem remoretur [11].

[7] 1.Cor.14.g.40. [8] 1.Ti.2.a.2. [9] Vide vniuerſam hiſtoriam Eccleſ. & præſertim veterum Synodorum acta. [10] Pſal.2. [11] Vide Act.15.

XIII. Quomodo ſint eligendi qui ad Concilia mittuntur.

Quum olim fœlicibus illis temporibus rerum Eccleſiaſticarum curatio idoneis hominibus magna cum ſolicitudine committebatur in timore & tremore Domini, quoties cogebat neceſſitas Eccleſiarum cœtum conuocare, & mittendi erant qui vel parœciæ, vel diœceſeos, vel etiam vniuerſæ alicuius gentis nomine comparerent, quanuis probabile eſſet nullos eſſe procurandis illis negotiis aptiores quàm qui docendi partes in Eccleſia obibant, tamen magnus erat in ea re delectus: nec mitti ſolebant alii quàm quos conſtarer communi conſenſu, & doctrina, & vitæ integritate, cæteriſque Spiritus ſancti donis excellere, ſicut ex Actis Apoſtolicis abundè liquet [12]. Nunc igitur ita perturbatis & confuſis rebus, quum eorum grex qui ſeſe hodie Prælatos Eccleſiæ vocant, non tam ſit hominum cœtus quàm porcorum & aſinorum armentum, ſicut nimiùm apertè conſtat: quúmque omnes iſti à minimo ad maximum expreſſo iu-

[12] Act.15.a.2.c.6. 22.c.24.25.16

reiurando ſeſe adſtrinxerint iſti tyrannidi modis omnibus defendendæ, aduerſus quam neceſſe eſt Concilium conuocari [1]: quum, inquam, omnes iſti, ſine vlla exceptione, per feneſtram, data pecunia, ſint ingreſsi in ouile Domini, contra expreſſum Dei verbum [2], contra Petri minas [3], contra omnem puriorus Eccleſiæ morem, contra veteres omnes legitimos Canones & Synodos ſine controuerſia receptas, ex quibus facillimum fuerit euincere omnes iſtiuſmodi homines nihil ad Eccleſiam Dei pertinere, nedum vt ſint eius gubernatores [4]: in iſta, inquam, non tam perturbatione quàm euerſione rerum omnium, quis tandem ſtupor eſt pro Concilio OEcumenico habere cœtum illum in quo vix reperire vel vnum liceat qui meritò poſsit ex Eccleſia Dei cenſeri, ſi vel in ipſius vocationem vel doctrinam, quæ plerunque non tam falſa quàm nulla eſt, vel mores quouis Epicureo indignos inqnirat? Itaque profiteor me non ſatis videre quomodo poſſint hodie controuerſiæ in cauſa religionis ſuſceptæ dirimi, indicto cum Romanæ Eccleſiæ Apoſtatis concilio, ſiquidem illi in ſua non poſſeſsione ſed vſurpatione velint permanere: quod factnros eſſe non dubito, quoniam certum illis eſt quiduis potius pati quàm vt Deus regnet. Si qua tamen concordiæ ſpes ex vniuerſali Concilio ſperari poteſt, id demum mihi videtur hac ratione poſſe inſtitui, ſi ex ſincero Cæſaris & Chriſtianorum regum & liberarum ciuitatum conſenſu, nulla habita ratione iſtarum laruarum quæ titulum Eccleſiæ falſò prætexunt, ſingulis Eccleſiis liceret probatæ doctrinæ ac vitæ homines deligere, qui & de Apoſtaticæ Romanæ Eccleſiæ, & de cæteris controuerſiis ex Dei verbo decidant. Sed hoc ſanè perinde eſt ac Platonis Rempublicam ſomniare. Quis enim hunc conſenſum à Principibus & ciuitatibus expectabit? quis illos ventres ad eas conditiones pertrahet? Vnus Deus nimirum qui corda regum habet in poteſtate, & iſta perficier quum volet. Interea ſciant aduerſarii Concilium à nobis nō noſtra ſed illorum cauſa expeti. Norint hoc quoque Principes & Reſp. nec bene nec prudenter eos facere qui veram & iuſtam cognitionem de his controuerſiis in id vſque tempus differunt, quo futurum ſomniant vt ex Antichriſti auctoritate veritas ſtabiliatur. Norint denique pij omnes, nunquam ſibi magis ab Antichriſto, & cunctis ipſius mancipiis eſſe metuendum, quàm quum aliquod cogendi concilij & inſtaurandę Eccleſiæ deſiderium ſimulabunt.

1 Extat iuriſiurandi forma impreſſa.
2 Mat.10,a,8.
3 Act.8,d,20.
4 Vide veterū Conciliorum acta.

XIIII. Quemuis poſſe audiri in Concilio, modò id ritè & ordine fiat.

Spiritus ſanctus ſeipſum patefacit quibuſcunque libuit [5], & qnidem ſæpenumero iis hominibus quos alioquin nemo non aſpernaretur [6]. Id enim iam olim accidit quum omnes Pontifices & Leuitæ aduerſus veritatem coniuraſſent [7], & noſtro quoque ſæculo ecquis eſt tam cæcus qui hoc ipſum non perſpiciat [8]? Itaque non dubitamus affirmare nefas eſſe vt Eccleſiaſticum concilium, præſertim vniuerſale, vt pote quod non niſi maximis & neceſſariis de cauſis indicendum ſit, certorum hominum etiam ab Eccleſiis ritè & legitimè delectorum auctoritati adſtringatur, quin nihilominus cuiuis etiam infimo pateat dicendi locus, ita tamen vt, certo ordine conſtituto, nec temerè quiſquam admittatur, nec Spiritus ſanctus in vllo prorſus negligatur [9].

5 1.Cor.12,c,11.
6 1.Cor.1,d,27, & 2,a,9. Act.4.c,13.
7 Ier.1,b,5,6. Amos 1,a,1.
8 Vide hiſtoriam martyrum noſtri temporis.
9 Vide Nicephorum Eccleſ. hiſt.li. 8. ca.14, & li.15. ca.30.

XV. Quis præeſſe debeat actionibus Conciliorum vniuerſalium.

Sicut vnius Imperatoris mandato cogebantur olim vniuerſales Synodi, antequàm Romanus Epiſcopus ipſam imperii coronam ſuis pedibus ſubiiceret [10], ita etiam nemini dubium eſt quin vel Imperatores ipſi, vel ij quos ipſis placuiſſet deligere, rogandis & colligendis ſuffragiis præeſſent, vt ex veterum Synodorum actis liquere poteſt [11]. Quid enim tantopere decet Eccleſiæ nutricios, quàm ſuam auctoritatem interponere vt Deus in pace & tranquillitate colatur? Sed hîc tamen videntur quædam obſtare. Cōſtat enim diſcreta eſſe mundi imperia à Verbi miniſterio. Deinde res ipſa oſtendit periculoſiſſimum eſſe principum auctoritati Concilia ſubiicere, multis de cauſis. Ita enim accenditur eorum ambitio qui principibus volunt gratificari, & è contrario multorum ſimplicitas perterreſieri poteſt, inſolita principum præſentia: vt taceam quod vtinam verum non eſſet, paucos ſemper principes fuiſſe qui vel tanta tum doctrina tum pietate eſſent prædıti quanta ad moderandas eiuſmodi actiones neceſſariò requiritur, vel de his rebus ſeriò ſibi cogitandum putarint, quum aut quibuſuis potius intenti eſſe, aut malis potius quàm bonis, velut fatali quadam mundi calamitate, aures præbere conſueuerint. ¶ Sed non admodum difficile videtur iſtis argumentis occurrere. Primùm enim cauendū eſſe iudico, ne ita diſcernamus principes huius mundi à Verbi Miniſtris, vt etiam illos tanquam profanos ſeparemus, qui primus fuit gradus per quem Papiſtica

10 Nicephorus lib.8.c.2.14, 49. Idem li.9. cap.5.12.31.33, 38,39. Idem 11.ca.3.& alibi paſsim.
11 Nicepho.lib. 8.cap.17. Idem lib.9. cap.39.43. Idem lib.15. cap.30.& alibi paſsim.

Papiſtica Tyrannis in hoc faſtigium conſcendit vnde iam vix deturbari poteſt. Quum autem nemo inficiari poſsit Principes debere in primis eurare vt Verbi Miniſterium inoffenſo curſu pergat: ad quos, obſecro, potiùs pertineat in maximis tempeſtatibus quæ ab ipſis Miniſtris plerunque excitantur, Eccleſias conuocare, & in earum cœtu proſpicere vt omnia ritè & ordine fiant, atque adeò ſua præſentia bonos confirmare, malos deterrere? At enim cœtui Apoſtolorum & primarum Eccleſiarum nulli Magiſtratus Politici præfuerunt. Fateor. Quos enim aduocaſſent? Neque cenſeo vt ab illorum edictis vel auctoritate pendeat Eccleſia: ſed hoc dico, peſsimè mihi videri de Eccleſia mereri qui præſidio præſentium Magiſtratuum priuet Eccleſiam quoties id à Deo conceditur. Nam eſt quidem, fateor, aliud ciuilium Magiſtratuum, aliud Miniſtrorum munus, ſi quod ſingulis proprium eſt ſpectes: ſed hoc vtrorumque commune eſſe dico vt Eccleſiæ paci conſulāt, & ita quidem, vt illi (quoties Deo viſum eſt hoc beneficio Eccleſias afficere vt pium habeant Magiſtratum) præcipui ſint cuſtodes τῆς εὐταξίας, iſti verò ex puro Dei verbo, liberè & ſanctè, tanquam os Domini quodā pio Magiſtratu conſulitur, omnia conſtituant, quibus ita poſtea ſubſcribant Principes, vt ſua etiam auctoritate quod ex Dei verbo conſtitutum fuerit apud ſuos confirment, & accuratè obſeruandum præcipiant. Siquis exempla requirat quibus id confirmetur, reſpondebo, non aliter mihi videri Dauidem, Solomonem, Ezechiam, Ioſiam egiſſe cum Iſraeliticæ Eccleſiæ ſenioribus, & ex veterum Synodorum actis omnino liquere, veteres illos orthodoxos ad vnum omnes de ciuilis poteſtatis & Eccleſiaſtici Miniſterij finibus regundis non aliter cenſuiſſe. Itaque diſpiciendum cenſeo, non vt piorum Principum præſentia excludatur, ſed vt ſuis limitibus circunſcribatur, vt hîc ſibi longè aliter faciendum meminerint quàm ſi in ſuo ſolio ciuilibus vel audiendis controuerſiis vel legibus condendis conſiderent, quum in Synodo interſint non vt regnent, ſed vt ſeruiant: non vt leges condant, ſed vt ex Dei verbo per os miniſtrorum ipſius explicatas, & ſibi & aliis obſeruandas proponant. ¶ At enim, dicet aliquis, periculum eſt ne quis aditus ambitioſis ingeniis hac ratione pateſiat. Reſpondeo, verum id quidem eſſe, ſicut ex turpibus illis & adulatoriis acclamationibus Synodicis apparet, vtpote quæ Theatricis potiùs ludis quàm Synodo conueniant: ſed reſpondeo, præterquam quòd fieri non poteſt vt omnibus incommodis proſpiciatur, experientiam ipſam oſtendere multò maioribus offendiculis aditum aperiri Principis abſentia quàm præſentia. Quid non enim audebunt ambitioſi, leues, temetarij homines, euiuſmodi ſemper nimiùm multi inuenti ſunt inter ipſos Eccleſiæ miniſtros, niſi, quoties id à Domino conceditur, aliqua præſentis Magiſtratus reuerentia in officio contineantur? & quàm verè id à me dicatur non modò ex Seleucianæ, Lampſacenæ, Epheſinæ prædatoriæ, ſed etiam ipſius primæ Nicenæ Synodi actis apparet. Itaque, vt paucis concludam, ſi cogendum eſſet vniuerſale Concilium, quum neque vni Principi omnes Eccleſiæ nunc pareant: nec maxima pars Principum (quod eorum pace dictum ſit) ad gubernandam totam hanc actionem in tantis controuerſiis & animorum quoque diſsidiis ſatis apta videatur: nec in præſidum multitudine quicquam ſatis liberè vel pacatè poſsit conſtitui: neceſſarium id videretur vt omnes ij penes quos eſt ſumma rerum, ſiue Principes, ſiue liberarum ciuitatum Magiſtratus, vtraque ex parte, omni depoſita ambitione, communi conſenſu, in timore Domini, tum de collocutorum numero, tum de Synodi tempore & loco, atque etiam in primis de futuro eius moderatore, totáque adeò actionis forma, iis cōditionibus ſtatuerent, quæ & verbo Dei conſentaneæ, & inſtaurandæ Eccleſiarum concordię maximè ſint accommodatæ [1]. Iam verò quod ad Epiſcoporum, id eſt, eorum qui ab Eccleſiis miſsi fuerint, ſeſsiones & prærogatiuas attinet, quid attinet vetera Eccleſiæ Chriſtianæ dedecora renouare? Ex primariis Patriarchis qui in ferendis ſuffragiis præibant, quíque hoc prætextu non deſtiterunt ſeſe mutuò confodere, donec tandem ſecum Eccleſiam, Imperatorum ignauia freti, peſſundederunt, vnus pſeudepiſcopus Romanus ſupereſt, de cuius auctoritate præcipuè quæritur. Quo iure igitur ille non modò inter iudices ſedebit, ſed aliis etiam præibit, non quaſi vnus ex aliis ſententiam dicens rogatus, ſed velut alter quidam Chriſtus ſeſe pro Deo venditans? imò quid aliud fuerit quàm ad ſtabiliendam eius Tyrannidem conuenire, niſi quotquot ex ipſius factione conuenient, in primis ab eo iureiurando abſoluantur quo ſeſe Antichriſtianæ illi ſedi & ſanctiſsimo Domino ſuo obſtrinxerunt? Quid ſi valeat illa Tyrannica

[1] Niceph. lib. 8.cap.16.& lib.9.cap.43.

d.

vox, Papam Romanum à nemine mortalium iudicari, & ſupra Concilium eſſe? Audimus quidem quàm multa ipſe garriat de Romanæ ſedis prærogatiua, ſed ex ſuis Decretis, & iis quidem, maxima ex parte, eadem fide confictis qua iam olim vſus eſt, quum Nicænæ Synodi decretum ſupponeret vt Aphricanas Eccleſias inuaderet [1]. Et tamen minimè tum agebat de doctrina ſuo arbitrio mutanda, de veteribus Canonibus configendis, de omnium beneficiorum Eccleſiaſticorum collatione, de iure transferendorum regnorum, de patrimonio Petri, denique de horrenda iſta Tyrannide ex qua iam non patitur ſe depelli, ſed duntaxat vt ad eum prouocare ex Aphrica liceret. Quòd ſi Dei verbo nititur ipſius primatus, quid attinebat Nicænę Synodi auctoritatē apud Aphricanos prætexere? & quo iure Nicænam Synodum habebimus pro orthodoxa [2], quæ Romanum Patriarcham iubet ſuis finibus eſſe contentum, nec quicquā illi, vt Patriarchæ, amplius concedit, quàm vt in certas ſibi vicinas Eccleſias ex veterum Canonum præſcripto, quum ita opus erit, inquirat, vt omnia ordine conſtituto ſeruentur [3]? & Carthaginienſi illi Synodo quid fiet, cui ſubſcripſit Auguſtinus, in qua falſi coarguitur Romanus Epiſcopus, & disertè inhibetur ne quis trans mare prouocet [4]? Quid amplius? etſi magnus olim habitus fuit honos Romano Epiſcopo, propter vrbis dignitatem, tamen non ſemper aliis pręiuiſſe ne in dicenda quidem ſententia, (inauditum enim erat vt vniuerſale Concilium quiſquam indiceret, vel ei alius prçeſſet quàm vel Imperator ipſe, vel ab Imperatore delecti,) partim ex Synodorum actis, partim ex Leonis ad Martianum Imperatorem epiſtolis apparet. Imò in Prouinciali quoque Cōcilio Carthaginienſi, Fauſtinus Romani Epiſcopi legatus, non niſi ſecundus ab Aurelio Carthaginis Metropolitano inter ſubſcriptores inuenitur. Deſinat igitur ille Tyrannidem ſuam adeò impudenter vrgere, aut à piis Principibus, ita vt æquum eſt, compeſcatur. Quem autem ordinem hoc quidem tempore ab iis obſeruandum arbitrer in conſtituendo vniuerſali Concilio, abundè iam à nobis dictum eſt. Et conſtituta etiam Eccleſiæ pace, quàm & periculoſum & ineptum ſit, certis ſedibus attribuere eiuſmodi πρεσβεῖα, infinitæ penè calamitates Eccleſiæ, ac præſertim iſta Romani pſeudepiſcopi Tyrannis, declarant.

XVI. Quantum tribuendum ſit auctoritati Synodorum.

Sunt qui Eccleſiaſticas Synodos, vt res nihili, aſpernentur: è contrario verò non deſunt qui ſine exceptione quicquid ab illis receptum eſt, pro Dei oraculo recipiendum putent. Vtriſque, quod mirum eſt, Romanus Proteus aſſentitur, vt qui non dubitet quoties libuit, id eſt, quoties pro ſe aliquid poteſt inde corradere, Synodorum auctoritatem verbo Dei opponere: & rurſus, quoties vel inde conuinci poteſt ipſius Tyrannis [5], vel aliqua ſpes lucri oſtenditur [6], Canonum omnium auctoritatem palàm ac nominatim abrogare. Nos verò longè aliam rationē nobis ſequendam arbitramur. Neque enim dubitamus quin Dominus, ſicut promiſit, ita etiam interſit ſuorum cœtibus rite in ipſius timore congregatis, etiam ſi duo vel tres duntaxat conuenerint [7]: ac proinde non ambigimus quin multò magis vniuerſum aliquem Eccleſiaſticum cœtum ſancto ſuo Spiritu regat [8]. Sed hoc quoque non ignoramus, veritatem Dei longè ſolidiore ac firmiore fundamento niti quàm hominum opinione, ſiue pauci fuerint ſiue multi [9]: neque extra communem hominum ſortem, qui & ignorantiæ & erroribus ſunt obnoxij, alios ponere didicimus quàm eos vnos qui Dei impulſu ita ſunt loquuti, vt ſint omni exceptione maiores [10]: Prophetas videlicet & Apoſtolos, per quos nobis Dominus voluit voluntatem ſuam perſcribi in vtriuſque Teſtamenti libris quos Canonicos vocant. Nam ipſa quoque experientia confirmat, non modò hypocritas, ignaros, malitioſos, pſeudoprophetas in Eccleſia ſæpenumero auctoritatem obtinere: ſed etiam optimis quibuſque non omnia vno tempore & loco patefieri, ſicut ex earum quoque Synodorum repugnantia conſtat, quibus doctiſſimi etiam & religioſiſſimi homines non interfuerunt tantùm, verùm etiam præfuerunt. Itaque modum hunc tenendum arbitramur, vt neque Synodorum iudicia ſtatim aſpernemur, niſi quas palàm apparuerit non legitimè coactas & aduerſus veritatem comparatas, cuiuſmodi iam olim nimiùm multæ fuerunt: neque etiam ab illis ita pendeamus quin verbo Dei, per ſe ad conſtituenda præcipua dogmata ſatis plano ac perſpicuo, ſua integra & illibata auctoritas ſeruetur. Rectè igitur Auguſtinus, *Cedamus*, inquit, *auctoritati Scripturæ ſanctæ quæ neſcit falli nec fallere* [11]. *Hominum eſt labi, hallucinari, falli, fallere, decipi, decipere.* Et alibi, *Epiſcoporum*, inquit, *literas*

quæ poſt

1 Vide græca Carthaginienſis Concilii acta.

2 Nicæni Concilii cap. 6.

3 Antiocheni Cōcilii cap. 9. & Conſtantinop. primo cap. 2.

4 Vide Acta græcè edita Synodi Carthaginienſis can. 28. qui canon habetur 22 in Mileuitani Concilii actis Latinè editis.

5 Sic ſaltem abolitam conſtat Pragmaticam Sanctionē quam vocant.

6 Legantur, ſi libet, clauſulæ Bullarū quas derogatorias vocant.

7 Matth. 18. c. 20.

8 Act. 15. e. 28. 1. Co. 5. b. 4.

9 1. Cor. 7. d. 23.

10 Rom. 1. 2. 5. & 10. b. 8. 1. Tim. 3. d. 41. Gal. 4. 2. 1. & b. 8. 2. Pet. 1. d. 19. 20 21. & 1. Pet. 1. d. 25. 1. Theſſ. 2. c. 13

11 Aug. lib. 2. de peccat. mer. cap. 22. Idem lib. 11. contra Fauſtum, cap. 5.

quæ poſt confirmatum Canonem (Canonem autem appellat libros vtriuſque Teſtamenti communi Eccleſiæ conſenſu receptos) *vel ſcripta ſunt, vel ſcribentur, & per ſermonem fortè ſapientiorem cuiuſlibet in ea re peritioris, & per aliorum Epiſcoporum grauiorem auctoritatem, Doctorúmque prudentiam, & per Concilia dicimus licere reprehendi, ſi quid in eis à veritate deuiatum eſt: & ipſa Concilia quæ per ſingulas regiones vel prouincias fiunt plenariorum* (id eſt, generalium) *auctoritati, quæ fiunt ex vniuerſo orbe Chriſtiano, ſine vllis ambagibus cedere: ipſáque plenaria ſæpe priora poſterioribus emendari, quum aliquo experimento rerum aperitur quod clauſum erat, & cognoſcitur quod latebat: ſine vllo typho ſacrilegæ ſuperbiæ, ſine vlla inflata ceruice arrogantiæ, ſine vlla contentione liuidæ inuidiæ, cum ſancta humilitate, cum pace Catholica Chriſtiana* [1]. Hactenus ille, & quidem de Cypriano loquens. Sed iſti nimirum nobis arrogantiam obiicient, quòd ab eis diſceſſionem fecerimus. Quaſi verò non illi ipſi manifeſtè à Chriſto, & omnibus veteribus orthodoxis defecerint: quod ſi negare audēt, age, cur congreſſum recuſant? Quid ſi verò cum Ambroſio dicamus [2], ſceleribus plenum eſſe quicquid ab Apoſtolis traditum non eſt? Certè Ieſus Chriſtus damnatus eſt à principe ſacerdotum & Concilio legitimè congregato, ſi formam exteriorem & ſucceſsionem, vt iſti volunt, non autem ſucceſſores, ſpectes. Et cenſuit Concilium Aphricanum cum Cypriano, fideli Chriſti Martyre, rebaptiſandos eſſe qui ab hæreticis ſunt baptiſati. An propterea Chriſtum iterum crucifigemus, & cum Anabaptiſtis conſentiemus? Atqui, inquient, Eccleſia Catholica poſtea aliter decidit. Rectè ſanè. Cur igitur nobis quoque per tot annos omni crudelitatis genere vexatis, non conceditur, vt Romanæ meretricis ſcortationes in dubium vocentur, & coram Eccleſia Catholica, ſub legitimis iudicibus coarguantur? Sed ne conuiciis certare velle videamur, age, quænam ſit Conciliorum auctoritas, & quibus finibus circunſcripta, diſſeramus.

1 Aug. de baptiſmo contra Donatiſtas li. 2. ca. 3.
2 1. Cor. 4.

XVII. Cur indici conſueuerint Synodi in Eccleſia Chriſtiana, & quæ ſit earum poteſtas.

Affirmamus nullam vnquam Synodum Chriſtianam vel fuiſſe indictam, vel indici poſſe ad nouum aliquem Fidei articulum condendum, idque duplici de cauſa. Primùm enim vnius Dei eſt exponere quid vel ſit vel non ſit peccatum, quoniam vnus habet imperium in hominum conſcientiam ac fidem, quò fit vt nullus vnquam hoc ius ſibi arrogarit quin Deum ipſum quodammodo voluerit è ſuo ſolio deturbare [3]. Deinde ambigi non poteſt quin Deus iam olim veterem illum populum abundè in doctrina ſalutis erudierit, primùm per Patriarchas, quibus ſeſe variis viſionibus & oraculis patefecit, prout ipſius ſapientiæ viſum eſt: deinde per Moſem, à quo non ore tantùm, creſcente nimirum hominum improbitate, & decreſcente vita, ſed etiam ſcriptis tradi voluit [4], tum quæcunque ſuperioribus ſeculis ad ſalutem neceſſaria miſeris mortalibus declarata fuerant, tum etiam quæ ad Chriſti vſque aduentum ſufficerent ad Eccleſiæ ſalutem: quò fit vt diſertè Dominus edicat ne quis huic doctrinæ quicquam adiiciat aut detrahat [5], tantum abeſt vt fas fuerit cuiquam hominum aliquid in ea mutare [6]. Succeſſerunt autem Moſi Prophetæ, non qui leges conderent, ſed qui Legem explicarent, & ſuis ſeculis applicarent, & verum vſum tum Legis tum promiſsionum oſtenderent, ſicut ex eorum concionibus liquet. Tandem verò expletis vmbrarum temporibus, Dominus ipſe ad nos deſcendens pleniſsimam lucem in hunc mundum intulit, Patris cæleſtis voluntate prorſus nobis patefacta [7]: & quum rurſus à nobis ad Patrem rediret minimè nos reliquit orphanos, ſed Spiritum ſuum tanta menſura effudit in Apoſtolos & alios à ſe delectos, vt omnem veritatem (quantum quidem ſalutis noſtræ intererat) ipſorum animis inſtillarit, vnde mox in vniuerſum orbem terrarum inundaret [8], ab illis nimirum & verbis explicata, & ſcriptis nunquam interituris tradita, ne tam facilè Satan miſeris mortalibus imponeret, ſuarum præſtigiarum obtentu [9]. Apoſtoli igitur omnem operam ſedulò adhibuerunt, ne quid vel celarent vel adulterarent, & omne Dei conſilium mundo aperuerunt. Id verò ipſorum ſucceſſoribus, id eſt, ſynceris paſtoribus & doctoribus, ſimili ratione neque datum eſt neque dari debuit. Fuerunt enim illi Spiritus ſancti interpretes, omni exceptione maiores, ad plantandas Eccleſias: ac proinde ſatis eſt illorum ſucceſſoribus, ſi in ſua quiſque Eccleſia ſuper illorum fundamentum rectè ædificet [10], neque ad dextram declinans neque ad ſiniſtram. Nam, obſecro, ſi quid ignorarunt Apoſtoli quod ad ſalutem requireretur, quis tandem hominum illud ſibi cognitum eſſe,

3 Col. 2, d, 23. 1. Cor. 7, d, 23. Mat. 15, b, 9.
4 Heb. 1, a, 1. Deut. 31, f, 24. 2. Tim. 3, d, 16, 17.
5 Deut. 4, a, 2, & 12, d, 32. Eſa. 1, c, 11.
6 Heb. 2, a, 2. 1. Cor. 15, e, 21.
7 Ioh. 15, c, 15. Heb. 1, a, 1.
8 Io. 14, d, 26, & 16, b, 13. Matt. 28, d, 10.
9 Act. 20, c, 27. Gal. 1, b, 8.
10 Gal. 1, b, 8. Eph. 4, c, 11, 12, 13, 14, & 2, d, 20.

ſine extrema impudentia, iactabit? & quî conſtabit veritas ſermoni Chriſti contrarium affirmantis [1]? Imò quî tandem ipſi ſalui facti eſſent? Reſtat ergo vt confiteamur probè illis cognitam ac perſpectam fuiſſe vniuerſam ſalutis doctrinam. Quod ſi ita eſt, vti ſanè eſt, & eam illi ſubticuerunt, quid obſtat quominus vt perfidioſi damnentur [2]? Sin autem illam quidem integram voce annuntiarunt, ſed editis libris aliqua tantùm ex parte explicarunt, quis tandem meritò in ipſorum doctrina conquieſcet? aut cur his verbis vtitur Auguſtinus de traditionibus agens, quas vocant Apoſtolicas? *Siqua*, inquit ille [3], *reticuit Ieſus Chriſtus, quis noſtrûm dicet hoc vel illud eſſe: & ſi quis hoc dicat, quomodo probabit?* Itaque ex his efficitur Eccleſiæ fundamentum euerti, & Ieſum Chriſtum vnicum Eccleſiæ caput [4], ſponſum [5], Dominum [6], ac legiſlatorem [7], ipſóſque adeò Prophetas & Apoſtolos [8] vnà cũ ipſo Dei verbo [9], & omnibus orthodoxis Patribus, inſigni cõtumelia affici ab iis qui fas eſſe exiſtimant cuiquam, etiam Angelo [10], nedum homini licere vt vel tantillum verbo Dei ſcripto vel detrahat vel adiiciat.

Cauſa verò duplex eſt cur iam olim vnà conuenerint Eccleſiæ. ¶ Vna, vt puram doctrinam in verbo Dei comprehenſam, aduerſus hæreticos aſſererent, & quod à Prophetis & Apoſtolis tum annuntiatum, tum etiam ſcriptum eſt, aperto ſuo teſtimonio apud omnes bonos approbarent: minimè id quidem quaſi verbi Dei auctoritas nitatur hominum teſtimonio, vel vt quicquam adiicerent Dei verbo, ſed eo conſilio, vt & ſibi & ſuis poſteris aduerſus Satanam & eius ſynagogam conſulerent [11]. Credimus ergo veræ & germanæ Eccleſiæ Dei, cuius notas ſuo loco deſcripſimus. Credimus, inquam, Eccleſiæ, non quaſi Dei verbum, quo vno nitimur, ab illa pendeat [12], ſed è contrario quoniã illa Verbo nititur in quo extat ſolida & firma Dei veritas, & hac ratione dici poteſt Eccleſia columna & firmamentum veritatis, cuius videlicet fidelis eſt teſtis [13]. Et hac ipſa de cauſa non habemus pro Eccleſia, ſed pro Satanę Synagoga omnes illos cœtus qui ab hac veritate deflectunt [14], neque pro vera Chriſti ſponſa, ſed pro meretrice ducimus illam quæ extranei vocem audit [15], quantumuis ſeſe pro vera & caſta Chriſti ſponſa venditet. ¶ Altera cauſa fuit conuentuum Eccleſiaſticorum, vt diſciplinæ Eccleſiaſticæ canones, & vt paucis omnia comprehendam, vt politiam Eccleſiaſticam pro diuerſa temporum, locorum, & perſonarum circunſtantia conſtituerent. Neceſſe enim eſt vt in domo Dei omnia ordine fiant [16], cuius ordinis vna quidem eſt vniuerſalis ratio ex verbo Dei petenda, ſed non vna & eadem forma quibuſuis circunſtantiis conueniens. Sunt autem in condendis politiæ Eccleſiaſticæ legibus hæc tria præcipuè conſideranda.

XVIII. Quid primo loco ſit conſiderandum in politia Eccleſiæ conſtituenda.

Primùm omnium danda eſt opera vt doctrina ipſa, in cuius cognitione & vſu poſita eſt ſalus, accuratè diſtinguatur à ritibus, qui etſi ad ædificationem pertinent, tamẽ propriè reſpiciunt ordinem & decorum illud quod debet in Eccleſia Dei ſeruari. Nam doctrina, cuius partem meritò facimus adminiſtrationem Sacramentorum, conſciẽtiam attingit, & tantum abeſt ab eo vt ab hominum nutu pendeat, vt contrà nefas ſit illam non obſeruare, & vel tantillum ei adiicere vel detrahere. Regulæ autem illæ ſiue canones ſpectant potiùs τὸ πρέπον in rebus exterioribus, ideóque neque ſunt vniuerſales, magna ex parte, neque perpetuæ. Quod enim alicubi prodeſt ad ædificationem, alibi potiùs noceret: & adeò quoque diuerſa eſt temporum ratio, vt quod optimis de cauſis aliquando fuit conſtitutum, neceſſe ſit interdum abolere: quò fit vt magna in veteribus Canonibus non tantùm varietas, ſed etiam repugnantia inueniatur. Quum igitur eiuſmodi conſtitutiones, etſi quod attinet ad finem & fundamentum, nempe generale illud decorum quod nobis obſeruandum præcipitur, diuinæ ſunt ac cæleſtes, tamen humanæ ſint ac mutabiles ſi ſpecialem formam ſpectemus, conſequitur illas non per ſe propriè obligare conſcientiam, ſed, ſi quidem probæ & iuſtæ ſunt, hactenus nos illis obligari vt ædificationi Eccleſię cedant, & offendiculum vitemus: cuius rei exemplum hoc eſto. In Synodo Apoſtolica quæ Hieroſolymis coiit, declaratur nos ſola Dei gratia per fidem iuſtificari, aduerſus eos qui Circuncisionem volebant cum gratuita peccatorum remiſſione coniungere: & præterea inhibetur ſcortatio [17]. Hanc doctrinam dico ab huius Concilij auctoritate nõn prodiiſſe, ſed ab eo duntaxat meritò fuiſſe comprobatam, quoniam hæc eſt doctrina quam Deus ab initio patefecit mundo, & Prophetarum voce ac ſcriptis ſanciuit. Præterea in eadem Synodo decernitur, vt qui ex præputio ad Chriſtum acceſſerant, abſtineant

ab ido-

Marginal notes:
1 Ioh. 14, d, 26, & 16, b, 13.
2 2. Ti. 4, b, 7. 1. Cor. 4, a, 1, 2. 4. Matt. 28, d, 20.
3 Vide Aug. in epiſt. ad Lunaerum.
4 1. Eph. 1, d, 22, & 4, c, 9, 15.
5 2. Co. 11, a, 2. Rom. 7, a, 4. Eph. 5, g, 30. 32.
6 1. Co. 8, b, 6.
7 Iac. 4, c, 12.
8 Eph. 2, d, 20.
9 2. Tim. 3, d, 16, 17.
10 Gal. 1, b, 8. 2. Co. 11, d, 23.
11 Act. 15, a. 2, b, 7, c, 25, e, 28.
12 1. Co. 3, b, 11.
13 Act. 17, c, 11. 1. Theſſ. 5, d, 21. 1. Ioh. 4, a, 1. 2. Tim 3, d, 15
14 Gal. 1, b, 8 Col. 1, d, 23, & 2, b, 10, d, 18, 19.
15 Ro. 7, a, 3, 4. Ioh. 10, a, 3. 4. 5.
16 1 Cor. 14, g, 40.
17 Act. 15.

ab idolothytis, & ſanguine, & ſuffocato. Hanc poſteriorem partem dico à ſuperiore diſtinguendam eſſe, vtpote quæ ſimpliciter & per ſe non reſpiciat cultum Dei, ſed exteriorem duntaxat vitam, idque excellentioris finis reſpectu, nempe vt hoc modo Iudæi ab incircunciſorum conſuetudine non abhorrentes, eò facilius ſeſe perſuaderi paterētur, & in vnum corpus in Chriſto coaleſcerent [1]. Nam alioqui diſſentirent à ſeipſis Apoſtoli, vt qui initiò præſentur ſolam gratiā nos iuſtificare per fidē, abſque operibus Legis [2]: & Chriſto repugnarent, qui teſtatur ea quæ intrant in os non polluere hominem [3]: & Paulus qui huic Synodo interfuit ſibi contradiceret, vt qui poſtea ſit teſtatus omnia munda eſſe mundis: regnum Dei non eſſe poſitum in eſca & potu [4]: & diſcrimina ciborum eſſe diabolicam doctrinam [5]: & hoc tantùm requirat vt omnibus ſobriè vtamur cum gratiarum actione, & noſtram libertatem ad ſtabiliendos infirmos accommodemus, ſicut lex charitatis iubet [6]. Iſti igitur qui hoc diſcrimen non admittunt, vel nobis oſtendant cur Apoſtolicum illud ſtatutum nunc non vrgeant, aut cur ſibi plus liceat quàm Apoſtolis: vel Dei veritati cedant, & nobiſcum deinceps ſtudeant gloriæ Dei verè & ſeriò inſeruire, pro eo quòd abutentes Eccleſiæ auctoritate [7], ventri & ambitioni ſeſe hactenus manciparunt.

1 Acto.15,d,20, 21,c,28,29.
2 Act.15,c,9, 10,11.
3 Mat.15,b,11.
4 Rom.14,c,14, 17. 1.Cor.8,c,8. Col.2,c,16, d,21,22,23. Tit.1,d,14,15
5 1.Tim.4,a,3.
6 Vide Rom. 14,15,& 1. Cor.8.
7 Col.2,b,8.

X I X. Quid ſecundo loco ſit conſiderandum in politicis Eccleſiæ legibus.

Quum iſtiuſmodi conſtitutionum hic præcipuus ſit finis, vt dum omnia decenter & ordine fiunt, quiuis in doctrina ſalutis proficiat, conſequitur ſedulò cauendum eſſe nō modò ne vel inutiles ſint vel ineptæ, néve quid in ſe ſuperſtitionis habeāt, ſed etiam vt tales ſint, quoad eius fieri poterit, vt homines ſuapte natura proni ad idololatriam & hypocriſin, non facilè poſsint illis imbui. Idque vt diligentiùs caueamus, admonere nos debet miſerabilis iſta Chriſtianæ Eccleſiæ deformatio, quam ſanè facillimum eſſet oſtendere maxima ex parte ex eorum præpoſtera diligentia ortam, qui, dum voluerunt ceremonias Iudaicas & profanas ad noſtros vſus accommodare, non animaduerterunt ſeſe aditum patefacere Satanæ ad lucem Euangelij prorſus obſcurandam.

X X. Quid tertio loco ſit in politicis Eccleſiæ legibus ſpectandum.

Quum homines ſuis commentis mirificè delectentur, & ad ſuperſtitionem vehementer ſint procliues, & ſublatis ceremoniarum vmbris fœlix illud tempus nobis illuxerit, quo vult Dominus coli in ſpiritu & veritate, id eſt, puriore quodam & ad naturam Dei propiùs accedente cultu [8], cauendum eſt in primis ne multitudo ceremoniarum ſiue rituum inuehatur: deinde ne quid ſtatuatur cuius vel neceſſarius vel maximus non ſit vſus. Itaque, quod ad noſtras Eccleſias attinet, profitemur maximè nobis probari puritatem Eccleſiarum quæ ſub ipſis Apoſtolis viguit, ídque non idcirco duntaxat quòd certum ſit illos fuiſſe omnium hominum & prudentiſſimos & ſanctiſsimos: ſed etiam quòd Eccleſiarum ruinam, quæ mox excepit illorum tempora, nullis potiùs imputandam arbitremur quàm ijs qui in illorum ſimplicitate acquieſcere noluerunt, quaſi in rebus medijs (quales ſunt ſuapte natura ceremoniæ & ritus) fas ſit nullum modum tenere. Sed ad hunc errorem acceſſit poſteæ vel ſtoliditas, vel improbitas eorum, quos non puduit Apoſtolis tribuere quicquid ab incertis initiis profectum erat, quum pleraque ſint eiuſmodi vt ne in mentem quidem Apoſtolis venire potuerint: & qui de eorum auctoribus diſputant, contrariis inter ſe teſtimoniis facilè poſsint conuinci [9]. Certè nemo ſani iudicij inficiabitur optimam eſſe ſimplicitatem & paucitatem rituum, in ea religione quæ homines è terris in cælum attollit: & Ieſum Chriſtum quò nudior eſt, eò nobis meliùs patere, quum è contrario falſæ omnes religiones ſoleant exterioribus quibuſdam geſticulationibus homines à rebus diuinis auocare. Quòd ſi ſeſe res aliter haberet, quæſo, quid opus fuit Moſaicæ Legis ceremonias abrogari, quæ Dei ipſius voce fuerant conſtitutæ? an vt aliæ poſtea ab hominibus excogitatæ, illis ſuccederent [10]? Meritò igitur Auguſtinus, quanuis homo eſſet patientiſſimi ingenij, tamen de ceremoniarum multitudine conqueritur [11]: qui ſi vidiſſet quæ poſtea non ex Eccleſiæ auctoritate, ſed ex cuiuſque arbitrio introducta ſunt, quos tandem ſuſtuliſſet clamores? Et hæc quidem dicta ſint de iis quæ prorſus vel inutilia vel inepta ſunt. Nam quod attinet ad impia & ſuperſtitioſa, cuiuſmodi ſunt pleraque, quid attinet de iis dicere? Scimus tamen nihil eſſe tam impium quod obiecta Eccleſiæ auctoritate à quibuſdam non defendatur, quaſi videlicet ſit ſatis obtendere inane & falſum Eccleſiæ nomen. Sed age, detur nobis

8 Ioh.4,d,23. Gal.2,a,4, & 5,a,1. Vide epiſt. integram ad Hebræos.
9 Vide Aug. in epiſt. ad Ianuarium.
10 Ioh.4,c,21. Mat.2,b,11. Acto.10,b,15. Col.2,c,16,17
11 Aug. epiſt. ad Ianuarium.

locus ad dicendum, & niſi pleraque oſtendamus à Diabolico ſpiritu inuecta, in quibus hodie homines imperiti ſummam pietatis ponunt, temeritatis noſtræ pœnas demus.

XXI. Quid ſit iis reſpondendum qui Conciliorum auctoritatem nobis obyciunt.

Hic eſt igitur Conciliorum ſcopus: quod quum ita ſit, vt paucis omnia complectar, tantum abeſt vt, quod nonnulli dictitant, Concilia repudiemus, vt è contrario parati ſimus oſtendere Concilia à nullis turpiùs & impudentiùs conculcari quàm ab iis qui nobis hunc contemptum obiiciunt. Sed hoc tamen profitemur, nobis neſas videri eò vſque Concilia extollere, vt fides auctoritate illorum tanquam fundamento nitatur, quum Paulus ipſe, qui tamen multorum inſtar erat, hoc ius vni Chriſto Ieſu in regnum ſeruet [1]. Primùm igitur obſeruandum dicimus quænam Concilia proferantur, quomodo, quo tempore, quo loco, à quibus, & quo fine conuocata & celebrata fuerint, quoniam multò plura illegitima Concilia quàm legitima comperientur, ſi quis omnes iſtas circunſtantias expenderit: & nullum ius eſt vel diuinum, vel humanum, quod nos cogat non ſatis idoneis teſtibus credere. Sed in primis expendendum eſt ipſum doctrinæ genus, num videlicet hauſta ſit ex Dei verbo, & cum hac regula veritatis prorſus conſentiat, ſicut olim factum eſt à Berœenſibus [2], & Apoſtolus fieri iubet [3]. Denique credimus Eccleſiæ vt teſti, quatenus vera eſt Eccleſia & verbo Dei conſentit: & eos à quibus hodie oppugnamur, vt Eccleſiæ & Conciliorum hoſtes auerſamur, cuiuſmodi nimirum erant olim Phariſæi: vtpote qui videri volebant columnæ Eccleſiæ, quum tamen ſuis traditionibus mandata Dei abrogarent, & neque ipſi in regnum cælorum introirent, nec alios ingredi paterentur.

1 1.Cor.7,b,10,12, e,25, f,35.
2 Act.17,c,11.
3 1.Theſſ.5,b,12.

XXII. De Synodis particularibus, id eſt, Prouincialibus vel Nationalibus, quas vocant.

Quid olim fuerit conſtitutum de prouincialibus Synodis à Metropolitano cogendis, abundè liquet ex veteribus canonibus. Neque verò nos ij ſumus qui, ſi inſtauratæ eſſent Eccleſiarum ruinæ, vel hunc vel alium non diſsimilem ordinem repudiandum arbitremur. Sed duo hîc requirimus in primis, nempe ne qua rurſus tyrannis in Eccleſiam inuehatur, quaſi certæ cuipiam ſedi vel perſonæ ſit alligatus Spiritus ſanctus: deinde vt omnia ad ædificationem referantur, veteribus ipſis canonibus ad hunc finem reuocatis.

XXIII. Quot ſint ſpecies ordinariarum functionum in Eccleſia legitimè conſtituta.

Hactenus à nobis dictum eſt de vniuerſi corporis Eccleſiæ poteſtate. Supereſt vt de præcipuis eiuſdem corporis membris diſſeramus, quæ quidem mihi videntur commodiſſimè diuidi poſſe in quatuor ſpecies. Nam eorum qui publico munere funguntur in Eccleſia, alij annûtiando Verbo, alij diſtribuendis Eccleſiaſticis bonis, alij diſciplinæ & politiæ Eccleſiaſticæ præſunt: alij denique partim adminiſtrant ciuilia negotia, partim Eccleſiæ tranquillitatem in genere procurant ac tuentur, & quidem accepta in hos vſus gladij poteſtate [4]. Nam qui ab Eccleſiaſticis Laicos, quos vocant, ſepararunt, quaſi & iſti non ſint Eccleſiæ membra, planè ſecreuerunt quæ Deus coniunxit, quum paſsim in Scripturis Reges vocentur Chriſti Domini [5], perinde vt Prophetæ & fideles reliqui [6]: & Petrus appellatione Cleri, (quo nomine ſignificatur hæreditatis portio) totam Eccleſiam Dei, vt ipſius videlicet portionem ac peculium comprehendat [7].

4 1.Ti.2,a,2.
5 Hoc paſsim occurrit in libris Regum & Pſalmorũ.
6 Pſ.105,b,15.
7 1.Pe.5,a,3.

XXIIII. De munere Apoſtolorum, Euangeliſtarum, & Prophetarum, in primitiua, quam vocant, Eccleſia.

Reperimus in verbo Dei quinque gradus eorum qui poſt Chriſti aduentum docendis Eccleſijs præfuerunt. Recenſentur enim Apoſtoli, Euangeliſtæ, Prophetæ, Paſtores, & Doctores [8], qui omnes generali nomine interdum vocantur Epiſcopi, id eſt, inſpectores [9]: interdum Diaconi, id eſt, miniſtri [10]: & interdum quoque Presbyteri, quaſi Senatores dicas [11]. Ex his autem quinque gradibus non ambigimus quin tres primi fuerint temporarii, quatenus videlicet inſtituti fuerunt ad id tempus quo plantādæ erant Gentilium Eccleſiæ, & Iſrael à Moſe ad Chriſtum traducendus. Nam Apoſtoli fuerunt ἀμέσως ab ipſo Chriſto deſignati, æquali inter ſe poteſtate [12]: futuri ædificii velut primarii architecti [13], nulli certæ Eccleſiæ adſtricti, velut nonnulli de Petro fabulantur quem ex Apoſtolo Romanum Epiſcopum faciunt, ſed in vniuerſum orbem terrarum miſſi [14], prout Spiritus Domini eorum greſſus regebat [15], ſicut ex Actis Apoſtolicis conſtat, non autem ex fabuloſis & blaſphemis Abdiæ cuiuſdam Babylonii, vel alterius cuiuſcun-

8 1.Cor.12,d,28. Eph.4,c,11.
9 Acto.20,f,28. Phil.1,a,1.
10 1.Cor.3,a,5. Col.1,a,7.
11 Act.20,d,17. 1.Pe.5,a,1.
12 Mat.18,c,18. Lu.22,c,25. Acto.1,b,8. Cyprian. de ſimplic. prælatorum. Aug. hom.50. in Ioh. Gal.2,b,9.
13 1 Co.3,b,10. Ro.15,e,20.
14 Act.1,b,8.
15 Act.16,a,6,7

cuiuſcunque ſcriptis, quæ nuper non puduit nonnullos Eccleſię Dei obtrudere. Euangeliſtæ verò, comites & συνεργοὶ erant Apoſtolorum, cuiuſmodi fuerunt Timotheus, Silas, Titus, & alij Pauli comites, quorum opera in ijs rebus vtebatur quibus ipſe vnus ſufficere non poterat[1]. Prophetas autem conſtare poteſt ex iiſdem Actis Apoſtolicis, certo loco fuiſſe magis adſtrictos, & ſingulari quadam intelligentia myſteriorum Dei fuiſſe donatos, adeò vt interdum quoque pollerent dono prædicendi res futuras, quatenus Domino videbatur ſignis & miraculis naſcentem Eccleſiam confirmare[2]. Superſunt igitur Paſtores & Doctores, quorum munus perpetuum eſt in Eccleſia, ſed ea menſura qua Domino libuit: ſicut ſuo loco expoſuimus[3].

XXV. De munere Paſtorum & Doctorum.

Horum Doctorum officiũ eſt in genere, adminiſtrando ſermoni, & precibus habendis incumbere[4], ſub quibus etiam comprehendimus Sacramentorum adminiſtrationem, & Nuptiarum benedictionem ex perpetuo Eccleſiæ vſu, quanuis ſæpe Diaconi in his rebus ſuppleuerint Paſtorum vices[5]. Hæc ſunt igitur quæ Chriſtus vocabulis ſoluendi & ligandi, aperiendi & claudendi, & clauium quoque nomine ſignificauit[6]. Quoniam enim cælum nobis tanquam domicilium quoddam perpetuum proponitur, ad quod vnus eſt aditus per Ieſum Chriſtum[7], & rurſus ad Chriſtum vna fides nos deducit[8], quæ quidem in nobis creatur ac fouetur à Spiritu ſancto per Verbum & Sacramenta, ſicut ſuo loco explicauimus[9]: idcirco Paſtores, quibus commiſſum eſt munus prædicandi Verbi & Sacramentorũ adminiſtrandorum, dicuntur geſtare claues regni cælorum[10], quoniam per ſermonem reconciliationis[11] Mundus ad vitam æternã adducitur. Prætereà quoniam peccata, tanquam vincula quædam nos conſtrictos tenent, & prædicatio Euangelii annuntiat nobis liberationem à peccato, morte, & Diabolo[12], ideo dicuntur Miniſtri ligare & ſoluere ex Dei auctoritate. Sed tria hîc obſeruanda ſunt quę mox ſubiiciemus.

XXVI. Diſcrimen eſſe inter Paſtores & Doctores.

Primùm igitur ſciendum eſt aliquod eſſe diſcrimẽ inter Paſtores & Doctores. Nam Doctorum munus eſt, verbum Dei ſimpliciter enarrare[13], vt verus ſenſus eruatur: & Catechumenos præſertim inſtituere, quo munere functus eſt Origenes in Eccleſia Alexandrina[14]. Sed Paſtores longiùs progrediũtur, vt qui in ſuis concionibus doctrinam Verbi applicent Eccleſiæ vſibus, publicè ac priuatim precando, exhortando, conſolando, increpando: denique dies & noctes excubando pro gregis ſalute quem illis Dominus verbo vitæ paſcendum commiſit[15].

XXVII. Paſtores & Doctores eſſe duntaxat inſtrumenta quibus vtatur Deus.

Alterum prætereà tenendum eſt, nempe nec Paſtores nec Doctores propriè poſſe quemquam vel ligare vel ſoluere, vel regnum cælorum cuiquam aperire vel claudere. Proprium enim eſt vnius Dei, qui corda noſtra finxit, ea immutare[16], & trahere[17]: remittere vel retinere peccata[18]: corpus & animam vel perdere vel ſeruare[19]: & ita quidem proprium, vt hanc gloriam cum nemine prorſus communicet. Quoniam tamen, pro ſua bonitate, vtitur hominum miniſterio ad patefaciẽdam ſuam voluntatem, tum in prædicatione Verbi, tum in adminiſtrandis Sacramẽtis[20], quibus veluti geminis canalibus vtitur vt in electorum corda gratiam ſuam inſtillet[21]: ideo magnifica hæc elogia miniſterio Eccleſiaſtico attribuuntur[22], adeò vt in hæc etiam verba erumpat Filius Dei, Qui vos recipit, me recipit: qui vos reiicit, me reiicit[23]: habita videlicet eius ratione qui per eos agit[24]. Nam ſi Miniſtros in ſeſe quantumuis excellentes conſideremus, acquieſcendum erit in hoc Pauli dicto[25], Qui plantat & qui rigat nihil eſt, ſed Deus qui dat incrementum: quod ipſum confirmarat Iohannes[26] quum diceret, Ego quidem baptizo vos aqua, ſed qui poſt me venit fortior me eſt, ipſe vos baptizabit Spiritu ſancto & igni. Cauẽdum eſt igitur ſedulò ne Miniſtros Verbi vel aſpernemur quatenus ſunt Miniſtri, vel eò vſque euehamus, vt quaſi pro Deo ipſos veneremur, ſicut plerunque ſolet fatuus & ſtupidus hic mundus ad pſeudoprophetas præſertim obſtupeſcere. Sequamur potius quod requirit Paulus, vt veros Chriſti Miniſtros habeamus pro diſpenſatoribus arcanorum Dei[27], ac proinde vocem Paſtoris per os ipſorum loquentis audiamus[28].

XXVIII. Quibus ſignis diſtinguantur veri Paſtores & Doctores à falſis.

Tertio loco obſeruandum eſt quod ibidem dicit Apoſtolus[29], nempe id viciſſim requiri à diſpenſatoribus, vt fidi inueniantur. Itaque indigni ſunt Miniſtrorum nomi-

1 Act. 16, a, 3, & 14, d, 11. 1. Timo. 3, a, 3. 2. Ti. 4, b, 1. Tit. 1, b, 5.
2 Acto. 11, d, 27 28, & 21, b, 9, 10.
3 Supra artic. 9.
4 Act. 6, a, 4. 2. Ti. 4, d, 13.
5 1. Cor. 1, c, 14, 15, & deinceps. Ioh. 4, a, 2.
6 Mat. 16, c, 19, & 16, c, 18.
7 Ioh. 14, a, 6, & 10, b, 9.
8 Col. 2, b, 6, 7.
9 Ro. 4, b, 11, & 10, c, 17. 1. Pe. 1, d, 23. Acto. 8, g, 37.
10 Mat. 16, c, 19, & 18, c, 18.
11 2. Cor. 5, d, 19.
12 Acto. 26, d, 18. Luc. 1, a, 61. 2. Tim. 2, d, 25, 26.
13 1. Cor. 12, a, 8.
14 Euſeb. Eccl. hiſt. lib. 6. cap. 3.
15 Act. 6, a, 4, & 20, d, 20, f, 27, 28. Rom. 12, b, 6, 7, 8. 1. Cor. 14, a, 3. 1. Tim. 4, d, 13. 2. Ti. 1, 3, d, 20. Tit. 1, c, 9. Ioh. 1, c, 15, 16, 17. 1. Pe. 5, a, 2.
16 Pſa. 51, c, 11, 12.
17 Ioh. 6, e, 44.
18 Mar. 2, a, 7.
19 Luc. 12, a, 5.
20 1. Co. 4, a, 1, 2. 2. Cor. 5, d, 19.
21 Heb. 4, c, 12.
22 Ioh. 20, e, 23. Act. 16, e, 18. Mar. 3, 6, 24. 1. Tim. 4, d, 16
23 Lu. 10, c, 16.
24 1. Cor. 15, b, 10 Gala 2 b, 8. 2. Cor. 5, d, 20 & 10, b, 4, 5, 6.
25 1. Cor. 3, b, 7. 8.
26 Mat. 3, c, 11.
27 1. Cor. 4, a, 1.
28 Ioh. 10, a, 4.
29 1. Co. 4, a, 2.

1 1.Cor.16,c,16 ne, ac proinde etiam honore [1], qui ſeſe falſò Miniſtros vocant, quum à Domino nō ſint vocati, id eſt, qui vel ritè non ſunt electi ab Eccleſia, (ſi quis eſt in Eccleſia legitimus ordo conſtitutus) vel à Deo non ſunt extra ordinem excitati, ſicut noſtro quoque tempore accidit, rebus ita collapſis vt ordinariæ vocationi nullus eſſet locus relictus. Quo-
2 Ro.10,c,15. Ier.23,e,21. modo enim prædicabunt, inquit Paulus, niſi mittantur [2]? & quis tandem eſt princeps qui ratum habere velit quod ipſo non tantùm inſcio, ſed etiam vetante, quiſpiam egerit? Itaque ſeriò admonemus pios omnes, vt diligenter inquirant in eos qui, prætérita legitima & ordinaria vocatione, quoties aliquis eſt ei locus, vltrò ad Miniſterij functionem accedunt. Certum enim eſt eiuſmodi homines, quum non niſi à malo ſpiritu impellantur, etiam ſi ad tempus ſimulent paſtorum vocem, tamen lupinum ingenium tandem prodere, cum ſera plerunque miſerarum ouium pœnitentia. Præterea pro paſtoribus habendi non ſunt, quos res ipſa oſtendit ad paſtoris munus nullo modo eſſe idoneos: neque etiam ij qui ſceleribus ſunt infames, & ad offendicula non tollenda ſed ponenda comparati, & qui ſuum officium non obeunt. Qui enim paſtor fuerit, qui non paſcit? Eſt tamen audienda Chriſti vox, etiam ſi per mercenarios & impuræ vitæ Miniſtros nobiſcum loquatur: vt hîc valeat dictum illud, Quæ dicunt facite, ſed ſecundum opera eorum nolite facere: quatenus videlicet ſuper Moſis cathedram ſedebunt, id eſt, quatenus verbum Dei annuntiabunt, quanuis eorum vita
3 Matth.23,a,3 Phil.1,c,18. & dicta non conſentiant [3]. Toleràndi ſunt igitur mercenarij, iis quidem qui facere aliter non poſſunt. Sed quibus id onus incumbit, vt eiectis mercenariis veros paſtores conſtituant, ij viderint quid coram Deo reſponſuti ſint, niſi officio ſuo fungantur. De Lupis verò ſiue pſeudoprophetis longè aliter ſentiendum, vtpote quos toties iubeat Dominus vt fugiamus & omnibus modis vitemus [4]. Pro lupis autem & Satanæ
4 Mat.10,c,17, & 16,a,6,b,11 Ro.16,c,17. Gal 1,b,8, & 5,b,12. Philip. 3,a,2. 1.Tim. 6,a,3, 4,5. miniſtris habemus quotcunque extra verbum Dei vagantur, id eſt, qui verbum Dei ſynceré non explicant, ſed aut planè reiiciunt, aut ſuis commentis adulterant, vel aliquid ei adiiciunt aut detrahunt. Quicquid autem iſtiuſmodi lupi garriant, etiamſi mille canonas, & totidem bullas, & mille ſucceſsionum gradus oſtentent, prorſus inane & friuolum id eſſe affirmamus, & à piis omnibus, Chriſti & Apoſtolorum exemplo, ſecu-
5 Ioh.9,e,12,f, 14,35, & 16,2, 3,2. Acto.4,b,10, & deinceps. 1.Cor.4,a,5. rè contemnendum [5]. Poteſtas enim ligandi & ſoluendi, claudendi & aperiendi, non eſt infinita, neque arbitraria, ſed limitibus à verbo Dei circunſcriptis definita & concluſa, neque lupis, ſed paſtoribus eſt attributa: atque vt maxima pars hominum adiuuet & approbet iſtorum rabiem & crudelitatem, non tamen conſequitur ratum eſſe in cælis quod in terris geritur contra Dei mandatum.

XXIX. *Aliquem ordinem conſtitui oportere in Paſtorum collegio.*

Quanuis æqualis ſit Paſtorum inter ſe auctoritas, ſicut vna eſt functio, tamen neceſſe eſt vt omnes cœtus certo quodam ordine gubernentur. Itaque videmus Hieroſolymis in Apoſtolorum collegio Petrum cæteris præiuiſſe [6]. Sed hinc non efficitur
6 Act.2,c,15, & 2,c,14, & alibi ſæpe. quod nonnulli contendunt, Petri videlicet Apoſtolatum eſſe à collegarum munere diſtinguendum, tanquam princeps fuerit ſupra Apoſtolos, aut veluti Eccleſiæ caput. Nam ordinis tantùm cauſa collegis ſuis præibat, idque in communi cœtu, quoties vſus ferebat. Idque ita eſſe vel ex eo liquet quòd coram Eccleſia reprehenſus ab iis
7 Acto.11,a,2,3, 4, & c.18. qui erant ex Circuncīſione, rationem reddit obitæ ſuæ legationis [7]: & Antiochiæ à Pau-
8 Gal.2,c,11. lo coràm redarguitur [8], neque vllum vel leuiſſimum teſtimonium in tota illa hiſtoria inuenietur, ex quo primatus iſte colligi poſſit: ſed è contrario parem Apoſtolo-
9 Luc.22,c,24. 25,26. rum vocationem, & æqualem functionem fuiſſe tota hiſtoriæ ſeries conuincit [9]. Ita-
Mat.28,d,19. queagnoſcimus neceſſarium eſſe vt aliquis inter fratres exiſtat qui collegium congre-
Marc.16,c,15. Act.1,b,8. get, de negotiis referat, collegas mittat in ſuffragia, collegij denique nomine, quum
1.Pe.5. a,1,2,3 opus erit, ſcribat & loquatur. Eiuſmodi fuit in vetere Eccleſia quem Iuſtinus τὸν
10 Iuſt. in Apologetico. προεστῶτα, id eſt, Antiſtitem vocat [10]: nunc alicubi Decanum claſsis appellant, cuius annuum eſt munus, vbi videlicet Eccleſiæ ſunt in claſſes diſtributæ: alibi nuncupant Superintendentem, ad vitandam (opinor) Epiſcopalis tyrannidis inuidiam. Neque verò nos ignoramus quàm multa ſint à veteribus conſtituta de Epiſcoporum, Metropolitarum, & Patriarcharum ſedibus, idque optimo zelo, & definitis cuiuſque limitibus, certaque attributa auctoritate. Sed tamen propter horrendam illam tyrannidem, quæ
11 In epiſtolam ad Titum. ab his initiis exorta, (vt rectè iudicauit Hieronymus [11], & ex tota illorum temporum hiſtoria liquet,) vniuerſam Eccleſiam perdidit, & eius inſtaurationem hodie penè vna remoratur, acquieſcimus in Apoſtolorum ordine & conſuetudine, quos ſatis apparet in

ret in procuratione negotiorum eos delegiſſe communi conſenſu, quos aptiſſimos eſſe iudicabant, prout neceſſitas requirebat[1]: & ita quidem vt eiuſmodi hominum poteſtas temporaria eſſet & definita[2], & Eccleſiæ inter ſe aliæ aliis ex officio, non autem ex regio quodam imperio, reuerentiam deferrent, quum videlicet hoc vnum quærerent vt ſeſe mutuò in propaganda Dei gloria iuuarent: tantum abeſt vt cuiquam liceret ex ſuo arbitrio quidlibet tentare, aut quiſquam diceret ſeſe à nemine iudicandum, etiam ſi omnes in Tartara præcipites traheret, vt Romanus ille Antichriſtus non modò dixit, ſed etiam ſcriptum reliquit, vt perpetuum Romanæ Apoſtaſiæ monimentum extaret. Hæc autem ita fuiſſe ab Apoſtolis factitata, cuiuis liquere poteſt ex hiſtoria electionis Matthiæ[1], & Diaconorum[2], itemque ex eo quòd Simon & Iohannes in Samariam à reliquis Apoſtolis mittuntur[3], & Barnabas[4], Iudas & Silas Antiochiam[5], atque adeò ex ipſa Hieroſolymitanæ Synodi actione[6], & iis quæ à Paulo multis locis ſcribuntur[7].

XXX. *De ſecunda ſpecie publicorum munerum in Eccleſia, id eſt, officio Diaconorum, & ærarij Eccleſiaſtici adminiſtratione.*

Secunda ſpecies functionum Eccleſiaſticarum reſpicit diſtributionē bonorum Eccleſiæ, quod onus à ſe vltrò reiecerunt Apoſtoli, quòd tā multis rebus ſufficere ſe non poſſe crederent: tantum aberant ab eorum ſordibus qui ſe vocant illotum ſucceſſores, & ſoli volunt pro Eccleſia cenſeri[8]. Primùm igitur in Eccleſia Hieroſolymitana delecti ſunt ſeptem viri, pleni Spiritu ſancto & ſapientia, & vitæ idoneis teſtibus comprobatæ, qui peculiari nomine vocati ſunt Diaconi, id eſt, miniſtri, quòd menſis, id eſt, conuiuiis, quas Agapas vocabant, & reliquis eiuſmodi vſibus inſeruirent, quum alioqui Diaconorum, id eſt, miniſtrorum nomen interdum latiſſimè pateat[9]. Hunc ordinem poſtea ſequntæ ſunt reliquæ Eccleſiæ, non tamen quod ad numerum attinet, ne quis in ſeptenario numero curioſè philoſophetur: ſed habita eius functionis ratione, quæ ferè diſtincta fuit à Verbi miniſterio, vt veteris Eccleſiæ hiſtoria demonſtrat. Imò etiam ex veteribus Canonibus liquet bona Eccleſiaſtica in quatuor partes diuidi conſueuiſſe[10]. Harum autem vna diſtribuebatur Clericis, id eſt, qui vel ex parentum conſenſu ſumptibus Eccleſiæ alebantur & inſtituebantur, rantiſper dum ad aliquod munus deligerentur: vel iam re ipſa ſeruiebant Eccleſiæ. Eſt enim operarius dignus ſua mercede[11]: & è contrario æquum eſt vt qui non laborat non manducet[12]. Sed magna hîc cautio adhibebatur, ne qui ſumptus inutiliter fierent, ne multitudine clericorum grauarentur Eccleſiæ[13]: ne denique ex publico alerentur qui ſuo ſumptu commodè poterant ſeipſos ſuſtentare[14]. Alter autem quadrans pauperibus alendis: tertius tuendis ædificiis & aliis eiuſmodi vſibus impendebatur, ita tamen vt præterquam quòd ſumma cum moderatione iſti ſumptus fiebant, omnia etiam templi ornamenta, ſi quando id requireret inopia, in pauperum vſus venirent: quanuis Hieronymus[15], & Ambroſius[16], iam olim ſint conqueſti multos plus æquo iam tum fuiſſe deditos multis pompis, quæ profanis potiùs hominibus quàm Chriſtianis conuenirent. Denique quadrans qui ſupererat, Epiſcopo concedebatur[17], non vt eo abuteretur pro ſuo arbitrio[18], ſed vt ſobriè & honeſtè viuens captiuos etiam fratres, quum opus eſſet, ſolaretur[19], & pauperes aduenas exciperet[20], ſicut recitat Gelaſius[21], & Hieronymus quoque perſpicuè ſignificat[22]. Onera igitur iſtiuſmodi committebantur Diaconis, eóſque oportebat rationes reddere accepti & expenſi coram Presbyteris, quorum collegio præerat Epiſcopus[23], adeò vt alios aliorum auctoritate vti in rebus omnibus oporteret, quemadmodum in Concilio Antiocheno cauetur[24]. Fecit autem poſtea partim opum amplitudo, partim oneris magnitudo, vt Diaconis adiuncti ſint Subdiaconi quibuſdam in locis, & ordinis cauſa inſtituti Archidiaconi, quorum fit mentio apud Hieronymum[25] & Gregorium[26]. Poſſunt autem Diaconis adiungi Viduæ, quę pauperum & hoſpitum vſibus ſeruiebant, præſertim ægrotorum, quarum fit mentio expreſſa tum apud Lucam[27], tum apud Paulum[28].

XXXI. *De inferioribus ordinibus, quos minores vocant.*

Fit præterea mentio apud Scriptores ſatis vetuſtos quarundam functionum, quæ poſtea vocari cœperunt Minores ordines, & ab aliis quatuor, & ab aliis plures numerantur. Erant enim quidam ex Clericis Hoſtiarij, qui ad templi fores erant, catechumenorum cauſa, & excommunicatorum, & pœnitētium, quos à myſteriis arcebant[29]. Quidam præterea dicebantur Acoluthi, quaſi Epiſcopi comites ac pediſſequi, velut

1 Act.1,c,15, d,21,26.
2 Act.6,a,2,3,5.
3 Act.8,b,14.
4 Act.11,c,22.
5 Act.15,c,25,26,27.
6 Vide Act.15.
7 Epiſt. ad Titum, & vtraque ad Timotheum, & alibi paſſim.
8 Act.6,a,2,1,3,4,5.
9 Ro.15,b,16. & alibi ſæpe.
10 Vide can.4. Synodi Romanæ anno 337. & Simplicij Romani Epiſco. epiſtolam tertiā. Itemque c. mos eſt, & c. ſancimus, & c. de redditibus, & c. quatuor, 12, q.2.
11 Deut.25,4. Matt.10,a,10. 1.Cor.9, b, 9.
12 2.Theſſ.3,c,8,9,10.
13 Vide nouellas Iuſtinian.
14 1.Ti.5,a,4, c,16. c.Clericos, 1, q.2.
15 Hieron. in epiſt. ad Nepotianum.
16 Amb. lib.2. offi.cap.28.
17 Cano. Apoſtol.38.
18 Cōcilio Carthagin. quarto, ca.15,17,20,31.
19 c.Apoſtolicos, & c.ſacrorum, 12,q.2.
20 1.Ti.3,a,2. Tit.1,c,8.
21 C.præſulum 16,q.3.
22 Hier. epiſt. ad Nepotianum. Pſeudoclemens in epiſt. ad Iacobum fratrem Domini.
23 Can. Apoſtol.32. & 41.
24 Conc. Ant. Ca.24,25.
25 Hier. epiſt. ad Nepot.
26 Lib. epiſt. prim. epiſt.10. 27 Act.6,a,1. 28 1.Tim.5,b,9. 29 Conc. Carth. quarto, can.9.

omnium ipſius dictorũ & factorum teſtes, vt paulatim Eccleſiæ innoteſcerent, & tractandis Eccleſiæ rebus aſſueſcerent, quorum etiam opera leuiculis quibuſdam in rebus in publico cœtu vtebantur [1]. Non deerant etiam Lectores qui locum Scripturæ à Paſtore vel Doctore explicandum publicè legebant [2]. Fit quoque mentio Exorciſtarum [3], ſed quorum munus aut deſiit, aut deſinere ſanè debuit cum miraculorum dono. Erant autem inſtitutæ omnes iſtæ functiones, non tantùm ordinis ſeruandi cauſa, ſed etiam vt Clerici aliquod induſtriæ ſuæ ſpecimen paulatim ederent antequam illis maius aliquod onus imponeretur, adeò vt non temerè aliter quàm his gradibus ad maiores functiones perueniretur, conſtitutis etiam temporum interuallis, quibus oporteret in illis ſingulis perſtitiſſe, vt ex veteribus Canonibus apparet.

XXXII. De tertia ſpecie Eccleſiaſticarum functionum, earum videlicet quæ verſantur in Iuriſdictione.

Tandem ad tertiam ſpeciem munerum Eccleſiaſticorum peruenimus, quæ ad Spiritualem iuriſdictionem pertinent. Committebatur autem illa Preſbyteris peculiariter ſic vocatis, quaſi Senatores ſiue Seniores appelles, quos etiam Apoſtolus alicubi nuncupat Gubernatores [4], & quorũ collegium Chriſtus Eccleſiæ nomine ſignificat [5], quòd penes eos reſideret ſumma politiæ verè Eccleſiaſticæ, vt ſatis appareat totum hunc ordinem ex Iſraelitica Eccleſia fuiſſe deſumptum. Deligebantur verò Preſbyteri ſuffragiis, aut ſaltem approbatione vniuerſi cœtus, vt ſatis apertè conſtat ex Ambroſio, conquerente quòd certi homines hoc ius ad ſe transferrent [6]: & ex Cypriano quoque [7], ex quo illud etiam intelligere licet, Epiſcopum præfuiſſe Preſbyterorum collegio, non vt ibi regnaret, ſed vt ex eorum ſententia Eccleſiaſticam politiam regeret, quum præſertim per id tempus Eccleſiæ Aphricanæ non adiuuarentur à Magiſtratu, ſed potius crudeliſſimè vexarentur. Sed ſciendum eſt hanc iuriſdictionem non pertinere ad res terrenas & caducas, ac prorſus diuerſam eſſe à Ciuili, ſicut Chriſtus teſtatus eſt [8], & poſt Chriſtum Paulus [9], quanuis vtraque ſigillatim vniuerſos fideles ſine exceptione comprehendat. Nam & Ciuili Magiſtratui obnoxij ſunt omnes [10], cuius etiam poteſtas eſt ſuo reſpectu ἀρχιτεκτονικὴ, quatenus pacem & εὐταξίαν procurare debet, præſertim in iis quæ primam tabulam reſpiciunt [11]: & viciſſim nemo eſt qui verbo Dei ac proinde Eccleſiaſticæ diſciplinæ non ſubiiciatur [12]. Vult tamen, fateor, Apoſtolus, vt vitandi offendiculi cauſa, Chriſtiani ſuas controuerſias abſque ciuili Magiſtratu priuatim diiudicent [13]. Sed ſatis apparet Paulum, qui Chriſti & ſanctorum omnium veſtigia ſecutus eſt, nihil propterea detrahere Ciuili iuriſdictioni, neque confundere quæ Dominus diſtinxit, ſed eius duntaxat temporis habere rationem, quo fieri non potuit vt coram infidelibus iudicibus contenderent fideles, quin variis calumniis eſſent obnoxij, quam ob cauſam Corinthios admonet vt eiuſmodi potiùs controuerſiæ omnes vel ſemel tollantur, vel domeſtica diſceptatione componantur. Nihil ergo fauet iſta Pauli admonitio furioſis & vertiginoſis Anabaptiſtis, qui nullum Ciuili Magiſtratui locum in Eccleſia Chriſtiana relinquunt. Ergo vt ad rem redeam, quædam eſt iuriſdictio Eccleſiaſtica, ſed à Ciuili penitus diſtinguenda. Conſtat tamen ſub Chriſtianis etiam Imperatoribus Epiſcopos ciuilium cauſarum cognitione fuiſſe multùm impeditos, ſed vt amica tranſactione tollerentur diſſidia: quanuis dubium non ſit quin quorundam Epiſcoporũ ambitioni iam tũ nonnulli Imperatores nimiùm indulſerint, vnde poſtea factũ vt paulatim omnia fuerint perturbata. Neque enim omnes Epiſcopi ſimiles erant Auguſtino, conquerenti ſeſe iſtiuſmodi cognitionibus per populi importunitatem à ſuo munere auocari: & de hac re extant tam graues & acerbæ Bernardi querelæ [14], vt penè ſit incredibile non fuiſſe iam pridẽ inter hæreticos relatum ab iis qui vtrumque, quem vocant, gladium ſuo Antichriſto non minùs falsò quàm impudenter aſſerunt.

XXXIII. Quis ſit ſcopus Iuriſdictionis Eccleſiaſticæ, & quæ ipſius partes.

Tota iuriſdictio Eccleſiaſtica hunc vnum ſcopum habet propoſitum, vt & corpus vniuerſum Eccleſiæ, & ſingula eius membra conſeruentur in communi ædificatione, ex verbi diuini præſcripto. Iam verò quum hæc ædificatio ſpiritualis poſita ſit in bonis legibus, & accurata ipſarum obſeruatione: leges autem ipſæ vel propriè reſpiciant ſalutis doctrinam, id eſt, Dei cultum & amorem proximi: vel ad eius politiæ rationem ſpectent quæ in Eccleſia debet, ordinis cauſa, obſeruari, efficitur duas eſſe præcipuas huius iuriſdictionis partes. Vna enim complectitur iuris condendi poteſtatem, tum quod

1 Eodem Con. can. 9.
2 Eodem Conc. can. 9.
3 Eodem Con. can. 7.
4 1. Co. 12, d, 28. Ro. 12, b, 8.
5 Matt. 18, c, 17.
6 Ambr. in 1. Tim. 5.
7 Lib. Epiſt. 2. Epiſt. 5, & li. 3. epiſt. 10. 14. 15. & aliis deinceps.
8 Luc. 12, b, 14. & 22, c, 26. Ioh. 18, f, 36.
Act. 6, a, 2.
9 2. Cor. 10, a, 4
10 Ro. 13, a, 1.
11 Pſa. 101, b, 8. 1. Ti. 2, a, 2.
12 Ioſ. 1, b, 8. Pſa. 2, c, 10. 11, 12. Ier. 1, b, 10. Ambr. ep. 32. ad Valentinianum.
13 1. Cor. 6, a, 4, 5, 6.
14 Lib. de Cõſideratione 1.

tum quod ad dogmata & mores, tum etiam quod ad externam politiam attinet: altera verò poſita eſt in eorum coercione qui poſitas leges tranſgrediuntur. Sed quod attinet ad priorem partem, iam antea demonſtrauimus Deum ſibi vni totum hoc ius integrum ſeruaſſe, conſcientiæ per leges adſtringendæ, vt ex vna ipſius voluntate nobis per Prophetas & Apoſtolos pleniſsimè nunc patefacta debeat conſtitui quid ſit coram Deo iuſtum vel iniuſtum. Itaque ſupererit altera duntaxat particula Eccleſiæ gubernatoribus conceſſa, legum videlicet conſtituendarum quæ τὸ πρέπον ſpectant in Eccleſia, & ita quidem vt omnia particularia, quæ nec perpetua nec vniuerſalia eſſe poſſunt propter circunſtantiarum diuerſitatem, ad generales politiæ regulas, quæ & ipſæ in verbo Dei ſunt expreſſæ, ſemper reuocentur, ſicut ſuo loco declarauimus [1]. Sed age totam hanc Preſbyterorum poteſtatem per ſingulas partes explicemus. [1] Suprà art. 17, 18, 19, 20.

XXXIIII. De ſingulis partibus officij Preſbyterorum.

Debent igitur Preſbyteri in primis vigilare, & omnem operam adhibere vt Eccleſia ipſis commiſſa certo ordine gubernetur, & omnes leges de ea re conſtitutæ ab vnoquoque ſedulò obſeruentur. Item, vt ſiqui ſint ἄτακτοι, in eos inquiratur, & ſinguli vel priuata admonitione, vel in communi Preſbyterorum cœtu attẽperata redargutione, aut etiam, quum opus erit, coercione (de qua pluribus poſtea diſſeremus) in viam reuocentur. Quòd ſi quid noui emergat, eorum munus eſt tempeſtiuè occurrere imminenti vel iam præſenti malo, conſtituta videlicet lege, quæ religionis placitis & charitati ad amuſſim reſpondeat, ita vt neque imponatur iugum conſcientiis, neque multitudine legum vel obruatur Eccleſia, vel cultus Dei in ſuperſtitionem degeneret, ſicut ſuo loco expoſuimus: ſiue ingruens malum ſit eiuſmodi, vt per ſe poſsint ei mederi: ſiue aliæ Eccleſiæ, ac præſertim vicinæ, conſulendæ fuerint, vt communi conſilio res communis adminiſtretur, quum vnica ſit tantùm Eccleſia Catholica, id eſt, vniuerſalis. Præterea vt Eccleſia poſsit inoffenſo curſu pergere, (quod fieri nequit niſi Verbum Dei purè & diligenter doceatur, ſyncerè adminiſtrentur Sacramenta, bona Eccleſiæ incorruptè diſtribuantur, diſciplina denique Eccleſiaſtica conſeruetur) officium Preſbyterorum eſt vel pręcipuum, homines deligere ad eas functiones idoneos, quoties nouis erit opus. Vtor autem Eligendi verbo de induſtria, eo ſenſu, vt omne αὐτοκρατορικὸν imperium hominibus adimam, quoniam nuſquam inuenio in Chriſtiana vlla Eccleſia iam ædificata vllum eſſe vel ad miniſterium Verbi, vel ad διακονίαν, vel ad Preſbyterij gradum alia ratione quàm publica & libera electione promotũ, ſicut mox dicemus, niſi quum Deo libuit extra ordinem agere, vt in rebus Eccleſiæ ſuæ veluti perditis ac deploratis oſtenderet ſeſe, contra omnium coniuratorum conatus, Eccleſiam ſuam mirabiliter poſſe, quoties libuit, conſeruare. Sic enim Moſem, Aaronem, Danielem, Iudices, Saulem, Dauidem, Prophetas, Apoſtolos, eos denique ferè omnes delegit quorum opera in plantandis & cõſeruandis Eccleſiis per illa tempora vſus eſt, & nuper quoque in ruinis illarum inſtaurandis non diſsimili ratione vſum eſſe nemo dubitare poteſt, quin non ſit paratus affirmare ſolem meridie non lucere. Videntur autem iſtæ quæſtiones in hoc argumento præcipuè conſiderandę, Quóſnam eſſe oporteat electores, Quales ſint eligendi, Quæ ſit electionis forma, & A quibus ſit confirmanda.

XXXV. De electoribus Eccleſiaſticis.

Iterum repeto quod antea dixi, nunquam receptum fuiſſe in Chriſtianis Eccleſiis iam conſtitutis vt quis admitteretur ad functionem Eccleſiaſticam niſi liberè & legitimè electus ab Eccleſia cuius intererat [2]. Itaque tota iſta nundinatio præſentationum, [2] Act. 14, d, 23. pleni iuris patronatus, collationum, reſignationum, & aliorum huiuſmodi ſcelerum, à Satana profecta eſt, quãuis ambigi non poſſit quin iſta ab initiis magis laudabilibus profecta ſint. Quoniam enim plerunque multitudo & imperita eſt & intractabilis, & maior pars ſæpe meliorem vincit, ne in Democratia quidem legitimè conſtituta, omnia permiſſa ſunt effræni vulgo, ſed conſtituti ſunt ex populi conſenſu certi Magiſtratus qui plebi præeant, & inconditam multitudinem regant. Quòd ſi hæc prudentia in negotiis humanis requiritur, multò ſanè magis opus eſt certa moderatione in iis rebus in quibus homines prorſus cæcutiunt. Neque cauſa eſt cur quiſquam ſani iudicij homo clamiret nullum hîc eſſe prudentiæ locum, niſi hanc prudentiam de qua loquor, oſtendat cum Dei verbo pugnare: quod ſanè non arbitror. Neque enim ſimpliciter ſpectandum quid ſit ab Apoſtolis factum in politia Eccleſiaſtica, quum diuerſi-

ſimæ ſint circunſtantiæ, ac proinde abſque ταχοζηλία non poſſint omnia omnibus locis ac temporibus ad vnam eandemque formam reuocari:ſed potiùs ſpectandus eſt eorum finis & ſcopus inuariabilis, & ea deligenda forma ac ratio rerum agendarum quæ rectà eò deducat. Quid igitur ſpectarunt Apoſtoli quum Paſtores & Diaconos conſtituerent in Eccleſiis quas ædificabant? hoc nimirum vt qui eligebantur, eſſent, quoad eius fieri poſſet, ἀνεπίληπτοι, & inuito gregi non obtruderentur. Id quoties fieri commodè potuit miſſis in ſuffragium ſingulis, ea ratione factum eſt: quoties autem non potuit, nunquam, vt opinor, eſt factum. Apparet enim quum eligẽdus eſſet qui in Iudæ proditoris locum ſuccederet, fuiſſe multitudini propoſitos ab Apoſtolis eos quos maximè idoneos cenſebant [1]. In Diaconorum electione videtur paulò aliter actum, ne vllo modo ſuſpecta eſſet eo tempore Apoſtolorum fides [2]. Sed etiam ſi demus Apoſtolorum temporibus totam Eccleſiam, quum de his rebus ageretur, ſemper miſſam fuiſſe in ſuffragia, nemo tamen, opinor, ad hanc vnam formam adſtringet omnes Eccleſias, ſi manifeſtum fuerit propter vulgi multitudinem, & imperitiam, & multorum etiam improbitatem ita fore vt lupis aditus pateſiat. Tum ergo ne in ædificatis quidem Eccleſiis erunt omnia ſuffragiis multitudinis committenda, neque tamen abſque totius Eccleſiæ conſenſu deligendi fuerint Paſtores: ſed à Preſbyteris, & Magiſtratu Chriſtiano, ſi talem Deus conceſſerit, ita erunt omnia moderanda, vt neque ipſi Tyrannidem inuehant in Eccleſiam, (quod ſanè fieret ſi ſuo arbitratu & neglecto conſenſu multitudinis quenquam ad publicam functionem vocarent,) neque etiam Democraticus ſtatus Eccleſię in ὀχλοκρατίαν degeneret. Huc nimirum ſpectauit Laodicena Synodus quum cenſeret populo non eſſe tribuendas electiones [3], quanuis neminem abſque populi comprobatione admittendum iam olim Eccleſia rectè cenſuerit [4], adeò vt non alia etiam ratione Epiſcopum Romanum conſtituendum tradiderit Nicolaus ſecundus [5]. Quod autem Athanaſius & Auguſtinus [6] nuncuparunt quos maximè putabant ad ſibi ſuccedendum appoſitos, minimè id fecerunt vt fœdam illam & Symoniacam nundinationem reſignationum, quas vocant, in Eccleſiam inueherent [7], ſed vt haberet Eccleſia iudicium quod tum demum ſequeretur, ſi iuſtum & vtile videretur.

XXXVI. *Cuiuſmodi eſſe oporteat qui eliguntur.*

Quales autem eſſe oporteat (quoad eius fieri poteſt) eos qui eligendi ſunt, Spiritus ſanctus planè ac perſpicuè deſcripſit [8], cuius auctoritatem inuiolabilem eſſe arbitramur.

XXXVII. *De ratione ferendorum ſuffragiorum.*

Veteres conſtat primùm quidem à ieiuniis & precibus ſeipſos ad electiones Eccleſiaſticas præparaſſe [9], deinde poſt diligentem doctrinæ & morum inquiſitionem [10], in ferendis ſuffragiis eam rationem ſequutos in timore & reuerentia Domini, quæ maximè eſſet vſitata, & calumniis minimè omnium obnoxia. In Matthiæ electione ſortitio interuenit [11], ſed peculiarem ob cauſam, quoniam videlicet Apoſtolos oportebat ἀμέσως à Domino deſignari. In Diaconorum electione non adſcripſit Lucas quid Eccleſia obſeruarit [12]. Alicubi colligere licet ex Paulo vſos fuiſſe Aſiaticos protenſione manuum [13], qui mos in pleriſque negotiis à Græcis obſeruabatur. Certam igitur regulam non eſt quod nimium curioſe quiſquam hîc præſcribat, ſed, ſi recta fuerit conſcientia, facile fuerit pro temporum & locorum circunſtantia definire quid expediat.

XXXVIII. *De confirmatione electionum.*

Impoſitio manuum olim ſub Lege adhibebatur in victimis Deo conſecrandis [14], & vngendis ſacerdotibus [15], quam poſtea Chriſtus ſuo exemplo in Chriſtianam Eccleſiam introduxit [16], quoties aliquis publico ritu Deo commendabatur [17]. Semper enim adhibebantur preces, ne inane ſymbolum eſſe videretur. Ad hanc conſuetudinem adiuncta paulatim fuerunt plurima, inſigni profectò Satanæ fraude, qui prępoſteri zeli ſpecie homines alioqui pios & eruditos ita faſcinauit vt aliis etiam præierint ad Chriſtianiſmi ſimplicitatem adulterandam, partim vſurpatis Paganorum ritibus, partim Moſaicis ceremoniis in vſum reuocatis, quum & ab illis prorſus abhorrere, & iſtos ſemel abolere oportuerit, vt vni Chriſto locus eſſet, qui vult in ſpiritu & veritate adorari. Profitemur ergo nos ſupra Chriſtum nolle ſapere, & ſuam ſapientiam carni & mundo relinquimus. Conſenſum autem pij Magiſtratus in ſua ditione, & populi ap-

1 Act.1,d,25.
2 Act.6,b,15.
3 Laod. Synod. can.13. Diſt. 63. Non eſt permittendum.
4 Leo Epiſt.87, & 90, & in aliis epiſt. paſſim. Cypr. lib.1, epiſt.4, & lib. 2. epiſt.5. Gregorius li. 1. ep.5, & lib. 2. epiſt.69.
5 Diſt. 23, c. In nomine.
6 Aug. epiſt. 110. Theodoritus Eccleſ. hiſto. lib.4. cap.10.
7 Vide Romanum Concilium ſub Hilario papa, can.5.
8 Act.6,a,3. 1. Tim.3,a,2, 3, 3,4,6,7, & deinceps, & 5,b,9.10. Tit.1,b,6,7, 8,9.
9 Act.13,a,3.
10 1. Ti.3,a,2,3, & deinceps.
11 Act.1,d,26.
12 Act.2,b,5.
13 Act.14,d,23.
14 Leu.1,a,4, & alibi ſæpe.
15 Vide Exod. 29.
16 Matt.19,b,15 Mar.16,d,18.
17 Act.13,a,3. 1.Ti.5,d,22.

puli approbationem, cum Preſbyterij auctoritate[1], & publicis precibus coniungimus, 1 1.Tim.4,d,14
vt hæc ceremonia ſuis omnibus partibus conſtet.

XXXIX. *De Matrimonio, Cœlibatu, & Diuortio.*

Certum eſt olim extra ordinem indicta fuiſſe Ieiunia, quum neceſsitas vrgeret, ex
piorum Principum auctoritate, Dei ſeruis in conſilium adhibitis[2]. Itaque in hunc lo- 2
cum diſtulimus tractationem de Ieiunio & aliis eiuſmodi rebus. Primùm ergo teſta- Eius rei exem
mur nullam ſalutis noſtræ partem in iſtiuſmodi rebus collocari, quales ſunt, Matri- pla paſsim extant.
monium, Cœlibatus, eſca & potus[3]. Nam in vno Ieſu Chriſto ſpem omnem noſtram 3 1.Cor.7,e,27,
ponimus. Bona autem opera in quibus nobis ambulandum eſt, longè alia eſſe dici- 28,& 8,c.8,
mus, ea nimirum quæ nobis in duabus illis tabulis ſunt perſcripta[4]. Neque tamen illa Rom 14,c,17 4 1.Ti.4,c,8
damnamus, ſed de iis ita ſentimus vt mox à nobis explicabitur. Quod ad Cœlibatum
attinet, continentiæ ſedem locamus in ipſis cordis penetralibus, ac proinde non alios
habemus pro verè virginibus quàm eos in quibus ita eſt extinctus libidinis pruritus, vt
quanuis titillentur, tamen non vrantur, ac proinde matrimonii remedio non indige-
ant[5]. Deinde didicimus tum ex Dei verbo, tum etiam ex ipſa experientia, quam mira- 5 1.Cor.7,b,9,
mur ne ſtultorum quidem magiſtram eſſe poſſe, continentiæ donum peculiariter do- &,17
nari à Deo, non modò certis hominibus quibus libuit, ſed etiam plerunque ad certum 6 1.Co.7,b,7
tempus. Præterea nec virginitatem nec matrimonium habemus in earum rerum nu- Mat.19,b,11,12
mero quæ ſimpliciter & per ſe nos reddant meliores & Deo gratiores, ſed hactenus lau-
damus continentiæ donum, quatenus qui cœlebs eſt nec tamen vritur, pleriſque in re-
bus aptior eſt ad curanda quæ Dei ſunt, quum priuatis familiæ negotiis non diſtra-
hatur[7].

Quod autem attinet ad matrimonium, affirmamus conſtitutum eſſe à Deo[8], & in 7 1.Cor.7,a,1,
quouis vitæ genere laudabile[9], adeò vt quiſquis continentiæ donum non habet, id eſt, e,26,& deinceps.
ita exæſtuat immoderatis illis affectibus vt ad prauas cupiditates trahatur, matrimo- 8 Gen 2,d,24
nij remedio vti teneatur[10]. Deinde admonemus in ipſo etiam matrimonio quandam Mat.19,a,4,5 Eph.5,g,31
eſſe ſcortationis ſpeciem, ſiquis puro Dei dono purè & ſanctè non vtatur, ad eum finem 9 Heb.13,a,4
cuius cauſa eſt inſtitutum[11]. Præterea patriam poteſtatem in liberos ſaluam & inte- 10 1.Cor.7,a,2,
gram retinemus ſicut par eſt[12], ea tamen adhibita exceptione, niſi patres ſuo iure abu- b,7,8,9
tantur. Graduum diſtinctionem ita vt in verbo Dei deſcripta eſt inuiolabiliter ſeruan- 11 1.The.4,a,4,
dam arbitramur[13], neque ſupra Deum ſapere volumus: quanuis hîc quoque ſpectan- 5 1.Pet 3,a,1,2,
dum putamus non modò quid liceat, ſed etiam quid expediat, & noſtra libertate ad æ- 3,4
dificationem vtendum eſſe ſeduló docemus[14]. 12 Deu.22,b,16 Ex.22,c,16

Diuortia ad eandem amuſsim, id eſt, ad Verbum Dei exigimus, vt non niſi ob cau- 13
ſas in verbo Dei expreſſas, idque legitimo præeunte iudicio, concedantur[15]. Qui- Vide Leui.18 1.Cor.5,a,1,
bus verò legitimè conceſſum eſt diuortium, eos non deſiſtimus ad reconciliationem 14
cohortari: quæ ſi impetrari intra præſcriptum ſpatium non poteſt, poteſtatem fa- 1.Cor.6,c,18, & 7,c,8,9
cimus noui coniugij, illi præſertim qui diuortio cauſam non præbuit: idque à no- 15 Mat.19,b,9
bis rectè concedi tum ex Dei verbo, tum ex veteris Eccleſiæ vſu docemus[16]. Nam a- 1.Co.7,c,15
lioqui diuortium nullum eſſet, neque in ſolatium ſed in pœnam innoxij conceſſum 16 Orig.hom. in Mat.7
videretur. Adulteria & omne ſcortationis genus publicis & acribus pœnis punienda Tertul.lib.4.
docemus, nec lupanarium vſum in Chriſtianis Eccleſiis vllo modo tolerabilem ar- in Marcioné. Ambr.in 1.
bitramur. Denique prohibitionem coniugii, ac proinde votum perpetuæ continen- Cor.7.
tiæ, cenſemus cum Apoſtolo diabolicam eſſe doctrinam[17], vtpote quæ expreſſo Dei 17 1.Tim.4,a,1,
verbo & purioris Eccleſiæ moribus è diametro repugnet[18]. Id autem ita eſſe ſi non 2,3
ex alio teſtimonio, at certè colligi potuit iam olim ac debuit ex iis quæ ſunt iſtam dia- 18 1.Cor.7,a,2, b,& deinceps.
bolicam legem conſequuta, quum nullum ſit tam horrendum libidinis genus, quo 1.Tim 3,a,2,4,
non ſeſe mutuò polluant qui egregio iſti voto ſeſe adſtrinxerunt, id eſt, qui iſtos com- 5. Tit.1,b,6
pedes ſibi ipſis impegerunt. Ac ſunt quidem plurimi qui hac occaſione arrepta cla- He.13,a,4. Hiſtor. tri-
mitent libertatem carnis à nobis quæri: ſed quàm iſti ſint impudentes ſi nolunt part.li.2.cap. 14.
ex noſtris & illorum moribus inter ſe collatis iudicare, ex re ipſa ſaltem colligatur. Can Apoſt. 5.
Neque enim continentiam quiſquam noſtrum vnquam reprehendit, cuius certè ex- Concilii Ancyr.can.10.
empla poſſemus multò plura in noſtro ordine, Dei beneficio, proferre, quàm iſti cy- diſt.26.& 27. Concil. Con-
nædi poſsint: ſed eam legem vt prorſus Satanicam reprehendimus, quæ quum im- ſtantinopol. 6.canon 13
ponatur affectui non tam voluntario quàm naturali, nihil aliud quàm extremam &
certiſsimam perniciem omnibus afferre poteſt, niſi continentiæ donum, & quidē per-
petuum, habuerint. Dicant igitur iſti, quod ad hunc vſque diē neceſſe eſt vt fateantur,

ſe vel neſciuiſſe, vel ſcire neglexiſſe, quomodo videlicet intelligere poſſit aliquis hoc donum ſibi collatum eſſe in perpetuum. Nam ſi obiiciant ſe ad futurum ſpectare, parata eſt duplex reſponſio: nempe neque ſperari rectè poſſe quod nemini Deus promiſerit, atque adeò quod neſcias an cum tua vocatione pugnet: neque à temeritate poſſe excuſari qui rem tanti momenti, & non poſitam in noſtra voluntate, auſi fuerint vouere. Denique oſtendant iſti, magis ſtudere libertati carnis qui vnumquenque monent, vt ſi continere ſe non poteſt, quemadmodum monet Apoſtolus [1], vnam vxorem ſibi adiungat quicum caſtè & pudicè viuat: quàm qui cœlibatus obtentu homines ad turpiſſima quęque patranda cogunt. Sed quorſum attinet, obſecro, de continentia cum iſtis putidiſſimis proſtibulis contendere?

1 1.Corin.7,b,7,9.

XL. De Ieiunio.

Quod ad Ieiunium attinet, primùm omnium ad ſobrietatem & temperantiam perpetuam homines hortamur. Illos verò non dicimus ieiunare qui ſemel duntaxat in ſingulos dies ventrem ſaturant, quod olim plerique veteres tota vita factitabant: aut qui piſcibus potiùs quàm carnibus veſcuntur, quum maiores ſint ſæpe piſcium quàm carnium delitię: ſed eos potiùs qui genium fraudant, & continentiam ſolito ſeueriorem ſibi ad certum tempus indicunt. Deinde hypocritica ieiunia cum Chriſto & Prophetis damnamus [2]. Vera autem ieiunia non commendamus quaſi diuini cultus ſpeciem, ſed quatenus præſtantioris finis cauſa ſuſcipiuntur [3], nempe vel vt laſciuiens caro veluti fame dometur [4], vel vt ad preces ſerio cordis affectu concipiendas noſipſos præparemus [5], vel vt nos totos cum vero animi dolore coram Deo abiiciamus, & teſtimoniis etiam externis tum noſipſos tũ alios ad reſipiſcẽtiam acuamus [6]. Denique nullam ordinarii ieiunii legem præſcribimus, quoniam id potiùs Iudaiſmo conuenit, quàm Chriſtianiſmo [7]. Sed quod attinet ad priuata ieiunia, ſatis eſt nobis vnumquenque ſui officii admonere: publica verò ieiunia, quoties ita poſtulat temporum ratio & imminens calamitas peccatis noſtris debita, æquiſſimum eſſe cenſemus vt ex Preſbyterii & pii Magiſtratus auctoritate vniuerſaliter indicantur.

2 Matth.6,a,2,3,4. Eſa.58. Ioel.2,c,12,13.
3 Aug.lib.2.de Manich.moribus cap.13.& lib.30.contra Fauſtum. 1.Tim.4,b,7,8.
4 1.Corin.9,d,25,26,27.
5 Luc.2,e,37. Act.13,a,& 14,d,23. 1.Cor.7,a,5.
6 Ioel.2,c,12,15. 1.Sam.7,b,5,6, & alibi paſſim.
7 Euſeb.Eccleſ.hiſt.lib.5.c.18.

XLI. De dierum & ciborum delectu.

Superſtitioſum eſſe docemus, arbitrari vnum aliquem diem altero ſanctiorem, & ceſſationem à quotidianis laboribus per ſe à Domino comprobari [8]. Interea tamen ſeptimum quenque diem, ſicut iuſsit Dominus [9], ſanctificamus, id eſt, habendis cœtibus & audiendo Dei verbo totum conſecramus, ſed abſque Iudaica vlla ceremonia, vel ſtulta, de qua diximus, ſuperſtitione: quamobrem etiam non Sabbatum, ſed Diem quem Dominicum vocant, ex veteris Eccleſiæ conſuetudine [10], ad eam rem delegimus. Ex reliquis diebus feſtis quotcunque potuimus expunximus, præſertim per manifeſtam idololatriam inuectos, vt infinitas inde exorientes corruptelas corrigeremus, & fratrũ inopiæ conſuleremus. Quoniam tamen nonnulli celebrandis quibuſdam redemptionis noſtræ myſteriis iam olim fuerũt conſecrati, vtimur Chriſtiana libertate, & omnia ad ædificationem referimus, pro diuerſa locorum, temporum & perſonarum circunſtantia. Quod ad cibos attinet, ſobrietatem in primis vrgemus. Vtimur autem quibuſuis cibis cum gratiarum actione, abſque vlla noſtræ conſcientiæ offenſione [11]. Didicimus enim ex Paulo nobis id licere, modò ne fratri infirmo ponatur offendiculum, quoniam regnum Dei non eſt poſitum in eſca vel potu, & omnia ſunt munda mundis [12]. Itaque delectum iſtum ciborum, in quo nonnulli cultum Dei ponunt, non dubitamus cum Apoſtolo diabolicam doctrinam [13], & inaniſsimã ſuperſtitionem vocare [14].

8 Ro.14,a.5,6. Col.2,c,16,17.
9 Gen.2,a,2,3.
10 1.Cor.16,a,2. Act.20,b,7. Apoc.1,c,10. Iuſtin. Apologet.2.
11 1.Corin.10,f,25,27.
12 Rom.14,c,14,15,d,20,21,&15,a,1. 1.Cor.8,c,8, & deinceps. Mar.7,b,17. Col.2,c,17. 1.Tim.4,a,1,2,3. Tit.1,d,14,15.
13 1.Tim.4,a,1,2,3.
14 Col.2,c,16,d,20,& deinceps.

XLII. De ea parte Iuriſdictionis Eccleſiaſticæ quæ ad correctiones ſpectat.

In coercionibus Eccleſiaſticis primo loco putamus obſeruandum, qua in re differant à ciuilibus pœnis. Differunt autem præcipuè, quòd neque carceribus, neque mulcta pecuniaria aut pœna corporali vtuntur [15] Preſbyteri, ſed vno Dei verbo peccatores caſtigant [16], idque vt ad reſipiſcentiam adducant [17], quoniam omnis Eccleſiæ iuriſdictio ſpiritualis eſt, & conſcientiarum ædificationem directè reſpicit [18]. Quod enim Apoſtoli interdum pœnis corporalibus vſi ſunt, peculiare & extraordinarium fuit, quoniam eos oportuit hac etiam poteſtate interdum armari, vt quum impius adhuc eſſet Magiſtratus.

Secundo loco cauſas verè Eccleſiaſticas, id eſt, quarũ cognitio propriè ad Preſbyterium

15 Luc.12,e,14. Ioh.18,f,35.
16 1.Cor.10,a,4.
17 2.Cor.13,d,10. 1.Cor.5,b,5.
18 Act.5,a,4,5, b,8,& 13,b,11.

rium pertinet, in tres ſpecies diſtinguimus. Aut enim agitur de doctrina, aut de moribus, aut de violata Eccleſiaſtica politia.

Porrò in doctrina poteſt aberrari vel ſola ſimplici ignorantia, vel quæ cum improbitate coniuncta ſit. Edit autem improbitas ſuos fructus, prout excreuit: & habenda etiam ratio eſt eius dogmatis quod violatur, vt à ſimplici ignorantia diſcerni poſsit improbitas, & ſceleris quoque magnitudo melius intelligi. Eſt autem in his omnibus tenendus hic modus, vt à mitioribus remediis initium fiat. Oportet enim ignorantes paulatim erudiri[1], & malitiam coargui tum priuatis, tum etiam, ſi opus erit, pu- 1 1.Cor.3,a,2.
blicis admonitionibus, & coram Preſbyterio[2], vt, ſi fieri poteſt, reſipiſcant homines Rom.14,a,1.
è Diaboli laqueo[3]. Quòd ſi nihil iſta profecerint, tum ad vltimum remedium venien- Epheſ.4,a,2. 2
dum erit, de quo mox dicemus. Act.7,f,51. & 13,b,9,10, & 8,d,19,20.

Quod autem attinet ad morum correctionem, diſcrimen ponendum eſt inter ea dicta vel facta quibus certi duntaxat homines læſi ſunt, & quorum publicum non eſt offendiculum: & ea quæ publica ſunt, vel ſuapte natura, vel propter offendiculum publicum. Præterea qui ſæpius eſt relapſus, vitioſior eſt eo qui ſemel duntaxat humana imbecillitate lapſus eſt, ac proinde aſperius eſt cum illo quàm cum iſto agendum. In priuatis autem delictis quid ſit agendum planè ac perſpicuè traditum eſt ab ipſo Ieſu Chriſto[4]. Publicè verò, id eſt, cum offendiculo publico peccantes, iubet Paulus coram omnibus argui[5], & ſuo ipſius exemplo hanc doctrinam in reprehendendo Petro confirmauit[6]. Quòd ſi reprehenſiones iſtæ ſatis profuerint, quieſcendum erit profectò, & gratiæ Deo agēdæ teſtibus ipſis Angelis in cælo[7]: ſin minus, paulatim veniendum erit ad vltimum remedium[8], ita tamen vt omnia fiant in timore Domini, & ad ædificationem referantur[9].

Luc.3,b,7. 1.Co.5,a,1,2. Gal.3,a,2. 3 2.Ti.2,d,24,25,26. 4 Mat.18,b,15,16,17. 5 1.Ti.5,d,20. 6 Gal.2,c,11,14. 7 Lu.15,c,7,10

Quod autem attinet ad ea tum dicta tum facta quæ publicas ipſas perſonas attingūt, idque ob ſuæ functionis ἀταξίας violatam, extant veteres canones iis de rebus accuratè ſcripti, ex quibus ſatis intelligi poteſt quis fuerit veterum Patrum zelus, vt omnia in domo Dei ritè & ordine fierent. Itaque non recuſamus quin, ſi inſtauratæ eſſent Eccleſiarum ruinæ, omnia illa diligenter expendantur, & coercendæ præſertim eorum ἀταξίᾳ quos oportuit cæteris prælucere, vel duriſsima quæque fræna iniiciantur: adhibita tamen hac vna moderatione, vt ſpectetur quid cum verbo Dei conſentiat, & quid expediat, ne, dum volumus Epicureiſmum, ſicut par eſt, vitare, in Phariſaiſmum ſiue Monachiſmum incurramus.

8 Mat.18,c,17. 1.Cor.5,a,1,2,3. & deinceps. 1.Ti.6,a,3,4,b,5. 2.Tim.4,b,14.15. Tit.3,c,10. 2.Theſſ.3,d,14. 2.Ioh.d,10. 9 1.Cor.3,b,5. 2.Cor.2,b,7.

XLIII. *Quid ſit excommunicatio, & quis ſit ipſius rectus & legitimus vſus.*

Correctio Eccleſiaſtica duos habet gradus, quorum prior eſt Admonitio, ad peccati magnitudinem & peccatoris ædificationem accommodata. Eam conſequitur, quum ita opus eſt, Excommunicatio, in qua putamus hæc præcipuè obſeruanda.

Primùm omnium ſpectandum quid declaret Excommunicationis vocabulum, nēpe Preſbyterij ſententiam, præeunte legitima cognitione, prolatam in Dei nomine & auctoritate ex ipſius verbo, qua declaratur quiſpiam iuſtè excluſus ex Sanctorum communione ſiue ex Dei Eccleſia, ac proinde traditus Satanæ, quum extra Eccleſiam non ſit ſalus: adhibita tamen exceptione, niſi reſipuerit[10]. 10 1.Cor.5,a,4. & deinceps.

Secundò, ſciendum eſt hanc poteſtatem non niti humana ordinatione, ſed expreſſo Dei verbo. Hæc enim pars eſt iuriſdictionis clauium Apoſtolis, &, in Apoſtolorum perſona, omnibus veris Preſbyteris traditarum, quam Paulus ipſe Corinthi & alibi exercuit[11]. Ex hoc autem efficiuntur duo. Vnum, hanc ſententiam quæ ita profertur in terris, ratam eſſe in cælis. Alterum, nullo modo nobis eſſe audiendos qui diſputant an ſit neceſſariò reuocandus legitimæ excommunicationis vſus, &, vt ſuam hanc opinionem tueantur, quam ſciunt pleriſque maximè eſſe plauſibilem, quædam etiam argumenta comminiſcuntur. Nam certè qui de hoc dubitat, de auctoritate verbi Dei dubitat: & iſtos ſaltem oportuerat ex ipſa experientia cognoſcere, ibi neceſſe eſſe vt ad iudicium & condemnationem plurimorum prædicetur Euangelium, vbi repudiatur Eccleſiaſticæ diſciplinæ formula, quam & ipſe Dei Filius conſtituit, & omnes Eccleſiæ perpetuo conſenſu exercuerunt, adeò quidem, vt verè nobis liceat hoc affirmare, non poſſe dari nobis Eccleſiæ vllius exemplum ſub cælo ad hæc vſque tempora, in qua dubitatum ſit an excommunicatio ſit exercenda in iis Eccleſiis vbi Chriſtianus eſt Magiſtratus. Quid enim eſt dubitare an Chriſtus ſit au-

11 Mat.18,c,17,18. 1.Cor.5,a,5. 1.Tim.1,d,20

diendus tanquam Eccleſiæ caput, ſi hoc non eſt, quum & verbum ipſius expreſſum, & perpetuam omnium ſeculorum conſuetudinem habeamus? Imò vbi tandem ſatis commodè poterit exerceri, niſi vbi Chriſtianus eſt Magiſtratus, qui & falſorum Miniſtrorum tyrãnidem prohibeat,& veram Eccleſiæ auctoritatem contra illius contemptores aſſerat? Si de illius vſu & executione quæreretur, tum verò reſponderem quod verum eſt, referenda eſſe omnia ad ædificationem, & expectandum diligenter quid quiſque ferre poſsit. Sed obſecro, quàm ſunt hæ quæſtiones nõ modò diuerſæ, ſed etiam repugnantes, quærere an ſit excommunicationi locus in Eccleſia Chriſtiana: & rogare quis ſit excommunicationis vſus? De illo enim affirmo neminem vnquam dubitaſſe, niſi vel non ſatis exercitatum in Dei verbo, vel ſuis affectibus extra ſani iudicij metas abreptum: de hoc autem nulla vnquam fuit inter ſanos homines controuerſia, quin ſpectandum ſit quid ferat eorum captus quibuſcum nobis negotium eſt: ſed addita ea conditione, vt hominibus non ſeruiamus, ſed Deo: & in hominum gratiam, etiam ſi cælum ruere oporteat, non putemus nobis licere polluere quæ ſancta ſunt, & facere mala vt bona eueniant, atque adeò poſitos à Deo terminos amouere. At enim, inquiunt, quod nuper ædificatum eſt, ſi excommunicationem vrgeas, rurſum euertes. Reſpondeo, oportuiſſe quidem in ipſis initiis hunc errorem cauere: ſed, obſecro, quid debet iis eſſe antiquius qui in ipſo viæ ingreſſu aberrarunt, quàm vt primo quoque tempore, animaduerſo errore, in viam redeant? & quæ hæc eſt ratio, putare nos alia ratione poſſe ſuperficiem ædificij attollere, quàm ſi architecti præſcriptum in ipſis præſertim fundamentis ſequamur: & metuere ne ſi exemplar ab ipſo architecto deſcriptum penitus imitemur, infelicitet ædificemus? Denique prouoco ad ipſam experientiam, & omnes eos qui hodie hanc quæſtiõnem verſant, obteſtor in Dei nomine vt ſuis ſaltem domeſticis malis conſcientiam ſuam erudiant. Cæterùm ſi Eccleſia ius habet eiiciendi, conſequitur eam quoque habere ius iterum recipiendi peccatores, de quorum re-
[1] 2.Cor.2.b.6. ſipiſcentia ſatis conſtiterit [1], quique (ſi publicum fuerit offendiculum, & palàm, vt ab
[2] Vide Cypr. lib.1 epiſt.2.& lib.3. epiſt.14. & 16. omnibus caueantur, promulgata fuerit eorum excommunicatio) publicè quoque, ſicut par eſt, Eccleſiæ fuerint reconciliati [2]. Neque enim iis aſſentior qui non niſi ex totius Eccleſiæ conſenſu,& rogatis ſingulis, quenquam excommunicari, & omnium ex-
[3] 2.Ti.6, b.5. 1.Cor.5.d.11. 2.Theſſ.3.d.14. Tit.3.c.10. 2.Ioh.1.10. Mat.16.c.17. communicatorum nomina publicè promulgari volunt. Nam ſani iudicij hominibus conſtat, Chriſtum de hac re diſſerentem, quam ſatis etiam liquet ex Iſraelitica Eccleſia ad nos tranſlatam, Eccleſiæ nomine συνέδριον ſiue πρεσβυτέριον, id eſt, Seniorum collegium ſignificaſſe [3]. Et varij quoque ſunt Excommunicationis gradus, pro variis non tantùm peccatorum inter ſe, ſed etiam vnius & eiuſdem peccati circunſtantiis: quô fit
[1] Mat.18.c.17. vt nonnulli hactenus tantùm ex communi cœtu eiiciantur, quatenus eis ad tempus interdicitur Cœnæ participatione. Eſt autem nobis diligenter curandum non modò vt offendicula tollantur, ſed etiam ne vulnera potius noſtra ſeueritate exulceremus quàm ſanemus: quum præſertim certiſsimum ſit hæc adhiberi vt remedia quibus homi-
[4] 2.Corin.2.b.6,7. nes ſeruentur, non autem vt cauteria quibus ſemel amputentur [4].

Tertio loco tenendum eſt, hanc poteſtatem nulli certo homini attribui, (niſi for-
[5] Mat.18.c.17. 1.Cor.5.a.4. tè Domino libuerit extra ordinem agere) ſed toti Preſbyterorum collegio [5]. Præterea ius iſtud non eſſe falſæ & apoſtaticæ Eccleſiæ, qualis eſt Romana, ſiue Papiſtica, conceſſum, ſed Preſbyterio canonicè & legitimè electo. Ex quo conſequitur, omnes Antichriſti Romani & pſeudoepiſcoporum excommunicationes eſſe ipſo iure nullas.

Quartò, diligenter obſeruandum eſt, ne vero quidem ac legitimo Preſbyterio licere pro ſuo arbitrio ſpiritualem hunc gladium ſtringere, ſed totam hanc poteſtatem eſſe ſuis finibus circunſcriptam, vt non niſi iuſta præeunte cognitione,& iuſtis de cauſis, ex præſcripto verbi diuini, in timore & tremore Dei cum charitate exerceatur. Nam quod iniquè agitur in terris, ratum eſſe non poteſt in cælis: quamobrem etiam Ieſus Chriſtus cum Apoſtolis omnes à Scribis & Sacerdotibus in ſe pronontiatas excõ-
[6] Ioh.16,a.2. & 9,d.22. municationes meritò contempſerunt, quamuis illi ſuper cathedram Moſis ſederent [6]. Sic quoque Irenæus Lugdunenſis Epiſcopus circiter annum Domini c.xcviii, ſeuere & acriter reiecit excommunicationem aduerſus Orientales Eccleſias à Victore
[7] Nicephorus Eccl.hiſt.lib.4.ca.38.& 39 Romano Epiſcopo temerè pronuntiatam [7]. Et ſatis conſtat ob eam etiam cauſam indictas fuiſſe prouinciales Synodos ſemeſtres, vt audirentur eorũ querelæ qui ſibi à ſuis
[8] Nicæni Concil.can.5.& 8 Preſbyteris iniuriam in huiuſmodi cauſis Eccleſiaſticis factam probarent [8]. Nam Epiſcopos oportebat ſibi mutuò opem ferre, ſine vlla ambitionis aut tyrannidis ſpe-

cie:

cie:& Metropolitis erant ſui limites definiti,nec quicquam illis agere niſi ex ſui collegij ſententia licebat [1], donec paulatim certi Patriarchæ, ac præſertim Romanus, reliquis ſtertentibus Epiſcopis,aut cum eo coniurantibus,omnia ad ſe pertraxerunt.

Denique annotandi ſunt fines quorum gratia inſtituta fuit excommunicatio ex Dei verbo.Primùm videlicet vt Eccleſia pura ſit, non pollutis præſertim Sacramentis, quoad eius fieri poteſt:neque malè audiat, quaſi ſit quorunuis ſceleratorum fautrix & adiutrix [2]. Deinde ne morbidæ pecudes ſua contagione reliquas inficiant [3].Denique vt qui aberrarunt, aliquo ſaltem pudore victi in viam reuocentur [4], & reliqui timeāt [5]. Hos fines qui ſibi proponet,facilè animaduertet quāta ſeueritate ſit opus ,& quo pacto ſingula ſint ad ædificationem tum publicam tum priuatam accommodanda.

XLIIII. *De Chriſtiani Magiſtratus officio.*

Supereſt vt diſſeramus de Magiſtratu, vno videlicet ex Eccleſiæ membris,eóque in ſuo genere cæteris, ſine vlla exceptione,præfecto [6], vtpote cuius vis ſit ἀρχιτεκτονική. Huius itaque munus eſt publicam pacem ac tranquillitatem conſeruare [7]. Id verò quū fieri ſatis rectè non poſſit,quin primo loco vigeat verus Dei cultus, à quo vno vera omnis felicitas promanat,conſequitur nihil antiquius eſſe debere apud Chriſtianos Magiſtratus quàm vt Eccleſiam habeant ad præſcriptum verbi Dei conſtitutam,cuius auctoritatem aduerſus omnes præfractos eius contemptores ac perturbatores tueātur ac vindicēt,Dauidis,Salomonis,Ezechielis,Ioſiæ,omnium denique piorum Regum ac Principum exemplum ſequuti [8]. Neque hîc nobis audiendi ſunt qui falſæ clementiæ obtentu,& argumentis non tantùm vanis & ineptis,ſed etiam cum magna impietate & ſacrilega audacia coniunctis, pſeudoprophetas & hæreticos eximunt Chriſtianorum Principum gladio,quum è contrario nullum ſit hominum genus maiore ſeueritate à Chriſtiano Magiſtratu coercēdum,ſicut expreſſum Dei verbum iubet,& pij Principes ſemper factitarunt [9]. Sed hæc tria tamen in primis diligenter obſeruāda docemus. Vnum, vt ex verbo Dei & legitima cognitione diiudicentur hæreſes, ne pro malis puniantur boni. Alterum,vt qui per ſimplicem imperitiam errāt, ab iis qui per improbitatem vel arrogantiam peccant:itémque factioſi à ſimpliciter pertinacibus diſcernātur: & ipſa etiam dogmata de quibus quæſtio erit, accuratè diſtinguantur, quoniam alia ſunt aliis grauiora, alia aliis magis certa ac perſpicua : ex quibus circunſtantiis non modò facile fuerit ſimplicitatem à malitia diſcernere,ſed etiam quanta ſit improbitas,& quantum ab ea immineat Eccleſiæ periculum diiudicare. Denique iis omnibus diligenter expenſis,id quoque diligenter erit conſiderandum,vt neque præpoſtera clementia lupis parcatur,non modò in alicuius gregis,ſed etiam in Eccleſiæ vniuerſæ perniciē: neque tanta ſit aſperitas,vt noſtra culpa vel vnam ouiculam amittamus.

Sed & in negotiis quæ propriè ad hanc vitam ſpectant, Magiſtratui proſpiciendum eſt,ſiue de priuatis controuerſiis agitur,ſiue de publica & communi εὐταξίᾳ,ſiue de publicis arcendis iniuriis,vt leges ſtatuantur quàm æquiſſimæ, & ad verbum Dei, tanquam vniuerſalem regulam , accommodatiſſimæ, pro diuerſa temporum & locorum circunſtantia:& ex iis legibus incorruptè iudicetur [10], earum auctoritas aſſeratur, maleficia puniantur, ad arma non niſi iuſtiſſimis & neceſſariis de cauſis veniatur, bellum cum ſumma integritate & pura conſcientia adminiſtretur [11],denique cum ſummo Dei timore omnia procurentur quæ ad pacem publicam cum gloria Dei coniunctam ſpectant [12], eiúſque rei procurandæ cauſa, ea vectigalia & tributa exigantur, quæ publicis oneribus ferendis ſufficiant [13].

XLV. *De obedientia quæ Magiſtratibus debetur.*

Quiſquis Dei ordinationi parēre debet,(debent autem omnes ſine vlla exceptione)idem quoque Magiſtratuum ſuorum imperio eſt obnoxius, vtpote quos Deus ordinauit [14]. Sed aliqua tamen explicatione indiget hæc doctrina,quoniam facile eſt Magiſtratus nomine abuti,& legitimi quoque Magiſtratus poteſtas non eſt infinita. Quoniam igitur ſolent homines ſuæ rebellioni prætexere Magiſtratuum vitia , obſeruandum eſt in primis, ſitne vitium in re, an verò in perſona. Vitium rei appello, quum ipſa poteſtas vel per ſe & ſimpliciter eſt à Deo damnata, vel certo duntaxat reſpectu , veluti ſi legibus & inſtitutis certæ ciuitatis repugnet , cuius rei ſit hoc exemplum. Latrocinia ſunt interdicta omni non tantùm diuino , ſed etiam humano iure : ſi quis ergo ſeſe inter latrones principem faciat, in re ipſa vitium eſſe

[1] Niceni Concilii can.6.& Antiochen. 2,9.

[2] Matt. 7,a,6. Act.8.g,37. 1.Cor.5,a,1,2.

[3] 1.Cor.5,b,6, 7.

[4] 1.Cor. 5,b 5. 1.Ti.1 d,20. 2 Theſſ. 3,d, 14.

[5] 1.Ti.5,d,20.

[6] Rom.13,a,1.

[7] 1. Ti.2,a,2.

[8] Deut.17,d,18 Eſa 49 g,23. Pſal.101,b,8, & 75,b,11. 2.Sam.6. 1.Reg.2,c, 27,& 15,b,12. 2.Para.24,& 15,& 17,b,7. 2.Reg.10,f, 25,& 18,a,3, & 23,c,20.

[9] Exo.22,c,20. Deut.13. Exo.32,c,14. Leu.24,c,15. Num.25,c,10 Nicephorus Eccl.hiſt.lib. 8,ca.18,& 25, & lib.12.cap. 1,& 39,& li. 18,cap 25. Leg.1,& 2, Cod.de Paganis,& leg.5. De hæret.& Manich.& L 2,Ne ſanctū Baptiſma.& L.2,de Apoſtatis.

[10] Pſal.82. Ro.13,a,3,4.

[11] Luc.3,c,14.

[12] 1.Ti.2,a,2.

[13] Mat.22,b,21 & 17,d,27. Lu.23,a,2. Ro.13,b,6,7.

[14] Rom.13,a,1, & alibi paſſim.

conſequetur. Romæ cautum eſt ne quis Regiam poteſtatem affectet, ſed vt omnes communi iure Quiritium viuant vel priuati, vel pro ſuæ dignitatis gradu quam more maiorum acceperint. Ibidem cautum eſt, quo quiſque interuallo fungatur ſuo Magiſtratu. Iulius Cæſar Galliam inuito Senatu vult retinere, Cõſulatum ambit manifeſtè contra leges, aduerſus Conſules arma capit; denique Rempubl. euertit. Eſt igitur in reipſa vitium, etiam ſi Cæſarem daremus omnium hominum fuiſſe clementiſſimum, & modis omnibus optimum. Idem affirmant quoque nonnulli de muliebri imperio: ſed quibus non poſſim aſſentiri. Etſi enim ſexus muliebris conditus eſt vt virili ſubijciatur[1], quò fit vt ingenuè fatear ſapientius mihi videri rebus ſuis proſpexiſſe, qui cauerunt ne ſceptrum mulieribus vnquam traderetur: tamen non videtur hoc eſſe ex earum rerum numero, quas ita præciſè conſtituit Deus, vt qui præter eas aliquid faciat, & iuri ſuo renunciet, impiè feciſſe videatur: quum Dominus vt virorum ignauiam caſtigaret, eiuſmodi muliebribus imperiis non ſemel benedixerit. Nam ſi libeat tam anguſtè id interpretari, multa certè abſurda conſequentur, nempe nullam eſſe matribus in mares liberos poteſtatem, neque filiabus vnquam licere paternam hæreditatem adire, quæ ſit poſita in feudis, quæ vocant, nobilibus: nec olim ius vllum vnquam meritò fuiſſe fœminis in ſeruos mares: quæ omnia miror an quiſquam inueniatur, qui non dico vt impia, ſed etiam vt iniqua velit reprehendere. Conſequitur ergo non ita vniuerſalem eſſe legem illam quæ ſexum muliebrem virili ſubijcit, vt nullam exceptionem admittat, quum & matris & hæredis nomen, quorum neutrum temerè & abſque Dei prouidentia mulieribus obtingit, plena ſint dignitatis nomina, quæ ipſas mulieres, certarum perſonarum reſpectu, auguſtas & venerabiles ipſis etiam viris reddunt. Cur igitur, obſecro, vbi ex populi vel tacito vel expreſſo conſenſu regna ſunt hæreditaria, ſi mulier hæres extiterit, vitium in re ipſa eſſe dicatur? Quod autem ex Moſe citatur[2], de viri imperio in mulierẽ poſt Adami lapſum cõſtituto, non ſatis appoſitè dicitur. ibi enim agere Dominum de ea ſubiectione, quæ in matrimonio duntaxat locum obtinet, partim ex circunſtantia loci conſtat, quum eodem in loco fiat partus mentio: partim ex ipſis Domini verbis. Neque enim ſimpliciter inquit, *Ad virum erit appetitus tuus*, ſed, *Ad virum tuum erit appetitus tuus, & ipſe dominabitur tibi.* Cæterùm ex iſtis, vt opinor, cognoſci facilè poteſt quãdo in reipſa vitium eſſe dicatur. Id verò quoties obtingit, nego pro Magiſtratu habendos qui Magiſtratus nomen ſibi falſò vendicant. Nemo igitur latronum principi eſt obnoxius, & Cæſari iure reſtiterunt Conſules. ſed hoc tamen obſeruãdum eſt, *rei vitia interdum purgari poſſe*, interdum non poſſe. Neque enim quicquam obſtat quominus ritè mutatis legibus licitum fiat quod antea illicitum erat: & ratum habeatur tacito vel expreſſo conſenſu, quod contra leges factum erat, ac proinde neminem initiò obligabat. Itaque C. Cæſar quum faſces haberet, & Tribunitia poteſtate tutus eſſet, omniſque poteſtas ad eum eſſet delata, Romanos tãdem habuit ſibi iure obnoxios, quos iure ab initio hoſtes habuerat: & Brutus cum ſociis coniurationis meritò fuit interfectus: itémque cæteris Cæſaris ſucceſſoribus Romani, vt ſuis Principibus, obedientiam omnem iure debuerunt.

Conſequens eſt vt de perſonarum vitio dicamus. Eſt autem illud duplex: Aut enim exterius eſt vitium, & perſonis potius adhærens quàm inhærens: aut intus reſidet. Prioris ſpeciei exemplum nobis præbent quicunque violatis legibus & inſtitutis, per vim ſeipſos Magiſtratus creant, vel extraneos opprimunt. In hac autem ſpecie officium eſt legitimi Magiſtratus, ſibi commiſſos populos aduerſus domeſticos & externos graſſatores tueri, atq; etiam ceſſante Magiſtratu, vel ignauia ſua Rempubl. deſerente, cuiuſque eſt priuati, ſi quam viam aperuerit Deus, patriam libertatem defendere, ſicut nobile Mattathiæ exemplum declarat, modò nec temerè nec priuato affectu quicquam aggrediatur. Sed quid ſi vel in externũ Tyrãnum, vel domeſticũ eiuſmodi graſſatorem conſenſerimus? nempe noſter conſenſus vitium purgauerit, & clamandum erit ad Dominum, qui hoc iugo nos quoquo modo liberet. Sed & diligenter cauendũ erit ne particularia facta, cuiuſmodi multa in hoc argumento vel vnus Iudicum liber ſuppeditabit, in exemplum trahamus. Quid ſi verò nos Dominus in eiuſmodi hominum manus tradiderit? nempe Deo parendum erit, penes quem vnum propriè ius eſt & attribuendi & auferendi imperia: & libenter acquieſcendum in illius voluntate, quæ eſt conſtantiſſima iuſtitiæ regula. Sic iubetur Sedechias ſeſe Babyloniorum regi dedere[1], & quoniam non paret, meritò punitur: & abductis in captiuitatem Iudæis præcipitur vt orẽt pro Nebuchadnezaris ſalute, tantiſper dum eos eripiat Dominus[4].

[1] Gen. 3, c, 18.
[2] Gen. 3, 16
[1] Vide Iere. 27, & 37, 38
[4] Baruch 1, b, 11.

Supereſt

Supereſt vitium perſonis eorum inhærens qui ſunt alioqui veri & legitimi Principes, ſiue ex legibus & inſtitutis, ſiue ex cõſenſu tacito vel expreſſo: cuiuſmodi vitia ſunt impietas, auaritia, ambitio, crudelitas, luxus, libidines, & cætera eiuſmodi monſtra quæ ſolent Tyranni in pectoribus circunferre. hîc igitur quid erit conſtituendum? Reſpondeo, ſuperioribus poteſtatibus, cuiuſmodi nunc ſunt Septemuiri in Romano imperio, quos *Electores* vocant, & regni ſtatus in omnibus ferè Monarchiis, hoc onus incumbere vt furentes Tyrannos cohibeant: quod ni faciant, ipſos vt patriæ proditores rationem ſuæ perfidiæ coram Domino reddituros. Quod autem attinet ad priuatos homines, à quibus etiam vel nihil vel non multùm abſunt inferiores Magiſtratus, tenere illos oportet, plurimùm inter ſe differre, iniuriã inferre & iniuriam pati. Iniuriam enim pati noſtrum eſt, ſic præcipiente Domino, & ſuo exemplo nobis præeunte [1], quum nobis illam vi arcere non licet ex noſtrę vocationis præſcripto, extra quam nefas eſt nobis vel pedem ponere: neque aliud vllum remedium hîc proponitur priuatis hominibus Tyranno ſubiectis, præter vitæ emendationem, & preces & lachrymas, quas Dominus ſuo tempore non aſpernabitur. Iniuriam autem inferre nemini debemus, nec volentes nec ab aliis iuſſi: atque adeò ne priuatam quidem vocationem deſerere fas eſt, cuius certum habeamus teſtimonium. Hîc enim firma eſt ac conſtans hęc regula, Deo parendum eſſe potiùs quàm hominibus, quoties hominum imperiis parere non poſſumus quin ſummi illius Regis regum & Domini dominorum auctoritatem violemus: ita tamen vt meminerimus aliud eſſe non parere, quàm reſiſtere, vel ad arma ſe comparare quæ à Domino non acceperis. Sic laudantur obſtetrices quæ Pharaoni non paruerunt [2], & Apoſtoli omnéſque adeò Prophetæ & Martyres à nullis Tyrannis adduci potuerunt, vt ſuo ſilentio veritatem proderent, nedum vt operam ſuam Tyrannis accommodarent: eorum exemplo qui ſi quãdo immanis illius crudelitatis accuſantur, quam, reluctante etiam conſcientia, in homines innocentiſſimos exercent, egregiam excuſationem ſe nactos arbitrantur, ſi reſponderint ſe non ex ſuo ſenſu, ſed ex Regiorũ edictorum præſcripto iudicare.

1 Mat. 17. d. 24, 25, 26. & 22. b, 21. Rom. 13, a. 1, & alibi paſſim.

2 Exod. 1. d. 17 Act. 4. d, 18, 19. & 5, e, 27, 28.

Quid igitur ſentiamus de ſubiectorum erga ſuos Magiſtratus officio, ex iſtis cognoſci poteſt, multò certiùs ac veriùs profectò quàm ex eorum calumniis quibus nullus eſt pudor nos inuoluere cum vertiginoſis Anabaptiſtis, qui Magiſtratus auctoritatem tollunt, iuriſiurandi religionem euertunt, iudicia & bella per ſe illicita eſſe contendunt: à quibus ſceleribus quantũ, Dei beneficio, abſimus, nemo poteſt ignorare, niſi qui lucem recuſat intueri. Auget autem illud quoque aduerſariorum noſtrorum impudentiam, quòd quum ipſi palàm contra Dei verbum, & regna & reges ſibi ſubiecerint: nec vllum ſit hominum genus aduerſus Magiſtratus magis rebelle, audent tamen illi nobis illud ipſum ſcelus impingere quod ſibi licere non obſcurè iactant.

De vltimo Iudicio.

CAPVT SEXTVM.

Quid ſit nobis credendum & ſperandum de venturo vltimo Iudicio.

CRedimus ex Dei verbo, fore vt tempore conſtituto [1], quod ne Angeli quidem ipſi norunt [2], Ieſus Chriſtus poſt expletum Electorum [3] numerum, & huius mundi machinam igne repurgatam [4] veniat è cælis, ita vt eſt viſibili & vero ſuo humano corpore, ſed Diuina coniuncta maieſtate, præditus [5]: & coram eo compareant quicunque à condito mundo homines extiterint [6]. Nã quos antea mori contigerit, iterum reſurgent: iiſdem videlicet corporibus quæ ad tempus quieuerint, cum eadem anima rurſum, idque inſeparabiliter coniunctis: qui verò in ipſo Chriſti aduentu ſuperſtites fuerint deprehenſi, vno momento immutabuntur, id eſt, in eam conditionem tranſibunt in qua futura eſt hominum natura poſt reſurrectionem [7]. Deinde Dominus omnes ſine exceptione iudicabit ex verbo ſuo [8]. Quicunque igitur crediderint, ſicut ex fidei fructibus conſtabit [9], fient Chriſti cohæredes [10] non tantùm anima tenus, quæ à ſuo exceſſu ex corpore in Domini ſui gaudium ingreſſa, tunc demum corpore ſuo reſumpto, plena fœlicitate perfruetur [11]: ſed in ipſo etiam

1 Act. 3. d. 24. 2. Pet. 3. b. 7

2 Mat. 24. e. 36 & 25. a. 13. & 1. Theſſ. 5. a. 1, 2.

3 Apo. 6. c. 11. 2. Pet. 3. b. 9

4 2. Pet. 3. c. 10

5 Act. 1. b. 11. Matth. 24. e. 30.

6 Matth. 25. c. 32 1. Pet. 4. b. 5. 2. Tim. 4. a. 1.

7 1. Cor. 15. g. 51 & deinceps. 1. Theſſ. 4. d. 14. & deinceps

8 Mat. 25. d. 31

9 Mat. ibidem.

10 2. Tim 4. b. 8 & alibi paſſ.

11 Luc. 23. f. 43. 43. Act. 7. g. 59. Phil. 1. d. 23.

corpore, quod omni depoſita infirmitate, incorruptionem & gloriam nobis nunc incō prehenſibilem induet[1]. E contrario verò ſcelerati & increduli, ſuæ conſcientiæ teſtimonio conuicti[2], perennem quidem naturam induent, ſed omni ignominia plenam, & in eum tantùm finem vt perpetuò torqueri poſsint cum Diabolo & ipſius angelis[3].

Hæc ſunt in ſumma quæ de futuro iudicio didicimus ex Dei verbo. Eorum autem furores qui quando ſit venturus ille dies, definire ſe poſſe exiſtimant: & aniles illas ſpeculationes de fictitio quodam Antichriſto, Paradiſi gaudiis, & Inferorum ſuppliciis, nō modò aſpernamur, ſed etiam toto pectore auerſamur. Nefas enim putamus abſcondita ſcrutari, & ſua commenta cum Dei veritate permiſcere. Malumus denique perpetuas excubias agere, ne nos dormientes opprimat qui venturus eſt, ſicut in diebus Noe, & ſicut fur in nocte[4]: & ſatis nobis eſt intelligere incomprehenſibile eſſe gaudium quod ſperamus[5], & infinitum cruciatum qui omnes incredulos manet.

1 Rom. 8. d. 18. & 23. 1. Cor. 2. b. 9. & 15. d. 13. & 15. g. 52.
2 Rom. 2. b. 14.
3 Matth. 25. d. 41. 42.
4 Mat. 24. e. 36. & deinceps. & 25. cap.
5 1. Cor. 2. b. 9.

Breuis Antitheſis Papatus *& Chriſtianiſmi.*

CAPVT SEPTIMVM.

I. Papiſtas pro vero Deo colere fictitium & imaginarium numen, quod neque perfectè iuſtum, neque perfectè ſit miſericors.

EX iis quæ adhuc expoſuimus facile fuerit cuiuis attento Lectori iudicare quàm iuſtis de cauſis à Papiſtica eccleſia ad Chriſtianam tranſierimus, & quantopere hallucinentur qui nos putant de leuiculis quibuſdam & indifferētibus rebus contēdere: quum è contrario de ipſius doctrinæ ſalutis ſumma ex diametro à Papiſtis diſsideamus. Hoc enim affirmo, atque vtinam non poſſem tam iuſtis de cauſis affirmare, album nigro non magis repugnare, quàm Papiſmū Chriſtianiſmo: quod nunc paucis probare conſtitui. Neque hîc ego de ipſorū flagitiis & perditiſsimis moribus diſputo, ſed ipſum cauſæ iugulum peto, doctrinā illorum nimirum, qua nihil impurius & corruptius ne fingi quidem poſſe affirmo. Omitto illud quoque, quod tamen vel vnum ſatis probat Papiſticum regnum nihil aliud eſſe quàm tenebrarum regnum, quòd videlicet ſua myſteria nolint cuiuis patere, ſed ignota lingua omnia peragi velint, nec quicquam æquè reformident atque hoc vnum, ne verbum Dei tranſlatum in cuiuſuis gentis idioma, à quibuſuis poſsit cognoſci. Hoc, inquam, nunc omitto, & deſcēdo ad præcipuas Chriſtianæ doctrinæ partes. Ac primo quidem loco numen illud imaginarium ac fictitium eſſe dico, quod Papiſtæ veſtiunt ſummo illo ac glorioſiſſimo Dei nomine. Nam omnibus conſtat, verū Deum ſummè ac perfectiſsime iuſtum eſſe ac miſericordem. Atqui nec perfecta eſt ea iuſtitia quæ humanis ſatiſfactionibus acquieſcit: nec perfecta miſericordia quæ tantùm ſupplet quod hominum meritis deeſt. Eant igitur Papiſtæ, & iactent ſe verum Deum colere.

II. Si vera eſt Papiſtarum doctrina, Chriſtum deſiiſſe hominem eſſe, ac proinde Spem noſtram eſſe prorſus inanem.

In Ieſu Chriſto, in quo vno verè colitur Pater, duo præcipuè ſpectamus, perſonam & officium: quorum vtrunque Papiſtæ ab ipſis fundamentis conuellunt, ſicut ſigillatim explicabimus. Nam quod ad perſonam attinet, quanuis verbo fateantur Chriſtum & Deum & hominem eſſe, re tamen negant cum Eutychianis, quum ei tribuunt corpus inuiſibile, immēſum, atque adeò infinitū, vtpote quē ſimul infinitis locis corporaliter præſentē eſſe volunt. Nā ſi vnius Dei naturę id proprium eſt, vt ſit vbique, quoniam vnus eſt infinitus: conſequitur carnem Chriſti eſſe in Deum conuerſam, ſi placitis Papiſticis acquieſcamus: nam vbique, & pluribus ſimul locis eſſe, paria ſunt. Neque eſt quod ad omnipotentiam Dei confugiant, quum de voluntate Dei, non autē de potentia hîc quęratur. Noluiſſe autem Deum quod iſti voluiſſe affirmant, ex eo conſtat quòd Filium ſuum voluit veram hominis naturam inſeparabiliter, & diſtincta naturarū proprietate aſſumere. Glorificatio verò corporis Chriſti, naturam carnis non ſuſtulit, ſed infirmitatem ademit: & fruſtra hîc agitur de glorificatione. Quum enim diceret Chriſtus,

ſtus, HOC EST CORPVS MEVM, nondum erat ipſius caro glorificata: neque nunc aliter vera eſt hæc propoſitio quàm tum erat, qua de re pluribus ſuo loco diſputatum eſt. Qui verò fiat vt nihilominus fideles, qui nunc in terris ſunt, non alibi, verè in Sacramenti perceptione per fidem fiant participes carnis & ſanguinis Domini, quæ nunc ſunt in cælis, & nō alibi, ſuo quoque loco expoſuimus, ne quis nos arbitretur Sacramenta euacuare.

Iam verò quod attinet ad perſonæ vnitatem, quam tradunt nonnulli lacerari, niſi vbicunque eſt diuinitas, ibi etiam humanitatem eſſe concedamus, ex quo efficiunt vbique etiam eſſe Christi carnem, ſic paucis reſpondeo. ¶ Primùm, quæro an fuerit Chriſti caro in cælis antequā in cælos aſcenderet. Si hoc affirment, & illū Iohannis locum [1], *Nemo aſcendit in cælum niſi qui deſcendit è cælo, nempe Filius hominis qui in cælo eſt*: propriè acceperint, quum omnino ſit explicandus per κοινωνίαν ἰδιωμάτων, quid aliud erit aſcenſio quàm inane ſpectrum, ſi duntaxat diſparuit Chriſtus, nec verè locum mutauit? Nā certè mutatio loci in id non cadit quod eſt vbique. Aſcenſio verò apertè in Scripturis diſtinguitur à ſeſſione: ita vt illa mutatum corporis ſitum, quum de vero corpore dicatur: ſeſsio verò ad Dei Patris dextram, infiniti imperij conſortium declaret. ¶ Deinde verò an ſimul carnem Chriſti mortuam in ſepulchro, & viuam in cælo conſtituemus? puderet enim, opinor, mortuam in cælo collocare. Et ipſa Chriſti reſurrectio cuiuſmodi tandem erit, ſi Chriſti caro ſepulchrum nunquam reliquit? Nunquam enim profectò verè illud reliquit, ac ne nunc quidem abeſt à ſepulchro, ſi à coniunctione duarum naturarum, vbicunque fuit diuinitas, ibi fuit caro. Non erit igitur ſimpliciter, ſed noſtrorum duntaxat oculorū reſpectu verum quod dicunt Angeli, Surrexit, non eſt hic [2]. Quæ omnia quū ſint abſurdiſsima, & eorum hæreſi certū fundamentum ſubſternāt qui corpus imaginarium vel ſpiritualis naturæ Chriſto tribuunt, ac proinde ſpē noſtram omnem euertunt: conſequitur falſiſsimū quoque & abſurdiſsimum eſſe dogma de carnis Chriſti vbiquitate. Sed, inquies, nondum eſt expeditus nodus, quomodo non ſeparentur naturæ, ſi vtraque non eſt vbique. Id ego verò craſſa quadam ſimilitudine explicari poſſe crediderim, quæ etſi per omnia non reſpōdet (cui enim ſimilem faciemus Altiſsimum?) tamen ad id de quo agimus vtcunque percipiendum, ſatis mihi videtur accommodata. Ponamus Solem duabus coniunctis naturis diuerſiſsimis conſtare, vna ſolida & conſpicua, & orbi ſuo affixa: altera verò tenuiſsima & inuiſibili, per hemiſphærium diffuſa, radiis ſuis nimirum ad oculos noſtros verè pertingentibus. Sit quoque Solis corpus dēſiſsimis interpoſitis nebulis noſtro conſpectui ereptum, cuius tamen radij in noſtros oculos incurrant. Obſecro, an nō verè dicetur à nobis Sol abſens ſecundū corpus, quum ſit in cælis, nos autem in terris, & ne procul quidem cōſpici à nobis poſsit? Erunt tamen eius radij nobis adeò præſentes vt oculos etiam feriant. An verò propterea à Solis corpore ſuos radios per ſe ſeparatos dicemus? Minimè profectò, quoniam inſeparabiliter cum Solis corpore ſunt coniuncti. Verum igitur erit, vbicunque eſt Solis corpus, ibi eſſe ipſius radios: ſed non è contrario, quoniam natura corporis id non patitur. Neque tamen dicemus dimidium tantùm Solem nobis adeſſe, ſicut dici poteſt ac debet quum dimidius tantùm ortus eſt, ſed totum ac integrum: quanuis totum Solis (vt ita loquar) id eſt, quicquid Solis eſt, nobis non adſit. Sic quoque humanitatem Chriſti quæ corpori, diuinitatem quæ radiis Solis in hac ſimilitudine reſpondet, affirmamus, ſicut par eſt, inſeparabiliter & hypoſtaticè coniunctas, quoniam alioqui ſpes noſtra inanis eſſet, vt ſuo loco declarauimus. Fatemur etiam vbicunque eſt caro Chriſti, ibi eſſe æterni Verbi diuinitatem: ſed non è contrario, quoniam hoc non ſinit diſtincta veræ carnis proprietas, quæ eſt ſupra cælos extra conſpectum noſtrum euecta, quanuis interdum ei placuerit, fiſsis cælis, extraordinario modo ſeſe quibuſdam verè demonſtrare. Dicimus tamen totum Chriſtum nobis adeſſe, non dimidium: ſed totum Chriſti adeſſe negamus, quoniam caro ſupra cælos nunc eſt, nos verò in terris: nec propterea perſonæ vnitatem laceramus.

1 Ioh.3,b,13.
2 Mat.28,b,6

III. Papatus eneruat vnicam Chriſti oblationem.

De Chriſti officio nunc nobis diſſerendum eſt, quod & ipſum à Papiſtis prorſus ei adimitur. Eſt autem illud tribus in rebus poſitum, nempe in Sacerdotio, Prophetia & Regno: de quibus ſigillatim diſſeremus. Duæ ſunt igitur Sacerdotij Chriſti veluti partes, nempe oblatio ſuiipſius ſemel facta, nec vnquam repetenda, quoniam eſt omnibus modis perfecta [1]: & interceſsio apud Patrem, quæ adhuc manet [3]. Vtranque verò à Papi-

1 Heb.7,d,24, 25,26,27, & 9,f,24.

ſtis tolli ſic probo.

Primùm quod ad oblationem attinet, ſi ea repetenda eſt, vt iſti volunt qui Chriſtum dicunt in Miſſa offerendum pro viuis & mortuis, conſequitur oblationem quæ ſemel facta eſt à Chriſto, eſſe imperfectam, ſicut rectè colligit Apoſtolus, de Leuiticis ſacrificiis diſſerens, & manifeſtè contendens oblationem Chriſti vnicam eſſe non modò ſpecie, ſed etiam numero, & ipſum oblationis actum ſpectandum[1]. Sed vtuntur Patres ſacrificij & oblationis nomine. Fateor, ſed alio reſpectu, nempe precum & gratiarum actionis, & munerum, quæ reficiendis viuis, non autem redimendis mortuorum animabus, in Dei nomine & fide viua offerebantur. Neque enim ad ſacra myſteria accedendum eſt, vt Chriſtum ſacrificemus aut offeramus Patri, ſed vt ſemel oblatum percipiamus per fidem.

[1] Heb. 7.d.27. & 12.g.25. 26. 10. a. 2. c. 10. 11. 12. 13. 14. d. 18.

Secundò, ſi ordinandi ſunt ſacrifici qui Chriſtum quotidie offerãt Deo Patri pro remiſſione peccatorum, non eſt Chriſtus vnicus Sacerdos ad reconciliandum Patrem, ſecundum ordinem Melchiſedech, ſed erit tantùm vnica hoſtia: quod & ipſum tamen poſtea Papiſtæ euertunt.

Tertiò, ſi oblatio Ieſu Chriſti, & à Ieſu Chriſto ſemel facta, omnibus modis eſt integra & perfecta, (vti ſanè eſt, ſi Chriſtus verè eſt Ieſus, id eſt, ſeruator) quid eſt quod iſtos docere non pudet, ſatisfeciſſe Chriſtum pro peccatis præcedentibus Baptiſmum: quod autem attinet ad peccata Baptiſmum conſequentia, remitti tantùm culpam per Chriſti paſſionem, pœnam autem ex infinita finitam fieri, quæ in Purgatorio (quod vocant) luatur, tantiſper dum noſtris coram Deo ſatisfactionibus ambuſti manes eximantur? Quòd ſi hæc falſiſſima ſunt, & in Chriſti ſacerdotium prorſus impia, quales ſunt eorum indulgentiæ? Quòd ſi Purgatorium morientibus omnibus ſupereſt, vnde non aliter poſſint quàm viuorum meritis liberari: vnde Sanctorum merita quę iſti tam clarè vendunt, quum vel ipſi Sancti (quos vocant) id eſt, albo regnantium cum Chriſto beatorum, ex ipſorum auctoritate, inſcripti, viuorũ precibus indiguerint: vel falſum ſit quod affirmãt, Purgatorium omnibus ex hoc mundo migrantibus eſſe propoſitum, quod Chriſtus culpam duntaxat aboleuerit? Imò qualis erit Deus iſte, qui inculpatos tam ſeuerè puniat, id eſt, donec ad vltimum quadrantem ſatisfecerint qui nihil debent? Sic enim ſolent iſti locum Matthæi[2] ad ſuum dogma detorquere, quum tamen conſtet nihil niſi ratione culpæ deberi. Sed quoniam iſti ad Patres confugiunt, audiamus quid teſtetur Ambroſius[3], *Qui HIC non receperit remiſſionẽ peccatorum, ILLIC non erit.* (videlicet in cõmunione Sanctorũ.) *Non erit autem, quoniam ad vitam æternã non poterit peruenire, quia vita æterna remiſſio peccatorũ eſt.* Quid autẽ Cyprianus[4]? *Quãdo ISTINC exceſſum fuerit, nullus iã locus pœnitentiæ, nullus ſatisfactionis effectus. Hic vita aut amittitur, aut tenetur. Hic ſaluti æternæ cultu Dei & fructu fidei prouidetur.* Et mox, *Tu ſub ipſo licet exitu & vitæ tẽporalis occaſu pro delictis Deũ roges, qui verus & vnus eſt, confeſſionem & fidem eius agnitionis implores, venia datur confitenti* (quæ ſit autẽ hæc confeſſio, ſuo loco declarauimus) *& credenti indulgentia ſalutaris de diuina pietate conceditur, & ad immortalitatem ſub ipſa morte tranſitur.* Quid autem Hieronymus[5]? *Tempus* (inquit) *ſementis, tempus eſt præſens.* Deinde multa ſubiicit, ex quibus mirum ni hæreticiſſimus à Papiſtis iudicetur. Sed quoniam vix quicquam eſt quod iſti non cauillentur, proferam apertum Auguſtini teſtimonium, & illius ipſius Gregorij, quem alioqui certum eſt errorem de purgatorio igne plurimùm confirmaſſe. Sic ergo Auguſtinus[6], *Primum*, inquit, *fides Catholicorum diuina auctoritate regnum eſſe credit cælorum. Secundum, gehennam, vbi omnis apoſtata vel à Chriſti fide alienus ſupplicia expertur. Tertium penitus ignoramus, nec eſſe in Scripturis ſanctis reperimus.* Sed & idem alibi[7] ſcribit, eos qui purgatorium ignem credunt, humana quadam beneuolentia decipi. Denique Gregorium ipſum audiamus, cui ſi credimus, non extinguetur quidem penitus ignis purgatorius, ad purgandas potius crumenas quàm animas extructus: ſed tamen non magnus ipſius vſus relinquetur, & venialibus potius peccatis (vt loquuntur) quàm mortalibus fuerit deſtinatus. Sic enim ille ſcribit totidem verbis[8], *Conſtat quia qualis hinc quiſque egreditur, talis in iudicio præſentatur. Sed tamen de quibuſdam leuibus culpis ante iudicium purgatorius ignis cenſendus eſt.* Et mox, *Sicut eſt*, inquit, *aſſiduus otioſus ſermo, immoderatus riſus, vel peccatum curæ rei familiaris, quæ vix ſine culpa vel ab iis agitur qui qualiter declinare debeant, ſciunt, aut non in grauibus error ignorãtiæ, quæ cuncta etiam poſt mortem grauant, ſi adhuc in vita poſitis non fuerint relaxata.* Iam ergo habent Papiſtæ, ex ſuo Gregorio, purgatorium ignem ſolis minimis peccatis excoquendis ſeruire, & quidem cum exceptione, *Niſi viuis fuerint relaxata*, quæ omnia etſi inepta & falſa ſunt, tamen oſtendunt

[2] Mat. 5. d. 26.

[3] Ambr. lib. de bono mortis.

[4] Cypr. contra Demetrianũ, tractatu 2.

[5] Hier. in cap. 6. epi. ad Galatas.

[6] Aug. lib. Hypognoſt. 5.

[7] Idem Ench. ad Laur. cap. 67.

[8] Greg. li. Dialog. 4. c. 39.

quę

quæ tunc fuerit de Purgatorio ſententia in ipſo Papatu cui iſte præfuit. Sed audiamus etiam aliquid amplius. Statim enim hæc verba ſubiicit: *Quum Paulus dicat Chriſtum eſſe fundamentum, atque ſubiungat, Siquis ſuperædificauerit, &c. quamuis hoc de igne tribulationis in hac nobis vita adhibita poßit intelligi, tamen ſiquis hoc de igne futuræ purgationis accipiat, penſandum ſolicitè eſt, quia illum per ignem dixit poſſe ſeruari, non qui ſuper hoc fundamentum ferrum, æs, vel plumbum ædificat, id eſt, peccata maiora, & idcirco duriora, atque tunc iam inſolubilia, ſed lignum, fœnum, ſtipulam, id eſt, peccata minuta & leuißima, quæ ignis facilè conſumat.* Hactenus Gregorius, apertè quidem illum Pauli locum detorquens, ſed ſatis tamen declarans quæ tum fuerit de Purgatorio doctrina. Denique ſi Chriſti vnica oblatio ſemel facta nos ſanctificat, quorſum dicitur aqua ſalſa diluere peccata, vt alia omittam quorum nec finis eſt nec numerus?

IIII. Papiſtæ abolent Chriſti interceßionem.

Quod autem ad alteram ſacerdotij partem attinet, nempe interceſſionem, etſi Papiſtæ primas plerunque Chriſto tribuũt, an non tamen illum hoc ſuo munere ſpoliant, quum alios ei collegas adiungunt? Quid verò quum virginem Mariam inuocantes, vociferantur, IVRE MATRIS IMPERA, an non eam Chriſto, vt matrem pupillo, anteponunt? Et quum eam clamant, Reginam cæli, portam paradiſi, vitam & dulcedinem ſuam, gratiæ theſaurariam, refugium peccatorũ, mediatricem hominum, quid amplius Chriſto relinquunt? Ac ne quid confingere videar, adſcribam ipſas blaſphemias, vt Papatus omnibus piis fœteat. Sic ergo canitur in Miſſali Pariſienſi in proſa Miſſæ de annuntiatione, *Salue decus virginum, Mediatrix hominum, Salutis puerpera.* Item in proſa Miſſæ de conceptione, hæc canũtur: *Tu ſpes certa miſerorum, Verè mater orphanorum, Tu leuamen oppreſſorum, Medicamen infirmorum, Omnibus es omnia.* Quid eſt, obſecro, Chriſtum excludere, ſi hoc non eſt? Sed audiamus quod omnes omnium ætatum blaſphemias ſuperat. Extant enim hæc quoque in proſa quæ incipit, *Mariæ præconio: O felix puerpera, Noſtra pians ſcelera, Iure matris impera, Redemptori.* Sed horrenda tum impietatum plus ſatis. Et tamen iſtis ſumus impii, & Mariæ virginis contemptores.

V. Papatum negare Chriſti Prophetiam.

Quod autem attinet ad Propheticum Chriſti munus, cuius prænuntio Spiritu locuti ſint Prophetæ tantiſper dum ipſe veniret, & omnem Patris voluntatem nobis patefaceret, quique Apoſtolis ſuis omnem veritatem, & nobis poſtea per Apoſtolos omne Dei conſiliũ pleniſſimè aperuit, cui tandem ſano homini perſuaſerint Papiſtæ ſe illum vt vnicum perfectum Prophetam, id eſt, Patris interpretem admittere? Vnde enim infinita illa congeries traditionum & legum quotidie emergentium, ſi ſemel omnia ad ſalutem & perficiendum hominem Dei neceſſaria Chriſtus voce primùm, deinde Scripturis tradidit? quod ſi ſecus eſt, quomodo Prophetico ſuo muneri ſatisfecit? Nã Synodorum quæ ſit auctoritas in Eccleſiaſticis condendis legibus, abundè à nobis explicatũ eſt. Quòd ſi etiam tanta illa eſſet quantam iſti eſſe contendũt, quomodo tandem probabunt Spiritum Dei præfuiſſe illis Synodis quę à Dei verbo ex diametro diſſident? vnde tanta illarum inter ſe repugnantia? vnde hæc Papæ poteſtas, vt quicquid Synodi conſtituerunt, pro arbitrio reſcindat? At enim Papa eſt os Domini. Itáne verò impuriſſime Antichriſte? cur igitur ante tot ſæcula quum myſterium tuæ iniquitatis inciperes operari, tota Synodus Aphricana re vt manifeſtè falſariũ coarguit? Quòd ſi tuæ claues errare non poſſunt, cur ſaltem veſtri Magni Gregorii doctrinam non admittitis, qui vniuerſalis Epiſcopi vel ipſum nomen teſtatus eſt vni Antichriſto conuenire?

VI. Papatus Chriſtum ſpoliat ſuo Regno.

Si Chriſto tributa eſt omnis poteſtas in cælo & in terra, vtpote qui ſit vnicũ Eccleſiæ Catholicæ caput, quam viuifico ſuo Spiritu præſens moderatur, & vnus conſcientiis imperet: vnde hæc Papæ poteſtas ad conſcientiam legibus adſtringendam? Nam ne ipſe quidem Chriſtus, ſi nunc quoque corporaliter inter nos verſaretur, quicquam Euangelio ſuo adiiceret vel detraheret, quod teſtatus eſt plenam perfectámque doctrinam ſalutis complecti[1]. Quorſum autem pręſenti & omnipotenti vllum vicarium caput, repugnante Dei verbo, & tota illa vetere Metropolitarum deſcriptione, quę in Synodo Nicęna extat, tótque conſequẽtibus Synodis eſt confirmata? Quî deniq; dicetur Chriſti vicarius, qui quoties libuit, & Dei verbum & Apoſtolorum doctrinam reſcindit, & ipſius Petri, cuius falsò ſucceſſorem ſe iactitat, omnem auctoritatem conuellit[2]? ¶ Exempla ſi requirunt, duo ſaltem proferam, quę nec ipſi poſſint inficiari: legem videlicet cœlibatus, & Sacramenti ſub vna duntaxat ſpecie adminiſtrationem, quas conſtat non

[1] Ioh.15.c.15. & 16.b.13. Act.20.e.27. Gal.1.a.8. 2.Tim.3.d.16.17.

[2] 1.Pe.5.a.2.3. Act.8.d.20.

3 1.Tim.3,a,2, & 4.a.3. Tit.1,b.6. Mat.6,c,23. 2.Corin.11,d,25,26.

tantùm verbo Dei[1], ſed etiam totius veteris illius puriſſimæ Eccleſiæ decretis & moribus ex diametro repugnare[2].

Papam tamen fateor vna in re Petro ſucceſſiſſe, nempe in Chriſti abnegatione. Sed huius ſceleris Petrum ſtatim pœnituit: iſtum verò perditum, ſuarum blaſphemiarum ne poſt tot quidem ſecula, poteſt pœnitere.

2 Nicep. Eccl. hiſt. l.8,c.19. Can. Apoſt.5. Chryſoſt. homil.18. in 2. Cor 8.

VII. *Papatus ignorat quàm miſera ſit hominis conditio.*

1 Rom.3.b,9. Epheſ.2,a.3. 4 2.Cor.3.b,5. 5 Epheſ.2,a,1.

Mirum non eſt ignorari, aut etiam conculcari Chriſti beneficium ab iſtis qui penitus ſeipſos ignorant, & quàm lethalis ſit morbus quem ex ipſo vſque conceptu circunferimus. Primùm enim quum omnes natura ſimus filij iræ[3], & ne ad cogitandum quidẽ bonum idonei[4], quod ad Dei cultum attinet: toti denique ſimus mortui in peccatis[5]: iſti è contrario docent intelligentiam & voluntatem læſas eſſe duntaxat, hactenus vt ſine gratiæ præuenientis auxilio non poſſint propter ſuam imbecillitatẽ emergere. Neſciunt enim quid ſit Caro totum hominem non regeneratum comprehendens, quem non dicit Scriptura oportere à Spiritu Dei adiuuari, ſed è cõtrario potiùs perimi & aboleri. Ignorant quoque quid ſit Spiritus, & quid ſit Nouus homo: qui certè nouus non eſt, ſi qua ex parte eſt vetus, id eſt, ſi vel tantillũ veri boni in homine inueniri poteſt ante regenerantem gratiam. Nam quod ad naturalem Dei cognitionem attinet, tãtum abeſt vt ea nos iuuet, vt è contrario condemnet, ſicut ait Apoſtolus[6], clamitans omnes eſſe ἀθέους ante Chriſti cognitionem[7], quã caro vel ſanguis nõ patefacit[8]. Vbi igitur liberi arbitrij reliquiæ quod iſti ſomniant, vt ex eius cum gratia concurſu *Merita ſua ex congruo & condigno* ſtabiliant? Neque verò nos quũ hæc reprehendimus, homines facimus truncos vel ſtipites, ſed ad malum totos ſpontaneo & voluntario motu ſeipſos ciere dicimus, quoniam naturæ corruptæ vitio factum eſt, vt ſint ſub peccato venundati, ſerui peccati, & liberi iuſtitiæ[9].

6 Rom.1,c,20. 7 Eph.2,c,12. 8 Mat.16,c,17. 9 Ro.6,d,20, & 7 c.14. Iohã.8,c,36.

Quid quod iidem Papiſtæ putant aliquam eſſe in homine præparationẽ naturalem ad primam percipiendam gratiam, & Deum noſtris meritis ad alteram concedendam prouocari? Er illud cuiuſmodi eſt, quod Originis peccatum volunt in Baptiſmo non quod ad eius imputationem duntaxat, ſed etiam quod ad rem ipſam attinet, vno momento prorſus elui, & reliquos in nobis prauos motus, per ſe peccata eſſe negãt niſi accedente conſenſu? Id verò ſi ita eſt, vbi illud peccatum peccans, & ſenſim quotidie moriens in hominibus etiam ſanctiſſimis[10]? vnde caro Spiritui repugnans[11]? vnde acerbi iſti fructus, ſi prorſus mortua eſt amara illa radix? Denique vt ſuam inſcitiã iſti prodant, & mortiferum illum morbum extenuent, quem nunquam ſatis poſſumus intelligere & exhorreſcere, docent quædam eſſe venialia peccata, id eſt, quæ mortem non mereantur. Ignorant enim quæ ſit Dei maieſtas & iuſtitia: quid ſit non imputari peccatũ: quale denique ſit illud Pauli[12], *Regnauit mors ab Adam ad Moſem, etiam in iis qui non peccarunt ad ſimilitudinem tranſgreſſionis Adami*. Qui ſic verò de morbo peccati loquuntur, an mirum eſt eos quantum ſit Chriſti beneficium ignorare?

10 Rom.7,c,13. & deinceps. 1.Cor.9,d,27. 11 Gal.5,c,17. 12 Rom.5,c,14.

VIII. *Papiſtæ ignorant quid ſit fides, ac proinde quo pacto poſſit Chriſti beneficium miſeris & perditis hominibus applicari.*

Sicut vna extat Chriſti iuſtitia, cuius gratuita imputatione iuſti ſumus, ita etiam vna fides eſt per quam poſsit Chriſtus ſuis electis applicari, ſicut ſuo loco copioſè declarauimus. Sed & illud oſtendimus, fidem illam de qua hîc agitur, nõ eſſe quandã hiſtoricam notitiam rerum à Deo proditarum, ſed certum teſtimoniũ quod Spiritus perhibet ſingulorũ electorũ cordibus, vt ſciant quæ ſibi Pater in Chriſto donarit, quoniã ſint à Deo electi ante iacta mundi fundamenta, cũ quo Spiritus ſancti teſtimonio neceſſariò cohæret veteris hominis mortificatio, & noui hominis creatio, vnde promanant iuſtitiæ fructus. At miſeri Papiſtæ, Fidem putãt nihil aliud eſſe quàm credere vera eſſe quæ in Scripturis dicuntur, idque in genere & implicitè duntaxat, vt loquũtur, quum ipſe Diabolus ſigillatim illa norit, nec tamen fidelis dici poſsit: quibus deinde adiungunt quicquid libuit quibuſuis comminiſci, modò ſit ex conſuetudine, vel ex eius conſenſu qui ſe Deum terreſtrem vocat, approbatum. Nefas enim putant verbum Dei permittere Laicis (quos vocant) legendum, & eos iubent credere quod ignorant. Imò verò quotuſquiſq; eſt ipſorum ſacrificulorum qui verbum Dei non dico interpretari, ſed vel legere ſatis expeditè poſsit? Fiduciam autem ſalutis, arrogantiam vocant, quum interim ex ſuis & Sanctorum meritis ſalutem hominum ſuſpendant. Mors autem Chriſti cedò quo pacto ægrotis applicatur? nempe Confeſsione auriculari, peregrinationibus, certis ieiuniis,

dierum

dierum & ciborum diſcrimine, cuculla, numeratis precibus, ſed in primis oblatione ipſius Chriſti in Miſſa, idque ex *Opere operato*, vt loquuntur. En in quæ præcipitia ferantur qui à via veritatis aberrant.

IX. Papiſtæ neque Legis neque Euangelij vſum norunt.

Oſtendimus Legem Dei vnicam eſſe ac perfectam iuſtitiæ regulam, & vni Deo fas eſſe leges conſcientiis ponere. Iſti verò quid non audent? Leges legibus quotidie cumulant. Ex ipſis decem præceptis illud in quo tam expreſſè prohibetur omnis imaginum cultus, illud, inquam, mãdatum quo nullum frequentius in Scripturis inculcatur, prorſus expunxerunt: & mutatis tantùm veterum deorũ nominibus, omni idolorum genere ſua templa oppleuerunt: Deum ipſum corporali figura repręſentarunt, nec hominibus duntaxat omnium ætatum & ordinum, & deabus omnis generis meretricio cultu fabricatis, ſed etiam equis, aſinis, lupis, ceruis, canibus, porcis, draconibus, diabolis denique altaria ſua onerarunt, & putribus cadaueribus omnia oppleuerunt, inque omnium iſtorum cultu ſummam pietatis poſuerunt.

Cæremonialis legis iugum docuimus aduentu Chriſti excuſſum. Iſtorum autem religio quid aliud complectitur quàm infinitam & inexplicabilẽ cæremoniarum farraginẽ, quas partim excogitarunt, partim ex Iudaiſmo & Paganiſmo ſumptas in Eccleſiam Dei tranſtulerunt, Chriſto & Apoſtolis fruſtrà id prohibentibus? Matt.15.a.2, 3.9.

Præterea, quũ, ſicut ſuo loco declarauimus, nunquam tradita fuerit Lex ad nos ſeruandos, ſed è contrario ad nos coarguendos, vt animis ſenſu peccatorum vulneratis ad vnum Chriſtum accurramus, qui noſtrum onus in ſe recipiat: iſti cõtrà nõ modò quærunt ſalutem in Lege, id eſt, vitam in morte, ſed etiam, vt ſunt omnium hominum minimè ſani, non ceſſant nouos quotidie laqueos miſeris conſcientiis inijcere, quaſi videlicet Lex Domini omnibus condemnandis non ſufficiat. Act.15.f.38, & 15.e.10,18. 1.Co.7.f.35. Col.2.c.16,17, 18.d.10, & deinceps. 1.Ti.4.a.1,2, 3. 2.Tim.3.d.16, 17.

In altera verò ſpecie verbi Dei quam diximus Euangelium vocari, non minus eſt pernicioſus Papiſtarum error. Quum enim Euangelium à Moſe ſub figuris legalibus propoſitum, & per Prophetas promiſſum, à Chriſto exhibitum, & noui Teſtamenti libris comprehenſum, idcirco ſit patefactum mundo vt in Chriſto per fidem apprehenſo gratis iuſtificemur & ſanctificemur, ſicut copioſè ſuo loco demonſtrauimus: iſti è contrario exiſtimant Euangelicam doctrinam nihil aliud eſſe quàm legem quandam perfectiorem Moſaica. Id verò ſi ita eſſet, nempe nos doceret non in Chriſto qui fruſtrà eſſet mortuus, ſed in noſtra iuſtitia ſpem noſtram collocare, ac proinde, vt ait Paulus, irritam faceret promiſsionem. Nunquam enim Lex iuſtificat coram Deo niſi à quibus perfectiſsimè præſtatur: quã conditionem ſi implere homines potuiſſent, neque Chriſto neque Euangelio fuiſſet opus vt à Legis maledictione redimeremur. Quæſo verò, lector, an qui de Euangelio ita ſentit, dignus eſt qui Chriſtianus cenſeatur? Sed hunc errorem ſtoliditas alia conſequitur. Neque enim cuta illis eſt Euangelij prædicandi, ſed, quaſi in ipſis ſyllabis magica quædam vis inſit, incognita lingua & fruſtillatim recitandi, multo cum ſuffitu adorandi, è collo denique ſuſpendẽdi, vt venefici ſolent. Quòd ſi quando per interualla conciones habentur, tum verò quibus commentis & ſacrilegiis polluitur ab iis qui non aliunde quàm ex Euangelij cauponatione & miſerorum hominum pernicie viuunt?

X. Ignorat Papatus quæ ſint bona opera, & quis ſit eorum fructus.

Controuerſias de bonis operibus ſuo loco ſigillatim explicauimus, & calumniam illorum diluimus qui clamitant bona opera à nobis damnari, quum è contrario, teſte Apoſtolo, doctrina de gratuita per fidem in Chriſto iuſtificatione Legẽ ſtabiliat, quę alioquin euerteretur. At ego ex iis quæ de hoc argumento alibi explicauimus cuiuis conſtare poſſe dico, mercenariis iſtis bonorum operum patronis nõ magis quàm olim cæcis illis Phariſæis conſtare, neque ex quo fonte ſint bona opera petenda, nec quænam illa ſint, nec quatenus nobis vtilia dicantur: quò fit vt diſputatio de bonis operibus non magis ad eos pertineat quàm diſputatio de pudicitia & caſtitate ad decantatiſſimas meretrices.

Sed eſt in primis conſiderandum quàm horrendis ſacrilegiis excellentiſsimum illud opus precum ſiue inuocationis Dei cõtaminent. Nam præterquã quòd fictitia merita quorumcunque libuit, ſolent cũ Chriſti ſanguine, maniſeſtiſsima impietate, permiſcere: Scripturæ centones nulla prorſus ratione cõſuere: certos homines ad precandũ conducere: incognita lingua neſcio quid inconditum, atque adeò apertas blaſphemias

blaterare: vt, inquam, iſta prætermittam, quid eſt Deum ludibrio habere ſi hoc non eſt quod palàm factitant, quũ volunt numeratis precibus Deum demereri, & peccata tum viuorum tum mortuorum hac compenſatione redimi profitentur?

X I. Papiſtæ non ſatis tenent quæ ſint Sacramenta, & in quem vſum inſtituta fuerint.

Quiſquis ea quę de Sacramentis diximus cõparabit cũ Papiſticis traditionibus, facilè cognoſcet quàm horrẽda ſit Sacramẽtorũ profanatio apud Papiſtas. Eã verò per ſingulas partes explicare qnoniam valde fuerit operoſum, præcipua duntaxat attingam.

Primùm igitur magni iſti Theologi, non contenti Baptiſmũ infinitis modis polluiſſe, & Cœnam Domini penitus aboleuiſſe, vt ſuo loco docebimus: poſtea ex vna ſimplici cæremonia Impoſitionis manuũ, quatuor fecerũt Sacramẽta, Confirmationẽ, Pœnitentiã, Ordinem, & extremam, quam vocant, Vnctionẽ. Deinde, quoniam ſeptenario numero mirũ in modũ delectantur, Matrimonium etiam inter Sacramenta retulerunt, vt numerum illum explerent. Quanta verò ſit eorum ſtupiditas, ne quid acerbius dicã, qui hæc portenta defendunt, agedum conſideremus.

De Baptiſmo Papiſtico.

Quòd igitur attinet ad Baptiſmum, quanuis conſtet Dominũ ſingulari beneficio cõſeruantẽ Eccleſiæ ſuæ reliquias in medio Papatu, noluiſſe tantum licere Satanæ vt Baptiſmum illic aboleret, quum ibi quoque baptizetur in nomen Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, & Baptiſmi efficacia minime pendeat à miniſtri perſona: tamen piorum mentes non poſſunt non magnopere cohorteſcere, quoties ſeriò cogitant quibus ſacrilegiis Sacramentum illud noſtræ initiationis in Papatu contaminetur.

Primùm enim, vbi cognitio nulla eſt, ibi nulla fides exiſtit. Atqui non minus indignè abſque fide ſumitur aut petitur Baptiſmus, quàm Cœna Domini. Ibi verò quænam cognitio eſſe poteſt vbi omnia peregrino & pleriſque incognito idiomate peraguntur? Deinde, etiam ſi vulgata lingua vel omnibus cognita illic adhiberetur, quid tamẽ inde accederet emolumenti ad inſtitutionẽ & vſum Baptiſmi cognoſcendũ, & promiſſiones per fidem apprehendẽdas, quum in ea formula baptizandi qua Papiſtæ vtuntur, nihil eiuſmodi niſi prorſus ieiunè explicetur?

Secundò, quot ſigna & ritus adiunxerũt ſimplici Dei ordinationi, quibus obſtupeſcãt homines potius quàm proficiãt in ſymbolis à Filio Dei cõſtitutis? Atqui quũ nulla res ſignis illis ſubſit, propterea quòd vnius Dei eſt promittere, & ſuis promiſſionibus ſigillũ ſuũ apponere: cõſequitur omnia illa cõmenta, inanes eſſe laruas, & vana opinione miſeros homines illis propoſitis ſignis deludi. Audere verò ſua cõmenta cum Dei veritate cõmiſcere, & in ſimplicitate cuius auctor eſt Filius Dei, non acquieſcere, an non, obſecro, ſacrilegiũ eſt? Hoc tamen nõ ignoramus, ſolere iſta vetuſtatis obtentu defendi. Sed ſi vetuſtas quæritur, quis eſt antiquior Iohãne Baptiſta, & Apoſtolis? cur igitur iſtos potius nõ imitamur? cur vnius Chriſti auctoritate contẽti nõ ſumus? Nam quod Chriſma & eiuſmodi alia nonnulli ad ipſos vſque Apoſtolos referũt, ex ipſa Lucæ hiſtoria refelli poteſt. Vetuſtos autẽ Patres, quorũ ſanè (quod cum piorum pace dictũ ſit) non ſatis magna fuit in huiuſmodi rebus attẽtio, cõſtat huiuſmodi ritus nunquam eodẽ loco habuiſſe atque ipſam Chriſti ordinationẽ. Itaque vel ſola ſuperſtitio quæ ab his initiis profecta omniũ mentes nunc occupauit, & Chriſti beneficium prorſus obſcurauit, omnino efficere debet vt iſtis omnibus ſemel abrogatis ſua illa puriſsima ſimplicitas Baptiſmo relinquatur, ne amplius in externis ſignis homines obſtupeſcant, quum è contrario inſtituta ſint Sacramenta vt homines è terra in cælum ſubuehant.

Tertiò, quum gratia non ſit Sacramentis alligata, ſed promiſsione & veritate Dei nitatur, adeò vt vbi cõtemptus non interuenit, ſufficiat ad ſalutem promiſſio fide apprehenſa, quæ patres & ſobolem ſanctificat: iſti è contrario ſignis & operi (vt loquuntur) operato tribuunt quod vnius eſt Spiritus: & Baptiſmum adeò conſtituunt neceſſarium ad ſalutem, vt mulierculis etiam concedant baptizandi munus, ingruente quam excogitarunt neceſsitate. Fatemur tamen hunc poſteriorem errorem non vulgaribus auctoribus niti, ſed quum ipſa Sacramentorum inſtituendorum cauſa id refellat, quorſum auctoritatem hominum aduerſus Dei veritatem? Mulierum autẽ Baptiſmus non magis eſt certè tolerabilis quàm ſi loqui illis permitteretur in Eccleſia, quum abutatur Baptiſmo qui doctrinam non coniũgit: & iampridem hoc vitiũ Carthaginienſi concilio fuit meritò damnatum.

Quartò, quum Baptiſmus in nobis obſignet remiſſionẽ peccatorũ, & ſanctificationẽ

in nobis

in nobis inchoatā, in qua nos quotidie proficere oportet: iſti ſic omnia perturbant, vt originis peccatū, cuius mali magnitudinem non intelligunt, leui aquę aſpergine velint ſtatim ac penitus in nobis elui, & eius reliquias doceāt peccati rationē non habere, niſi conſenſus accedat: quam doctrinam prorſus diabolicam eſſe affirmamus.

De Sacramento altaris Papiſtico.

Baptiſmum oſtendimus miſerè pollutum in Papatu, non tamen penitus ſublatum, quoniam Domino placuit Eccleſiæ ſuæ ædificium inter illas ruinas ſartum tectum tueri. Cœnam autem Domini affirmo, non tantùm horrendis ſacrilegiis ab illis contaminatam eſſe, verùm etiam in execrandū idolum commutatā, quod ipſi *Sacramentum altaris* vocant, & peculiari cultu colunt, quem *Miſſam* appellant. Huius autem nefarij ſceleris præcipua tantùm capita nunc attingam.

Primùm igitur, quum in Sacramentis duo neceſſariò ſpectentur, ſignum videlicet, & res ſignificata, ſicut ipſum Sacramenti nomen declarat: iſti, vt ſua myſteria ſcilicet redderent auguſtiora, docent ſigna, id eſt, panem & vinum penitus aboleri, & ſola accidētia, putà albedinem & ſaporē, relinqui. Id verò ſi ita eſſet, qua ratione dici poterunt Sacramenta, & vbi tandem illa ſignorum & rei ſignificatæ analogia?

Secundò, cōiunctio rei cum ſignis nititur Dei ordinatione, & corporeū aut naturalē ſitum non declarat, ſed huc dūtaxat reſpicit, vt ſciamus verè nobis ſpirituali modo per fidē comprehendēdum donari quod ſymbola verè ſignificant, id eſt, corpus & ſanguinē Domini. At iſti volunt arcana quadam pronuntiatione verborum, quæ Sacramentalia vocant, panem & vinum tranſſubſtantiari & tranſelementari in reale corpus & ſubſtātialem ſanguinem Chriſti, quod totum Magicum eſt, non Chriſtianum: vt taceā quod antea expoſuimus, Chriſtum hoc modo ſua humanitate ſpoliari.

Tertiò, debet ordinatio Dei & myſteriorum explicatio planè ac perſpicuè populo declarari, vt totam actionem intelligat, & fides ſuum habeat obiectum in quod feratur, promiſſionē videlicet verbo Dei ſcripto & explicato comprehenſam, & corporeis adhibitis ſymbolis, maioris efficaciæ cauſa, veluti veſtitam. At iſti, Deus bone, quàm indignè profanarunt hanc inſtitutionem, fœdo illo ſuo & execrando canone? & quota eſt portio Miſſaticæ actionis, ipſa inſtitutionis Domini demurmuratio? Deinde quorſum iſta recitatio, etiā ſi alioqui pura eſſet: quum fiat peregrino & incognito idiomate, & ſit etiā illis religio, ſacroſanctas ſuas ſyllabas clara voce pronuntiare? En præclaram illam conſecrationem, propter quam ſacrifici clamitant ſe eſſe ipſa Maria virgine ſanctiores. Nam, inquiunt, Maria tantùm concepit Chriſtum quem nos creamus. Sed excipere ſaltem poſſet Maria, ſe ſtudioſè nutriuiſſe quem iſti crudeliter vorant.

Quartò, Cœna Domini eſt Sacramentum communionis fidelium cum Chriſto & inter ſe coniunctorum. At iſti contra naturam huius Sacramenti, quod propterea vocatur *σύναξις*, & contra veterem omnem Eccleſiæ morē, publicam actionē in ſuas priuatas Miſſas commutarunt, vnde poſtea orta ſunt iſta ſacrificulorum agmina, quorum nec ventri facultates, nec libidini mulieres totius orbis iam ſufficiant.

Quintò, ad Cœnam accedimus vt fiamus corporis & ſanguinis Domini per fidem participes, quorū ſymbola corporaliter ſinguli ſumimus ex Domini mandato, ACCIPITE, COMEDITE, BIBITE, quæ verba adhuc iſti aſini enuntiant, vt ſeipſos gladio ſuo iugulent. At iſti in ſua Miſſa nec panem nec vinum cuiquam præbent, ſed ſoli conuiuantur. Vbi verò tandem comperient licere per vicarium ſumere Sacramēta? & quo loco numerabunt Calixtum diſertè excommunicantem omnes illos qui factis intерſunt, neque Sacramenta ſumunt? *Cap. Peracta cōſecratione. diſt. 2. de cōſecratione. In decretis.*

Sextò, fundamentū totius iſtius actionis eſt oblatio illa Chriſti ſemel facta, cuius memoriā maximo cum fructu celebramus. Iſti è cōtrario docent ſeſe quotidie Chriſtū offerre Patri pro viuis & mortuis: quem abominandum errorem ſuo loco refutauimus.

Septimò, Deus in his myſteriis duo ſymbola diſtinctè, maioris efficaciæ cauſa, inſtituit, & de poculo ſumendo diſertè cauit: neque vnquam aliter in vetere Eccleſia fuit factitatum, adeò vt etiam Gelaſius Papa eos omnes excommunicarit qui alterum tantùm ſymbolum ſumerent. At iſti ſua ſacrilega audacia freti, omnibus Laicis, quos vocant, vſu poculi interdixerunt: & ita ſunt impudentes vt nunc etiam auſint ſuum illud ſacrilegium tueri. *C. comperimus. De conſecr. diſt. 2.*

Octauò, conſtituit Dominus vt ſeorſim panis frangeretur, & fractus diſtribueretur, quam fractionis cęremoniam minimè inanē eſſe ſuo loco declarauimus. At iſti panem

ſuum nulli diſtribuendum frangunt, & ebrioſorum inſtar vino macerant. Si cauſam roges, ſtatim Cereris & Bacchi myſteria intelliges, non Chriſti, quæ pudet attingere. Certè non poſſunt ipſi inficiari quin hoc diſertè inhibuerit ſaltem Iulius, quem inter ſuos Papas numerant.

Nonò, inſtituta ſunt Sacramenta vt omnes ſenſus excitent ad cæleſtium rerum comprehenſionē quaſi in rem ipſam præſentē adducamur, cuius rei teſtimonium eſſe oportuerat vel illud ſolenne SVRSVM CORDA, quod iſti quoque cantillant, vt ſuam tum ignorantiam, tum impudentiam prodant. At iſti prorſus è contrario teſtantur ſe panem & vinum magico ſuſurro tranſſubſtantiare, & (proh idolomaniam ipſis etiam vetuſtiſſimis idololatris exectandam!) iubent tanquam ipſiſſimum Chriſtum adorari cruſtulum quod impuris manibus oſtentant, donec tandem crudeliter vorent. Certè debuerat ſaltem eos profani alioqui ſcriptoris Ciceronis auctoritas ab hac inſania reuocare, quandoquidem Chriſtum audire nolunt clamantem ſe in cælum abire, nec inde rediturum antequàm orbem terrarum iudicet. *Nam*, inquit ille alicubi, *quem tam amen-*
Cicero lib. de Nat. deor. 3. *tem eſſe putas qui illud quo veſcatur Deum credat eſſe?* Hæc ille: qui ſi hodie eſſet ſuperſtes, iure profectò iſtos redargueret vt amentes qui hoc credunt: damnaret vt immanes, qui ferro & flammis hanc ſuam inſaniam tuentur.

Decimò, quum ad certum vſum deſtinata ſint Sacramenta, cuius vnius cauſa Sacramenta dicuntur, omnino efficitur extra actionem ipſam Sacramenta non eſſe. At iſti vt rem quandam in ſeſe ſanctiſsimā, imò vt ipſiſſimum Chriſtum omnis ſanctitatis auctorem, colunt magicū ſuum cruſtulum, armario includunt, circungeſtant, adorant, denique nihil non faciunt vt teſtentur ſe non alium Deum agnoſcere: idque præſertim in ſolenni illo die feſto quē primus Vrbanus quartus conſtituit anno M. C C. L X I I I I. At cur ſanguinē quoque huic pōpę non reſeruāt? an quòd vereantur ne aceſcat? Atqui non iam eſt vinū, ſi ipſis credimus, ſed ſanguis Domini glorioſus & incorruptus. An quòd vereantur ne fortè effundatur? Atqui Hieronymus id nō verebatur, Exuperij Tholoſatis Epiſcopi frugalitatē laudans, qui ſanguinē Domini in vitreo calice, corpus verò in vimineo calatho, (id eſt, ſanguinis & corporis ſymbola) abſque vlla pōpa reponeret. Quid obſtat verò quominus veterē etiam Eccleſiā, vt non ſatis religioſam, coarguant, quę panē olim ori non inderet, vt iſti ſolent, ſed traderet in manus? Id enim ita eſſe liquet ſaltē
Can. 18. Carth. Con. in Gr. codice. ex illo Carthaginēſis Synodi canone, in quo prohibetur ne mortuorū corporibus Euchariſtia præbeatur, *Quoniam*, inquit, *ſcriptum eſt, Accipite, comedite: corpora verò mortuorū neque accipere poſſunt neque comedere.* Vbi tum erat igitur tanta iſta religio non dico panem, ſed ne calicē quidem attingendi? vbique denique omnis iſta idolomania quæ iampridem ipſis profanis gentibus Chriſtianam religionem deridendam præbet?

Vndecimò, quum ab ordinatione Dei non autem ab hominibus pendeat Sacramēti veritas, iſti è contrario ſuam conſecrationē ſuſpendunt à conſecrantis, vt loquuntur, intentione. Ecquis verò iſtius intentionis idoneus iudex erit? Ita fit vt miſeri Papiſtæ ex ipſorum placitis, vel ſint idololatræ, (panis enim adorationem ne ipſi quidem inficiabuntur eſſe idololatriam) vel non niſi ſub conditione, SI FORTE AFFVERIT, furfuraceum illud ſuum numen poſsint adorare, quum de conſecrantis animo nō poſſit illis certò conſtare.

Duodecimò, Rem Sacramenti, id eſt, Chriſtum ipſum vna fides percipit, vt ſuo loco declarauimus. At iſti volunt à quibuſuis percipi: quod quidem non minus ineptum eſt quàm ſi dicerent cæcos ſine oculis videre, vel claudos abſque pedibus ambulare. Denique quæ tandem eſt conuenientia Cœnæ Domini, quæ quò ſimplicior eſt, eò quoque purior eſt ac diuinior, cum iſto hiſtrionico apparatu? ea nimirum quæ luci cum tenebris, & Chriſto cum Belial. Et tamen iſtis ſumus Sacramentarij execrabiles, quòd Sacramentalem actionem ferre non poſsimus tot ſacrilegiis pollui.

De prorſus fictitiis Papiſticis Sacramentis, ac primùm quidem de Confirmatione.

Conſtat veteres Epiſcopos ſiue Eccleſiarum paſtores, ſedulò curaſſe vt fidelium liberi in infantia baptizati, & quicunque etiam adulti ad Chriſti cognitionem accedebant, primùm omnium inſtituerentur in Chriſtiana doctrina, vnde etiam Catechumeni Græco vocabulo dicebātur. Sed & antequā vel illi ad ſynaxin, vel iſti ad Baptiſmum admitterētur, publicā fidei confeſsionē ab vtriſque requirebant, vt quoad eius fieri poſſet Sacramentorū profanationem vitarent. Quos igitur in iſta inquiſitione comperiebant ita profeciſſe vt digni viderentur qui reliquo cœtui adiungerentur, eos in fide confirma-

confirmatos, impoſitis manibus, publicè ſuis precibus Deo & Eccleſiæ commendabant. Idē quoque in iis fieri ſolebat, qui quum ad hæreticos defeciſſent, vel extra cōmunionem fuiſſent eiecti, ad Eccleſiæ gremium redibāt, & adhibita manuum impoſitione poſt ſedulam & ardentem admonitionē cum Eccleſiæ cœtu in gratiam redibāt. Hunc igitur Catechiſmi ritū vt prorſus neceſſariū in Eccleſiis noſtris ſingulari Dei beneficio inſtaurauimus. At iſti aſini aptiores ad ſtiuā quàm ad gubernacula Eccleſiæ tenenda, Catechiſmū ne de nomine quidem norunt: infantes à ſe, non ſine horrenda pollutione, baptizatos, monēt ab igne & aqua diligenter cuſtodiri, & Latino tandē idiomate, ſine vlla prorſus interpretatione, Dominicam orationem, Symbolū Apoſtolorum, ſed non niſi adiuncta ſalutatione Angelica, & inuocatione Mariæ virginis, domi vel in ſchola doceri. Adduntur à pauciſſimis quibuſdā præcepta Decalogi vulgari rhythmo ineptiſſimo deprauata, & ſublato de nullis colendis imaginibus mādato decurtata: ſed quibus neceſſe ſit attexere Eccleſiæ præcepta, quæ vocant, id eſt, Antichriſtianæ doctrinæ ſummam. Hic eſt Papiſticæ Eccleſiæ Catechiſmus, donec ſuccedat Confeſsionis auricularis carnificina, de qua poſtea dicemus. Pro inquiſitione verò illa quā expoſuimus ſubſtituerunt egregium illud Confirmationis ſacramentū, abſque verbo, abſque vlla promiſsione, abſque vllo Dei mandato. Et quoniam impoſitio manuū viſa eſt nimiùm leuis, adiunxerunt etiam ſacroſanctum ſuum Chriſma, & quaſcunque libuit aniles nugas & hiſtrionicas cæremonias. En egregium illud ſacramentū Confirmationis Papiſticæ, tantopere ab illis decantatum, vt etiam auſi ſint, ſub Fabiani Romani Epiſcopi & alterius cuiuſdam Melchiadis nomine, Baptiſmo anteponere.

De Pœnitentia Papiſtica.

Quid de Pœnitentia ſeu potiùs reſipiſcentia doceamus ex Dei verbo, quæ ſit eius ſedes, quis vſus, quæ partes, ſuo loco explicauimus. At iſti confundentes cum illa omnibus fidelibus communi & perpetua vitæ correctione publicam Eccleſiæ diſciplinam quę in lapſis per manuum Impoſitionē, & peccati veniam publicè petitam, cæteráſque externas ſatisfactiones exercebatur, ſicut alibi demonſtrauimus, nouum rurſus Pœnitentiæ Sacramentum excogitarunt: cuius tres partes conſtituunt, nēpe Contritionem cordis, Confeſsionem oris, eámque apud ſacrificum ſecretò depoſitam: ac denique Satisfactionem pro remiſſione peccatorum. Nos autē in hac verè diabolica doctrina præcipuè iſta reprehendimus.

Primùm, quòd nimiùm apertè abutātur Sacramēti nomine, quū ad hos ritus id trāſferunt, etiam ſi illis daremus, nihil hic ab ipſis fieri quod non ſit à Deo præſcriptum.

Secundò, quòd illa omnia requirant in omnibus adultis tanquam neceſſaria ad ſalutem: qua in re declarant ſe non eſſe conſcientiarum medicos, ſed crudeliſſimos carnifices, vt mox dicemus.

Tertiò, quòd tria illa perfectè velint præſtari: vnde efficitur, promptum illud iter eſſe ad deſperationem.

Quartò, quòd in his rebus doceant poſitam eſſe peccatorum remiſſionem, inſigni cum Chriſti contumelia. ¶ Et hæc quidem generaliter dicta ſunto. Quid autem de ſingulis illis partibus pœnitentiæ ſtatuamus, ſic explico.

De Contritione.

Agnoſcimus veram reſipiſcentiam incipere à ſerio peccati ſenſu, ſiue triſtitia ſecundum Deum, vt loquitur Apoſtolus: ſed adiungimus, hanc contritionem ſeu vulnerationem cordis, iter eſſe duntaxat ad gratuitam Dei miſericordiam, idque non ſimpliciter, ſed κατὰ συμβεβηκός: quoniam videlicet quò acrius pungit morbus, eò ardēnius requiritur medicus, ab iis quidem qui de ſalute non deſperarunt. Nam in aliis, vt in Iuda apparuit, contritio iſta tantum abeſt vt ſit ſalutaris, vt è contrario ſit prorſus mortifera. Itaque Papiſtarum doctrinam vt blaſphemam in eo reprehendimus, quòd ipſam contritionem docent partem eſſe ſatisfactionis pro noſtris peccatis coram Deo: & ita transferunt ad homines quod vnius Chriſti proprium eſt. Deinde, obſecro, quid ſatis aptè poſſunt de contritione cordis præcipere, qui præterquam quòd non tenent quod ſit originis vitium, & quanta vis omnium peccatorum ad nos perdendos, certiſſima etiam peccata & omnium maxima, cuiuſmodi ſunt, idololatria, & mortuorum inuocatio, & cætera infinita, non modò non reprehendunt, ſed etiam (proh inauditam impudentiam!) vt certa aduerſus æternam damnationem remedia miſeris mortalibus proponunt?

De Confeſsione.

Sex confeſsionum genera vrgemus ex Dei verbo, non tamen quaſi in iis poſita ſit vlla ex parte ſatisfactio pro peccatis, ſed quòd veram reſipiſcentiam tales fructus conſequantur.

Prima igitur confeſsio publica eſt totius Eccleſiæ, ſeſe coram Deo peccatricem in communi cœtu profitentis, & præeunte Verbi miniſtro veniã à Patre cæleſti ſeriò flagitantis in Chriſti vnius ſeruatoris nomine. Itaque Papiſticam formulam Confeſsionis à qua ſolent execranda ſua ſacra auſpicari, & quæ vulgò vocatur CONFITEOR, toto pectore execramur, non modò vt ineptam, quum peregrino & incognito idiomate concipiatur, ſed etiam vt apertè blaſphemam in Filium Dei, quoniam mortuorum & abſentium interceſsionem requirit, quum vnus ſit Dei & hominum mediator Ieſus Chriſtus, in cuius vnius nomine eſt inuocandus Pater, ſicut nobis Spiritus ſanctus ex Verbo ſuggerit.

Altera confeſsio eſt priuata, qua vnuſquiſque vel domi, vel foris cor ſuum effundit coram Deo, & veniam precatur, ſicut vnicuique ſedulò faciendum eſt omnibus penè momentis, Dauidis & Publicani illius & omnium ſanctorum exemplo[1].

[1] Pſal. 32, b, 5. & 51. a, 1, & alibi paſſim.

Tertia confeſsio priuata quidem eſt, ſed à ſuperiore diuerſa, quum videlicet quiſpiam vero Dei zelo incenſus palàm ſeſe peccatorem prodit[2], & miſericordiam Dei implorat: quod tamen nec paſsim nec temerè faciendum eſſe vel ex eo intelligi poteſt, quòd non aliud iter ſit ad decipiendos ſimplices, ad deuorandas & ſubuertendas integras domos, ad Eccleſiam denique quibuſuis ſuperſtitionibus perdendam, certius ac compendioſius.

[2] Dan. 9. 1. Ioh. 1. d, 9, 10. Mat. 6, 6 & 8, c, 13, 14. Luc. 15, e, 21, 22.

Quartum confeſsionis Chriſtianæ genus ad diſciplinam Eccleſiæ pertinet, cui videlicet tum demum locus eſt, quum ij quorum excommunicatio publicè fuit patefacta ex Preſbyterij auctoritate, palàm peccatum agnoſcunt vt publico offendiculo medeantur, & Eccleſiæ reconcilientur. Eſt autem hæc confeſsio in pleriſque Papiſticis Eccleſiis ita penitus ſublata, vt ne de nomine quidem ſit cognita. Reliquiæ verò illius in paucis quibuſdam Eccleſiis ſeruatæ, quid tandem habent cum vera Eccleſiaſtica diſciplina commune? quidue aliud teſtantur quàm miſerabilem Eccleſiæ ruinam? Nam, vt omittam indulgentias & alia id genus, quid eſt iſta pompa magis ridiculum? Adſunt certo die ante Paſcha in Eccleſia Cathedrali (quam appellant) quos vocant *Pœnitentes*, pauperes & obſcuri homines, velata facie ne agnoſci poſſint: præit illis pœnitentiarius ſacrificus ſuam triſtitiam plerunque & vultu & ventre ſatis declarans, & ſeptem illos Pſalmos pœnitentiales demurmurans: ſequuntur illi triſti facie, & genibus nitentes, à valuis Eccleſiæ ad magnum altare. Ibi recitatur execranda Litania, in qua tot penè ſunt blaſphemiæ in Filium Dei quot inſunt ſyllabæ: habetur conciuncula ad omnes ſtabiliendos veræ pœnitentiæ abuſus: tandem celebratur ſacrum in quo iterum offeratur Chriſtus. En Papiſticam ſanctimoniam & pœnitentiam, qua tradunt redimi peccata.

Pſal. 51. Mat. 3, b, 6. Luc. 24, f, 40, & c. 2. Cor. 2, a, 5. 2. Theſ. 3, c, 14.

Quinta confeſsionis ſpecies omnium eſt eorum qui proximum offenderunt, ac proinde culpam agnoſcere, & priuatim ab eo quem offenderunt veniam petere, ex charitatis Chriſtianæ regula tenentur[3].

[3] Mat. 5, d, 23, 24, & 6, b, 14, 15.

Sextum denique confeſsionis genus ad eos ſpectat qui vt conſcientiarũ ſuarum paci conſulant, vel cum fratribus à quibus ſolatium expectant, vel cum Paſtoribus communicant quod eos premit, & ſuam triſtitiam velut in eorum ſinum deponunt, vt eorum & conſilio & precibus iuuentur: quam confeſsionem meritò commendat Iacobus[4]. Sed quorſum hoc ad ſuſurratoriam illam confeſsionem Papiſticam? Primùm enim, vnde iſtius confeſsionis neceſsitas ad ſalutem? vnde leges iſtæ plus quàm tyrannicæ, de ſingulorum peccatorum enumeratione, quaſi in hoc poſita ſit illorum remiſsio? Nam quod olim Romana præſertim Eccleſia factitabat, delecto Preſbytero, qui pœnitentium, id eſt, eorum quibus publica pœna ex Preſbyterij auctoritate præſcripta erat, exomologeſin audiret vice totius Eccleſiæ, vt eorum pudori parceretur: longè profectò diuerſum fuit ab iſta conſcientiarum carnificina. Neque enim hæc conſuetudo ad omnes pertinebat, neque de ſingulis peccatis ibi mentio fiebat, nec ita tum erat deprauata doctrina de gratuita peccatorum remiſsione, vt homines ſperarent hac ratione ſe illã promereri. Nondum enim exortus erat egregius ille Pontifex Innocentius tertius, qui hoc intolerabili iugo conſciẽtias opprimeret[5], & Chriſti beneficiũ aboleret.

[4] Iac. 5, d, 16.

[5] C. Omnis vtriuſque ſex. De pœnitent. & remiſ. in antiq.

leret. Et nimiùm ridiculi ſunt, vel ipſis teſtibus Canoniſtis, qui auricularem iſtam Confeſsionem putant ex verbo Dei conſtitutam. Nam vt prætereàm quod hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ſcriptores apertè dicunt, pœnitentiarium illum Presbyterum Nouatianorum cauſa primùm fuiſſe in Romana Eccleſia inſtitutum Decij Imperatoris temporibus[1], quam conſuetudinem aliæ poſtea pleræque Eccleſiæ vltrò ſequutæ ſint: vt hoc, inquā, omittam, ſi Confeſsio iſta, quamuis multùm diuerſa ab ea quam Innocentius inuexit, verbo Dei expreſſo conſtituta fuit, quo iure Nectarius Theodoſij Magni temporibus Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ Epiſcopus, illam ſuſtulit? ac ne quis calumniari poſsit illum præter officium feciſſe, refert hiſtoria Eccleſiæ Orientis ſecutas illius exemplum: & Chryſoſtomus Nectarii ſucceſſor hoc factum multis locis ſatis expreſsè comprobauit[2]. Hæc ſunt igitur confeſsionum Chriſtianarum genera, in hoc quidem argumento. Nam aliòqui Confeſsionis nomen ſatis conſtat interdum pro Chriſtianiſmi profeſsione, itemque pro ſacrificio laudis & gratiarum actionis paſsim in ſacris literis vſurpari: quò fit vt ridiculi planè ſint aduerſarii, qui quoties audiunt Cōfeſsionis nomen, toties ſuam illam auricularem confeſsionem nominari putant. Sed iſta in præſenti noluimus attingere, quoniam non ſunt huius argumenti.

[1] Niceph. eccl. hiſt. lib. 12. cap. 28.

[2] Chryſoſt. in Pſal. 51. ho. 2. Item in ſermo. de pœnitentia. Item ho. 5. de incomprehenſibili Dei natura. Item ho. 4. de Lazaro.

De Satisfactione.

In controuerſia de ſatisfactione aſini iſti Cumani planè auriculas ſuas produnt, quoniam hîc neceſſe eſt vt Satanas ſe Satanam declaret. Nullus mentis compos vnquam de his duobus dubitauit: nempe, quin iuſtitiæ Dei ſit ſatisfaciendum, quoniam ſuæ iuſtitiæ obliuiſci non poteſt: quin ficta ſit pœnitentia quæ vitæ emendationem, ac proinde culpæ agnitionem ac compenſationem ſecum non trahit. Sed quoniam homines nec quanta ſit Dei iuſtitia, nec quanta ſua impotentia cognoſcere vnquam potuerunt, niſi in Dei ſchola eruditi, idcirco falſiſsimas concluſiones veris illis principiis prorſus repugnantes collegerunt. Putarunt enim ſe poſſe quadam compenſatione ſatisfacere Dei iuſtitiæ: qua in re planè ac perſpicuè ſe prorſus ſtupidos ſimul & intolerabili arrogantia præditos declararunt. Nam quis eſt iſte ſtupor, hominem in animum inducere ſe non modò pondus Iræ Dei perferre, ſed etiam bene de Deo mereri poſſe? & quis furor eſt, pauperem ſibi in extrema ſua inopia placere malle, quàm gratis ex alieno ſumere? quàm incredibilis autem eſt arrogantiæ, audere quenquam cum Deo venire in diſceptationem, & ſuas quas opinatur ſatisfactiones ei opponere? Sed hæc inſania multò magis ſe prodit quum ad rem ipſam ventum eſt, & de iis quæritur quibus homines confidunt. Quid enim hîc proferent Papiſtæ, vt cæteros omittamus? aquam benedictam, conſtructa templa, numeratas preces apud hoc vel illud cadauer, hunc vel illum lapidem, cęreos, lampadas, cucullas: denique, vt ad grauiſsima veniam, ieiunia, χαμευνίας, cilicia, eleemoſynas, peregrinationes, Miſſas, emptas denique indulgentias annulo piſcatoris obſignatas. Sed quid ſi reſpondeat Dominus, O curuæ in terris animę & cæleſtium inanes, quid mihi niſi impurum profertis? quorſum iſta quę partim expreſſè teſtatus ſum me execrari, partim nunquam in eum finem requiſiui? & quandiu veſtras ineptias feram qui me veſtri ſimilem facitis? Certè non haberent miſeri mortales quod hiſcerent. Et tamen hæ ſunt ſatisfactiones per quas remittuntur peccata coram Deo, ſi ſummis iſtis Theologis credimus. At nos ex Dei verbo didicimus, quod ad Deum attinet, vna Chriſti ſatisfactione niti, quæ omnibus modis perfecta eſt & abſoluta, & nobis per fidem imputatur. Interea tamen docemus neminem iuſtificari imputata Chriſti iuſtitia, quin ſimul eiuſdem Spiritu ſanctificetur: ac proinde veram ac ſeriam reſipiſcentiam neceſſariò cum fide cohærere. Ex hoc autem efficitur, peccatori verè Chriſtum per fidem amplexo, ac proinde per eundem reſipiſcenti, nihil eſſe antiquius quàm, vt, ſicut iubet expreſſum Dei verbum & charitatis regula præſcribit, omnibus iis quos offendit, ſiue cum aliquo priuatim, ſiue cum toto Eccleſiæ cœtu ſit ei negotium, pro virili ſatisfaciat. Hæ ſunt igitur ſatisfactiones veteribus Canonibus expreſſæ, vt hypocritæ à verè pœnitentibus diſcernerentur, vt tollerentur offendicula, vt denique pudore ſaltem ipſo vinceretur quorundam contumacia: non autem vt Deo ſatisfieret pro peccatis. At iſti quia nihil horum intelligunt, omnia perturbant, & tamen non deſinunt ſuas ſatisfactiones iactare.

August. li. 10. Confeſ. cap. 3.

De Ordinibus Papiſticis.

Ordines vocant Papiſtæ, ritus & ceremonias, partim à ſe excogitatas, partim verò à maioribus acceptas, quibus Eccleſiaſticos ſuos miniſtros conſecrant. Quòd ſi etiā

eis concederemus, nihil ab eis hac in parte niſi ritè & ſanctè fieri, non deſinerent tamen in eo ſummam ſuam inſcitiam prodere, quòd Sacramentorum nomen iſtis ritibus applicant. Sacramenta enim in hoc argumento certum eſt non quæuis ſacrarum rerum ſigna vocari, ſed ea quibus annexa eſt promiſsio de gratuita peccatorum remiſſione, & noſtra in Chriſto ſanctificatione, quibus denique noſtra cum Chriſto coalitio ſancitur & obſignatur: quamobrem duo tantùm Sacramenta, nempe Baptiſmum & Cœnam Domini, numerauimus. Quòd ſi iſti reſpondeant ſe generalius vti Sacramenti nomine, quæſo, quid proficient? Nam ſi ita eſt, cur tandem ſeptem duntaxat Sacramenta recenſent, quum infinita & innumerabilis ſit iſtiuſmodi ſignorum in ipſorum Eccleſia multitudo? Imò ipſorum Sacrifici núnne toti ex Sacramentis erunt conflati, ſi ipſis credimus, quum nulla ſit pars hiſtrionicarum veſtium quibus ſuos motiones induunt, ſub qua non teſtentur magna & cæleſtia myſteria delireſcere? Quòd ſi rurſus excipiant ſe delectum quempiam habuiſſe: cur, obſecro, inter ordinum Sacramenta non numerarunt ſuorum Epiſcoporum, Archiepiſcoporum, Cardinalium, ipſius denique omnium iſtarum creaturarum creatoris & vicarij Dei ſui ordinationem, potius quàm Oſtiariorum, Lectorum, Acoluthorum, & aliorum eiuſmodi, quos ne ij quidem agnoſcunt à quibus creantur? Sed age ad rem ipſam veniamus, ne de nominibus duntaxat contendere videamur.

Omnia in domo Dei ritè & ordine fieri oportere extra controuerſiam eſt. Sed huius ordinis rationem vnde tandem ſumi par eſt, niſi ex ipſo patrefamiliâs? Proferant igitur iſti patrisfamiliâs mandatum: & quum ſatis conſtet Apoſtolos fuiſſe ipſius œconomos, oſtendant ſe iſta ab Apoſtolis accepiſſe, aut Apoſtolorum ſucceſſores aliquid perfectius ac melius quàm illos conſtituere potuiſſe. Sed age ſingula ſigillatim conſideremus.

De Clericali tonſura, quam vocant.

Clericos olim peculiariter dictos fuiſſe qui in ſingulis Eccleſiis publico ſumptu ad Miniſterium alebantur, quaſi Eccleſiarum ſeminaria, ex omnibus vetuſtis canonibus & Chriſtianorum Imperatorum Nouellis clariùs perſpicitur quàm vt quiſquam inficiari poſsit. Proferant autem Papiſtæ vel tenuiſſimas eius laudatiſsimæ conſuetudinis reliquias. Qui ſunt ergo Papiſtarum Clerici? nempe quicunque & quoſcunque libuit, modò vel Domino Epiſcopo vel ipſius ſuffraganeo non diſplicuerint. Quorſum autem creantur? vt cognitioni ſecularis, quem vocant, iudicis eximantur, vel vt Eccleſiaſticum aliquod beneficium poſſint emere, quoniam habent beſtiæ characterem. Cedò verò quod examen præcedit? an ſint ex legitimo matrimonio procreati. Quorſum id verò? vt alioqui priuilegium emant quod *diſpenſam* vocant. Quid amplius? an ſint digami, id eſt, (vt interpretantur,) an viduam duxerint in vxorem, aut mortua priore iterum facti ſint mariti. Magnum profectò ſacrilegium. Iubet Apoſtolus Epiſcopos vna vxore eſſe contentos: iſtis verò repetitum poſt prioris vxoris mortem connubium inter crimina numeratur, & quidem multò maiora quàm ſi quis ſimul cum viginti meretricibus vixerit. Sed quæ cæremonia hîc adhibetur? num preces, aut manuum impoſitio? Apageſis: nimiùm ſimplicia ſunt iſta. Tondentur potiùs aliquot capilli in vertice, vt ſint Nazaræi Domini: imponitur capiti linea veſtis, ſed mox exuitur, quoniam illis adhuc licet ad Laicos tranſire. Edunt luculentam profeſſionem ſui Clericatus incognito idiomate ex Pſalmis: *Dominus pars hæreditatis meæ*, inquiunt, *& calicis mei: tu es qui reſtitues hæreditatem meam mihi.* Nempe quoniam Clerici vocantur à Clero, id eſt, hæreditate quæ ſortitò obuenit. Quid verò? an certæ Eccleſiæ attribuuntur? minimè. Nam eorum locum occuparunt Canonici: ſed iubentur horas canonicas, aut ſaltem Pſalmos pœnitentiales quotidie peregrina & barbara lingua recitare. Tandem leui impacto colapho dimittuntur, vt Eccleſiaſticæ diſciplinæ ſcilicet ſe addictos meminerint. En egregium Hierarchiæ Romanæ fundamentum.

De quatuor minoribus Ordinibus Papiſticis.

Cauſam alibi reddidimus, cur veteres Eccleſiæ in leuiſſimis etiam rebus vterentur Clericorum potiùs quàm quorumuis aliorum opera: nempe vt illorum ingenium, induſtria, voluntas paulatim perſpiceretur. Neque verò dubito quin quum ad hæc obeunda munera ex Presbyterij auctoritate deligerentur, admonerentur ſui officij, & ea illis publicè traderentur quæ ſui muneris illos admonerent, quum in domo Dei nulla ſit leuis aut negligenda vocatio. Oſtiariis igitur tradebantur templi claues: Lectoribus,

ribus, Bibliorum liber: Exorciſtis, certæ adiurationum formulæ: Acoluthis, cerei, vnde
etiam Ceroferarii à nonnullis vetuſtis ſcriptoribus vocantur, niſi fortè inter iſtos quo-
que nonnullum fuit diſcrimen. Fuit autem cereorum & lampadum aliquis vſus ad no-
cturnas vigilias, matutinas & veſpertinas preces ac conciones: quæ res poſtea in Iu-
daicam & Paganicam ſuperſtitionem tranſiit. At noſtræ ſimiæ Papiſticæ, totidem hîc
nobis ſacramenta fabricant, & iſtas cæremonias in quibus toti ſunt, non modò mor-
dicus retinuerunt, ſed etiam ſuis ſpecioſis commentis pro virili exornarunt, Sed vt
cætera omittam, quæ hæc dementia eſt, Oſtiarios creare quibus nullum templum cõ-
mittatur claudendum vel aperiendum? Lectores, quibus nullus legendus liber, nulla
Eccleſia, nulla lectio tribuatur? Exorciſtas denique vllos conſtituere, ſublato ex Ec-
cleſia miraculorum dono? Acoluthos, id eſt, Epiſcopi pediſſequos deſignare, qui nec
Epiſcopum norunt, nec cum Epiſcopo quicquam prorſus negotij ſint vnquam habi-
turi? Cur igitur iſta retinent? dixerit aliquis: nempe quoniam vetuſtis Canonibus cau-
tum eſt vt in iſtis gradibus probati ad Eccleſiaſtica munera prouehantur, idcirco reli-
gioſi homines nolunt quicquam iſtarum ſacrarum cęremoniarum prætermittere. Sed
compendium inuenerunt quod veteribus nunquam venerat in mentem. Sunt enim
tam diligentes vt vno & altero die omnia iſta munera ſimul obeant, vt mox digni in-
ueniantur quibus maxima quæque committantur.

De Maioribus Ordinibus Papiſticis.

In Maioribus autem ordinibus quos vocant, id eſt, Subdiaconatu, Diaconatu, &
Preſbyteratu, maior tum impudentia tum inſcitia vel ipſis cæcis, vt opinor, liquidò
poteſt demonſtrari. Nam pro eo quòd in vetere Eccleſia & Preſbyteri & Paſtores &
Diaconi ritè electi, & totius Eccleſiæ ſuffragiis poſt diligentem doctrinæ & morum in-
quiſitionem comprobati, publicè per Impoſitionem manuum Deo conſecrabantur:
cui Papiſtæ non monſtroſum videbitur ſi quis affirmet electionem publicam & legiti-
mam oportere conſecrationi præire? Neque verò id mirum videri debet, quum ſola &
nuda illa nomina, rebus ipſis penitus ſublatis, apud eos manſerint, vt nimirum ſuper-
eſſet vnde poſſent tantò facilius redargui. Sed age, illud etiam propius conſidere-
mus, quomodo ſimpliciſſima illa cæremonia manuum Impoſitionis, cuius teſtis eſt Lu-
cas & Paulus, paulatim ſit ab iſtis adulterata.

Oleo tanquam ſymbolo quodam vſos fuiſſe Apoſtolos initiò quum ægrotos non vt
medici, ſed vt Apoſtoli dono ſanationum præditi, ſanarent, teſtis eſt Marcus. Apoſto- Marc. 6,b,13.
lorum autem conſuetudinem alios ſequutos fuiſſe qui eodem dono præditi erant, Ia- Iac. 5,c,14.
cobus declarat. Hinc verò quot ſuperſtitiones inuexerit in Eccleſiam Satanas, occa-
ſionem ex Paſtorum ignauia nactus, res ipſa patefacit. Primùm enim quibuſdam fuit
religio aliquid omittere quod priores illi feciſſent: alios verò ſuperbia ad eundem ſco-
pulum impulit, ne illis inferiores viderentur. Itaque poſt ſublatum illud ſanationis
donum, ſymbolum tamen remanſit. Hoc autem aditu patefacto, quid non molitus eſt,
aut potius quid non perfecit Satan? Quid enim? an iſtud oleum non oportuit à vulga-
to & profano oleo diſtingui? Inuenta igitur conſecratio, & quidem eiuſmodi vt penè
ipſum Diabolum poſſit eius pudere. Nam infinitis adhibitis pluſquam Magicis cære-
moniis, oleum ipſum millies adoratur, & precari non pudet diſertis verbis, vt in illam
pinguedinem Spiritus ſanctus emittatur. Deinde puduit Chriſtianæ ſcilicet Eccleſiæ
miniſtros ſine vnctione conſecrari, quum à Chriſto denominentur, & turpe ſit minus
ſolenniter ipſos inaugurari quàm olim Aaronis ſucceſſores & Reges ac Prophetæ ſole-
rent. Itaque inuẽtum etiam alterum oleum quod Chriſmatum, & tertium aliud quod
Sanctum vocant: neque apud eos vllum ſacrum myſterium abſque Magico iſto oleo
peragitur. Ita denique factum vt pro Paſtoribus haberet Eccleſia vnguentarios & pi-
gmentários, qui hoc prætextu miſeras ouiculas non tantùm vngerent, ſed etiam e-
mungerent. Sed age ex hac tandem ſordium officina emergamus.

Diaconorum, quibus poſtea adiuncti ſunt Subdiaconi, munus erat (vt ſuo loco ex-
poſuimus) menſarum miniſterio vacare, in communibus videlicet conuiuiis quæ Cœ-
nam Domini præcedebant: & oblationes totúmque ærarium Eccleſiaſticum ex Preſ- Vide Canones Carthag. Conc. quarti.
byterij auctoritate adminiſtrare. Itaque quum deligebantur, & Impoſitione manuum
conſecrabantur, tradebantur eis nimirum quæ ad eorum munus pertinebant, nempe
vrceoli, mantilia, calices, & alia eiuſmodi. Iam verò quum pridem ſublata ſint illa
conuiuia, quum nullum prorſus ærarium tractent Diaconi, quum tota Liturgia in

execrandam Miſſæ ſaltationem ſit commutata, quorſum Diaconi vel Subdiaconi in Papatu? Operæpretium eſt autem audire aliquam ſaltem earum cæremoniarum partem quas iſti Sacramenta vocant. Diaconis imponitur ſtola, quam appellant barbaro & incognito nomine, idque ad latus ſiniſtrum: traditur deinde liber poſtillarum, vt Lectoris officium cum Diaconatu confundatur. Tandem D. Suffraganeus, vt videatur aliquid retinuiſſe ex Apoſtolico ritu, manus imponit, & Magicum neſcio quod carmen ſuſurrat. Subdiaconi verò calicem & patenam (quam vocant) ex Epiſcopi vel Suffraganei manibus, ab Archidiacono verò vrceolos cum aqua accipiunt. Sed præterquam quòd omnia iſta nulla præeunte electione, non in publico cœtu, ſed ædibus Epiſcopi priuatis, peregrino idiomate, admixta paſſim inſana idololatria peraguntur, quis iſte furor eſt, rebus ipſis penitus ex hominum memoria ſublatis, non modo ſigna illarum retinere, ſed etiam pietatis ſummam in eis collocare?

Quod autem ad Presbyteros attinet, quid vnquam inter homines extitit cum tanta inſcitia, impudentia, impietate coniunctum? Nam illud conſtat, ſi Papiſtas roges quid ſit Presbyterum eſſe, vix ex centum millibus vel vnum aliter reſponſurum, quàm Presbyteros illos eſſe quibus fas ſit Miſſam canere. Viderint autem ipſi quomodo cantus iſte priuatis Miſſis conueniat, quarum tamen cauſa certum eſt infinita illa pſeudopresbyterorum agmina quotidie emergere. Cæterùm quid eſt Miſſam canere? nempe Chriſtum offerre pro viuis & pro mortuis. Cedò verò ad hoc ſcelus, quo nullum tertius Sol vnquam aſpexit, aut deinceps aſpiciet, quibus tandem Sacramentis inaugurantur? raſo capite, & vnctis digitis: nempe vt nec pilum boni viri nec puras manus habeant. Et hæc monſtra diutius vel ipſe Satan tolerabit?

De Matrimonio.

Quantum tribuamus legitimo matrimonio, & quo pacto ſoleat in Eccleſiis noſtris promulgari, & adhibitis precibus publicè ex laudabili Eccleſię cõſuetudine confirmari: quantopere damnetur à nobis non tantùm adulterinm, ſed etiam quoduis ſcortationis genus, liquidò conſtare poteſt, Dei beneficio, & ex noſtris ſcriptis, & ex noſtrorum Magiſtratuum edictis, & ex ipſa matrimoniorum formula quæ typis excuſa proſtat in librariorum officinis. Nimiùm eſt igitur deſperata eorum impudentia qui nos etiam audent vt ſcortationum fautores traducere, & veteres illas λυχνομοιχίας nobis exprobrare, id eſt, rancidas illas calumnias refricare, quas ipſa ſaltem vetuſtate oportuerat oblitterari. Quaſi verò ſi nobis ſcortatio probaretur, deſerendus fuerit Papatus, in quo flagitium illud ne inter leuiſſima qnidem vitia numerari quis tandẽ ignorat? ¶ Sed ad rem. Matrimonium Papiſtæ quoties libuit inter Sacramenta numerant, ſed quo prętextu? Nempe quoniam vetus Pauli interpres μυστήριον cõuertit Sacramen-

Eph. 5. 32. tum in Epiſtola ad Epheſios, vbi agitur de coniugio. Sed quæ hæc inſcitia eſt, non potius ipſum Paulum loquentem audire quàm Latinum illum interpretem? Nam certè nemo ignorat μυστήριον Græcis non minus latè patere quàm arcanum Latinis. Fateantur igitur iſti omnia arcana eſſe Sacramenta, ſi coniugium eſt Sacramentum. Et ne videamur illis iniuriam facere, ecce eundem interpretem ipſis iudicem ferimus. Sit igitur voluntas Dei Sacramentum octauum: & vocationem Gentium numeremus pro nono Sacramento. Sic enim idem interpres in eadem Epiſtola idem vocabulum

Ephe. 1. 9. & 3. 4. 5. Græcum eſt interpretatus. Imò nónne Paulus ipſe huic errori expreſsè medetur, quum teſtatur eo ipſo in loco ſe vti myſterij nomine ad deſignandam Chriſti & Eccleſiæ, non autem mariti & vxoris coniunctionem? Pudeat igitur tandem iſtos aſinos rudere inter homines rationis compotes. Quòd ſi etiam illis largiremur quod petunt, quo tandem iure, obſecro, comprobabunt perpetuum votum quo ſeſe quiſpiam priuauit Eccleſiaſtici Sacramenti beneficio? & quo iure docent non licere ſimul Eccleſiaſtico miniſterio fungi, & coniugio, id eſt, vno ex Eccleſiæ Sacramentis frui? Imò, vt tandem deſinam velle Æthiopas lauare, quomodo conciliabunt hæc duo, Matrimonium eſſe vnum ex ſeptem Sacramentis, &, quod ait impuriſſimus eorum Papa

Vide decreta Siricii Papæ cap. 7. tomo Conciliorum primo. Siricius, intelligendum eſſe de coniugio quod ſcribit Paulus, eos qui in carne ſunt Deo placere non poſſe? Nam alterum eſſe falſum neceſſe eſt, aut illos concedere ex ſui Papæ ſententia, Sacramenta aliquam non modò non conferre gratiam, ſed etiam efficere vt Deo ſimus exoſi. Hunc igitur nodum illis expediendum relinquo. Quod autem ad illorũ benedictiones attinet, quibus & ſponſos, & annulũ, & lectũ caſti iſti Pontifices conſecrant, eas nũc malo non attingere, quàm his ſordibus chartam inficere.

De Ex-

De Extrema Vnctione.

Si tenetur Miniſter valentes ouiculas paſcere, multò certè magis illi laborandum eſt
de illarum ſalute quoties vel corporis vel animi morbo corripiuntur: nec Paſtoris no-
mine dignus eſt qui hanc muneris ſui partem negligenter curat. Remedium autem
quod à Paſtoribus affertur, vnicum eſt, nempe verbum Dei ad vſum ægroti accom-
modatum. Aliis enim doctrina, aliis exhortatione, aliis conſolatione, aliis denique
redargutione & increpatione opus eſt. Et hæc omnia conſequuntur preces, quas mi-
nimè irritas eſſe teſtatur Iacobus[1]. Facit is quoque olei mentionem, ſed ad ſanandum [1] Iac. 5, c, 14, 15.
ægrotum adhibiti, quo tempore nimirum vigebat ſanationum donum, quod tempo-
rarium in Eccleſia fuiſſe antea oſtendimus, & tacentibus etiam nobis, res ipſa clamat.
At miſeri Papiſtæ quoniam cæremoniarum laruis mirum in modum delectantur, re ip-
ſa ſublata, non contenti fuerunt ſignum, quantuis inane & vanum, ac iam prorſus ſu-
perſtitioſum, retinere, ſed etiam oleum ſibi magicis carminibus incãtandum putarunt,
quod nimirum poſsit ex ipſo opere, vt loquuntur, operato, peccata eluere, vt alias im-
piiſſimas iſtius Vnctionis ineptias omittam. Sed bene habet quòd iſtæ ſimiæ ſaltem ſeſe
in eo beſtias produnt, quòd non aliis quàm moribundis illud ipſum oleum applicant,
quod Apoſtoli tum demum adhibebant quum aliquem eſſent valetudini reſtituturi.
Erat igitur Apoſtolis oleum iſtud, vitæ ſymbolum, quod iſti præclari Apoſtolorum i-
mitatores, extremam, id eſt, mortis vnctionem vocant. Quòd ſi etiam liber egregio il-
li ſcriptori Dionyſio credere, vnctio illa per id tempus non moribundis, ſed mortuo-
rum cadaueribus adhibebatur. Quid igitur? nempe mortui iſti ſepeliant mortuos ſuos:
nos autem in vno vitæ verbo acquieſcamus.

XII. Nullum eſſe Verbi miniſterium legitimum in Papiſtica Synagoga.

Satis, vt opinor, apparet ex iis quæ diximus, & verbum Domini, & preces, & Sacra-
menta indigniſſimis modis pollui ac perdi in Papiſtica Synagoga, quæ Catholicæ Ec-
cleſiæ nomen ſibi falſò vendicat. Sed quoniam ſolent illi nobis obiicere ſe ſucceſſores
eſſe Apoſtolorum, ac proinde Eccleſiam apud ſe habere, ſupereſt vt videamus quæ ſit
conuenientia inter Papiſticam Hierarchiam, de qua tantopere gloriantur, & Eccleſia-
ſticam gubernationem ex verbo Dei per Apoſtolos conſtitutam, & à veris eorum ſuc-
ceſſoribus diligenter cuſtoditam, tantiſper dum iuſto Dei iudicio horrenda confuſio &
Orientem & Occidentem inuaderet.

Primùm igitur dico iſtos in hoc argumento fundamentum ponere minimè firmum.
Putant enim veritatem Dei certæ genti & ſedi, videlicet Romanæ, certiſque adeò per-
ſonis alligatam: cui falſiſſimo dogmati non tantùm vniuerſa Scriptura, ſed ipſa quo-
que experientia ſtultorum magiſtra apertiſsimè repugnat. Nam quod attinet ad Dei
verbum, vbi tandem reperietur tale quippiam vlli penitus vel vrbi vel genti, nedum
Romæ, conceſſum? Nam certè quæ de terreſtri Hieruſalem dicuntur, temporaria fue-
runt: & Hieruſalem ſpiritualem per totum orbem terrarum diffundendam adumbra-
runt, vt norunt omnes qui vel à limine Theologiã ſalutarunt. Iam verò quum duo ſint
ex quibus intelligi perſpicuè poteſt vbi ſit Dei regnum, nempe pura doctrina & integri
mores, vtro iſtorum ſeſe ornabit Romana meretrix? Nam doctrinam illic eſſe impu-
riſſimam per ſingulas eius partes demonſtrauimus. Sin autem de moribus quæritur,
age cum ea ipſa Romanorum Pontificũ hiſtoria quam cõſcripſerunt Pontificum Gna-
tones, conferantur quæcunque hominum monſtra à condito mundo vnquam extite-
runt, & comperietur in hac vna ſede plus licuiſſe Satanæ quàm in vlla vnquam Ty-
rannide qua orbem terrarum oppreſſerit.

Deinde quid illos iuuat iactare ſe in locum veterum Epiſcoporum ſucceſſiſſe, niſi
per idem oſtium ſint ingreſſi? Neque enim eos qui per feneſtram aut diruptis etiam do-
mus Dei mœnibus ingreſſi, miſeras ouiculas vorant, Filius Dei pro paſtoribus habet,
ſed latrones & lupos appellat[2], & eos caueri iubet[3]. Imò Paulus eò vſque progreditur [2] Ioh. 10, a, 1, 2.
vt anathema pronunciet in ipſos etiam Angelos, ſi aliud Euangelium annuntiauerint[4]. [3] Marc. 12, b, 38
Et te non pudebit Romana meretrix cum tuis cynædis ſucceſſionem Apoſtolicam ia- 1. Tim. 6, a, 3,
ctare, quum ne ipſos quidem Angelos Paulus pro ſucceſſoribus agnoſcat, ſed vt Dei 4, 5.
hoſtes execretur & omnibus execrabiles eſſe velit, ſi idipſum faciant quo vno niteris? [4] Gal. 1, b, 8.
Denique ne falli poſſemus, in templo Dei ſeſſurum idem Apoſtolus teſtatur filium [5] 2. Theſſ. 2, b, 4
perditionis, qui ſeſe pro Deo venditet[5]. Et Iohannes apertè ſupra ſepticollem vrbem [6] Apoc. 17, c, 9.
dicit ſeſſuram beſtiam[6] quæ Blaſphemiæ nomina habet fronti inſculpta[7]. Sed quòd- [7] Apo 13, a, 1.

Gregorius paſtor in epiſtolis.

nam illud nomen eſt? Reſpondeat ipſe ſanctiſſimus Papa Gregorius, clamitans Epiſcopi vniuerſalis, id eſt, capitis Eccleſiæ nomen nemini (ſi Chriſtum vnum excipias) præterquam Antichriſto conuenire. Atenim iſte ſeſe è contrario ſeruū ſeruorū vocat. Egregiam certè fraudē: quaſi verò nos vocabula non rē ipſam ſpectemus. Percuſsit nummos Iulius tertius Romanus pontifex cū hac inſcriptione, GENS QVAE NON SERVIERIT TIBI, PERIBIT. Et hunc omnium Tyrannorum impudentiſsimum non pudebit tandem ſeſe ſeruum ſeruorum vocando, toti mundo illudere? Et hæc quidem de ipſo Antichriſtianæ Eccleſiæ capite. Quod autem ad ipſius creaturas attinet, hoc ego dico, hoc vociferor, omnes illas prouiſiones, præſentationes, collationes, ſignaturas, bullas, mandata, præuentiones, datas, conſenſus, permutationes, concordata, reſignationes, deuoluta, penſiones, annatas, vacantes, proceſſus fulminatos, diſpenſas, totidem eſſe feneſtras per quas vi perrumpunt in ouile Domini, & totidem cuniculos quibus domum Dei, quantum in ſe fuit, ſubruerunt, quum neque in verbo Dei neque in vllo purioris Eccleſiæ ſcripto vel Græco vel Latino vel tenuiſſima fiat iſtarum rerum mentio, quas vnus Satan euomuit vt Eccleſiæ puritatem inficeret: ideóque non de iſtiuſmodi rerum reformatione, ſed eiectione, abolitione, & vltima internecione ſeriò omnibus piis hominibus eſſe cogitandum.

Tertiò, qui poſſunt iſti meritò dici Apoſtolorum ſucceſſores, quum præcipui gradus Papiſticæ hierarchiæ & Apoſtolis & omnibus Eccleſiis per tot ſæcula penitus fuerint incogniti, & in iis gradibus quos ex verbo Dei & vetere Eccleſia videntur deſumpſiſſe, ſola nomina retinuerint, quorum obtentu fœdiſsima & teterrima quæque monſtra tegerent? Numero autem in prima claſſe, Papam vniuerſalem, (nam olim Papæ nomen omnibus Epiſcopis erat commune) Cardinales, Suffraganeos, Officiales, Procuratores curiæ Eccleſiaſticæ, Vicarios, Capellanos, Præfectos, Priores, cum tota eiuſmodi monſtrorum colluuie, quæ penitus ignorauit vetus Eccleſia. In ſecunda verò claſſe recenſeo Archiepiſcopos, Curatos, Canonicos, Preſbyteros, Archidiaconos, Diaconos, Subdiaconos, Clericos, & totā iſtam caterua̅, quorū nominibus iſti tam impudēter abutuntur, vt certum ſit non magis contrariam eſſe lucem tenebris, quàm iſti ſunt iis repugnantes quorum nomina mutuantur.

Primùm omnium igitur quod ad lepidum iſtud Romanæ Synagogæ caput attinet, quibus, obſecro, ſucceſsit? Petro & Paulo, inquit. Sanè verò. Nam ante natum Romanum pontificem biceps erat ſcilicet Eccleſia Chriſtiana, quum vel ipſorum confeſſione Paulus non fuerit Petro minor, vel iniuria inſigni afficiatur Petrus quum ei pro collega adiungitur Paulus à Romano pontifice. Duo igitur illa capita ſupereſt vt dicamus in vnum fuiſſe Romæ conflata. Sed quid ſi probem hoc vnum caput rurſus in duo fuiſſe aliquando diuiſum ex ipſius Romanæ ſedis conſenſu? Nam ſi creditur hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, Romæ vno & eodem tempore ſederunt Liberius & Felix, vt de Antipapis taceam. Vbi tum igitur vnicum illud caput? vbi ſucceſſionis curſus perpetuus? Sed ne ludere videamur in re ſeria, an poſſunt iſti inficiari Eugubinum Epiſcopum, id eſt, minimæ cuiuſuis ſedis paſtorem æquari Romano Epiſcopo ex ipſius Hieronymi verbis? & eundem affirmare nullum olim fuiſſe inter Preſbyterum & Epiſcopum diſcrimen? An poſſunt ignorare inter Metropolitanos numerari Romanum Epiſcopum, & ſuam ei ditionem ſicut & aliis circunſcribi? Iſto verò, numeretur propter vrbis Romanæ dignitatem Romanus Epiſcopus omnium primus, & ei tribuantur τὰ πρωτεῖα in Synodis vniuerſalibus, an propterea dicemus vllam in alienæ ditionis Eccleſias auctoritatem fuiſſe illi attributam? Quum Irenæus Victorem, & Cyprianus vnà cum Epiſcopis Aphricanis Cornelium, Romanos Epiſcopos, acriter reprehenderent, an aliter eos appellant quàm fratres & coëpiſcopos? Vbi tum ſacratiſsima illa ſanctitas? vbi ſanctiſſimus Dominus noſter? vbi pallij venditio? Imò Gregorius, quem iſti inter ſuos ſanctos adorant, an alio quàm Domini ſui nomine Imperatorem appellat? an non teſtatur ſe ex ipſius voluntate Epiſcopum? Tum enim & multis pòſt ſeculis Pontifices Romanos populi ſuffragiis electos confirmabat Imperatoria Maieſtas, nedum vt illis ius vllum in regna & imperia huius ſæculi concederetur, quum ne vrbis quidem domini eſſent. Vbi tum igitur erant egregiæ Pſeudoclementis & Pſeudanacleti epiſtolæ? Vbi fabula de donatione Conſtantini? Vbi ſatellites, tiara, crepidæ, pileus, cathedra, exercitus, bombardæ ſanctiſsimi Domini noſtri Papæ? Synodos autem illas œcumenicas, quas quoties ipſis libuit cum quatuor Euangeliis per ludibrium comparant, quis Papa

Nice. Eccl. hiſt. lib. 9. cap. 17.

conuo-

conuocauit?nónne vnus Imperator?imò quis alius ipſos Romanos Epiſcopos eò iuſſit conuenire? cui ſe excuſat Leo primus, & à quo precatur vt ſibi per ſuos vicarios liceat Synodo intereſſe? Et tamen Leonem conſtat ex ipſius Epiſtolis iam tum Romanæ ſedis Antichriſtianæ arrogantiam planè ſpiraſſe. Dicam etiam aliquid amplius, quod iſti iampridem diſſimulant ſe intelligere. Tẽporibus Conſtantini in cauſa Cæciliani quam ſæpe inculcat Auguſtinus aduerſus Donatiſtas, Epiſcopus Romanus delegatur iudex cum aliis aliquot Epiſcopis. O facinus horrendum! Delegari S. D. N. ab Imperatore? hóccine pati ſedem Apoſtolicam? Ita eſt tamen. Neque mutmurat Epiſcopus Romanus, nec proteſtatur de ſuæ ſedis primatu. Nondum enim erat hoc ius cognitum in orbe terrarum. Quid amplius? prouocatur à iudicum delegatorum cognitione, & Epiſcopus Arelatenſis iterum delegatur qui de prouocatione iudicet. Deus bone, quid monſtri audimus? dicent iſti optimi & ſanctiſsimi defenſores primatus Petri. Sed quid facias? Ita res eſt tranſacta, boni viri, ab Imperatore Chriſtiano, nemine contradicente, nemine tumultuante, vel propterea quiritante actum eſſe de Chriſtiana Eccleſia. Quid verò quum Leo multa arroganter effutiret de ſuæ ſedis præſtantia apud Chalcedonenſe concilium, an non eſt acriter cohibitus? Et in Synodo Mileuitana cui interfuit Auguſtinus, an nõ disertè interdicitur prouocatio trans mare: & tres pontifices Romani, Zozimus, Bonifacius, Cæleſtinus, vt falſarij redarguuntur? Imò poſtquam Concilium Aphricanum ad Cæleſtinum Papam Romanũ ſcribens, multis de cauſis oſtẽdit intolerabilem eſſe arrogantiam Epiſcopi Romani in Aphricanas Eccleſias iuriſdictionem vſurpantis, hoc etiam addit: *Vt*, inquit, *aliqui tanquam à tua ſanctitatis latere mittantur, nulla inuenimus patrum Synodo conſtitutum.* Et mox, *Executores etiam clericos veſtros quibuſque petentibus nolite mittere, nolite concedere, ne fumoſum typhum ſeculi in Eccleſiam Chriſti, quæ lucem ſimplicitatis & humilitatis diem Deum videre cupientibus præfert, videamur inducere.* Hæc illi, quorum vnus erat Auguſtinus. Et tamen qua de re agebatur? de hoc vno duntaxat, vt Apiarius quidam Preſbyter, quem damnarãt Aphricani, auctoritate ſedis Romanæ fretus, iterum reciperetur. Quæ omnia quum ita ſe habeant, quam tandem iuſti tituli ſpeciem Tyrannus iſte prætexet? & quo iure ſibi tanquam Petri & Pauli ſucceſſori idipſum vindicabit à quo vſurpando tantum illi abfuerunt, vt è contrario venturam iſtam Tyrannidem & prædixerint & expreſſè damnarint? Recurret igitur iſte nimirum ad Imperatorem Phocam, impuriſsimum illud & teterrimum monſtrum, & dignum planè ſtabiliendæ Papiſticæ Tyrannidis auctorem: à quo videlicet Bonifacius quartus circiter annum Domini 607, Epiſcopi vniuerſalis & capitis Eccleſiæ nomen redemit. Profectò prætetea quod Zacharias & Stephanus ſecũdus ſuis proditionibus circiter annum Domini 752, ſunt conſecuti. Nam ementitas Epiſtolas multorum, & falſos canonas ab ipſis Papis Romanis partim confictos, partim in ſuum ipſorum emolumentum Tyrannicè conſtitutos, quis ſani iudicij homo vel refutatione dignos cenſuerit, quum & verbum Dei expreſſum, & totius veteris Eccleſiæ purioris auctoritas repugnet? Sed de iſto Antichriſto hactenus.

Act. 16. Syn. Chalced.

Extat hæc epiſt. non tantũ Græce, ſed etiã Latinè ad calcem Concilii Aphric. tom. Concil. primo.

Iam verò ad CARDINALES progrediamur, & hanc quoque camarinam, quando ita neceſſe eſt, moueamus. Iſti igitur quorum tandem ſeſe ſucceſſores iactabunt? Nempe LXXII. diſcipulorum. Atqui mirum eſt ac miſerabile quòd nemo purioris Eccleſiæ ſcriptor Cardinalium magis meminit quàm eorum qui nuſquam eſſent in rerum natura. Edita quidem eſt Synodi Romanæ fabula ſub Syluestre, temporibus videlicet Conſtantini magni. Verùm quid eos res iſta iuuat, quum ſeptem duntaxat Cardinales ibi conſtituantur, & mœnibus vrbis Romanæ includantur? Quòd ſi qua tum erat vel minima ipſorum auctoritas in Eccleſia, quî fit vt tot poſtea ſeculis ne tenuiſsima quidem fiat eorum mentio? Illud ergo conſtare poteſt, non fuiſſe tum adhibitos Cardinales ad Verbi miniſterium, aut Eccleſiaſticæ iuriſdictionis tuendæ munus, ſed duntaxat Diaconos fuiſſe, qui (ſicut olim Romæ ſingulis regionibus præerant ſui cuſtodes) per vrbis Cardines diſtributi, ſuo, id eſt, Diaconorum munere fungerentur: quod quidem cuiuſmodi eſſet ſuo loco expoſuimus. Sed poſtea creſcente Epiſcopi Romani potentia, creuit nimirum totius collegij dignitas, vt videlicet prædones iſti inter ſe Eccleſiam Chriſti diuiderent. Sic ergo Cardinalium etiam nomen factum eſt auguſtius, & cum Epiſcopis & Preſbyteris fuit communicatum, quibus nimirum verus Preſbyterorum & Diaconorum nomen ſordebat. Et vt ſordida hæc origo poſteros lateret, inuentum fuit nouum huius appella-

tionis etymo, quaſi videlicet Eccleſiæ ſint cardines. Verùm bene habet quòd partim veteres titulos ab his vel illis templis denominatos retinuerunt, partim nouos excogitarunt, ex quibus intelligatur quod celatum volunt. Hæc ſunt igitur Cardinalatus primordia. Sed tamen multis poſtea ſeculis res erat monſtro ſimilis Cardinalem ſimul eſſe & Epiſcopum, quoniam Cardinales oportebat Romæ permanere, & ſuo munere, putà Diaconatus vel Preſbyteratus, defungi: & Epiſcopis non licebat ex verbo Dei & veteribus canonibus vel à gregibus diutius abeſſe, vel oues ſuas non paſcere. At noſtri nunc non Cardinales, ſed Carnales, cuiuſmodi tandem ſunt beluæ? Hi ſunt per quos impuriſsimum illud ſcortum, Regum & Principum & potentiſsimarum quarumuis ciuitatum animos pro arbitrio ſuo verſat, adeò vt quoties ei libuit ſuos riuales modò inter ſe committat, modò rurſus coniungat, modò ſuis lepidis munuſculis deliniat, modò minis perterreat, & ſuæ inexplebilis tum auaritiæ tum crudelitatis adminiſtros eſſe cogat. Iſti verò lenocinij ſui mercedem hanc auferunt, quòd pinguiſſimis quibuſque Epiſcopatibus & Abbatiis delibuti vnà cum ſuo creatore in ſtagnum ignis & ſulphuris præcipites abeunt. Quod enim eſt tantum ſcelus, quod tam immane flagitium eſt, quo iſtorum Cynædorum & Hermaphroditorum collegium non ſit vniuerſo mundo iam olim execrabile? adeò quidem vt quemadmodum olim ad pileum vocari dicebantur ſerui qui liberi fiebant, ita ſuos iſtos Cynædos Papa meritò pileo donet, ſuæ videlicet infinitæ licentiæ & verè carnalis libertatis pignore ac ſymbolo. En diſcipulorum Chriſti ſucceſſores, & Eccleſiæ catholicæ cardines, quorum vel ipſos profectò Diabolos pudet. Quod autem attinet ad Suffraganeos, Officiales, Procuratores Eccleſiaſtici fori, Notarios Apoſtolicos, Promotores, Auditores rotæ, Bulliſtas, Copiſtas, Curſores, Datarios, Vicarios, Capellanos, Priores, & infinitam eiuſmodi colluuiem, tam facilè profectò fuerit Diabolos in cælis reperire Angelorum thronis inſidentes, quàm vllam vel tenuiſsimam iſtorum mentionem, aut in verbo Dei, aut in antiquis Synodis, aut in vllo puto ſcriptore vel Græco vel Latino. Imò qui velit iſta conciliare cum Eccleſiæ Chriſtianæ moribus, perinde faciat ac ſi velit lucem cum tenebris & veritatem cum mendacio componere. Nunc autem accedo ad illos qui videntur ſpeciē aliquam habere Apoſtolicę ſucceſsionis, ſi nomina, non autem rem ipſam, ſpectes. Oſtendimus conſtitutos eſſe in Eccleſiis Paſtores ac Doctores qui ſermonem Dei annuntient, & adminiſtrent Sacramenta. Ita enim iuſſit Dominus, & certum eſt veterem Eccleſiam hoc diligenter obſeruaſſe. Nam quòd Paſtores temporis progreſſu diſtincti ſunt in Metropolitas, Epiſcopos, & quos nunc vocant Curatos, id eſt, ſingulis parœciis præfectos, id minimè factum eſt reſpectu miniſterij Verbi, ſed potius habita Eccleſiaſticæ iuriſdictionis ac diſciplinæ ratione. Itaque quod attinet ad Verbi prædicandi munus, & Sacramentorum adminiſtrationem, nullum eſt inter Archiepiſcopos, Epiſcopoſq; & Curatos diſcrimen. Omnes enim tenentur ſuos greges eodem cibo paſcere, ideóque communi nomine, Paſtores & Epiſcopi in Scripturis paſsim vocantur. Quæ verò iſtorum impudentia eſt, ſacra nomina vſurpare, & propterea Apoſtolorum & verorum Epiſcoporum ſucceſsionem iactare? Nam, obſecro, ſi porcum vel ſimiam velim regis habitu induere, & regem vocare, an propterea Rex dicetur, & verorum regum ſucceſſor? Apageſis, inquies, an iſti ſunt canes & porci? Sanè ſunt, ſi verbo Dei credimus, qui Pſeudoprophetas & veritatis oſores, non aliis nominibus vocat, & monet vt totis viribus eos fugiamus: nec ſunt iſti de quibus agimus veris paſtoribus ſimiliores, quàm veris regibus canes & porci ſimiles eſſent ſi coronam & ſceptrum geſtarent. Primùm enim quis iſtos creauit Epiſcopos & Paſtores? per quod oſtium ſunt ingreſſi? quis eos vocauit? vbi examen doctrinæ & morum? vbi electio Preſbyterij? vbi populi ſuffragia? an verò vnus ex centum inuenietur qui verbum Dei vel à limine ſalutarit? qui ad paſcendum gregem ſit accommodatus? qui denique gregem vel tantillum curet? E contrario verò ſiquis eſt qui interdum conciunculam habeat, quam tandem doctrinam proponit? an non toxicum pro cibo miſeris ouibus præbet? an non oues deglubit? Sacramenta verò quomodo tandem adminiſtrarent, qui ad illa polluenda coniurarunt? Synodi prouinciales vbi, quomodo, à quibus conuocantur? quotus quiſque ex Epiſcopis aptus eſt ad res iſtas curandas? quotus quiſque Curatus quid hoc rei ſit intelligit? Denique vt paucis abſoluam, duo ex illis quæro. Vnum, An qui excommunicatus eſt, debeat pro Eccleſiæ membro, nedum pro paſtore cenſeri. Alterum, An non ſint ſatis ipſo iure

excom-

excommunicati quos Chriſtus iubet, vt fures, vt latrones, vt porcos, vt canes fugere, quique contra expreſſam diſpoſitionem verbi Dei, & totius veteris Eccleſiæ auctoritatem inuaſerunt in Dei ouile, & ſuam tyrannidem ſola vi aperta defendunt. Vt autem omnes intelligant an iſti ſint eiuſmodi, qui tamen plenis buccis iactant Apoſtolicam ſucceſsionem, conſulatur in primis Dei verbum: deinde, vt ex infinitis teſtimoniis pauca commemorem, inſpiciatur epiſt. 3, & 4. primi libri epiſtolarum Cypriani, & tertius eiuſdem tractatus, De ſimplicitate Prælatorum. Item, Leonis primi epiſtola 85. Niceni Concilij Canon 4, & 6. Antiocheni, 23, & 25. Sardicenſis, 14, & 15. Item, c. Cleri plebiſque, diſtinct. 23, & 8. q. 1. c. Pleriquе ſacerdotes, & 7. q. 1. Sicut vir, paragr. Epiſcopum verò, & 9. q. 3. c. Archiepiſcopus nihil. Ibi enim & aliis innumerabilibus locis inuenietur quàm verè iſti ſeſe Archiepiſcopos, Epiſcopos, Curatos vocent, & cuiuſmodi ſit ipſorum Hierarchia.

XIII. In Synagoga Papiſtica nullam eſſe Diaconiam.

Et hæc quidem dicta ſunto de iis quos oportuerat ſermonis prædicationi & adminiſtrationi Sacramentorum totos incumbere. Nunc ad eos progrediamur à quibus oportuit ærarium Eccleſiæ adminiſtrari. Diaconos, Subdiaconos, Archidiaconos habent quidē Papiſtæ, ſed nomine tenus. Nam quid iſta ſibi velint non magis tenēt quàm Indicas vel Arabicas literas. Nam Archidiaconos creat pontifex Romanus, quoniam aliquid illic prædæ ſubeſt. Verùm quid Archidiaconis opus eſt, vbi nullus eſt Diaconus? Sed tamen in Archidiaconorum viſitatione fateor apparere veteris moris veſtigia, ex quibus deprehendi poſsit quod iſtos coarguat. Solent enim iſti parœcias certis anni temporibus diſcurrere: quæ res oſtendit Archidiaconos olim non fuiſſe inanes laruas, ſicuti nunc ſunt, ſed in ſuæ regionis Diaconos diligēter inquiſiuiſſe: idque magis etiam liquet ex inquiſitionis forma quam iſti imprudentes obſeruant. Neque enim ſolent in doctrinam vel mores inquirere, ſed an ſint ſarta tecta templorum ædificia, an ſacroſanctum cruſtulum commodè repoſitum, an ſatis mundi calices, & alia id genus. Hîc verò licet, quaſi in ſpeculo intueri quantopere ſint immutati veteris Eccleſiæ mores. Quod enim iſti in Curatos inquirunt, præter officium faciunt, quum ea res ad Epiſcopum pertineat. Erat autem nimirum Diaconorum officium, quum iam conſtituta eſſent templa Chriſtianorum cœtibus habendis, procurare ex publico vt ſarta tecta ædificia conſeruarentur. Itaque Archidiaconis hoc onus incumbebat, vt acceptas à Diaconis eorum ſumptuum rationes ad Preſbyterium referrent. Hinc illa inquiſitio quam diximus à Papiſticis obſeruari: ſed, Deus bone, quàm peruerſè, quum eorum templa ad quiduis aliud potius quàm ad Dei verbum audiendum ſint accommodata? Neque ipſi etiam hoc exigunt à Diaconis qui nuſquam ſunt, ſed à Curatis, qui nimirum relicto ſuo munere ad Diaconatum tedierunt, vt ſeſe potiùs quàm gregem paſcerent. Sed & illud conſtat, quum Diaconos oporteret menſis inſeruire, penes eos etiam depoſita fuiſſe vaſa quæ illi miniſterio fuerant conſecrata. Verùm quid hoc attinet ad execrandi illius cruſtacei idoli armarium, & impuriſsimos calices ſolis iſtis cynędis & ſcortatoribus, ſolis, inquam, iſtis filij Dei mactatoribus conſecratos? Sed hæc ipſa quoque quàm diligēter curent Archidiaconi, vel ex cōmuni prouerbio intelligi poteſt, quo Archidiaconorum prandia, nō aliter quàm veterum pontificum Cœnæ celebrantur. At miſeris Diaconis & Subdiaconis nihil præter inaniſsimum nomen relictum eſt. Quorſum enim Diaconi & Subdiaconi? vt in altis, quas vocant, Miſsis, id eſt, ludis Megalenſibus, hiſtrionico habitu miniſtrent menſæ ex qua ſolus ſacrificus veſcitur, id eſt, vt Ieſu Chriſti repetendæ oblationi & ſacrificio ſeruiant: vt fruſtulum aliquod Euangelii & Epiſtolarum Pauli peregrino idiomate, & abſque vllo interprete, cantillent: vt calicem, vrceolos, mantile ſacrifico præbeant: vt oblationem recipiant cuius ne minima quidem particula pauperibus deciditur: vt denique canant ITE MISSA EST. Cedò verò, in quo templo? in quocunque viſum fuerit, & tantiſperdum ad maiores Ordines promoueantur. Quoniam enim edictum fuit veteribus Canonibus, vt nulli ad Preſbyterium vocarentur niſi qui in inferioribus functionibus Eccleſiaſticis diligentiam & integritatem ſuam approbaſſent, ideo ſimiæ iſtæ vt videantur veterum Canonum aſſertores, etſi rem ipſam penitus, vt ſuo loco oſtendimus, ſuſtulerunt, tamen in ſuis perturbatiſsimis ordinibus volunt veterum Eccleſiaſticarum functionum gradus videri accuratè retinere, quod quum faciunt, quid aliud

quàm ſuam ignorantiam & impudentiam ipſis etiam pueris produnt? Quid enim iſti retinuerunt ex Diaconorum muneribus? Vbi illa Eccleſiaſtici ærarij diſtributio in quatuor quadrantes, quorum antea meminimus? Vbi quadrans ille qui Epiſcopo committebatur? Nempe horum ſumptuum potius reddiderint rationē lenones, ſcorta, cupediarij, coqui, ſartores, canes, equi, accipitres, quàm vel Epiſcopi, vel Preſbyteri, vel Diaconi. Vbi verò quadrans Clericis alendis deſtinatus? Imò vbi Clerus vllus? Rogentur Canonici, qui prædā inter ſe diuidunt. Vbi quadrās pauperibus alēdis deſtinatus? euanuit nimirum in iſtorum prædonum ſacculis. Nam Ptochotrophiorum & Noſocomiorum ſumptus aliunde peti nemo eſt qui neſciat. Et tamen hic quoque pudor eſt meminiſſe quæ ſacrilegia committantur, iſtis Harpyis ita in hæc quoque inuolantibus, vt vix ſit quicquam quod ipſorum vngues effugiat. Et hæc quidem eſt apud Papiſtas bonorum Eccleſiaſticorum procuratio.

XIIII. De falſo Papiſticæ Synagogæ Preſbyterio.

Quod attinet ad Chriſtiani Preſbyterij cum Papiſtico collationem, quid diſſimilius fingi poſſit? Primùm enim quo iure iuriſdictionem Eccleſiæ Spiritualem cum Ciuilis Magiſtratus auctoritate confuderunt?

Secundò, quorſum tot Preſbyterorum agmina in Papatu? an vt diſciplinam Eccleſiæ tueantur? Nihil minùs, ſed vt Chriſtum ſacrificent pro viuis & pro mortuis, id eſt, vt Chriſtum ſuo ſacerdotio ſpolient, & noſtræ ſalutis fundamentum pro viribus conuellant. Sunt autem multa iſtorum genera. Nam alij ſunt beneficiarij, aſſignatis videlicet non vnius Eccleſiæ, ſed quotcunque poſſunt Eccleſiarum reditibus ſeipſos abundè ſaginantes: alij ſunt famelici & omnibus modis miſerabiles Miſſifices, qui vel in diem viuunt arrodendo ſuo cruſtulo, vel vicariam ſuam operam pinguibus illis porcis accommodant, tantiſper dum ipſi cibum è flamma petant. Alij variis ex rebus lucrum ſibi & Epiſcopo captant. Nam Officiales, Vicarij Domini Epiſcopi, Promotores, & cæteri id genus occuparunt Leuiticorum ſacerdotum locum, quadam ex parte. Canonici ſiue Donherri in Clericorum locum ſeipſos ſurrogarunt, homines planè religioſi, & digni qui ad Eccleſiarum gubernacula vocentur, ſi modò priùs nobis demonſtrarent quod ſit inter ipſos & bipedes porcos diſcrimen. Sed inter omnes iſtos preſbyteros, vel potius ſacrificos, ecquis eſt qui Preſbyteri munus adminiſtret? An iſti cogitant de eo quod præcipuum eſt, nimirum de doctrina Chriſtianæ religionis à tot corruptelis repurganda? Sanè verò, quaſi hoc ſit officium ſacerdotum, ac non potius Magiſtrorum noſtrorum. Nam iſtis longè aliud eſt Theologum quàm Preſbyterum ſiue ſacrificum eſſe. Et tamen quum ad Synodum venitur, ſolis Epiſcopis vox deliberatiua conceditur. Quid ſi igitur Epiſcopis quiduis potiùs venit in mentem quàm vt Theologiæ operam darent? qualis erit eorum deliberatio in decidendis tanti momenti controuerſiis? Nempe ſubſidium petent à Sorbonæ & aliarum ſcholarum Doctoribus. Itáne verò Chriſtianam Eccleſiam eò recidiſſe, vt quum de conuellenda quapiam hæreſi, & componendis in religione diſſidiis agitur, non penes Paſtores, qui nulli ſunt, ſed penes impuros Sophiſtas, penes Monaſteriorum, id eſt, Sodomæ cloacas, penes inferorum ſtercora, ſit earum rerum cognitio? Nam hoc ipſo tempore quo hæc ſcribebam, inter Sorbonagros & Epiſcopum Pariſienſem magnam exortam controuerſiam conſtabat de hæreſeon & hæreticorum, quos appellant, iudiciis. Quaſi verò in Eccleſia vnquam fuerit auditum Doctorem Paſtori præire: aut quaſi pro Eccleſiæ doctoribus habendi ſint qui in ſcholæ puluere verſantur, & quibus nulla dum Eccleſia docenda attributa eſt. Conſtat enim inſtitutas fuiſſe ſcholas vt inde tum Paſtores, tum Doctores ad Eccleſias regendas aſſumerentur. Magnum igitur eſt diſcrimen inter Scholæ Magiſtros à quibus Clericos erudiri oportuit, & Eccleſiæ doctores, de quorum officio copioſius alibi diſſeruimus. Sed quid attinent iſta ad Papiſticas non Theologiæ ſed Matæologiæ, vanitatis, impudentiæ, Sophiſtices officinas?

Iam verò ſi de morum correctione & offendiculis tollendis quæritur, cui rei præfuiſſe Preſbyterorum collegium oſtendimus: quo modo tandem ad id præſtandū idonei fuerint, qui omni turpitudinis genere cælum & terram ipſóſque adeò inferos ita oppleuerunt, vt & ipſi ſuarum ſordium fœtorem vix ferant, & Diabolis ipſis fœteant? Quod autem ad Electiones attinet, quàm pridem ſunt abolitæ, inque fœdiſsimam illam nundinationem commutatæ? Quæ verò in Monaſteriis & Eccleſiis Capitularibus,

quas vo-

quas vocant, alicubi adhuc ſuperſunt, quid habent cum veteribus illis electionibus puris ac ſynceris commune? Confirmationes autem quid aliud ſunt quàm hiſtrionicæ quædam actiones?

Denique ſi de cauſatum Eccleſiaſticarũ diſceptatione quæritur, ac præſertim de correctionis diſciplina, vbi, quæſo, in Papatu inuenias Preſbyterorum collegium? vbi legitima iudiciorũ forma, quibus erudiantur indocti, & peccatores ad reſipiſcentiam adducantur? vbi Dei verbũ? vbi veteres Synodi & Canones ad conuincendos hæreticos? penes quos eſt excommunicandi poteſtas, & quibus de cauſis? quæ abſolutionum & ſatisfactionum Eccleſiaſticarum formula?

Hæc eſt igitur Papiſticæ illius Hierarchiæ dignitas, hoc illorum eſt planè Babylonicum chaos.

De Monachis.

Ad conuincendos Monachos, quibus nihil hodie frequentius in omnibus compitis apparet, vel ſolo ipſo Monachorum nomine opus eſt, vt intelligi poſſit nihil eos cum veris Monachis commune habere. Sed hoc longè melius ex re ipſa quàm ex nomine cognoſcetur. Monaſteriorum vſum peruetuſtum eſſe conſtat, ſed qui mox in inſanam prorſus ſuperſtitionem degenerauerit, ſicut ex Synodi Gangrenſis canonibus apparet, aduerſus ea ipſa conſcriptis de quibus hodie pſeudomonachi gloriantur. Multis tamen magnis & piis hominibus placuit ſolitariæ vitæ genus, ſed duabus præcipuè de cauſis: nempe vt maiore cum quiete cognoſcendis Scripturis operam darent, & ſeſe ad patientiam & crucem perferendam ſeueriſsimo quodam vitæ genere aſſuefacerent. Interea verò non ſolebant perpetuo voto ſeſe huic vel illi ſolitudini adſtringere, ſed ibi tanquam in ſcholis tranquillioribus ad functiones Eccleſiaſticas ſeſe præparabant, vt ex Nazianzeni, Baſilij, Auguſtini, & aliorum exemplis apparet: niſi ſi quibus ſolitudo illa perpetua placeret, quorum tamen inſtitutum videtur cum Chriſtianæ charitatis regula parum conuenire, & melancholiam morbum reſipere. Otio nullus illic locus relinquebatur, adeò vt ſeſe & pauperes alerent manuum ſuarum labore, & Monachus manibus non laborans pro latrone haberetur [1]. Parciſſimè quidem ac frugaliſſimè viuebant, ſed neque in ſuis abſtinentiis ſpem ſalutis vlla ex parte reponebant [2], neque quiſquam ſupra vires premebatur: ſed ſi qui non ſatis magnam ſui rationem habebant, admonebantur fraternè ne vana ſuperſtitione debiliores potiùs quàm ſanctiores fierent [3]. Coniugium non damnabant vt rem malam, ſed vt ſolitariæ illi vitæ prorſus repugnans non amplectebantur. Interea verò perpetuæ continentiæ votum, quale poſtea inuexit Satan, ne in Monialium quidem conuentibus fuiſſe vſurpatum, vel ex iſtis Cypriani verbis liquet [4]: *Si ſeſe*, inquit, *ex fide Chriſto dicauerunt, pudicæ & caſtæ ſine fabula perſeuerent, & ita fortes ac ſtabiles præmium virginitatis expectent. Si autem perſeuerare nolunt, vel non poſſunt, melius eſt vt nubant quàm in ignem delictis ſuis cadant.* Hæc ille: qui ſi hodie ſuperſtes eſſet, non dubium eſt quin vt hæreticus damnaretur. Talis ergo fuit olim verorum Monachorum regula, ad quam ſi noſtræ ætatis Monachos reuocemus, quæſo, quid diſſimilius fingi poſſit? Illi ſolitudinem pacatam & tranquillam captabant: iſti quid potius quàm populoſiſſimas quaſque vrbes quærunt, non modò vt ibi habitent, ſed etiam vt integras vorent? Pauperes illi parcè ſuis laboribus in ſuis tuguriolis viuebant: iſti ſuperbiſsima palatia incolunt, vrbes, pagos, regiones integras poſſidẽt, omnium laborum adeò fugitantes, vt etiam in otio ſalutem collocent: adeò gulæ & vino præſertim dediti vt amphoras potiùs quàm homines referant, & nullam eiuſmodi ingluuiem nec maiores noſtri à condito mundo viderint, nec ventura poſteritas ſenſura videatur. Virgines erant illi, & rata virtutum exẽplaria: iſtorũ verò luſtra, teſte vniuerſo mundo, quid aliud ſunt quàm ſuperſtitionis, ignorantię, blaſphemiarum, inuidentię, ambitionis, prodirionum, ebrietatis, homicidiorum, & teterrimarũ ac mõſtroſiſſimarum quarumuis libidinũ officinæ, vel fœdiſsimæ potius cloacæ, quarum fœtorẽ ne Diaboli quidẽ ipſi poſſint amplius ſuſtinere? In primis autem quatuor illi mendicantium ordines, quid aliud ſunt præ cæteris quàm alteri quidem Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται, κακὰ θηρία, γαστέρες ἀργαί? Et ſanè niſi iam pridem ſatis eſſet nota iſtorũ deſperata hypocriſis, mirari meritò poſſent omnes Papam ſaltem ſuis creaturis non credere. Nam vt omittam omnium ſcholarum ac præſertim Pariſienſis iudicia aduerſus iſtas harpyias & coronatas locuſtas edita anno Domini M.CCC.LXXXIX: non ita pridem, id eſt, anno Domini M.D.XXXVIII, conſulti Cat-

[1] Hiſt. Tripart. lib 8. cap 1. 2. Theſſ. 3, c, 9, 10.
[2] 1 Ti. 4, c, 8.
[3] Aug. de mor. Eccl. Catho. cap. 31. & 33. 1. Ti. 5, d, 13.
[4] Cypr. lib. epiſt. 1. cap. 11.

dinales delecti à Paulo tertio tunc Pontifice, diſertè reſponderunt inter cætera videri ſibi Conuentuales omnes ordines tollendos. Cur igitur illis ſaltem nō eſt creditum? cur poſtea imputiſſimus ille Iulius tertius Pauli ſucceſſor, & quidem vnus ex delectis illis Cardinalibus, ſententiam illam non eſt amplexus? aut cur iſta ſaltem monſtra, quod abhinc annum fruſtra conatus fuit Paulus quartus, intra ſuas caueas non abdidit, vt ſeſe mutuò potius conſumerēt, quàm viuos omnes ac mortuos vorarēt? Nempe quoniam hæc eſt veluti fatalis pernicies Eccleſiæ vt vorentur oues à lupis: & Romæ nihil non, Plutone intercedēte, obtinetur, quia Saranæ cum Satana optimè conuenit. Sed de his ſordibus ſatis, aut etiam nimiùm multa. Vnum tamen prǫterea à perfectiſsimis iſtis cucullionibus petam, vt niſi forſan illis moleſtum eſt, ad hæc quatuor reſpondeant, tantiſper dum alia comparamus.

Vnum, An nō ſit veriſſimum, Monachos, quandiu non impuriſsima fuit Eccleſia, fuiſſe pro Laicis, quos vocant, habitos.

Secundum, An non ipſius quoque Gregorij magni temporibus monſtri ſimile fuerit Clericum ſimul eſſe & Monachum [1], nedum Diaconum vel Preſbyterum.

1 Grego. lib. 4. ep. 3. ep. 11.

Tertium, An non diſertè iubeantur ordinariis ſuis ſubeſſe ex vniuerſalis Chalcedonenſis Concilij canonibus expreſſis, & quo iure cuiquā fas fuerit celebratiſsimæ Synodi auctoritatem, inconſulta ſaltem Eccleſia, conuellere.

Quartum, An non quotquot hodie viuunt otioſi Monachi, id eſt, quotquot manuū laborem à ſe abdicant, tot ſint, ex ſuarum regularum contextu, periuri & Apoſtatæ.

Hæc vbi nobis explicarint, dabimus operam (Deo fauente) vt in aliis explicandis difficilioribus nodis deſudent, & ita ſaltem ſpiritualiter diſcant laborare.

XV. Papiſtæ Magiſtratuum contemptores manifeſtiſſimi.

Miram & incredibilem Papiſtarum impudentiam eſſe oportet, ſaltem in eo quòd nos audeant apud Reges & Principes tanquā perfidos ac rebelles accuſare. Quàm enim honorificè de Magiſtratuum imperio ſentiamus & loquamur, & quantum illis tribuamus, non modò ſcriptis ſed etiā reipſa teſtamur, quod ne ij quidē poſſunt ignorare qui nos omni crudelitatis genere perſequuntur. Libertinorum autem, Anabaptiſtarum, Bellianorum, & aliorum id genus furores tantum abeſt vt approbemus, vt etiam ſupplicio vindicandos arbitremur. Sed quorſum hac defenſione apud Papiſtas vtamur, quum nullum hominum genus apertiùs Magiſtratui rebellet? Quis enim ſibi Regna & imperia terræ ad pedes ſubiecit? quis eò vſque progreſſus eſt vt Imperatoris collum pedibus conculcaret? quis florentiſſimam Italiæ partem, ipſámque adeò Romam, Cæſari ademit? an non Romanus Antichriſtus? Omnes huius ſeculi dignitates an non hodie ſibi Abbates & Epiſcopi vendicant? Imò an quiſquam eſt vel viliſsimus Monachus, vel imputiſsimus Sacrificus, qui non ſeſe eximat ſecularium Magiſtratuum iuriſdictioni? Dicant igitur iſti cauſam manifeſtæ rebellionis potiùs quàm nos accuſent. Profitemur enim nos coram Deo & hominibus, Ieſu Chriſti exemplum ſequi [2], & Pauli [3], ac Petri [4] monitis obſequi, & de Papiſtis vaticinatum Iudam dicimus [5], vbi de iis agit qui abolent dominia, & dignitates conuiciis inceſſunt. Quòd ſi recuſant iſti nobis accuſantibus reſpondere, age duos illis accuſatores præbebimus quorum auctoritatem neceſſe ſit eos revereri, Chryſoſtomum videlicet & Bernardum. Sic igitur Chryſoſtomus, quanuis illi cum ſtolido Imperatore Arcadio, & ſuperbiſsima illius vxore Eudoxia negotium eſſet: ſic, inquam, ille Pauli locum explicans, vbi iubetur omnis anima ſuperioribus poteſtatibus ſubiici, *Omnibus*, inquit, *iſta præcipi ſacerdotibus quoque & monachis, non autem ſolis ſecularibus, Apoſtolus ex ipſo proœmio declarat, quum inquit, Omnis anima poteſtatibus ſupereminentibus ſubiiciatur, etiam ſi Apoſtolus fueris, etiam ſi Euangeliſta, etiam ſi Propheta, vel quiuis alius. Neque enim ſubiectio euertit Dei cultum.*

2 Matth. 17. d, 24. & deinceps.
3 Rom. 13. a. 1, & alibi paſſim.
4 1. Pet. 2. c. 13, 14. & 5. a. 3.
5 Iud. b. 8.

Hæc ille. Nunc autem Bernardum audiamus prorſus conſentientem, quum ad ipſum Papam Eugenium ſcriberet [6]: *Quo iure*, inquit, de temporali gladio loquens, *Papa hæc ſibi vendicat? non certè Apoſtolico iure. Neque enim Petrus quod non habuit dare potuit, ſed dedit ſucceſſoribus quod habebat, ſolicitudinem Eccleſiarum.* Item, *In criminibus*, inquit, *non in poſſeſsionibus poteſtas veſtra, quoniam propter illa, non propter has, accepiſtis claues regni cælorum. Quænam tibi videtur maior dignitas, dimittendi peccata, an prædia diuidendi? nulla comparatio: habent hæc infima & terrena, iudices ſuos, reges, & principes terræ. Quid fines alienos inuaditis?* Item, *Diſce tibi ſarculo opus eſſe non ſceptro, vt opus facias Prophetæ.* Item, *Planum eſt. Apoſtolis interdicitur Domi-*

6 Bernar. lib. de Conſi. 2.

tur Dominatus. I ergo tu, & tibi vſurpare aude, aut dominans Apoſtolatum, aut Apoſtolicus dominatum. Hæc iam olim Bernardus totidem verbis. At ego prætereavt rei coram cælo & terra peragantur, profero Gregorij Papæ ad Mauricium Imperatorem epiſtolas, & Papæ Pelagij reſcriptum ad Childebertum 25.q.1. c. Satagendum, & Leonis quarti reſcriptum 2.q.1.c. Nos ſi incompetenter. Quid ad hæc Papiſtæ quæ iam per tot annos ſunt illis inculcata? nempe frontem perfricuerunt, & Arelatenſe Concilium, Regum donationes, partim falſas, partim ementitas, longi denique temporis præſcriptionem opponent. Sed quorſum iſta aduerſus expreſſum Dei verbum? Deſinant tandem igitur iſti nos calumniari, & de obiectis criminibus diluendis potiùs quàm de nobis criminandis cogitent. Attollant quoque oculos Reges terræ & Principes, & Filium Dei oſculantes, ab iſtorum Tyrannide ſuam aſſerant dignitatem.

Concluſio totius operis.

Speramus fore vt quicunque ſuperiora diligenter & attentè perlegerit, ſimul quoque ex noſtræ doctrinæ cum verbo Dei & Papiſtica impietate collatione facilè intelligat ab vtra parte ſtet Dei veritas, & quibus calumniis immeritò obruamur. Itaque per Dei nomen omnes eos obteſtamur qui ad hunc vſque diem perſequuti ſunt Euangelium æternum Filij Dei, vt deinceps de ſua ſalute & venturo iudicio cogitent. Reges igitur ac Principes deinceps attentioribus animis eum loquentem auſcultent à quo regna & imperia ſeſe accepiſſe profitentur, & ab illis ſibi caueant qui religionis obtentu coronas illorum ac ſceptra ſuis tiaris & pedellis ſubiecerunt, nec illis aliter quàm carnificibus & ſuorum ſcelerum adminiſtris abutuntur. Conſiderent quoque Iudices cæterique Magiſtratus, quid coram ſummo illo iudice ſint reſponſuri, ſi carnificum manum ad fundendum piorum ſanguinem armare pergant. Omnes denique tandem intelligant vbi nulla eſt cognitio ſiue ſcientia verbi Dei, ibi nullum eſſe zelum qui Deo probetur, ſed rabiem duntaxat & cruentam inſaniam, cuius tandem aliquando reddenda ſit ratio coram Deo & Angelis ipſius. Is enim ſuo tempore viuos & mortuos iudicabit, non ex opinionum vel traditionum, vel conſuetudinum humanarum præſcripto, ſed ex æterno ſuo Euangelio quod mundus execratur. Sed pudeat tandem Chriſti nomen profitentes, Chriſti doctrinam ignorare, nec temporis ſaltem aliquid dare cognoſcendæ eorum doctrinæ ac vitæ quos ferro & flammis immeritò perſequuntur.

Quantum autem ad Epicureos & apoſtatas illos attinet qui ſcientes ac volentes repugnant Dei veritati, & Principum animos non deſinunt ad omnem crudelitatem incitare: vnius Dei eſt Eccleſiam ſuam, ſicut adhuc fecit, & facturum ſperamus, aduerſus illorum rabiem tueri ac conſeruare. Conentur igitur illi quicquid libuerit, mētiantur, inſaniant, ſæuiant vt volent, quid aliud quàm nobis maximè proderunt ſi crudelitas illorum nos ex hoc mundo ad perpetuam illam fœlicitatem obtinēdam in cælum vſque & Chriſti noſtri ſinum expulerit? Interea tamen ne hanc quidem vitam, niſi Deo noſtro volente, nobis eripient: & quandiu ſuperſtites erimus, non deſinemus Dei regnum inuitis & fruſtrà ringentibus illis, amplificare. Illorum, inquam, flammas chartarum ſaltem multitudine opprimemus: calamis hebetabimus illorum gladios: patientia denique, Deo duce, omnem illorum immanitatem oppugnabimus & expugnabimus: & ſuis oculis infœlices illi triumphantem veritatem & euerſum ſuum imperium tandem aliquando conſpicient. Neceſſe enim eſt dictum illud Chriſti, velint nolint, impleri, *Omnis planta quam non plantauerit Pater meus, radicitus extirpabitur.* Hæc fides, hæc ſpes noſtra eſt pro qua affligimur, in qua nunc viuimus, & nos morituros ſperamus vt vitam viuamus ſempiternam.

Amen.

Altera breuis fidei Confeſsio, & EIVSDEM CVM SVPE-riore argumenti.

Articul. I. QVVM Deus ſit perfectè iuſtus, & omnes homines ſint omnino peccatores, iſtorum alterum neceſſarium eſt, aut vt Deus iuſtitiæ ſuæ renuntiet, quod fieri non poteſt: aut vt omnes homines pereant ſine vlla exceptione, niſi iuſtitiæ diuinæ perfectè ſatisfaciant.

II Verùm is iuſtitiæ diuinæ perfectè ſatisfacit, qui Deo quicquid debet perſoluit. Quamobrem primùm quærendum eſt quidnam homines Deo debeant: tum videndum an ea quæ debent perſoluere poſſint: denique & tertio loco, ſi compererimus eos non eſſe ſoluendo, inueſtigandum eſt vndénam mutuò ad ſoluendum accipere, id eſt, ſoluendi facultatem ac rationem inuenire poſsint, ne iuſto Dei iudicio pereant.

III Vt verò intelligamus quidnam homines Deo debeant, inſpicienda erit obligationis formula qua ex creatione obligati ſunt, & quæ duabus Legis tabulis perſcripta eſt. Quum verò teneamur ad Deum amandum ex toto corde noſtro, & proximum vti nos ipſos, perſpicuum eſt quid debeamus, nimirum amorem perfectum Deo & proximo.

IIII At quomodo quis hoc præſtare poſsit, niſi in primis natoram habeat ad hoc aptam atque accommodatam? Experientia verò oſtendit naturam noſtram in partem contrariam ex ſeſe ferri, ita vt omnes ſua ſponte tendant ad Dei & proximi odium, vt plumbum tendit deorſum. Quòd ſi natura noſtra nos ad odium impellat, quomodo eum amorem quem debemus, perſoluemus?

V Hinc igitur tres concluſiones eliciendæ ſunt: nimirum, Omnes homines natura ſua Deo eſſe infenſos, quippe corruptos: tum, Non tantùm id quod debent nō ſoluere, ſed etiam nouis in dies peccatis ſeipſos iuſto Dei iudicio magis ac magis inuoluere atque obligare. Vnde tertia concluſio conſequitur, nempe, Neceſſe eſſe aut omnes homines ſine vlla exceptione condemnari, aut certè inuenire aliquem qui pro ſe perſoluat.

VI Vbinam verò talis fideiuſſot reperietur qui hæc præſtet? Certè nullibi inter res creatas. Si enim inter Angelos eum quæramus, duplex reſponſio parata eſt. Quum enim Angeli minimè ſint propter hominum peccatum obligati, non eſt iuſtitię Dei conſentaneum vt ab Angelis exigat quod homines debent. Præterea, quum de infinita Dei ira toleranda agatur, omnino conſtat nec Angelos quidem tanto oneri eſſe pares.

VII Quòd ſi Angeli tantum onus obire non queunt, ecquæ'nam tandem ex rebus creatis huic rei ſatis eſſe poſſit? Efficitur ergo neceſſarium eſſe vt ad aliquem accurramus qui omnibus rebus creatis potentior ſit, & quidē qui ſit verus homo. Ni enim omnibus rebus creatis potentior ſit, non poterit iræ Dei pondus ſuſtinere quin ipſe ſuccumbat, tantum abeſt vt pro aliis ſatisfacere poſſit. Et ni ſit homo, quomodo homines ea ſatiſfactione quam ipſe pertulerit, liberari poterunt? Neceſſe ergo eſt haberi Mediatorem, qui ſit verus Deus & verus homo: & talis omnino eſt Vnus IESVS CHRISTVS, quem nobis offert Religio Chriſtiana.

VIII Iam verò videamus num talis ſit Ieſus Chriſtus vt in eo reperire poſsimus quicquid ad noſtram ſalutem requiritur. Primùm, Ieſus Chriſtus eſt verus Deus: vnde conſequitur illum poſſe eſſe Seruatorem. Præterea, verus eſt homo: vnde efficitur, illum habere naturam accommodatam ad id ſuſtinendum quod exigit iuſtitia diuina vindicandis hominum peccatis. Si enim tantùm Deus eſſet, minimè pati poſſet: ſi tantùm homo, iuſtitiæ diuinæ oneri ſuccumberet. Quoniam autem & Deus & homo eſt, ideo & mori poteſt, & mortem, moriendo, ſuperare.

IX Præterea, quia eſt homo puriſsimus & ſanctiſsimus, conceptus nimirum ex Spiritu ſancto, perfecta illa puritas Deo ſanè placet. Itaque in Chriſti perſona habemus hominem Deo placentem. Porrò ex illa puritate duo riuuli tanquam ex puriſsimo fonte dimanant, ſcilicet, iuſtitia quædam perfecta, & peccati abſentia. Ieſus Chriſtus enim homo ita omnem Dei voluntatem adimpleuit, vt nunquam vllo modo peccarit. Eſt igitur coram Deo, tum propter naturalem illam ſuam puritatem, tum propter illius

purita-

puritatis effecta, iuſtiſsimus.

Itaque meritò concludere poſſumus, in vno Ieſu Chriſto, cõtra omnia mala quæ cõ- x
ſcientias noſtras terrere poſſunt, & impedire quominus ad gloriam Dei, id eſt, æternam
felicitatẽ perueniamus, atq; adeò efficere vt ęterna morte condẽnemur, pręſentiſsima
remedia reperiri. Sed addẽda eſt cõditio, Si iſta remedia nobis applicemus. Quemadmo
dum enim nihil ægroto prodeſt bonũ habere medicũ, niſi eo vtatur: nec eſurienti opti-
mas dapes inſpectare niſi eis vtatur: ita Ieſu Chriſti contra irã Dei & mortem æternam
remediũ haud quicquam prodeſt, niſi eo vtamur. Illo verò vti non poſſumus, niſi intel-
ligamus quónã id modo fieri poſſit. Primùm igitur videndum eſt quomodo Ieſus Chri-
ſtus nobis applicetur.

Vt demõſtremus quo modo vnuſquiſq; poſsit Ieſum Chriſtũ ſibi applicare ad ſalutẽ x i
& vitã æternam, vtemur hac præfatione. Quemadmodũ non fuit in noſtra facultate in-
uenire medecinam ſalutis, ita nec fieri poteſt vt rationẽ recte vtendi iſta medecina inue
niamus: quoniam illud hac in re contingit quod in corporeis morbis vſuuenire ſolet, ſi-
cut nimirum deſperatæ valetudinis ægroto morbum ſuum ignorãte, neceſſe eſt vt me-
dicus non ſolùm medicinam inueniat, ſed & ægrotum ita diſponat vt medicina vti &
velit & poſsit, & rectè ea vtendi rationem cognoſcat: ita in animi morbo qui longè eſt
periculoſiſsimus, & in quo homines non ſolùm ſalutis ſuę ſunt ignari, ſed etiam aduer-
ſarij, neceſſe eſt vt ab eodem medico intelligamus, primùm quænam illa ſit medicina,
tum quo pacto illa ſit vtendum: denique, vt ab eodem medico apti & idonei efficiamur
ad hoc vt propoſitis remediis vti & velimus & poſsimus.

Dᴇᴠꜱ ergo is eſt qui primos homines alloquens Angelorum ſuorum miniſterio, x i i
nimirum ab Adamo vſque ad Moſen, illis declarauit vnicum illud ſalutis noſtræ reme-
dium, quod explicauimus, nimirũ Iᴇꜱᴠᴍ Cʜʀɪꜱᴛᴠᴍ, in quo vno reperimus quic-
quid eſt neceſſariũ ad noſtram ſalutẽ. Is verò poſtea cæteris nationibus repudiatis, ini-
tóque cũ Abrahamo ipſiuſque poſteritate fœdere, eaque valde multiplicata, voluntatẽ
ſuã plenius ipſi expoſuit, vti eſt in Decalogo comprehenſa. Poſtea, adiunxit ſacrificia &
alias cæremonias, quæ non ſolùm ab aliis omnibus populis & nationibus populum Dei
ſeparabãt, ſed etiã certa erant teſtimonia futuri Seruatoris, & eorũ omnium quę, vt nos
ab ira Dei vindicaret, paſſurus erat, vt in eum fiducia collocari poſſet, cuius aduentus
expectabatur. Præterea, quia Deus norat Diabolum falſos Prophetas excitaturũ, à qui-
bus mẽdacia proponerentur quaſi vera Dei mandata: ideo voluit Moſen alióſque Pro-
phetas perſcribere quæcunque Deus illis patefeciſſet, ne facilè populus à falſis illis Pro-
phetis deciperetur.

Tandem verò, poſtquam aduenit tempus pro ſua infinita ſapientia ab æterno deſti- x i i i
natum atque conſtitutum, promiſsionem ſuam è cœlo exhibuit, nimirum Filium ſu-
um æternum, qui ſecum aſſumpſit verum corpus humanum, factum & formatum vir-
tute Spiritus ſancti, ex ſubſtantia virginis Marię, ex ſemine Abrahami & Dauidis, ſecun-
dum Prophetarum prædictiones: cum quo corpore Deus coniunxit animum puriſsimũ
& ſanctiſsimum, eadem virtute Spiritus ſancti creatum. Atque ita Ieſus Chriſtus decla-
ratus fuit verus Mediator, vti ſuprà diximus, & reuera impleuit atque perfecit quicquid
neceſſarium erat hominibus Deo reconciliandis.

Denique rebus omnibus ita perfectis, Ieſus Chriſtus cœlũ aſcendens, voluit omnem x i i i i
iſtã doctrinam nõ tantùm Apoſtolorum atque Euangeliſtarũ ore annunciari, ſed etiam
ab illis perſpicuè perſcribi, vt Eccleſia Dei vſque ad finem ſæculi certam haberet do-
ctrinam cui inniti poſſet, quæque adeò veram atque vnicam veritatem à Pſeudapoſto-
lorum & Antichriſtorum mendaciis atque impoſturis ſepararet: quæ quidem veritas
veteris & noui Inſtrumenti libris comprehenſa eſt, ita vt nihil in eis fas ſit immutare,
vel eis quicquam addere vel adimere.

Deinde, quia hæc doctrina fruſtra ſcripta eſſet, niſi fideliter annuntiaretur atque de- x v
clararetur, homines verò neque Dei neque Angelorum conſpectum ferre poſſent:
Deus hominum miſertus, in Eccleſia ſua conſtituit Paſtores & Doctores, à quibus
vult illam integram doctrinam fideliter proponi, atque ad Eccleſiæ neceſsitates publi-
cè & priuatim applicari, ne homines ignorantiam diuinæ voluntatis prætexere queant.

Quare vt totam rẽ iſtam in pauca conferam, Diſcimus ex fidelium Dei miniſtrorum x v i
ore, qui verbũ Dei Eccleſiæ declarant, quicquid hactenus docuimus requiri ad noſtram
miſeriam & ſalutem intelligendam. Et quoniam verbum Dei fruſtra hominibus pro-

poneretur, non aliter quàm ſi lapidi fieret ſermo: ſciendum eſt, Deum vt per exteriores ſenſus in homines agit, verbo illo ſuo Miniſtrorum ſuorum opera annuntiato, ita interiùs efficaciter & potenter agere per infinitã potentiam ſuam, id eſt, per Spiritum ſuum ſanctum: cuius munus ſitum eſt in his effectis quæ modò explicabimus.

XVII Primùm, vt ea Scripturæ pars, quæ Lex vocatur, demonſtrat nos eſſe miſerrimos peccatores, mortem æternam commeritos: ita Spiritus ſanctus idem in nobis clamat, illúdque idem infigit cõſcientiis noſtris alioqui perſtupidis & ἀναισθήτοις, & efficit vt vero peccatorum noſtrorum ſenſu tãgamur, qui eſt primus ad ſalutem gradus: ſicut in corporeis morbis primùm neceſſe eſt ad ſanitatem recuperandam vt cognoſcamus nos eſſe ęgrotos, & morbi quo laboramus magnitudinem intelligamus.

XVIII Secundum ſancti Spiritus effectum ab illo ſuperiore planè diuerſum eſt. Illud enim nos affligit, damnationem noſtram per Legem oſtendendo & quaſi apertas inferorum abyſſos: hoc verò nos conſolatur, conſcientiis noſtris verum illud & vnicum ſalutis remedium applicãdo, quod ab altera Scripturæ parte annuntiatur, nimirum EVANGELIO, id eſt, felici illo atque læto gratuitæ in Ieſu Chriſto ſalutis nuntio, ſicut ſuperiùs demonſtrauimus.

XIX Hoc verò remediũ duplici Spiritus ſancti efficacia applicatur. Primùm enim, Spiritus ſanctus diſponit intelligentiã noſtram ad percipiendam doctrinam Euangelij, quæ alioqui mundo videtur mera ſtultitia. Deinde animo noſtro perſuadet, iſtam gratuitę in Ieſu Chriſto ſalutis doctrinam non ſolùm veram eſſe, (nam & diaboli intelligunt veriſsimam illam eſſe, & tamen non ſeruãtur) ſed etiam illam ad nos pertinere. Et illud omnino eſt quod Fidem appellamus, tantopere in Scriptura cõmendatam: nempe quum aliquis ſibi certò perſuadet, promiſsiones ſalutis & vitæ æternæ ad ſe ſingulatim ac propriè pertinere. Quũ enim Chriſtus in Euãgelio nobis hac conditione proponatur, vt eũ fide nobis applicemus: inde fit, vt fides ſolum ſit inſtrumentũ quo veluti manu quadã ſalutẽ in Chriſto apprehẽdamus. Ideo dicebat Paulus, Nos ſola fide iuſtificari, atque adeò ea ſola nos viuere, id eſt, felices eſſe: non quaſi propriè fides ſit noſtra iuſtitia & vita, ſed quoniam per ſolam fidem Chriſtum amplectimur, & certò ſcimus illũ nobis eſſe iuſtitiam atque vitam. Quũ enim quis certò apud ſe ſtatuit ſeſe ad ſalutem vitamq́ue æternã in Chriſto deſtinatum, omnino fit particeps omnium Chriſti beneficiorum in vitam æternam, quum in eum finem Chriſtus illi offeratur.

XX Tertium Spiritus ſancti effectum ſitum eſt in cordibus noſtris. Quum enim Chriſto nos vniat (ſicuti diximus) nec poſsit eſſe in nobis Chriſtus otioſus, neceſſe eſt vt idem Spiritus ſanctus qui fidem in nobis (vti diximus) ingenerat, vnà item cor noſtrum ſanctificet, id eſt, Deo conſecret atque dedicet. Iſta autem ſanctificatio duas habet partes, nimirum abolitionem & exinanitionem vitioſæ illius qualitatis quæ efficiebat vt Lex Dei nobis diſpliceret, & arrepta inde occaſione magis ac magis peccato delectaremur: & nouę qualitatis creationem, quę facit vt incipiamus bene velle, & ex animo facere quę Deo placere ſcimus.

XXI Iſta verò abolitio primùm fit in intelligentia, cuius tenebrę ita diſcutiuntur vt lux in nobis accendatur, vnde efficitur vt incipiamus agnoſcere atque approbare quæ ſtultitiam eſſe ducebamus: deinde in voluntate Deo conſecrata, ita vt peccatum odio habeat, non propter pœnam, ſed propter amorem Dei, & iuſtitiam amet, non mercedis cauſa ſimpliciter, ſed quoniam iuſtitia Deo per ſe placet: & quidem ita, vt etiam ſi nulla mortis pœna peccatoribus eſſet parata, nec vita æterna iis deſtinata qui iuſtitiam colunt, tamen iuſtitiam ſequi mallẽt, id eſt, Deo ſanctè obſequi & proximum diligere, ſicut Lex Dei præcipit, atque omnes adeò moleſtias nominis ipſius cauſa ſubire, quàm diabolo & ſuis cupiditatibus ſeruire.

XXII Quare, vt omnia in vnam ſummam conferam, ſicut in vno Ieſu Chriſto omnia comperimus ad ſalutem neceſſaria, ita hæc omnia nobis applicat per fidem Spiritus ſanctus. Sed qooniam hæc fides in nobis primùm perexigua eſt, neceſſe eſt vt in nobis quotidie creſcat. Itaque nunc videndum eſt quo cibo in nobis alatur atque foueatur, vt in dies magis ac magis augeatur. Primùm ergo vt in nobis creatur per Spiritũ ſanctũ, intermedio verbo Dei in noſtris cordibus quaſi diſſeminato (vnde etiam aliquando ſemen vocatur) ita per idem Verbum nutritur quũ illud attentè in Eccleſia Dei audimus, illúdque & legimus, & ſepoſitis rerum humanarũ curis quæ nos à Deo auocare & mundo inuoluere poſſent, aſsiduè animo verſamus. Ideo dicebat Dauid felices eſſe, non di-

uites,

uites, Reges, Principes & mundi alios incolas, ſed eos qui aſsiduè & diligenter cogitant
de doctrina Dei, & quaſi peregrini & aduenæ in cœlum tanquam in patriam aſpirant.
Secundò, renendum eſt Deum noſtræ imbecillitatis maximam habuiſſe rationẽ, ita xxiii.
quidem vt non tantùm nobiſcum agat per Verbum ſuum, docendo nos amorem ſuum
quo nos in Chriſto complectitur: ſed Verbo ſuo addere voluerit exteriores notas, quæ
certis quibuſdã cęremoniis deſignatæ, nobis quaſi ob oculos & inter manus repræſeo-
tent atque exhibeant Ieſum Chriſtum cum omnibus ſuis bonis, de quibus locuti ſu-
mus, vti nimirum fides his quaſi fulcris innixa, magis ac magis in nobis confirmetur at-
que corroboretur, & nos Chriſto propiùs admoueat atque adiungat. Iſtæ notæ *μυ-
στήρια* Græco vocabulo appellantur, quoniam per ea ſigna Deus nobis ſignificat atque
exhibet res verè arcanas atque ſecretas, de quibus homines ne ſuſpicari quidem vn-
quam potuiſſent, nimirum Ieſum Chriſtum cum omnibus ſuis bonis in vitã æternam.
Latino verò vocabulo Sacramenta appellantur, propter aliũ quendam ipſorum vſum,
de quo ſuo loco dicemus.
Sunt igitur in Eccleſia Chriſtiaoa duo Sacramenta, nempe Baptiſmus & Cœna Do- xxiiii
mini, quoniam abolitis atque abrogatis Legis cæremoniis, orróque iuſtitiæ Sole, no-
luit Dominus rurſum vmbrarum & figurarum multitudine nos inuoluere, ſed tantùm
duo conſtituir Sacramenta, & quidem rebus ſimpliciſſimis compoſita, nimirum Aqua,
Pane & Vino: & quæ ſimpliciſſimis cęremoniis celebrarẽtur, nempe Aſperſione aquæ,
Panis manducarione, Vini potione: ne homines plus æquo natura ſua ſuperſtitioni de-
diti, illis rebus abuterentur. Nam ſi magnum aliquem apparatum & exquiſitas cære-
monias viderẽt, ad externas illas pompas curioſius ſatagerent, & pro eo quòd in cœlum
fide aſcendendum eſt, ibique res per illas notas nobis ſignificatas amplecti: homines
contrà rerum cœleſtium obliti toti in rebus illis ſpecioſis inhærerent, & ſalutem in eis
conſtituerent. Itaqoe illi Sacramentorum vſum corruperunt, qui non conrenti ſim-
plici & nuda Ieſu Chriſti inſtiturione, Eccleſiam infinitis cæremoniis onerarunt: & ita
quidem vt Chriſtianiſmum, non tantùm in Iudaiſmum, ſed etiam in Paganiſmum
omnino transformarint.
Sacramenta igitur in eundem finem à Deo ſunt ordinata, in quem & Verbum nu- xxv
dè & ſine Sacramentis propoſitum: nimirum vt ſint adiumenta ad nos propiùs cum
Chriſto per fidem coniungeodos atqne vniendos. Nec ſine Verbo eſſe poſſunt, vtpo-
te quod nos docet ea quæ per illa Sacramenta nobis vult Deus repræſentare atque ex-
hibere, quatenus quidem ſigna ſunt viſibilia eius communicationis quæ nobiſcũ cum
Chriſto inrercedit. Porrò quatuor ſiſor præcipua capita in iſto argumenro conſideran-
da. Primum, Quęnam ſinr ſigna. Secundũ, Quænam res per illa ſignificetur. Tertium,
Quænam ſigni cum re ſignificata coniunctio. Quartum, Quomodo tum ſignorũ tum
rei ſignificatæ fiamus participes. Signa igitur eæ ſunt res & quidem externæ, quibus
in Sacramentis vtimur: vt Aqua in Baptiſmo: Panis & vinum in Cœna: tum cæremo-
niæ & titus à Dei verbo in eos vſus inſtituti, vti poſtea dicemus.
Res ſignificata eſt Ieſus Chriſtus, cum omnibus ſuis bonis, cum qno nimirum v- xxvi
nimur in vitam æternam. Signa verò non tranſmutantur in rem ſignificatam, ſed
cũ ea coniunguntur, non quidem ob certorum verborum pronuntiationem, ſed ex Ie-
ſu Chriſti illorum Sacramentorum auctoris inſtitutione: nec quidem id modo cor-
poreo & naturali, ſed quatenus Deus ſemper offert ſpiritualirer quod per ſigna cor-
poraliter ſignificatur.
Modus communicandi ſignis, viſibilis eſt & naturalis: ſed Res ſignificata, nẽpe Ieſus xxvii
Chriſtus cum omnibus ſuis bonis, recipitur fide ſpiritualiter, ſicuti ſuprà dictum eſt:
Vnde conſequitur, eos qui fidem non afferunt, tantùm ſigna percipere, eſſe tamen
magni ſceleris reos, tum quòd ſigna ipſa indignè perceperint, tum quòd nullam rei
ſignificatæ, id eſt, Ieſu Chriſti & omnium ipſius bonorum, quæ aſpernantur, habue-
rint rationem.
Signũ Baptiſmi, eſt Aqua ipſa qua ex Dei inſtitutione intingimur, In nomine Patris, xxviii
Filij, & Spiritus ſancti. Aqua verò ſignificat ſanguinẽ Ieſu Chriſti, qui fuit pro nobis effu
ſus in remiſsionem noſtrorum peccatorum, vti aqua corporibus noſtris infunditur: &
qui oos ſanctificat, vt iuſtitiæ viuamus, ſicuti ſuperius dictum eſt.
Quanuis autẽ Sacramenta verbum Dei conſequi debeãt, quoniam res cui in noſtris xxix
cotdibus obſignandę inſtituta ſuot, nõ aliter quàm fide recipitur, fides verò eſt ex verbo

Dei:tamē paruulis fidelium infantibus Baptiſmum cōmunicamus,quoniam licet nondum per ætatem nec verbum Dei audire, nec de eo confeſſionem edere poſſint (quod poſtea prouectiores facti debent) tamen cum ſuis parentibus in fœdere comprehēduntur,cuius ideo nota ac ſigillum illis adimi nec poteſt nec debet.

XXX Secundus Baptiſmi vſus eſt, vt ſimul cōiungamur,& omnes eodem Spiritu viuamus in Ieſu Chriſto,cuius omnes eundem characterem ferimus.

XXXI In ſancta Domini Cœna ex ipſius inſtitutione celebrata, nihil immutando nec adimendo nec addendo,Panis eſt Sacramentum,id eſt, ſigillum & nota veri corporis Ieſu Chriſti,qui poſt mortem & reſurrectionem ad dexterā Dei aſcendit. Vinum item nobis eſt Sacramentum veri ſanguinis ipſius pro nobis effuſi:fractio panis oſtendit pretioſum corpus Domini magnis cruciatibus confractum fuiſſe: vini effuſio,ſanguinis effuſionem: Miniſter verò panem & vinū nobis donans,repręſentat nobis Ieſum Chriſtū ſemetipſum nobis donantē.Quòd verò panē & vinū recipimus,edimus,bibimus:teſtatur & obſignat in cordibus noſtris noſtram cum Chriſto vnionem,vt illum magis ac magis cum omnibus ipſius bonis in vitam æternā poſſideamus:eūque nō dentibus vel ore,ſed vera & viua fide apprehēſum, quę nos in cœlū attollit, vt eū ſpiritualiter amplectamur, & tamen veriſſimè,illum ſcilicet noſtrū cibum,in vitam æternam: ſicut panē & vinum corporeo modo & viſibili manducando, corpus noſtrū alitur & ſuſtentatur in hac vita. Non enim dubitamus quin Deus quod per Verbum ſuum promittit & per Sacramēta offert,verè credentibus exhibeat.

XXXII Secundus Cœnæ Domini vſus eſt, vt nos quaſi vnius corporis membra vniat atque cōiungat, ſicut nimirum omnes ex eodem pane è multis granis compoſito edimus:omnes ex eodem vino è multis vuis facto bibimus: vt eiuſdem Chriſti fiamus participes.

XXXIII Sicut verò quotidie ad iſtam vitam ſuſtinendam edendū eſt,ita ad iſtam ſacram mēſam eſt ſæpiſſimè veniendum:quod non fit in Baptiſmo. Satis enim eſt ſemel ingreſſum eſſe in Eccleſiam,ne vnquam ab ea egrediamur.Pręterea quia in Cœna Domini neceſſe eſt vt nos ipſos probemus & mortem Domini annuntiemus, id eſt, publicè profiteamur cum actione gratiarum, inde perſpicuum eſt eam minimè ad illos pertinere qui ad id non ſunt idonei,nempe ad infantes,qui tamen non ideo à ſalute excluduntur, quia ſunt in patrum fœdere comprehenſi: nec quidē ad eos aut qui non fuerunt edocti, aut non ita profecerunt vt de ſua fide confeſſionem facere poſſint.Sed nec ad eos pertinet qui declarati ſunt excommunicati, id eſt, extra communionem & conſortium fidelium legitimo Eccleſiæ iudicio eiecti,tantiſper dum reſipuiſſe conſtet.

XXXIIII Hæc eſt in ſumma noſtræ ſalutis in Ieſu Chriſto per fidem apprehenſo, doctrina: quam quicunque amplectitur (quod non poteſt fieri niſi in iis locis vbi verbum Dei fideliter prædicatur, & Sacramenta purè adminiſtrantur ex ordine per illud Verbum conſtituto)membrum eſt Eccleſiæ Ieſu Chriſti quæ Catholica dicitur, id eſt, vniuerſalis, extra quam nulla eſt ſalus. Omnis verò cœtus qui has notas non habet, quicquid tandem iactet,quantamlibet ſucceſsionem & quæcunque loca oſtentet,nō poteſt aliud eſſe quàm Synagoga Satanæ,in qua eſt damnatio,atque adeò ab illa ſecedendum eſt, vti Petrus iubet quum inquit, *Seruate vos ex iſta generatione peruerſa,* etiam de Aaronis ſucceſſoribus & Eccleſia Ieroſolymitana loquens.

LAVS DEO.

TH. BEZ.

DE
Hæreticis à ciuili Magiſtratu puniendis, ADVERSVS MARtini Bellij farraginem, & nouorum Academicorum ſectam.

QVVM hoc tempore, ſi vnquam aliâs, Eccleſia Dei ab infinitis hoſtium copiis pertinaciſſimè domi & foris oppugnetur, mirum eſt tam paucorum animos ad opē illi ferendam commoueri. Nam alij ſuperiorum temporum pacem & tranquillitatem requirunt, ij ſcilicet quibus id vitæ genus maximè placet quod cum ſumma ignorantia coniunctum eſt: alij deplorandis huius temporis calamitatibus toti ſunt occupati, neque interim de adhibendis remediis cogitant: nonnulli ſecurè hæc omnia deridēt: pauciſſimi verò pro virili his malis occurrere conantur: iique porrò quoties à Dei Spiritu excitati communibus malis occurrunt, tantum abeſt vt à pleriſque recipiantur, vt contrà, ſicut olim Moſi Iſraelis liberatori contigit, innumerabilem in ſe hoſtium multitudinem conciteut, qui ſe illorum conatibus per ſimulationem pietatis opponant. Eius ingrati animi inſigne exemplum nuper ſpectauimus, cuius indignitas fecit vt mihi hoc tempore minimè tacēdum putarē. Quum enim ab hinc annum Deus Optimus, Maximus, iuſtiſſimus iniuriarum ſuarum vindex, Seruetum illum impuriſſimum hæreticum ex Pontificiorū faucibus ereptum, tanquam de manu Geneuenſi Reipublicæ tradidiſſet, per quam homo ille omnium qui adhuc vixerunt maximè impius & blaſphemus, ſcelerum ſuorum pœnas daret: in ea re adminiſtranda eius vrbis ampliſſimus Senatus ac Miniſtri pro ſe quiſque ita ſe geſſêre, vt neque induſtriam ac pietatem in patefacienda ac refellenda illius impietate, neque charitatem ac diligentiam in homine ad pœnitentiam reuocando, neque prudentiā ac fidem in tractanda ipſius cauſa, neque in maieſtate Dei aſſerēda conſtantiā ac animi magnitudinem meritò requiras. Quum igitur in carcerem coniectus eſſet, ecce ſtatim quidam Satanę emiſſarij clamitare cœperunt iniquiſsimum eſſe, Seruetum bonum illum & doctū virum (quem etiam ipſi optimū ſuum fraterculum appellare nō erubeſcebant) ex vinculis apud eos cauſam dicere qui Chriſtianam libertatem iactarent. Deinde quum his clamoribus neminem præter paucos ſui ſimiles commoueri cernerent, omiſſa Serueti ipſius cauſa, animi morbo & impotenti ambitione quaſi æſtu quodam abrepti, ſtomachum omnem ſuum euomere in eos cœperunt quorum vigilantia Seruetum deprehenſum, in vincula coniectum, atque adeò conuictum eſſe intelligebant. Putarunt enim homines aſtuti commodam ſibi oblatam occaſionem ad eorum nomē obſcurandum, quorum ſplendore miſerè iampridem vrebantur: nempe ſi illos calumniati eſſent, Seruetum deferendo, neque Miniſtrorum Eccleſiaſticorum officium feciſſe, neque commodum vllum Eccleſiæ ſpectaſſe, ſed priuatæ ſuæ cupiditati induiſſe pietatis nomen, vt eum à quo erant laceſsiti, per cauſam religionis opprimerēt. Et hæc quidem illi, quandiu in carcere fuit Seruetus, non obſcurè iactare ſoliti ſunt: &, ſicut olim Donatiſtæ, modò ſciſcitari ecquod eiuſmodi exemplum in Scripturis extaret: modò negare Magiſtratum ciuilem in hæreticos ius vllum habere: quinetiam cum ſumma eius Reipublicæ infamia, quoties ſeſe illis offerebat qui huc ad nos veniret, ridentes dicere cum ad alterum Papam proficiſci, eámque Eccleſiam, pietatis ac doctrinæ exem-

Seruetus hæreticus.

h.

pliſ florentiſsimam, impudentiſsimè vociferari nouam eſſe inſtauratę Papiſticæ crudelitatis officinam. Sed neque deterreri potuit fortiſsimus ille Senatus quominus adhibitis in conſilium cęteris Heluetiæ Eccleſiis, in vindicanda Filij Dei maieſtate officium faceret: neque Miniſtri ac Paſtores futilibus iſtorum calumniis abduci quominus palàm orthodoxam de Trinitate defenſionem inſtituerent, ſimúlque hæreticos iure gladii coërcendos, & nominatim de Serueto iure ſumptum fuiſſe ſupplicium, libro edito declararent. Vixdum autem in lucem exierat liber ille, quum boni iſti & clementes hęreticorum patroni nouũ conſilium capiunt. Quia enim illius hæreſes videbant à Chriſtianis Eccleſiis maximo conſenſu damnatas, exiſtimarunt ſi cauſam illius apertè ſuſcipérent, neque ſatis tutò, neque cũ aliquo fructu id ſeſe facturos. Itaque ſic cauſam iſtam agere inſtituerunt, vt de Serueti negotio ne verbum quidem facerent, ſed in genere oſtenderent hæreticos, vt ſacros quoſdam homines, à nullo attingendos, aut certè ciuili Magiſtratui in eos poteſtatem nullam concedi: quum præſertim hoc argumentum propter Antichriſti immanitatem pleriſque gratum ac plauſibile fore exiſtimarent: à quibus poſtquam hoc impetraſſent, impunè poſtea ipſis liceret in orthodoxas Eccleſias graſſari. Sed ne hoc quidẽ niſi admodum callidè & circunſpectè ſunt aggreſsi. Nam neque nomina huic libro ſua inſcribi, neque in perſona ſua pleraque dici voluerunt: ſed farraginem quandam ediderunt, partim ex doctorum & piorum quorundam tum veterum tum recentiorum lucubrationibus mala fide collectam, partim etiam ex ſuis & aliorum quorundam fanaticorum libris conſarcinatam. Addita etiam præfatio eſt eius qui ſynopſim illam collegit, Martini cuiuſdam Bellii nomine, quem hominem ſanè miror quum cæteris in rebus tam audax ſit & temerarius vt gloriam etiam inde captare videatur, tamen in iſta clementiæ propugnatione tam fuiſſe formidoloſum, vt non niſi perſonatus in publicum prodire ſit auſus. Tandem verò vt prioribus poſteriora reſponderent, alius quidam Bellii iſtius conſiliorũ particeps, Baſilii Montfortii nomine refutationem adiunxit eorum quæ pro perſequutione dici ſolent. Ita enim homines ingenioſi ſupplicia appellant quibus nocentiſsimi homines afficiuntur. Et iſtum quidẽ minimè miror in alieno nomine quàm in ſuo apparere maluiſſe. Quum enim illis in quos ſcribebat ſeſe nimis notum eſſe intelligeret, iuſtum ſanè hunc ipſius metum fuiſſe concedo. Sed in eo apparet ſingularis ipſorum audacia, tum quòd auſi ſint illuſtriſſimo illi ac verè Chriſtiano principi Virtebergenſi præfationem illam & indoctam & impiam inſcribere, tum etiam quòd Magdeburgi ciuitatis illius clariſsimę & fortiſsimę nomen apponere ipſos non puduerit. Nam, vt de libro ipſo taceã, certè illa Bellii præfatio talis eſt vt optimum illum Principem, & pios illos Magdeburgenſes ciues non dubitem, ſicut ab eiuſmodi blaſphemiis tota mente abhorrent, ita minimè paſſuros fuiſſe vt quiſque ipſorũ auctoritate ad eas blaſphemias in vulgus edendas abuteretur: eóſque ego ad id inſpiciendum magnopere cohortor, quòd iſti planè digni ſint quorum pœna ac animaduerſione ea ipſa quam aſſerere inſtitui doctrina ſanciatur. De me verò vt aliquid dicam, ita me, fateor, iſtorum facinus vulnerauit, vt me neque natura mea ab omni contentione abhorrens impedire, neque imbecillitas, cuius mihi ſum conſcius, retinere, neque huius argumenti grauitas deterrere potuerit quominus iſtorum audaciæ & impudentiæ me opponerem. Voluntatem autem meam magnopere inflammauit quorundam cohortatio, quorum iudicio ſemper tantum tribui, vt quicquid oneris mihi imponerent, mihi ſuſcipiendum eſſe crederem. Ad hæc accedit quòd idem hoc argumentum viri illi clariſsimi & omni laude maiores, quos, ſicut debeo, honoris cauſa nomino, Philippus Melanchthon, Iohannes Caluinus, Henricus Bullingerus, Volphgangus Capito, ita copioſè & luculenter explicarunt, vt deſcribenda mihi potius quàm excogitanda pleraque fuerint: ídque à nobis factum tantũ abeſt vt fateri me pudeat, vt contrà in tantorum virorum nomine & auctoritate libentiſsimè acquieſcam. Deinde verò hæc qualiſcunque alacritas mea, cæterorũ, quibus ego facilè priores concedo, ſtudium & diligentiam minimè (vt ſpero) extinguet aut retardabit, ſed accendet & incitabit potius, ſi aduerſariorum improbitas hoc poſtularit. Ego quidem certè hanc cauſam ita agere conſtitui, vt niſi me præpoſtera Bellii methodus coegerit, nihil extra cauſam à me dicatur: eámque moderationem tenere decreui, vt nemo bonus ſe à me offenſum fuiſſe, meritò conqueri poſsit. Nam quod iſti ſummopere videntur quæſiuiſſe, nempe vt eum qui defenſionem pararet, cum bonis & piis illis viris committerent, ex quibus ipſi farraginis ſuæ partem deſcripſerunt, hoc à me ſummo ſtudio & cautione vita-

ne vitabitur, quum eos ipſos quorum præſidio abutuntur, tueri, non oppugnare decreuerim. Ita fiet, opinor, vt illorum audacia & impudentia detegatur, iſtorum autẽ dignitas & auctoritas, ita vt æquum eſt, ſarta tecta conſeruetur.

Huius tractationis triplex partitio.

Ergo vt ad rem tandem accedamus, quum triplex ſit nobis quæſtio propoſita: Primùm videlicet, An puniendi ſint hæretici: deinde, An hæc punitio ad ciuiles etiã Magiſtratus pertineat: poſtremò, An capitali etiam ſupplicio poſsit in eos animaduerti: in primis de hæreticis, poſtea de Magiſtratu, poſtremò de quæſtione ipſa diſſeremus. Ex quibus primum illud ita eſt à Bellio & ipſius factione expoſitum, vt eos ſatis appareat hoc vnum quæſiuiſſe vt veritati tenebras offunderent. Alterum verò, quod vel præcipuum erat, penitus eſt prætermiſſum. Sed duplex hîc onus mihi iſtius Bellii vel ignorantia vel (quod potius exiſtimo) improbitas imponit. Facit enim ipſius mirifica doctrina vt qui non ſint hæretici, antè nobis dicendum ſit quàm hæreticos definire poſsimus. Bellius itaque, poſtquam quæſtionem propoſitam abſoluit, tum demum ad hæretici definitionem accedit: quod tamen, inquit, primum omnium ſciri conueniebat. Deinde vt omnia inuoluat, docet hæreticorum nomen nihilo magis quàm auarorum & ſcurrarum infame eſſe: hîcque nouum argumentum torquet de non occidendis hæreticis, quum neque auari, neque ſcurræ occidantur, de quo alibi diſſeremus. Poſtea conqueritur hæreticum vulgò haberi, qui à nobis diſſentiat: & monetam quandã nobis auream cudit quæ vbique locum habeat, quæcunque ſit eius figura.

Quinam ſint hæretici.

Theologiæ aduerſariorũ ſumma.

Credere, inquit, *in Deum Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum, & pietatis præcepta quæ ſunt in Sanctis ſcripturis approbare, aurea eſt moneta, & auro ipſo probatior & exploratior. Sed habet hactenus hæc moneta diuerſas imagines, dum homines inter ſe de Cœna, de Baptiſmo, & cæteris huiuſmodi rebus, id eſt,* (vt initio præfationis ipſum ſcribere non puduit) *de ipſius Chriſti ſtatu & officio, quomodo ſit vnum cum Patre, item de Trinitate, de prædeſtinatione, de libero arbitrio, de Deo, de Angelis, de ſtatu animarum poſt hanc vitam, diſſentiunt: quæ res* (ô blaſphemiam Bellij & impietatem horrendam!) *neque ad ſalutem per fidem obtinendam vſqueadeò cognitu neceſſariæ ſunt, neque cognoſci poſſunt antequam cor mundum habeamus: neque ſi ſciantur, hominem reddunt meliorem.* Hæc enim eſt iſtorum theologiæ ſumma, quæ à nobis alio loco planius explicabitur. Nunc videamus quomodo nõ ex vulgi opinione, ſed ex Sacris literis doceat quis ſit hæreticus appellandus. Atque hoc loco Lector, quiſquis es, mecum obſecro conſidera quæ ſit iſtius in Scripturis interpretandis vel peritia, vel dexteritas, vel fides. *Hæreticus,* inquit, *is eſt qui rite admonitus non obtemperat.* Itáne verò Belli? Certè ſi ita ſe res habet, quid ſupereſt niſi vt regiones & ciuitates, quid ciuitates dico? imò familias, imò ſingulas domos hæreticis plenas eſſe dicamus? Sed ne calumniari videar, audiamus etiam qua ratione iſta definitio confirmetur. *Quia* (inquit) *Paulus ad Titum ſcribens iubet vt hæreticum hominem poſt vnam atque alteram admonitionem deuitet. Reſpondet autem hic locus præcepto Domini quod ſcriptum extat apud Matthæum, Si peccauerit in te frater tuus. Nam quod Paulus vocat hæreticum, Chriſtus dicit, Si te aut alios non audierit: & quod Paulus dicit, Deuita: id Chriſtus dicit, Sit tibi ſicut ethnicus & publicanus.* Reſpondeo, optimum quidem modum explicandi Scripturas hũc eſſe vt ex collatione locorum exponantur, ſitque Spiritus ſanctus ſuiipſius interpres: ſed iſtius collationis myſteria quis tandem intelliget? Sic enim colligit. Habere pro ethnico & publicano, idem valet quod Deuitare. Si te aut alios non audierit, idem pollet quod, Repetitæ admonitioni non parêre. Ergo & à Chriſto & à Paulo hæreticus is dicitur qui ritè admonitus non obtemperat. Atqui etiam ſi illud quod aſſumitur concedamus, tamen hanc conſecutionem nemo ſanus concedet, niſi prius oſtendatur vnum eſſe genus hominum admonendum: & niſi paruerit, deuitandum. alioqui excipiemus de diuerſis iſta intelligi poſſe: vt ſanè debent. Nã quis non videat apud Matthæum tradi Chriſtiani cuiuſuis officium in priuatis offenſionibus, aut certè eiuſmodi vt palàm non ſint manifeſtæ? Publicas enim palàm argui Paulus iubet, & hanc rationẽ ipſe in Petro redarguendo ſequutus eſt. Idem autem ad Titum ſcribens, quum Epiſcopum inſtituat, ea certè præſcribit quæ ad miniſterii publici rationem, non ad priuatum cuiuſque officium pertinent: ſicut ex tota Epiſtola apparet. Hæc autem eſſe diſtinguenda quis non videt? Deinde hoc non fuit prætermittendum, apud Matthæum quidem triplicis admonitionis, eiúſque diuerſæ: apud Paulum autẽ duplicis tantùm fieri mentionem. Poſtremò ipſum vocabuli etymon quod poſtea tradit Bellius, docere ipſum potuit ac debuit non omnibus peruicacibus hæretici nomen conuenire, ſed iis demũ qui ab Eccleſia deficientes, ſectam ſiue factionem peculiarem inſtituunt. Quod autẽ huc

Refutatio definitionis hæretici, quam affert Bellius

Tit.3.c.10.

Matth.18.c.17.

1.Timot.5.d.20.

Galat.2.c.14.

Matth.10.b.14. etiam illud refert, *Excutite puluerem pedum veſtrorum*: refutatione non eget. Satis e-
nim conſtat id in eos dici qui Euangelium oblatum penitus reiiciunt: quod quæ ra-
tione conueniat iis qui vel in priuata vita aliquid peccant, vel in religionis capitibus
quibuſdam à communi opinione diſsident, ego ſatis videre non poſſum. Certè diſtin-
guenda hæc eſſe, nemo negare poteſt. Poſtremò verò vt comparationem iſtam abſol-
uat, hæc quoque adiungit: *Quod Paulus dicit eum ita peccare vt ipſe per ſeipſum damnetur: illud eſt*
quod continuò addit Chriſtus, Quæcunque ligaueritis in terra, erunt ligata in cælis. At ego quanuis
concedam, meritò à fidelium conſortio hæreticos excludi, idque Eccleſiæ iudicium à
Deo ratum haberi, imò etiam pro criminis & blaſphemiæ magnitudine è viuorum nu-
mero interdum illos exturbari oportere, nego tamen in eo Pauli loco agi de publica hę-
reticorum excluſione: ſed admoneri Titum vt quos repetita admonitione ad ſanam
doctrinam reuocare non potuerit, eos poſtea miſſos faciat: *quia*, inquit, *eiuſmodi ho-*
Tit.3.a. *mines noſti euerſos eſſe, & peccare, quum per ſeipſos ſint damnati*: quaſi diceret, cum eiuſ-
modi hominibus nihil profici poſſe diſputando. Fruſtra enim cum eo diſceptes qui ad
diſputandum malam conſcientiam afferat: & qui ſuæ conſcientiæ iudicio non ce-
dit; quomodo aliorum rationibus ſuperetur? Et de illa quidem Belliana definitione
hactenus.

Porrò videamus quanto felicius ille diuidat quàm definiat: *Sunt*, inquit, *hæreticorum*
Refutatio Bellianę diuiſionis hæreticorum. *ſiue pertinacium duo genera: Alij enim ſunt in moribus pertinaces, vt auari, vt ſcurræ, vt luxurioſi, vt*
ebrioſi, vt perſequutores, vt cæteri qui admoniti non ſe corrigunt. Alij ſunt in rebus ſpiritualibus & do-
ctrina pertinaces, & his quidem propriè hæretici nomen conuenit. Eſt enim hæreſis Græcum verbum
quod ſectam ſiue opinionem ſignificat. Vnde qui vitioſæ ſectæ aut opinioni tenacius adhærent, hæretici
dicuntur. Verba ſua Bellius agnoſcit, vt opinor. Quia verò diuiſionem ſuam exemplis
illuſtrat, age, hanc etiam partem conſideremus: *Tales erant*, inquit, de prioribus loquens,
Iudæi, Scribæ, Phariſæi, & Chriſti conterranei, propter quorum duritiam cordis Chriſtus non potuit ibi
multa facere miracula. Pro exemplo poſteriorum, Hananiam illum proponit, de quo apud
Ierem.28.a.a. Ieremiam agitur. Atqui multa ſunt in his reprehendenda. Primùm enim quum hæc
tota diuiſio eo nitatur quòd quicunque pertinaces ſunt, eos pro hæreticis habet, id au-
tem falſum eſſe antè docuerimus, euerti hanc diuiſionem neceſſe eſt. Sed age aliquos
etiam in moribus hæreticos concedamus. Qui enim rectè vitam inſtituant, quicunque
2.Tim.3.b.8. 2.Petri 2.b.10 veræ religionis viam ingredi recuſant? vt eos meritò Apoſtoli, tanquam omnibus vi-
tiis obnoxios reprehendant. Hoc tamen pernegamus, quicunque in malis moribus
ſunt pertinaces, eoſdem hæreticos eſſe: ſed eos demum qui quum veram religionem
ore profiteantur, tamen ſeſe & alios in malis moribus falſa quadam opinione confir-
mant: quales olim fuerunt (vt cæteros omittam) Carpocratiani, quorum hæreſim hoc
noſtro ſeculo Libertini renouarunt, qui turpis & honeſti diſcrimen omne tollunt: item
Anabaptiſtæ, à quibus legitima matrimonia & Magiſtratus damnantur, quique par-
ricidia fanaticis ſuis reuelationibus defendunt. Iſtos, inquam, etiam in moribus hære-
ticos eſſe concedo: quãuis iſtam hæreticorum appellationem prauis potius opinioni-
bus quàm factis mereantur. Nam ſiquis ex noſtris eadem committat, & tamen ſeſe pec-
care fateatur, eiuſmodi hominem non hæreticum, ſed ſceleratum potius vocabo. Iu-
dæos autem & Turcas, qui noſtram religionem nunquam ſunt amplexi, non hæreti-
cos, ſed infideles appellabo: etiamſi alioqui omnibus virtutibus humanis excellant.
Nam alterum quoque diuiſionis membrum in eo vitioſum eſſe dico, quòd eo compre-
hendantur quicunque vitioſæ opinioni tenacius adhærent: quum hoc ego præterea in
omni hæreticorum genere requiri dicam, vt cum recepta Eccleſiæ doctrina ciuile bel-
lum gerant. Sed in eo apertius etiam errat, quòd inter eos quos in moribus hæreticos
eſſe vult, Iudęos, Scribas & Phariſæos, & Chriſti conterraneos recenſet: ſicut eorũ qui
in doctrina ſunt hæretici, exemplum eſſe vult Hananiam. Primùm enim, obſecro, ex
qua tandem Dialectica orta eſt eiuſmodi partitio, Iudæi, Scribæ, Phariſæi? Iſtiuſmodi
autem hominum externa certè vita, maxima ex parte laudabilis erat, vt ex tota Euan-
gelij hiſtoria apparet. Neque enim vt apertè ſcelerati, ſed partim vt hypocritæ repre-
henduntur, partim etiam quòd ſuis commentis verum Dei cultum obſcurarēt. Quam-
Matth.23.a.3. obrem quum dixiſſet Dominus, *Quæ dicunt facite, ſecundum opera eorum nolite facere*:
paulò pòſt declarat quid in eorum operibus reprehenderet, nempe quòd pietatem
ſimularent. Quare hypocritas potius quàm hæreticos vocare oportuit, niſi doctrinæ
ratio habeatur, quam verè poſſumus hæreſim appellare. Quòd autem addit Chriſtum
idcirco

idcirco eos deuitaſſe, quum diceret, *Ecce relinquetur domus veſtra deſerta*, magnam e- Matth.23.d.38.
tiam reprehenſionem meretur. Quum enim hoc pertineat ad eam Hieroſolymorum
euerſionem qua Dominus ſui contemptum iure vindicauit, ecquis non videt hunc lo-
cum aliorſum malè detorqueri? De Chriſti autem conterraneis quid dicam? Hi Chri- Matth.13.g.58
ſti doctrinam repudiabant, ideóque virtutes apud eos paucas edidit Dominus propter
incredulitatem eorum. Ergo non modò ſceleratos, hypocritas, incredulos cum hæreti-
cis, ſed opiniones etiam cum moribus, iſta diſtributio confundit. Nam de Hanania, Ierem.28.a.1.
quem vult in doctrina hæreticum fuiſſe, hoc ſcripſit Ieremias, Quum ipſe ex mandato
Domini imminentem calamitatem annuntiaret, Hananiam contraria omnia futura
prædixiſſe, ideoque ſe illi paulò pòſt ex mandato Domini nuntiaſſe fore vt quia receſ-
ſum à Domino loquutus eſſet, intra eum annum moreretur. Bellius igitur, quia hic fit
receſſus mentio, ſtatim hæreticum illum, ídque in doctrina, pronuntiat. At ego, ſi hoc
factum ſpectes in quo non de ipſa religione, ſed de re quadam futura vel non futura diſ-
ceptabatur, pro ſcelerato potius aut mendace quàm pro hæretico habendum dico: ſin
autem hoc potius conſiderat quòd populum in diuerſam factionem diſtraheret, ſchiſ-
maticum tamen, non hæreticum appellabo, niſi diuerſæ religionis doctorem eum fuiſ-
ſe probetur. Et hæc quidem ille: ex quibus tantũ abeſt vt qui ſint pro hæreticis ex Scri-
ptura iudicãdi, & quot ſint eorũ genera percipere potuerim, vt contrà non poſſim ſatis
admirari, hominem qui id ipſum de quo quæritur vel penitus ignoret, vel ſcire ſe diſſi-
mulet, tamen Magiſtratus officium ita ſuperciliosè definire, vt falſæ clementiæ & hu-
manitatis ſpecie oppoſita, tot fideles Eccleſias, tot Chriſtianos principes, tot pios &
eruditos verbi Dei miniſtros minimè ipſum pudeat vt carnifices & perſequutores ac-
cuſare. Sed age, nos etiam qui ſint hæretici, & quot ſint eorum genera quæramus. Ho- Quinam verè hæretici.
mines igitur in duas veluti ſpecies diſtinguo. Vna eorum eſt qui veram & vnicam, id
eſt, Chriſtianã religionem palàm repudiant, ſuntque ab Eccleſia prorſus alieni, quos Infideles.
peculiari nomine Infideles vocamus: quales ſunt in quibuſdam regionibus Idolola-
træ, Turcæ, Iudæi, & ſi qui ſunt alij qui ne de nomine quidem ſe Chriſtianos profitean-
tur. Nam de Idololatris Epheſiis hoc apertè teſtatur Apoſtolus: *Eratis*, inquit, *Deo* Epheſ.2.c.12.
carentes in mundo. Quod quomodo intelligendum ſit, paulò antè explicarat, quum
eos abſque Chriſto, ſiue ſeparatos à Chriſto fuiſſe diceret. Quam regulam ſi ſequamur,
(vt ſanè ſequi debemus) reiecto illo Bellii adulterino nummo, & Turcas & Iudæos ni-
hilo minus quàm Epheſios idololatras, inter infideles ſiue *αθέους* recenſebimus. *Quiſquis*
enim Filium negat, inquit Iohannes, *is ne Patrem quidem habet.* Filium autem negat, qui 1.Iohan.2.d.23.
Chriſtum pro æterno Dei Filio, qui in carne venit vt per eum vnum ſeruaremur, non
agnoſcit. Quamobrem Dominus de Iudæis diſertè loquens, *Si Moſi credidiſſetis*, in- Iohan.5.f.46.
quit, *credidiſſetis & mihi.* Altera ſpecies eorum eſt qui Chriſtianam fidem amplexi,
ſeſe regni Dei ciues eſſe profitentur. Iam verò quia prædixit Dominus, quod euentus
poſtea confirmauit, regnum Dei ſimile eſſe verriculo in mare proiecto, quod ex omni
piſcium genere colligit: apparet non vnum eſſe ciuium huius regni genus. Nam (vt ve-
rè fideles excipiam, qui ſunt numero pauciſſimi, id eſt, qui Chriſtianæ doctrinæ ſolidam Fideles.
ſyncerámque cognitionem habent, ſéque totos Chriſto cõſecrarunt,) nonnulli, quan-
uis Chriſtiani videri velint, tamen Chriſtianam vitam aut ſimulatè tantùm ſectantur,
Iudam illum proditorem imitantes: aut ita vitam inſtituunt, vt non Spiritum Dei, ſed
diaboli in ipſis regnare, tota ipſorum vita teſtetur. Eos Auguſtinus malos Catholicos Hypocritæ.
appellat: Scriptura verò hypocritas, immorigeros, carnis filios, perfidos, atque adeò
etiam incredulos. Nam, vt ait Iohannes, *Qui dicit*, *Noui eum*, *& præcepta eius non ſer-* 1.Iohan.2.a.4
uat, *mendax eſt*, *& veritas non eſt in eo.* Rurſus non deſunt qui & doctrinam appro-
bent, & alioqui inculpatè viuant, ſed tamen offenſione aliqua animorum, aut leuita- Schiſmatici.
te, aut aliorum calumniis impulſi, diſſidia faciunt in Eccleſia: ſicut olim apud Corin-
thios alij Cepham, alij Paulum, alij Apollo iactabant. Ii quum diſcipulos nacti ſunt,
ſchiſmata gignunt in Eccleſia, quæ tandem in hæreſes degenerant: quum iam abalie-
natis animis huc eos impellit Satan, vt præpoſtero quorundam odio vel amore, in per-
ſonis ipſis hærentes, non modò alios aliis anteferant, ſed paulatim etiam homines ip-
ſos odiſſe, & quæcunque ab eis dicuntur aut fiunt, ſine iudicio improbare incipiant. Ea
cauſa eſt cur Auguſtinus alicubi hæreſin eſſe dixerit inueteratum ſchiſma: quum tamẽ Auguſt. libro ad Creſconium ſecundo.
ſchiſma propriè ſit eadem ſentientium ſeparatio: quam Creſconij definitionem ne Au-
guſtinus quidem ipſe magnopere reprehendit. Poſtremò nonnulli non tam in moribus

Errantes in fide. quàm in doctrina ab Orthodoxis diſſentiunt, idque interdum vel ingenij infirmitate,
vel negligentia, vel conſuetudine quadam errandi inueterata, & per manus accepta:
2.Pet.2.a.4. aut denique quorundam fraude, qui nondum ſatis in veritate confirmatos animos ine-
ſcant: interdum perfidia & improbitate, quum tranſuerſos nos rapit odium Dei, auari-
Galat.5.c.19. tia, ambitio, libido, cæteræque eiuſmodi cupiditates quæ Spiritum Dei repellunt.
Quòd ſi diuerſitatem eorum qui in doctrina ab Orthodoxis diſſident contrahere vel-
lemus, eamque gradatim ad pauciores, poſtremò deducere ad ſingulos, infinitas quæ-
dam errorum naſceretur. Sed neque hoc nobis propoſitum eſt, neque fortaſſis etiam
præſtari poteſt: adeò in his malis gignēdis fœcundum ac ferax eſt humanum ingenium.
Infirmi. Licet tamen nobis hos omnes tertij generis adulterinos Chriſtianos in duo rurſus ge-
nera partiri. Nam alij doceri ſe patiuntur: & quanuis non ſtatim deduci poſſint de ſen-
tentia, tamen adeò ſibi non placent vt in Eccleſia turbas vllas excitent. Alij inuicta per-
Rom.14.& 15 Philip.3. tinacia & improbitate, quia ſunt (vt Paulus vocat) *αὐτοκατάκριτοι*, nō modò veritati re-
ſiſtunt, ſed etiam Eccleſiæ pacem & concordiam lacerant. Vtroſque ſolet Scriptura er-
rantes dicere: ſed illos peculiariter vocat infirmos in fide: iubetque tantiſper tolerari
Ad Tit.3.c.10 dum illis Dominus ea quæ ignorant reuelauerit. Iſtos verò Paulus ad Titum ſcribens,
hæreticos appellat, & poſt vnam atque alteram admonitionem, etiam ab Epiſcopo de-
Hæretici. uitandos cenſet. De his autem quum nunc à nobis potiſſimùm quæratur, eos à cæteris
accuratè & diligenter diſtinguemus. Hæreticos igitur ſiquis infideles, ignorantes, apo-
ſtatas, aberrantes à veritate, præfractos vocauerit, titulis quidem veris illos ornauerit,
ſed quos habent cum aliis multis communes, in quibus vel religio, vel vita, vel vtrun-
que meritò reprehenditur. Hæc eſt verò propria & peculiaris nota qua à cæteris diſtin-
guuntur: quòd ſuæ perfidiæ (quā præfractè tuentur) quaſi ludum aperiunt, & diuerſæ
doctrinæ factionem, quantum in ſe eſt, vel in Eccleſiam Dei inuehunt, vel ab aliis in-
uectam fouent. Nam alioqui, ſi animorū non opinionum diſſenſio fuerit, ſchiſmaticos
eiuſmodi homines, non hæreticos dices: quanquam quicunque ſunt hæretici, iidem
etiam ſchiſmatici, id eſt, concordiæ & conſenſionis Eccleſiaſticæ diſſipatores ſunt. Hæc
autem diſtinguuntur priore ad Corinthios Epiſtola, & ita quidem, vt hæreſis pro gra-
uiore crimine habeatur. Sic enim ego quoque locum illum interpretor, vbi ita ſcribit
1.Cor.11.d.18. Apoſtolus: *Audio*, inquit, *ſchiſmata inter vos eſſe, & aliqua ex parte credo: oportet enim &*
ſectas inter vos eſſe. quaſi diceret Apoſtolus, facilè ſe credere eos non eadem eſſe animi
voluntate, quum etiam grauiori malo Eccleſiæ Dei ſint obnoxiæ, nempe opinio-
num diſſenſioni, quam hæreſin appellat. Alibi quoque *διχοστασίας*, id eſt, diſſidia ab
Galat.5.d.20. hæreſibus apertè diſtinguit: vt *διχοστασία* idem prorſus valeat quod *σχίσμα*: niſi illud ad-
das quod alio loco Apoſtolus adiunxit, hæreticos quidem nominatim non appellans,
ſed planè definiens. Quum enim fratres admonuiſſet vt eos obſeruarent qui diſſidia &
Rom.16.c.17. ſcandala faciunt, illud etiam adiungit, *Contra eam doctrinam quam didiciſtis*. Hæc igitur
duo quum inciderint, hæreſis erit ex hac Apoſtoli definitione, qua nullam meliorem
quærere debemus. Nam & alibi iiſdem prorſus notis depingit, ſicut Epiſtola ad Ti-
1.Tim.6.a.3. motheum priore: *Siquis*, ait, *ἑτεροδιδασκαλεῖ*, id eſt, diuerſa docet, *neque acquieſcit ſanis*
ſermonibus. Vides, Belli, præter pertinaciam, eamque propriè non in moribus, ſed in
doctrina, etiam *ἑτεροδιδασκαλίας* requiri. Idem Epiſtola ad eundem poſteriore, de Phi-
2.Tim.2.c.18 leto & Hymenæo hæreticis loquens, non tantùm circa veritatem aberraſſe dicit, ſed
etiam quorundam fidem ſubuertere. Quamobrem paulò antè eorum orationem gan-
grenæ comparauit. Nam alioqui aberrare humanum eſt: Eccleſiam autem poſt iuſtam
atque repetitam admonitionem ſcindere, eorum demum eſt quos Apoſtolus in eadem
2.Tim.3.d.13. Epiſtola *πλανῶντας καὶ πλανωμένους* appellat, id eſt, errantes, & alios in errorem inducen-
tes. Petrus quoque hæreticos deſignans, animas inſtabiles dicit ab ipſis ineſcari: & ple-
2.Pet.2.a.1. nam eorum definitionem tradit cum Paulina prorſus conſentientem: *Inter vos*, inquit,
erunt falſi doctores qui clàm inducent hæreſes ſiue ſectas exitiales. Ex quibus verbis, vt rem o-
mnem in pauca conferamus, ſic nobis conſtituere licebit: Hæreticum eum eſſe qui
pietatem quidem prætexit, ſed tamen non modò ſanis Eccleſiæ ſermonibus ſemel at-
que iterum admonitus non acquieſcit, verùm etiam falſa propoſita vel aliis accepta
doctrina, Eccleſiæ pacem ac conſenſionem dirimit. Idque ipſa verbi notatio declarat.
Hæreſis enim Græcum eſt vocabulum, quod initiò quidem laudis erat, adeò vt illud
Act.24.c.14. Paulus alicubi non inficietur: ſed tandem conſuetudine loquendi in vitio poni cœpit,
1.Cor.11.d.19 pro vitioſo dogmate aut factione quam aliquis contempto Eccleſię Dei iudicio ſibi ſe-
quendam

quendam delegerit.

Cæterùm quia non vnum eſt hæreticorum genus, quomodo diſtingui poſſint conſideremus. Id verò haud ſcio an ſatis commodè à quoquam, nedum à nobis, præſtari poſsit, quum antiquo illi aduerſario noſtro infinitæ ſint nocendi artes, & fœcundiſsimum in omnes gignendos errores ingenium. Quamobrem minimè conabimur varias hæreſewn ſpecies ex ſui natura & indole æſtimare. Tantùm dico, quanuis non poſſit non eſſe grauiſſimum hæreſeos crimen, quoſdam tamen illius gradus ex circunſtantiis conſtitui poſſe. Grauius enim peccat qui hæreſis vel nouæ vel interpolatæ dux eſt & auctor, quàm qui aliorum fraude in aliquam hæreſin eſt impulſus: & quo diuturnior fuit peruicacia, tanto atrocius eſt crimen. Item qui ſcriptis libris hæreſin paſsim diuulgauit, grauiore crimine tenetur quàm qui verbis tantùm vnum & alterum docuit. Deinde verò ſi rei ipſius naturam ſpectemus, quanuis in Chriſtianæ religionis ædificio quælibet non modò ſint vtilia, ſed etiam neceſſaria, vt omnibus ſuis partibus ſtructura conſtet, quædam ſunt tamen eiuſmodi vt etiam ſi ſubſtrahas, ædificium non corruat. Itaque pro rei de qua diſceptatur conditione criminis eſt æſtimatio ineunda. Sed illud quoque diligenter proſpicere oportet, vt non id duntaxat conſideremus in quo propriè erratur, ſed etiam quicquid ex eo conſequitur. Eſt enim quędam inter ſe cauſarum perpetua connexio, quam ſiquis accuratè expendat, ſæpe comperiet id quòd alioqui leue aut tolerabile videri poterat, tanti eſſe momenti vt niſi maturè occurratur, totius religionis ruinam ſecum trahat. Quod qui non conſiderarunt, ſæpenumero, quanuis alioqui boni & pij homines eſſent, aut ipſi in periculoſos errores per imprudentiam lapſi ſunt, aut nimia quadam naturæ lenitate maximis erroribus aditum patefecerunt. Sed hæc & plæraque alia quum ſint eiuſmodi vt in vna & perpetua regula comprehendi non poſsint, pro re nata ſpectari debent.

Quotuplices hæretici.

His autem explicatis, age ad Magiſtratus definitionem ac diuiſionem accedamus. Ad hæc verò conſtituenda, vnde potius initium dicendi faciam quàm à præcipuo illo fine ad quem reſpicere Magiſtratum oportet qui rectè munere ſuo defungi conſtituerit? Quum ergo omnia concilia, cœtúſque hominum iure ſociati, quas Ciuitates vocamus, hunc vltimum finem ſpectent, vt quàm feliciſsimè viuant: vt autem ad eum finem perueniatur, certas leges perferri neceſſe ſit, & earum legum aliquos cuſtodes ac vindices conſtitui, quos generali vocabulo Græci ἀρχὰς, Latini Magiſtratus appellant: ſatis conſtat, ni fallor, eum eſſe Magiſtratum qui ex ciuium conſenſu publicæ illius pacis ac tranquillitatis cuſtos eſt declaratus: quæ quidem pax à legum obſeruatione pendet, in quibus totius ciuitatis ſalus conſiſtit. Sed hoc quoque deinceps conſideremus, an felicitas illa ciuitatis, ad quam veluti ſcopum reſpicit Magiſtratus, in iis duntaxat verſetur quæ ad publicam viuendi rationem ſpectant, an verò etiam in iis quæ ad priuatum cuiuſque officium pertinent. Quum igitur hoc eſſe conſtet Magiſtratui propoſitum, vt Rempublicam ſuam quàm optimam efficiat: (eadem enim, opinor, feliciſsima eſt quæ & optima,) ſit autem optima illa in qua plurimi ſunt boni ciues: ciuis autem bonus eſſe vix quiſquam poſsit qui non idem ſit vir bonus, aut vt eſſe poſsit aliquis, nemo tamen dubitet quin ſiqui ſunt priuatim & publicè boni, meritò ſint illis anteponẽdi qui quum alioqui mali viri ſint, tamen boni ciues exiſtunt: quum hæc, inquam, ita ſe habeant, ſic conſtituo, hanc vel præcipuam Magiſtratus curam eſſe oportere, vt quoad eius fieri poterit, omnes, non tantũ bonos ciues, ſed etiam bonos viros habeat. Rurſum verò quia is demum vir bonus eſt qui officium ſuum facit: quod quidem (vt profanis etiam Philoſophis placet) duabus potiſsimum in rebus verſatur, in Dei cultu videlicet, & hominibus adiuuandis: nemo non videt Magiſtratui prouidendum eſſe vt hæc omnia in Republica rectè & ordine obſeruentur. Quamobrem quanuis iuuentutis educatio, & ſingularum familiarum recta & honeſta gubernatio ad parentes & patresfamilias propriè pertineat, Magiſtratus tamen officium eſt efficere vt quiſque munus ſibi iniunctum præſtet, quatenus quidẽ Reipublicę intereſt, non modò nequis re ſua (vt loquuntur Iuriſconſulti) ſed etiam vt ne ſeipſo quidem malè vtatur. Multò minus autem dubitari poteſt quin religionis ac pietatis cura vel præcipuè ad Magiſtratum pertineat; quæ niſi ſanctè & integrè obſeruetur, fieri non poteſt quin iræ Dei, ac proinde omni calamitatum generi Reſpublica obiiciatur: in quo nobiſcum ipſi quoque Philoſophi faciunt. Ergo niſi fallor, Magiſtratum expreſsius definierimus, ſi eum eſſe dicamus qui in Republica conſtitutus eſt ad omnium rerum tum publicarum, tum priua-

Magiſtratus origo, definitio & officiũ, ex Philoſophorũ libris.

tarum, tum ſacrarum, tum profanarum εὐταξίαν conſeruandam, vt ciues eius Reipublicæ cui præfectus eſt, quàm optimè & feliciſsimè viuant. Sed quia hæc à nobis Philoſophicè potius quàm Chriſtianè ſunt diſputata, eadem illa videndum eſt quomodo ad noſtram, id eſt, Chriſtianæ Eccleſiæ rationem transferamus. Dico igitur idcirco conditum eſſe mundum, vt in eo collocati homines opificis Dei gloriæ ac maieſtati pro ſe quiſque inſeruirent. Quamobrem quicunque in deſcribendis officiis felicitatem hominis pro vltimo fine propoſuerunt, eos neceſſe fuit à ſcopo aberrare. Deum enim propter ſeipſum ab omnibus colendum eſſe dicimus, atque ad eius laudem & gloriã priuata & publica omnia officia referenda. Eſt enim mundus iſte vnius vrbis inſtar, Oceano veluti mœnibus circundatæ, in qua omnes homines oportuit ciuitatem vnam efficere, quæ Dei laudes prædicaret. Sed iam inde à Caino & Abele (vt præclarè docet Auguſtinus) homines Satanæ blanditiis illecti In duas ciuitates diuiſi ſunt, eáſque inter ſe ex diametro oppoſitas. Vna enim ſua vnius commoda quærit, ſuaque prudentia nititur: Deum vel penitus aſpernatur, vel eum ex ingenio ſuo mentita, commentitio cultu colit: idque vel prorſus ſimulatè, vt ii faciunt qui religionem vulgi tantùm cauſa excogitatam eſſe putant: vel ſiqui ſunt inter eos non vſqueadeò amentes & inſani, idcirco tantùm vt eum à quo ſibi metuunt, vel à quo maximum aliquod bonum expectant, ſibi placatum ac propitium habeant. Homines certè inſani, qui ſibi perſuadere poſſint Deum in deligendis ac probandis amicis magis quàm ipſos homines cæcutire. Altera verò ciuitas tota Conditori ſuo eſt addicta, adeò vt nihil niſi ex eius voce & imperio ſibi faciendum putet, ſuaque tum publica tum priuata ſtudia ad illius gloriam ac laudem amplificandam accommodet. Ac de illa quidem diſſerere non propoſui: de iſta verò paulò copioſius dicemus, vt non modò præcipui Magiſtratus officium, ſed etiam quódnam ſit ſingularum eius ciuitatis partium munus intelligamus. Eſt igitur in orbe vniuerſo vna tantùm Eccleſia, ceu ciuitas quædam Chriſtiana, quæ ex ciuium ſocietatibus pluribus conſtat. Neque verò hoc loco ſocietates appello diuerſos ciuiũ ordines, vt Romæ in vna ciuitate erant Senatores, Equites, plebeii: (quanuis etiam ciuium gradus ac diſcrimina in Eccleſia agnoſcamus) ſed hoc dicimus, quia fieri non potuit vt omnes Eccleſiæ ciues eodem loco habitarent, ideo in diuerſos cœtus eſſe diſtinctos, quorum ſinguli præter ius illud ciuile quod toti ciuitati commune eſt, ius etiam quoddam municipale haberent. Ius ciuile hoc quidem loco vocamus in primis verbum Dei ſcriptum, cui ex æquo omnes Reipublicæ Chriſtianæ ſiue Eccleſię ſocietates parent: deinde idipſum quod Iuriſconſulti vocant ius gentium, id eſt, leges quaſdam ex communibus notitiis ortas, quibus humani etiam generis ſocietates omnes continentur. Ius autem municipale, partim cęremonias ad externam religionis politiam pertinentes, quas pro locorum, temporum & perſonarum ratione variati neceſſe eſt: partim autem peculiares ſingularum ciuitatum leges ad ciuilem vitam & mutua hominum inter ſe commercia ſpectantes: vt vtrunque hoc ius tum ciuile tum municipale partim Diuinum ſit, id eſt, ad Dei cultum & conſcientiam ſpectans, partim ad humana negotia & externam vitam pertinens. Cęterùm quia his legibus primùm omnium aſſentiri ciues oportet: (quod facere non poſſunt niſi prius quęnam illę ſint intelligant) vnum autem opus (vt rectè dixit quidam) ab vno optimè perficitur: idcirco Dominus ac Deus noſter qui hanc Eccleſiam condidit, primùm omnium iuris illius ciuilis ad conſcientiam pertinentis & à ſe conſtituti certos interpretes voluit ritè conſtitui, qui in ſingulis cœtibus conſcientias ciuium partim voce, exemplo, & oratione ad eas leges cognoſcendas ac probandas adducerent: partim etiam doctrina & coercionibus quibuſdam, quarum ipſe formulam conſtituit, ex Senatus Eccleſiaſtici ſententia in officio continerent. Deindę verò quia fruſtra leges ſcribantur, niſi qui ſint earum cuſtodes ac vindices: idem Deus Optimus Maximus, voluit in ſingulis hominum cœtibus veluti imaginem quandam ſummæ ac ſupremæ ſuę poteſtatis, quoſdam apparere, de quibus loquens, *Ego dixi*, inquit, *dij eſtis*. Quidni enim eum quaſi alterum Deum eſſe dicas cui non tantùm propter iram, ſed etiam propter conſcientiam ſubiectos eſſe oporteat quicunque in aliqua Republica homines degunt, quíque à Deo vitę ac necis poteſtatem acceperit? Sed hîc quoque adhibenda diſtinctio eſt, vt quibus finibus circunſcribenda ſit Magiſtratuum poteſtas, intelligamus. Quanuis enim ſumma illa ſit in terris, minimè tamen eſt infinita: neque quum hoc ius illis diuinitus traderetur, id eſt idcirco factum, quaſi Deus terrarum imperio & adminiſtratione cederet, imò

Marginal notes:
Eadem ex ſacris libris.
Prouerb.16.a.4.
Duæ ciuitates: vna Dei, altera Diaboli.
De ciuitate Dei.
Ius duplex ciuitatis Dei, id eſt, Eccleſiæ.
Eccleſiaſtica iuriſdictio.
Ciuilis iuriſdictio.
Pſalm.82.b.6.

imò verò potius vt ipſe, cuius ſplendorem ac maieſtatem homines ferre non poſſunt, in
hominum perſona inter nos regnaret. Itaque quum veluti duplex ſit hominis vita: v-
na exterior & ciuilis tota, altera interior & conſcientiam reſpiciens: ducem quidem
vtriuſque & gubernatorem eſſe Deum oportet, ſed quod ad illam partẽ attinet, Deus Leges humanæ.
partim prioris illius lucis reliquias in hominũ animis ſupereſſe voluit, quę ipſis ad hanc
vitam tranquillè tranſigendam prælucerent: partim verò, nequis totum hoc munus
communi hominum naturæ acceptum referret, peculiaribus quibuſdam donis eos
ornare conſueuit, quibus tanquam inſtrumentis ad cæteros regendos vti conſtiruit. I-
ſtorum igitur munus eſt politicas leges condere, id eſt, ad vitam externam pertinen-
tes, ea tamen adhibita moderatione vt nihil conſtituat quod iuri illi ciuili diuino, cu-
ius in tota Eccleſia præcipuæ partes ſunt, aduerſetur. Nam alioqui tyrannus eſt, atque
poteſtate à Deó ſibi conceſſa abutitur. Sed in iis quæ tum ad Dei cultum tum ad mu- Lex diuina.
tuam inter ſe hominum charitatem ſpectant, non tam latè patet Magiſtratuum facul-
tas, cuiuſcunque tandem gradus illi ſint. Condendarum enim conſcientiæ legum po-
teſtatem Deus nulli hominum fecit: neque ferre poteſt quenquam hominum animis
præter ſe vnũ dominari. Aio igitur leges Diuinas (ſiue ius illud ciuile ſimul & merè Di-
uinum) primùm antiquis illis Patribus voce & oraculis minimè ambiguis traditas, de-
inde certorum hominum opera, idque Dei iuſſu, in vtriuſque Teſtamenri tabulis de-
ſcriptas, illud ius eſſe ex cuius præſcripto vnus ille Legiſlator noſter mundum vniuer-
ſum iudicabit. Deinde hoc aſſero, nullas prorſus alias leges hominum animis eſſe im-
ponendas, neque quenquam vel quicquam illis adiicere, vel detrahere (niſi quatenus
aut ſunt politicę, aut cęremoniales: hactenus enim vni tantùm genti, idque ad tempus,
præſcriptæ fuerunt) ſine ſacrilegio & profana audacia poſſe. Fateor tamen Deum ſicut
in ſcribendis, ſic etiam in explicandis illis legibus, & vſui hominum accõmodandis, at-
que adeò in vindicanda ipſarum auctoritate ac dignitate, hominum miniſterio iam in-
de ab initio vti conſueuiſſe: ſed ita diſtinctis iſtis muneribus, vt duo illa priora ad eos
pertinerent quos peculiariter huic muneri à Deo pręfectos eſſe paulò antè oſtendimus:
iſtud autem tertium Magiſtratibus committeretur, qui videlicet tam ipſius verbi Mi-
niſtros, quàm cæteros pios homines idoneis præſidiis tueantur: qui doctrinam Verbi
fideliter exponendam, expoſitam autem à ſuis omnibus obſeruandam curent: qui ex-
ternas cęremonias pro temporum & locorum ratione ex Eccleſię conſilio cõſtitutas,
auctoritate ſua confirment: qui denique malos ciues diſciplinæ Eccleſiaſticæ repugnã-
tes, & perturbantes Eccleſiæ concordiam ac pacem, pro criminis magnitudine coër-
ceant. Ergo vt rem omnem in pauca conferamus, in ſingulis Eccleſiæ Chriſtianæ cœ-
tibus ſiue Rebuſpublicis, conſtituti ſunt Magiſtratus vt Dei vicarij, qui cæteris fidei
ſuæ commiſsis præeant ad Dei gloriam ac laudem prædicandam. Id autem vt præſtent,
curare præcipuè debent vt quæcunque ad Dei cultum pertinent ex vno ipſius verbo
ſanctè & religioſè non modò conſtituantur, ſed etiam cuſtodiantur: deinde ciuiles le-
ges quàm ęquiſſimas & iuſtiſſimas, id eſt, à Dei verbo non diſsidentes, vel ipſi condere,
vel ab aliis poſitas tueri, & ex iis publica priuataque adminiſtrare. Sed in priore illa iu-
riſdictionis parte Eccleſiaſticum munus à Magiſtratus auctoritate diligenter diſtingui
oportet, vt Principes intelligant, ſicut in iis quæ ad externam politiam ſpectant ſuos o-
mnes (nullo prorſus excepto) ſuæ poteſtati ſubiectos ac obnoxios habent: ita etiam ſe-
ſe, quod ad ſpiritualem iuriſdictionem attinet, verbo Dei duplici ratione teneri. Pri-
mùm vt ipſi quoque ex eius præſcripto vitam inſtituant: deinde vt quoties id flagitat
publica Eccleſiæ tranquillitas, & Verbum ipſum, & eius interpretes, diſciplinamque
totam Eccleſiaſticam, aduerſus infidelium, flagitioſorum, hęreticorum, omnium deni-
que hoſtium audaciam & improbitatem, modis omnibus tueantur.

Hæc ita ſe habere vt dico, ſupereſt vt idoneis Scripturæ teſtimoniis confirmemus.
Quod igitur ad politiam ciuilem attinet, quum hæc pars ad quæſtionem propoſitam
non pertineat, in ea confirmanda minimè laborabimus. In cauſa verò religionis, quia
nonnulli negant politico Magiſtratui ius vllum eſſe à Deo conceſſum, duos tantùm
Pauli locos proferam, ex quibus conſtet multò latius patere Magiſtratus imperium
quàm iſti putent: deinde quæſtionem ipſam aggrediemur. Teſtatur ergo Paulus Ma-
giſtratum eſſe Dei miniſtrum, qui gladium gerat ad eos vlciſcendos qui malè agunt. Rom.13.b.4.
Quamobrem alterutrum neceſſe eſt ſi in hæreticos Magiſtratus ius nullum habet, vel
ipſos malè non agere: (quod etiam ſi Bellij factio neget, refutatione tamẽ indigere non

habe

puto,)vel quod in genere Paulus ait, ad certum maleficiorum genus eſſe reuocandum: eorum videlicet quæ corporalia peccata vocant, de quo maleficiorũ diſcrimine copioſius (vt ſpero) poſtea ſuo loco diſſeram. Nunc autem ad refutãdam hanc exceptionem

1. Tim. 2. a. 1.

Paulum adhibebo. Is in Epiſtula ad Timotheum priore, *Hortor*, inquit, *vt preces fiant pro Regibus, & omnibus qui ſunt in eminentia, vt placidam ac quietam vitam tranſigamus cum omni pietate & honeſtate.* Hîc diſertè audimus conſtitutos Magiſtratus vt pacatos ciues ſuos non modò in moribus grauibus & honeſtis, id eſt, in his quæ ad mutua hominũ inter ſe officia pertinent, ſed etiam in pietate & Dei cultu contineant. Ex quo colligo cum do-

Mel. in libel. De officio Principum.

ctiſſimo illo D. Philippo Melanchthune, Magiſtratus non ſecundæ duntaxat Tabulæ, verùm etiam, idque in primis, puræ religionis, quod ad externam diſciplinam attinet, & cuſtodes & vindices à Deo eſſe conſtitutos. Externam diſciplinam dico. nam quod ad doctrinę ipſius explicationem, totámque iuriſdictionem Eccleſiaſticam attinet, tantum abeſt vt Eccleſiæ ereptam ad politicum Magiſtratum transferamus, vt contrà ipſius in primis tuendæ & conſeruandæ curam Magiſtratui à Deo impoſitam eſſe affirmemus.

Prima pars huius tractationis, An puniendi ſint hæretici.

Quod quum ita ſit, facile iam eſſe puto de illa quæſtionis parte iudicare, an verum ſit quod indefinitè & generaliter affirmat Bellius, Hæreticorum punitionem ad Magiſtratum non pertinere. Sed ne rationes vllas conqueri poſſit à nobis præteritas, conſtitui primùm ipſorum argumenta non confuſè & perturbatè, ſed ordine & ſigillatim reſponſione ad ſingulas propoſitæ quæſtionis partes accommodata confutare: deinde tandem eodem ordine opinionem noſtram confirmare. Neque verò iſti à me impetrabunt, quod tamen ſperarunt fore, vt cum iis ſcilicet contentionem ſuſcipiã quorum auctoritate abuſi ſunt, vt ſimpliciorum oculos perſtringerent. Dico potius, Belli, à te clariſsimos & ſanctiſsimos Magiſtratus, pietate & doctrina inſignes verbi Dei Miniſtros vt crudeles, vt ſæuos, vt immanes impudenter accuſari: quod quum fieri non poſſit ſine grauiſſima eorum iniuria ſub quorum nomine tanquam ſub Aiacis clypeo deliteſcis, quum eorum rationes expendo, vt vera & commoda interpretatione mollio, tantum abeſt vt eos quibus longè plus certè tribuo quàm tu facias, aut contemnam aut reprehendam, vt eorum potius famam & exiſtimationem callidè à te violatam tuear ac defendam. Quanquam, Belli, ſi hanc quoque ſcribendi rationem inirem vt apertè quidem, ſed modeſtè, & prolatis ex verbo Dei veris ac ſolidis argumentis, oſtenderem me ab illis diſſentire: deinde duorum aut trium auctoritati multò plures opponerem: an putas eos ipſos cum quibus committere nos conaris, hoc meum factum reprehenſuros, ac non potius, pro modeſtia & pietate ſingulari ſua, veritati ceſſuros? Sed ad rem veniamus.

Refutatio argumentorum quibus probare conantur aduerſarii puniendos non eſſe hæreticos.

Martinus Lutherus.

Tu igitur in prima ſtatim acie Dominum Lutherum fortiſsimum illum Heroẽ nobis opponis: qui ſi viueret, Deus bone, quomodo vos Academicos exciperet, qui Turcas etiam & Iudæos in Deum credere dictitatis, quique ex Scripturis controuerſias de religione decidi non poſſe cenſetis! Lutherum porrò conſtat paulò ante hunc librum editum ex quo nonnulla collegiſti, Nouum teſtamentum in Germanicam linguam conuertiſſe: quod quum Georgius ille Saxoniæ Dux, & alij præterea Principes aliquot legi prohibuiſſent, ipſe facti indignitate commotus eum libellum ſcripſit, in quo oſtendit tum à ſecularibus, quos vocant, Magiſtratibus, tum à tyrannicis pſeudoepiſcopis grauiter in cauſa religionis peccari ſolere: neutros enim ius habere condendarum conſcientiæ legum. Itaque illos perperam facere quòd (vt ipſe inquit) fidem & verbũ Dei caſtigare vellent, miniſq́ue adhibitis ſuos adigere vt pro aliorum arbitrio hoc vel illud crederent: iſtos verò non minus quàm illos tyrannicè regnare in Eccleſia, vt qui non verbo Dei hæreſes ſecarent, & exurerent, ſed nuda & aperta vi veritatem Dei oppugnarent. Hanc eſſe opinionum Lutheri ſummam, hæcque adeò ipſius verba, totus libellus declarat. neque verò nos aliter ſentimus. Neque enim quum hæreticos à Magiſtratu puniri debere cenſemus, Luthero aduerſamur, quia nec Eccleſiæ ius ſuum eripimus, cuius placidam & moderatam cognitionẽ ac diſciplinam præire volumus: neque iuriſdictiones confundimus, neque tẽporum, locorũ, perſonarum tollimus diſcrimen. Verùm hoc Magiſtratus officium eſſe dicimus, non vt ad fidem cogat (quod ne Miniſtri quidem verbi poſſunt efficere) ſed vt prouideat ne perfidi & deſperati apoſtatæ pacem Eccleſiæ conturbent, & pietatis conſenſum lacerent: deinde etiam vt horrendas blaſphemias puniat. Nam vt non ſit punienda animi opinio (vt rectè dixit quidam)

dam) neutiquam tamen ferenda eſt peſtilens & impia profeſſio.

Iohannes Brentius.

Ad alterum venio, cuius ſententiam de Anabaptiſtis non occidendis non modò deſcripſiſti, ſed etiam multis locis inculcaſti. Eum autem ego, qui Dei gratia adhuc eſt ſuperſtes, & magis pium eſſe noui quàm vt tuæ factioni aſſentiri poſſit, & modeſtiorē eſſe non dubito quàm vt ſuam de puniendis Anabaptiſtis opinionem tot Eccleſiarū conſenſui, ita vt facis, opponat. Ipſum certè apparet de ea tantùm hæreſi agere quæ ita eſt nuda vt in nullum opus malum & pernicioſum erumpat, neque religionem conuellat, quæ denique erroris potius quàm hæreſeos nomen meretur: idque ita eſſe vel ex poſtremo libro colligere potueras, in quo ſic ſcribit ad verbum: *Magiſtratus* (inquit) *grauiter dent operam vt pacatè & honeſtè* (ego autem etiam addo ex Paulo, vt piè) *concordes omnes viuant. Nam qui aduerſus communem tranquillitatem & Magiſtratum peccauerit, ſiue baptizator ſiue rebapizator fuerit, ille meritum ſupplicium ab illo ſufferendum ſibi non ignoret.* Hæc ille. Abſit autem à nobis quoque vt in eos qui vel ſimplicitate potius quàm improbitate peccant ſine aliorum pernicie & inſigni blaſphemia, vel in explicando quopiam Scripturæ loco à recepta opinione diſſident, Magiſtratum armemus. Non ita deſipimus Belli, neque omnem humanitatis ſenſum exuimus: imò in ipſis quoque contagioſis & capitalibus morbis tentari primùm omnia mitiora remedia, & ad Dei gloriam ac proximi charitatem omnia dirigi volumus: neque aliter vnquam à nobis factum eſſe, idoneis teſtibus probabis.

Eraſmus.

Ad Eraſmum aſcendo, à quo vltrò profiteor me in plerîſque diſſentire. Quid enim in eo potiſſimum ſequar non inuenio, qui ita varius eſt vt eum ſatis appareat quid crediderit diſſimulare quàm dicere maluiſſe. Et tu hunc nobis Belli opponis, cuius præiudicio tot ſanctæ Eccleſiæ vt crudeles arguantur? Sed vt eum etiam iudicem aliquatenus accipiamus, quid aliud ex eius ſcriptis colligas quàm hæreticorum iudicia perperam & crudeliter à Pontificiis exerceri? quia videlicet Epiſcoporum munus non eſt exurere & perdere, ſed docere & mederi. *Quid autem vetat*, inquit, *ne Princeps hæreticos turbantes publicam tranquillitatem è medio tollat?* Et paulò pòſt, *Hæc*, inquit, *nequaquam loquor in fauorem hæreticorum, neque me patrono quiſquam habebit mitius, ſi modò verum cognouero hæreticum, id eſt, malitioſè errantem, factioſum, & immedicabilem.* Quum igitur nobis Eraſmum obiicis, quis te præuaricari non putet?

Iohan. Caluinus.

Ad Caluinum accedo, cuius nomen cur tibi putaueris vſurpandum cauſas multas fuiſſe video, quas ego palàm faciam. Quæ ſit illius ſententia non modò ex pulcherrimo ipſius libro in Seruetum ſcripto, ſed vel ex ipſius in Epiſtolam ad Timotheum priorē, & Epiſtolam ad Titum commentariis cognoſcere potueras, niſi hæc omnia præ tuis contemnere ſoleres. Neque tu verò id ignoraſti: ſiquidem ex quo die Seruetus in carcerem coniectus eſt, nunquam deſtiriſti id factum ita reprehendere vt totam eius rei inuidiam tuis calumniis in vnum Caluinum deriuares. Quinetiam hæc ipſa farrago tua eo cōſilio à te & Baſilio illo Montfortio collecta eſt, vt duarum celeberrimarum Eccleſiarum, Tigurinæ & Geneuenſis, fideliſſimos duos Paſtores ex Eccleſia Dei eiiceretis: quod vel ex Baſilij refutatione planum faciam. Sed quum id apertè facere vereremini, & veſtræ illius crudeliſſimæ clementiæ patrocinium ita vobis ſuſcipiendum putaretis, vt ea res fraudi vobis eſſe non poſſet, præterquàm quòd vera veſtra nomina tum in hac farragine, tum in iis literis ſubticuiſtis quibus nuper conati eſtis exitialem ſeditionem in Eccleſia Geneuenſi excitare, celari etiam poſſe hoc veſtrum conſilium credidiſtis ſi inter cæteros quorum auctoritate nitimini, Caluini nomen appareret, vel certè his artibus vos effecturos vt ille apud omnes manifeſtæ leuitatis argueretur. Atqui, craſſius eſt hoc commentum quàm vt animaduerti facilè non poſſit, & apertior iſta calumnia quàm vt accuratiorem reſponſionem requirat. Nam ex iis quæ tibi ex ipſius ſcriptis deligenda putaſti, colligere hoc vnum potes, quod maximè contra te facit: eum videlicet hominem quem vos in gurguſtiolis veſtris ſanguinarium ſoletis vocare, ab omni vi & crudelitate quàm longiſſimè abeſſe. Quæcunque igitur ille aduerſus Pontificiam tyrannidem ſcripſit, ea in veſtram quoque factionem dicta eſſe exiſtimate, quum hi ſint omnium hominum crudeliſſimi qui lupis parcendum putant vt in Chriſti gregem impunè graſſari poſsint.

Ad veteres venio, (nam de aliis recentioribus alibi dicam) Lactantium, Chryſoſtomum, Hieronymum, Auguſtinum, Hilarium: inter quos Lactantius diuerſam cauſam agit, in eos nimirum inuectus qui Chriſtianam religionem ferro & igni oppugnabant. Lactantius.

Chryſoſtom. Chryſoſtomus hæreticos per Magiſtratum non vetat puniri, ſed eradicari: & vnica tantùm zizaniorum parabola nititur, de qua copioſius alibi diſſeremus. Hieronymus. Hieronymus vltrà etiam progreditur, ſicut à nobis oſtendetur. Auguſtinus. Auguſtinus quod ad duas propoſitæ quæſtionis priores partes attinet, ita pro me facit vt veſtra omnia argumenta ipſius verbis poſsim diluere. Hilarius. Hilarius ſui temporis Epiſcopos obiurgat, quòd officij ſui obliti, ſolis Principum armis aduerſus hęreſes certarent: & in hoc vnum intentus quod agebat, zelo pietatis abreptus longius progreditur. Non eſt igitur, ſiue quæramus an puniendi ſint hæretici, ſiue an per Magiſtratum puniendi ſint, cur Patres illos nobis opponas: Auguſtinum præſertim, ex quo ea duntaxat excerpſiſti in quibus bonus ille vir, & moderatiſsimi ingenij homo, præfectos Cæſaris ad clementiam ſeruandam hortatur: plurima verò quæ idem aduerſus Donatiſtas eandem hanc cauſam vobiſcum agentes verè & piè diſputauit, partim aſtutè præteriſti, partim Baſilio collegæ tuo paucis verbis attingenda reliquiſti: quam fraudem ſuis locis patefaciemus.

Sed agè nunc, Belli, tecum cúmque tua factione cominus pedem cõferamus. In hoc autẽ certamine ſingula veſtra argumenta, eáque nuda proponemus, vt quæ ſit eorum vis vel ab ipſis pueris intelligi poſsit. Crudeles non eſſe qui hæreticos puniunt, ſed eos potius à quibus fouentur. Hoc tamen in primis admonitum eſſe lectorẽ volo quod præfari ſoletis, Sanguinem à nobis oppugnari, à vobis defendi: in eo vos non modò calumnioſè, verùm etiam aduerſus conſcientiam veſtram facere. Nam & qui ſimus noſtis, & quomodo in Eccleſiam ſimus affecti non modò præſens ætas, ſed etiam poſteritas iudicabit. Quæſo verò quæ hæc clementia eſt, crudeliſsimis lupis blandiri vt oues innocentes Chriſti ſanguine redemptas impunè dilanient? quæ hæc patientia, vineam Domini ſinere ab immaniſsimis monſtris deuaſtari? quæ benignitas, ſupino animo deſpicere Domini Dei noſtri nomen omnibus contumeliis affectum? Quid enim? an hæc ab iis non fiunt quibus hæreticorum nomen conuenit? Nónne enim illi ſunt de Act.20.a.29. quibus ait Apoſtolus, ingreſſuros lupos graues qui gregi non parcant, viros peruerſa loquentes vt diſcipulos poſt ſe abducant? Quòd ſi fortè reſponderitis vos hęreticis non fauere, ſed ad moderationem ſeruandam omnes adhortari: dicite quæſo quibus finibus iſtam clementiam definiatis. Nam ſi homines prorſus infideles, ſi in moribus ſceleratos, ſi imbecillos in fide, ſi ſimplicitate potius quàm improbitate abſque aliorum pernicie errantes, non vultis pro hæreticis haberi, certè vobis aſſentimur: ſi inter ipſos hæreticos diſtingui pro rerum, temporum, locorum, perſonarum ratione: ſi cauſam ab Eccleſia ex puro verbo Dei ritè & placidè cognoſci: ſi Eccleſiaſticam primùm diſciplinam adhiberi: ſi à Magiſtratu etiam ipſo omnia primùm remedia mitiora tentari vultis, ſcitote nos à vobis non diſsidere. Id enim nos & voce & ſcriptis docere, ídque in Eccleſiis noſtris quo ad eius fieri potuit adhuc eſſe obſeruatum ne vos quidem iure inficiari poteſtis.

1. argumentū. ¶ *Primum argumentum, quo probare nituntur aduerſarij non eſſe puniendos hæreticos. Quia ſcilicet ea omnia de quibus quæri ſolet, ſunt non vſque adeò cognitu neceſſaria, neque ſciri poſſunt niſi ab ijs qui ſunt mundo corde: & ſi ſciantur, hominem non reddunt meliorem.*

Falſa Chriſtianę religionis deſcriptio. Hoc eſt itaque veſtræ opinionis fundamentum, quòd Chriſtianam religionem ex vita innocente, vitæ autem innocentiam, quam veſtem candidam vocatis, in mutuis tantùm hominum inter ſe officiis philoſophicè potius quàm Chriſtianè ponitis: id verò quod primum ac præcipuum eſt, id eſt, Dei cultum, interdum in veſtræ illius albæ veſtis deſcriptione prorſus prætermittitis, interdum autem vultis in ea tantùm Dei cognitione verſari, quæ certè ne diabolis quidem adimi poteſt: alteram autem illam electis peculiarem, quam fidem vocamus, in qua euertenda diabolus iam inde à mundi initio omnes neruos contendit, non modò vt minimè neceſſariam, ſed etiam vt ſuperbiæ ac ſæuitiæ parentem reiicitis. Quorſum autem hoc? nempe vt quum hominibus perſuaſeritis eas res de quibus tanto iam tempore inter Chriſtianos diſputatur, neque prius quærendi finis erit quàm Dominus Ieſus omnia ſub pedibus ſuis ſubiecerit, eas, inquam, res parum ad ſalutem eſſe neceſſarias: inde efficiatur, eos qui adhuc pro hæreticis habiti ſunt, non modò non acerbè puniendos, ſed etiam impunè eſſe tolerandos. Vultis enim vt quiſquis cum Iudæis vel Turcis dicit ſe Deum credere, & præterea Quid ſit fides, aduerſarius. Chriſtum eſſe Filium Dei, ac mundi dominum & iudicem, vitámque ita inſtituit vt neque fur, neque adulter, neque homicida ſit, aut aliquo eiuſmodi crimine contaminatus, de quo nullæ quæſtiones aut libri fiunt, ſub albæ iſtius veſtis amiculo omnia erorum

rorũ portẽta tegere,& de cæteris rebus,id eſt,de toto Euãgelio,quiduis ſentire,ſcribere, docere poſſit.Hanc eſſe veſtrã ſententiam ex veſtris verbis non obſcurè cõſtat,quę fide optima deſcripſi,vt nihil hîc à me confingi omnes intelligant. Chriſtianã igitur vitam agnoſce,Belli,quomodo definias: *Eſt Chriſtus,* inquis, *princeps mundi,& à terris diſcedens hominibus prædixit ſeſe venturũ incerto die & hora:mandauit vt veſtes candidas ſibi in eius aduentũ pararent,* hoc eſt *vt piè & amicè ſine contẽtionibus viuerent,& alij alios diligerẽt.* Rectè profectò,ſi quid ſit piè viuere explicares:quanquã alibi te video veſtẽ tuam albã paulò aliter depingere. Sic enim paulò pòſt deſcripſiſti, *Siquis interea extiſtit qui veſtẽ albam ſibi parare,hoc eſt,innocẽter viuere ſtudeat.* Quid ergo inde cõficitur? duas nimirũ eſſe Chriſtianæ,hoc eſt,verę religionis notas, pietatem & vitæ innocentiam. Audiamus nunc quid pietatem voces. *Diſputatur,* inquis, *non de via qua ad Chriſtum veniri poſſit,hoc eſt,de vitæ correctione,ſed de ipſius Chriſti ſtatu & officio: vbinam ſit ipſe Chriſtus, quid agat, quomodo ſedeat ad dexteram Patris,quomodo ſit vnum cum Patre: item de Trinitate, de prædeſtinatione, de libero arbitrio, de Deo,de Angelis,de ſtatu animarum poſt hanc vitam, & cæteris huiuſmodi rebus quæ neque ad ſalutem per fidem obtinendam vſque adeò cognitu neceſſariæ ſunt:(ſiquidem ſine earum cognitione ſalui facti ſunt publicani & meretrices,) neque cognoſci poſſunt antequam cor mundum habeamus:(ſiquidem illa videre, eſt Deum ipſum videre, qui ſine mundo corde videri non poteſt: iuxta illud, Beati mundo corde,quoniam ipſi Deum videbunt:) neque ſi ſciantur, reddunt hominem meliorem: quum dixerit Paulus, Si ſciam omnia myſteria, & charitatem non habeam, nihil ſum.* Item alibi, *Credere in Deum Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum,& pietatis præcepta quæ ſunt in Sanctis ſcripturis approbare, eſt aurea moneta, & auro ipſo probatior & exploratior. Sed habet hactenus hæc moneta diuerſas imagines, dum homines interſe de Cœna, de Baptiſmo & cæteris huiuſmodi rebus diſſentiunt.* Cognitionem autem Dei à te nullam in Chriſtianis requiri præter eam quam habent partim cum Iudæis & Turcis, (vt vos quidem vultis) partim cum ipſis diabolis communem, etiam ex aliis locis conſtat. *Fuit olim,* inquis, *in omnibus ferè gentibus opinio, multos eſſe deos: hunc errorem ſuſtulit aduentu ſuo Chriſtus, vt iam neque Turcæ, neque aliæ nationes dubitent quin ſit vnus Deus, atque in hoc conſentiunt omnes cum Chriſtianis. Siquis Deum negat, is impius & atheus eſt, & omnium iudicio meritò abominandus. Hoc etiam habent Turcæ, quòd credunt in eum Deum de quo Moſes ſcripſit, in quo & cum Iudæis & cum Chriſtianis conueniunt ſine controuerſia.* Venio ad Chriſti cognitionem, quam vos à Dei cognitione diſtinguitis. Eam igitur partim Chriſtianis cũ Turcis communem, ſicut & fanaticus ille Poſtellus, partim Chriſtianorum propriam eſſe vis. Sic enim ais ad verbum, *Chriſto multum tribuunt & Turcæ, in quo Iudæos ſuperant, & hoc habent commune cum Chriſtianis.* Quam autem Chriſti cognitionem facias Chriſtianorum propriam, partim ex aureæ illius monetæ tuæ charactere apparet, partim ex his quæ proximè ſequuntur. Sic enim loqueris, *Chriſtiani in hoc omnes alios excedunt, quòd credunt Ieſum Chriſtum eſſe Dei Filium, & mundi dominum atque iudicem: atque hoc eſt omnium Chriſtianorũ commune.* Vobis ergo pietatis ſumma eſt veluti tribus gradibus conſtituta: quorum primus eſt Deum vnum fateri cum omnibus gentibus: ſecundus, Deum illum vnum agnoſcere cum Turcis & Iudæis, de quo Moſes ſcripſit: tertius, Ieſum Chriſtum credere eſſe Dei filium, & mundi dominum ac iudicem. His attexitis ſecundæ Tabulæ obſeruationem. In hac autem pietatis diſtributione non modò prætermiſſa dicimus quæ præcipua ſunt, totum videlicet Euangelij miniſterium, ſed etiam plurima eſſe prorſus aliena. Nam ſi eum habes pro Chriſtiano, id eſt, pro pio & religioſo qui tria illa confiteatur: quid cauſæ eſt quominus Chriſtianiſſimos eſſe diabolos confiteamur? Certè enim multò minus dubitant quàm homines, vnum eſſe Deum,& eum quidem de quo Moſes ſcripſit: Chriſtum autem non modò excellentem Prophetam, Spiritum, Verbum, ac Virtutem Dei cum Mehumete profitentur,ſed etiam Filium Dei eſſe vociferantur, ac proinde mundi dominum ac iudicem. Nam illud quoque adiiciunt, *Cur veniſti ante tempus torquere nos?* Credunt, inquam, hæc omnia, & contremiſcunt. Num igitur pij & religioſi? Minimè verò, dices: nam præterea innocentem & integram vitam requiro, id eſt,vt pietatis præcepta quæ ſunt in Scripturis approbentur. Nos verò,Belli,optaremus vt quæ ſint iſta pietatis præcepta definiſſes. Sed ipſe tibi iter videtis præcluſiſſe ad id tradendum, quum præcipua pietatis capita nominatim diceres neque eſſe ad ſalutem per fidem obtinendam neceſſaria: neque ſi ſciantur, meliorem hominem efficere. Ex quo ſanè videris fidem Chriſtianorum in cognitione hiſtorica ponere, & vitæ innocentiam vel ex Philoſophiæ præceptis, vel certè ex ſecundæ tantùm Tabulæ obſeruatione metiri, ſicut à Chriſto optimo interprete explicata eſt: quod vtrunque

Refutatio.

Articulo Theologię Mehumetanę 46.

Matth. 8. d. 29.
Iacobi 2. d. 19.

i.

perperã facis, quum fides Chriſtianorũ lõgè aliud ſit quàm putes: neque philoſophia, quæ ſint præcipuæ virtutes, fides videlicet, inuocatio, & charitas, non quæuis, ſed quæ Dei verbo innititur, vel vnde petendę ſint, vel ad quem finem referendæ, explicant. Secundæ verò Tabulæ obſeruatio niſi ab animo per Chriſtum fide apprehenſum ſanctificato proficiſcatur, nihil aliud quàm peccatũ ac mortem, cuius miniſtra Lex eſt à Chri-
Iohan.3.d.36. ſto ſeparata, afferre poteſt: quia qui non credit Filio, non videbit vitam, ſed ira Dei manet ſuper eum. Quòd ſi Dei cultum in nuda illa Chriſti cognitione ponas, quis non videt diabolos quoad præcipuam religionis partem Chriſtianis hominibus tanto antecellere, quanto excellentiorem de Deo Patre, Filio & Spiritu ſancto cognitionem habent? Quod quum falſiſſimum & abſurdiſſimum ſit, tua quoque principia nutare ac vacillare neceſſe eſt. Sed procul abſint à nobis hæc errorum portẽta, qui Chriſtianam religionem longè aliter definire didicimus. Falleris enim, Belli, falleris vehementer, in eo primùm quòd Deum cum idolo, id eſt, veritatem cum mendacio confundis: deinde quòd veræ, id eſt, Chriſtianæ fidei definitionem prætereris: poſtremò quòd in deſcribenda vitæ innocentia idipſum omiſiſti quo ſublato bonum opus à peccato ritè diſtingui
Deus quomodo ab idolo diſtinguatur. non poteſt. Ac ad primum illud quidẽ quod attinet, etſi Diuinitatis quidam ſenſus omnium animis à natura inſculptus eſt, tam tenue tamẽ atque infirmum illud quicquid eſt, eſſe affirmo, vt niſi aliud extrinſecus accedat, non ad veri Dei cognitionẽ, ſed ad idoli fabricationẽ ſapientiſſimos etiam homines adducat: idque ita eſſe præterquàm quòd ipſa docuit experientia, ſic ni fallor optimè cognoſcemus. Quicunque colendi Dei rationem conſtituerunt, (quales ſemper fuiſſe multos conſtat non modò in ſingulis regionibus, ſed etiã vrbibus) eos neceſſe fuit in naturam Dei tãquam in ſcopum reſpicere, vt eo demum modo colendum ipſum docerẽt, quo ipſum putarent delectari, id eſt, qui naturæ ipſius conſentaneus eſſet. Itaque qualem ſinguli de Deo opinionem habuerũt, talem & ipſi colendi illius rationem ſunt ſequuti. Atque infinitæ ſemper fuerũt & ſunt etiamnum hodie colendi Dei formæ, inter eos homines qui ex Dei verbo non ſapiunt. Conſequitur ergo quum inter cultum Dei & perſuaſionem de Deo perpetua ſit analogia, non minus varias eſſe populorũ de Deo opiniones. Atqui Deus vnus eſt, ac proinde vnicam religionis ſpeciẽ probat, quã nimirum ipſe præſcripſit. Ergo tot minimùm eſſe idola neceſſe eſt, quot ſunt religionum formæ ab hominibus excogitatæ: inter quas Iudaicã quoque numero, (eam dico quam nũc Iudæi vſurpant) & quicunque à vero illo & Euangelico Dei cultu deflexerũt, eos efficitur non verum Deum, ſed idolum adorare. Abſit igitur à nobis vt non alium Deum à Chriſtianis quàm a Iudæis & Turcis co-
Gala 4.a.8. li dicamus. Malumus enim Paulo aſſentiri qui ad Galatas ſcribens, ipſos teſtatur Deum
Epheſ.2.c.12. 1.Cor.1.c.21 ignoraſſe, & Epheſios *ἀθέους* vocat: itémque ad Corinthios, *Deum*, inquit, *mundus per ſa-*
Pſalmo 96.a.5 *pientiam non cognouit*. & Dauid, *Dy gentium*, inquit, *dæmonia*. Neque hæc pugnant cum his quæ ſecundo capite ad Romanos dicuntur, vbi Apoſtolus ſicut teſtimonium de Deo in naturę operibus conſpicuum commendat, ita viciſſim non vnius aut alterius hominis, ſed totius humanæ gentis miſerabilem corruptionem deplorat: vt videlicet oſtendat quod paulò antè affirmauimus, hactenus in nobis valere obſcuram de Deo in natura noſtra corrupta notitiam, vt idoneam nullam excuſationẽ afferre poſsimus, non autem vt eam tanquam ducem ſecuti, ad veritatem lucis illius diuinæ penetrare poſſimus, vt quis & qualis ſit Deus, & quomodo colendus, naturæ præſidio, aut ex mundi contemplatione intelligamus. Hæc igitur quæ ex Paulo citaui ſi tu idcirco putas ad id de quo agitur non pertinere, quòd ij quos Paulus alloquitur, plures deos aliquando coluiſſent: reſpondeo non ideo tantùm reprehendi quòd plures deos haberent, ſed quòd verum Deum ignorarent. Nam vnum quendam Deum ipſos coluiſſe pluribus nominibus, Auguſtinus ex Varrone & aliis multis docet: id eſt, idolum, cuius naturam ex ingenio ſuo metiebantur. Chriſtus autem de Samaritanis loquens, qui
Iohan.4.c.22. tamen Deum Abrahæ colere ſe iactabant, *Vos*, inquit, *adoratis quod neſcitis*: quinetiam
Ioh.5.g.46. de Iudæis ipſis, *Si Moſi*, inquit, *credidiſſetis, credidiſſetis & mihi*. Et alibi, *Quiſquis ne-*
1.Ioh.2.d.23. *gat Filium, is ne Patrem quidem habet*. Obſecro igitur quo pudore conſtituiſti quæ ſit ve-
Quæ ſit Chriſtianorũ fides. ra religio nos docere, qui ne idolum quidem à Deo rectè diſtinguere didiceris? Cedò verò, fidem Chriſtianorum quomodo definis? qua ſcilicet credimus Ieſum Chriſtum eſſe Dei Filium, mundi dominum ac iudicem. Hæc enim eſt aurea illa tua moneta. De cæteris autem, id eſt, vt ex multis pauca numerem, de Chriſti natura, ſtatu & officio, de Trinitate, de iuſtificatione per fidem, quid exiſtimabimus? quid

quid docebitur in Eccleſia? quid ſentient fideles? Quicquid libuerit. Habet enim hæc
moneta diuerſas imagines, id eſt, vt Mehumetes ille loquitur, Lex quidem ſiue fides o- Articulo Mehumetaneæ
mnium eſt vna, ſed ritus diuerſorum, nimirum diuerſi. Auditis hanc blaſphemiam Theologiæ ſecundo.
Reges, Principes, Magiſtratus? Quam enim iſti notitiam in Chriſtianis requirunt
(eam nimirum qua, non intellecto Chriſti ſtatu & officio, ipſum credimus Filium Dei
eſſe, mundi dominum ac iudicem) eam nemo fidelis eſt qui ignoret nihil aliud quàm
deſperationem poſſe in nobis gignere, niſi promiſſiones, id eſt, ipſius Chriſti ſtatum &
officium ita cognoſcamus, vt tāquam nobis proprias & peculiares amplectamur. Sum-
ma enim Euangelij, quod eſt Dei potentia ad ſalutem cuiuis credenti, hæc eſt, Chri- Rom.1.b.16
ſtum apprehendere vt factum nobis à Deo ſapientiam, iuſtitiam, ſanctificationem ac 1.Cor.1.d.30.
redemptionem: & ita intelligendum eſt quod Scriptura ſępe dicit, Credere Filium Dei
eſſe Ieſum Chriſtū: &, Ieſum Chriſtum confiteri in carne veniſſe: ea videlicet fide quæ Matth.16.c.16.
teſtimonium illud amplectitur, quòd vitam æternam dedit nobis Deus, & hæc vita in Act.8.g.37.
Filio eius eſt. Nam tum demum credit aliquis quòd Ieſus Chriſtus eſt, quum per Spi- 1.Ioh.4.a.2.& c.15.Item.5.b.11.
ritum ſanctum edoctus, certò ſtatuit ad ſe propriè & peculiariter pertinere quæcunque
nobis à Deo gratis per Meſsiam promiſſa ſunt, eamque fidem neceſſariò & ſpes & cha-
ritas conſequuntur.

Vt autem iſtorum ſententia quàm apertiſſimè declaretur, ſingula etiam ipſorum di-
cta (quando ita neceſſe eſt) perſequemur. *Diſputatum eſt*, aiunt, *non de via qua ad Chriſtum
veniri poſſit, id eſt, de vitæ correctione, ſed de ipſius Chriſti ſtatu & officio.* Quæſo verò, vt de hac via
qua ad Chriſtū peruenitur hoc loco nihil dicā: Chriſtum Dei Filium, eſſe mundi domi-
num ac iudicem quomodo tandem intelligam, ſi de ipſius ſtatu & officio quærere ne-
ceſſarium non eſt? Hæc enim ita ſunt inter ſe coniuncta, vt diuelli non poſſint. Sed vt
poſſint, quo fructu Chriſtum mundi iudicem eſſe cognoſcam, niſi hoc quoque teneam,
quos ſit in genere abſoluturus, (nam de ſingulis non loquor,) quos cōdemnaturus, qua
ratione ipſius iram vitare, ipſius beneuolentiam mihi conciliare poſſim? Vitam corri-
ge, dices: hæc enim vna via eſt qua ad Chriſtum peruenitur. Quid ſi excipiam cū Paulo Rom.7.& 8.
me venditum eſſe ſub peccatum? veniente mandato peccatum reuixiſſe? quod ad vi-
tam comparatum eſt, propter carnis infirmitatem mihi ad mortē cedere? Quid ſi vlte-
rius progreſſus, dicam me non facere bonum quod volo, ſed malum quod nolo? quæ ta-
men vox eſt ſolorum fidelium & regeneratorum. Nónne ſi hîc conſiſtam, vel fruſtra co
nabor omnia, vel ad deſperationem adigar? Chriſtiani igitur diuerſam prorſus viam in-
ſiſtunt; & aduerſus hæc mala in Chriſti ſtatu & officio vnicum remedium inueniunt.
Dicimus enim ſicut vna via eſt qua ad Deum peruenitur, ipſe nimirum Chriſtus, ita v- Iohan.14.a.6.
num iter eſſe quod ad Chriſtum ducit, nempe fidem. Hæc autē fides omnia illa dogma-
ta quæ vos vt nō neceſſaria reiicitis, ita amplectitur, vt quicūque verè fideles ſunt, præ- Chriſtianos neceſſariò cognoſcere debere quis ſit Chriſti ſtatus & quod officium.
terquàm quòd his vt veris aſſentiuntur, (quod ipſi etiam diaboli faciunt) etiā ad ſe pro-
priè & peculiariter Dei promiſsiones pertinere ex Spiritus ſancti & conſcientiæ teſti-
monio colligant: id eſt, non modò Chriſtum credant Dei Filium eſſe, coæternū & con-
ſubſtātialem Patri, & quæcunque præterea de Patre, Filio, & Spiritu ſancto in hiſtorica
vtriuſque Teſtamenti narratione referuntur, ſed etiam ſibiipſis Deum eſſe: neque dun-
taxat mundi iudicem, verùm etiam ſibiipſis patronum eſſe ac reconciliatorem, Chri-
ſtum, inquam, vt factum ſibiipſis à Deo Patre ſapientiam, iuſtitiam, ſanctificationem ac
redemptionem, fide ſibi gratis à Deo data agnoſcāt. Sed audiamus cur quæſtionem de
Chriſti ſtatu & officio non putet Bellius ad ſalutē per fidē obtinendā vſque adeò neceſ-
ſariam eſſe: *Quia*, inquit, *ſine hac cognitione ſalui facti ſunt publicani & meretrices.* Itáne verò ſal-
uos eſſe factos peccatores per eum quē non inuocarint? inuocaſſe in quē non credide-
rint? credidiſſe in eum quē prius nō cognouerint? cognouerint, inquā, non modò vt Dei
Filiū, mundi dominū ac iudicem, ſed vt ſibiipſis peculiariter gratis à Deo datū: vt quia Iohan.3.b.16.
ipſi in eum credunt, ideo non pereant, ſed habeant vitam æternā? Eſt hoc Chriſti officiū
ſingulis Scripturæ paginis ita inculcatum, ita dilucidè, copioſè ac luculenter per ſingu-
las partes explicatū, vt qui eius cognitionē dicat neceſſariā nō eſſe ad ſalutem per fidē
obtinendā: aut ſi ſciatur, meliores homines non reddere, quæ ſit fidei materia & ſubſtā-
tia ignoret, iure ſanè videatur Spiritum ſanctum tanquam garrulum ac importunum
accuſare. Id autem quum ſine horrore ne cogitari quidem poſsit, quid de vobis tan- Vbinam ſit, quid agat, & quomodo ad dexteram Patris ſedeat.
dem ſentiendum qui editis etiam libris id audetis affirmare? Cognoſci non vultis vbi-
nam ſit Chriſtus, & quid agat, & quomodo ad dexteram Patris ſedeat. Fruſtra igitur

Act. 1. b. 11. Hebr. 4. d. 14. Hebr. 7. d. 26. Epheſ. 1. d. 21. Epheſ. 4. b. 8. Epheſ. 4. b. 10. Iohan. 14. a. 2. Epheſ. 1. b. 14.

Angeli in cælum aſcendiſſe teſtantur, & ſic deſcenſurum: fruſtra ſcribitur habere nos Pontificem magnum qui penetrarit cælos ſupra omnem principatum, & poteſtatem, & virtutem, & dominium, & omne nomen quod nominatur: fruſtra iubemur in cælos oculus attollere. Imò verò potius ea re nititur conſolatio noſtra, quòd ad Patrem aſcendit in cælos vt aditum nobis ad Patrem patefaceret: vt vnà cum ipſo ſedeamus in cæleſtibus: vt daret dona hominibus, & arrabonem illius hæreditatis noſtræ: vt illic ſciamus eum apud Patrem pro nobis interpellare, ſublimiorem cælis factum.

Cognitionē Trinitatis eſſe religionis Chriſtianæ fundamentū.

Sed & ipſam Trinitatis cognitionem vos quoque inutilem facitis, nēpe nequid ſalui in Chriſtiana religione ſuperſit. Ergo qui vos Arrio, Sabellio, Aetio, Eunomio, Apollinari, Maneti, Marcioni, Eutycheti, Macedonio, Samoſateno, Neſturio, Serueto, & cæteris huiuſmodi hominum monſtris compararit, an nō illis iniuriam faciat? Illi enim quanuis ſacroſanctum Trinitatis myſterium infinitis modis profanarint, minimè tamē eò impudentiæ proceſſerunt, vt Trinitatis cognitionem in earum rerum numero ponerent quæ non eſſent neceſſariæ: & quæ ſi ſciantur, meliorem hominem non reddant. Vóſne verò Patres, qui tot annos non verbis tantùm & voce, ſed tot libris nunquam interituris, ſed perpetuis laboribus omníque calamitatum genere, ipſa denique ſanguinis profuſione, Trinitatis myſterium aduerſus tot Regum, Principum, hæreticorum immanitatem conſtanter aſſeruiſtis: vos, inquam, neque prudentes, neque fortes, ſed imperitos & pertinaces in cauſa parum neceſſaria fuiſſe arbitrabimur? Quæſo te, Athanaſi, quorſum per vniuerſum orbem terrarum tandiu oberraſti? quorſum Symbolum illud tuum admirandæ breuitatis condidiſti, ſi ad refellendos hæreticos oſtendere non licet ex quibus Scripturæ locis colligamus Chriſtum vnum eſſe cum Patre? in vna eſſentia tres hypoſtaſes diſtingui? verum Deum & verum hominem in vno Filio Dei Chriſto neque permiſceri, neque confundi, ſed ita vniri vt vnus Chriſtus exiſtat? Vtinam verò ſimplici aſſenſione contenti eſſent homines, vt de iſtis ſubtilius diſputare boni viri minimè cogerentur: ſed quum Satan, quorundam vtens curioſitate, penè infinitas rationes excogitarit quibus partim errores ſuos aſtrueret, partim Dei verbum euerteret, ferendáne iſta ſunt, ac non potius vera ac germana verbi Dei interpretatione fideles confirmandi? Vos autem non modò de his quæri non vultis, ſed etiam affirmatis ſi hæc cognoſcantur, meliorem hominem non efficere. ô blaſphemiam! Deleatur ergo, deleatur diuiniſsimum illud diui Iohannis προοίμιον, in quo Filij Dei τὸ ὁμοούσιον, diſtinctáque hypoſtaſis, Diuinæque naturæ cum humana in vnum Chriſtum vnitio tam clarè & perſpicuè declaratur. Deleatur Baptiſmi formula in nomine Patris, Filij, ac Spiritus ſancti, in Chriſti Baptiſmo, teſtibus etiam ſenſibus externis confirmata. Nam & Patris vox audita eſt, & Chriſtus voce Patris verus Deus ac verus homo declaratus, & Spiritus ſanctus in columbæ forma humanis oculis conſpectus: quæ omnia, ſi iſtis credimus, ad ſalutē noſtram neceſſaria nō fuerunt. Deleatur diuinum illud Epiſtolæ ad Romanos initiū, in quo tam apertè Filius à Patre diſtinguitur, & vtraque in Chriſto natura explicatur. Quòd ſi hæc deleta fuerint, vbi fides, vbi conſolatio noſtra? niſi enim Patris & Filij hypoſtaſes diſtinguantur, an credam me Patri per Filium reconciliatum? niſi Chriſtus verus Deus eſt, ideóque coæternus & cōſubſtantialis Patri, an ſeruator? an ſanctificator? an peccati, mortis, diaboli victor? niſi verus homo per omnia, excepto peccato, an mediator natus, paſſus, ſepultus, excitatus, in cælos reuerſus, vt in carne noſtra cęlorum poſſeſsionem credentibus acquiſitam cerneret? an frater noſter, caro de carne noſtra, os ex oſsibus noſtris? an fidelis Pontifex, vt iis qui tentantur poſsit ſuccurrere? Quòd ſi duo Chriſti ſunt, an vnus Aduocatus noſter? an ipſe noſtra eſt iuſtificatio & ſanctificatio? Quòd ſi confuſio eſt naturarum, an ſitire, eſurire, mori pro nobis potuit? Rurſus niſi ab vtroque Spiritus ſanctus ſecernatur, an Filius rogat Patrem vt nobis det Paracletum? an eundem veritatis Spiritum qui etiam de Filio accipit, Filius nobis mittit? Et niſi hæc ita ſint, per quem ſciemus nos eſſe Dei filios? an templum Dei erimus? vbi pignus hæreditatis noſtræ? vbi conſolatio in afflictionibus? Quis gemitus illos inenarrabiles in nobis excitabit? quis clamabit Abba Pater? an nos Chriſtus ſanctificabit? an Pater & Filius apud nos manſionem facient? Denique an mentem Chriſti tenebimus? & niſi iſta crederemus, quid miſerius, quid calamitoſius Chriſtiana natione?

Quid Chriſtianos impulerit vt de Trinitate diſputarent.

Matth. 28. d. 19. Matth. 3. d. 17.

1. Tim. 2. b. 5. Hebr. 4. d. 15. Epheſ. 5. e. 30. Hebr. 2. d. 18. 1. Iohan. 2. a. 1. 1. Cor. 1. d. 30. Iohan. 14. b. 16. Iohan. 16. a. 7. & b. 14. Rom. 8. c. 16. & e. 26. 1. Cor. 6. b. 11. Epheſ. 1. c. 14. Galat. 4. a. 6. Iohan. 14. c. 23. 1. Cor. 2. d. 16. 1. Ioh. 4. c. 13.

Queſtionē de Prędeſtinatione & Libero arbitrio, eſſe admodū neceſſariam.

Quid plura? Queſtionem quoque de Prædeſtinatione, & Libero arbitrio inanem facitis, præterquàm ad ſuperbiā & ſæuitiam gignendam. Atqui veræ modeſtiæ hic vnus

fons

fons eſt, ſi te noueris quoad ſalutem per te nihil eſſe, nihil velle, nihil poſſe: & ſiquid ha-
beas, id demũ habere quod gratis acceperis ab eo qui dat nobis & velle & efficere. Tota 1.Cor.4 b.7. Philip 2.b.13.
in afflictionibus noſtris ſpes eſt in gratuita & immutabili Dei electione, quã quidem in Rom.8 d 28, & deinceps.
arcano & inſcrutabili Dei iudicio nõ quærimus, ſed à poſteriori, id eſt, à fide, quæ eſt vo- 1.Iohan 2.a.3.
cationis in nobis efficacia, colligimus: ſicut rurſus fidẽ partim ex conſcientiæ bonæ te- 1.Pet 3.a.2.
ſtimonio, partim ex ipſius effectis intelligimus per eũ videlicet Spiritũ, per quẽ aguntur
qui filij Dei ſunt. Itaque Paulus ſingulis ferè paginis doctrinæ de iuſtificatione per fidẽ, Rom.8.d.28.
id eſt, Euangelio, æternam illam & gratuitam Dei πρόθεσιν καὶ εὐδοκίαν, tanquam baſin il- Epheſ.1.a.4. 1.Pet 1.a.2.
lius ac fundamentum ſubſternit. Et audetis hanc doctrinam qua conſiſtimus, iter eſſe 2.Tim.a.b 9.
dicere ad ſuperbiam & crudelitatem? Fateor certè harum rerum nudam ſcientiam, niſi
per fidem applicetur, nobis odorem mortis eſſe in mortem. Fateor quoque cùm in o-
mnibus Chriſtianæ religionis myſteriis, tum verò in hoc longè maximo, & à ſenſibus
humanis remotiſſimo ſummam modeſtiã & ſobrietatem adhibendam. ſed quæ hæc eſt
ſobrietas, Spiritum Dei vt inutilia docentem reprehendere? quæ modeſtia eſt, quum te
veluti manu prehenſum euſque ducat Spiritus Dei per Apoſtolum loquens, vt excla-
mare cogaris, O homo, tu quis es qui ex aduerſo reſpontas Deo? reſtirare tamen, & eos Rom.9 d. 20. & e.12.
qui extra verbum Dei pedem non ponunt, ſed eius potius veſtigia cum timore & tre-
more ſequuntur, curioſitatis ac temeritatis accuſare? Cedò verò, gratuitam iuſtificatio-
nem quomodo tandem expedieris? quomodo Pelagianis, quomodo Papiſtis, quomodo
Anabaptiſtis & cæteris operariis hæreticis reſpondebimus, niſi quid ſit illud αὐτεξούσιον,
quid ἀναγκαῖον, quid βίαιον, quę hominis corruptio, quæ vires, quæ facultates doceamus?
Denique quomodo Dei bonitatem cognoſcemus, niſi quantũ ſit noſtrum vitium, ſe-
riò cognouerimus? ¶ Sed & de Deo & Angelis cognitionẽ, Belli, in eodem albo recen- Quęſtiones de Deo & Angelis vtcunque neceſſariæ.
ſes, quod quomodo cum his quæ dixiſti de aurea illa moneta conueniat, fateor me vi-
dere non poſſe. Nam ſi hominũ curioſitatem reprehẽderes in eiuſmodi quæſtionibus
tractandis, rectè ſanè faceres: ſed quum in genere homines accuſes quòd de his rebus
quęrant: & hanc rationẽ tuę reprehenſionis addas, quòd neque vſque adeò cognitu ſint
neceſſariæ, neque ſi ſciantur, hominem efficiant meliorem, apparet vos non requirere
vt de iſtis curioſè & extra verbũ Dei non diſputetur, ſed in ea opinione eſſe vt putetis de
his prorſus non eſſe agendum, quæ videlicet ſecurè à Chriſtianis contemni & ignorari
poſsint. In his autẽ grauiſsimè à vobis peccari exiſtimo, quia de iſtis rebus ſobriè & ex
verbo Dei diſputari, vel ad nos docendos, vel ad infirmos confirmandos, vel ad confu-
tandos hæreticos, prorſus neceſſe eſt: & bonarum artium hic præcipuus ac legitimus eſt
vſus, ſi ad has quæſtiones tractandas adhibeantur, ita tamen vt λογομαχίαι & ſophiſticę
contentiones omnes vitentur, atque intra verbum Dei, quod vnũ eſt αὐτόπιστον καὶ ἀνυπεύ-
θυνον, rationem noſtram laſciuientem coërceamus.

Certè quum Dei per Chriſtum cognitio ſit fidei noſtræ veluti materia, non poſ- An de Deo quęri neceſſe ſit.
ſum ſatis mirari quo iudicio cognitionem de Deo non vſque adeò cognitu neceſſa-
riam eſſe dicatis ad ſalutem per fidem conſequendam: quum paulò antè, Belli, non
fidem, ſed vitæ correctionem vnam eſſe viam dixeris qua ad Chriſtum, id eſt, ad ſa-
lutem peruenitur: atque in aureæ veſtræ monetæ deſcriptione requiri hoc dixeris, vt
in Deum Moſis credatur: quæ quomodo inter ſe cohæreant, cogitatione complecti
non poſſum.

De Angelis verò ſi ſobria cognitio (neque enim Dionyſij illius ſpeculationes probo De Angelis.
à verbo Dei aberrantes) meliorem hominem non efficit, cur eorum & naturam, & of-
ficium, atque adeò nomina etiam quædam, Scriptura commemorat? An quòd Spiri-
tus ſanctus de rebus inutilibus garrire velit? Cur docet Chriſtus, puerorum Angelos Matth.18. b. 10
Patris faciem videre? Cur cæleſtis militiæ mentio fit: quam etiam Eliſeus & puer eius Luc 2 b.13.
intuentur? Cur Angelos Græcorum & Perſarum Daniel cõmemorat? Cur toties Da- 2.Reg.6.d.17 Dani.10.c.
uid Angelorum præſidio nos ſeptos eſſe dicit? Cur Apoſtolus adminiſtratorios Spiritus 13.& d.20.
vocat, qui in miniſterium emittantur propter eos qui hæreditatẽ capient ſalutis? Nón- Pſal.34.b.8. Hebr 1.d 14.
ne vt eximiam inde cõſolationem, ſicut rectè quidam ſcripſit, percipiant fideles, quum 2.Pet.3.d.22.
miniſtros ſibi attribui audiunt cæleſtes exercitus, vt ſalutem ipſorum procurent? Eſt e-
nim non vulgare diuini erga nos amoris pignus, habere illos noſtra cauſa in opere aſsi-
duos. Hinc etiam manat rara fidei confirmatio, quòd ſalus noſtra ſit extra periculum,
talibus præſidiis munita. De ſtatu animarum poſt hanc vitam.

Cognitionem autem de ſtatu animarum poſt hanc vitam neceſſariò tractandam eſſe

dicimus vel aduerſus fanaticos illos, qui quum dormire animas poſt mortem exiſtimãt, partim ipſarum animarum ſubſtantiam diſsipant: partim fidelium conſolationẽ magna ex parte deſtruunt: partim ad hoc confirmandum ſomnium infinitos Scripturæ locos peruertunt. Et hæc quidem ſigillarim de iſtis blaſphemus dicta ſint: quarum hæc origo eſſe videtur, primùm quòd cognitionem de Deo nimiùm anguſtis finibus iſti circunſcribant: deinde quòd fidem illam, qua vna Chriſtiani ſumus, vel ipſi non nouerint,

Quę ſit fides Chriſtianorũ, & quod iter ad Chriſtum.

vel ex hominum animis velint extirpari. Ac illud quidem per ſingulas partes oſtendimus: hoc autem, vel ex eo liquet, quòd vitæ correctionem, vnam eſſe dicunt ad Chriſtum viam. Quod ſi verum eſt, agè, Lex ſola annuntietur, & de illa implenda ſimus ſolliciti: vt poſtquam nos ipſos emundauerimus, ſani iam & valentes ad medicum veniamus, qui valetudinem noſtram confirmet. Chriſtum confiteamur eſſe Dei Filium, mundi dominum ac iudicem, qui nos ſcilicet ex factis noſtris vel accuſet vel condemnet. De Euangelij & Legis diſcrimine, de gratuita remiſsione peccatorum, de iuſtitiæ Chriſti imputatione ne quæratur quidem. *Perinde enim id eſt* (inquiunt) *ac ſi quæras venturúſne ſit Princeps aliquis curru an equo, rubro an albo veſtitus.* Quiduis ergo de his rebus cuius ſentire liceat: *neminem iudicemus, ne ipſi iudicemur.* Pauli diſputationes de his rebus vt non vſque adeò cognitu neceſſarias, *quum ſine illis ſalui facti ſint publicani & meretrices, vt ad vitæ integritatem nihil facientes, imò verò vt duces ad ſuperbiam, ſæuitiã ac perſecutionem abijciamus.* At nos

Epheſ. 1. a. 4. & 2. a. 4. Rom. 5. b. 8.

longè aliud iter eſſe ad Deum didicimus: æternam videlicet illam & gratuitam Dei dilectionem, qua nos in Chriſto ante mundi creationem elegit: qui nos in Filio dilectos quum adhuc inimici eſſemus, ſuo tempore Filio ſuo donauit: ad quem vt venire poſſemus, ipſe nos Spiritu ſuo traxit, & ex nolentibus volentes fecit: qui Spiritus deinde cor

Iohan. 6. d. 36. & c. 44. Galat. 4. b. 9.

illud contritum & animaduerſione & cogitatione ſcelerum noſtrorum fractum, in nobis creauit. Hoc igitur verum & vnum iter eſſe dicimus, quo ad Chriſtum & per Chriſtum, ad ſalutem peruenitur: nempe vt per gratiam Dei intellecta morbi noſtri ma-

1. Ioh. 4. d. 19.

gnitudine, ad Medicum trepidi confugiamus: qui tamen prior nos nouit, & ad nos veniens, ſe medicum eſſe nobis per Spiritum ſuum aperuit. Neque verò in eo gradu conſiſtimus: quia parum eſt morbum ſuum, & quæ ſit ipſius curandi ratio cognouiſſe, niſi medicina vtaris. Hic igitur bonus ille & vnicus tot lethaliũ morborũ medicus, cui à Patre dati ſumus, & medicinam ſuam, id eſt, ſeipſum nobis electis offert, & manum

2. Theſ. 3. a. 2.

creat in nobis qua venientem ipſum amplectamur: fidem dico, gratuitum illud & perpetuum filiorum Dei donum, quo ſinguli fideles non modò vera illa omnia eſſe fatentur quæ vos vt parum neceſſaria repudiatis, ſed etiam (quod præcipuum eſt & ſolius Chriſtianorum fidei proprium) ea omnia ſibiipſis applicant vt propriè ac peculiariter ſibiipſis deſtinata, huiúſque fidei effectum eſſe vitæ correctionem re ipſa experiuntur. Itaque quamuis nemo ad Chriſtum perueniat qui non vitam emendet (requirimus enim eam ſcientiam & cognitionem cum qua fides, ſpes, & charitas perpetuo & indiſſolubili nexu cohærent) negamus tamen quod affirmatis, vitæ correctionem iter ad Chriſtum eſſe: ſed potius, quum natura oleaſtri ſimus, fide nos prius inſeri in oleam

Rom. 11. b. 17.

oportere dicimus, vt ipſius ſucco in nobis vim ſuam exerente, bonos fructus feramus: neque quia vitam correximus, ideo nos ad Chriſtum venire, ſed contrà, quia Chriſtus

1. Ioh. 4. d. 19. Epheſ. 4. c. 13. Apo. 22. c. 11.

prior nos dilexit, ad nos venit, & in nobis eſt, & nos in ipſo, idcirco nos vitia noſtra ita agnoſcere fatemur vt in emendatione vitæ quotidie proficiamus, & ſemel iuſtificati, quotidie, augeſcente fide, in Chriſto adoleſcentes, magis ac magis iuſtificemur. Quũ igitur vultis vt ad religionis cognitionem cor mundum, id eſt (vt ipſi interpretamini) vitæ correctio afferatur, atque ad hoc confirmandum affertis teſtimonium illud, *Beati mundo corde, quoniam Deum videbunt*: primùm omnium vel requiritis ab homine quod præſtare ipſe non poteſt, id eſt, vt priuſquàm credat, vitam emendet: vel Papiſtarum de liberi arbitrij reliquiis dogma pernicioſiſſimum inſtauratis, quum ad gratię Dei & ſalutis cognitionem cor non mundum, ſed à Deo contritum, & poſtea per fidẽ mundandum afferre nos oporteat: niſi fortè vultis vt ad Deum accedamus, quia mundi ſumus, vel vt munditiem noſtram perficiat, ac non potius vt nos (ſicut ait Dauid) omni-

Pſal. 51. b. 7.

bus ſordibus penitus contaminatos aſpergat & lauet, vt Dei in Chriſto dilectio cognitionem noſtram, cognitio fidem, fides ſanctificationem ordine præcedat, ſicut efficiẽs

1. Ioh. 4. b. 16. Epheſ. 1. a. 4.

cauſa effectum: quia videlicet ipſe prior nos dilexit & elegit, non quum ſancti eſſemus, (ſicut rectè annotauit Auguſtinus) ſed vt ſancti eſſemus. Hæc tamen ita inter ſe cõnexa eſſe fatemur vt diuelli à ſe non poſſint, & vnum ab alio quotidie augeatur atque confirmetur.

firmetur. Deinde teſtimonium illud quod adhibetis, planè à vobis detorquetur, quum
illic Dominus à gratuita mercede propoſita (ſicut alibi ſæpe) nos ad vitam puram ad-
hortetur: neque eo quidem loco, Deum videre, ſit Deum cognoſcere, ſed hæreditatem
cæleſtem cernere, quæ piè & innocenter viuentibus eſt Chriſti ſanguine acquiſita.

Iam verò ad tertium illum Chriſtianiſmi gradū à vobis poſitum veniamus. Quis er- Quę ſit innocēs vita &
gò vobis vitam innocenter degere dicitur? Is nimirum qui quum vnum Deum credat, quomodo bona opera ſint
& Chriſtum mundi dominum ac iudicem, omnibus prodeſſe ſtudeat, nemini nocere. æſtimanda.
Ex his principiis conſequitur, ſi Socrates, Ariſtides, Phocion, Fabricius, Cato, Atticus
id credidiſſent quod credunt diaboli, aut diaboli ita vt illi viuerent, vitam vtriſque æ-
ternam deberi. Atqui nos neque in his, neque in illis aut fidem, aut vitam bonam re-
perire poſſumus. Nam quod ad fidem attinet, quum ea non ſit nuda aut ſimplex co-
gnitio Dei, ſed firmus aſſenſus, per quem fideles Chriſtum ſibi à Patre oblatum ample-
ctuntur, fidem iſtam neque diabolis, (quibus promiſſiones non offeruntur) neque So-
crati & cæteris (quibus incognitus fuit Chriſtus) neque ſceleratæ vitæ hominibus, (in 1.Iohan.3.a.4. & c.19.& d.
quibus Spiritus Dei non habitat) neque falſis fratribus (quorum fides & fictitia eſt & 13.
temporaria) tribuere poſſumus. Vitam autē bonam quum eam demum vocare didice-
rimus, quā Deus approbat: & ſine fide fieri non poſſit vt placeamus Deo: & ira Dei ſu- Hebr.11.a.6.
per eum maneat qui Filium non nouit (nouit inquam, non vt diaboli aut infideles, ſed Iohan.3.d.36.
vt ſoli electi norunt, qui per Chriſtum & iuſtificantur & ſanctificantur, quoniam qui
dicit, Noui eum: & præcepta eius non ſeruat, mendax eſt) ex his conficitur, eos à qui- 1.Iohan.2.a.4
bus fides illa abeſt, nihil aliud coram Deo quàm peccare poſſe. Itaque Apoſtolus non 1.Tim.1.a.5.
ſimpliciter dicit charitatem eſſe finem Legis, ſed eam demum quæ ex corde puro, &
conſcientia bona proficiſcitur: deinde verò quæ ſit conſcientia bona explicat quum ad-
dit, *Et fide non ficta.* Neque tamen Scipionem aut Catonem Catilinæ vel Neroni com-
paramus, (vitiorum enim & virtutū diſcrimina, certóſq; gradus agnoſcimus) ſed quum
de ea vitæ innocentia agitur quæ Deo comprobetur, ne in ipſis quidem iuſtificatorum
operibus, nedum in philoſophiæ præceptis, ſed in vnius Chriſti iuſtitia illud quærimus
per quod opera approbentur: cui Chriſto poſtquam per fidem illam de qua diximus, ita
ſumus coniuncti vt vnum cum ipſo efficiamur, tum demum fructus ab hac radice exor-
tos gratis & liberaliter placere non dubitamus. Neque rurſus iſtis operibus, quantun-
uis gratis, vlla ex parte nitimur, tanquam ſalutis noſtræ materia: ſiquidem de ipſo A-
brahamo agens Apoſtolus, *Si ex operibus*, inquit, *iuſtificatus eſt, habet de quo glorietur, ſed non* Rom.4.a.2.
apud Deum. Quāobrem multo minus id affirmare de his poteſtis qui ab Abrahamo tan-
to diſtant, quanto infideles à fidelium patre, id eſt, infinito interuallo. Quæ quum ita
ſe habeant, & planum fecerimus verum Deum ex veſtro dogmate cum idolo confun-
di, religionis fundamenta funditus ſubuerti, integram & innocentem vitam perperam
definiri: nemo non videt, opinor, tantum abeſſe vt, ſicut voluiſtis perſuadere, iſti quos
iam inde à primis Eccleſiæ initiis omnes orthodoxæ Eccleſiæ pro hæreticis habuerunt,
idcirco puniendi non fuerint, quòd de rebus parum neceſſariis diſputarint: vt contrà
& eorum memoria omnium bonorum odio & execratione digna ſit, & Magiſtratus of-
ficium poſtulet vt in eos qui Chriſtianam religionem radicitus extirpant, & illorum
errores ſepultos excitant, ſeueriſsimè animaduertatur.

¶ *Secundum argumentum aduerſariorum: Non eſſe puniendos hæreticos, quia controuerſiæ quæ tanto iam tempore agitatæ ſunt in Eccleſia, non poſſunt decidi ex verbo Dei ſcripto.*

Nunc ad alterum veſtrum argumentum accedo, in quo non minor blaſphemia, craſ-
ſior certè impietas quàm in ſuperiore apparet. Partim enim dicitis eas quæſtiones de
quibus hodie controuerſia eſt, obſcuras adhuc eſſe, necdum certò concluſas: partim
religionem obſcurè nobis & ænigmaticè traditam eſſe. *Ex quo efficitur* (quod ait quidam Caſtellio in
ex veſtris, quem quum alloquor, teipſum Belli alloquor,) *ſi quæ ſunt in religionis negotio* Latinorū Bi-
controuerſiæ, ſequendum eſſe Iudæ Machabæi conſilium, qui quum de ara ſolidi ſacrificij quid ſtatueret bliorum præ-
non haberet, eius lapides in monte templi loco opportuno poſuit, donec adueniret Vates aliquis qui de his fatione.
*oraculum referret. Aut potius Moſis, cui diſertis verbis modò præceptum erat vt ſiquis contra Legē data
operā commiſiſſet, is capite pœnas daret: & tamen eum qui in die Sabbati lignatus erat, interficere no-
luit, niſi relato ſuper ea re nominatim oraculo. Vel Gamalielis conſilium. Vel Pauli, qui vetat ne alius
alium damnemus. Vel Romanorum legem de vindiciis.* Quæſo verò, cur hæc tantis ambagibus

inuoluitis? Agè, palã & apertè dicite quod ſentitis: Quia ab omnibus ignoratur quę ſit veritas, & Scripturæ tam obſcuræ ſunt vt ex his non poſsint controuerſiæ quibus tanto iam tempore exercetur Eccleſia, decidi, nemo eſt pro hæretico damnandus: ſed noua è cælis reuelatio expectanda, vel certè noua Scripturarum explicatio tam clara & aperta vt de ea nemo dubitare poſsit. Interim quod ad religionem quidem attinet, liberum cuique ſit quod volet, credere ac docere. At enim dicetis fortaſſe, hominum vitioſitatem & impietatem, non autem Scripturam à vobis damnari, quam etiam nuper quidam ex veſtris ita excoluit, vt iam non barbarè, vt antea, ſed Latinè loquatur, tantum abeſt vt eam contemnatis. Ego verò ſicut à vobis hæc dici fateor, ita etiam affirmo idcirco tantùm dici vt ſimplicibus imponatis, ídque ex veſtra concluſione confirmo. Vultis enim in genere vt in cõtrouerſiis de religione, noua expectentur oracula: vt horum alterum inficiari non poſsitis, nempe, vel Scripturas à vobis vt obſcuras ac non ſatis idoneas ad controuerſiarum deciſionem reiici, vel certè omnes omnium ætatũ homines, atque adeò etiam ipſos Apoſtolos à vobis ignorantiæ accuſari: *quorum tempore* (inquit idem ille) *ſi perfecta illa Dei cognitio ac pietas fuit, quæro cur tam parua fuerit, ac tam citò exoleuerit? Sin dicet, Noſtrò tempore: mirabimur hanc pacem quæ ex vomeribus falcibuſque noſtris cudat enſes, & ſupellectilem domus conuertat in bombardas & propugnacula.* Quòd ſi hoc concedere quàm illud malitis, dico vos in idem præcipitium ruere. Nam qui Prophetas & Apoſtolos cęteróſque à quibus vtriuſque Teſtamenti tabulæ perſcriptæ ſunt, ignorantiæ accuſat: non ipſos modò, ſed etiam eorum ſcripta eiuſdem criminis arguat neceſſe eſt, niſi furioſos eos fuiſſe velimus, qui ea tum dixerint, tum ſcripſerint quę ipſi non intelligerent. Quamobrem etiam fortaſsis veſter ille vir optimus non Prophetas, ſed *Vates* eos appellat. Itaque quum à vobis dico Deum pro hominum ludificatore haberi, Scripturas autem re ipſa aboleri: neque vos calumnior, neque quicquam affingo: tantum apertè & ſimpliciter dico quod aſtutè diſsimulatis. Sed operępretium eſt videre quibus adducti rationibus tam impium & peſtilens hoc dogma audeatis affirmare. *De controuerſiis religionis*, inquit Clebergius, *nondum certò conſtat: ſi enim conſtaret, diſputari deſiſſet, nec vllus tam inſanus eſſet qui mori ſuſtineret, quo rem certam negaret.* Et alius quidam ex veſtris, *Profectò ſi verum fateri volumus*, inquit, *eſt adhuc noſtrum ſeculum profundis ignorantiæ tenebris demerſum: cuius rei certiſsimum teſtimonium ſunt tam graues, tam pertinaces, tam pernicioſæ diſſenſiones.*

Refutatio. Egregium certè argumentum: quia de intelligentia Scripturæ ſemper dubitatum eſt inter homines, idcirco non poteſt ex Scripturis certa quædam controuerſiarum deciſio conſtitui, ſed pendente lite vindiciæ dandę ſunt ſecundum libertatem, & expectanda noua Iudicis ſententia, quæ controuerſiam dirimat. Dicite igitur, quæſo, vos publicæ non libertatis ſed licentiæ vindices, idcircóne nulla veritas eſt, quia pleriſque ſemper fuit & erit incognita? Et ſi hæc ratio valet, quid tandem, non dico in diuinis rebus, ſed etiam in humanis conſtituetis? Nam quid tandem eſt de quo ab aliquo non dubitetur? aut de quo inter omnes conueniat? Ergo quid ſupereſt niſi vt Academicam ἀκαταληψίαν renouetis, vt quaſi deſperata certi cognitione, id ſequatur quiſque quod veriſimile videatur? Quod dogma quum ex diametro Chriſtianæ religioni repugnet adeò, vt non magis veritas à mendacio diſſideat, nimirum ſi vobis credatur, religio Chriſtiana funditus intereat neceſſe eſt. Quum enim ipſa nitatur ſolo Dei verbo, quiſquis tam obſcurum hoc eſſe vult vt ex eo controuerſiæ religionis nunquam adhuc certò concludi potuerint, ſublata verbi Dei firmitate, quo tandem fundamento nitetur Eccleſia? Imò verò illa ipſa nutent neceſſe eſt quę vos ſola nobis reliquetatis. Nam (obſecto) ſi à verbo diſceſſeris, vnde tu nobis vnum eſſe Deum æternum & omnipotentem probaueris, à quo mundus conditus adminiſtretur? Si dixeris, Ex rerum creatarum contemplatione: excipiam fallacem hanc eſſe & incertam, ídque ex hac tua ratiocinatione colligam: neque enim verum eſt quod affirmat Bellius, Omnes nationes vnum eſſe Deum fateri. Sed clamat etiamnũ hodie tota Epicureorum natio per vniuerſum mundum diſperſa, vel Deum nullum eſſe, vel mundum non curare: & ſi peregrinationibus credimus, multæ adhuc ſunt gentes quę plures deos colunt: Peripatetici mundum eſſe ęternum ſibi perſuadent: Stoici fato Deum ſuum ſubiiciunt: neque ſunt iſtæ opiniones è mundo depulſæ, neque prius depellentur quàm Chriſtus mundum iudicabit. At enim hæc teſtatur Dei verbum. Quid ſi de ipſo verbo, num verbum Dei ſit, inter impios ſemper quęſitum eſſe excipiam? quid ſi Manichæorũ duos illos deos? quid ſi Valentini Æonas & ſimilia portenta? nam & iſtos non dubium eſt Scripturam ad

ſuos

ſuos errores confirmandos adhibuiſſe. Iam verò quod ad Chriſtum attinet, vnde tan-
dem niſi ex Dei verbo Filium Dei eſſe mundi dominum ac iudicē cognoſcemus? Hæc
enim non modò omnem humanum ſenſum ſuperant, ſed etiam rationi noſtræ ita re-
pugnant, vt rectè dixerit Paulus ſe ſtultitiam Gentibus, Iudæis autē offendiculum an- 1.Cor.1.c.23.
nuntiare: & alibi ſæpe hoc arcanum dicat ab omnibus ſeculis fuiſſe abſcōditum: quod Ephes.3.b.9.
quidem (vt ait Chriſtus) non caro aut ſanguis, ſed Pater cæleſtis teregit. Quomodo ve- Matth 16.c.17
rò retegit? Externa videlicet verbi Dei prædicatione cor noſtrum per Spiritū ſanctum Act.16.c.14.
aperiens. Quòd niſi ad hæc confirmanda & explicāda quæ de Chriſto credimus, Scri-
pturæ ſatis planæ ac perſpicuæ ſunt, quid ſupereſt niſi vt exiſtimetis iſta quoque de v-
no Deo, & ipſius prouidentia, itémque de Chriſto probabiliter tantùm à nobis, nō ne-
ceſſariò dici, quum de his rebus impij ſemper dubitauerint? De cæteris autem rebus
quid dicam? vt de iuſtificatione, de libero arbitrio, de Baptiſmo, de Cœna Domini, de
inuocatione Sanctorum, quas vos decidi ex Verbo negatis poſſe, quum planis & perſpi
cuis Scripturæ teſtimoniis fuerint conſignatæ? nempe hæc eſt licentia quæ captatur
vt (paucis tantùm exceptis, quæ per ſe inutilia ſunt, atque etiam vacillant ſi veſtram
doctrinam ſequamur) quæuis portenta in Eccleſiam Dei inuehi poſſint, & pro fide opi-
nio, pro veritate veriſimilitudo, pro neceſſitate probabilitas Academicorū ſtabiliatur.
Sed abſit hoc à piis omnibus qui non modò credunt, ſed etiam intelligunt quid cre- 1.Pet.3.c.15.
dant, & parati ſunt ad reddendam fidei ſuę rationem ex Dei verbo: qui denique pueri 1.Cor.14.d.20
ſunt non ſenſibus, ſed malitia: quíque propter aſſuetudinem, ſenſus habēt ad diſcretio- Hebr.5.d.14.
nem boni & mali exercitatos. Neque enim vel multitudo dubitantium, quæ ſemper
erit & fuit maxima: vel diſſidiorum diuturnitas (eſt enim antiquiſſimum Dei cum Sa-
tanæ factione diſſidium) efficere poteſt vt in religionis cauſa nihil certi conſtitui poſſit:
ſed mundi potius cæcitatem atque incredulitatem iſta coarguūt, debéntque fidelium
diligentiā acuere, vt clariſſima illa & inextincta verbi Dei lampade accenſa, bonū à ma
lo, verum à falſo diſtinguant. Deinde verò (ne quid vobis de alieno largiar) inter quos
tandem de iſtis controuerſiis quas indifferentes eſſe vultis, tandiu dubitatum eſt: Num
in vera Dei Eccleſia? Minimè certé. habuit enim ſemper Deus aliquam Eccleſiam, à
qua vox ipſius non modò exaudiretur, ſed etiam cognoſceretur & intelligeretur: ita vt
de his, ſine quorum cognitione Eccleſia nulla eſſe poteſt, nunquam dubitarit: quia de
his ſemper planè ac perſpicuè Eccleſię ſuæ concionatus eſt, quod tamen poſt Chriſti
aduentum multo quàm antè apertius fecit. Hoc tamen non nego, imò potius in meip-
ſo agnoſcere me, Dei gratia, profiteor, certis temporibus & gradibus ipſos etiam ele-
ctos, ex quibus vera Dei Eccleſia conſtruitur, à Domino vocari, & lucis Euangelicę par-
ticipes fieri. Sed aliud eſt in genere de vera Eccleſia loqui, cuius membra perfecta iam
ſunt (quatenus quidem hîc hominibus perfectis eſſe licet,) id eſt, propter aſſuetudinem
ad diſcretionem boni & mali exercitata, à quibus videlicet cognoſcitur & intelligitur
Euangelij doctrina: aliud verò de ſingulis hominibus agere, ex quibus conſtat Eccleſia,
inter quos multi ſunt infirmi, multi imbecilli in fide, multi etiam ignorantes, quos Do-
minus ſuo tempore perficit. Nam alioqui quomodo aut quo fructu Deus cum Eccle-
ſia ſua ad conſummationem vſque ſeculi ſe futurum dicit? cur nobiſcum loquens ſeſe
captui noſtro tantopere accommodauit? An vt quum verba popularia eſſent, res ta-
men intelligi non poſſet? an vt tanquam altera Sphinx in ſoluendis ænigmatum nodis
nos exerceret? Intelligi quidem Scripturas niſi Spiritu Dei docente non nego, eúmque Esa.53.a.1.
Spiritum omnibus non dari. Sed num eum Chriſtus ſolis Apoſtolis promittebat, à quo Matth.13 b.11 Iohan.16.b.13
in omnem veritatem ducerentur, ac non potius toti Eccleſiæ? Quòd ſi Spiritus Dei in
omnem veritatem non introducit, eorū videlicet quæ cognitu prorſus neceſſaria ſunt
ad ſalutem, vbi tandem veritas eſt? & ſi nuſquam eſt, quid aliud eſt Chriſtiana religio
quàm vanum & futile ſomnium? Num verò mendax erat Moſes quum Iſraelitis diceret Deut.30 b.11.
nihil eſſe cur ad exquirendam Dei voluntatem aut in cęlum aſcenderent, aut mare tra
iicerent? Num furioſus Dauid, qui Legem, id eſt, doctrinam Dei verbo comprehen- Psal 119.105.
ſam, teſtatur pedibus ſuis lucernam eſſe? Cur verò Paulus & Petrus ad hoc ipſum ver- Rom 10.b.8.
bum nos reuocant quod ipſi annuntiarunt, ſi hoc tam obſcurum eſt quàm eſſe vultis? 2.Pet.1.d.25.
Cur Chriſtus ipſe doctrinam ſuam ex verbo ſcripto confirmat, & quidem ſæpe citatis
teſtimoniis quæ Iudęi etiamnum hodie calumniari non deſinunt? Dedit Apoſtolos,
inquit Paulus, Paſtores ac Doctores, ne amplius circunferamur quolibet doctrinę ven- Ephes.4.b.11 & c.14.
to, aut ab hominibus eludamur, ſed vt vera illa cognitione Dei illuſtrati, omnes ſimul

in fidei vnitatem occurrant. Cedò verò, cuius rei doctores? certè Euangelij, præter quod
Galat.1.b.8. ſiquis aliud prædicauerit, anathema ſit. Quòd ſi hoc Euangelium Pauli primùm voce
ſic eſt prædicatum, deinde verò manu ſic eſt perſcriptum obſcurè & ænigmaticè, vt, ſi-
cut Epicurei dicere ſolent, inſtar cerei naſi huc & illuc flecti poſſit, neque neceſſariis
quæſtionibus explicãdis (curioſas enim omitto) de Deo, de Trinitate, de Christi ſtatu
& officio, de Angelis, de Statu animarum poſt hanc vitam, de Prædeſtinatione, de Li-
bero arbitrio, de Iuſtificatione, de Sacramentis, de Sanctorum inuocatione, &c, (vt alia
adiungam quæ ſcientes & prudentes prætermiſiſtis, ne Papiſtas, quibus iampridẽ adu-
lamini, offenderetis) de Miſſa, de Purgatorio, de Indulgentiis, de Primatu Papæ, de Pec-
cato originis, de Cultu imaginum, de Confeſſione, & cæteris adulterinis Sacramentis:
vt, inquam, his & ſimilibus quæſtionibus explicandis non ſufficiat, quomodo non
mendax erit Paulus? perinde enim faceret acſi poſtularet vt arnndine niteremur, ne
fluctuare deinceps & vacillare poſſemus. Cur autem idem ille fore teſtatur vt Spiritu
2.Theſſ.2.b.8. oris Dei conficiatur Antichriſtus? Quem locum ſi de verbo Dei ſcripto poſt Eſaiam in-
Eſai.11.a.4. telligitis, cur ex eo controuerſias decidi poſſe negatis? Sin de alio quopiam, cedò quod
2.Tim.3.d.16. illud ſit, oſtendite. Nam quod ad nos attinet, de eo verbo hæc ſcripta eſſe credimus,
quod quum ſit diuinitus inſpiratum, vtile eſt ad doctrinam, ad redargutionem, ad cor-
rectionem, ad inſtitutionem quæ eſt in iuſtitia: & quo vult Paulus inſtructos eſſe Paſto-
Act.18.g.28. res, non modò vt appoſiti ſint ad docendum, ſed etiam (quod de Apollo ſcribitur) con-
1.Tim.3.d.15. tradicentes coarguant: quamobrem etiam Eccleſiam columnam veritatis appellat.
Hebr.1.a.2. Denique vt finem de hac re dicendi faciam, ſi Deus extremis temporibus tam obſcurè
Matth.17.a.5. Rom.10.d.17. & ænigmaticè per Filium ſuum loquutus eſt, cur iubet vt eum audiamus? quomodo ex
1.Cor.2.d.16. Verbi auditu fides naſcetur? Atque vt vno verbo tranſigam, aut mendacem eſſe Pau-
lum oportet, (quod abſit) quum inquit nos mentem Christi tenere: aut (quod verum
eſt) vos eſſe blaſphemos, niſi fortaſſis oſtenderitis alio modo quàm per verbũ ſcriptum
ſolere Spiritum ſanctum Eccleſiam Dei docere, quod nemini niſi penitus inſano perſua-
Exo.9.b.16. ſeritis. Cedò igitur, à quibus ſemper dubitatum eſt? nempe ab iis quos Deus ſicut Pha-
2.Cor.4.a.4. raonem indurauit, vt in eis potentiam ſuam declaret: ab iis quibus Deus huius ſeculi
oculos excæcauit, vt videntes non videant, & audientes non audiant: ab iis qui volen-
tes veritatem ignorant: denique reſpondemus vno verbo cum Paulo, Si adhuc vela-
Ibidem.4.a.3 tum eſt Euangelium, in his demum velatum eſſe qui pereunt: & iſtos quidem in Ec-
2.Theſſ.2.a.4. cleſia ſæpe permixtos eſſe fatemur, quum ipſe Antichriſtus in templo Dei ſedeat. Sed
vt in Eccleſia ſint, ex Eccleſia tamen non ſunt. Quænam igitur hæc eſt dementia, ex
eo velle conuellere dogmatum Christianorum veritatem, quòd à nonnullis nondum
ſatis firmis, ad tempus de his quæri ſoleat, ab incredulis autem & impiis ſemper dubi-
tari? Sed miratur Clebergius cur de his diſputari non deſierit, exiſtimátque nullum eſ-
ſe tam ſtultum qui mori ſuſtineat vt rem certam neget. Atqui cogitare debuerat nun-
quam defuturos qui in manifeſta veritate cæcutiant, quíque vel odio, vt illi qui Chri-
Matth.12.b.24. ſtum dicebant dæmonia præſidio Beelzebub eiicere: vel ambitione, vel libidine, vel
1.Tim.3.b.9. inuidia vel Dei iudicio excæcari, & diaboli laqueo irretiti, controuerſias de rebus cer-
tiſſimis & clariſsimis excitent: & adeò quidem acres, vt earum cauſa vel mortem ſub-
ire non dubitent. Quòd ſi mihi non creditis, credite omnium ſeculorum experientiæ.
Ioh.20.g.28. Quid certius eſt quàm Christum eſſe Deum, vel ipſo incredulo Thoma teſte? & tamen
(vt de hypocritis nihil dicam) paucìſſimi ſemper homines hoc crediderunt, ſi cum re-
liqua multitudine comparentur. Quor vetò ludæos comperies pro ſuo Meſſia ad mor-
tem ſubeundam paratos, quot Papiſtas pro ſua tranſſubſtantiatione, quot Mehume-
tanos pro Mehumete? atque (vt vetera omnia exempla prætercam) execrandi illius
Serueti recens exemplum oſtendit quantum inueterata pertinacia valeat. Quid cer-
tius futura reſurrectione? & tamen (vt de Sadducæis & Epicureis nihil dicam) Philetus
2.Tim.2.c.18. & Hymenæus iam factam eſſe dicebant, quos hodie ſequuntur Libertini. Adulteria,
homicidia, furta, latrocinia an propterea punienda non eſſe dicemus, propterea quòd
Anabaptiſtæ vxores faciunt communes? reuelationibus ſuis homicidia excuſant? pri-
uatum rerum dominium tollunt? & pertinaciter in his erroribus moriuntur? Habet e-
nim, ſi neſcis, etiam diabolus ſuos martyres, vt rectè docet Auguſtinus de Circumcel-
lionibus loquens, quibus præter cauſam omnia ſunt cum Dei martyribus communia:
neque tamen propterea, aut Christiana dogmata incerta eſſe, aut certa eſſe diaboli
commenta vnquam concedemus. Quid autem bonus ille Serueti fraterculus? *Si vnus*

Spiritus

Spiritus eſt, inquit, *& vna veritas, omnes in quibus idem Spiritus ineſt, idem ſentire neceſſe eſt*
ſpiritualibus in rebus. Certè tibi in eo aſſentior: & hoc dico, veritatem ipſam à te inuito
extorſiſſe. Nam Catholica Eccleſia Dei (quia vno & eodem Spiritu agitur) vno & per-
petuo conſenſu idem ſemper ſenſit de his præcipuis capitibus, quę cõtrà quàm opina-
ris, Chriſtianiſmi ſummam complectũtur. Debuiſti verò, ſpiritualium, id eſt, fidelium
gradus quoſdam conſtituere. Nam hoc tibi concedo, quia nondum nos totos obtinet
Dei Spiritus, & peccatum in nobis regnare quidem, ſed habitare non deſiit: quia, in- Rom.7.d.13.
quam, qui cognoſcunt, nondum niſi ex parte cognoſcunt, multum adhuc caliginis & 1.Cor.13.c.19.
ignorantiæ in quibuſuis hominibus ſupereſſe: ſed quod antè dixi, iterum dico, Deum
videlicet tam perſpicuè Eccleſiæ ſuæ loqui, tantúmque lucis illi impertiri, vt de his re-
bus quarum cognitio in Eccleſia neceſſaria eſt, tam certa ſemper & perſpicua doctrina
in Eccleſia fuerit, quàm eſſe oportuit vt vera Eccleſia eſſet. Nam ea in quibus ij etiam
interdum diſſident in quibus iam Chriſtus adoleuit, ſunt ſemper eiuſmodi, vt quũ ſalua
maneat religionis ſumma, diuerſę opiniones diuerſas Eccleſias non faciant. Quinetiam
longius progredior, vt ad dilemma illud tuum reſpondere pergam, quo tu nos irretire
voluiſti. Dico enim & Apoſtolorum tempore, & omnibus quæ interceſſerunt ætati-
bus plenitudinem illam Chriſti capitis in membra exundaſſe, adeò quidem vt deterri-
mi etiam homines interdum intelligentiæ magna luce ſint donati, vt inexcuſabiles eſ-
ſent, & oſtenderet Deus quàm immenſa & infinita ſit ſua poteſtas, qui hoſtes etiã ſuos
quoties libuit ad extruendum Eccleſiæ ædificium operam ſuam conferre cogat. Id au-
tem ita eſſe vel ex eo liquet quod inquit Dominus, fore vt ſeruus qui domini volunta- Luc.12.f.47.
tem nouit, neque tamen facit, multis plagis vapulet: vt aliquos exiſtere neceſſe ſit qui
aliis non ſibi voluntatem Domini teneant. Diſtingui enim debent intelligentia & fi-
des, ita tamen vt qui hanc ſtatuat, illam quoque neceſſariò ponat, non contrà: quia fi-
des ex auditu eſt prædicati verbi: & auditu quidem eiuſmodi vt πληροφορίαν gignat, & Rom.10.c.17.
doctrinam vniuerſaliter oblatam, ſingulis electis applicet. Intelligentia verò quanuis
& ipſa non ſit à natura, (*Homo enim animalis non intelligit quæ Dei ſunt*,) tamen inter ea do-
na recẽſetur quæ interdum etiam impiis & reprobis certas ob cauſas Dominus imper- 1.Cor.2.d.14.
tit. Quod igitur vitioſitatem hominum & improbitatem dicis obſtaculo eſſe quomi-
nus Scripturæ intelligantur, niſi commodis diſtinctionibus leniatur, falſiſſimum eſt.
Nam in ipſis etiam electis quandiu hîc verſantur, vitioſitas illa & improbitas natiua
nunquam prorſus extinguitur, quanuis non imputetur: neque tamen ea res impedit
quominus mentem Chriſti teneant, quatenus quidem ad ſalutem expedit. Deinde e-
tiam in ipſis ſceleratiſsimis hominibus aliqua etiam eſt interdum (quanquam quod ad
ipſos attinet inutilis & infructuoſa) rerum ad ſalutem per fidem obtinendam neceſſa-
riarum intelligentia & cognitio. tantum abeſt vt obſcuritatẽ illam verbi Dei, & diabo-
licam ἀκατάληψιν concedamus. Neque verò mereris reſponſum, quum quæris cur exu-
berans illa cognitio quam Prophetæ promiſerant, ſi Apoſtolorum tempore fuit, tam
parca fuerit, & tam citò exoleuerit. Tantam enim lucem ſemper habuit Eccleſia,
quanta opus fuit: & tempora ac momenta quibus modò triumphare, modò prorſus
deiici & opprimi videtur, noſtrum non eſt metiri. Atque quod ad rem ipſam
attinet, id eſt, ad eas Prophetias Eſaiæ, Ezechielis, & Malachiæ, & Apocalypſeos, quas Eſa.11. & 60.
nondum impletas eſſe vis, primùm omnium reſpondere poſſem te non bene colligere, Ezech.36. Malach.4.
qui propterea quod quædam prædicta ſint quæ nondum euenerunt, idcirco poſtules vt Apoc.10.
de nullis religionis controuerſiis ſentẽtia feratur, ſed noua aliqua Iudicis ſententia ex-
pectetur. Sed longè aliud habeo quod reſpondeam. In primis enim, in eo falleris quod
quæ ſpiritualiter intelligenda ſunt, id eſt, de fera illa noſtra natura per verbum Dei ci-
curanda, & regno Dei ex varij ingenij ac variarum & inter ſe inimicarum gentium ci-
uibus componendo, ea tu craſſè & Iudaicè exponenda putas, ideóque quæris ecquan- Act.1.a.6.
do ſit Chriſtus regnum illud Iſraël reſtituturus, quod ſcilicèt Virgilius Egloga decima
pulcherrimè deſcripſit. Deinde (quod omnes norunt qui in Prophetarũ lectione ſunt
verſati) ſæpe ſolet regnum Chriſti à Prophetis deſcribi, non quale ſingulis erit momẽ-
tis & temporum articulis, ſed quale futurum eſt in ſua (vt ita dicam) plenitudine, quæ
quidem nunquam in hoc mundo exiſtet: niſi fortaſsis Chiliaſtarum, & Anabaptiſta-
rum, & Rabbinorũ ſomnia ſequi malumus, quàm Chriſti de ſuo regno vaticiniũ, quod
tamen frequenter in ore habetis. Quid enim Chriſtus? *Regnum meum*, inquit, *non eſt ex* Ioh.18.g.36.
hoc mundo. & alibi, *Non veni vt pacem mitterem in terram.* Taceo quod lapis offenſionis di- Luc.12.g.51.

Luc.2.c.34. citur,& ſignum cui contradicitur,& quòd vbique crucem & patientiam ſuis annũtiat.
Neque hęc ſunt vnius temporis aut ætatis,quum prædicet ſe vt furem venturum in iu-
1.Theſ.5.a.2. Luc.18.b.8. dicium,& eo tempore fidem in terra non reperturum. Quæcunque igitur eximij illi
Prophetæ de ſumma illa & perfecta Eccleſię pace prædixerunt,ſpiritualia ſunt,& ad ve-
ros filios Dei tantùm pertinent. Deinde futurum Eccleſiæ ſtatum reſpiciunt, qualis e-
1.Cor.15.d.28. rit quum domitis omnibus inimicis Chriſtus regnum Patri tradiderit, vt ſit Deus om-
nia in omnibus.Interim hanc felicitatem Eccleſia vel in mediis afflictionibus deguſtat,
patienter tempus illud expectans quo non amplius per ſpeculum cernet in ænigmate:
1.Cor.13.d.12. quod tamen Pauli dictum comparatè intelligendum eſt, habita futuræ manifeſtatio-
nis ratione. Ergo vt tandem hoc veſtrum argumentum concludam, neque verum eſt
controuerſias de religione nondum ſatis certò eſſe concluſas, & ex verbo Dei decidi
non poſſe,neque de his rebus ſuſpendi iudicium debet, aut noua Iudicis ſententia expe-
ctari, ſed ex verbo Dei ſcripto mendacium à veritate adhuc diſtinctum eſt, & ſemper
eſt diſtinguendum.

¶ *Tertium argumentum: Ab exemplo Iudæ Machabæi.*

Sed tempus eſt vt ea quoque exempla exponamus quibus abutimini ad veſtrum
confirmandum conſilium de hæreticis ante nouam Iudicis ſententiam non attingen-
1.Mach.4.e.46. dis. Primum eſt Iudæ Machabæi,qui de ara holocauſti quum quid ſtatueret non ha-
beret, eius lapides in monte Templi loco oportuno poſuit,donec adueniret Propheta
quiſpiam qui de his reſponderet. Nos verò primùm omnium iſtius libri auctoritatem
Refutatio. meritò repudiamus ad ſtatuendum aliquod vel dogma vel exemplum quo teneri poſ-
ſimus: deinde verò ne idoneum reſponſum nobis deeſſe putetis,res diſſimillimas dici-
mus à vobis comparari. Verus holocauſti altare quum pollutum eſſet, à Iuda deiicitur:
deiecti lapides ſeorſim collocantur, & oraculum expectatur: quia nimirũ quid his fieri
vellet Dominus, in Lege non edixerat. Inde verò quid aliud colligi iure poteſt quàm
in cultu Dei nihil ſine verbo aggrediendũ? In ea igitur cauſa de qua hic agimus, quum
Dei verbum ac mandatum expreſſum habeamus, quo iubentur blaſphemiæ puniri:
& præterea (vt antè oſtendimus) præcipuum hoc ſit Magiſtratus officium, curare vt
peccata in primam Tabulam vindicentur, quorſum nobis hoc Iudæ factum proponi-
tur, quaſi verbum Dei vel nullum, vel non ſatis expreſſum habeamus ad controuerſias
religionis decidendas?

¶ *Quartum argumentum: Ab exemplo Moſis.*

Num.15.e.30. & deincep. Alterum exemplum eſt Moſis, cui quum paulò antè præceptum eſſet vt ſiquis con-
tra Legem data opera commiſiſſet, is capite pœnas daret, tamen eum qui in die Sab-
bati lignatus erat, interficere noluit, niſi relato ſuper ea re nominatim oraculo.In hoc
autem exẽplo duplici ratione, Belli, hallucinaris.Primùm quia pro eo quod tu, Dedita
Refutatio. opera, interpretaris, Hebræa veritas habet, In manu excelſa: quem hebraiſmũ, vt mul-
tos alios, ſanè corrupiſti. Putaſti enim peccata quæ in manu excelſa fierent, ita oppo-
ni his quæ per errorem committuntur, vt nihil ſit medium: nẽpe vt duobus tantùm mo-
dis Lex violetur: vno quum imprudentes,altero quum dedita opera,hoc eſt,ſcientes &
prudentes peccamus:quam diuiſionem,etiam ſi vera ſit,tamen Moſes hoc loco non ſe-
quitur: id quod apparet ex eo quòd pœna capitalis hac lege in eos omnes conſtituitur
qui in manu excelſa peccauerint: quod ſi interpreteris de his omnibus peccatis in qui-
bus malus animus interuenerit,nullum non erit legis aut politicæ aut moralis, aut cę-
remonialis caput capitale: vt de Deo verè dici poſſit quod olim de Solone, ipſum vide-
licet ſanguine non atramento leges ſcripſiſſe. Itaque pecuniariæ mulctæ, & aliæ pœnæ
non capitales pleriſque legibus additæ, ad eos tantùm pertinerent qui errore peccaſ-
ſent: quod falſiſſimum eſſe præterquam quòd nemo non videt, ita etiam liquidò con-
Leuit.6.a.2. ſtare poteſt ex eo loco, in quo eorum etiam peccatorum expiatio deſcribitur,in quibus
fraus & vis interuenit. Quid igitur? nempe illic nõ ſuſcepit Moſes omnes violandæ Le-
gis ſpecies explicandas, ſed duas tantùm: vnam videlicet quum per errorem vel inco-
gitantiam peccatur: alteram verò quum quiſpiam in manu excelſa peccat, id eſt, vt re-
ctè vulgarus interpres vertit, Per arrogantiam: aperto nimirũ Dei deſpectu & contem-
ptu. quod ſcelus quum potius diabolicum ſit quàm humanum, non mirum eſt capitali
ſupplicio puniri, etiamſi alioqui in re minimi momenti peccatum ſit. Tunc enim verè
ipſa Dei maieſtas vel in re minima contumelioſiſſimè violatur. Quòd ſi quis vel auari-
tia, vel libidine, vel odio, vel neceſſitate impulſus, cuipiam ſciens ac prudens iniuriam

fecerit,

fecerit, nona iam violandæ Legis ſpecies naſcitur, de qua hîc non agit Moſes. Quanuis
enim hoc fieri non poſſit quin Deus contemnatur, id eſt, quin Deus tanti non fiat quã-
ti fieri oportebat: quia tamen Dei ipſius odio non peccatur, de quo fortaſsis etiã mens
cupiditatibus ebria nihil cogitauit, idcirco in proximum aut in Rempublicam potius
quàm in Deum peccatum dicitur: ideóque pro iniuriæ & criminis grauitate diuerſæ
pœnæ ſancitæ ſunt. Quum igitur is qui Sabbatum violarat, hoc ſcelus vel neceſsitate, Exo.31.c.14.
vel aliqua ratione potuerit admiſiſſe, fieri etiam potuit vt hac lege non teneretur. Sed
ne me putes tergiuerſari, quia videlicet alia perſcripta lex eſt in eos qui Sabbatum
violaſſent, qua non dubium eſt quin iſte teneretur: reſpondeo idcirco eſſe in carcerem
coniectum, non quòd dubitaret Moſes quin capite puniendus eſſet, ſed quòd de gene-
re ſupplicij ambigeret, quod ſcilicet in ea Lege non fuerat explicatum. Sic etiam ali- Leuit.24.c.12
quando idem Moſes in damnando alienigena blaſphemo Dei oraculũ requiſiuit, quòd
de eo facto nullam adhuc legem Dominus ſcripſiſſet. Nam alioqui Moſes, ſi præter Dei
verbum expreſſum, nouum aliquod Dei oraculum requiſiſſet, ſicut vos illum feciſſe
vultis, magnam certè maieſtati Dei iniuriam feciſſet. Quorſum hoc igitur profertis vt
iudicia hæreticorum tollantur, perinde ac ſi de religionis controuerſiis nondum lique-
ret? Imò verò quis tam cæcus eſt vt hinc effici non videat, ſi nefas fuit illi parcere qui cæ-
remonialem Sabbati legem contempſiſſet, multò minus eſſe hæreticos *αὐτοκατακρίτους*
impunè tolerandos?

¶ *Quintum argumentum: Ab auctoritate Gamalielis.*

Ad Gamalielis conſilium venio, quem hominem vos ſoletis (vt audio) tanquam cly-
peũ opponere: an quia de Apoſtolica doctrina non aliter quàm Gamaliel ſentitis? dubiè Act.5.f.34. & deinceps.
nimirum ac hæſitanter. Reſpondeo autem illius verbis cuius ſcripta ſi tam legiſſetis di- Refutatio.
ligenter quàm ſecurè ſoletis contemnere, non ita fœdè in multis eſſetis hallucinati. *Ga-* Caluinus
maliel (inquit ille) *quia ambigit quid rectum ſit, quaſi cæcus in tenebris, neque huc neque illuc ſe confer-* Commentariis
re audet, ſed ſuſpendit ſententiã. Interim ex veris principiis malam conſequentiam elicit, nempe nihil ad- in cap.5.Act.
*hibendum eſſe conſilij, quia Deus quod ſuum eſt tuebitur: quod autem ab hominibus eſt, peſſum ibit. At-
qui Dominus tametſi vnicus ſit agricola, mittit tamen operarios in vineam ſuam: tametſi ſolus det incre-
mentum, tamen vult eſſe qui plantent & rigent: tametſi Templi ſui ſit architectus, miniſtros tamen &
opifices ſibi adiungit, qui in hoc ædificium laborent. Denique tametſi defenſor ſit operum ſuorum & vin-
dex hominibus, tamen vtitur miniſtris.* Vos igitur, quandiu libebit, Gamalielis conſilium vt
cæleſte & diuinum efferatis: nos Paulo adhærebimus, qui anathema eſſe vult eos qui a- Gal.1.a.8.
liud Euangelium prædicarint. Neque fruſtrà Eccleſiam Thyatirenſem à Spiritu ſancto
reprehendi putamus, quòd Iezabelem, quæ ſe propheti ſſam dicebat, docere permitte- Apo.2.f.20.
ret, & ſeruos Dei ſeducere.

¶ *Sextum argumentum: A Pauli auctoritate.*

Non minus aberratis in explicando Pauli loco, in quo ita præcipit: *Siquis imbecil-* Rom.14.a.1.
la fide eſt, inquit, *aſſumite.* Et paulò pòſt: *Tu quis es qui iudicas de alieno ſeruo? ſuo domino* Ibidem a.4.
ſtat, aut cadit. Item, *Tu verò cur tuum fratrem iudicas? aut etiam tu cur nihili facis fratrem* Ibidem b.10.
tuum? Et rurſum, *Ne poſthac alius alium iudicemus.* Quæ omnia quo iure ad hanc cau- Ibidem c.13.
ſam detorqueantur, facilè intelliget quiſquis ſcopum Pauli conſiderabit. Primùm Refutatio.
enim non de hæreticis, quos alicubi canes & conciſionem vocat, ſed de imbecillis in Philip.3.a.2.
fide diſputat, qui adhuc in Legis elementis per infirmitatem hærebant: nos autem
de hæreticis agimus, id eſt, malitioſè errantibus & factioſis. Præterea de potu & eſca,
id eſt, de rebus mediis Paulus illic diſſerit: nos autem de ipſa religionis ſubſtantia, ip-
ſiúſque præcipuis capitibus, quæ vos tamen in rebus indifferentibus numeratis. Dein-
de quo tempore hæc à Paulo ſcripta ſint, conſiderare operæpretium eſt: ipſius nimi-
rum prædicati Euangelij velut initiis, quo tempore concedendum aliquid fuit eo-
rum infirmitati qui ex Circunciſione crediderant. Cum iſtis autem quid tandem com-
mune habent hæretici, de rebus expreſſo verbo Dei comprehenſis, & noſtra etiam me-
moria tam copioſè ac luculenter explicatis, pertinaciter ab Eccleſia Dei diſsidentes?
Poſtremò apud Paulũ & hoc loco & alibi, priuata & temeraria iudicia prohibẽtur, qui- 1.Cor.4.a.5.
bus videlicet proximũ ob rem aliquã leuiculam non charitate, ſed curioſitate quadam
vel odioſè ac ſiniſtrè velut à Deo reiectum damnamus: quem animi morbum Chriſtus Matth.7.a.1.
etiam acerrimè reprehendit. Nos autem de publicis iudiciis agimus tum Eccleſiaſti-
cis, tum ciuilibus, in quibus Deus ipſe iudex ſedet: quæ ſiquis ſuſtulerit, non modò

nulla Eccleſia, ſed ne Reſpublica quidem ſalua poterit conſeruari. Quinetiã priuata ipſa iudicia quadãtenus neceſſaria ſunt, vt charitatis officia homines inter ſe exercere poſſint. Nã & arborẽ docemur ex fructibus æſtimare, & quos errare iudicauerimus, blandè, quoad eius fieri poterit, in viã reuocare: tantũ abeſt vt publicorũ iudiciorũ vſum & conſuetudinẽ Paulus reprehendat, ſicut multis locis Auguſtinus copioſè expoſuit.

August. lib. 2. de ſermone in monte Domini. Lib. 10 cõfeſ. cap. 25.

¶ *Septimum argumentum: A deſcriptione charitatis.*

1. Petr. 4. b. 8. 1. Cor. 13. b. 4.

Ad aliud argumentum venio, valdè profectò abſurdum. *Charitas, inquit Apoſtolus, multitudinem tegit peccatorũ: omnia tolerat, omnia credit, omnia ſperat, omnia ſuſtinet: ergo docendi, non puniẽdi ſunt hæretici.* Quid ergo ſupereſt niſi vt Magiſtratus charitatem etiam violet quum furem non ſuſtinet? quum falſo teſti non aſſentitur? quum mutandæ vitæ longius ſpatiũ adultero non relinquit? Sin autẽ iſta cũ charitate nõ pugnant, imò vero iudex qui eiuſmodi homines non animaduertat, ciues ſuos charitate nõ proſequitur, certè charitatem ita definiatis neceſſe eſt vt non gaudeat iniuſtitia, ſed veritate lætetur: quod ipſe quoque Apoſtolus paulò antè expreſſit: deinde vt cum Ambroſio agnoſcatis quandam eſſe iniuſtam miſericordiam, quum in Lege ſcriptum ſit, *Non miſereberis illius:* & cum Auguſtino fateamini aliam eſſe charitatem ſeueritatis, aliam mãſuetudinis. Nam vna quidem charitas eſt, ſed diuerſa in diuerſis operatur, vt rectè docet ſanctiſſimus ille vir aduerſus Parmenianum, hanc eandem cauſam agens. Odium & Charitas oppoſita ſunt, vtrunque tamen à Domino præcipitur: quædam igitur odiſſe, quædam amare debemus: idque in genere Dominus oſtendit, quum inquit, *Odio habete iniquitatem, & diligite homin*: ſiquidem & ipſe Dominus diligit iuſticiam & odit iniquitatem. Quamobrem aut nobis oſtendite malos non eſſe hæreticos, aut hanc veſtram charitatem Chriſtianam non eſſe ſcitote: ſicut inter latrones non amicitia, ſed coniuratio eſt. Quòd ſi malos eſſe negaueritis, cur abſcindi optat Paulus? cur ſuo ipſorum iudicio dicit eſſe condemnatos? cur conſcientiam ipſorum cauterio amputatam? cur adeò vitandos eſſe monet, vt ne cibum quidem cum illis capias? Quid igitur? cur iſta tribuit Paulus charitati? Minimè certè vt pars illa iuſtitiæ qua de ſceleratis ſumitur ſupplicium, à Chriſtianiſmo remoueatur; ſed potius vt iudices bonorum amore, & vitiorum odio non hominum, facinoroſos puniant: neque vt ſeueritas iudiciorum eneruetur, ſed ne quid præcipitanter aut prauo affectu geratur: neque vt in rebus profanis, ac multò minus in Sacris collatur diligens rerum inquiſitio, & ſpirituum diſcretio, ſed ne ſuſpicionibus indulgeatur: ne imbecillos & infirmos cum malitioſis, factioſis, & præfractè contumacibus confundamus: ne inter ipſos etiam improbos nullum ſtatuamus diſcrimen: denique vt quantùm perſona & res ferunt, omnia in primis ad Dei gloriam, & Eccleſiæ conſeruationem, deinde etiam ad proximi ſalutem publicè ac priuatim à nobis referantur. Quorſum autem hoc ad impunitatem illam veſtram ſtabiliendam? Apage igitur, apage iſtam nõ charitatem, ſed crudelitatem extremam, quæ vt paucis quibuſdam lupis parcatur, totum Chriſti gregem prædæ exponendum cenſet. Vigilate potius fideles Magiſtratus, & Verbi Miniſtri, vt lupos in gregem Domini inuadentes, procul abigatis: atque adeò, quoties id poſtularit vel ſceleris vel periculi magnitudo, gladium vobis à Deo ad dignitatem ſuam vindicandam traditum, fortiter & conſtanter Moſis illius alioqui clementiſſimi hominis exemplo, pro gregis ſalute, in iſta hominum monſtra exerite, vt verè Deo ſeruiatis.

Lib. 3. Amos 5. d. 15. Pſal. 45. b. 8. Galat. 5. b. 12. Tit. 3. d. 11. 1. Tim. 4. a. 2. 1. Cor. 5. d. 11. Exod. 32. f. 27. Pſal. 2. c. 11.

¶ *Octauum argumentum: Quia Chriſtiani mites & clementes eſſe debent.*

Aliud argumentum aggredior cum ſuperiore prorſus coniunctum. Solent enim iſti clementiæ & ſanguinis ſe patronos dicere, nos contrà carnifices, ſanguinarios, perſequutores vocare: & quæcunque pro lenitate & clementia aduerſus perſecutiones in verbo Dei ſcripta ſunt, in nos detorquent. Quinetiam Monfortius iſtius factionis vnus, ſigna, teſſeras, ſcuta, baltheos, thoraca, caligas, gladios pingit, inſtar Phormionis illius quem meritò ridebat Hannibal, vt mirum ſit tam militarem eſſe poſſe clementiæ ac pacis patronum. Clebergius autem aduerſus vmbram ſuam diſputans, ſuum illud, O Deus, ingeminat: & bellam nobis diuiſionem fabricat. Contendit enim omnes qui in cauſa religionis alios perſequuntur, id eſt, puniunt, hoc vel propter inuidiam facere, vel propter ambitionem, vel propter auaritiam, vel propter Dei ſtudium cum ignorantia coniunctum: & poſtea colligit cæteros malitia peccare. Deinde mira contorquet enthymemata, quæ idcirco deſcripſi vt omnes

intelligant

intelligant quo ſpiritu iſti impellantur. 1 *Nolite timere puſille grex, ego mitto vos ſicut oues in medio luporum. Poteſtne puſillus grex perſequi magnum gregem, aut ouis lupum?* 2 *Mundus gaudebit, vos autem plorabitis. Vtri gaudent? nónne perſecutores? Vtri plorant? nónne qui perſecutionem patiuntur?* 3 *Beati eſtis quum vos perſecuti fuerint homines. Quomodo erimus beati, ſi ipſi alios perſequemur?* 4 *Qui vult venire poſt me, tollat crucem ſuam. Quomodo poſt Chriſtum ibimus, ſi ipſi aliis crucem imponamus?* 5 *Leæna lupum & ouem perſequitur, lupus ouem non leænam perſequitur, ouis eſt vltima: tantùm patitur, tantùm prodeſſe ſcit, non nocere. nihil enim habet infra ſe.* O mirificè manſuetum & clementem! quinetiam furum & homicidarum ſupplicium vt crudele reprehendit. Sic enim argumentatur: 6 *Quiſquis Ieſum credit eſſe Chriſtum, & veniſſe in carne, is natus eſt ex Deo. Ergo quiſquis interficit hominem qui credit Ieſum eſſe Chriſtum, interficit hominem natum ex Deo.* Quid plura? 7 *Quiſquis*, inquit, *perſecutionem patitur propter fidem, is aut rectè ſentit, aut errat. Si rectè ſentit, non debet lædi. nam ſi Chriſtus his à quibus crucifigebatur veniam orauit, quia errabant, quanto magis his qui pro eo ſe crucifigi ſuſtinent? Et ſi Lex Moſis his veniam dat qui aliquem per imprudentiam interfecerint, quanto magis his qui per errorem ſe interfici ſuſtinent?* Ecquis verò tam eſt inſanus vt ſimplicem errorem ab affectata ignorantia non diſtinguat? Ecquis tam imperitus rerum, qui non videat hoc modo omnibus quantumuis portentoſis & impiis hæreſibus ianuam aperiri? Bellius autem & ipſe Chriſti clementiam nobis pro exemplo proponit, quem etiam inſtar Caiaphæ illius adiutat. Ad hæc autem omnia iampridem Auguſtinus reſpondit, quum aduerſus Manichæos & Donatiſtas hanc eandem cauſam ageret, his verbis: *Rectè*, inquit, *iſta dicerentur à vobis quærentibus martyrum gloriam, ſi martyrum cauſam haberetis. Non enim felices ait Dominus qui mala iſta patiuntur, ſed qui propter Filium patiuntur, qui eſt Chriſtus Ieſus. Vos autem non propter ipſum patimini, ſed contra ipſum.* Aduerſus quos autem hæc dicit Auguſtinus? Certè aduerſus eos, qui ſi cum his conferantur, infinitis partibus erant meliores. Nam multorum vitiis offenſi, ab Eccleſia diſceſsionem fecerant, eandem alioqui in pleriſque doctrinam atque Catholici retinentes. Iſti verò quum cognitionem Trinitatis, quæſtionem de officio Chriſti, de prædeſtinatione, de libero arbitrio, de iuſtificatione, de Baptiſmo, de Cœna Domini, neque neceſſariam, neque vtilem eſſe dicunt, quid nobis relinquunt quo Chriſtiani ſimus? Id vnum videlicet quod ne diabolis quidem poſsint eripere. Idem Auguſtinus, *Et nos*, inquit, *confitemur quod dicitis, non ſolis Apoſtolis eſſe dictum, Beati eritis quum vos perſequuti fuerint homines. Ad omnes enim hoc pertinet, non qui poſt illos quamlibet perſecutionem paſsi ſunt, aut patiuntur, aut paſſuri ſunt, ſed qui propter iuſtitiam, ſicut & ipſi. Nam & hoc paulò ſuperius dixerat, Beati qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam.* Et libro tertio ad Epiſtolam Parmeniani, *Conſiderent*, inquit, *prius quid faciant: poſtea quid patiantur, aduertant. Quòd ſi quid pro eiuſmodi iniquitatibus patiuntur, ſi nolunt corrigi, ſaltem non audeant gloriari.* Hactenus Auguſtinus. Sed quum hæc à me dicuntur, plus etiam iſtis ſanè concedo quàm debeam. Ecquid enim dicere poſsint in his Eccleſiis eſſe factum cur nos crudeles, ſæuos, ſanguinarios vocent? Certè duos iſtius factionis principes noui, quorum tamen nominibus nolui hunc qualemcunque noſtrum libellum contaminari, Magiſtratuum noſtrorum clementiam, & Miniſtrorum bonitatem re ipſa pridem expertos. Nunc tamen vterque nos truculentos & feros perſequutores vocat. Quos autem hæreticos nominabunt à noſtris durius habitos? Vni abhinc biennium vna ciuitate eſt interdictum propter ſingularem & planè monacho dignam impudentiam, quum ſæpe admonitus, & conuictus, peſtilentiſsimo dogmate ex Pighij & Siculi lacunis hauſto, Eccleſiam palàm turbaret. Sed videre mihi videor quid eos magis commoueat: nempe miſerabilis illa innocentiſsimorum hominum, id eſt, Anabaptiſtarum cædes, deinde verò Serueti mors crudeliſsima. Ad illos autem quod attinet, primùm omnium Geneuenſis Eccleſia iſto, quod vocant, crimine non tenetur, non tam certè quòd ab aliis vicinis Eccleſiis diſſentiat, quàm quòd illam ſingularis Dei benignitas ab iſta hominum peſte penè immunem adhuc conſeruarit. In aliis autem Eccleſiis minimè dubito quin tam prudentes támque pij ſint principes, vt ſummam ſemper moderationem adhibuerint, & conſilij ſui optimas rationes habeãt: tam pij quoque & in verbo Dei eruditi Paſtores, vt ſi de Anabaptiſtis ſupplicium ſumi bona conſcientia non poſſet, liberè & Chriſtianè fuerint ſuos principes admoniturі. Hos igitur Magiſtratus, hos Paſtores quum iſti accuſant, ſciant ſeſe non modò imprudenter, ſed etiam ſeditioſè facere. Quanquam quid mirum eſt eos iſta audere quum ſuam ipſorum cauſam agant? An non enim apertè Bellius ſua præfatione

Refutatio.

Aug. aduerſus ſecundã Gaudentii epiſt. cap. 22.

In eodem libro.

quæſtionem de pædobaptiſmo ſic eludit, vt illos qui de eo cum Catabaptiſtis litigant, perinde facere dicat atque ſi diſputẽt, Num ante meridiem, vel poſt meridiem lauandum ſit? Nam perſonatus iſte Bellius ne illoto ſermone vti videretur, aut potius vt re ipſa oſtenderet ſeſe Baptiſmum non multò pluris quàm cæteras ablutiones facere, vbique nobis ſicut ex Angelis genios, ita etiam ex Baptiſmo lotionem fecit. Ex his autem intelligi poteſt quid monſtri ab iſtis alatur. Itaque omnes hortor vt diligenter conſiderent, ſi homines iſti obtentu conſcientiæ & ſimplicitatis obtinuerint licentiam quiduis ſentiendi & docendi, quam tandem Eccleſiarum formam ſimus habituri, in quibus eandem doctrinam neque Miniſtri proponant, neque populus ſequatur, ſed ad euitandas (vt ait ille Clebergius) ſeditiones, tot ſint in religione ſententiæ quot capita, modò cæteris in rebus concordia ſeruetur. Nemo igitur miretur clementes iſtos homines ægrè potius ferre piſces hæreticorum ſanguine paſci, quàm tot hominum myriadas hac contagione infectas interire. Suam enim cauſam agunt, & quos Eccleſiæ noſtræ vt hæreticos arcent, ipſi, ſi apertè loqui auderent, non tantùm dicerent ſimplicitate peccare in rebus nõ ita cognitu neceſſariis, ſed optimos & ſanctiſſimos viros palàm appellarent. De Serueto porrò quid dicam? Hoc monſtrum hominis nemo adhuc præter iſtos inuentus eſt qui non putauerit ſeuerè coërcendum: nonnulli tamen ob certas cauſas (de quibus poſtea dicemus) paulò mitius tractandum fuiſſe iudicant. Hos autem quid mirum eſt iuſtiſſimum ipſius ſupplicium crudelitatem vocare, à quibus ipſa Trinitatis cognitio, id eſt, vnicum religionis fundamentum, inter ἀδιάφορα numeratur? Quid eſt igitur quæſo cur nos ſanguinarios vocent? *An quòd omnes à nobis in aliquo diſſidentes pro hæreticis haberi velimus?* Atqui hæc apertiſſima & impudentiſſima calumnia eſt. *An quòd Papiſtarum inſtar, placida & legitima cognitione ex verbo Dei ſublata, homines indicta cauſa ad aquam, ad cædem, ad flammam rapiamus?* Dicant quando id à quoquam noſtrûm non dico factum, ſed tentatum fuerit. *An quòd inter Eccleſiaſticam diſciplinam, & Magiſtratus gladium, inter doctrinam & mores, inter infideles & apoſtatas, inter infirmos & contumaces, inter ipſos denique hæreticos diſcrimen tollamus?* Atqui & voce & libris editis, & re ipſa contrarium teſtamur. *An denique quòd Magiſtratum* (ſicut calumniantur) *ad crudelitatem impellamus?* Atqui mendacium hoc vel in ipſa Serueti cauſa illuſtriſſimorum Senatorum Geneuenſium teſtimonio redarguitur, qui teſtari poſſunt, eum ipſum hominem in cuius perniciem hæc factio iam olim cum diabolo fruſtrà coniurauit, & quem in hac cauſa, cum ſummâ illius Reipublicæ infamia, accuſatoris & iudicis partibus functum fuiſſe confingunt, eum inquam ipſum, quantum potuit, laboraſſe, primùm quidem vt Seruetum ab impiis illis erroribus abduceret: deinde verò, quum ille iam eſſet inſanabilis, omnibus modis contendiſſe vt ſaltem incendio eximeretur. Sed tanta erat eius hominis rabies, tam execranda, támque horrenda impietas, vt Senatus alioqui clementiſſimus ſolis flammis expiari poſſe exiſtimarit. Quid igitur iſtos ad iſtas calumnias exhalandas impulerit, res ipſa clamat, exitus oſtendet.

¶ *Nonum argumentum: Sinendos hæreticos, quòd nullum ſit hominum genus minus metuendum.*

Cæterùm hoc quoque argumento vtuntur, *Sinendos eſſe hæreticos, quia nullũ eſt hominum genus minus metuendum.* Hoc autẽ quũ dicunt, quis eos ſeriò loqui putet? Sic tamen disertè ſcripſit quidam iſtius factionis princeps: *Nullũ, inquit, hominũ genus minus metuendũ eſt. Qui enim vitã mauult amittere quã dicere quod nõ ſentit, (peccaret enim ſi faceret, & qui cogit, peccare cogit) nõ eſt, credo, metuendũ ne is pecunia poſſit aut alia re corrũpi. Atque equidẽ illud mihi perſuaſi, nullos eſſe Principibus & Magiſtratibus obediẽtiores quã eos qui ſimpliciter Deũ metuunt, & in eo quod ſciunt, fideles ſeſe præſtant.* Quæſo quis iſtũ Chriſtianè loqui nõ putet, qui fidei ſimplicitatẽ & cõ-
Refutatio. ſcientiam prædicet? Sed ſi roges quid ſit, Simpliciter Deũ metuere: ſi roges de qua conſcientia loquatur, hîc demũ ſeſe prodat neceſſe eſt. Nam apud iſtos (ſicut antè oſtendimus, & ipſi non negant) ſimplices ſunt qui cum Turcis & Iudæis in vnum Deum credunt, & prærerea Chriſtũ eſſe credunt Dei Filium, mundi dominum ac iudicem. cætera omnia ſine vlla exceptione libenter ignorant. Sin autem roges quid ſit apud eos conſciẽtia, reſpondebũt eſſe quamuis cognitionem ſiue notitiam in animo inſculptam, qua noſtræ actiones accuſantur vel defenduntur. & dicunt certè aliquid. Sed quum ad eam tanquã regulam volunt vt actiones noſtras omnes exigamus, illud prætermittunt quod
Diſtinctio inter ſimplicitatem & ignorantiam. præcipuũ erat, ſicut à nobis (vt ſpero) explicabitur. Ergo quod ad prius illud attinet, quã ipſi Simplicitatẽ vocant, eã ego appello veri Dei Ignorantiã: quod ipſis eſt Simpliciter

Deum metuere, ego A Deo alienum eſſe dico. Nam qui Deum non aliter nouit quàm
Turcæ & Iudæi; Chriſtum autem non aliter quàm diaboli, ab illo Deum ignorari dico:
quod & ſuprà oſtendimus. Vult autem Chriſtus vt adoremus quod ſcimus in Spiritu & Iohan 4.c.22.
veritate, non autem quod neſcimus cum Samaritanis, quum fides noſtra non ex naturæ
notitia, ſed ex Verbi auditu ſit per Spiritum ſanctum: vult vt nõ modò ſimus ſimpli- Rom 10.d.17.
ces, ſed etiam prudẽtes: vult pueros nos eſſe, ſed malitia, non ſenſibus: vult nos ſic crede- Matth.10.b.16.
re, vt intelligamus quid credamus, & parati ſimus ad reſpondendum cuilibet petenti 1.Cor.14.c.16.
de ea ſpe quę in nobis eſt. Neque tamen aut ſummam, aut parem in omnibus perfe- 1.Pet.3.c.15.
ctionem requiro, quum quotidie proficere nos oporteat; & varia ſint Dei dona: ſed
præcipuarum tamen rerum cognitionem requiro, quas qui ignoret, Chriſtianus non
ſit, id eſt, ſimplicitatem ab ignorantia, modeſtiam à ſtoliditate diſcerno, ne iſti nobis fu-
cum faciant qui Scholaſticum illud dogma de fide implicita inſtaurant. Sic enim aper-
tè dicit Clebergius: *Siquis, ait, errantem ouem nactus, domum tuam adduceret, quia ouem putaret eſ-
ſe tuam: nónne amares eum propter bonam eius voluntatem, etiamſi ouis tua non eſſet? Quòd ſi tu quum
ſis malus, id facis, quid faciet Deus? Nónne eos amabit qui id quod verum eſſe putant, defenderint bona
fide, etiamſi fortè errauerint? nónne eis veniam dabit?* Sed quid ſi tu, Clebergi, ouem non ad
dominum, ſed ad furem ipſum adduceres, ſiue per negligentiam, ſiue per improbitatẽ?
Nam Mahumetanum hoc dogma eſt, In ſua religione quenque ſeruari. Nos autem in
his qui extra Chriſtum ſunt, illam bonam fidem agnoſcere non poſſumus, ſed horren-
dam illam corruptionem in qua omnes filij iræ naſcimur, & quam in nobis ſolus Chri- Epheſ.2.a.3.
ſtus per Spiritum ſuum ſanat, extra quem ſalus non eſt: quia qui in Filium non credit, Iohan.3.d.36.
non videbit vitam, ſed ira Dei manet ſuper eum. De conſcientia verò tam imperitè Quid conſcientia, & quatenus illi parendum.
iſtos loqui minimè miror, quum de re ſibi incognita diſſerant. Paucis autem reſpon-
deo: me in eo aſſentiri quòd conſcientiam non putent eſſe violandam. Didici enim ex
Paulo peccatum eſſe quicquid ex fide non fit, & conſcientiam quoque infirmam pol- Rom.14.d.23.
lui. Sed ex his nego conſequi duo illa quæ affirmant: Rectum eſſe nimirum quicquid 1.Cor.8.b.7.
fit ex conſcientia; &, Suæ quenque conſcientiæ relinquendum. Nam ſi errare non po-
teſt qui conſcientiam tanquam ducem ſequitur, dicant quis ille ſit zelus quo Paulus 1.Tim 1.c.13.
Chriſtum perſequebatur: qui ſi vitioſus non eſt, cur idem clamat ſe blaſphemum fuiſ- 1.Cor.15.b.9.
ſe, & indignum qui Apoſtolus vocetur, propterea quòd Eccleſiam Dei perſequutus eſt?
Cur Dominus pro his rogat à quibus crucifigebatur, ſi non peccant qui ſe peccare non Luc.23.e.34.
putant? an non hoc eſt, rogo, Papiſtarum bonas (quas vocant) intentiones reuocare?
an non Libertinorum Opinationem ſtabilire? At enim, dicet Clebergius, Peccare non
nego, ſed veniam ipſis dari dico. Neque nos verò veniam dari negamus: ſed addita con-
ditione, ſi Chriſtum per fidem induerint: fidem, inquam, Chriſtianorum propriam,
quam iſti ferè non agnoſcunt. Nam niſi conſcientia ex verbo Dei, non ex naturæ noti-
tia (quæ quod ad verum Dei cultum attinet etiam inimica Dei eſt) intellexerit quid
Deo placeat, quid ſupereſt niſi vt nos ſecum in exitium præcipitet? An enim exiſtima-
mus fore vt Chriſtus ex opinionibus noſtris, ac non potius ex ipſius Verbi præſcripto
mundum iudicet? Itaque antequam ad conſcientiæ normam actiones noſtras exiga-
mus, conſcientia ipſa in primis ad verbum Dei eſt exigenda. Neque enim conſciẽtiam
tantùm requirit Dominus, ſed bonam. bonam autem Apoſtolus interpretatur non
eam quæ in tenebris ignorantiæ (quam ſimplicitatem iſti appellant) ſepulta eſt, ſed quę
eſt ex fide non ficta, vt hæc quatuor, verbum Dei, cognitio, fides, conſcientia bona, in-
ter ſe arctiſſimo vinculo iuncta cohæreant. Hæc enim eſt de qua gloriatur Apoſtolus, 2.Cor.1.c.12.
hæc eſt quam exigit, & finem præcepti eſſe dicit. Ergo iſtorum ſimplicitas & conſcien- 1.Tim.1.a.5.
tia nihil aliud ſunt quàm perſonæ, quas ad fallendos incautos induerunt. Nunc autem
his detractis conſideremus vnde tandem ratiocinentur hereticos minimè omnium ho-
minum eſſe metuendos: *Quia*, inquiunt, *omnium ſunt obedientiſſimi; qui mori malunt quàm
dicere quod non ſentiunt.* Eximia certè obedientia, ita ſententiæ tuæ addictum eſſe vt e-
tiam verbo Dei conuictus, occîdi te potius ſinas quàm ſententiam mutes. Quaſi ve-
rò inter conſtantiam ac pertinaciam nullum ſit diſcrimen. Iubet Magiſtratus vt ci-
ues arma capiant: repugnabit Anabaptiſta, & morietur potius quàm vociferari de-
ſinat, Chriſtianis bellum gerere non licere: & ita excitabitur ſeditio, totáque Reſpu-
blica, quantum in ipſo eſt, euertetur. Nónne hoc egregium eſt obedientiæ exem-
plum? Curabit Magiſtratus in ſua ditione verbum Dei fideliter doceri: aſſentientur
omnes: tandem exorietur furioſus aliquis, ſimplicitatem tamen ac pietatem ſimulans,

qui præcipua dogmata religionis oppugnabit: ptiuatim ac publicè ritè admonitus, & tandē diſciplina Eccleſiaſtica coërcitus, hæc omnia nihili faciet: ſi verbū Dei obiicias, vel deridebit, vel impudenter calumniabitur, vel reuelatam aliquam interpretationē afferet: ſi Eccleſiæ conſenſum opponas, omnes præter ſe vnum errare dicet: & quò erit ad ſimulandū exercitatior, aut iuſto Dei iudicio magis excæcatus, eo magis ſibi vim afferri conqueretur: Denique omnibus omnium rationibus & apertiſſimis Scripturæ teſtimoniis ſolam pertinaciam inexpugnabilem opponet, Eccleſiam perturbabit, diſcipulos ſibi adiunget, fidelibus Miniſtris inſidiabitur, Eccleſiaſticam diſciplinam deſpiciet: ſi à Magiſtratu corripiatur, martyrium iactabit. Quid cum eiuſmodi homine agēdum ſit, nunc non quæro: hoc quæro, an ſit iſte obediens, ac non potius Deo & hominibus rebellis: an non ſit iſte Reipublicæ tanto magis metuendus quàm fures & homicidæ, quanto magis peccat qui ciuis animam, quàm qui corpus occidit: an non quauis lue & peſte magis exitialis, quum diſertè teſtetur Spiritus Pergamenſi Eccleſiæ ſe illi
Apoc.2.d.13.& 20. infenſum quòd Nicolaitas quoſdam haberet: & Thyatirenſi quòd Iezabelem ſineret ſeruos Dei ſeducere. Ergo negare iam non poſſunt, quum propter hæreſes soleat ira
1.Cor.11.d.19. Dei grauiſsimè inflammari, imò verò hæreſes, quamuis neceſſariæ, vt qui electi ſunt probati fiant, tamen manifeſta ſint iræ Dei teſtimonia, nullum hominum genus orbi terrarum magis metuendum eſſe, & maiore ſtudio ac ſollicitudine ex cæterorum hominum conſortio, atque adeò interdum ex ipſa vita deturbandum. Quòd ſi cōtrariam doctrinam ſequamur, non modò non eiiciendi, ſed ne metuendi quidem, imò maximis quibuſque præmiis afficiēdi erunt hæretici, vt qui inter cæteros ciues incorruptam obedientiam præſtent: adeò iſti prępoſteri clementiæ patroni omnem pudorem & humanitatem exuerūt. Humanitatem exuiſſe dico, quia ſummo humani generis odio teneatur neceſſe eſt qui infenſiſsimos hominū ſalutis hoſtes non modò non coërcendos, ſed etiam honore afficiendos putet.

¶ *Decimum argumentum: Ab exemplo clementiæ & benignitatis Chriſti.*

Quid plura? Chriſtum etiam ipſum nobis iſti obiiciunt, cuius exemplo hæreticos foueamus: & hîc planè triumphant, & miras excitāt tragœdias. *Equidem*, inquit Bellius, *dum conſidero Chriſti mores & doctrinam, qui quum innocens eſſet, nocentibus ſemper veniam dederit, darique vel ſeptuagies ſepties iuſſerit: non video quomodo Chriſtiani nomen tueri poſſimus, niſi eius clementiā imitemur.* Eſt paulò pòſt, *Itaque conſultum fuerit vt in tanta multitudine peccatorum quibus omnes obruimur, ad ſe quiſque redeat, & de corrigenda vita ſua, non de alienis damnandis ſit ſollicitus.* Item alibi, *Quis non putet Chriſtum aliquem eſſe Molochum, aut eius generis aliquem Deum, ſi ſibi viuos homines immolari comburique velit? Quis velit ſeruire Chriſto ea conditione, vt ſi in aliqua re, inter tot controuerſias, ab iis diſsideat qui habent in alios poteſtatē, viuus comburatur ipſius Chriſti iuſſu, crudelius quàm in tauro Phalaridis, etiamſi in mediis flāmis Chriſtum magna voce concelebret, & ſe in eū pleno ore credere vociferetur? Finge adeſſe Chriſtum ipſum iudicem, & ſententiam pronunciantem, ac faces inferentem: quis non Chriſtum pro Satana habeat? Quid enim poſſet aliud facere Satan quàm vt eos cōburat qui Chriſti nomen inuocant? O Chriſte, mundi creator atque rex, vides hæc? adeòne alius factus es, adeò efferatus, adeò tibi contrarius? Quū eſſes in terris nihil erat te mitius, nihil clementius, nihil iniuriæ patientius. Sicut ouis ante tonſorē, ne mutiuiſti quidē: verberibus conciſus, conſputus, deriſus, ſpinis coronatus, inter latrones ſumma cū ignominia crucifixus, pro his oraſti qui tibi iſtas omnes contumelias intulerunt. Adeóne nunc mutatus es? Quæſo te per nomen ſanctum Patris tui, iubéſne eos qui inſtituta, præceptáque tua non ita intelligunt vt poſtulant magiſtri noſtri, aquis ſuffocari, verberibus vſque ad viſcera concîdi, deinde ſale conſpergi, ferro truncari, lento igne torreri, & omni ſuppliciorū genere quàm diutiſſimè fieri poteſt excruciari? Haccine tu, Chriſte, iubes & probas? Hinc ſunt vicarij tui, qui hæc ſacrificia faciunt? ad hàncne tu viſcerationē vocatus ades, & humana carne veſceris? Si tu Chriſte hæc facis vel fieri iubes, quidnam faciendum diabolo reliquiſti? an eadem facis tu quæ Satan? O blaſphemias, ô hominum ſceleſtam audaciā, qui ea Chriſto tribuere audeant, quæ fiunt inſtinctu iuſſúque Satanæ!* Et hæc quidem omnia, Lector, ex ipſius Bellij præfatione exſcripſi, vt appareat nullam iſtis à me fieri iniuriam. Quis verò quum hæc audit, paſtorem ſibi nō videatur audire de gregis
Refutatio. ſalute ita ſollicitum vt ſuiipſius obliniſcatur? Quanquam profectò, vt nihil aliud ſit, profanæ iſtę ſimilitudines Chriſti cum Molocho & Satana, & temeraria iſta Chriſti per ſanctum nomen Patris obteſtatio, temerarium & inconſideratum zelum produnt. Sed hæc age iis concedantur, qui omnia ſibi licere volunt. In primis autem quod de crudelitate iactant, ſciant ad nos nō pertinere, quum Dei gratia neque pro hæreticis eos habeamus quicunque in aliqua re à nobis diſſentiunt, neque in alios poteſtatem vſurpemus,

mus, neque quenquam non dico viuum cremauerimus, ſed vel pro hæretico habuerimus qui Chriſti nomen inuocaret. Nam quod ad Seruetum attinet, quem ipſi nominatim appellare non audent: quo pudore ipſum in mediis flammis Chriſtum magna voce concelebraſſe, & ſe in eum pleno ore credere vociferatum dicunt, quum hoc ab eo iam morituro nullis Eccleſiæ precibus extorqueri potuerit vt Chriſtum pro æterno Dei Filio agnoſceret, neque vllis Miniſtrorum præſentium obteſtationibus & penè lachrymis impetrari vt ſuiipſius rationem haberet? Nam etiam in ipſo mortis articulo ſuarum artium obliuiſci non poterat, quas tota vita exercuerat. Itaque quum ſedulò admoneretur vt aliquod reſipiſcentiæ ſignum daret: *Ego*, inquit, *chriſtum æterni Dei Filium eſſe fateor.* Quum autem, detecta eius fraude, ab eo peteretur vt non modò æterni Dei Filium, ſed etiam æternum eſſe Dei Filium agnoſceret, obmuteſcere maluit quàm Filio Dei debitum honorem tribuere, partim horrore mortis perturbatus, de qua nunquam antea ſeriò cogitarat, partim, vt ego exiſtimo, iuſto Dei iudicio perculſus. Et Chriſtum ab eiuſmodi hominibus inuocari arbitrabimur? Abſit. Imò verò quoties Chriſti nomen pronuntiant, toties ab ipſis Dei Filius blaſphematur: vt qui Chriſtum non qualis eſt, & qualem nobis in verbo ſuo ſeſe declarat, ſed qualẽ ipſi ſibi finxerunt, id eſt, pro vero & vnico Chriſto idolum pertinaciter amplectantur. Nam alioqui inter hæreticos nullus vnquam fuit qui non Chriſti nomen ſuis erroribus obtenderit, ſéque ſuper Chriſtum ædificare iactarit: ſed fruſtra, quum re ipſa Chriſti doctrinam reiiciendo, Chriſtum ipſum repudiarent. Hæc igitur crudelitatis accuſatio nihil ad nos pertinet, niſi ſæuitia fuit, poſt legitimam & placidam ex verbo Dei cognitionem, poſt ſæpe repetitas adhortationes, poſt mitiora omnia remedia fruſtrà adhibita, in Anabaptiſtas totius politiæ tum ciuilis tum Eccleſiaſticæ euerſores, (quod tamen in hac Eccleſia nunquam euenit) & blaſphemum ac impium illum Seruetum, cuius impietas triginta annorum ſpatio cõpeſci non potuit, iuſto ſupplicio animaduertiſſe: niſi, inquã, ſæuitiam vocant quòd Magiſtratus fortis & conſtans ab Eccleſiarum ſibi commiſſarum defenſione nullis minis deterreatur, & pij harum Eccleſiarum Paſtores aduerſus lupos illos graues & famelicos excubias agant. In Turcas igitur & Papiſtas iſta conueniunt, qui verbo Dei deſtituti ſola vi non hæreticos modò, ſed etiam verè Chriſtianos crudeliſſimè perſequuntur. Sed ad rem veniamus. Chriſtum Filium Dei nobis pro exẽplo proponunt, rectè profectò. Nam non dubitamus quin perfectiſſimum & abſolutiſſimum ſit exemplar. Sed quomodo ſit nobis imitandus Chriſtus, hoc ipſum eſt de quo quæritur. Nullum enim hîc diſcrimen ſeruant: nos autem quia Chriſtum diuerſè conſideramus, diuerſas etiam adhibemus diſtinctiones. Quatenus enim eſt Dei & hominum mediator, proprium habuit officium quod intra ipſum vnum hæret, quódque ipſe cumulatiſſimè præſtitit: vt ſiquis eum hac in re velit imitari, præterquàm quòd id fruſtrà conetur, etiam pro ſtulto & inſano meritò habeatur. Deinde quatenus miniſter fuit ad Dei Patris voluntatem explicandam, poteſtatem habuit quam cum nullo hominum communicat, nouum videlicet fœdus vetere abrogato ſanciendi, & pro iure ſuo conſcientias obligandi: quod neque Prophetis, neque Apoſtolis licuit, niſi quatenus Dei fuerunt interpretes. Deinde ſumma in eo plenitudo fuit, in nobis autem Spiritus dona neque tot, neque tanta ſunt, ideóque plurima fecit quæ neque ipſe poſcit vt imitemur, neque vt velimus, imitari poſſimus: cuiuſmodi illud eſt quòd quadraginta dies & noctes ieiunauit, quòd omne morborum genus ſanauit. Hæc enim & ſimilia cum Verbi miniſterio non ſunt neceſſariò & perpetuò coniuncta. Præterea miniſterium ſuum ad certos homines & certum etiam tempus accõmodauit: & hactenus multa ipſius ſingularia facta minimè neceſſe eſt vt Miniſtri imitentur, quãdoquidem Chriſtus in terris agens Circunciſionis miniſter fuit. Sed quatenus fuit perfectiſſimum obedientiæ exemplar, ſingulos fateor, cuiuſcunque tandem ſint gradus ac conditionis, in eum vnum tanquam ſcopum ac finem vnicum intueri debere. Itaque ſicut ille per omnia Dei Patris gloriam omnibus rebus antepoſuit, deinde hominibus etiam inimiciſſimis omnibus modis prodeſſe ſtuduit, ita quiſque facere tenetur: ſed non vno tamen & eodem modo, quum diuerſę ſint in Eccleſia functiones. Magiſtratus igitur Chriſtum imitabitur, primùm ſi præſidia quæcũque à Domino accepit, ad veræ religionis curam & conſeruationem applicuerit: deinde omnia pro viribus ſuſtulerit quæ ſubiectos impediant quominus inter ſe pacificè & tranquillè mutua charitatis officia exerceãt. Itaque quando ſceleratos puniet, & controuerſias decidet, ad Dei gloriam & Reipublicæ

Quomodo Chriſtus nobis ad imitandum proponatur.

Rom. 15. b. 8.

conſeruationem omnia accommodans, Chriſtũ dicetur imitari, etiamſi Chriſtus, quia
iudex non erat, adulteram non condemnarit: & familiæ herciſcundæ arbiter eſſe nolue-
rit. Item Miniſtri, baptizando & Eccleſiaſtica diſciplina cõtumaces coërcendo, Chri-
ſtum imitantur, etiamſi neutrũ feciſſe Chriſtus legatur. Priuati denique omnes pro vo-
catione ſua Rempublicã in tremore & timore Dei adiuuãtes, Chriſtũ imitantur. Quòd
ſi contrà Princeps aut ſceleris conuictum abſoluat, aut hæreditatem diuidere recuſet,
aut docere velit in Eccleſia, Chriſtum non imitabitur, qui tamen fecit hæc omnia. Id-
que de cæteris quoque ordinibus intelligendum eſt: quos omnes quum Chriſtus non
duxerit, hactenus nobis ad imitandum proponitur, vt non ſingula ipſius facta, ſed in
genere abſolutiſſimam ipſius obedientiam quiſque ſibi pro ratione vocationis propo-
nere teneatur. Quòd ſi (vt iſti videntur velle) nihil faciendum eſt quod Chriſtus non
fecerit, cur Magiſtratus fures ſuſpendunt? cur controuerſias decidunt? cur Chriſtianis
Act.4.& 13.& 25. litigare licet? cur Petrus homines verbo interficit? cur Paulus excæcat? cur idem ad Cæ-
ſarem prouocat, quum Chriſtus coram Pilato ne mutiuerit quidem? Sed & aliud eſt
in hac controuerſia maximi momenti, quod iſti non conſiderant. Chriſti enim regnum
& naturam ex eo duntaxat temporis interuallo æſtimant quo in terris hominum more
verſatus eſt. quaſi verò Chriſtus etiamnum hodie in ſingulis Eccleſiæ membris non re-
gnet, quoties officium ritè faciunt ſibi à Deo iniunctum. Quid enim? An non exiſti-
mabimus, quum Magiſtratus, nomine Chriſti inuocato, ſceleratum aliquem in manus
carnificis tradit, veluti Chriſtum ipſum hoc facere? quum Miniſtri in nomine & ex ver-
bo ipſius populum ritè docent, obiurgant, conſolantur, an non Chriſtum in eorum per-
ſona loqui cenſebimus? Quorſum igitur Chriſti naturam nobis ponunt ob oculos? An à
Chriſti natura abhorret malos punire? imò verò potius, nónne idcirco Magiſtratum in
Eccleſia ſua conſtituit, primùm vt eius præſidio legitimo Verbi miniſterium defenda-
tur, deinde vt ipſe per Magiſtratum ſceleratos puniat? alioqui cur Magiſtratui paren-
Rom.13.b.5. dum non modò propter iram, ſed etiam propter conſcientiam? At Chriſtus clementiſ-
ſimus fuit. Quis verò ex noſtris ſæuitiam & crudelitatem non condemnat? At Chriſtus
Rom.2.a.5. patientiſſimus. Fateor: ſed tamen iuſtus iudex in eos qui iram ſibi congregant. At
Chriſtus verberibus cõciſus, conſputus, deriſus, crucifixus ne mutiuit quidem. Fateor:
& hanc patientiam in priuatis iniuriis vtinam plures imitarentur. Idem tamen aliquã-
Iohan.2.c.15. do flagellum corripuit, & quum tempus vltioni conſtitutum aduenit, quæſo quàm
horribile iræ ſuæ exemplum edidit, & etiamnum hodie in Iudæos edit? Quid? vt iam
olim præteritas Iudæorum clades prætermittam, vaſtatio illa Turcica, & Papiſticæ ty-
rannis quid aliud eſt quàm terribilis ira Chriſti contemptum verbi ſui vindicantis? An
non Deus eſt qui infinitorum Regum, Principum, populorum, regionum vaſtatione &
excidio quotidie maieſtatem ſuam vindicat? Tyrannos à quibus hęc ſæpe facta ſunt, cul-
pæ non eximo: imò non dubito quin ea quæ Deus iuſtè decreuerat, ipſi ſcelerate pere-
gerint. Sed neque hæc ſoli Tyranni fecerunt, verùm etiam fideles Dei ſerui, idque ex
Deu.20 d.16, & 17. 1.Sam.15.a.3. Dei mandato: neque aliud inde colligo quàm nõ rectè iſtos facere qui publicam vindi-
cationem, & auctoritate Dei factam à priuata vltione, & crudelitatẽ à iuſto iudicio di-
ſtinguere nolint. Quæſo verò quàm bella hæc conſecutio eſt? Chriſtus idcirco huc miſ-
ſus vt peccata noſtra elueret, nullis iniuriis reſtitit, neque Magiſtratum aduerſus hære-
ticos appellauit. Ergo nefas eſt Magiſtratui hæreticos αὐτοκατακρίτους, à quibus Chriſti
maieſtas profanatur, à quibus Eccleſia perturbatur, à quibus animæ ad interitum abdu-
cuntur, punire: ergo Miniſtris qui omnia fruſtrà tentauerint, petere à Magiſtratu non
licebit vt lupum famelicum, qui Miniſtrorum voce minus quàm lapis commouetur, a-
liqua ratione coërceat. Nam hoc ſi fiat, ſtatim clamabunt iſti, Chriſtum hoc non feciſ-
ſe, nos ex Chriſto Molochum & Satanam facere: quinetiam ſciſcitabũtur ex ipſo Chri-
ſto, ſi hoc faciat, quid diabolo faciendũ relinquat? Os blaſphemum & impudens! Cer-
Num.16. tè Deus qui Dathan & Abirom propter ſeditionem viuos curauit abſorbendos, vt in-
Leuit.10.a.2. iuriam ſibi in Moſis perſona factã vlciſceretur: qui Aaronis filios propter alienũ ignem
illatum viuos cremauit, vt quanta ſit mãdatorum ſuorum auctoritas declararet: qui de-
Act.2.d.23. nique nobis peccata noſtra non condonauit niſi prius ſupplicio crucis in Filio ſuo ex-
piata, ſicut ab æterno decreuerat, non propterea Molochus, non diabolus, (quod ſine
horrore cogitare nõ poſſum) ſed iuſtiſſimus fuit maieſtatis ſuæ vindex: neque Chriſtus,
cuius tam horrenda iudicia in præfractos ſaltem & contumaces Verbi ſui contempto-
res Iudæos adhuc cernimus, & amplius etiam aliquando cernemus quum æternis ſup-

plicijs

pliciis reptobos addicet, propterea transformatur.

¶ *Vndecimum argumentum: Quòd plurimos alios quantumuis ſceleratos vulgò Magiſtratus punire non ſoleant.*

Sed aiunt iſti præterea: *Si non modò Turcas & Iudæos viuere patimur apud nos, verùm etiam maledicos, ſuperbos, auaros, inuidos, impudicos, ebrioſos, & cætera huiuſmodi flagitiorum genera ferimus, & cum ijs viuimus, epulamur, lætamur, debemus ſaltem communem hunc aërem & ſpiritum ijs concedere qui idem Chriſti nomen nobiſcum profitentur, & nemini nocent, eóque ſunt animo vt mori malint quàm aliud dicere aut facere quàm quod dici aut fieri debere arbitrantur.* At primùm omnium Refutatio. vt concedam in his omnibus flagitiis puniendis negligentiores eſſe pleroſque Magiſtratus, an rectè inde colligitur hæreticis qnoque impunitatẽ eſſe concedendam? Certè qui hoc perit, quid aliud perit à Magiſtratu quàm quod ait ille, vt qui ſemel verecundiæ fines tranſiliit, bene ac gnauiter ſit impudens: id eſt, vt ex malo peſſimus fiat? Deinde verò quid ſi exciperem quod verum eſt, hæreticos Chriſti nomen inaniter profiteri, & hanc pietatis vmbram pertinaciæ ſuæ prætexere: tantoque eſſe Turcis & Iudæis magis pernicioſos, quanto ſimulatam amicitiam magis quàm apertum odium omnes metuunt: tanto verò inſtius puniendos, quàm vllos aut ſuperbos, aut auaros, aut impudicos, aut innidos, aut ebrioſos, quanto maius eſt ſcelus ipſam Dei maieſtatem aſpernari, quàm in ſeſe aut in proximum aliquid cõmittere, & in doctrina quàm in moribus peccare? Sed ne has quidem defenſiones quærere cogimur. Nam Turcas quidem aut Iudæos cæteróſve qui fidem Chriſtianam apertè repudiant quo tãdem iure puniret Magiſtratus? niſi quis fortaſſe de induſtria Chriſtum inſigni aliqua blaſphemia affeciſſet: (nam iſte manifeſtus in Chriſtũ inſultus eſt ſanè Chriſtiano Magiſtratui in ſua ditione intolerabilis) aut niſi quis à Chriſtianis ad Turcas vel Iudęos ſciens ac prudens defeciſſet (is enim vt impius & blaſphemus apoſtata meritò à ſuo Principe puniatur.) aut niſi quis Chriſtianos inter quos verſatur, ad defectionem ſollicitare compertus eſſet (nam qui id faciat iure in eum pro criminis grauitate animaduertatur:) niſi quis denique iuſto Magiſtratus edicto ſeſe pertinaciter opponeret: is enim vt ſeditioſus plecti debet. Sed & Turcarum & aliorum quorunuis iniurias tenetur Magiſtratus, etiam armorum, quando aliter non licet, præſidio propulſare. Sed alia eſt hæreticorum ratio, qui domeſtici ſunt hoſtes, & Eccleſiam Dei malitioſè vexant. Affectata enim ignorantia & factionum ſtudium pertinax, certiſſima ſunt, pręſertim in religionis cauſa, ſummę improbitatis argumenta. De cæteris verò quibuſcum falſò & inuidioſè dicunt nos viuere, epulari, & lætari, paucis reſpondeo: à Magiſtratu non vitia nuda, ſed ea demũ quæ in crimina eruperunt puniri. neque enim de occultis iudicare poteſt. Debet tamen quoad eius fieri poteſt, politiam ita adminiſtrare vt vitia etiam extirpentur ex quibus poſtea exoriri crimina neceſſe eſt. Nam rectè profectò Xenophon Perſas laudat quòd magis Libro Cyri pædię primo. ſolliciti eſſent de ciuibus ita inſtituendis vt à ſceleribus abhorrerent, quàm de puniendis ſceleratis. Itaque in Eccleſiis Chriſtianis ſcholæ inſtitutæ ſunt, in quibus pueri bona & ſyncera in primis religione informantur: deinde Catechiſmus explicatur: & præter publicas conciones, in quibus palàm omnes erudiuntut, admonentur, excitantur, increpantur, etiam πρεσβυτέριον conſtitutum eſt, in quo ſeuerius admonẽtur, aut etiam Eccleſiaſtica diſciplina ex verbo Dei coërcentur qui à Chriſtianorum officio diſceſſerunt. Sin autem vitia crimen aliquod pepererint: vt ſiquis maledicus aut ſcurra læſerit alterius famam, ſiquis ebrioſus quempiam pulſauetit, ſi ſuperbus alicui fecerit iniuriam, ſi cuius fortunas auarus malis artibus imminuerit, ſi libidinoſus fuetit ſcortatus, aut vxorem alicuius corruperit, optimæ & ſanctiſſimæ leges perſcriptę ſunt, ex quarum formula Magiſtratus hæc flagitia puniat. Hîc igitur quid eſt quod iſti reprehendant? Hæreſim autem à nobis inter crimina, & ea quidem grauiſſima, numerari iam antè oſtendimus, vt in iſtos hoc idem argumentum retorquere liceat, nimirum quum minimæ etiam iniutiæ à Magiſtratu puniri ſoleant, nihil cauſæ afferri poſſe cur in hæreticos αὐτοκατακρίτους ſeuerè non animaduertatur.

¶ *Duodecimum argumentum: Quòd nemo ad fidem cogi poßit aut debeat.*

Supereſt vnum, ni fallor, argumentum quod opponunt aduerſarij. *Perſuaderi vult fides*, aiunt, *non cogi*. Sanè hoc ita eſſe confitemur. Neque enim hîc locus eſt de libero ar- Refutatio. birrio diſputandi: & illud vel ex Epicteti enchiridio didicimus, Opinionem & appetitionem in nobis eſſe. Sed & Turcarum & Papiſtarum crudelitatem meritò reprehendimus, qui ſuperſtitiones ſuas nuda vi conantur ſtabilire. Sed quorſum hæc ad noſtram

iri fidei vnitatem occurrant. Cedò verò, cuius rei doctores? certè Euangelij, præter quod
Galat.1.b.8. ſiquis aliud prædicauerit, anathema ſit. Quòd ſi hoc Euangelium Pauli primùm voce
ſic eſt prædicatum, deinde verò manu ſic eſt perſcriptum obſcurè & ænigmaticè, vt, ſi-
cut Epicurei dicere ſolent, inſtar cerei naſi huc & illuc flecti poſſit, neque neceſſariis
quæſtionibus explicãdis (curioſas enim omitto) de Deo, de Trinitate, de Chriſti ſtatu
& officio, de Angelis, de Statu animarum poſt hanc vitam, de Prædeſtinatione, de Li-
bero arbitrio, de Iuſtificatione, de Sacramentis, de Sanctorum inuocatione, &, (vt alia
adiungam quæ ſcientes & prudentes prætermiſiſtis, ne Papiſtas, quibus iampridẽ adu-
lamini, offenderetis) de Miſſa, de Purgatorio, de Indulgentiis, de Primatu Papæ, de Pec-
cato originis, de Cultu imaginum, de Confeſſione, & cæteris adulterinis Sacramentis:
vt, inquam, his & ſimilibus quæſtionibus explicandis non ſufficiat, quomodo non
mendax erit Paulus? perinde enim faceret acſi poſtularet vt arundine niteremur, ne
fluctuare deinceps & vacillare poſſemus. Cur autem idem ille fore teſtatur vt Spiritu
2.Theſ.2.b.8. oris Dei conficiatur Antichriſtus? Quem locum ſi de verbo Dei ſcripto poſt Eſaiam in-
Eſa.11.a.4. telligitis, cur ex eo controuerſias decidi poſſe negaris? Sin de alio quopiam, cedò quod
2.Tim.3.d.16. illud ſit, oſtendite. Nam quod ad nos attinet, de eo verbo hæc ſcripta eſſe credimus,
quod quum ſit diuinitus inſpiratum, vtile eſt ad doctrinam, ad redargutionem, ad cor-
rectionem, ad inſtitutionem quæ eſt in iuſtitia: & quo vult Paulus inſtructos eſſe Paſto-
Act.18.g.28. res, non modò vt appoſiti ſint ad docendum, ſed etiam (quod de Apollo ſcribitur) con-
1.Tim.3.d.15. tradicentes coarguant: quamobrem etiam Eccleſiam columnam veritatis appellat.
Hebr.1.a.2. Denique vt finem de hac re dicendi faciam, ſi Deus extremis temporibus tam obſcurè
Matth.17.a.5. & ænigmaticè per Filium ſuum loquutus eſt, cur iubet vt eum audiamus? quomodo ex
Rom.10.d.17.
1.Cor.2.d.16. Verbi auditu fides naſcetur? Atque vt vno verbo tranſigam, aut mendacem eſſe Pau-
lum oportet, (quod abſit) quum inquit nos mentem Chriſti tenere: aut (quod verum
eſt) vos eſſe blaſphemos, niſi fortaſſis oſtenderitis alio modo quàm per verbũ ſcriptum
ſolere Spiritum ſanctum Eccleſiam Dei docere, quod nemini niſi penitus inſano perſua-
Exo.9.b.16. ſeritis. Cedò igitur, à quibus ſemper dubitatum eſt? nempe ab iis quos Deus ſicut Pha-
2.Cor.4.a.4. raonem indurauit, vt in eis potentiam ſuam declararet: ab iis quibus Deus huius ſeculi
oculos excæcauit, vt videntes non videant, & audientes non audiant: ab iis qui volen-
tes veritatem ignorant: denique reſpondemus vno verbo cum Paulo, Si adhuc vela-
Ibidem.4.a.3. tum eſt Euangelium, in his demum velatum eſſe qui pereunt: & iſtos quidem in Ec-
2.Theſ.2.a.4. cleſia ſæpe permixtos eſſe fatemur, quum ipſe Antichriſtus in templo Dei ſedeat. Sed
vt in Eccleſia ſint, ex Eccleſia tamen non ſunt. Quænam igitur hæc eſt dementia, ex
eo velle conuellere dogmatum Chriſtianorum veritatem, quòd à nonnullis nondum
ſatis firmis, ad tempus de his quæri ſoleat, ab incredulis autem & impiis ſemper dubi-
tari? Sed miratur Clebergius cur de his diſputari non deſierit, exiſtimátque nullum eſ-
ſe tam ſtultum qui mori ſuſtineat vt rem certam neget. Atqui cogitare debuerat nun-
quam defuturos qui in manifeſta veritate cæcutiant, quique vel odio, vt illi qui Chri-
Matth.12.b.24. ſtum dicebant dæmonia præſidio Beelzebub eiicere: vel ambitione, vel libidine, vel
1.Tim.3.b.9. inuidia vel Dei iudicio excæcari, & diaboli laqueo irretiti, controuerſias de rebus cer-
tiſſimis & clariſsimis excitent: & adeò quidem acres, vt earum cauſa vel mortem ſub-
ire non dubitent. Quòd ſi mihi non creditis, credite omnium ſeculorum experientiæ.
Ioh.20.g.28. Quid certius eſt quàm Chriſtum eſſe Deum, vel ipſo incredulo Thoma teſte? & tamen
(vt de hypocritis nihil dicam) pauciſſimi ſemper homines hoc crediderunt, ſi cum re-
liqua multitudine comparentur. Quot verò Iudæos comperies pro ſuo Meſſia ad mor-
tem ſubeundam paratos, quot Papiſtas pro ſua tranſſubſtantiatione, quot Mehume-
tanos pro Mehumete? atque (vt vetera omnia exempla prætereã) execrandi illius
Serueti recens exemplum oſtendit quantum inueterata pertinacia valeat. Quid cer-
tius futura reſurrectione? & tamen (vt de Sadducæis & Epicureis nihil dicam) Philetus
2.Tim.2.c.18. & Hymenæus iam factam eſſe dicebant, quos hodie ſequuntur Libertini. Adulteria,
homicidia, furta, latrocinia an propterea punienda non eſſe dicemus, propterea quòd
Anabaptiſtæ vxores faciunt communes? reuelationibus ſuis homicidia excuſant? pri-
uatum rerum dominium tollunt? & pertinaciter in his erroribus moriuntur? Habet e-
nim, ſi neſcis, etiam diabolus ſuos martyres, vt rectè docet Auguſtinus de Circuncel-
lionibus loquens, quibus præter cauſam omnia ſunt cum Dei martyribus communia:
neque tamen propterea, aut Chriſtiana dogmata incerta eſſe, aut certa eſſe diaboli
commenta vnquam concedemus. Quid autem bonus ille Serueti fraterculus? *Si vnus*

Spiritus

Spiritus eſt, inquit, *& vna veritas, omnes in quibus idem Spiritus ineſt, idem ſentire neceſſe eſt ſpiritualibus in rebus.* Certè tibi in eo aſſentior: & hoc dico, veritatem ipſam à te inuito extorſiſſe. Nam Catholica Eccleſia Dei (quia vno & eodem Spiritu agitur) vno & perpetuo conſenſu idem ſemper ſenſit de his præcipuis capitibus, quę cõtrà quàm opinaris, Chriſtianiſmi ſummam complectũtur. Debuiſti verò, ſpiritualium, id eſt, fidelium gradus quoſdam conſtituere. Nam hoc tibi concedo, quia nondum nos totos obtinet Dei Spiritus, & peccatum in nobis regnare quidem, ſed habitare non deſiit: quia, in- Rom. 7. d. 13.
quam, qui cognoſcunt, nondum niſi ex parte cognoſcunt, multum adhuc caliginis & 1. Cor. 13. c. 9.
ignorantiæ in quibuſuis hominibus ſupereſſe: ſed quod antè dixi, iterum dico, Deum videlicet tam perſpicuè Eccleſiæ ſuæ loqui, tantúmque lucis illi impertiri, vt de his rebus quarum cognitio in Eccleſia neceſſaria eſt, tam certa ſemper & perſpicua doctrina in Eccleſia fuerit, quàm eſſe oportuit vt vera Eccleſia eſſet. Nam ea in quibus ij etiam interdum diſſident in quibus iam Chriſtus adoleuit, ſunt ſemper eiuſmodi, vt quũ ſalua maneat religionis ſumma, diuerſę opiniones diuerſas Eccleſias non faciant. Quinetiam longius progredior, vt ad dilemma illud tuum reſpondere pergam, quo tu nos irretire voluiſti. Dico enim & Apoſtolorum tempore, & omnibus quæ interceſſerunt ætatibus plenitudinem illam Chriſti capitis in membra exundaſſe, adeò quidem vt deterrimi etiam homines interdum intelligentiæ magna luce ſint donati, vt inexcuſabiles eſſent, & oſtenderet Deus quàm immenſa & infinita ſit ſua poteſtas, qui hoſtes etiã ſuos quoties libuit ad extruendum Eccleſiæ ædificium operam ſuam conferre cogat. Id autem ita eſſe vel ex eo liquet quod inquit Dominus, fore vt ſeruus qui domini volunta- Luc. 12. f. 47.
tem nouit, neque tamen facit, multis plagis vapulet: vt aliquos exiſtere neceſſe ſit qui aliis non ſibi voluntatem Domini teneant. Diſtingui enim debent intelligentia & fides, ita tamen vt qui hanc ſtatuat, illam quoque neceſſariò ponat, non contrà: quia fides ex auditu eſt prædicati verbi: & auditu quidem eiuſmodi vt πληροφορίαν gignat, & Rom. 10. c. 17.
doctrinam vniuerſaliter oblatam, ſingulis electis applicet. Intelligentia verò quamuis & ipſa non ſit à natura, (*Homo enim animalis non intelligit quæ Dei ſunt*,) tamen inter ea do- 1. Cor. 2. d. 14.
na recẽſetur quæ interdum etiam impiis & reprobis certas ob cauſas Dominus impertit. Quod igitur vitioſitatem hominum & improbitatem dicis obſtaculo eſſe quominus Scripturæ intelligantur, niſi commodis diſtinctionibus leniatur, falſiſſimum eſt. Nam in ipſis etiam electis quandiu hîc verſantur, vitioſitas illa & improbitas natiua nunquam prorſus extinguitur, quamuis non imputetur: neque tamen ea res impedit quominus mentem Chriſti teneant, quatenus quidem ad ſalutem expedit. Deinde etiam in ipſis ſceleratiſsimis hominibus aliqua etiam eſt interdum (quanquam quod ad ipſos attinet inutilis & infructuoſa) rerum ad ſalutem per fidem obtinendam neceſſariarum intelligentia & cognitio. tantum abeſt vt obſcuritatẽ illam verbi Dei, & diabolicam ἀκαταληψίαν concedamus. Neque verò mereris reſponſum, quum quæris cur exuberans illa cognitio quam Prophetæ promiſerant, ſi Apoſtolorum tempore fuit, tam parca fuerit, & tam citò exoleuerit. Tantam enim lucem ſemper habuit Eccleſia, quanta opus fuit: & tempora ac momenta quibus modò triumphare, modò prorſus deiici & opprimi videtur, noſtrum non eſt metiri. Atque quod ad rem ipſam attinet, id eſt, ad eas Prophetias Eſaiæ, Ezechielis, & Malachiæ, & Apocalypſeos, quas Eſa. 11. & 60.
nondum impletas eſſe vis, primùm omnium reſpondere poſſem te non bene colligere, Ezech. 36. Malach. 4.
qui propterea quod quædam prædicta ſint quæ nondum euenerunt, idcirco poſtules vt Apoc. 20.
de nullis religionis controuerſiis ſentẽtia feratur, ſed noua aliqua Iudicis ſententia expectetur. Sed longè aliud habeo quod reſpondeam. In primis enim, in eo falleris quod quæ ſpiritualiter intelligenda ſunt, id eſt, de fera illa noſtra natura per verbum Dei cicuranda, & regno Dei ex varij ingenij ac variarum & inter ſe inimicarum gentium ciuibus componendo, ea tu craſſè & Iudaicè exponenda putas, ideóque quæris ecquan- Act. 1. a. 6.
do ſit Chriſtus regnum illud Iſraël reſtiturus, quod ſcilicèt Virgilius Egloga decima pulcherrimè deſcripſit. Deinde (quod omnes norunt qui in Prophetarũ lectione ſunt verſati) ſæpe ſolet regnum Chriſti à Prophetis deſcribi, non quale ſingulis erit momẽtis & temporum articulis, ſed quale futurum eſt in ſua (vt ita dicam) plenitudine, quæ quidem nunquam in hoc mundo exiſtet: niſi fortaſsis Chiliaſtarum, & Anabaptiſtarum, & Rabbinorũ ſomnia ſequi malumus, quàm Chriſti de ſuo regno vaticiniũ, quod tamen frequenter in ore habetis. Quid enim Chriſtus? *Regnum meum*, inquit, *non eſt ex* Ioh. 18. g. 36.
hoc mundo. & alibi, *Non veni vt pacem mitterem in terram*. Taceo quod lapis offenſionis di- Luc. 12. g. 51.

Luc.2.e.34. citur, & ſignum cui contradicitur, & quòd vbique crucem & patientiam ſuis annūtiat.
Neque hęc ſunt vnius temporis aut ætatis, quum prædicet ſe vt furem venturum in iu-
1.Theſ.5.a.2. Luc.18.b.8. dicium, & eo tempore fidem in terra non reperturum. Quæcunque igitur eximij illi
Prophetæ de ſumma illa & perfecta Eccleſię pace prædixerunt, ſpiritualia ſunt, & ad ve-
ros filios Dei tantùm pertinent. Deinde futurum Eccleſiæ ſtatum reſpiciunt, qualis e-
1.Cor.15.d.28. rit quum domitis omnibus inimicis Chriſtus regnum Patri tradiderit, vt ſit Deus om-
nia in omnibus. Interim hanc felicitatem Eccleſia vel in medijs afflictionibus deguſtat,
patienter tempus illud expectans quo non amplius per ſpeculum cernet in ænigmate:
1.Cor.13.d.12. quod tamen Pauli dictum comparatè intelligendum eſt, habita futuræ manifeſtatio-
nis ratione. Ergo vt tandem hoc veſtrum argumentum concludam, neque verum eſt
controuerſias de religione nondum ſatis certò eſſe concluſas, & ex verbo Dei decidi
non poſſe, neque de his rebus ſuſpendi iudicium debet, aut noua Iudicis ſentētia expe-
ctari, ſed ex verbo Dei ſcripto mendacium à veritate adhuc diſtinctum eſt, & ſemper
eſt diſtinguendum.

¶ *Tertium argumentum: Ab exemplo Iudæ Machabæi.*

Sed tempus eſt vt ea quoque exempla exponamus quibus abutimini ad veſtrum
confirmandum conſilium de hæreticis ante nouam Iudicis ſententiam non attingen-
1.Mach.4.e.46. dis. Primum eſt Iudæ Machabæi, qui de ara holocauſti quum quid ſtatueret non ha-
beret, eius lapides in monte Templi loco oportuno poſuit, donec adueniret Propheta
quiſpiam qui de his reſponderet. Nos verò primùm omnium iſtius libri auctoritatem
Refutatio. meritò repudiamus ad ſtatuendum aliquod vel dogma vel exemplum quo teneri poſ-
ſimus: deinde verò ne idoneum reſponſum nobis deeſſe putetis, res diſſimillimas dici-
mus à vobis comparari. Vetus holocauſti altare quum pollutum eſſet, à Iuda deiicitur:
deiecti lapides ſeorſim collocantur, & oraculum expectatur: quia nimirũ quid his fieri
vellet Dominus, in Lege non edixerat. Inde verò quid aliud colligi iure poteſt quàm
in cultu Dei nihil ſine verbo aggrediendũ? In ea igitur cauſa de qua hic agimus, quum
Dei verbum ac mandatum expreſſum habeamus, quo iubentur blaſphemiæ puniri:
& præterea (vt antè oſtendimus) præcipuum hoc ſit Magiſtratus officium, curare vt
peccata in primam Tabulam vindicentur, quorſum nobis hoc Iudæ factum proponi-
tur, quaſi verbum Dei vel nullum, vel non ſatis expreſſum habeamus ad controuerſias
religionis decidendas?

¶ *Quartum argumentum: Ab exemplo Moſis.*

Num.15.e.30, & deincep. Alterum exemplum eſt Moſis, cui quum paulò antè præceptum eſſet vt ſiquis con-
tra Legem data opera commiſiſſet, is capite pœnas daret, tamen eum qui in die Sab-
bati lignatus erat, interficere noluit, niſi relato ſuper ea re nominatim oraculo. In hoc
autem exēplo duplici ratione, Belli, hallucinaris. Primùm quia pro eo quod tu, Dedita
Refutatio. opera, interpretaris, Hebræa veritas habet, In manu excelſa: quem hebraiſmũ, vt mul-
tos alios, ſanè corrupiſti. Putaſti enim peccata quæ in manu excelſa fierent, ita opponi
his quæ per errorem committuntur, vt nihil ſit medium: nēpe vt duobus tantùm mo-
dis Lex violetur: vno quum imprudentes, altero quum dedita opera, hoc eſt, ſcientes &
prudentes peccamus: quam diuiſionem, etiam ſi vera ſit, tamen Moſes hoc loco non ſe-
quitur: id quod apparet ex eo quòd pœna capitalis hac lege in eos omnes conſtituitur
qui in manu excelſa peccauerint: quod ſi interpreteris de his omnibus peccatis in qui-
bus malus animus interuenerit, nullum non erit legis aut politicæ aut moralis, aut cę-
remonialis caput capitale: vt de Deo verè dici poſſit quod olim de Solone, ipſum vide-
licet ſanguine non atramento leges ſcripſiſſe. Itaque pecuniariæ mulctæ, & aliæ pœnæ
non capitales pleriſque legibus additæ, ad eos tantùm pertinerent qui errore peccaſ-
ſent: quod falſiſſimum eſſe præterquam quòd nemo non videt, ita etiam liquidò con-
Leui.6.a.1. ſtare poteſt ex eo loco, in quo eorum etiam peccatorum expiatio deſcribitur, in quibus
fraus & vis interuenit. Quid igitur? nempe illic nō ſuſcepit Moſes omnes violandæ Le-
gis ſpecies explicandas, ſed duas tantùm: vnam videlicet quum per errorem vel inco-
gitantiam peccatur: alteram verò quum quiſpiam in manu excelſa peccat, id eſt, vt re-
ctè vulgatus interpres vertit, Per arrogantiam: aperto nimirũ Dei deſpectu & contem-
ptu. quod ſcelus quum potius diabolicum ſit quàm humanum, non mirum eſt capitali
ſupplicio puniri, etiamſi alioqui in re minimi momenti peccatum ſit. Tunc enim verè
ipſa Dei maieſtas vel in re minima contumelioſiſſimè violatur. Quòd ſi quis vel auari-
tia, vel libidine, vel odio, vel neceſſitate impulſus, cuipiam ſciens ac prudens iniuriam
fecerit,

fecerit,noua iam violandæ Legis ſpecies naſcitur, de qua hîc non agit Moſes. Quanuis
enim hoc fieri non poſſit quin Deus contemnatur,ideſt,quin Deus tanti non fiat quã-
ti fieri oportebat: quia tamen Dei ipſius odio non peccatur,de quo fortaſsis etiã mens
cupiditatibus ebria nihil cogitauit, idcirco in proximum aut in Rempublicam potius
quàm in Deum peccatum dicitur: ideóque pro iniuriæ & criminis grauitate diuerſæ
pœnæ ſancitæ ſunt. Quum igitur is qui Sabbatum violarat, hoc ſcelus vel neceſsitate, Exo.31.c.14.
vel aliqua ratione potuerit admiſiſſe, fieri etiam potuit vt hac lege non teneretur. Sed
ne me putes tergiuerſari, quia videlicet alia perſcripta lex eſt in eos qui Sabbatum
violaſſent, qua non dubium eſt quin iſte teneretur: reſpondeo idcirco eſſe in carcerem
coniectum,non quòd dubitaret Moſes quin capite puniendus eſſet,ſed quòd de gene-
re ſupplicij ambigeret, quod ſcilicet in ea Lege non fuerat explicatum. Sic etiam ali- Leuit.24.c.12.
quando idem Moſes in damnando alienigena blaſphemo Dei oraculũ requiſiuit, quòd
de eo facto nullam adhuc legem Dominus ſcripſiſſet. Nam alioqui Moſes,ſi præter Dei
verbum expreſſum, nouum aliquod Dei oraculum requiſiſſet, ſicut vos illum feciſſe
vultis,magnam certè maieſtati Dei iniuriam feciſſet. Quorſum hoc igitur profertis vt
iudicia hæreticorum tollantur,perinde ac ſi de religionis controuerſiis nondum lique-
ret? Imò verò quis tam cæcus eſt vt hinc effici non videat,ſi nefas fuit illi parcere qui cæ-
remonialem Sabbati legem contempſiſſet, multò minus eſſe hæreticos αὐτοκατακρίτους
impunè tolerandos?

¶ *Quintum argumentum: Ab auctoritate Gamalielis.*

Ad Gamalielis conſilium venio,quem hominem vos ſoletis (vt audio) tanquam cly-
peũ opponere: an quia de Apoſtolica doctrina non aliter quàm Gamaliel ſentitis? dubiè Act.5.f.34. & deinceps.
nimirum ac hæſitanter. Reſpondeo autem illius verbis cuius ſcripta ſi tam legiſſetis di-
ligenter quàm ſecurè ſoletis contemnere,non ita fœdè in multis eſſetis hallucinati. *Ga-* Refutatio.
maliel (inquit ille) *quia ambigit quid rectum ſit,quaſi cæcus in tenebris, neque huc neque illuc ſe confer-* Caluinus Commentariis
re audet,ſed ſuſpendit ſententiã. Interim ex veris principiis malam conſequentiam elicit,nempe nihil ad- in cap.5. Act.
hibendum eſſe conſilij,quia Deus quod ſuum eſt tuebitur: quod autem ab hominibus eſt, peſſum ibit. At-
qui Dominus tametſi vnicus ſit agricola, mittit tamen operarios in vineam ſuam: tametſi ſolus det incre-
mentum, tamen vult eſſe qui plantent & rigent: tametſi Templi ſui ſit architectus, miniſtros tamen &
opifices ſibi adiungit, qui in hoc ædificium laborent. Denique tametſi defenſor ſit operum ſuorum & vin-
dex hominibus,tamen vtitur miniſtris. Vos igitur, quandiu libebit, Gamalielis conſilium vt
cæleſte & diuinum efferatis: nos Paulo adhærebimus,qui anathema eſſe vult eos qui a- Gal.1.a.8.
liud Euangelium prædicarint. Neque fruſtrà Eccleſiam Thyatirenſem à Spiritu ſancto
reprehendi putamus, quòd Iezabelem, quæ ſe prophetiſſam dicebat,docere permitte- Apo.2.f.20.
ret,& ſeruos Dei ſeducere.

¶ *Sextum argumentum: A Pauli auctoritate.*

Non minus aberratis in explicando Pauli loco, in quo ita præcipit: *Siquis imbecil-* Rom.14.a.1.
lis fide eſt, inquit, *aſſumite.* Et paulò pòſt: *Tu quis es qui iudicas de alieno ſeruo? ſuo domino* Ibidem a.4.
ſtat, aut cadit. Item, *Tu verò cur tuum fratrem iudicas? aut etiam tu cur nihili facis fratrem* Ibidem b.10.
tuum? Et rurſum, *Ne poſthac alius alium iudicemus.* Quæ omnia quo iure ad hanc cau- Ibidem c.13.
ſam detorqueantur, facilè intelliget quiſquis ſcopum Pauli conſiderabit. Primùm Refutatio.
enim non de hæreticis, quos alicubi canes & conciſionem vocat, ſed de imbecillis in Philip.3.a.2.
fide diſputat, qui adhuc in Legis elementis per infirmitatem hærebant: nos autem
de hæreticis agimus, id eſt, malitioſè errantibus & factioſis. Præterea de potu & eſca,
id eſt, de rebus mediis Paulus illic diſſerit: nos autem de ipſa religionis ſubſtantia,ip-
ſiúſque præcipuis capitibus, quæ vos tamen in rebus indifferentibus numeratis. Dein-
de quo tempore hæc à Paulo ſcripta ſint, conſiderare operæpretium eſt: ipſius nimi-
rum prædicati Euangelij velut initiis, quo tempore concedendum aliquid fuit eo-
rum infirmitati qui ex Circunciſione crediderant. Cum iſtis autem quid tandem com-
mune habent hæretici,de rebus expreſſo verbo Dei comprehenſis,& noſtra etiam me-
moria tam copioſè ac luculenter explicatis, pertinaciter ab Eccleſia Dei diſsidentes?
Poſtremò apud Paulũ & hoc loco & alibi,priuata & temeraria iudicia prohibẽtur, qui- 1.Cor.4.a.5.
bus videlicet proximũ ob rem aliquã leuiculam non charitate, ſed curioſitate quadam
vel odioſè ac ſiniſtrè velut à Deo reiectum damnamus: quem animi morbum Chriſtus Matth.7.a.1.
etiam acerrimè reprehendit. Nos autem de publicis iudiciis agimus tum Eccleſiaſti-
cis, tum ciuilibus, in quibus Deus ipſe iudex ſedet: quæ ſiquis ſuſtulerit, non modò

nulla Eccleſia, ſed ne Reſpublica quidem ſalua poterit conſeruari. Quinetiã priuata ipſa iudicia quadãtenus neceſſaria ſunt, vt charitatis officia homines inter ſe exercere poſſint. Nã & arborẽ docemur ex fructibus æſtimare, & quos errare iudicauerimus, blandè, quoad eius fieri poterit, in viã reuocare: tantũ abeſt vt publicorũ iudiciorũ vſum & conſuetudinẽ Paulus reprehendat, ſicut multis locis Auguſtinus copioſè expoſuit.

Auguſt. lib. 2. de ſermone in monte Domini, Lib. 10 cõfeſ. cap. 23.

¶ *Septimum argumentum: A deſcriptione charitatis.*

1. Petr. 4. b. 8.
1. Cor. 13. b. 4.

Ad aliud argumentum venio, valdè profectò abſurdum. *Charitas, inquit Apoſtolus, multitudinem tegit peccatorũ: omnia tolerat, omnia credit, omnia ſperat, omnia ſuſtinet: ergo docendi, non puniẽdi ſunt hæretici.* Quid ergo ſupereſt niſi vt Magiſtratus charitatem etiam violet quum furem non ſuſtinet? quum falſo teſti non aſſentitur? quum mutandæ vitæ longius ſpatiũ adultero non relinquit? Sin autẽ iſta cũ charitate nõ pugnant, imò verò iudex qui in eiuſmodi homines non animaduertat, ciues ſuos charitate nõ proſequitur, certè charitatem ita definiatis neceſſe eſt vt non gaudeat iniuſtitia, ſed veritate lætetur: quod ipſe quoque Apoſtolus paulò antè expreſſit: deinde vt cum Ambroſio agnoſcatis quandam eſſe iniuſtam miſericordiam, quum in Lege ſcriptum ſit, *Non miſereberis illius*: & cum Auguſtino fateamini aliam eſſe charitatem ſeueritatis, aliam mãſuetudinis. Nam vna quidem charitas eſt, ſed diuerſa in diuerſis operatur, vt rectè docet ſanctiſſimus ille vir aduerſus Parmenianum, hanc eandem cauſam agens. Odium & Charitas oppoſita ſunt, vtrunque tamen à Domino præcipitur: quædam igitur odiſſe, quædam amare debemus: idque in genere Dominus oſtendit, quum inquit, *Odio habete iniquitatem, & diligite bonum*: ſiquidem & ipſe Dominus diligit iuſtitiam & odit iniquitatem. Quamobrem aut nobis oſtendite malos non eſſe hæreticos, aut hanc veſtram charitatem Chriſtianam non eſſe ſcitote: ſicut inter latrones non amicitia, ſed coniuratio eſt. Quòd ſi malos eſſe negaueritis, cur abſcindi optat Paulus? cur ſuo ipſorum iudicio dicit eſſe condemnatos? cur conſcientiam ipſorum cauterio amputatam? cur adeò vitandos eſſe monet, vt ne cibum quidem cum illis capias? Quid igitur? cur iſta tribuit Paulus charitati? Minimè certè vt pars illa iuſtitiæ qua de ſceleratis ſumitur ſupplicium, à Chriſtianiſmo remoueatur, ſed potius vt iudices bonorum amore, & vitiorum odio non hominum, facinoroſos puniant: neque vt ſeueritas iudiciorum eneruetur, ſed ne quid præcipitanter aut prauo affectu geratur: neque vt in rebus profanis, ac multò minus in Sacris tollatur diligens rerum inquiſitio, & ſpirituum diſcretio, ſed ne ſuſpicionibus indulgeatur: ne imbecillos & infirmos cum malitioſis, factioſis, & præfractè contumacibus confundamus: ne inter ipſos etiam improbos nullum ſtatuamus diſcrimen: denique vt quantum perſona & res ferunt, omnia in primis ad Dei gloriam, & Eccleſiæ conſeruationem, deinde etiam ad proximi ſalutem publicè ac priuatim à nobis referantur. Quorſum autem hoc ad impunitatem illam veſtram ſtabiliendam? Apage igitur, apage iſtam nõ charitatem, ſed crudelitatem extremam, quæ vt paucis quibuſdam lupis parcatur, totum Chriſti gregem prædæ exponendum cenſet. Vigilate potius fideles Magiſtratus, & Verbi Miniſtri, vt lupos in gregem Domini inuadentes, procul abigatis: atque adeò, quoties id poſtularit vel ſceleris vel periculi magnitudo, gladium vobis à Deo ad dignitatem ſuam vindicandam traditum, fortiter & conſtanter Moſis illius alioqui clementiſſimi hominis exemplo, pro gregis ſalute, in iſta hominum monſtra exerite, vt verè Deo ſeruiatis.

Refutatio.
Lib. 1.
Amos 5. d. 15.
Pſal. 45. b. 8.
Galat. 5. b. 12.
Tit. 3. d. 11.
1. Tim. 4. a. 2.
1. Cor. 5. d. 11.
Exod. 32. f. 27.
Pſal. 2. c. 11.

¶ *Octauum argumentum: Quia Chriſtiani mites & clementes eſſe debent.*

Aliud argumentum aggredior cum ſuperiore prorſus coniunctum. Solent enim iſti clementiæ & ſanguinis ſe patronos dicere, nos contrà carnifices, ſanguinarios, perſequutores vocare: & quæcunque pro lenitate & clementia aduerſus perſecutiones in verbo Dei ſcripta ſunt, in nos detorquent. Quinetiam Monfortius iſtius factionis vnus, ſigna, teſſeras, ſcuta, baltheos, thoraca, caligas, gladios pingit, inſtar Phormionis illius quem meritò ridebat Hannibal, vt mirum ſit tam militarem eſſe poſſe clementiæ ac pacis patronum. Clebergius autem aduerſus vmbram ſuam diſputans, ſuum illud, O Deus, ingeminat: & bellam nobis diuiſionem fabricat. Contendit enim omnes qui in cauſa religionis alios perſequuntur, id eſt, puniunt, hoc vel propter inuidiam facere, vel propter ambitionem, vel propter auaritiam, vel propter Dei ſtudium cum ignorantia coniunctum: & poſtea colligit cæteros malitia peccare. Deinde mira contorquet enthymemata, quæ idcirco deſcripſi vt omnes

intelligant quo ſpiritu iſti impellantur. 1 *Nolite timere puſille grex, ego mitto vos ſicut o-
ues in medio luporum. Poteſtne puſillus grex perſequi magnum gregem, aut ouis lupum?* 2 *Mun-
dus gaudebit, vos autem plorabitis. Vtri gaudent? nónne perſecutores? Vtri plorant? nónne qui perſe-
cutionem patiuntur?* 3 *Beati eſtis quum vos perſecuti fuerint homines. Quomodo erimus beati, ſi
ipſi alios perſequemur?* 4 *Qui vult venire poſt me, tollat crucem ſuam. Quomodo poſt Chriſtum ibi-
mus, ſi ipſi aliis crucem imponamus?* 5 *Leæna lupum & ouem perſequitur, lupus ouem non leæ-
nam perſequitur, ouis eſt vltima: tantùm patitur, tantùm prodeſſe ſcit, non nocere. nihil enim habet
infra ſe.* O mitificè manſuetum & clementem! quinetiam furum & homicidarum ſup-
plicium vt crudele reprehendit. Sic enim argumentatur: 6 *Quiſquis Ieſum credit eſſe
Chriſtum, & veniſſe in carne, is natus eſt ex Deo. Ergo quiſquis interficit hominem qui credit Ieſum
eſſe Chriſtum, interficit hominem natum ex Deo.* Quid plura? 7 *Quiſquis*, inquit, *perſecu-
tionem patitur propter fidem, is aut rectè ſentit, aut errat. Si rectè ſentit, non debet lædi. nam ſi Chri-
ſtus his à quibus crucifigebatur veniam orauit, quia errabant, quanto magis his qui pro eo ſe crucifigi ſuſti-
nent? Et ſi Lex Moſis his veniam dat qui aliquem per imprudentiam interfecerint, quanto magis his qui
per errorem ſe interfici ſuſtinent?* Ecquis verò tam eſt inſanus vt ſimplicem errorem ab affe- Refutatio.
ctata ignorantia non diſtinguat? Ecquis tam imperitus rerum, qui non videat hoc mo-
do omnibus quantumuis portentoſis & impiis hæreſibus ianuam aperiri? Bellius au-
tem & ipſe Chriſti clementiam nobis pro exemplo proponit, quem etiam inſtat Caia-
phæ illius adiurat. Ad hæc autem omnia iampridem Auguſtinus reſpondit, quum ad-
uerſus Manichæos & Donatiſtas hanc eandem cauſam ageret, his verbis: *Rectè*, inquit, Aug. aduerſus
iſta dicerentur à vobis quærentibus martyrum gloriam, ſi martyrum cauſam haberetis. Non enim feli- ſecundā Gau-
ces ait Dominus qui mala iſta patiuntur, ſed qui propter Filium patiuntur, qui eſt Chriſtus Ieſus. Vos au- dentii epiſt.
tem non propter ipſum patimini, ſed contra ipſum. Aduerſus quos autem hæc dicit Auguſtinus? cap. 12.
Certè aduerſus eos, qui ſi cum his conferantur, infinitis partibus erant meliores. Nam
multorum vitiis offenſi, ab Eccleſia diſceſsionem fecerant, eandem alioqui in pleriſ-
que doctrinam atque Catholici retinentes. Iſti verò quum cognitionem Trinitatis,
quæſtionem de officio Chriſti, de prædeſtinatione, de libero arbitrio, de iuſtificatio-
ne, de Baptiſmo, de Cœna Domini, neque neceſſariam, neque vtilem eſſe dicunt, quid
nobis relinquunt quo Chriſtiani ſimus? Id vnum videlicet quod ne diabolis quidem
poſsint eripere. Idem Auguſtinus, *Et nos*, inquit, *confitemur quod dicitis, non ſolis Apoſto-* In eodem li-
lis eſſe dictum, Beati eritis quum vos perſequuti fuerint homines. Ad omnes enim hoc pertinet, non qui bro.
*poſt illos quamlibet perſecutionem paſsi ſunt, aut patiuntur, aut paſſuri ſunt, ſed qui propter iuſtitiam, ſi-
cut & ipſi. Nam & hoc paulò ſuperius dixerat, Beati qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam.*
Et libro tertio ad Epiſtolam Parmeniani, *Conſiderent*, inquit, *prius quid faciant: poſtea quid
patiantur, aduertant. Quòd ſi quid pro eiuſmodi iniquitatibus patiuntur, ſi nolunt corrigi, ſaltem non
audeant gloriari.* Hactenus Auguſtinus. Sed quum hæc à me dicuntur, plus etiam iſtis
ſanè concedo quàm debeam. Ecquid enim dicere poſsint in his Eccleſiis eſſe factum
cur nos crudeles, ſæuos, ſanguinarios vocent? Certè duos iſtius factionis principes
noui, quorum tamen nominibus nolui hunc qualemcunque noſtrum libellum con-
taminari, Magiſtratuum noſtrorum clementiam, & Miniſtrorum bonitatem re ipſa
pridem expertos. Nunc tamen vterque nos truculentos & feros perſequutores vo-
cat. Quos autem hæreticos nominabunt à noſtris durius habitos? Vni abhinc bien-
nium vna ciuitate eſt interdictum propter ſingularem & planè monacho dignam im-
pudentiam, quum ſæpe admonitus, & conuictus, peſtilentiſsimo dogmate ex Pi-
ghij & Siculi lacunis hauſto, Eccleſiam palàm turbaret. Sed videre mihi videor quid
eos magis commoueat: nempe miſerabilis illa innocentiſsimorum hominum, id eſt,
Anabaptiſtarum cædes, deinde verò Serueti mors crudeliſsima. Ad illos autem quod
attinet, primùm omnium Geneuenſis Eccleſia iſto, quod vocant, crimine non tene-
tur, non tam certè quòd ab aliis vicinis Eccleſiis diſſentiat, quàm quòd illam ſingu-
laris Dei benignitas ab iſta hominum peſte penè immunem adhuc conſeruauit. In a-
liis autem Eccleſiis minimè dubitò quin tam prudentes támque pij ſint principes, vt
ſummam ſemper moderationem adhibuerint, & conſilij ſui optimas rationes habeãt:
tam pij quoque & in verbo Dei eruditi Paſtores, vt ſi de Anabaptiſtis ſupplicium ſumi
bona conſcientia non poſſet, liberè & Chriſtianè fuerint ſuos principes admoni-
turi. Hos igitur Magiſtratus, hos Paſtores quum iſti accuſant, ſciant ſeſe non modò
imprudenter, ſed etiam ſeditioſè facere. Quanquam quid mirum eſt eos iſta aude-
re quum ſuam ipſorum cauſam agant? An non enim apertè Bellius ſua præfatione

quæſtionem de pædobaptiſmo ſic eludit, vt illos qui de eo cum Catabaptiſtis litigant, perinde facere dicat atque ſi diſputēt, Num ante meridiem, vel poſt meridiem lauandum ſit? Nam perſonatus iſte Bellius ne illoto ſermone vti videretur, aut potius vt re ipſa oſtenderet ſeſe Baptiſmum non multò pluris quàm cæteras ablutiones facere, vbique nobis ſicut ex Angelis genios, ita etiam ex Baptiſmo lotionem fecit. Ex his autem intelligi poteſt quid monſtri ab iſtis alatur. Itaque omnes hortor vt diligenter conſiderent, ſi homines iſti obtentu conſcientiæ & ſimplicitatis obtinuerint licentiam quiduis ſentiendi & docendi, quam tandem Eccleſiarum formam ſimus habituri, in quibus eandem doctrinam neque Miniſtri proponant, neque populus ſequatur, ſed ad euitandas (vt ait ille Clebergius) ſeditiones, tot ſint in religione ſententiæ quot capita, modò cæteris in rebus concordia ſeruetur. Nemo igitur miretur clementes iſtos homines ægrè potius ferre piſces hæreticorum ſanguine paſci, quàm tot hominum myriadas hac contagione infectas interire. Suam enim cauſam agunt, & quos Eccleſiæ noſtræ vt hæreticos arcent, ipſi, ſi apertè loqui auderent, non tantùm dicerent ſimplicitate peccare in rebus nō ita cognitu neceſſariis, ſed optimos & ſanctiſſimos viros palàm appellarent. De Serueto porrò quid dicam? Hoc monſtrum hominis nemo adhuc præter iſtos inuentus eſt qui non putauerit ſeuerè coërcendum: nonnulli tamen ob certas cauſas (de quibus poſtea dicemus) paulò mitius tractandum fuiſſe iudicant. Hos autem quid mirum eſt iuſtiſſimum ipſius ſupplicium crudelitatem vocare, à quibus ipſa Trinitatis cognitio, id eſt, vnicum religionis fundamentum, inter ἀδιάφορα numeratur? Quid eſt igitur quæſo cur nos ſanguinarios vocent? *An quòd omnes à nobis in aliquo diſſidentes pro hæreticis haberi velimus?* Atqui hæc apertiſſima & impudentiſſima calumnia eſt. *An quòd Papiſtarum inſtar, placida & legitima cognitione ex verbo Dei ſublata, homines indicta cauſa ad aquam, ad cædem, ad flammam rapiamus?* Dicant quando id à quoquam noſtrûm non dico factum, ſed tentatum fuerit. *An quòd inter Eccleſiaſticam diſciplinam, & Magiſtratus gladium, inter doctrinam & mores, inter infideles & apoſtatas, inter infirmos & contumaces, inter ipſos denique hæreticos diſcrimen tollamus?* Atqui & voce & libris editis, & re ipſa contrarium teſtamur. *An denique quòd Magiſtratum* (ſicut calumniantur) *ad crudelitatem impellamus?* Atqui mendacium hoc vel in ipſa Serueti cauſa illuſtriſſimorum Senatorum Geneuenſium teſtimonio redarguitur, qui teſtari poſſunt, eum ipſum hominem in cuius perniciem hæc factio iam olim cum diabolo fruſtrà coniurauit, & quem in hac cauſa, cum ſummâ illius Reipublicæ infamia, accuſatoris & iudicis partibus functum fuiſſe confingunt, eum inquam ipſum, quantum potuit, laboraſſe, primùm quidem vt Seruetum ab impiis illis erroribus abduceret: deinde verò, quum ille iam eſſet inſanabilis, omnibus modis contendiſſe vt ſaltem incendio eximeretur. Sed tanta erat eius hominis rabies, tam execranda, támque horrenda impietas, vt Senatus alioqui clementiſſimus ſolis flammis expiari poſſe exiſtimarit. Quid igitur iſtos ad iſtas calumnias exhalandas impulerit, res ipſa clamat, exitus oſtendet.

¶ *Nonum argumentum: Sinendos hæreticos, quòd nullum ſit hominum genus minus metuendum.*

Cæterùm hoc quoque argumento vtuntur, *Sinendos eſſe hæreticos, quia nullū eſt hominum genus minus metuendum*. Hoc autē quū dicunt, quis eos ſeriò loqui putet? Sic tamen diſertè ſcripſit quidam iſtius factionis princeps: *Nullū*, inquit, *hominū genus minus metuendū eſt. Qui enim vitā mauult amittere quā dicere quod nō ſentit, (peccaret enim ſi faceret, & qui cogit, peccare cogit) nō eſt, credo, metuendū ne is pecunia poſſit aut alia re corrūpi. Atque equidē illud mihi perſuaſi, nullos eſſe Principibus & Magiſtratibus obediētiores quā eos qui ſimpliciter Deū metuunt, & in eo quod ſciunt, fideles ſeſe præſtant.* Quæſo quis iſtū Chriſtianè loqui nō putet, qui fidei ſimplicitatē & cō-

Refutatio. ſcientiam prædicet? Sed ſi roges quid ſit, Simpliciter Deū metuere: ſi roges de qua conſcientia loquatur, hîc demū ſeſe prodat neceſſe eſt. Nam apud iſtos (ſicut antè oſtendimus, & ipſi non negant) ſimplices ſunt qui cum Turcis & Iudæis in vnum Deum credunt, & præterea Chriſtū eſſe credunt Dei Filium, mundi dominum ac iudicem. cætera omnia ſine vlla exceptione libenter ignorant. Sin autem roges quid ſit apud eos conſciētia, reſpondebūt eſſe quamuis cognitionem ſiue notitiam in animo inſculptam, qua noſtræ actiones accuſantur vel defenduntur. & dicunt certè aliquid. Sed quum ad eam tanquā regulam volunt vt actiones noſtras omnes exigamus, illud prætermittunt quod

Diſtinctio inter ſimplicitatem & ignorantiam. præcipuū erat, ſicut à nobis (vt ſpero) explicabitur. Ergo quod ad prius illud attinet, quā ipſi Simplicitatē vocant, eā ego appello veri Dei Ignorantiā: quod ipſis eſt Simpliciter

Deum

Deum metuere, ego A Deo alienum eſſe dico. Nam qui Deum non aliter nouit quàm
Turcæ & Iudæi, Chriſtum autem non aliter quàm diaboli, ab illo Deum ignorari dicunt
quod & ſuprà oſtendimus. Vult autem Chriſtus vt adoremus quod ſcimus in Spiritu & Iohan 4.c.22.
veritate, non autem quod neſcimus cum Samaritanis, quum fides noſtra non ex natu-
ræ notitia, ſed ex Verbi auditu ſit per Spiritum ſanctum: vult vt nō modò ſimus ſimpli- Rom 10.d.17.
ces, ſed etiam prudētes: vult pueros nos eſſe, ſed malitia, non ſenſibus: vult nos ſic crede- Matth.10.b.16.
re vt intelligamus quid credamus, & parati ſimus ad reſpondendum cuilibet petenti 1.Cor.14.c.16.
de ea ſpe quæ in nobis eſt. Neque tamen aut ſummam, aut parem in omnibus perfe- 1.Pet.3.c.15.
ctionem requiro, quum quotidie proficere nos oporteat, & varia ſint Dei dona: ſed
præcipuarum tamen rerum cognitionem requiro, quas qui ignoret, Chriſtianus non
ſit, id eſt, ſimplicitatem ab ignorantia, modeſtiam à ſtoliditate diſcerno, ne iſti nobis fu-
cum faciant qui Scholaſticum illud dogma de fide implicita inſtaurant. Sic enim aper-
tè dicit Clebergius: *Siquis, ait, errantem ouem nactus, domum tuam adduceret, quia ouem putaret eſ-
ſe tuam: nónne amares eum propter bonam eius voluntatem, etiamſi ouis tua non eſſet? Quòd ſi tu quum
ſis malus, id facis, quid faciet Deus? Nónne eos amabit qui id quod verum eſſe putant, defenderint bona
fide, etiamſi fortè errauerint? nónne eis veniam dabit?* Sed quid ſi tu, Clebergi, ouem non ad
dominum, ſed ad furem ipſum adduceres, ſiue per negligentiam, ſiue per improbitatē?
Nam Mehumetanum hoc dogma eſt, In ſua religione quenque ſeruari. Nos autem in
his qui extra Chriſtum ſunt, illam bonam fidem agnoſcere non poſſumus, ſed horren-
dam illam corruptionem in qua omnes filij iræ naſcimur, & quam in nobis ſolus Chri- Epheſ.2.a 3.
ſtus per Spiritum ſuum ſanat, extra quem ſalus non eſt: quia qui in Filium non credit,
non videbit vitam, ſed ira Dei manet ſuper eum. De conſcientia verò tam imperitè Iohan.3.d.36.
iſtos loqui minimè miror, quum de re ſibi incognita diſſerant. Paucis autem reſpon- Quid conſcientia, & quatenus illi parendum.
deo, me in eo aſſentiri quòd conſcientiam non putent eſſe violandam. Didici enim ex
Paulo peccatum eſſe quicquid ex fide non fit, & conſcientiam quoque infirmam pol- Rom.14.d.23.
lui. Sed ex his nego conſequi duo illa quæ affirmant: Rectum eſſe nimirum quicquid 1.Cor.8.b.7.
fit ex conſcientia: &, Suæ quenque conſcientiæ relinquendum. Nam ſi errare non po-
teſt qui conſcientiam tanquam ducem ſequitur, dicant quis ille ſit zelus quo Paulus 1.Tim 1.c.13.
Chriſtum perſequebatur: qui ſi vitioſus non eſt, cur idem clamat ſe blaſphemum fuiſ- 1.Cor.15.b.9.
ſe, & indignum qui Apoſtolus vocetur, propterea quòd Eccleſiam Dei perſequutus eſt?
Cur Dominus pro his rogat à quibus crucifigebatur, ſi non peccant qui ſe peccare non Luc.23.e.34.
putant? an non hoc eſt, rogo, Papiſtarum bonas (quas vocant) intentiones reuocare?
an non Libertinorum Opinationem ſtabilire? At enim, dicet Clebergius, Peccare non
nego, ſed veniam ipſis dari dico. Neque nos verò veniam dari negamus: ſed addita con-
ditione, ſi Chriſtum per fidem induerint: fidem, inquam, Chriſtianorum propriam,
quam iſti penè non agnoſcunt. Nam niſi conſcientia ex verbo Dei, non ex naturæ noti-
tia (quæ quod ad verum Dei cultum attinet etiam inimica Dei eſt) intellexerit quid
Deo placeat, quid supereſt niſi vt nos ſecum in exitium præcipitet? An enim exiſtima-
mus fore vt Chriſtus ex opinionibus noſtris, ac non potius ex ipſius Verbi præſcripto
mundum iudicet? Itaque antequam ad conſcientiæ normam actiones noſtras exiga-
mus, conſcientia ipſa in primis ad verbum Dei eſt exigenda. Neque enim conſciētiam
tantùm requirit Dominus, ſed bonam. bonam autem Apoſtolus interpretatur non
eam quæ in tenebris ignorantiæ (quam ſimplicitatem iſti appellant) ſepulta eſt, ſed quæ
eſt ex fide non ficta: vt hæc quatuor, verbum Dei, cognitio, fides, conſcientia bona, in-
ter ſe arctiſſimo vinculo iuncta cohæreant. Hæc enim eſt de qua gloriatur Apoſtolus, 2.Cor.1.c.12.
hæc eſt quam exigit, & finem præcepti eſſe dicit. Ergo iſtorum ſimplicitas & conſcien- 1.Tim.1.a.5.
tia nihil aliud ſunt quàm perſonæ, quas ad fallendos incautos induerunt. Nunc autem
his detractis conſideremus vnde tandem ratiocinentur hæreticos minimè omnium ho-
minum eſſe metuendos: *Quia,* inquiunt, *omnium ſunt obedientiſſimi; qui mori malunt quàm
dicere quod non ſentiunt.* Eximia certè obedientia, ita ſententiæ tuæ addictum eſſe vt e-
tiam verbo Dei conuictus, occîdi te potius ſinas quàm ſententiam mutes. Quaſi ve-
rò inter conſtantiam ac pertinaciam nullum ſit diſcrimen. Iubet Magiſtratus vt ci-
ues arma capiant: repugnabit Anabaptiſta, & morietur potius quàm vociferari de-
ſinat, Chriſtianis bellum gerere non licere: & ita excitabitur ſeditio, totáque Reſpu-
blica, quantum in ipſo eſt, euertetur. Nónne hoc egregium eſt obedientiæ exem-
plum? Curabit Magiſtratus in ſua ditione verbum Dei fideliter doceri: aſſentientur
omnes: tandem exorietur furioſus aliquis, ſimplicitatem tamen ac pietatem ſimulans,

qui præcipua dogmata religionis oppugnabit: priuatim ac publicè ritè admonitus, & tandē diſciplina Eccleſiaſtica coërcitus, hæc omnia nihili faciet: ſi verbū Dei obiicias, vel deridebit, vel impudenter calumniabitur, vel reuelatam aliquam interpretationē afferet: ſi Eccleſiæ conſenſum opponas, omnes præter ſe vnum errare dicet: & quò erit ad ſimulandū exercitatior, aut iuſto Dei iudicio magis excæcatus, eo magis ſibi vim afferri conqueretur: Denique omnibus omnium rationibus & apertiſſimis Scripturæ teſtimoniis ſolam pertinaciam inexpugnabilem opponet, Eccleſiam perturbabit, diſcipulos ſibi adiunget, fidelibus Miniſtris inſidiabitur, Eccleſiaſticam diſciplinam deſpiciet: ſi à Magiſtratu corripiatur, martyrium iactabit. Quid cum eiuſmodi homine agēdum ſit, nunc non quæro: hoc quæro, an ſit iſte obediens, ac non potius Deo & hominibus rebellis: an non ſit iſte Reipublicæ tanto magis metuendus quàm fures & homicidæ, quanto magis peccat qui ciuis animam, quàm qui corpus occidit: an non quauis lue & peſte magis exitialis, quum diſertè teſtetur Spiritus Pergamenſi Eccleſiæ ſe illi
Apoc.2.d.15.& 20. infenſum quòd Nicolaitas quoſdam haberet: & Thyatirenſi quòd Iezabelem fineret ſeruos Dei ſeducere. Ergo negare iam non poſſunt, quum propter hæreſes ſoleat ira
1.Cor.11.d.19. Dei grauiſsimè inflammari, imò verò hæreſes, quamuis neceſſariæ, vt qui electi ſunt probati fiant, tamen manifeſta ſint iræ Dei teſtimonia, nullum hominum genus orbi terrarum magis metuendum eſſe, & maiore ſtudio ac ſollicitudine ex cæterorum hominum conſortio, atque adeò interdum ex ipſa vita deturbandum. Quòd ſi cōtrariam doctrinam ſequamur, non modò non eiiciendi, ſed ne metuendi quidem, imò maximis quibuſque præmiis afficiēdi erunt hæretici, vt qui inter cæteros ciues incorruptam obedientiam præſtent: adeò iſti prępoſteri clementiæ patroni omnem pudorem & humanitatem exuerūt. Humanitatem exuiſſe dico, quia ſummo humani generis odio teneatur neceſſe eſt qui infenſiſsimos hominū ſalutis hoſtes non modò non coërcendos, ſed etiam honore afficiendos putet.

¶ *Decimum argumentum: Ab exemplo clementiæ & benignitatis Chriſti.*

Quid plura? Chriſtum etiam ipſum nobis iſti obiiciunt, cuius exemplo hæreticos foueamus: & hîc planè triumphant, & miras excitāt tragœdias. *Equidem,* inquit Bellius, *dum conſidero Chriſti mores & doctrinam, qui quum innocens eſſet, nocentibus ſemper veniam dederit, daríque vel ſeptuagies ſepties iuſſerit: non video quomodo Chriſtiani nomen tueri poſsimus, niſi eius clementiā imitemur.* Eſt paulò pòſt, *Itaque conſultum fuerit vt in tanta multitudine peccatorum quibus omnes obruimur, ad ſe quiſque redeat, & de corrigenda vita ſua, non de alienis damnandis ſit ſollicitus.* Item alibi, *Quis non putet Chriſtum aliquem eſſe Molochum, aut eius generis aliquem Deum, ſi ſibi viuos homines immolari comburíque velit? Quis velit ſeruire Chriſtò ea conditione, vt ſi in aliqua re, inter tot controuerſias, ab iis diſsideat qui habent in alios poteſtatē, viuus comburatur ipſius Chriſti iuſſu, crudelius quàm in tauro Phalaridis, etiamſi in mediis flāmis Chriſtum magna voce concelebret, & ſe in eū pleno ore credere vociferetur? Finge adeſſe Chriſtum ipſum iudicem, & ſententiam pronunciantem, ac faces inferentem: quis non Chriſtum pro Satana habeat? Quid enim poſſet aliud facere Satan quàm vt eos cōburat qui Chriſti nomen inuocant? O Chriſte, mundi creator atque rex, vides hæc? adeóne alius factus es, adeò efferatus, adeò tibi contrarius? Quū eſſes in terris nihil erat te mitius, nihil clementius, nihil iniuriæ patientius. Sicut ouis ante tonſorē, ne mutiuiſti quidē: verberibus conciſus, conſputus, deriſus, ſpinis coronatus, inter latrones ſumma cū ignominia crucifixus, pro his oraſti qui tibi iſtas omnes contumelias intulerunt. Adeóne nunc mutatus es? Quæſo te per nomen ſanctum Patris tui, iubéſne eos qui inſtituta, præceptáque tua non ita intelligunt vt poſtulant magiſtri noſtri, aquis ſuffocari, verberibus vſque ad viſcera concîdi, deinde ſale conſpergi, ferro truncari, lento igne torreri, & omni ſuppliciorū genere quàm diutiſsimè fieri poteſt excruciari? Hæccine tu, Chriſte, iubes & probas? Hi ne ſunt vicarij tui; qui hæc ſacrificia faciunt? ad háncne tu viſcerationē vocatus ades, & humana carne veſceris? Si tu Chriſte hæc facis vel fieri iubes, quidnam faciendum diabolo reliquiſti? an eadem facis tu quæ Satan? O blaſphemias, ô hominum ſceleſtam audaciā, qui ea Chriſto tribuere audeant, quæ fiunt inſtinctu iuſſúque Satanæ!* Et hæc quidem omnia, Lector, ex ipſius Bellij præfatione exſcripſi, vt appareat nullam iſtis à me fieri iniuriam. Quis verò quum hæc audit, paſtorem ſibi nō videatur audire de gre-
Refutatio. gis ſalute ita ſollicitum vt ſuiipſius obliuiſcatur? Quanquam profectò, vt nihil aliud ſit, profanæ iſtę ſimilitudines Chriſti cum Molocho & Satana, & temeraria iſta Chriſti per ſanctum nomen Patris obteſtatio, temerarium & inconſideratum zelum produnt. Sed hæc age iis concedantur, qui omnia ſibi licere volunt. In primis autem quod de crudelitate iactant, ſciant ad nos nō pertinere, quum Dei gratia neque pro hæreticis eos habeamus quicunque in aliqua re à nobis diſſentiunt, neque in alios poteſtatem vſurpe-
mus,

mus,neque quenquam non dico viuum cremauerimus, ſed vel pro hætetico habuerimus qui Chriſti nomen inuocaret. Nam quod ad Seruetum attinet, quem ipſi nominatim appellare non audent: quo pudore ipſum in mediis flammis Chriſtum magna voce concelebraſſe,& ſe in eum pleno ore credere vociferatum dicunt, quum hoc ab eo iam morituro nullis Eccleſiæ precibus extorqueri potuerit vt Chriſtum pro æterno Dei Filio agnoſceret,neque vllis Miniſtrorum præſentium obteſtationibus& penè lachrymis impetrari vt ſuiipſius rationem haberet? Nam etiam in ipſo mortis articulo ſuarum artium obliuiſci non poterat, quas tota vita exercuerat. Itaque quum ſedulò admoneretur vt aliquod reſipiſcentiæ ſignum daret: *Ego*,inquit,*chriſtum æterni Dei Filium eſſe fateor.* Quum autem,detecta eius fraude, ab eo peteretur vt non modò æterni Dei Filium,ſed etiam æternum eſſe Dei Filium agnoſceret, obmuteſcere maluit quàm Filio Dei debitum honorem tribuere, partim horrore mortis perturbatus, de qua nunquam antea ſeriò cogitarat, partim, vt ego exiſtimo, iuſto Dei iudicio perculſus. Et Chriſtum ab eiuſmodi hominibus inuocari arbitrabimur? Abſit. Imò verò quoties Chriſti nomen pronuntiant, toties ab ipſis Dei Filius blaſphematur: vt qui Chriſtum non qualis eſt, & qualem nobis in verbo ſuo ſeſe declarat, ſed qualē ipſi ſibi finxerunt,id eſt, pro vero & vnico Chriſto idolum pertinaciter amplectantur. Nam alioqui inter hæreticos nullus vnquam fuit qui non Chriſti nomen ſuis erroribus obtenderit, ſéque ſuper Chriſtum ædificare iactarit: ſed fruſtra, quum re ipſa Chriſti doctrinam reiiciendo, Chriſtum ipſum repudiarent. Hæc igitur crudelitatis accuſatio nihil ad nos pertinet,niſi ſæuitia fuit, poſt legitimam & placidam ex verbo Dei cognitionem, poſt ſæpe repetitas adhortationes, poſt mitiora omnia remedia fruſtrà adhibita, in Anabaptiſtas totius politiæ tum ciuilis tum Eccleſiaſticæ euerſores, (quod tamen in hac Eccleſia nunquam euenit) & blaſphemum ac impium illum Seruetum, cuius impietas triginta annorum ſpatio cōpeſci non potuit,iuſto ſupplicio animaduertiſſe: niſi, inquā, ſæuitiam vocant quòd Magiſtratus fortis& conſtans ab Eccleſiarum ſibi commiſſarum defenſione nullis minis deterreatur, & pij harum Eccleſiarum Paſtores aduerſus lupos illos graues & famelicos excubias agant. In Turcas igitur & Papiſtas iſta conueniunt, qui verbo Dei deſtituti ſola vi non hæreticos modò, ſed etiam verè Chriſtianos crudeliſſimè perſequuntur. Sed ad rem veniamus. Chriſtum Filium Dei nobis pro exēplo proponunt. rectè profectò. Nam non dubitamus quin perfectiſſimum & abſolutiſſimum ſit exemplar. Sed quomodo ſit nobis imitandus Chriſtus,hoc ipſum eſt de quo quæritur. Nullum enim hîc diſcrimen ſeruant: nos autem quia Chriſtum diuerſè conſideramus, diuerſas etiam adhibemus diſtinctiones. Quatenus enim eſt Dei & hominum mediator,proprium habuit officium quod intra ipſum vnum hæret,quódque ipſe cumulatiſſimè præſtitit: vt ſiquis eum hac in re velit imitari, præterquàm quòd id fruſtrà conetur, etiam pro ſtulto & inſano meritò habeatur. Deinde quatenus miniſter fuit ad Dei Patris voluntatem explicandam, poteſtatem habuit quam cum nullo hominum communicat, nouum videlicet fœdus vetere abrogato ſanciendi, & pro iure ſuo conſcientias obligandi: quod neque Prophetis,neque Apoſtolis licuit, niſi quatenus Dei fuerunt interpretes. Deinde ſumma in eo plenitudo fuit, in nobis autem Spiritus dona neque tot,neque tanta ſunt,ideóque plurima fecit quæ neque ipſe poſcit vt imitemur, neque vt velimus, imitari poſſimus: cuiuſmodi illud eſt quòd quadraginta dies & noctes ieiunauit, quòd omne morborum genus ſanauit. Hæc enim & ſimilia cum Verbi miniſterio non ſunt neceſſariò & perpetuò coniuncta. Præterea miniſterium ſuum ad certos homines & certum etiam tempus accōmodauit:& hactenus multa ipſius ſingularia facta minimè neceſſe eſt vt Miniſtri imitentur,quādoquidem Chriſtus in terris agens Circunciſionis miniſter fuit. Sed quatenus fuit perfectiſſimum obedientiæ exemplar, ſingulos fateor, cuiuſcunque tandem ſint gradus ac conditionis, in eum vnum tanquam ſcopum ac finem vnicum intueri debere. Itaque ſicut ille per omnia Dei Patris gloriam omnibus rebus antepoſuit,deinde hominibus etiam inimiciſſimis omnibus modis prodeſſe ſtuduit, ita quiſque facere tenetur: ſed non vno tamen & eodem modo,quum diuerſę ſint in Eccleſia functiones. Magiſtratus igitur Chriſtum imitabitur,primùm ſi præſidia quæcūque à Domino accepit, ad veræ religionis curam & conſeruationem applicuerit: deinde omnia pro viribus ſuſtulerit quæ ſubiectos impediant quominus inter ſe pacificè & tranquillè mutua charitatis officia exerceāt. Itaque quando ſceleratos puniet, & controuerſias decidet, ad Dei gloriam & Reipublicæ

Quomodo Chriſtus nobis ad imitādum proponatur.

Rom. 15. b. 8.

conſeruationem omnia accommodans, Chriſtũ dicetur imitari,etiamſi Chriſtus, quia
iudex non erat,adulteram non condemnarit:& familiæ herciſcundæ arbiter eſſe noluerit. Item Miniſtri, baptizando & Eccleſiaſtica diſciplina cõtumaces coërcendo, Chriſtum imitantur,etiamſi neutrũ feciſſe Chriſtus legatur. Priuati denique omnes pro vocatione ſua Rempublicã in tremore & timore Dei adiuuãtes,Chriſtũ imitantur. Quòd ſi contrà Princeps aut ſceleris conuictum abſoluat, aut hæreditatem diuidere recuſet, aut docere velit in Eccleſia, Chriſtum non imitabitur, qui tamen fecit hæc omnia. Idque de cæteris quoque ordinibus intelligendum eſt: quos omnes quum Chriſtus non duxerit, hactenus nobis ad imitandum proponitur, vt non ſingula ipſius facta, ſed in genere abſolutiſſimam ipſius obedientiam quiſquo ſibi pro ratione vocationis proponere teneatur. Quòd ſi (vt iſti videntur velle) nihil faciendum eſt quod Chriſtus non fecerit, cur Magiſtratus fures ſuſpendunt? cur controuerſias decidunt? cur Chriſtianis
Act.4,& 13,& 25. litigare licet? cur Petrus homines verbo interficit? cur Paulus excæcat? cur idem ad Cæſarem prouocat, quum Chriſtus coram Pilato ne mutiuerit quidem? Sed & aliud eſt in hac controuerſia maximi momenti, quod iſti non conſiderant. Chriſti enim regnum & naturam ex eo duntaxat temporis interuallo æſtimant quo in terris hominum more verſatus eſt. quaſi verò Chriſtus etiamnum hodie in ſingulis Eccleſiæ membris non regnet, quoties officium ritè faciunt ſibi à Deo iniunctum. Quid enim? An non exiſtimabimus, quum Magiſtratus, nomine Chriſti inuocato, ſceleratum aliquem in manus carnificis tradit, veluti Chriſtum ipſum hoc facere? quum Miniſtri in nomine & ex verbo ipſius populum ritè docent, obiurgant, conſolantur, an non Chriſtum in eorum perſona loqui cenſebimus? Quorſum igitur Chriſti naturam nobis ponunt ob oculos? An à Chriſti natura abhorret malos punire? imò verò potius, nónne idcirco Magiſtratum in Eccleſia ſua conſtituit, primùm vt eius præſidio legitimo Verbi miniſterium defendatur, deinde vt ipſe per Magiſtratum ſceleratos puniat? alioqui cur Magiſtratui parendum non modò propter iram, ſed etiam propter conſcientiam? At Chriſtus clementiſ-
Rom.13. b.5. ſimus fuit. Quis verò ex noſtris ſæuitiam & crudelitatem non condemnat? At Chriſtus
Rom.2.a.5. patientiſſimus. Fateor: ſed tamen iuſtus iudex in eos qui iram ſibi congregant. At Chriſtus verberibus cõciſus, conſputus, deriſus, crucifixus ne mutiuit quidem. Fateor: & hanc patientiam in priuatis iniuriis vtinam plures imitarentur. Idem tamen aliquan-
Iohan.2. c.15. do flagellum corripuit, & quum tempus vltioni conſtitutum aduenit, quæſo quàm horribile iræ ſuæ exemplum edidit, & etiamnum hodie in Iudæos edit? Quid? vt iam olim præteritas Iudæorum clades prætermittam, vaſtatio illa Turcica, & Papiſtica tyrannis quid aliud eſt quàm terribilis ira Chriſti contemptum verbi ſui vindicantis? An non Deus eſt qui infinitorum Regum, Principum, populorum, regionum vaſtatione & excidio quotidie maieſtatem ſuam vindicat? Tyrannos à quibus hęc ſæpe facta ſunt, culpæ non eximo: imò non dubito quin ea quæ Deus iuſtè decreuerat, ipſi ſceleratè peregerint. Sed neque hæc ſoli Tyranni fecerunt, verùm etiam fideles Dei ſerui, idque ex
Deu.20 d.16,& 17. 1.Sam.15.a.3. Dei mandato: neque aliud inde colligo quàm nõ rectè iſtos facere qui publicam vindicationem, & auctoritate Dei factam à priuata vltione, & crudelitatẽ à iuſto iudicio diſtinguere nolint. Quæſo verò quàm bella hæc conſecutio eſt? Chriſtus idcirco huc miſſus vt peccata noſtra elueret, nullis iniuriis reſtitit, neque Magiſtratum aduerſus hæreticos appellauit. Ergo nefas eſt Magiſtratui hæreticos αὐτοκατακρίτους, à quibus Chriſti maieſtas profanatur, à quibus Eccleſia perturbatur, à quibus animæ ad interitum abducuntur, punire: ergo Miniſtris qui omnia fruſtrà tentauerint, petere à Magiſtratu non licebit vt lupum famelicum, qui Miniſtrorum voce minus quàm lapis commouetur, aliqua ratione coërceat. Nam hoc ſi fiat, ſtatim clamabunt iſti, Chriſtum hoc non feciſſe, nos ex Chriſto Molochum & Satanam facere: quinetiam ſciſcitabũtur ex ipſo Chriſto, ſi hoc faciat, quid diabolo faciendũ relinquat? Os blaſphemum & impudens! Cer-
Num.16. tè Deus qui Dathan & Abirom propter ſeditionem viuos curauit abſorbendos, vt in-
Leuit.10 a.2. iuriam ſibi in Moſis perſona factã vlciſceretur: qui Aaronis filios propter alienũ ignem illatum viuos cremauit, vt quanta ſit mãdatorum ſuorum auctoritas declararet: qui de-
Act.2.d.23. nique nobis peccata noſtra non condonauit niſi prius ſupplicio crucis in Filio ſuo expiata, ſicut ab æterno decreuerat, non propterea Molochus, non diabolus, (quod ſine horrore cogitare nõ poſſum) ſed iuſtiſſimus fuit maieſtatis ſuæ vindex: neque Chriſtus, cuius tam horrenda iudicia in præfractos ſaltem & contumaces Verbi ſui contemptores Iudæos adhuc cernimus, & amplius etiam aliquando cernemus quum æternis ſup-

pliciis

pliciis reprobos addicet, propterea transformatur.

¶ *Vndecimum argumentum: Quòd plurimos alios quantumuis ſceleratos vulgò Magiſtratus punire non ſoleant.*

Sed aiunt iſti præterea: *Si non modò Turcas & Iudæos viuere patimur apud nos, verùm etiam maledicos, ſuperbos, auaros, inuidos, impudicos, ebrioſos, & cætera huiuſmodi flagitiorum genera ferimus, & cum iis viuimus, epulamur, lætamur, debemus ſaltem communem hunc aërem & ſpiritum iis concedere qui idem Chriſti nomen nobiſcum profitentur, & nemini nocent, eóque ſunt animo vt mori malint quàm aliud dicere aut facere quàm quod dici aut fieri debere arbitrantur.* At primùm omnium Refutatio. vt concedam in his omnibus flagitiis puniendis negligentiores eſſe pleroſque Magiſtratus, an rectè inde colligitur hæreticis quoque impunitatē eſſe concedendam? Certè qui hoc petit, quid aliud petit à Magiſtratu quàm quod ait ille, vt qui ſemel verecundiæ fines tranſiliit, bene ac gnauiter ſit impudens: id eſt, vt ex malo peſſimus fiat? Deinde verò quid ſi exciperem quod verum eſt, hæreticos Chriſti nomen inaniter profiteri, & hanc pietatis vmbram pertinaciæ ſuæ prætexere: tantoque eſſe Turcis & Iudæis magis pernicioſos, quanto ſimulatam amicitiam magis quàm apertum odium omnes metuunt: tanto verò iuſtius puniendos, quàm vllos aut ſuperbos, aut auaros, aut impudicos, aut inuidos, aut ebrioſos, quanto maius eſt ſcelus ipſam Dei maieſtatem aſpernari, quàm in ſeſe aut in proximum aliquid cōmittere, & in doctrina quàm in moribus peccare? Sed ne has quidem defenſiones quærere cogimur. Nam Turcas quidem aut Iudæos cæteróſve qui fidem Chriſtianam apertè repudiant quo tādem iure puniret Magiſtratus? niſi quis fortaſſe de induſtria Chriſtum inſigni aliqua blaſphemia affeciſſet: (nam iſte manifeſtus in Chriſtū inſultus eſt ſanè Chriſtiano Magiſtratui in ſua ditione intolerabilis) aut niſi quis à Chriſtianis ad Turcas vel Iudęos ſciens ac prudens defeciſſet (is enim vt impius & blaſphemus apoſtata meritò à ſuo Principe puniatur:) aut niſi quis Chriſtianos inter quos verſatur, ad defectionem ſollicitare compertus eſſet (nam qui id faciat iure in eum pro criminis grauitate animaduertatur:) niſi quis denique iuſto Magiſtratus edicto ſeſe pertinaciter opponeret: is enim vt ſeditioſus plecti debet. Sed & Turcarum & aliorum quorumuis iniurias tenetur Magiſtratus, etiam armorum, quando aliter non licet, præſidio propulſare. Sed alia eſt hæreticorum ratio, qui domeſtici ſunt hoſtes, & Eccleſiam Dei malitioſè vexant. Affectata enim ignorantia & factionum ſtudium pertinax, certiſſima ſunt, pręſertim in religionis cauſa, ſummę improbitatis argumenta. De cæteris verò quibuſcum falſò & inuidioſè dicunt nos viuere, epulari, & lætari, paucis reſpondeo: à Magiſtratu non vitia nuda, ſed ea demū quæ in crimina eruperunt puniri. neque enim de occultis iudicare poteſt. Debet tamen quoad eius fieri poteſt, politiam ita adminiſtrare vt vitia etiam extirpentur ex quibus poſtea exoriri crimina neceſſe eſt. Nam rectè profectò Xenophon Perſas laudat quòd magis Libro Cyri pædię primo, ſolliciti eſſent de ciuibus ita inſtituendis vt à ſceleribus abhorrerent, quàm de puniendis ſceleratis. Itaque in Eccleſiis Chriſtianis ſcholæ inſtitutæ ſunt, in quibus pueri bona & ſyncera in primis religione informantur: deinde Catechiſmus explicatur: & præter publicas conciones, in quibus palàm omnes erudiuntur, admonentur, excitantur, increpantur, etiam πρεσβυτέριον conſtitutum eſt, in quo ſeuerius admonētur, aut etiam Eccleſiaſtica diſciplina ex verbo Dei coërcentur qui à Chriſtianorum officio diſceſſerunt. Sin autem vitia crimen aliquod pepererint: vt ſiquis maledicus aut ſcurra læſerit alterius famam, ſiquis ebrioſus quempiam pulſauerit, ſi ſuperbus alicui fecerit iniuriam, ſi cuius fortunas auarus malis artibus imminuerit, ſi libidinoſus fuerit ſcortatus, aut vxorem alicuius corruperit, optimæ & ſanctiſſimæ leges perſcriptę ſunt, ex quarum formula Magiſtratus hæc flagitia puniat. Hîc igitur quid eſt quod iſti reprehendant? Hæreſim autem à nobis inter crimina, & ea quidem grauiſſima, numerari iam antè oſtendimus, vt in iſtos hoc idem argumentum retorquere liceat, nimirum quum minimæ etiam iniuriæ à Magiſtratu puniri ſoleant, nihil cauſæ afferri poſſe cur in hæreticos αὐτοκατακρίτους ſeuerè non animaduertatur.

¶ *Duodecimum argumentum: Quòd nemo ad fidem cogi poßit aut debeat.*

Supereſt vnum, ni fallor, argumentum quod opponunt aduerſarij. *Perſuaderi vult fides,* aiunt, *non cogi.* Sanè hoc ita eſſe confitemur. Neque enim hîc locus eſt de libero ar- Refutatio. bitrio diſputandi: & illud vel ex Epicteti enchiridio didicimus, Opinionem & appetitionem in nobis eſſe. Sed & Turcarum & Papiſtarum crudelitatem meritò reprehendimus, qui ſuperſtitiones ſuas nuda vi conantur ſtabilire. Sed quorſum hæc ad noſtram

cauſam? Ecquis enim eſt tam imperitus, vt quum Magiſtratus hæreticum punit, exiſtimet eum idcirco id propriè facere vt vi cogat ad meliorem frugem redire? Nam certè ſi hic eſſet Magiſtratui ſcopus propoſitus, capitale ſupplicium in nullum quantumuis ſceleratum ſtatueret. At enim dicent iſti, cauſam religionis in qua facilè poteſt aliquis hallucinari, ab iis criminibus ſeparandam de quibus nemo dubitare poſſit. Ego verò ab iſtis primùm omnium quæro à quo tandem magiſtro didicerint Diuinæ maieſtatis violationem ita ſubtiliter à cæteris maleficiis diſtinguere, vt ad Magiſtratum pertinere non putent: de quo poſtea diſputabimus ſuo loco. deinde hoc dico, de iis non diſſeri à nobis qui infirmi ſunt in fide, (hos enim docendos non puniendos eſſe reipſa oſtẽdimus, ita tamẽ vt ipſorum infirmitas nõ foueatur) ſed de hæreticis αὐτοκατακρίτοις, id eſt, domeſticis Eccleſiæ hoſtibus, præfractis & factioſis. Hi ſunt igitur in quos inquiri debet: minimè id quidem vt ſimulata profeſſio aut reſipiſcentia extorqueatur, ſed vt Magiſtratus verè Deo ſeruiant cuius ſunt miniſtri, & Filium oſculentur: id eſt, vt iniuriam maieſtati Dei, cuius ipſi in hoc mundo ſunt vindices, procaciter factam vlciſcantur: & doctrinæ ac morum externã politiam conſeruent. Id enim fieri non poteſt niſi eius perturbatores contumaces coërceantur, vt putri membro, quum opus fuerit, reſecto, totius corporis incolumitati conſulant: vt exemplo in vnum edito, reliquos ita cõtineant in officio vt ſi qui ſunt à quibus nec minis nec precibus impetrari poſſit vt idem 1.Cor.5.a.6. cum cæteris ex Verbo Dei ſentiant, hoc ſaltem pro poteſtate quam à Deo habent, ab ipſis extorqueant vt vel aliò demigrent, vel modico fermento totam maſſam non corrumpant. Hæccine verò tam leuia videntur vt iuſtam ſuppliciis hæreticorum cauſam non afferant? an verò æquum eſt proteruiendi licentiam in rebus Sacris cõcedi, quam nemo vnquã in rebus ciuilibus niſi penitus amẽs & inſanus probauit? Cæterùm quum ad omne errorum genus procliues ſint homines, facilè tamen eos confiteor in religione hallucinari, non modò quia animalis homo non cognoſcit quæ Dei ſunt, & carnis ſenſus inimicitia eſt apud Deum: ſed etiam quia ipſi quoque Sancti nonniſi ex parte cognoſcunt. Verùm ſicut ſimplicem ignorationem tantiſper ſuſtinemus dum peruicacia, & factioſum ingenium, cæteráq; abſunt omnibus hæreticis communia, ſic eos non 2.Pet.3.b.5. putamus ferendos qui volentes ignorant quod ſcire & confiteri Chriſtianum neceſſe 2.Tim.3.a.13. eſt, & alios etiam in errorem abducunt. Quid quòd de furtis quoque & adulteriis, & homicidiis inter Anabaptiſtas & Libertinos quæritur an ſcelera ſint? An igitur iſtos etiam dicemus bona fide errare, & propterea non puniendos ne ad meliora cogantur? Taceo quòd toties aduerſus Donatiſtas & Circuncelliones Auguſtinus teſtatur experientia ipſa edoctus, pleroſque eo eſſe ingenio vt nulla re magis quàm ſeueritate in officio contineantur: adeò vt quod initiò pœnæ formidine vitarunt, idipſum poſtea libenter fugiant, & aſperitatem illam ſibi ſaluberrimam fuiſſe teſtentur. Rectè igitur idem colligit ad Bonifacium ſcribens, hoc pertinere ad diligentiam Paſtoralem, etiam illas oues quæ non violenter ereptæ, ſed blandè ſeductæ à grege aberrauerant, & ab alienis poſſideri inceperant, inuentas ad Dominicum ouile, ſi reſiſtere voluerint, flagellorum terroribus, vel etiam doloribus reuocare. Ipſe verò Dominus in ſuis caſtigandis filiis nónne hanc rationem tenet vt Phrygas plagis emẽdet, frugi autem filios laſciuientes moderatè coërceat? Quòd ſi nullus virgarum vſus, quorſum Eccleſia ſoluit & ligat? an vt hypocritas faciat? hoc enim dicit fanaticus ille Mõtfortius, Auguſtinum ſimulans 2.Cor.6.a.6. hoc incommodum non prouidiſſe. Sed longè aliter Paulus. Nam Verbi doctrina non 1.Cor.5.a.5. 2.Cor.2.a.7. contentus, alteram illam ſuam exercet facultatem, Satanæ tradendo inceſtuoſum: minimè id quidem vt ille pœnitere ſe ſimularet, ſed vt ſpiritus ſaluus eſſet in die Domini Ieſu: quæ ſpes eum non fefellit. Quòd ſi obiiciatur de moribus agi apud Paulum, non de doctrina, prouocare quidem poſſem ad Bellianam illam diuiſionem à nobis initiò refutatam, qua hæreticos etiam facit quoſdam in moribus: ſed reſpondeo magnopere eos hallucinari, qui caſtigationem iſtam ad eos tantùm pertinuiſſe exiſtimant qui in 1.Tim.1.c.18. moribus errarent. Siquidem inſigne eiuſdem exemplum etiam in Hymenæo & Alexandro habemus, propterea quòd in fide naufragium fecerant, & quorundam fidem ſubuerterant, nimirum quòd dicerent reſurrectionem iam eſſe factam. Iſtos igitur Paulus quia hæretici erant, Satanæ tradit. minimè id quidem vt vim afferat eorum conſcientiæ, quæ peſſima erat, qualis eſt videlicet hæreticorum omnium: ſed vt diſcerent non blaſphemare. Quamobrem iſti negare non poſſunt, quum ſua illa ἀκαταληψίᾳ ſtabilita, neminem cogi volunt, ſed ſuæ quemlibet opinioni relinqui, ſeſe ex diametro Pauli

tro Pauli doctrinæ aduerſari. Quod enim ait Eleutherius ille, nomini ſuo planè reſpon-
dens, *Chriſtianos propterea liberos & ſui iuris nominari, quòd eorum negotium ex nulla vllius legis vio-
lentia manat, ſed ex libero inſtinctu Spiritus, qui fidem in eis operatur, & docet, & charitatem ac-
cendit*: hoc, inquam, ſicut re ipſa verum eſt, ita eſt omnium *αἱρέσεων* fundamentum, niſi
commoda interpretatione explicetur. Neque enim vlla eſt hæreticorum natio quæ
Spiritum Dei non iactet, adeò quidem vt nonnulli etiam Verbum repudient. Quòd
ſi qui Scripturam amplectuntur, idcirco id faciunt vt ſimplicibus imponant. Vera au-
tem Eccleſia Dei, cuius nos eſſe membra non dubitamus, Spiritum, Verbum, & Fi-
dem ita inter ſe coniungit perpetuo nexu, vt ex Verbo & Spiritum Dei à ſpiritu Sata-
næ & mundi diiudicet, & Fidem ab Opinione & vana imaginatione diſtinguat. Hoc
igitur Spiritu gratis dato quotquot ante conſtitutionem mundi electi ſunt, adeò effi- Rom. 7.
caciter trahi dicimus, vt à peccato manumiſſi, incipiant ea quæ Dei ſunt ſapere, velle,
& perficere: quia nimirum Spiritu Dei aguntur, qui per fidem coniuncti Chriſto filij Rom.8.c.14.
Dei ſunt, neque iam Lex eos terret, ſed benignè, & maximo cum fructu docet: ita ta-
men vt magnum adhuc & acerrimum certamen ſuperſit, tantiſper dum ab hoc corpo- Rom.7.d.24.
re mortis per ipſam mortem plenè liberentur. Hi ſunt fines quibus Chriſtianam liber-
tatem ex verbo Dei definimus & circunſcribimus. Quorſum hoc autem ad iſtam con-
firmandam ſpirituum licentiam, & ſummam *ἀταξίαν* inuehendam? Quòd ſi hæc exem-
pla quæ nos attulimus ad ciuilem Magiſtratum negent pertinere, & aliud eſſe clamẽt
caſtigare quàm occidere: vtrunque ſanè concedo, ſed ad quæſtionis ſtatum eos excur-
rentes reuoco. Neque enim hîc à nobis quæritur an ad Magiſtratum ciuilem hæc in hæ-
reticos animaduerſio pertineat, neque an occidere hæreticos liceat, de his enim ſuo
loco ſigillatim agemus: ſed de eo diſſeritur, an idcirco nefas ſit in hæreticos animaduer-
tere, quòd hac ratione vis aliqua ipſorum conſcientiis afferri videatur: Deus autem (vt
ait ille Eleutherius) liberum & non coactum cor habere velit. Hoc nefas eſſe dicunt,
ego verò neceſſariò & vtiliter in Eccleſia Dei fieri, & ſemper factũ eſſe affirmo. Deniq;
vt finem tandem faciam de hac quæſtionis noſtræ parte diſſerendi, hæc ipſius Augu- Contra Gaudentii epiſtolam ſecũdam
ſtini verbis reſpondeo, *Quod autẽ vobis videtur*, inquit ille, *multos ad veritatẽ non eſſe cogendos:* lib.2.cap.17.
erratis neſcientes Scripturas, neque virtutem Dei, qui eos volentes facit, dum coguntur inuiti.

¶ *Hæreticorum punitionem ad ciuilem Magiſtratum non pertinere quibus argu-
mentis doceant aduerſarij.*

Hæc ſunt igitur firmiſsimę illæ rationes (quantum ex Bellij farragine colligere licuit)
quibus iſti perſuaderi poſſe Eccleſiæ Dei exiſtimarunt, vt ſacri & inuiolabiles hæreti-
ci haberentur. Nunc audiamus quibus argumentis contendant, etiam ſi nobis con-
cederent puniendos eſſe hæreticos, hanc tamen animaduerſionem ad ciuilem Magi-
ſtratum non pertinere.

¶ *Primum argumentum: Spirituale Chriſti regnum non eſſe ex hoc mundo. Nam etiam ait Paulus,
arma militiæ noſtræ non eſſe carnalia.*

Abſurdum eſt (aiunt) *ſpirituale bellum terreſtribus armis geri: Bellum eſt Chriſti, Chriſti armis ge-
rendum. Teſtatur autem Dominus regnum ſuum non eſſe ex hoc mundo.* Ego verò primùm ex iſtis Iohan.18.g.3.
quæro an re vera Chriſtum mundi dominum ac iudicem eſſe fateantur. Quòd ſi ita Refutatio.
credunt, quæro quo pudore præcipuam mundi poteſtatem adeò anguſtis finibus cir-
cunſcribant, vt à religione prorſus ſegregent. Quaſi verò gladius Magiſtratus, Dei gla- Rom.13.a.4.
dius non ſit, cuius eſt miniſter. Nos quidem hoc fatemur, diſtincta eſſe Eccleſiaſticæ
functionis, & ciuilis Magiſtratus munera: ſed vt diuerſa ſint, an ideo ſunt inter ſe con-
traria, ſicut Spiritus Carni & Mundo repugnat, ac non potius velut diuerſis itineribus
ad vnam & eandem metam pertingunt? Locum igitur illum in quo teſtatur Chriſtus
regnum ſuum ex hoc mundo non eſſe, quum ita iſti explicant vt propterea Magiſtra-
tum ciuilem cenſeant à religionis cura remouendum, pulcherrimum & ſummæ conſo-
lationis plenum Chriſti teſtimonium nobis eripere conantur, Eccleſiam verò vtiliſſi-
mo præſidio & planè, quoties ita Deo viſum eſt, neceſſario ſpoliant. Nam ſiquidem Re-
gnum accipiant pro eo quod à Rege poſsidetur, ſanè Chriſto data eſt omnis in cælo & Matth.28.d.18.
in terra poteſtas: & eius iuris ſunt participes quicunque Chriſto per fidem ſunt con-
iuncti, quantumuis in ſpeciem abiecti ſint & contempti: eſtque iſta inſignis fidelium e-
tiam in hoc mundo conſolatio, quòd quum cæteri non niſi per tyrannidem & latroci-
nium rebus creatis fruantur, ſibi tamen qui in Chriſto receperunt ius illud quod in A-
dam amiſerant, munda & ſancta ſint quæuis verbo Dei & precibus. Quia tamen Mun- 1.Tim.4.b.5

dus hoc Chriſti imperium non agnoſcit, id eſt, increduli & hypocritæ: & longè præſtantiſſimum eſt regnum illud cæleſte in quo iã regnat Chriſtus, & ad quod nos vocat, reliquos etiam hoſtes ſuo tempore pedibus ſuis ſubiecturus, ideo Chriſtus præſentẽ ſuam & ſuorum conditionem conſiderans, quum illi obiiceretur violatæ Cæſaris maieſtatis crimen, Regem ſe quidem eſſe teſtatus eſt, ſed in Eccleſia ſua, non in Mundo: aut potius non in Terra, ſed in Cælo: quod & ipſum tamen ſic intelligendum eſt, vt ſciamus eum nũc quoque inuitis & fruſtrà reluctantibus diabolis & impiis dominari, & quoties libuit externa etiam dominatione Eccleſiam ſuam ornare: tantum abeſt vt ciuilis Magiſtratus adminiſtratio à Chriſti regno ſit aliena. Sin autem Regni appellatione ipſam regnandi rationem intelligant, vt de infidelibus Tyrannis hoc loco nihil dicam, Ciuilem & Eccleſiaſticam iuriſdictionem iam ſæpe diximus diſtingui oportere. Sed quòd inde colligunt Magiſtratum, etiam ſi Chriſtianus ſit, ab Eccleſiæ negotiis ita remouendum, vt in hæreticos animaduertere nõ poſſit: non minus abſurdum eſt quàm ſiquis ratiocinetur oculum vel manuum vel pedum auxilio nõ indigere, propterea quòd horum membrorum diſtinctæ ſunt actiones. Eſt autem hæc ratiocinatio idcirco inepta, quòd omnia membra quanuis vſibus diſtincta, tamen ad vnius corporis conſeruationem &
1.Cor.12.b.11. incolumitatem reſpiciant. Atqui eadem etiam Eccleſiæ ratio eſt, cui conſeruandæ & Ciuilis poteſtas, & Eccleſiaſticum miniſterium à Deo conſtitutum eſt: ita tamen vt, quoties Deo libuit, Ciuili poteſtate non modò non adiuuante, ſed etiam repudiante, & (ſicut ſuperioribus annis contigit) publico Miniſterio velut extincto, Eccleſiam nihilominus conſeruet, ſicut plurimos paſſim quanuis cæcos & claudos tamen in hac vita ſaluos & incolumes præſtat. Loquitur ergo Chriſtus non quatenus Deus eſt æternus, omnia regens & adminiſtrans, ſed officium illud reſpiciens quo inter homines functus eſt, & etiamnum hodie fungitur, quum ſit vnicum Eccleſiæ caput, & Pontifex regnans
Caluinus cap. Inſtitu.8. ſectione 170. in æternum. Verum enim eſt, quod tu, Monforti, iniquiſsimè calumniaris, nihil ſibi ſumere Eccleſiam quod ſit proprium Magiſtratus: neque hoc efficere Magiſtratum quod ab Eccleſia peragatur. Itaque palàm ſe Regem eſſe fatetur Chriſtus coram Pilato: ſed ita vt Cæſaris maieſtati, quæ & ipſa à Deo eſt, minimè inſidietur, neque de Regis imperio quicquam detrahat, cui nimirum & ipſe vltrò ſubiici non recuſauit. Sed & aliæ
Ioh.15.c.19. & 17.b.9. cauſæ ſunt cur regnum Chriſti ex hoc mundo eſſe non dicatur: illæ nimirum propter quas dicuntur fideles ex mundo non eſſe: & Chriſtus etiam ipſe pro mundo non rogat. Reges enim mundi mutuis cædibus & rapinis orbem terrarum complent, vt libidini ſuæ obſequantur: Chriſtus autem Tyrannos, vel hac noſtra ætate, patiendo vincit. Reges præſidiis humanis nituntur: Chriſtus autem, quanuis hominum miniſterio vtatur ad regnum ſuum propagandum & conſeruandum, quatenus expedire nouit, tamẽ tantum abeſt vt iſtis præſidiis nitatur, vt contrà plerunque abiectiſſimos quoſque ſeligat,
1.Cor.1.d.27. quibus potentiſsimos Principes expugnet. Reges mundi commoda præſentis vitæ ſpe-
Matth.6.d.21 ctant: Chriſtus autem quanuis omnia adiiciat quæ neceſſaria ſunt regnum Dei quærentibus, minimè tamen nos retinet in terra, ſed potius per crucem in cælum attollit. Iure igitur Chriſtus regnum ſuum teſtatur ex hoc mundo non eſſe. Sed quorſum hoc ad id de quo diſſerimus? Nam ex Tyrannorum more poteſtatem Magiſtratus metiri planè iniquiſſimum eſt. Quanuis autem Chriſtus à Mundo oppugnetur, & patiendo vincat, minimè tamen efficitur, ſi pius Eccleſiæ Magiſtratus à Deo conceſſus fuerit, nullas eſſe ipſius partes in miniſterio Verbi aduerſus præfractos hæreticos aſſerendo. Quanuis Chriſti regnum hominum ſubſidiis non nitatur, non tamen conſequitur, ſi à Domino offerantur, temerè eſſe repudianda, aut præter officiũ facere Verbi miniſtros,
Concilii Carthaginẽſis Decreto 95. quum veteris Eccleſiæ exemplo, legitima Chriſtiani Magiſtratus præſidia petunt, ad Dei maieſtatem & verbi Dei auctoritatem non crudeliter, vt iſti calumniantur, ſed iuſta ſeueritate aduerſum eos vindicandã quibus ludus eſt Eccleſiã Dei malitioſè vexare, & verè fideles fidelium Eccleſiarum Paſtores calumniis proſcindere: nimirum vt ſicut olim Philippus Athenienſes, ſic Eccleſiæ gregem præſidiis canum deſtitutum inuadant. Cæterùm ex iis quæ diximus facilè etiam intelligi poteſt quomodo intelligen-
2.Cor.10.a.4. dum ſit quod ait Apoſtolus, Arma militiæ ſuæ carnalia nõ eſſe, ſed diuinitus valida: id eſt, ſeſe non humana ſed Diuina virtute niti. Generalis enim inde concluſio elici, quaſi Deus in propagando Euangelio nihil eorum vnquam requirat quibus terrena regna conſeruantur, ſanè non poteſt, quin pari ratione cum Magiſtratus externo præſidio etiam externa Verbi prædicatio, & Linguarum ac bonarum artium cognitio ex Eccle-

ſia,

ſia, tanquam inutilis, aut certè non ita neceſſaria, eiiciatur. Et ſanè vnum ex hac factione hoc dictitare accepimus, *Sola Biblia legi à Chriſtianis oportere*: ex quo quum quidam fortè quæreret cur ipſe quum ita ſentiret, paucis antè diebus publicum onus Græcos auctores profitendi tam cupidè recepiſſet: *Quaſi verò*, inquit ille, *ſutores ſibi, ac non potius aliis quotidie calceos ſuere ſoleant.* Quod quidem hîc παρέργως recitare placuit, vt omnes quod ſit iſtorum de rebus maximis iudicium, liquidò cognoſcant. Sed ad rem redeamus, & Clebergij quoque ἀνόητον quoddam enthymema audiamus.

¶ *Secundum argumentum: Theologos poſſe abſque præſidio Magiſtratus doctrinam ſuam tueri, quum cæteræ artes hoc poßint.*

Eſte (inquit Clebergius Magiſtratus compellans,) *eo gladio contenti quem vobis tradidit Deus: punite latrones, punite proditores, falſos teſtes, & eius generis cæteros. Quod ad religionem attinet, defendite pios aduerſus aliorum iniurias. hoc veſtrum eſt officium: doctrina Theologiæ veſtro gladio tractanda non eſt. alioquin ſi hoc à vobis obtinebunt Theologi, vt doctrinam ſuam armis tractetis, idem meritò poſtulare poterit medicus vt ſe armis defendatis aduerſus aliorum medicorum opiniones: idem Dialecticus, idem Orator, & cæteræ artes. Quòd ſi has artes tractare ferro non poteſtis, ne Theologiam quidem, quippe quæ in verbis & ſpiritu ſita ſit non minus quàm illæ. Quòd ſi bonus medicus doctrinam ſuam ſcientia tueri ſatis poteſt ſine præſidio Magiſtratus, cur non idem poßit Theologus?* Hactenus Clebergius, in cuius argumento tria potiſsimùm reprehendo.

Refutatio.

Vnum, quòd idipſum aſſumit quod in quæſtione poſitum eſt. Alterum, quòd latronum, proditorum, & falſorum teſtium numero hæreticos eximit, quibus tamen multo melius hæc nomina conueniunt quàm vllis quãtunlibet ſceleratis hominibus. Ecquod enim eſt ſacrilegium maius quàm innocentes animas per fraudem abductas nundinari, atque adeò ipſum verbum Dei cauponari? Ecquæ perfidioſior proditio quàm Eccleſiam, cui te amiciſsimum ſimules, quantum in te eſt Satanæ vexandam & diripiendam exponere? Ecquæ maior aut periculoſior falſitas quàm vtriuſque fœderis & æternæ vitæ Tabulas falſiſsimis interpretationibus corrumpere? Et tamen (ſi Clebergio credimus) hæretici piis hominibus nullam faciunt iniuriam. Imò verò ſiquis piorum Miniſtrorum aduerſus eorum audaciam, quam repetitis admonitionibus accenderit potius quàm extinxerit, legitimum Magiſtratus præſidium petat, ſtatim crudelis & immanis dicetur. Tertium, quòd inuidioſè nos calumniatur quaſi Chriſtianam doctrinam armis & ferro tractandam cenſeamus. Vnde verò, aut ex quo noſtro facto non dico colligere, ſed ſuſpicari hoc mendacium potuit? Neque enim vnquam voluimus Chriſtianam legem armis conſtitui aut propagari, ſed ex ſolo Dei verbo diligenter & fideliter explicari. Nolumus tamen, quum cætera maleficia auctoritate Magiſtratus puniuntur, hæreticos quibuſuis furibus, adulteris, prædonibus, atque adeò parricidis execrabiliores, impunè per ſimplicitatis & clementiæ ſpeciem, Eccleſiam Dei populari. Et quia ipſa experientia docet iſtos Eccleſiæ iudiciis nihil prorſus commoueri, idcirco legitimam Magiſtratus poteſtatem appellamus, ſicut inquit Auguſtinus ad Demetrium, non vt illos perſequamur, ſed vt nos legitimo Dei præſidio tueamur: neque, vt idem ad Bonifacium ſcribit, de Maximiano Vagienſi loquens, vlciſcendi noſtri, ſed tuendæ Eccleſiæ cauſa, quæ nobis eſt à Deo commendata. Quod autem attinet ad ipſum enthymema, quanuis nemo, vt opinor, ignotet quum à Clebergio cæteræ diſciplinæ cum Theologia comparantur, iniquiſsimam eſſe rerum prorſus diſsimilium collationem, tamen hoc quoque affirmare non dubito, quum Reipublicæ magnopere interſit vt bonæ illæ artes ad eius incolumitatem & ornamentum planè neceſſariæ fideliter doceantur, harum etiam rerum curam vel præcipuè ad Magiſtratum ciuilem pertinere. Et ſanè boni omnes Principes, ac ciuium ſuorum amantes, & ſcholas conſtituerunt, & bonarum artium profeſſores omni liberalitatis genere ſunt complexi. Quorum exẽplum ſecuta Bernenſis illuſtriſsima Reſpublica paucis abhinc annis in hac Lauſanenſi ciuitate, trium Linguarum, & omnium bonarum artium ludum aperuit, honeſtiſſima propoſita mercede, & ſanctiſsimis perſcriptis legibus, ex quarum præſcripto Academia gubernetur. Neque id duntaxat in nobili-

bus illis diſciplinis, ſed etiam in abiectiſſimis quibuſuis artificiis, ex edicto Magiſtratuum obſeruari ſolet, in iis quidem ciuitatibus quæ bene ſunt conſtitutæ: vt non temerè quoduis artificium cuilibet exercere liceat, ſed iis demùm quorum induſtria fuerit ab iis explorata quos artificij Magiſtros appellant. In iſtis autem quid tandem eſt quod iſte meritò reprehendat? ánnon potius bonorum omnium Regum exemplo conuincetur? Nam, vt Conſtantinum, Theodoſium, Martianum, Iuſtinianum omittam, quos vt immoderatos accuſant: an eos etiam reprehendent quorum factum Spiritus ſancti voce prædicatur? Quid enim? an præter officium fe-
1.Para.23.24. 25.26. cit Dauid quum Leuitarum ordines conſtitueret? an Salomon, quum Abiathari
1.Reg.2.d.26. ſacerdotium abrogaret? an Aſa, quum in eos qui Deum Iſraelis non quærerent, ca-
2.Par.15.c.13 Ibidē 17.c.9. pitale edictum conſtitueret? an Ioſaphat quum miſſis per ſingulas ciuitates ſacer-
Ibidem 29.a. dotibus populum erudiendum curaret? an Ezechias, quum domum Domini mun-
5.& 34.g.32. daret? an Oſias, quum omnes Iſraelitas cogeret Domino ſeruire? Hîc autem ſcio quid Monfortius reſpondere ſoleat, *Veteris* (inquit) *Teſtamenti gladius, figura fuit verbi Dei, cuius gladius in Nouo Teſtamento vſurpandus erat*: de quo commento alibi commodius diſſeram. Nunc verò hoc vnum reſpondeo, Chriſtum de ciuilis Magiſtratus iure nihil prorſus detraxiſſe: neque hîc à nobis quæri an Magiſtratui occidere, ſed an punire hæreticos liceat. Hoc negant iſti clementes Academici, quum de cæteris rebus nihil audeant affirmare. Nos verò præcipuum hoc eſſe Magiſtratus munus affirmamus, idque pios omnes Reges factitaſſe ipſius Dei teſtimonio comprobatos. Iudicet nunc Eccleſia iſtiſne potius quàm Spiritui ſancto ſit credendum.

¶ *Tertium argumentum: A Chriſti & Apoſtolorum exemplo.*

Accedamus ad aliud eiuſdem Clebergij argumentum. *Potuit Chriſtus*, inquit ille, *doctrinam ſuam tueri ſine præſidio Magiſtratus, potuerunt Apoſtoli, poterunt etiam eorum imitatores*. Sed & Monfortius: *Debet*, inquit, *Magiſtratus contra vim & iniuriam tueri bonos*, (apud iſtos autem, hæretici nullam vim aut iniuriam faciunt) *ſed bonos vi facere, aut religionem ferro tradere, non item. alioqui ſequitur, vt neque Chriſtus ipſe fuerit ſatis armatus, neque Apoſtolos ſatis armauerit*. Et paulò pòſt, *Simus* (ait) *contenti iis armis quæ Apoſtolis ſuis Chriſtus tradidit: præſertim quum dictitemus ſacras Scripturas eſſe perfectas, neque quicquam eis addendum aut detra-*
Refutatio. *hendum*. Hæc illi. Nos verò iſtam calumniã refutaturi, primùm omniũ admonemus hîc à nobis non quęri quid poſsit Chriſtus, quid Apoſtoli, quid vera Eccleſia. Neque enim dubitamus quin ſit infinita Chriſti poteſtas in Eccleſia ſua cõſeruanda, & ſatis intelligimus non tantùm Apoſtolos, ſed omnes adhuc fideles Miniſtros aduerſus omnes Mundi inſultus ſola Dei gratia fretos, imperterritos & inuictos perſtitiſſe. De his, inquam, à nobis non quæritur, quum minimè ſint ambigua. Sed quomodo Chriſtus Eccleſiam velit adminiſtrari, an ſolo Verbi miniſterio, an verò etiam externa alia poteſtate, cuius miniſter eſt Magiſtratus: illud eſt de quo diſſerere conſtituimus. Dico igitur hunc ordinem fuiſſe iam inde ab ipſo mundi initio à Deo in Eccleſia conſtitutum, vt præter miniſterium Verbi, externa etiam poteſtate, quam generali vocabulo Gladium vocamus, aduerſus impios eſſet armata. Fateor tamen huius poteſtatis & Gladij non ſemper in Eccleſia miniſtrum fuiſſe ciuilem Magiſtratum, ſed interdum quidem, ceſſantibus videlicet Principibus aut Eccleſiam Dei oppugnantibus, Angelos ipſos à Deo miſſos vt aduerſus Eccleſiæ hoſtes eo munere fungerentur: interdum verò ſingulari quodam priuilegio quoſdam Verbi miniſtros vtraque tum Eccleſiaſtica tum Ciuili poteſtate ad piorum defenſionem armatos. Ac vtriuſque quidem generis animaduerſionum exempla vetus Teſtamentum nobis plurima ſuppeditat, quæ minimè neceſſe eſt commemorare. Quia verò aduerſarij hæc quaſi tẽporaria eludunt, age, conſideremus an à Chriſti aduentu, vllo vnquam tempore Eccleſia externæ & Ciuilis poteſtatis pręſidio caruerit, tum quoque quum
Iohan.2.c.14. à Cæſaribus crudeliſsimè fuit vexata. Cedò igitur, Chriſtus quo iure flagellum
Matth.21.a.12. Act.5.a.1. bis corripuit? quo iure Petrus Ananiam & Sapphiram occidit? quo iure Paulus Ely-
Ibidē 13.b.11. mam excęcauit? num Eccleſiaſtici miniſterii? Minimè profectò, niſi iuriſdictiones cõfundas.

fundas. ergo ciuilis Magiſtratus iure. Nihil enim eſt tertium. Hæc tamen, fateor, poteſtas in miniſtris Verbi extraordinaria fuit, & modus illius exercendę planè diuinus. Itaque quòd hæc profero, idcirco facio, nō vt de ciuilis Magiſtratus iure quicquam detraham, aut miniſterio Eccleſiaſtico quicquam adiiciam, ſed vt iſtorum calumniam refellam. Quum enim Dominum oſtendo, quanuis non ſemper, ipſorum Magiſtratuum operam, omnibus tamen ætatibus eam poteſtatem cuius ordinarius miniſter eſt Magiſtratus, prout expedire nouit, Eccleſiæ ſuæ conſeruandæ adhibuiſſe, apparet, ni fallor, falſam iſtorum doctrinam eſſe qui Chriſti & veteris Eccleſiæ exemplum prætexunt, vt ſolo Verbi miniſterio doceant Eccleſiam regi oportere. Idque vt clarius appareat, dico eo ipſo tempore quo Chriſti regnum ij palàm & ex profeſſo oppugnarunt qui tueri debuerant, Dominum ſic Eccleſiæ ſuæ conſuluiſſe, vt externæ etiam poteſtatis & animaduerſionis nouam quandam ſpeciem, fruſtrà reluctantibus mundi Principibus, extare vellet. Hęc enim eſt quam Paulus δυνάμεων 1.Cor.12.b.10.
appellatione intelligit, & inter Spiritus dona recenſet, quibus Dominus veluti naſcentem Eccleſiam confirmabat. Ex quo efficitur contra iſtorum opinionem, quum hunc ordinem videamus à Deo in Eccleſia conſtitutum, vt præter Verbi miniſterium, etiam externorum ſuppliciorum exemplis homines impij & ſeditioſi coërcerentur, eos qui Magiſtratum, eius poteſtatis ordinarium miniſtrum, vetant hæreticos attingere, non ſecus quàm ſi iure gentium ſacri & inuiolabiles eſſent: eos, inquam, quum ordinem à Deo conſtitutum, & quanuis diuerſè, tamen ſemper conſeruatum violent, ab ipſo Magiſtratu ſeuerè eſſe caſtigandos, vt is ipſe ordo quem oppugnant, iuſta ipſorum animaduerſione ſanciatur. Nam vt paucis hæc omnia complectar, quanuis, quoties & quandiu Domino libuit, Magiſtratus Eccleſiam non adiuuerint, ſed oppugnarint, nunquam tamen eorum poteſtas Eccleſiæ defuit. Deinde etiam ſi Chriſti & Apoſtolorum tempore defuiſſe concederem, quis niſi amens & inſanus ex hoc vel illo tempore, quoad externam Eccleſiæ politiam attinet, perpetuam eius adminiſtrandæ rationem ineat? Imò verò id facere quid aliud eſt quàm certam regulam Chriſto præſcribere? Piſcatores erant Apoſtoli: & regnum Dei, inquit Paulus, non eſt in ſermone. Quid igitur? an elo- 1.Cor.4.d.20.
quentiam in Chryſoſtomo, an ſingulare acumen, & bonarum artium peritiam in Auguſtino: (nam alios penè innumerabiles prætermitto humanis præſidiis inſtructiſsimos) an, inquam, in illis hominibus præclara illa Dei gloriæ inſtrumenta non agnoſcemus? Perpetua certè eſt Eccleſia, & ſola Dei virtute nititur, ſed tamen externo hominum miniſterio propagatur. Deus autem hanc virtutem pro ſua infinita ſapientia momentis ac temporibus diſtributis diuerſè declarat. Itaque nunc erigitur & triumphat Eccleſia, nunc deiicitur & opprimitur, vt penè videri poſſit interiiſſe: nunc peregrinatur, nunc ad tempus certo loco conſiſtit: interdum à piis Principibus vel externis vel domeſticis fouetur, interdum ab iiſdem duriſsimè tractatur. Huius mutationis exemplum nobis triſtiſsimum hodie præbet Anglia, Eduardo illo præſtantiſsimo Rege nuper florentiſsima, nunc verò repente ita miſerè, ita crudeliter, ita immaniter vexata & excarnificata, vt ſex menſium ſpatio in vna ea inſula penè plura ſint in nobiliſsimas etiam & innocentiſsimas fœminas Scythicæ immanitatis & ἀσοργίας edita exempla, quàm in tota Turcarum hiſtoria legantur. Sic igitur Domino viſum eſt ad Euangelij promulgationem illam mirificam Apoſtolos nudos prorſus & inermes adhibere, quibus potentiſsima mundi regna debellaret. Ita enim voluit Diuinæ & cæleſtis huius doctrinæ vim & præſtantiam mundo patefacere. Idem poſtea ſuo tempore Reges excitauit, quorum præſidio Eccleſiam ſuam tutaretur: minimè id quidem quaſi ſpiritualis illa virtus non ſufficiat ad conſiliorum deſtructionem, & deſtructio- 2.Cor.10.a.4.
nem munitionum: aut quaſi Chriſtus & Apoſtoli ſatis idoneis armis inſtructi nō fuerint: (hoc enim iſti calumnioſe & Sophiſticè colligunt) ſed quia, quoties Domino libuit, externis etiam hominum pręſidiis vult ſuos conſeruari, vt ad tēpus reſpirent, & cor Regum in manu Dei eſſe re ipſa cognoſcāt, quo magis poſtea in afflictionibus confirmentur. Ea igitur præſidia quum nobis offert Dominus, vt vtilia, & Eccleſiæ, poſtquā ita Deo viſum eſt, planè neceſſaria, tam libenter dicimus quærenda & amplectenda, quā iſti ſuperbè illa contēnunt & repudiāt. Amplectimur autē non vt ad

fidem cogamus,(cogi enim ad fidem nemo poteſt) neque quòd lucem reformidemus,(neque enim clàm docemus, aut falſa nomina ſubiicere didicimus) ſed vt contumaces illi maieſtatis Dei & miniſterij Eccleſiaſtici, ipſorúmque adeò Principum contemptores, iuſtis pœnis afficiantur. Quanuis autem iſta, ni fallor, ad hoc refutandum argumentum ſatis ſufficiant, placet tamen Auguſtini verba de hac eadem controuerſia ſubiicere. Sunt autem eiuſmodi: *Quod dicunt qui contra ſuas impietates leges iuſtas inſtitui nolunt, non petiiſſe à Regibus terræ Apoſtolos talia: non conſiderant aliud fuiſſe tunc temporis, & omnia ſuis conuenire temporibus. Quis enim tunc in Chriſtum crediderat Imperator? quis pro pietate contra impietatem leges ferendo ſeruiret? tunc enim adhuc illud Propheticum implebatur, Quare fremuerunt gentes, & populi meditati ſunt inania? Nondum enim agebatur quod paulò pòſt in eodem Pſalmo dicitur, Et nunc Reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram. Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore. Quomodo ergo Reges ſeruiunt in timore, niſi ea quæ contra Domini iuſſa fuerint, religioſa ſeueritate prohibendo & plectendo? Aliter enim ſeruit quia homo eſt, aliter quia Rex eſt. Quia homo eſt, ſeruit viuendo fideliter: quia Rex eſt, ſeruit leges iuſta præcipientes, & contraria prohibentes, conuenienti vigore ſanciendo. In hoc ergo ſeruiunt Domino Reges, in quantum ſunt Reges, quum ea faciunt ad ſeruiendum illi, quæ non faciunt niſi Reges.* Hactenus ille, cuius ſanè auctoritate iſtos abuti audere mirum eſt, vt ſimplicibus & imperitis fucum faciant. Ex ipſius autem verbis cum Carthaginienſi Concilio, cui interfuit, planè conſentientibus ſatis liquet nihil iſtos conari quod non iampridem Orthodoxæ Eccleſiæ iudicio ſit exploſum: nos autem, quum in præfractos & inſanabiles hæreticos legitimum & à Deo conſtitutum Magiſtratus ſubſidium quærimus, nihil facere quod non ſit iam olim verbo Dei, & ſanctorũ Patrum auctoritate confirmatum.

Epiſtola 50. ad Bonifaciū.

¶ *Quartum argumentum: Quia Mundus de hæreſi iudicare non poteſt.*

Sed age, nouum aliud argumentum audiamus. *Mundus*, inquit Eleutherius, *de hæreſi iudicare non poteſt, nõ magis quàm caro de Spiritu, & tenebræ de luce. Mundus ergo de iis rebus ſententiam ferre non poteſt, quas non modò non cognoſcit, ſed etiam vt ſtultitiam deridet, & pro mendacio carpit.* Ita eſto verò Eleutheri. Mundus non modò non intelligat, ſed etiam

Refutatio. perſequatur quæ Dei ſunt: an inde efficitur Chriſtiano Magiſtratui non licere in hæreticos ex verbo Dei ritè cõuictos & nihilominus pertinaces animaduertere? Nos igitur hoc argumentum iam antè ſuo loco diluimus. Docuimus enim Spiritum Dei

Ioh.16.b.13. minimè otioſum eſſe in Eccleſia, ſed Dei filios, qui ex hoc Mundo non ſunt, inducere in omnem veritatem. Nunc autem vt hac etiam in parte, id eſt, quoad Magiſtratus officium attinet, inane eſſe hoc argumentũ omnes intelligant, reſpondeo aliud eſſe de hæreſibus quàm de hæreticis cognoſcere, aliud de blaſphemia quàm de blaſphemo. Quum enim de hæreſi, aut blaſphemia ambigitur, de re ipſa quæritur, id eſt, de capite aliquo religionis: quæ quum in vtriuſque fœderis Tabulis perſcripta ſit, & earum explicatio Eccleſiaſtici ſit muneris, debet Eccleſia pro loci & temporis ratione, & negotij qualitate ritè & placidè ex verbo Dei controuerſiam decidere, & omnem operam adhibere vt qui in errore verſatur, errorem ſuum intelligat, & reſipiſcat. Magiſtratus verò officium eſt de blaſphemo ipſo & hæretico cognoſcere, & pro criminis grauitate, violationem Diuinæ maieſtatis ab improbitate vel affectata ignorantia profectam, & diſciplinæ Eccleſiaſticæ contemptum vindicare. Itaque non Mundo, ſed Dei verbo iudicium hæreſeos: Miniſtro autem Dei, hæreticorum cognitionem committimus. Sed grauiter in hac re, fateor, à Regibus & Principibus pleriſque peccari ſolet, quorum tamen exemplum cæteros pios & verè Chriſtianos Principes ab officio deterrere non debet: imò verò, vt inquit ille, οὐδὲν χρὴ φροντίζειν αὐτῶν, ἀλλ᾽ ὁμόσ᾽ ἰέναι. Solet enim hodie in Chriſti membris concidendis eadem iudicij forma vſurpari quæ in Chriſto capite crucifigendo fuit ſeruata. Chriſtum Iudæi Pilato tradunt, partim per inuidiam, partim quòd zelum quidem haberent, ſed non ſecundum ſcientiam. Pilatus verò nihil ad ſe pertinere arbitratus quàm verè clamaretur, *Secundum Legem noſtram debet mori, quia Filium Dei ſe fecit*: quum alterum poſtea crimen de affectato regno afferretur, ſibi metuens ab ira Cæſaris, Chriſtum adiudicat eorum petitioni à quibus per inuidiam traditum

eſſe ſciebat. Sic etiam hodie, ſiquis aduerſus blaſphemias Romani Antichriſti mutire ſit auſus, ſtatim capitur: adeſt deinde Dominicanus aliquis Antichriſti emiſſarius, Horius puta, vel Rutherus, vel Diuolæus, aut ex Sorbonica fæce Picardus, vel Mallarius, (de Gallis enim meis loquor) homines partim ita celebres flagitiis ſuis, vt qui eos hypocritas vocet, magnam ipſis iniuriam faciat, partim ita rudes & imperiti, vt ipſis etiam mulierculis riſum moueant. Illi igitur initiò leuiter tentare ſolent an poſſit de ſententia deduci, oppoſita videlicet vetere conſuetudine Eccleſiæ, quam vocant, aut rancidis aliquot argumentis millies refutatis. Id ſi obtinuerint, & miſer ille qui captus eſt pecunia vitam redemerit, hæreſi publicè abiurata ad triremes damnatur, aut interdum etiam euadit: ſin minus, ad ignem nihilominus trahitur, ſed neque lingua præciditur, neque viuus crematur. Sin autem felix Dei martyr in ſententia permanſerit: iſti quum nihil habeant quod verbo Dei poſſint opponere, illicò clamitantes hæc omnia iampridem eſſe deciſa, & matrem ſuam Sorbonicam Facultatem vociferantes, ad conuitia, ad ligna, ad flammas conuertuntur. Interim ſtrenui aliquot proceres miſerorum fortunis inhiantes Principem hortari non deſinunt vt ſeditioſos iſtos & blaſphemos leuerè coërcendos curet. Illicò adſunt edicta non atramento, ſed ſanguine perſcripta, quibus iubetur Pilatus Chriſtum iterum crucifigere, alioqui non fore Cæſaris amicum. Inſtant etiam Cardinales, Pſeudepiſcopi, Pſeudopreſbyteri, Canonici, Monachi, & cætera Antichriſti mancipia. Iudices autem, quamuis hæc omnia vel inuiti intelligant, atque adeò oculis ſuis cernant, tamen vel quia prædæ ſunt participes, vel vt Regis ac procerum amicitiam ſibi concilient, vel, ſiqui ſunt potius imperiti quàm improbi, in Theologorum conſcientia acquieſcentes, innocentem hominem carnificibus tradunt. Hæc illorum tyrannis eſt. In noſtris autem iudiciis quæ in nonnullos Anabaptiſtas pertinaciſſimos & impudentiſſimos, & præterea in vnum aut alterum noſtri Magiſtratus exercuerunt, dicant iſti, quæſo, quid tandem ſimile reperiri poſſit. Ecquis enim ob ſimplicem errorem comprehenſus? ecquis non eſt primùm blandè & Chriſtianè appellatus? quando ex hominum auctoritate aut traditionibus, aut conſuetudine de hæreſi eſt iudicatum? quis non dico innocentum, ſed nocentiſsimorum etiam hominum vitæ vel bonis eſt inſidiatus? Oſtendant denique vel in ipſa monſtroſiſsimi & perditiſsimi illius Serueti cauſa quid ſit à Miniſtris prætermiſſum vt hominem ab errore reuocarent: quid à clariſsimo Geneuenſi Senatu præteritum ne quid temerè aut parum religioſè fieret. Nam quod in angulis garrire iſti ſolent vt optimis & verè fidelibus Dei ſeruis inuidia confletur, id non totius modò ciuitatis Geneuenſis, ſed omnium etiam Heluetiæ Eccleſiarum teſtimonio redarguitur. Non eſt ergo quòd clamitent mundum de hæreſibus iudicare non poſſe: quaſi nos mundo ac non potius Deo & ipſius Miniſtris ac interpretibus totam harum rerum cognitionem tribuamus.

¶ *Quintum argumentum: Quia plerique Principes ſua poteſtate abutuntur.*

At enim, aiunt nonnulli alioquin boni viri & planè iſtis diſsimiles, *Quum nulla ſit auis rarior quàm bonus Princeps, magnum periculum eſt ne furioſo gladium porrigas, quo poſtea boni viri iugulentur, & in ea ipſa pericula incidas quæ paulò antè commemoraſti.* Habet autem hoc aliquid coloris, apud eos præſertim qui ad Papiſticæ illius carnificinæ mentionem Refutatio. meritò cohorreſcunt. Sed eos rogo vt rem totã meecum attentius conſiderent. Nam ſi hæc ratio valet, mirum eſt profectò infinitam illam Dei ſapientiam, quum in blaſphemos, & eos qui à vero Dei cultu quoquomodo abducerent, tam acrem & ſeueram legem conſtitueret, periculum iſtud vel non proſpexiſſe, vel contempſiſſe. Deut.13. Deinde verò ſi hoc admittas, quid tandem in vlla Reipublicæ parte conſtituetur? Quid rarius eſt in orbe terrarum fidelibus Verbi miniſtris? quid frequentius pſeudoprophetis? Ergo interpretandæ religionis cura nulli committatur. Quis penè angulus terrarum à tyrannide eſt immunis? Ergo nullis tribuatur in alios poteſtas. Nam ſiue vnius, ſiue paucorum, ſiue populi imperium deligas, tyrannidis periculum vitare non poſsis. Quid frequentius eſt iudiciorum conſtupratione? Ergo nulli ſedeant iudices, præſertim in re capitali. Enſibus & gladiis infiniti homines priuatas iniurias

cum Reipublicæ perturbatione vlciſcuntur. Ergo gladiorum & enſium vſus interdicatur. Plenæ ſunt ciuitates ebrioſis hominibus. Ergo ex Claudij Cæſaris renouato edicto vites non ſerantur, & quæ conſitæ ſunt extirpentur. Quis verò iſtam rerum omnium perturbationem ferat? Neque cauſa eſt cur iniquam eſſe iſtam comparationem arbitremur. Nam multo minore cum incommodo mundus, & Principibus, & iudicibus, & gladiis, & vino, cæteris denique rebus omnibus careat quàm Eccleſiæ miniſterio. Eccleſiæ verò miniſterium, quantum in ſe eſt, tollunt qui aduerſus præfractos eius contemptores nullum in Magiſtratu ſubſidiū eſſe volunt. Certè, vt paucis omnia comprehendam, omnes prorſus homines, ipſámque adeò vniuerſitatem funditus deleri præſtiterit, quàm illud, non dico interire, (nam interire non poteſt) ſed inter homines ſummo ſtudio non retineri, cuius præcipuè cauſa condita ſunt omnia, id eſt, glorię Dei per Euangelicum miniſterium illuſtrationem. Ex hoc autem efficitur, quotidianam Tyrannorum crudelitatem, aut quorundam præpoſterum

Pſal.2.c.12. zelum minimè impedire quominus boni & pij Principes Filium oſculentur: id eſt, poteſtate ſibi à Deo conceſſa in eos moderatè vtantur quos diabolus ſummittit, vt effræni audacia, & affectata ignorantia ipſam, ſi fieri poſſit, religionem ſubuertant. Quid ſi igitur Dominus Principes nobis dederit qui vel aperta crudelitate, vel craſſa ignorantia, Chriſti regnum oppugnent? Primùm omnium ad preces & lachrymas confugiat Eccleſia, & vitam emendet. Hæc enim ſunt fidelium arma quibus Mundi furores expugnant. Interim inferior Magiſtratus ſumma quidem cum prudentia & moderatione, ſed conſtanter tamen & cordatè puram religionem in ſua ditione tueri debet, quoad eius fieri poteſt. Cuius rei inſigne exemplum noſtris temporibus præbuit Magdeburgenſis illa ciuitas ad Albim ſita: cuius tamen nomine Bellium abuti non puduit, vt eam doctrinam ſtabiliret, quæ ſi recepta illic eſſet, nunquam fortiſſimi eius vrbis ciues pro vera religione apertiſſima quæque pericula ſubiiſſent. Quanuis igitur plerique Principes officio ſuo abutantur, quiſquis tamen Chriſtiani Magiſtratus opem à Deo aduerſus externam vim aut infidelium aut hæreticorum, oblatam repudiandam exiſtimat, eum ego affirmo vtiliſsimo præſidio, & (quoties ita Domino placuit) neceſſario, Eccleſiam Dei exarmare.

¶ *Sextum argumentum: A veteris Eccleſiæ auctoritate.*

Supereſt veteris Eccleſiæ auctoritas quam noſtri Academici nobis opponunt, vt in cauſa religionis nullas eſſe ciuilis Magiſtratus partes doceant. Contendit enim Eleutherius, *præter doctrinam Chriſti, & antiqua Eccleſia exempla, etiam antiquos Doctores cenſuiſſe hæreticos excommunicatione tantùm puniendos. Leges enim illas Theodoſii, Valentiniani, Martiani, & cæterorum, aduerſus omnes Scripturas & antiquos Canones eſſe perſcriptas.* Hoc autem quum dicit Eleutherius, certè Magiſtratus arcet ab omni hæreticorum coërcione, quum excommunicatio, omnium confeſsione, ad ſolam Eccleſiaſticam iuriſdictionem pertineat. Hæc igitur in ſumma, & totidem penè verbis Eleutherius, in quo

Refutatio. haud ſatis ſcio impudentiam an ignorantiam magis admirari debeam. Nam certè vel ex prima eorum Canonum inſpectione quos profert, conſtare liquidò poteſt iſtum mirabiliter impudentem, qui non dubitet iis armis pugnare quibus maximè oppugnatur. Sed & Bellij, qui farraginem iſtam collegit, quale ſit iudicium ſatis aſſequi non poſſum. Nam ſi hoc verum eſt, hæreticos ex veteris Eccleſiæ conſuetudine fuiſſe Eccleſiarum communione eiectos, an eſt quiſquam qui dubitet Bellium, *quum hæreticos dicit ſuæ libertati relinquendos: quum eos vt crudeles accuſat qui ſeſe hæreticorum conatibus opponunt: quum hæreticos prædicat genus hominum eſſe minimè omnium metuendum*: non multo minus inſanire quàm Lycurgum illum Thracem quem fabulantur Poëtæ ſibiipſi ſua bipenni tibias ſuccidiſſe? Sed ita nimirum iſti ſolent. Nunc ad rem accedamus. Quòd Scripturam hac in re iactant, in eo Satanam ipſum ſuperant. Is enim quum Dominum tentaret, Scripturam quidem corrupit, ſed tamen inane ipſius nomen non oppoſuit. Iſti verò quum Scripturæ nomen habeant in ore, tamen ne vnum quidem locum proferunt ex quo cõſtare poſſit Magiſtratus à religionis adminiſtratione prorſus eſſe remouendos, vel hæreticos ſola excommunicatione coërcendos. Itaque quum hac in parte nihil mihi reliquerint refellendum, non eſt quòd

fruſtrà

fruſtrà laborem. Quod autem ad Patres attinet, poſſem quidem ego exceptione vti quam toties Auguſtinus ipſe aduerſus Pelagianos affert, hactenus videlicet valere Patrum auctoritatem quatenus cum verbo Dei conſentiunt: ſed hanc defenſionem quærere non cogor. Patres enim ipſos defendere potius aduerſus iſtos conſtitui quàm reprehendere, quaſi à verbo Dei diſceſſerint. Id autem perſpicuè apparebit ex iis Canonibus qui ab iſtis proferuntur. Sic igitur Ambroſius in Canone, Quæ dignior, 24. quæſt. 1. *Si qua eſt*, inquit, *Eccleſia quæ fidem reſpuat, nec Apoſtolicæ prædicationis fundamenta retineat, ne quam labem perfidiæ poſſit aſpergere, deſerenda eſt: quod Apoſtolus quoque euidenter aſſeruit.* Origenes autem in Canone, Quum aliquis, 24. quæſt. 3, *Quum aliquis*, inquit, *exit a veritate, à timore Dei, à fide, à charitate, exit de caſtris Eccleſiæ, etiam ſi voce Epiſcopi non abiciatur.* Hinc verò quid efficitur? Nempe veteris Eccleſiæ conſuetudinem non fuiſſe, ſuæ quenquam fidei relinquere, aut controuerſiam de Trinitate aduerſus Arianos & cætera hæreticorum agmina: de Iuſtificatione & Libero arbitrio aduerſus Pelagianos: de Deo aduerſus Manichæos, vt nimiùm obſcurè traditam non explicare, ſed potius ex verbo Dei hæc omnia decidere, & eos qui præfractè conſenſum Eccleſiæ lacerarent anathemate iugulare. Hoc, inquam, ex his duobus locis colligi poteſt.

Eleutherius verò ratiocinatur, quia excommunicantur ab Eccleſia, idcirco eſſe tantùm excommunicandos, & proinde à Magiſtratu attingi non debere: eadem nimirum argumentandi ratione qua colligunt non eſſe coërcendos hæreticos à Magiſtratu, quia Paulus ad Titum ſcribens non iuſſit occidi, ſed deuitari: & Chriſtus non iuſſit occidi, ſed caueri pſeudoprophetas. Id autem quàm ineptè colligatur nemo non videt, opinor, quum illic de officio Eccleſiæ, non de munere ciuilis Magiſtratus agatur: & ita veteres iudicaſſe ſatis declarent omnium exempla. Nam & Conſtantinus Arium à Synodo damnatum in exilium pepulit, & Aëtium Conſtantius: & Theodoſius alioqui clementior in hæreticos, Apollinarem & Neſtorium: vt reliquas hiſtorias prætermittam de quibus ſuo loco dicemus. Notum enim eſt non modò quid conſtituerint Valentinianus & Martianus aduerſus Manetis & Eutychetis ſectatores, ſed etiam quàm acerbis pœnis Conſtantinus, Theodoſius, Iuſtinianus hæreticos ſubiecerint.

Nicephorus Eccleſ. hiſto. lib. 6. cap. 8. & 43. Item 9. cap. 18 lib. 12. cap. 19.

Sed operæpretium eſt audire quid reſpondeat Eleutherius. *Iſtæ pœnæ*, inquit, *modum excedunt, ſuntque contra omnes Scripturas, & antiquos Patres, atque contra ipſorum decreta.* De Scripturis ſæpe iam reſpondimus. Quia verò quoſdam Canonas citat, pauca etiam de iis dicemus. Extat Canon, His à quibus, 23. quæſt. 8. quo prohibetur ex Concilij Toletani ſententia ne iudicium ſanguinis, in quo nimirum de capite alicuius quæritur, Eccleſiaſticis agitare liceat: id eſt (vt poſtea explicatur) quod morte plectendum eſt, ſententia propria iudicare. Rectè profectò, quum diſtinctas eſſe iuriſdictiones oporteat. Sed quorſum hoc ad id de quo agimus? Extat alius Canon ex Ambroſio, 13. quæſt. 3, in quo definitur pro vſura haberi quicquid ſorti accedit, etiam ſi pecunia non ſit. An non obſecro inſanus Eleutherius qui ad propoſitam quæſtionem hoc accommodet? Sed & Canonem alium citat, cuius caput eſt, Si Eccleſia, 23. quæſt. 4, ex Auguſtini ad Bonifacium Epiſtola quinquageſima excerptum: quam Epiſtolam quum optimus ille vir idcirco tantùm ſcripſerit vt hoc ipſum aduerſus Donatiſtas probaret quod nos aduerſus iſtos Academicos probandum ſuſcepimus, hæreticos videlicet Eccleſiaſticam diſciplinam contemnentes, Magiſtratus imperio eſſe coërcendos: miror quid iſti in mentem venerit, vt etiam ex eius teſtimonio ſtuduerit contrariã ſententiam ſuam cõfirmare. *Ibi*, inquit, *manifeſtè traditur Eccleſiam eſſe eam quæ perſecutionẽ patitur, non quæ perſequitur, qualis fuit Chriſti & Apoſtolorũ.* Imò verò hoc ipſum eſt quod eo ipſo loco & aliis innumeris, totáq; penè Cauſa 23 non defenditur, ſed refutatur. Sic enim habet Auguſtinus ad verbum, *Si Eccleſia vera ipſa eſt quæ perſecutionẽ patitur, non quæ facit, quæratur ab Apoſtolo quam Eccleſiam ſignificabat Sara quando perſecutionẽ faciebat ancillæ.* Et paulò pòſt, *Deinde quæro*, inquit, *ſi boni & ſancti viri nemini faciunt perſecutionẽ, ſed tantummodò patiuntur, cuius putant in Pſalmo vocem eſſe, vbi legitur, Perſequar inimicos meos, & comprehendam illos, & non conuertar donec deficiant? Ergo ſi verum diſcere vel agnoſcere volumus, eſt perſecutio iniuſta quam faciũt Eccleſiæ Chriſti impij: iſta nanque beata eſt quæ perſecutionem patitur propter iuſtitiam: illi verò miſeri qui perſecutionem*

patiuntur propter iniuſtitiam. Proinde iſta perſequitur diligendo, illa ſæuiendo: iſta vt corrigat, illa vt euertat: iſta vt reuocet ab errore, illa vt præcipitet in errorem.

Hactenus Auguſtinus, cuius verba exſcripſi vt omnes intelligant qua fide hanc quæſtionem iſti tractarint, quos non pudet tam impudenter optimi viri ſcripta peruertere. Sed & in eo poteſt manifeſtè redargui Eleutherius, quòd Pelagium Pontificem Romanum, qui ſub Iuſtiniano aut certè Iuſtino vixit, primùm dicit promulgaſſe vt ſi hæretici ad fidem Chriſtianam rationibus adduci nollent, mundana poteſtas aduocaretur quæ illos ad id vi cogeret. Nam Pelagius Canonibus, Non vos, &c, De Liguribus 23 quæſt. 5, non vi cogi ad fidem hæreticos, ſed comprimi flagitat. atque vt Conſtantini, Theodoſij, Martiani exempla prætereàm, vt Chalcedonenſis Concilij decretum omittam quod affert ipſe Pelagius, id iam antè Aphricana Eccleſia conſtituerat, Honorio XII, Theodoſio VIII. COSS. vt apparet ex Carthaginenſis Concilij, cui Auguſtinus interfuit, decreto 34, & 95, vt ſuam quoque imperitiam cum ſumma impudentia coniunctam Eleutherius inficiari non poſſit.

¶ *An Magiſtratui non liceat capitali ſupplicio in hæreticos animaduertere.*

Age verò nunc tertiam quæſtionis propoſitæ partem conſideremus, id eſt, quibus demum argumentis probari ſoleat hæreticos, etiam ſi à Magiſtratu ciuili coërcendi ſint, tamen capitali ſupplicio non eſſe plectendos. Hîc autem mihi negotium eſſe video non modò cum noſtris iſtis Academicis, ſed etiam cum optimis quibuſdam & doctiſsimis viris, qui propterea quòd cupiunt omnes ad Deum allici, & ſunt ingenio admodum manſueto & leni, idcirco puniendos quidem concedunt hæreticos contumaciores à Magiſtratu ciuili, ſi nihil profecerit Eccleſiaſtica diſciplina, ſed tamen nunquam occidendos putant, ne pœnitentiæ ſpatium nullum relinquatur. Itaque horum argumentis ſeorſim conabor reſpondere. Eos autem vehementer rogo & obteſtor vt ſibi perſuadeant, quum hæreticos quoſdam iure etiam occidi poſſe dicimus, nos nihil minus conari quàm ad lanienam & carnificinam Chriſtianos Magiſtratus incitare. Neque enim omnes ſine diſcrimine è medio tollendos cenſemus, vel indicta cauſa aut iudicio ex auctoritate hominum & traditionum conſtituto, vllos damnandos, vel temerè & immoderatè quicquam faciendum, ne aduerſus eos quidem qui crudeliſsimam mortem ſunt commeriti. Abſit à nobis hæc immanitas. Meminimus enim nos homines eſſe, &, Dei gratia, ſatis intel-
Prou.17.c.15. ligimus neminem poſſe ad fidem cogi, & mites ac clementes eſſe Chriſtianos oportere. Sed hoc petimus, vt certus iſti clementiæ modus ex verbo Dei adhibeatur. ſcriptum eſt enim, *Qui iuſtificat impium, & qui condemnat iuſtum, vterque abominabilis eſt Domino.* Petimus vt maior ouium quàm luporum ratio habeatur: petimus vt in eos qui Eccleſiæ lenitate & Principum clementia ad aliorum perniciem abutuntur, ſeuerè animaduertatur: petimus denique vt Chriſtianam charitatem ſciamus iniuſtitia non gaudere, & ſaltem iniuriis maieſtati Dei per ſcelus & improbitatem factis commoueamur. An autem hęc quæ petimus iuſta & æqua ſint, cognoſcent, vt ſpero, ſi me placidè audierint ipſorum argumētis reſpondentē, deinde etiam ſuo loco eas rationes afferentem quibus exiſtimamus ſententiam noſtram confirmari.

Quamobrem iterum ab iis peto vt hanc noſtræ diſputationis particulam, non contentionem cum aduerſariis veritatis, ſed amicam & fraternam collationem eſſe arbitrentur. Nam cùm cæteris in rebus tum verò maximè in religionis cauſa valere debet vetus illud dictum, *Inter bonos bene agier oportet.*

¶ *Primum argumentum: Ex parabola zizaniorum.*

Matth.13.d.27 Solent igitur tum à veteribus tum à recentioribus plurimis ad hanc opinionem de non occidendis hæreticis confirmandam hæc verba accommodari ex parabola zizaniorum petita. *Serui autem dixerunt patrifamiliâs, Vis igitur vt abeuntes colligamus zizania? At ille dixit, Non: ne colligentes zizania, eradicetis ſimul cum eis & triticum. Sinite vtraque*

ſimul

ſimul creſcere vſque ad meſſem. Hæc autem verba quum noui noſtri Academici ſic interpretentur, vt ex iis cupiant omnem diſciplinam & Ciuilem & Eccleſiaſticam euertere, aduerſus quos ſigillatim diſputabimus, multo certè ſunt æquiores ij qui primùm omnium Eccleſiaſticam coercionem non putant his verbis prohiberi: deinde ne Ciuilem quidem ab hæreticis puniendis remoueri, ſed certis tantùm limitibus definiri, vt Magiſtratus punire quidem poſsit eos qui contumaciter, ſpreta Eccleſiaſtica diſciplina, pacem & conſenſum Eccleſiæ perturbant, ita tamen vt non occidat. *Nam*, inquiunt, *etiam ſi ſeparentur zizania, tamen ſinuntur creſcere quandiu viuunt, & pœnitentiæ ſpatium relinquitur.* Ego verò ab his peto, vt me benignè ferant ab ipſis non pertinaciter nec improbè, ita me bene Deus amet, ſed veritatis ſtudio modeſtè diſſentientem.

In primis igitur in eo ab ipſis diſſentio quòd zizaniorum appellatione non ſolos hæreticos, id eſt, eos qui in religionis doctrina ab Eccleſia pertinaciter & factioſè diſſident, ſed eos etiam omnes intelligi arbitror qui vitæ exemplo Eccleſiam offendunt, atque adeò ipſos quoque infideles, ſi in infidelitate permanſerint: denique eos omnes quos ait Apoſtolus regnum Dei non eſſe conſecuturos. Atque huic interpretationi confirmandæ non tantùm adhibeo Auguſtini, & inter multos recentiores Lutheri in minoribus, quas vocant, Poſtillis auctoritatem, ſed etiam aliquot firmas, ni fallor, & ſolidas rationes. Nam primùm omnium per Agrum intelligitur, non Eccleſia, quæ minima pars eſt mundi, id eſt, ea mundi pars in qua Euangelium purè annuntiatur: neque Animus noſter, quamuis ita Theophylactus interpretetur, ſed Mundus iſte in quo homines & boni & mali verſantur, vt Chriſtus ipſe docet. Iam verò ſeruanda eſt huius interpretationis analogia etiam in zizaniorum explicatione. Verùm ſi per Zizania hæreticos duntaxat intelligas, vnam tantùm ſpeciem malorum ſignificauerit Paterfamiliâs, eamque Eccleſiæ, id eſt, minimæ Mundi parti peculiarem. Deinde ſi Ager Mundus eſt, & hic Ager duobus tantùm ſeminum generibus totus eſt conſitus, tritico videlicet à Patrefamiliâs, & zizaniis ab aduerſario ſatis, ratio certè oppoſitionis flagitat vt ſicut tritico ſignificantur omnes filij regni, hoc eſt, quicunque ſunt vera Eccleſiæ membra, ita etiam zizania vocentur quicunque non ſunt ex Eccleſia. Sunt autem malorum præter hæreticos plurimæ aliæ ſpecies intra ipſa quoque Eccleſiæ viſcera regnantes, quas cur tandem quæſo Paterfamiliâs prætermiſiſſet?

Refutatio.

1.Cor.6.b.9.

Luth. in minoribus Poſtillis, Dominica poſt Epiphaniam quinta.

Zizaniorum appellatione, ſolùm hæreticos non ſignificari.

Poſtremò Chriſtus ipſe auctor parabolæ, & idem optimus interpres, nónne disertè Triticum interpretatur iuſtos qui in regno Patris fulgebunt, Zizania verò omnia offendicula, & eos qui faciunt iniquitatem? eos nimirum omnes qui in caminum ignis coniiciuntur. Nam duarum tantùm ſpecierum, earúmque oppoſitarum meminit. Nulla igitur cauſa eſt, opinor, etiam ſi hanc parabolam de ſola Eccleſia intelligas, propterea quòd zizania dicuntur in medio tritici ſata, cur ſolos hæreticos per zizania accipias, quum ſoli hæretici non ſint malum ſemen ſatum à diabolo, ſoli hæretici non ſint Eccleſiæ offendicula, ſoli hæretici non faciant iniquitatem, ſoli denique hæretici cum fidelibus coniuncti totum Eccleſiæ corpus in hoc mundo non conſtituant. Hoc autem poſito, per zizania intelligi omnes eos qui bonum ſemen non ſunt, conſequitur quod de hæreticis non occidendis ex eo colligitur quod dixit Paterfamiliâs, *Sinite creſcere ſimul vtraque*: hoc, inquam, conſequitur ad cæteras etiam ſcelerum ſpecies accommodari poſſe: quod abſurdius eſt quàm vt à quoquam meritò defendi poſſit.

Præterea ſi verbis iſtis Patrisfamiliâs, Magiſtratui quoque ciuili interdictum eſſet capitale in hæreticos ſupplicium, idque addita ratione, ne cum zizanijs ſimul eradicetur & triticum, id eſt, ne cum malis etiam boni qui vel iam boni ſunt, vel boni aliquando ſunt futuri, euellantur: hoc quæro, Quum idem hoc periculum ſemper fuerit, cur olim Dominus in blaſphemos & pleu-

Magiſtratui iuriſdictionem non imminui hac parabola.

m.

doprophetas factioſos tam ſeueram legem conſtituerit, vt integras etiam vrbes
Deut.13. cum bonis illarum omnibus, ipſiſque adeò iumentis perpetuo anathemate deuoueret? Quid enim? annon illis etiam temporibus periculum idem erat ne plurimi interficerentur, qui vel per errorem peccârant, vel reſipiſcere poterant, & ſtrenuam Eccleſiæ operam nauare? Et tamen, *non parces eis*, inquit Dominus, *neque indulgebis, neque abſcondes, ſed omnino feries incolas eius vrbis gladio, & quicquid eſt in ea, etiam iumenta eius: ſuccendes vrbem igne, vt ſit perpetuò aceruus, nec reædificetur amplius.*

Cæterùm ne quis hîc fallatur, non rogo an iſta Lex adhuc valeat, (de hoc enim alibi, vt ſpero, diſſeremus) ſed hoc quæro, quum ſub Veteri fœdere non minus quàm nunc periculum eſſet ne cum zizaniis triticum euelleretur, qui veriſimile eſſe poſſit, Dominum in Nouo fœdere voluiſſe tantam huius periculi rationem haberi, quod olim ſub Moſe prorſus contempſerat. Hîc enim agitur de iis qui primum illud ac præcipuum præceptum violant, EI ILLI SOLI SERVIES: quod perpetuum eſt, etiam ſi cultus ratio quod ad cæremonias attinet, nunc eſt abrogata. Neque verò valere debet quod nonnulli afferunt, Deum olim ſub Moſe rigidum fuiſſe, ſub Christo verò miſericordem. Nam hoc quidem verum eſt, ſi Legem Euangelio opponas, ſicut aliquoties facit Paulus, & alii quoque: ſed ad quæſtionem propoſitam non pertinet. Satis enim conſtat inter omnes mediocriter eruditos hoc non poſſe ſic accipi, quaſi nunc Deus violationem Decalogi comprobet, vel minore quàm antea vindicandæ gloriæ ſuæ ſtudio teneatur. Imò verò quanto nobis vberior gratia aduentu Christi allata eſt, tanto par eſt Dominum eorum peccatis grauius offendi qui tanto iſto munere abutuntur. Id verò ita eſſe plus ſatis nos docerent, niſi planè cæci eſſemus, horribiles illæ Mehumetiſmi & Papiſmi tenebræ, quibus orbem terrarum obrutum & ſepultum eſſe conſtat. Nam quæ tandem Iſraelitici populi clades aut ſeruitus cum hac excæcatione comparari poteſt, in qua Iudæi nunc ipſi cum Mehumetanis & Papiſtis, propter Christum contemptum, verſantur? Ecquis autem de Deo tam craſsè & imperitè ſentit, vt illum faciat olim quidem, tanquam cæco quodam excandeſcentiæ impetu correptum, legem ſtatuiſſe zizaniis extirpandis tam ſeueram, vt innocentes pariter cum nocentibus inuolueret: nunc verò quaſi ira ipſius deferbuerit, meliorem quandam rationem inueniſſe zizaniis extirpandis citra tritici periculum? Nam id mihi quidem omnino dicendum videtur, ſi parabolam hanc zizaniorum dixerimus quandam eſſe veterum illarum legum moderationem.

2.Cor.3.
Heb.12.
Gal.4.
Ierem.31.

Hæc parabola tritico caueri non zizaniis.

Sed & illud tertio loco conſiderandum videtur, qua videlicet formula ſit vſus Paterfamiliâs. Neque enim præcipit ſeruis vt ſinant ſimul creſcere zizania, ne pro zizaniis triticum, ſed ne vnà cum zizaniis etiam triticum euellant: vt facilè appareat hanc legem eſſe perſcriptam non vt zizaniis ipſis, ſed vt tritico conſulatur. Itaque (quod Auguſtini, Chryſoſtomi, & aliorum quorundam pace dictum eſſe velim) qui hæc verba ad eos volunt pertinere qui ex zizaniis poſſunt fieri triticum, id eſt, ex hæreticis orthodoxi, ideóque cenſent Patremfamiliâs velle vt pœnitendi ſpatium ipſis relinquatur, mihi quidem videntur ſubtiliorem quàm par ſit interpretationem afferre. Conſtat autem ea demum à Patrefamiliâs zizania vocari, quæ à diabolo ſata ſunt, id eſt, reprobos omnes, qui vt tritici ſpeciem ad tempus mentiantur, ſicut lolium quum adhuc in herba eſt, tamen ſemper ſunt ac fuerunt zizania. At ſi qui ex hæreticis reſipiſcunt, quum eos oporteat ab initio electos fuiſſe, quamuis ad tempus viſa ſint eſſe zizania, quandiu videlicet per ignorantiam reſtiterunt veritati, & diaboli laqueo capti fuerunt, nunquam tamen à diabolo ſati fuerunt. Itaque non videntur in zizaniorum numero poſſe comprehendi de quibus in hac parabola quærunt Serui, & Paterfamiliâs reſpondet. Quod ſi ita eſt, nimirum illa zizaniorum in triticum transformatio non ſatis commodè videtur huic parabolæ applicari.

Zizania ſolos reprobos declarare.

2.Tim.2.d.26.

Deinde

Deinde quũ hæc Chryſoſtomi interpretatio affertur, SINITE CRESCERE, id eſt, *diſsipate hæreticorum conciliabula, ora obſtruite, & audaciam loquendi concidite, ſed ne interficite aut occidite.* Item iſta, SINITE CRESCERE, id eſt, *dogmata quidem impia arguite & anathematizate, ſed hominibus ipſis parcite*: quum hæc, inquam, afferuntur, quis non videt verbis Patrisfamiliâs vim afferri? Quamobrem etiam Chryſoſtomus, & Theophylactus eum, vt ſolet, ſecutus, non ſimpliciter putant Patremfamiliâs vetare ne tollantur zizania, ſed ne bello tollantur. *Quia*, inquit, *ſi arma capietis, neceſſe eſt, quum hæreticos trucidatis, multos ſanctorum ſimul interire.* Hieronymus autem vt hoc Patrisfamiliâs interdictum cum Paulo conciliet, qui inceſtuoſum tradit Satanæ, & Corinthios monet vt ſceleſtum hominem expellant à ſeipſis, in ea eſt opinione vt præceps tantùm in ambiguis rebus iudicium prohiberi putet. Sed & Auguſtinus in eodem ſoluendo nodo laborans, exiſtimat hoc interdictum ad certam offendiculorum ſpeciem ſpectare, quoties nimirum ſchiſmatis eſt periculum. *Nam*, inquit, *quum metus iſte non ſubeſt, ſed omnino de frumentorum ſtabilitate certa manet ſecuritas, id eſt, quando ita cuiuſque crimen notum eſt omnibus, & omnibus execrabile apparet, vt vel nullos, vel non tales habeat defenſores, per quos poſsit ſchiſma contingere, non dormiat ſeueritas diſciplinæ.* Quorſum autem hæc? nempe vt iſtas interpretationes coactas eſſe appareat: deinde vt omnes intelligant in huius parabolæ explicatione tantum non eſſe veterum interpretum conſenſum, quantum eſſe Bellij factio vociferatur.

Homil. 47. in Mattheum. Quid ſit SINITE CRESCERE. Homil. de nomine Abrahami. Homil. 47. in Mattheum. In Matth. 13. Contra Epiſtolam Parmeniani, libro 3. cap. 2.

Poſtremò, ſi hac parabola docere voluit Chriſtus quod ſit ciuilis Magiſtratus in puniendis hæreticis officium, profectò mirum eſt quum eam diſcipulis ſuis flagitantibus explicaret, totã hanc partem ab eo fuiſſe prætermiſſam: & diſcipulos etiam qui tam cupidè illum erant percontati, in dimidia tantùm interpretatione acquieuiſſe. Nã ſi hanc parabolam, ſicut alias multas, prorſus intactam reliquiſſet, aliquis certè locus coniecturis noſtris relictus videretur: ſed quum eam ipſe tam diligenter diſcipulis expoſuerit, fateor me nõ videre quomodo has interpretationes à Chriſti ſcopo penitus diuerſas non dico comminiſci, ſed quærere poſſimus, quin Chriſto interpreti, & eius diſcipulis inſignem iniuriam faciamus.

Non deſcribi hac parabola, Magiſtratus officium.

Sicut autem ea incommoda expoſuimus quæ conſequi neceſſe eſt, ſi ex hac vnius parabolæ particula Ciuilem & Eccleſiaſticam in hæreticos poteſtatem metiamur, ſic etiam nunc operæpretium eſt audire quibus rationibus ſoleat hæc interpretatio confirmari. *Paterfamiliâs* (inquiunt) *eſt Chriſtus: eius Serui, ſunt ij per quos regnum ſuum in hoc mundo adminiſtrat; ciuiles nimirum Magiſtratus, & qui Eccleſiaſticæ diſciplinæ præfecti ſunt. His autem officiorum ſuorum fines in hac parabola præſcribuntur. Nempe vt Eccleſiaſtici quidẽ, qui claues, non gladium à Chriſto acceperunt, ſua illa peculiari coërcione ſint contenti: ciuilis autem Magiſtratus hæreticos, de quibus videlicet hîc agitur, aliis etiam modis coërcere poſsit: ita tamen vt non occidat, ne vnà cum zizaniis etiam triticum euellat.* Ego verò primùm omnium quæro cur Seruorum appellatione homines potius quàm Angelos intelligant. Nam & Angeli emittuntur in miniſterium propter eos qui hæredes erunt ſalutis: &, quum hîc agatur de æterno Dei conſilio in Eccleſia repurganda, probabilius eſt, ſicut initio hiſtoriæ Iobi, ſic etiam hîc nobis Allegoricè proponi Dominum cum ſuis Angelis de futuro Eccleſiæ in hoc mundo ſtatu veluti colloquentem. Itaque Theophylactus Seruos interpretatur Angelos: idque etiam videtur ipſa interrogatio declarare, quum integram illam Eccleſiæ per orbem terrarum diſperſæ, repurgationem ſatis conſtet, vel ipſorum, vt arbitror, hominum confeſſione, maius eſſe opus quàm vt humanis viribus adminiſtrari poſſit. Deinde ſi per Seruos accipias fideles homines, Seruos nimirum à Tritico ſeparabis: quod fieri non poſſe puto, quum & ipſi in agro ſati ſint à Patrefamiliâs. Poſtremò, quum in explicatione parabolæ, Chriſtus Patremfamiliâs, agrum, vtrunque ſemen, inimicum, meſſem, meſſores interpretetur, ſi Serui à Meſſoribus diuerſi ſunt, qua ratione fieri potuiſſe dicemus vt Chriſtus, qui cætera tam diligenter eſt perſecutus, hanc particulam prætermitteret? Quòd ſi reſpondeatur ex Auguſtino, ideo diſtinguendos eſſe Seruos à Meſſoribus, quia probabile non eſt Angelos quicquam eorum ignorare quæ gerant diaboli, hîc autem Serui ignorant à quo ſata ſint zizania: deinde quia Paterfamiliâs ipſe diſtinxit, quum Seruis reſpondens non dixerit, IN TEMPORE MESSIS DICAM VOBIS: ſed, IN TEMPORE MESSIS DICAM MESSORIBVS: reſpondeo, ſubtilius illud eſſe quàm vt à Theologo decidi poſſit, & fortaſſe curioſius quàm vt de eo ſit quærendum. Quod autem ad poſteriorem rationem attinet, ſanè diſtingui Seruos à Meſſoribus concedo, ſed vt genus à ſpecie, ſiue, vt ita dicam, partem à

Serui, id eſt, Angeli. Hebr. 1. d. 14.

toto. Seruorum enim nomẽ omnibus adminiſtratoriis Spiritibus commune eſt, & generale ac perpetuum: Meſſorum autem functio peculiaris eſt ad id munus emiſſis, & temporaria. Ex quibus efficitur, quum Seruorum appellatione Angeli potius quàm homines intelligantur, fundamentum huius interpretationis de non occidendis à Magiſtratu hæreticis corruere.

Chriſtum hîc non agere de Ciuili iuriſdictione.

Sed & illud quærendum videtur, qua ratione probari poſſit Chriſtum de Ciuili iuriſdictione hîc egiſſe, quum de his rebus nihil, quod ſciam, à Chriſto præcipi ſoleat. Sed etiam ſi concederem hîc agi de Magiſtratu, quatenus & ipſe regni Dei pars eſt, probabilem tamen rationem afferri vix poſſe puto cur de ipſius in hæreticos potius quàm reliquos ſceleratos iuriſdictione hîc agatur: quum, vt antè oſtendimus, Zizaniorum appellatione omnia offendicula intelligantur. Neque enim verum eſſe arbitror quod ſcripſit iſtorum quidam: nempe, *periculum non eſſe, quum fur punitur aut homicida, ne bonus homo occidatur, quia homicidium nemo vnquam defendit, ne homicida quidem: religionis autem diuerſam eſſe rationem, in qua facilè poteſt quiſpiam vir bonus hallucinari, quia videlicet obſcurè & per ænigmata ſæpe tradita eſt.* Hoc, inquam, verum eſſe non puto. Nam vt de Scripturæ obſcuritate nihil dicam, quam fruſtrà nonnulli contumaciæ ſuæ prætexunt, vt de Molochi ſacrificiis, vt de Circumcellionum furoribus taceam, cui ignotum eſſe poteſt hoc noſtro tempore Libertinos, Anabaptiſtas, Dauidiſtas homicidia ſpiritualibus ſuis reuelationibus non modò vt licita defendere, ſed etiam re ipſa aliquoties exercuiſſe? Quinetiam & furta & adulteria tollunt qui diſtinctas rerum poſſeſſiones ſublatas eſſe volunt, & in iſtis erroribus nonnulli præfractè mori malunt quàm culpam agnoſcere. Deinde quum ſæpe in his iudiciis innocentes accuſentur, & falſis teſtibus conuicti aut tormentis ad confeſsionem adacti damnentur (quod in iuſto & legitimo hæreſis iudicio accidere non poteſt, in quo videlicet omnes ex ore ſuo iudicantur) quis non videt in iſtis etiam criminibus maximum eſſe periculum ne cum zizaniis triticum euellatur: ſiquidem hæc verba ſic interpretari libet? Quis autem, niſi impurus Anabaptiſta, idcirco contendat prædones vel homicidas non eſſe capite puniendos? Poſtremò, ſi hæretici definitionem diligenter conſideremus, fatebimur vix, aut ne vix quidẽ, fieri poſſe vt idem hæreticus & vir bonus eſſe poſſit. Neque enim quiſquis errat, aut pertinaciter etiam errat in cauſa religionis, hæreticus eſt, vt antè oſtendimus: ſed is demum qui ritè & ſæpe ex verbo Dei admonitus volens ignorat veritatem, neque ſuper fundamentum ædificat, ſed iudicium ſuum Eccleſiæ auctoritati præfractè & factioſè anteponit. Is demum hæreticus eſt: ij ſunt, inquam, de quibus quærimus an eos liceat ciuili Magiſtratui vt publicæ concordiæ peruicaces perturbatores, & in Deum improbè ac ſceleratè peccantes (affectata enim ignorantia ſummus eſt improbitatis gradus) capitali etiam ſupplicio pro criminis magnitudine coërcere. Quamobrem quum ſemper adiuncta ſit hæreſi conſcientia mala, quamuis hoc inficientur hæretici ad mortem vſque contumaces, vbi tandem eſt ſummum illud periculum ne quum hæreticum occidis, triticum extirpes? Et hæc quidem hactenus.

Quid igitur? quomodo hanc parabolam explicabimus? Mihi quidem Chriſti interpretatio ſatisfacit, ex qua ſatis intelligi poteſt; *Propoſitam hanc eſſe parabolam vt ex ea intelligeremus quis ſit in genere à propagata Euangelij doctrina regni Dei ſtatus ad conſummationem vſque mundi futurus.* Sed hoc nobis Allegoricè declaratur. Sicut enim initio hiſtoriæ Iobi proponitur nobis Deus vt rex aliquis cũ ſuis proceribus, ſic cum Angelis ſuis, Satanâ quoque præſente diſſerens, vt nobis ob oculos incomprehenſibilis illa Dei prouidentia mundum vniuerſum per Spiritus adminiſtratorios gubernantis quaſi in tabella proponatur: ita etiam hoc loco Dominus cum iiſdem Angelis, velut paterfamilias cum ſeruis ſuis, de futuro laborum ſuorum exitu colloquitur. Rectè autem non faciunt, opinor, qui in ſingulis parabolæ verbis inſiſtunt, quum ſpectandus ſit potius eius finis. Alioqui, ne longius abeam, ſi in alia eiuſdem decimi tertij capitis parabola de tribus ſatis farinæ, curioſè ſcruteris quænam ſit illa mulier, quæ farina, cur trium ſatorum fiat mentio: ridicula multa neceſſe eſt effutiri, *quum hac ſimilitudine hoc vnum doceatur, fore vt verbum Dei inſtar fermenti cuiuſdam vniuerſum mundum peruadat.* Ergo in hac quoque parabola ſingulas eius partes ad eius finem & ſcopum puto applicandas. Quum autem improuiſa mala vehementius feriant, diligens Paterfamilias voluit nos eorum eſſe admonitos quibus futurum erat vt quo magis pius eſt aliquis, eo magis offenderetur. Eſt autem inter cætera vel maximum hoc offendiculum de quo hîc agitur. Solent enim ſanctiſsimi

ctiſsimi quique aſsiduis Eccleſiæ calamitatibus magnopere commoueri, & humanis iudiciis periniquum videtur quòd impij paſsim floreant, & Eccleſiam domi ac foris pertinaciſsimè oppugnent. Conſolatur autem nos Paterfamiliâs noſter à quo ſati ſumus, & nobis prædicit perpetuam quidem fore hanc Eccleſiæ in hoc mundo conditionem, & nunquam hic defutura zizania: itaque non eſſe quòd integram Eccleſiæ repurgationem in hoc mundo ſpetemus, ſed huuc mundum perpetuum non fore, tempus enim quoddam à Deo conſtitutum eſſe, in quo repurgatum triticum in horreum recondatur, reſecta autem zizania exurantur. Quòd autem tandiu integra illa repurgatio Eccleſiæ differatur, noſtro bono fieri, adeò vt ſiqui aduerſus Dei conſilium hanc integram Eccleſiæ repurgationem fortè aggrediantur, non modò nihil ſint effecturi, ſed etiam magnum Eccleſiæ allaturi detrimentum. *Sciamus igitur Eccleſiam temerè non agitari, ſed quia ita expedit, vt conſilio Dei acquieſcentes, tempus meſsis patienter pro ſe quiſque expectemus,* Hæc igitur huius parabolæ ſumma eſt, ſicut ex ipſius Chriſti interpretatione apparet. Ecquis autem nõ videt, quanuis in hoc mundo ſemper ſint futuri mali cum bonis permixti, ſitque iſta permixtio patienter ad tempus vſque meſsis perferenda, minimè tamen inde cõſequi vel ciuilem Magiſtratum, vel Eccleſiaſticæ diſciplinæ præfectos ceſſare in officio oportere? Quid enim? an quia ſemper in hoc mundo prædones erunt aliqui & homicidæ, idcirco ciuilis Magiſtratus neque prædones, neque homicidas capitali ſupplicio puniet? Neque eſt iniqua hæc cõparatio, quum iam antè oſtenderimus zizaniorũ appellatione omnia Eccleſiæ offendicula cõprehẽdi. Quare vt liberè dicã quod ſentio, *neque de Ciuili, neque de Eccleſiaſtica iuriſdictione hic agi puto.* Hæc enim vtraq; ad particularia ſingularum perſonarum iudicia, id eſt, *ad particularẽ Eccleſiæ repurgationẽ pertinet. Hoc autem loco diſſeritur de integra illa & vniuerſali Eccleſiæ totius repurgatione, quam Dominus in extremum illud iudicium differt, Angelorum miniſterio peragendam,* Idque, ni fallor, vel ex ipſa Seruorũ interrogatione, & Patrisfamiliâs reſponſo liquere poteſt. Neque enim quærunt Serui, Num vis vt hanc vel illam manifeſtam zizaniam colligamus? id eſt, vt hunc ſceleſtum, ſiue hæreticum, ſiue ſcortatorem, ſiue furem, ſiue alio aliquo ſcelere infectum è medio huius Eccleſiæ eiiciamus, ne parum fermenti totam maſſam corrumpat? Nam ſi hoc quæſiſſent, & per Seruos intelligas Eccleſiaſticæ diſciplinæ præfectos, proculdubio reſpondiſſet Paterfamiliâs quod per Paulum poſtea præcepit & exercuit. Neque item quærunt, Num vis vt ſceleſtum & blaſphemum atque adeò factioſum hunc maieſtatis tuæ & Eccleſiaſticæ auctoritatis perturbatorem è vita deturbemus? Reſpondiſſet enim profectò Paterfamiliâs ſi per Seruos, ciuiles Magiſtratus accipias, hoc ipſum quod per Moſen edixit in blaſphemos & factioſos pſeudoprophetas. Hoc, inquam, non quærunt Serui: ſed, *Num vis vt colligamus zizania?* id eſt, *vt bonum illud ſemen quo totum orbem terrarum conſeuiſti, ab omnibus iſtis offendiculis repurgemus?* Itaque Paterfamiliâs iubet vt meſsẽ, id eſt, mundi conſummationem expectent: ex quo ſatis apparet illos de integra totius Eccleſiæ repurgatione Patremfamiliâs conſuluiſſe. Nam alioqui quum de ſingularibus iudiciis agitur, id eſt, de hac vel illa zizania euellenda, idem ſentiendum quod de particulari tritici ipſius collectione. Sicut enim Dominus colligendo ſuo tritico, ſi ſingulas perſonas ſpectes, non autem totum Eccleſiæ corpus, meſſem illam vniuerſalem non expectat: ſed ſigillatim quotidie ſuos demetit, quum eos ex hoc mundo euocatos, in regno ſuo collocat: ſic etiam de peculiari & quotidiana ſingulorum zizaniorũ meſſe iudicandum eſt, quum ſceleratos ex hoc mundo vel per Magiſtratum, vel alia aliqua ratione ſublatos, in tenebras exteriores abiicit. Quare vt tandem finem aliquem dicendi faciam, & paucis omnia complectar, de vniuerſali Eccleſiæ ab omnibus ſceleratis repurgatione hic agitur, de qua videlicet rogatus Paterfamiliâs, de vniuerſali etiam meſſe reſpondit. Sicut autem vniuerſalis meſsis, id eſt, ſupremum illud iudicium, particulares meſſes, id eſt, quotidiana tum in electis tum in reprobis iudicia non tollit: ſic etiam exiſtimandum eſt, vniuerſali illa repurgatione, quæ in ſupremo demum iudicio fiet Angelorũ miniſterio, particulares ſingularum Eccleſiarũ repurgationes ex auctoritate vel Ciuili vel Eccleſiaſtica ritè factas, quæ vtraque à Domino in ſua Eccleſia quotidianis iſtis iudiciis eſt conſtituta, minimè impediri: & quum iſta diſtincta ſint, perperam nos facturos ſi ea confundamus.

¶ *Secundum argumentum: Quia Magiſtratui non licet animam occidere.*

Nunc aliud argumentũ aggredior cum ſuperiore prorſus coniunctum. Putant enim nonnulli, *Quum hæretici nullam in regno Dei partem habeant, Magiſtratui concedi non poſſe vt eos*

interficiat, quin eum quodammodo faciamus damnationis miniſtrum. Atqui animam occidere ſolius Domini eſt. Hæreticum igitur occidere non debet Magiſtratus, ne Dei officium vſurpet. Ego verò paucis reſpondeo, ſi hæc ratio olim ſub Moſe non valuit, ne nunc quidem cauſam eſſe cur
Refutatio. valere exiſtimemus, quũ de Magiſtratus legitima poteſtate nihil ſit à Chriſto detractũ.
Leuit.24.c.15 Deut.13,& 18 Conſtat autem Dominum conſtituiſſe vt blaſphemus & pſeudopropheta qui à Dei cultu alios abducit, capitali ſupplicio à Magiſtratu, abſque vlla miſericordia, è vita deturbetur, neque additam eſſe reſipiſcentiæ conditionem. Deinde quod de hæreticis obiicitur, in cæteris quoque ſceleratis locum habere poſſe conſtat. Nam & homicidæ & venefici, & Sodomitæ, cæteri denique facinoroſi homines damnati, & ad necem trahi poſſunt, quos anteactæ vitę non pœniteat, imò verò qui ſcelerum ſuorum recordatione delectentur, & iudicij Diuini, ac præſentis mortis nullo prorſus ſenſu afficiantur. Nos quidem certè nonnullos vidimus qui in ipſis carnificum manibus, quamuis optimo iure damnati, tamẽ Magiſtratum conuitiis lacerarent: alios qui ſe libenter mori dicerent, quòd inimicum ſuum eſſent vlti: alios qui induci non poſſent vt iis ignoſcerent à quibus erant accuſati: quoſdam etiam qui Deo ipſi maledicerent: De bellis autem quid dicam, quæ tamen inter omnes pios conſtat ex Magiſtratus auctoritate legitimè nonnunquam indici & geri poſſe? Quid igitur? an in iſtis omnibus qui interficiendi ſunt expectanda erit à Magiſtratu reſipiſcentia, ne animas quoque ipſas occidere, & in Dei poſſeſſionem inuadere videatur: ac non potius, vt Dei miniſter ad iram, in flagitioſorum corpus animaduertet, ciues ſuos aduerſus aliorum iniurias armis tuebitur,
Exo.32.d.27. cætera Domino committet? Iubet Moſes Leuitas arreptis gladiis obuium quemque ſine vllo prorſus diſcrimine trucidare: parent illi, & hoc ipſorum factum à Deo, Moſis voce, comprobatur. An hîc, obſecro, Moſes quum de idololatria & incredulitate, peccatis (vt quidam vocant) ſpiritualibus, ageretur, reſipiſcentiam expectare debuit, ne animicida fieret? Imò verò ſi qui ſeriò reſipuiſſent, illis potius parcendũ fuiſſet, & in ſolos contumaces gladius ſtringendus. Phinees quoque, quamuis extra ordi-
Num.25.b.8, & c.11. nem, tamen duos in ipſo adulterio confoſſos detrudit ad inferos. An igitur animas dicetur occidiſſe, qui tamen idcirco tantopere commendatur? Duo cum Chriſto crucifixi ſunt latrones, vterque flagitiis coopertus: vnus in Paradiſum recipitur: alter, vt probabile quidem eſt, reiicitur. Num ideo Magiſtratus in illo puniendo iuſtus, in iſto crudelis, ac non potius in vtroque fuit Dei miniſter ad iram? Sic enim omnino ſe res habet.
1.Tim.2.a.2. Magiſtratus conſtitutus eſt à Deo vt vitam tranquillam degamus cum omni pietate & honeſtate. Quare quiſquis inuehit vllam vel in rebus humanis, vel in religione ἀταξίαν, quod præ cæteris omnibus hæretici faciunt, in eum debet pro criminis magnitudine ex præſcripto legum animaduertere. Tenetur tamen, fateor, pro Chriſtiana charitate, quum ſcelus hominis potius quàm hominem ipſum perſequatur, quoad eius fieri poteſt, efficere vt miſer ille cui ſubeunda eſt pœna, peccatum agnoſcens, veniam à Deo petat. Siue tamen culpam agnouerit, & ſit deprecatus: ſiue pertinax ad extremum fuerit, ſicut nihil debet temerè & inconſideratè facere, ita officium eius omnino flagitat, ne nocenti parcat, ſed potius iniunctum ſibi à Domino munus exequatur. Neque propterea dici poteſt animam illius interfeciſſe, vtpote quem non interfecerit vt à Deo damnaretur, ſed vt cæterorum tranquillitati conſuleretur, vtque exemplo in vnum edito, cæteros in officio, pœnæ ſaltem metu, contineret. Quum autem nihil non fecerit vt infelix ille in peccato ſuo non moreretur, animæ certè iudicium Deo integrum reliquit, & ille extremam illam ſuam peruicaciam potius quàm Magiſtratum accuſare debet. Id autem cùm in omnibus per ſe (vt opinor) ſatis liquet, tum verò maximè in hæreſeos crimine, de quo peculiariter à nobis quæritur, ipſius Pauli auctoritate cõprobari poteſt, qui hæreticos αὐτοκατακρίτους vocat. Hæreticus ergo ex Paulo, quod ad æternum illud ſupplicium attinet, quod ex ſolius Dei ſententia decernitur, ſibiipſi cauſa eſt exitij: ad corporis autem pœnam quod attinet, eam quoque ipſe ſibi ſuis ſceleribus accerſiuit, ſed in ea infligenda Magiſtratus eſt Dei ad iram miniſter. Et certè hæreticos ipſos multò iuſtius quàm eos à quibus interficiuntur poſſis animicidas appellare.

Et hæ quidem ſunt, ni fallor, rationes quibus adducti nonnulli boni & eruditi homines, puniendos intra mortem hęreticos cenſuerunt: quibus ego nullius profectò contentionis, ſed ſolo veritatis ſtudio reſpondendum putaui. Nam ſi qui ſunt qui hæc etiam argumenta proferant, Quòd nullus ad fidem cogi poſſit: illis in altera ſuperioris diſpu-

tationis

rationis parte ſatisfactum eſſe ſpero. Quòd autem nonnulli clementiam Chriſtianam nobis proponunt, Deum enim non comburere errantes ouiculas, ſed quærere & ſanare; cupere non vt hæreticos occidamus, ſed deuitemus: gladios eſſe in vomeres conflandos, & lanceas in falces: & ſimilia multa à Chriſto manſuetiſſimo noſtro Seruatore præcipi: hæc nos omnia & probamus & pro viribus ſectamur. Quum enim, vt iam ſæpe teſtati ſumus, & iterum teſtamur, non infideles, non ſimpliciter errantes, nõ quoſuis errores, ſed manifeſtam tantùm & ex verbo Dei ritè conuictam impietatem moderatè in factioſis hominibus, capitali tamen pœna, quum hoc poſtularit blaſphemiæ aut periculi magnitudo, puniendam, idque non ab Eccleſiaſticæ diſciplinæ præfectis, ſed à ciuili Magiſtratu cenſeamus, nemo non videt nos ab ea tyrannide, cuius nos iſti inſimulant, quàm longiſſimè abeſſe. Vociferantur quidem multi ſe vereri ne furioſis hominibus gladium porrigamus, & hanc quæſtionem hoc calamitoſo ſeculo parum neceſſariam eſſe iudicant; in quo nimirum frænanda potius quorundam poteſtas videatur. Sed ego profiteor me, quamuis re ipſa nonnullorum crudelitatem pro Dei nomine (quidni enim in Domino glorier?) expertum, tamen iſtis aſſentiri non poſſe. Nam vt omnes etiam poteſtate ſua abutantur, non eſt tamen noſtrum veritatem diſſimulare, & terminos à Deo poſitos amouere. Nihil eſt autem nobis in Eccleſia, hoc præſertim tam licentioſo ſeculo, maiore ſtudio ac contentione faciendum, quàm vt poſt ſynceram doctrinam Euangelij explicatam, & ciuiles Magiſtratus, & qui Eccleſiaſticæ diſciplinæ præfecti ſunt, iuriſdictionis & poteſtatis ſuæ terminos benè & accuratè norint. Nam hoc ego liberè coram Deo & Angelis ipſius teſtor, quas hodie corruptelas paſſim in Eccleſia Dei, maximo cum luctu ferre cogimur, eas omnes ab hac tanquam ſcaturigine exortas, quòd Principes partim officij ſui ignoratione, partim quòd ipſi vitioſiſſimi eſſent, partim ſegnitie (quam qui Principibus adulantur, clementiam falſò vocant) neque ſeſe cum veris Eccleſiæ Miniſtris fortiter coniunxerint, neque callidiſſimis Vulpibus in ouile Dei irrepentibus, quum Eccleſiæ claues parum metuerent, ſuos illos exertos gladios ſatis ſeuerè oſtentarint. Ita enim factum vt quum in Lupos degeneraſſent, eiectis ex Eccleſia Paſtoribus, eorum ſedes ſecurè occuparint: deinde, iuſto Dei iudicio, ipſos ſibi Principes ſubiecerint, donec Satan in ipſo Dei templo ſedens, ſummos orbis Monarchas fecerit ſuæ crudelitatis adminiſtros. Vbi enim ordo à Deo conſtitutus negligitur, ſummam omnium rerum perturbationem conſequi neceſſe eſt. Hæc, inquam, eſt vera Eccleſiarum vaſtationis origo, non illa quam Monfortius tradit. Clamat enim iſte, Papæ tyrannidem (cuius tamen nomen ſtudioſè iſti vbique ſubticere ſolent) inde profectam, quòd iudicandi poteſtatem hominibus ademerit. Ineptè quidem, ni fallor, quum Tyrannum iam eſſe oportuerit qui hoc prohibere poſſet: neque vnquam in Eccleſia Dei ita libera fuerit & promiſcua iudicandi poteſtas, vt, ſicut licere vult Monfortius, ſinguli quiduis ſentire ac docere poſſent.

¶ *Tertium argumentum: A zizaniorum parabola, ex Academicorum ſententia.*

Sed age, ad noſtros Academicos reuertamur. Solent enim & iſti nonnulla proferre argumenta, quæ nos, vt ſpero, facilè refutabimus. Prodeat ergo primo loco mirificum cuiuſdam enthymema qui ſe Clebergium vocat, cuius aliquot iam argumenta abſoluimus. Pugnat enim & iſte zizaniorum parabola: & quidem, vt ſibi videtur, admodum acriter; ancipiti nimirum telo. *Si hæretici*, inquit, *zizania ſunt, non debent interfici, ſed ad tempus relinqui: ſin hæretici zizania non ſunt, ſed homicidæ & cæteri facinoroſi, oportet facinoroſos ad tempus vſque relinqui, non occidi: quod falſum eſt. Nam ſi facinoroſi non occiderentur, non poſſet ſtare mundus. Atqui neceſſe eſt aut facinoroſos aut hæreticos relinqui vſque ad meſſem. Ex quo conſequitur, vt qui vult hæreticos interfici ante meſſem, idem nolit facinoroſos interfici: & qui facinoroſos vult interfici, idem nolit hæreticos interfici, niſi velis repudiare Chriſti præceptum de zizaniis relinquendis.*

Refutatio.

Ego verò plus etiam iſti concedo quàm petat. Contendit enim vel hæreticos vel cæteros facinoroſos zizania vocari: ego verò & hæreticos & cæteros facinoroſos, id eſt, omnia offendicula, & quotcunque faciunt iniquitatem, affirmo zizaniorum appellatione comprehendi: neque hoc ipſe reprehendere poteſt, quin Chriſtum ipſum reprehendat. Quid igitur? nempe ſi hanc hypotheſin ſequamur, id eſt, ſi hæc verba, SINITE CRESCERE ZIZANIA VSQVE AD MESSEM, ciuili Magiſtratui dicta ſunt, & iis prohibetur interficere, conſequetur nullos nocentes ante ſeculi conſummationem interficiendos, nullum ſcandalum ante ſupremi iudicij diem tollendum: quod neque

ſit, neque fieri poteſt. Relinquitur ergo ineptum eſſe hoc dilemma, in quo nimirum falſa hypotheſis aſſumatur, atque adeò idipſum ponatur de quo quæritur, in quo denique non omnia comprehendantur. Nam, vt antè oſtendimus, neque ad ciuilem Magiſtratum, neque ad Eccleſiaſticam diſciplinam iſta ſpectant, neque iis ſignificatur nullos nocentes quotidianis iudiciis vel à Magiſtratu tollendos è medio, vel Eccleſiaſtica diſciplina coërcendos, ſed potius offendicula vſque ad ſeculi conſummationem in Eccleſia nunquam defutura. Quamobrẽ prohibentur Angeli ex Dei decreto ante id tempus integram illam Eccleſiæ repurgationem aggredi; quæ à Paulo redemptio filiorum vocatur, & quam Petrus teſtatur ab Angelis cupidiſsimè expectari. At enim, dices, ſolent hæc aliter à veteribus præſertim exponi. Solent profectò, & à nonnullis etiam recentioribus, Sed ex veteribus mecum facit Theophylactus, qui per Seruos interpretatur Angelos: & reliqui (quod eorum pace dixerim) à ſeipſis diſſentiunt. Ex recentioribus autem doctiſſimus quiſq; mecum Chriſti interpretationem ſequitur: quod ab iſtis reprehendi non poteſt, quin ipſimet in grauiſsimam reprehenſionem incurrant. Deinde verò ecquem ex Patribus proferent qui ipſis in eo patrocinetur, quòd nõ modò non interficiendos, ſed ne iudicandos quidem hæreticos cenſent, adeò quidem, vt eos etiam non pudeat affirmare nullum hominum genus eſſe minus metuendum? nempe vt cuiuis ſentire ac docere liceat. Sed hæc vetus eſt diaboli techna. Teſtatur enim Auguſtinus ſuo etiam ſeculo nonnullos hanc parabolam ita eſſe interpretatos, quorum errorem ſic refellit: *Quidam,* inquit, *quum bonorum malorumque permixtionem in Eccleſia demonſtratam vel prædictam eſſe perſpexerunt, & patientiæ præcepta didicerunt, quæ ita nos firmiſsimos reddunt, vt etiam ſi videntur in Eccleſia eſſe zizania, non tamen impediatur nec fides, nec charitas noſtra: aut quoniam zizania eſſe in Eccleſia cernunt, ipſi de Eccleſia recedamus, inſtituendam putant eſſe & Eccleſiam & diſciplinam quandam peruerſiſsimam, ſecuritatem Præpoſitis tribuentes, vt ad eos non pertineat niſi dicere quid cauendum, quidue faciendum ſit: quid libet autem quiſque faciat, non curare. Quibus reſpondens, primùm dico, ne quis ea teſtimonia Scripturarum quæ commixtionem bonorum & malorum in Eccleſia vel præſentem indicant, vel futuram prænuntiant, ſic accipiat vt diſciplinæ ſeueritatem ſiue diligentiam ſoluendam omnino atque amittendam, non illis edoctus literis, ſed ſua deceptus opinatione exiſtimet. Neque enim quia illam primi populi permixtionem Moſes Dei famulus patientiſsimè perferebat, ideò non in multos gladio vindicauit. Et Phinees ſacerdos adulteros ſimul inuentos vltore gladio confixit.* Hactenus Auguſtinus: quem quidem non nego à Donatiſtarum cæde abhorruiſſe, ſed ita tamen vt ad licentiam illam conſtituendam, illius auctoritatem iſti fruſtrà iactent.

¶ *Quartum argumentum: Quia maxima pars hominum eſſet occidenda.*

Sed tempus eſt vt aliud iſtorum argumentum aggrediar. *Si occidendi ſunt blaſphemi,* inquit Monfortius Bellij collega, *tollendi ſunt ij præcipuè qui Deum ore profitentes, factis negant, quum in cauſa ſint vt nomen Dei blaſphemetur. Si occidendi qui alienis dijs ſacrificant, præcipuè occidendi ſunt qui ſacrificant deo ſuo Mauzim, id eſt, violentiæ & crudelitati. Item auari, quorum auaritia eſt idololatria: & guloſi, quorum Deus venter eſt. Item Simoniaci* (inquit Eleutherius) *qui maximi dicuntur hæretici, Can. Eos qui. 1. quæſt. 1. Verùm, quæſo quid fieret tanto hæreticorum grege? Vnde carnificum lignique ſatis ſuppeditaretur ad eos omnes comburendos? Nam* (excipit Monfortius) *quum ſint innumerabiles ſectæ, quarum nulla cum alia in Scripturarum ſacrarum interpretatione conueniat, oporteret omnes interfici, excepta vna, & ea minima, quandoquidem Chriſti grex paruulus eſt: quod quàm ſit abſurdum, & quàm fieri non poſſit, quis non videt?* Et hæc quidem iſti. Quaſi nimirum nos in eos omnes qui à nobis, vel potius à veritate diſſentiunt, nihil aliud quàm cædes & minas ſpiremus: aut quaſi tam rudes ſimus, vt apertos paralogiſmos non cernamus. Paucis igitur reſpondeo diſtinguendas eſſe cum blaſphemiæ, tum idololatriæ ſpecies. Blaſphemus enim in genere dici poteſt qui famam alterius lædit, vt ipſa verbi notatio declarat, vtque etiam à Paulo accipitur 1. Cor. 4. c. 12. ſicut vos Academici facitis, quum tot clariſsimas Reſpublicas, totque eximios Chriſti ſeruos vt crudeles & immanes calumnioſiſsimè accuſatis: de quo crimine ex Ciuilibus legibus iudicandum eſt. Sed anguſtiore ſignificatione blaſphemus à Theologis vocatur qui vel proprio honore Deum ſpoliat, vel quippiam illi affingit ipſius natura indignum & alienum, is denique qui maieſtatem Dei lædit, & contumelia afficit. Huius autem blaſphemiæ ſpecies præterea diſtinguendæ ſunt. Interdum enim cum hæreſi coniuncta eſt, ſicut nuper in Serueto, ſicut etiam in iſtis Academicis qui Trinitatis cognitionem negãt meliorem hominem efficere, qui Libero arbitrio conſtituto gratiam Dei imminuunt, qui denique verbum

Dei

Rom. 8. d. 19. 1. Pet. 1. c. 12.

Lib. de Fide & operibus. cap. 1. & 2.

Rom. 2. d. 24.

Epheſ. 5. b. 5. Coloſſ. 3. a. 5. Philip. 3. d. 19.

Refutatio.

De blaſphemia.

Dei obſcurum & ænigmaticum eſſe conqueruntur. Iſtos verò non dubium eſt tanto grauioribus ſuppliciis dignos eſſe, quanto Maieſtas Dei pertinaciter & improbè violata, ſeuerius quàm Regum & Principum omnium dignitas eſt vindicāda. Sed interdum hæc blaſphemia ab ignoratione proficiſcitur: ſicut olim à Paulo, & hodie (vt exiſtimo) à multis Iudæis, Turcis, Papiſtis, Chriſtus indignißimis contumeliis, ignoratione potius quàm improbitate, afficitur: quod & ipſum aliquando iis accidit qui Chriſtiana alioqui religione tincti, tamen in præcipuis adhuc Chriſtianæ doctrinæ capitibus ſummam ignorantiam produnt. Et iſtorum quidem blaſphemias non excuſo. Neque enim dubium quin iram Dei grauißimam mereantur, quum hæc ipſa ignoratio in qua verſantur, pœna ſit peccati. Sed tamen pro iſtis potius orandum eſt, & infirmi patienter erudiendi, quàm ſupplicium de illis à Magiſtratu ſumendum, niſi pertinacius affectata ſit ignorantia. Tunc enim non infirmi, ſed improbi habendi ſunt: & Princeps Chriſtianus rebelles Eccleſiæ perturbatores, pro criminis magnitudine coercere debet. Poſtremò quædam blaſphemiæ ab ira & inconſiderato animi impetu proficiſcuntur, quæ ſanè ſunt execrandæ, ſed de quibus tamen certa regula tradi non poteſt. Sunt enim prudenter omnes circunſtantię (quæ multiplices ſunt,) conſiderandæ, vt neque Dei maieſtas impunè violata ſit, neque Eccleſiæ offendiculum inultum maneat: neque tamen eiuſmodi ſit remedium vt morbum potius exacerbet quàm ſanet, ſummo denique temperamento ſeueritatis & charitatis pœna condiatur. Dicant igitur iſti quid tandem ſit in hac diſtinctione quod meritò reprehendi poſsit, & calũniari nos deſinant, quaſi quũ legem à Domino in blaſphemos perlatam tuemur, in omnium penè mortalium perniciē coniurauerimus. Ad idololatriam verò quod attinet, multo etiam magis adhibenda fuit diſtinctio. Nam, vt alias Idoli ſignificationes omittã, quæ ad rem non pertinent, Idola interdum vocamus rerum corporatarũ ſimulacra ex materia quapiã fabricata. Iſtis igitur ſimulacris qui Diuinitatē vlla ex parte tribuunt, quíve in illis Deũ vlla ratione colunt, Idololatræ, id eſt, idolorum ſerui dicuntur. Eam autem idololatriam Scriptura ſingulis paginis grauißimè reprehendit: ex quo colligere neceſſe eſt vix quicquam eſſe quo Deus magis offendatur, quódque acerbius vindicet. Nequaquam tamē in omnes omnium gentium Idololatras legem conſtituit, ex qua punirentur: ſed in eos demum qui in populo ſuo Iſraelitico, cui vni leges præſcribebat, illam inuehere eſſent conati, cæteros nimirum iudicio ſuo puniendos reſeruans. Sic ergo nunc ſi quis in Eccleſia Dei ad Paganicam vel Papiſticam idololatriã homines ſtuderet reuocare, Chriſtiani Magiſtratus officium poſtulare dicimus vt in ſceleratum eiuſmodi idololatram animaduertat: quod etiam fuiſſe aduerſus Paganos ſancitum Auguſtinus teſtatur. Papiſtas tamen ferimus, & ad Eccleſias noſtras accedentes benignè excipimus: minimè quidem, vt vos confingitis, illorum metu, (cur enim eos occidere, ſi occidere fas eſſet, vereremur, qui ab ipſis occidi quotidie pietatis cauſa, Dei gratia, non formidamus?) ſed quoniam eos qui foris ſunt Deus iudicabit: & aliud eſt à religione deficere, & alios ad defectionem ſollicitare, quàm veritatis viam quam nunquam ingreſſus fueris, non tenere. Quo verò iure Magiſtratus in alienos ſubiectos inuaderet? Etſi enim eius officium eſt, Chriſti religionem in ſua ditione etiam gladio, quum aliter non licet, aduerſus omnes fortiter & cordatè tueri ac retinere, armis tamen eam propagare nec poteſt quiſquam, nec debet. Sed alia quædã idololatriæ ſpecies ſæpenumero incidit, pernicioſiſſima quidem illa, ſed de qua tamen aliter quàm de ſuperiore iudicandum eſt. Idôlum enim interdum vocat Scriptura quicquid in alicuius animo pro Deo regnat, & ſummũ imperium tenet, cui nimirum quiſpiam, prætermiſſo vero Deo, ſeſe in ſeruitutem addicit. Illud autem vel prorſus cõmentitium eſt, quia ſola imaginatione exiſtit: vel exiſtit quidem in rerum natura, ſed tamen non eſt eiuſmodi quale id eſſe nobis perſuaſimus; quæ vtraque idolorum ſpecies exemplis videtur declarãda. Mahumetani quendam eximiũ Prophetam, & Dei interpretem ſomniant Mahumeten nomine, & religionem ex eius auctoritate ſibi conſtituerunt, quæ tota ſomniis & vanis imaginationibus conſtat, earũ videlicet rerum quæ nuſquam ſunt, & nunquam ſunt euenturæ. Huc etiam Papiſtarũ purgatorium, & vanas plurimas opiniones referimus. Tot igitur iſti habent idola, quot ſibi ſomnia ſunt commenti. Alii ex rebus creatis ſibi in animo faciunt deorum ſpecies quibus ſeruiant: qua ratione guloſus ventrem, auarus diuitias, ambitioſus honores, libidinoſus amicam pro deo habere dicitur. Sic enim Cyclops apud Euripidem,

Rom. 14. a. 1. 2. Tim. 2. d. 24

De Idololatria.

Lib. 1. contra Parmeniani epiſt. cap. 7

1. Cor. 5. d. 12

Ὁ πλοῦτος ἀνθρώποισι τοῖς σοφοῖς θεός, Τὰ δ' ἄλλα κόμποι, καὶ λόγων εὐμορφία.

Et paulò pòſt,

Ἐγὼ οὔ τινι θύω πλὴν ἐμοί, θεοῖσι δ' οὔ, Καὶ τῇ μεγίστῃ γαστρὶ τῇδε δαιμόνων.

Epheſ.5.b.5 Coloſſ.3.a.5 Philip.3.d.19 Quamobrem etiam Paulus auaritiam dicit idololatriæ ſpeciem eſſe:& de iis loquens qui terrena cogitant, *Quorum*, inquit, *Deus venter eſt*. Prior igitur ex his duabus ſpecies cũ ſimulacrorum idololatria, aut certè cum externis aliquibus ceremoniis coniuncta eſt, eius nimirum parens ac genitrix. Neceſſe eſt enim vt mens idolũ prius concipiat quàm manus pariat. Quare de hac ſpecie idem quod de prima illa ſtatuendum, vt videlicet à defectoribus infideles, imperiti ab improbis, ſimplices à factioſis, externi à domeſticis diſtinguantur. Sed de altero poſterioris idololatriæ genere, à quo vix quiſquam eſt prorſus liber, aliter eſt iudicandum. Hæret enim tota in ipſis animi penetralibus, quæ ſolus Deus ſcrutari poteſt, orta nimirum à vitiis & prauis cupiditatibus, quæ in animo ita regnant vt ea quæ à nobis appetuntur, ſi non ſimpliciter pro diis habeamus, at certè pro diis tamen habere meritò videamur, vtpote quæ (ratione à cupiditatibus oppreſſa) vero illi & vni Deo ſcientes ac prudentes anteponamus. Oſtendimus autem in altera ſuperioris diſputationis parte non vitia, ſed crimina à Magiſtratu puniri. Vitia enim quãdiu non erumpunt in crimen, vel Dei iudicio, quum ſcilicet prorſus occulta ſunt, aut nõ ſatis manifeſta, relinquuntur: vel, ſi qua ratione ſe patefecerint, citra tamen Reipublicæ aut proximi iniuriam de qua leges conſtitutæ ſint, verbo Dei, precibûs, exhortationibus, increpationibus, Eccleſiaſtica denique diſciplina coërcentur. Sin autem radix plenos fructus ediderit, putà ſi guloſus vel ſua vel aliena bona cum alicuius detrimento, vel peruerſo exemplo abligurierit: aut auarus malis artibus aliena bona interuerterit: aut libidinoſus alicuius pudicitiam violarit, tum demum Magiſtratus iſtum, non vt idololatram, (tranſlatitiè enim eiuſmodi homines idololatræ vocantur) neque vt guloſum aut auarum, aut libidinoſum (ſunt enim hæc non criminum, ſed vitiorum nomina) ſed vt furem, vt prædonem, vt adulterum pro criminis ratione puniet. Et hæc quidem de blaſphemis & idololatris.

De Simonia. De Simoniacis verò (quos vocant) paucis reſpondeo, quæſtionem huius loci non eſſe, quum inter ſacrilegos potius quàm inter hæreticos ſint numerandi. Nec tamen ignoro Simonem illum Magum vt hæreticorum ducem à veteribus recenſeri. Sed hoc ad crimen illud non refertur quod Romani Pontifices, illius videlicet Simonis, non Simonis Petri ſucceſſores, palàm exercent: ſed ad quædam alia dogmata de quibus inter cæteros Epiphanius & Theodoritus copioſè ſcripſerunt.

Supereſt quod iſti dicunt, *Si hæretici occiderentur, fore vt paucorum hominum vita parcatur, quũ paruulus ſit Chriſti grex, & in eo etiam innumerabiles ſint ſectæ*. Hoc verò tam calumnioſè aduerſum nos dicitur, vt reſpondere me pudeat. Nam, (quod infinitis penè locis repetere cogor,) & infideles, & eos qui ſimplici errore peccant, & quorum tantùm vita reprehenditur, ab hæreticis diſcernimus: deinde inter ipſos hæreticos magna eſſe errorum diſcrimina, & multiplices circunſtantias fatemur: eáque omnia prudenter & diligenter conſideranda monemus, vt neque nimia indulgentia peſtes Eccleſiæ foueantur, neque importuna ſeueritate Eccleſia diſſipetur. Sed & Monachorum cum Anabaptiſtis comparatio (vt liberè dicam quod ſentio) mihi videtur periniqua. Aliud enim eſt diſtincta rerum dominia tanquam cum charitate Chriſtiana pugnantia tollere, quàm voti cauſa in cœnobio cum certis hominibus facultates omnes ſuas communicare: aliud eſt mulierum vſum communem ſtatuere, quàm cœlibatum vouere: aliud eſt Magiſtratum ciuilem ex Eccleſia eiicere, iuſiurandum & omnes fori diſceptationes vt impias damnare, quàm contendere ſe ex priuilegio vni tantùm Abbati obnoxium: aliud eſt dicere ſe non amplius peccare, & peccatorum remiſsionem, in qua felicitas noſtra, vel Dauide teſte, conſiſtit, expungere, quàm perfectiorem quandam vitam profiteri. Neque verò hæc à me dicuntur vt Monachiſmo faueam, quem ego vt ſuperſtitionum lernam abominor: ſed vt non ſatis rectè colligi poſſe doceam, ſi in Anabaptiſtas capitali ſupplicio animaduertere liceat, Monachos pari ratione iiſdem pœnis eſſe ſubiiciendos. Siquidem inter hos & illos non minus quàm inter apertam impietatem, & craſſam ſuperſtitionẽ diſcrimen eſſe videtur.

Collatio Monachorum cũ Anabaptiſtis iniqua.

Pſal.32.a.1

¶ *Quintum argumentum: Quia Paulus non iubet occidi, ſed deuitari hæreticum: & pro Iudæis optat fieri anathema.*

Tit.3.c.10 Obiiciunt iſti Paulum, à quo monetur Titus, non vt hæreticum hominem occidat,

ſed

ſed vt deuitet. Huic autem futiliſsimo argumento quum eximius ille ſeruus Dei Bul-
lingerus (quem, ſicut debeo, honoris cauſa nomino) Decadis ſecundæ Sermone octauo
rectè teſpondiſſet, Paulum videlicet illic ad Apoſtolũ ſcribere: quòd ſi ad Sergium Pau-
lum aut ad Præſidem aliquem ſcripſiſſet, proculdubio & illi præſcripturum fuiſſe offi-
cium ſuum: exortus eſt repente perſonatus quidam Monfortius, qui aduerſus optimum
& doctiſsimum virum exciperet, *fieri non potuiſſe vt Paulus eos iuberet interfici, pro quibus ſcribit* Rom.9.a.3
ſe optare fieri anathema. Ridiculè profectò. Nam quod de Iudæis in genere dicit Apoſto- Refutatio.
lus, hoc ipſe ad ſingulos etiam perditiſſimos hæreticos accõmodat. Id autem perinde eſt
ac ſi Matthæum argueret mendacij, qui ſcribat Chriſtum per inuidiam fuiſſe Pilato tra- Mat.27.b.18
ditum, quum teſtetur Apoſtolus Iſraëlitas zelum quidem Dei habere, ſed non ſecun- Rom.10.a.2
dum ſcientiam. Sed & idem noſter Apoſtolus ex eadem illa gente pro qua optat fieri a-
nathema, quoſdam optat excindi à quibus Galatæ perturbantur, illos nimirum quos a- Gal.5.b.12
libi vucat inimicos crucis Chriſti, & quorum finem eſſe perditionem nouerat. Deinde Philip.3.d.18
an non hoc abſurdiſſimum eſt, odium ſceleris ab odio ſcelerati hominis non poſſe di-
ſtinguere? Nam, obſecro, quum Moſes à Domino peteret ex libro deleri niſi populo Iſ- Exod.32.g.32
taëlitico peccatum remitteret, nónne ſatis declarabat ſeſe, quum tria hominum millia
promiſcuè paulò antè interficienda curaſſet, nullo ipſorum odio, ſed potius idololatriæ
execratione, & zelo Dei accenſum, acerbas quidem illas, ſed tamen iuſtas pœnas ſum-
pſiſſe? Sic igitur ſe res habet. Fidelis Dei miniſter opem ciuilis Magiſtratus in contu-
maces hæreticos, quibus coërcendis Eccleſiaſtica diſciplina nihil profuit, piè flagitare
poteſt ac debet, ita vt nihilominus illorum vicem ægerrimè ferat, & precibus ac lachry-
mis eorum ſalutem Domino commendet. Magiſtratus quoque eoſdem hæreticos in
carnificum manus tradere poteſt, gemens & ipſe, & Dominum ſeriò inuocans, vt ſi fie-
ri poteſt pœnitentiæ gratiam morituris largiatur. Alioqui quoties in iudicio vel ciuili
vel Eccleſiaſtico priuatum hominis odium interuenit, iam deſinit eſſe Dei iudicium.
Eſt enim potius ſæuiſſima carnificina, in qua videlicet profani homines poteſtate Dei
ad priuatam iniuriam vindicandam abutuntur: quum ſcelera odiſſe, non homines, &
propter ſcelera punire ſceleratos, non propter priuatam aliquam cupiditatem o-
porteat.

¶ *Sextum argumentum: Quia vetat Paulus quenquam ante tempus iudicare.*

Sed quendam præterea Pauli locum Academici proferre ſolent, in quo prohibet A- Refutatio. 1.Cor.4.a.5
poſtolus quenquam ante tempus iudicare. Quaſi verò de publicis iudiciis vel Ciuilibus
vel Eccleſiaſticis illic agatur, ac non de iis potius quæ à priuatis hominibus fiunt, ſicut
ex præcedentibus & conſequentibus apparet. Quod enim antè dixerat, QVI ME IV-
DICAT, DOMINVS EST: & quod paulò pòſt ſequitur, ET TVNC VNICVI-
QVE LAVS ERIT A DEO: ſatis declarat, ſicut etiam doctiſsimi eius Epiſtolæ in-
terpretes teſtantur, ea tantùm iudicia, eo quidem loco, in Corinthiis reprehendi, in qui-
bus tanquam agonothetæ quidam de Miniſtrorum præſtantia iudicabant, alios quidẽ
coronantes, alios verò dimittentes cum ignominia. Nam alioqui non publicè tantùm,
ſed etiam priuatim probandi ſunt ſpiritus, & ex fructibus arbor cognoſcenda, dummo-
do neque temeritate, neque detrahẽdi ſtudio, neque vitioſa alia cupiditate impulſi, ſed
vera ducti charitate, ad iudicandum accedamus.

¶ *Septimum argumentum: Quia mortis metus facit hypocritas.*

Addit ſuperioribus rationibus hanc quoque Monfortius, *Quòd hæreticorum pœnæ capi-
tales aditum patefaciant ad hypocriſin.* Atqui nemo non videt de cæteris criminibus idẽ poſſe Refutatio.
affirmari. Neque verò hic ſcopus ciuili Magiſtratui propriè eſt propoſitus, vt animum
regat: ſed hic potius, vt externam tum in religione tum in ciuilibus commerciis concor- Quis propriè ſcopus Magiſtratus propoſitus.
diam & tranquillitatem conſeruet. Quum igitur varia ſint hominum ingenia, & ple-
roſque quos virtutis amor non mouet, pœnæ formidine terreri neceſſe ſit, vtrunque
facit magiſtratus, gladium gerens, partim vt bene agentes tueatur, partim vt terrori ſit Rom.13.a.3
malè agentibus. Animum autem quum perſpicere non poſsit, quanuis quoad eius
fieri poteſt, laboret vt ciues quàm optimè affectos habeat, tamen de externis tan-
tùm factis neceſſariò iudicat. Quamobrem ſiue per hypocriſin, vel ex animo quiſ-
piam à perturbanda religione vel alia Reipublicæ parte abſtinuerit, nihil habet Magi-
ſtratus quod in eo punire poſsit. Sed vt plurimi ſint hypocritæ, à publicis tamen iu-
diciis abſtinere non debet. Nam, vt ait Auguſtinus, *timor pœnarum etſi nondum ha-
bet bonæ conſcientiæ delectationem, ſaltem intra clauſtra cogitationis coercet malam cupiditatem.* Contra literas Petiliani. lib.2.cap.83

n. ii.

Vt autem medicina omnibus non proſit, nemo tamen, niſi protſus inſanus, propterea contemnendam eſſe exiſtimarit.

¶ *Octauum argumentum: A quorundam exemplo quibus id peſſimè ceſſit.*

Tandem verò vt planius etiam fiat quo ſpiritu iſti impellantur, operæpretium eſt quoddam eorum argumentum pertractare, in quo fideles & verè pias Eccleſias apertè oppugnant. Clebergius ergo poſtquam optimos illos & fortiſſimos principes qui Monaſterienſium Anabaptiſtarum inauditos furores compeſcuerunt, vt rabidos, vt ſæuos accuſauit, tandem in hæc verba prorumpit: *Oſtendiſſe Deus videtur*, inquit, *quantopere illa ſibi placerent, quum effecit vt ille ipſe eius ſententiæ, id eſt, capite puniendorum Anabaptiſtarum auctor, vir literatus & toto orbe celebris, non multo poſt alios inermes interfectos, ipſe in acie cum multis cecidesit, id quod ei propter illud commiſſum accidiſſe multi pij credunt*. Sed & Monfortius canina quadam rabie Anglis noſtris fratribus inſultans, *Euentus*, inquit, *oſtendit quales fuerint Euangelici, qui Euangelium admiſerant coacti. Sciunt hoc qui illinc magnis difficultatibus effugiunt, & qui nihil ab Euangelio alienius eſſe prædicant. Nec mirum ſi par pari refertur, vt qui vim fecerunt, vim patiantur*. O facinus audax & impudens! Téne verò Clebergi, quiſquis es, tam effræni impudentia

Refutatio. eſſe vt inſignem noſtris temporibus Chriſti ſeruum, etiam poſt mortem, iſta petulanti rabie appeteres? Sed hoc nimirum ipſius laudibus deerat, vt à te & tui ſimilibus reprehenderetur. Cæterùm cladis illius funeſtiſſimæ neutra pars, vt opinor, reminiſci ſolet. Itaque nõ committam vt, quod aſtutè captas, harum calamitatum cauſas cum partium offenſione commemorem. Tantùm dico ſceleratum eſſe te qui (vt eum hominem tibi eius ſententiæ, qua cenſentur Anabaptiſtæ capitali pœna puniendi, auctorẽ fuiſſe concedam) de optimo conſilio & planè illis temporibus neceſſario, tantum virum reprehẽdas. Optimum enim conſilium cur non vocem, quod vno conſenſu tot pios Principes, tot clariſſimas ciuitates, tot fideles Eccleſias amplecti non puduit? At tu repertus es, qui quod omnes, præter vnum & alterum, comprobarunt, vt ſæuum & crudele accuſares. Conſilium, inquam, illud, quod niſi valuiſſet, oppreſſæ nunc Eccleſiæ à perditiſſimis Anabaptiſtis tenerentur, nulli in ciuitatibus Senatores tuti ſederent, caſtitas & pudicitia ab omnibus domibus ac familiis exularet. Cedò verò vnde tandem hoc conſilium Deo diſplicuiſſe colligis? *Quia*, inquis, *illius auctor paulò pòſt in acie occubuit*. Quid? àn propterea bellum illud ſuſceptum erat? an contra Anabaptiſtas illius auſpiciis certabatur? Deinde quàm egregia, obſecro, hæc eſt ἀπόδειξις! *Qui paulò antè inermes cenſuerat interficiendos, paulò pòſt in acie cecidit: ergo probabile eſt eum crudelitatis pœnas dediſſe*. Quid ſi enim inermes illi iuſtius interfecti ſint quàm vlli prædones aut homicidæ? An verò mori pro patria pugnantem, adeò indigna mors eſt viro bono, vt cum ira Dei coniuncta videatur? *Atenim multi pij propter hoc commiſſum id illi eueniſſe credunt*. Sanè ſi vera dicis, mirum eſt te vnum poſt tot annos repertum qui hoc arcanum proderes. Nam alios non ignotas longè diuerſas cauſas attuliſſe. Contigit enim in iſtius innocẽtiſsimi viri cæde quod in aliis plurimis, vt quiſque pro ſuo arbitrio de ea iudicaret. Sed eſt certè periniquum, ex earũ rerum euẽtu quas bonis & malis communes eſſe voluit Dominus, de quoquam etiam viuo, nedum mortuo, iudicium ferre. Cæterùm de Angliæ Eccleſia nuper florentiſſima, nunc verò (quando ita Deo viſum eſt) afflictiſsima, dic quæſo, Monforti, ſi vel tantillum Chriſtianiſmi haberes, an ita loquereris vt tu facis? Exulant ex Anglia, religionis cauſa, plurimi, nõ tantùm ex vulgo fortiſsimi homines: ſed etiam nobiliſsimi principes. Plurimi in patria mortem fortiſsimè ſubierunt: plurimi in carceribus venerandi, & ipſis quoq; aduerſariis formidabiles heroes martyrij palmam cupidiſsimis animis expectãt: pij omnes & publicè & priuatim iſtam Eccleſiæ Anglicanæ diſsipationem deplorant: publicè & priuatim omnes precibus & lachrymis, omníque officiorum genere ſuam in optimos & chariſsimos fratres charitatem declarant. At tu, qui clementiæ ſcilicet patrocinium ſuſcepiſti, vnus inuentus es tam ferreus, tam ferus, tam inhumanus, vt quos cæteri optimo iure commiſerantur, eos vt iuſtè vexatos calumnieris: quos cæteri à Deo exerceri & probati intelligunt, illis tanquam iuſto Dei iudicio, propter crudelitatem quam in alios exercuerunt, exagitatis inſultes: quorum denique gratiam & fauotem nuper editis præfationibus captabas, eos repente in mediis calamitatibus irrideas. Quam verò crudelitatem, quam vim illis exprobrare potes? an quòd crudeliſsimis illis feris pepercerint quas tanquam in cauea incluſas regnante ſanctiſſimo illo principe Edoardo, tandiu in poteſtate habuerunt, à quibus nunc emiſsis

cru-

crudeliſsimè vaſtatur Eccleſia? an quòd religionis aduerſarios, quos vel ſolo nutu interficere poterant, verbo Dei potius ad Chriſtum allicere quàm gladio coërcere ſtuduerunt? Et te non pudet iis tanquam crudelibus inſultare, in quibus, præter nimiam fortaſsis lenitatem, nihil habes quod reprehendas? O mites & manſuetos Academicos! ô Chriſtianæ manſuetudinis egregios vindices! Imò verò Domine & Pater cæleſtis qui nō vis afflictos affligi, eos pręſertim in quibus Tyranni vnigenitū Filium tuū perſequūtur: Domine qui Doeg Idumæū propterea iuſto tuo iudicio vltus es, quiq; toti Idumæorum genti propterea parcendū non putaſti quòd afflicto tuo populo inſultarāt, iſtos paria committentes paribus pœnis propter nomen tuum vlciſcere: Chriſtianis Principibus fortitudinem & conſtantiam inſpira ad iſtos omnes Eccleſiæ tuæ perturbatores excindendos: Eccleſiam tuam præcipuè aduerſus domeſticorum hoſtium inſultus tuere: exulibus denique tuis angulum aliquem concede donec in iudicium venias filios tuos redempturus, in quo nomen tuum immortale, fruſtrà fremēte & ringente mundo laudibus concelebrent. Sed quò me iſtorum improbitas abripuit? Ad rem igitur redeo.

¶ *Nonum & vltimum argumentum: A veteris Eccleſiæ auctoritate.*

Supereſt vnum, ni fallor, argumentum quod à multis iactari ſolet, Patrum videlicet exemplum, ſeu veteris Eccleſiæ auctoritas. At ego primùm omnium reſpondeo quod Reſponſio. omnes æqui iudices mihi, vt ſpero, concedent: diſcrimen aliquod temporum & Patrū eſſe conſtituendum. Nam quod ad temporis rationem attinet, quum Deo non placeat vno ſemper modo Eccleſiam ſuam adminiſtrare, ſed interdum eam externis præſidiis ſuſtineat, interdum ab omnibus pariter mundi poteſtatibus oppugnatam ſolo ſuo verbo tueatur, mirum videri nō debet, quo tempore Cæſares rerum domini Chriſtum ex profeſſo oppugnabant, neque vllus erat Magiſtratus qui externam Eccleſiæ pacē procuraret, hæreſin capitali ſupplicio non fuiſſe coërcitam, & Apoſtolos ac veteres illos Epiſcòpos ad Magiſtratus præſidium non confugiſſe. Nam eadem quoque ratione factū eſſe conſtat, vt ab Apoſtolica Synodo, quæ à Luca deſcribitur, vſque ad Conſtantini Magni tempora nullum legamus in tantis turbis & diſsidiis Eccleſiarum habitum conuētum in quo aduerſus hæreſes communi & vniuerſali concilio quicquam decerneretur. Quamobrem qui ex illorum temporum exemplo quibus floruiſſe Eccleſiam conſtat, ſtatuunt hæreticos non eſſe capitali ſupplicio à Chriſtiano Magiſtratu afficiendos, neceſſe eſt vt plurima quoque alia reprehendant, ſine quorum præſidio tot annos ſtetit Eccleſia, quæ tamen hoc tempore quum nobis à Deo offeruntur, ſine eius contemptu, repudiari non poſſunt. Paulò pòſt verò quum Domino viſum eſſet Cæſares & Reges aliquos tanquam præſides Eccleſiæ ſuæ adiūgere, & ſtatim prorupiſſet Arius, fateor quidem Conſtantinum eius vitæ pepercisſe, & hoc exemplum alios poſtea Principes ſecutos: ſed quid ſi hac in parte, quamuis nihil ſine decreto Dei interuenerit, Conſtantinus tamen culpa non caruit? Debuerat enim profectò Chriſti maieſtatē adeò impiè & pertinaciter violatam ſeuerius quàm ſuam vindicare. Deinde quàm præpoſterè interdum bonus ille Princeps paci ſtuduerit, non tantùm ipſius Arij reſtitutio, ſed & Athanaſij illius Magni exilium declarat. Præterea quum recens adhuc eſſet Cæſaris in Eccleſia pręſidium, quid mirum eſt mitiorem illius vſum initiò & Cæſari & Epiſcopis placuiſſe? Iubet enim Chriſtiana charitas, ipſáque adeò humana prudētia, vt à mitioribus remediis auſpicemur. Sed quid iſta conſectari opus eſt? Nam vt Arij vitæ Conſtantinus pepercerit, in eos tamen qui Arii libros celaſſent, edictum capitale conſtituit, nedum in eos qui Niceph. Eccleſ. Hiſtor. lib. 8. cap. 25 partes eius ſecuti Eccleſiæ concordiam ſcinderent: neque eò quiſquam ex Epiſcopis Cæſarem vt crudelem voce aut ſcripto reprehendit. Eandem quoque pœnam in eos ſanxit Iuſtinianus qui Seueri illius Antiocheni ſcripta non cremaſſent. Idem lib. 17 cap. 91. Quid eſt igitur quod iſti nobis perpetuum veteris Eccleſiæ conſenſum opponunt? An iſti religionis curam à ſe remouerunt? an ab hæreticis ſibi non putarunt metuendum? an dubitarunt capitales pœnas in factioſos & doctrinę Eccleſiæ repugnantes conſtituere? quibus certè abundè teſtati ſunt, etiamſi eas re ipſa vel mollitie animi, vel aliam aliquam ob cauſam non ſunt executi, quid facturi eſſent ſi aduerſariorum importunitas alia ratione coërceri non poſſet. De Auguſtino verò quid dicam? Ego certè de illo non aliter ſentire me profiteor quā de eo qui in explicandis præcipuis Chriſtianæ religionis capitibus veteres oēs tum Græcos tū Latinos ſcriptores, meo quidē iudicio, lōgo interuallo ſupe-

rauit. Verùm ſi eius exemplũ ſine diſcrimine ſequi libet, quia Donatiſtis non modò
hæreticis valde ſeditioſis, ſed etiã crudeliſsimis homicidis pœnam capitis irrogandã nõ
cenſuit, quid ſupereſt niſi vt ſceleratis omnibus parcatur, modò reliquis ſceleribus hæ-
reſeos crimen adiunxerint? Quid igitur? nempe, vt ego quidem arbitror, non ſpectabat
Auguſtinus quum pro Donatiſtarum vita intercederet, quid Principibus in hæreticos
liceret, vel quid Donatiſtæ mererentur, ſed quod expedire nouerat in hac cauſa, id vt
fieret à Cæſaris Præfectis contendebat. Nam quia non de vno aut altero agebatur, ſed
per ſingulas Africæ ciuitates ita iam peruagabatur hoc malum, vt penè plures hæreti-
cis quàm Catholicis fauerent, & pecuniariã mulctam videbat ad pleroſque in viam re-
uocãdos ſatis valuiſſe, idcirco minis potius quàm capitalibus ſuppliciis, in hac quidem
cauſa, agendum putabat. Id autem quàm rectè cenſuerit, nemo fortaſsis poſt tot elapſa
ſecula ſatis commodè iudicare poſsit. Nos quidem moderatam ſeueritatem ſæpe iam
teſtati ſumus maximè nobis probari, ſed ita vt mollities vitetur. Ex hoc autem Augu-
ſtini in vna cauſa conſilio quàm rectè quæſo vniuerſalem doctrinam conſtituas? Nam
quid in genere cenſuerit Auguſtinus, ex his verbis ſatis intelligi poteſt. Is igitur contra
Parmeniani Epiſtolam ſcribens, *Ex occulto*, inquit, *imperio Dei per manifeſtum hominum im-*
Lib. 1. cap. 7 *perium multa quibus coërcentur conſtituta ſunt, nec ſolùm hæreticis quoquo modo Chriſtiano nomine de-
albatis, ſed etiam ipſis Paganis. Nam vtique & ipſi falſa religione ſunt impij, quorum ſimulacra euerti
atque confringi iuſſa ſunt recentibus legibus, inhiberi etiam ſacrificia ſub terrore capitali.* Hæc Au-
guſtinus: minimè certè, vt opinor, hoc edictum vt rectum & laudabile oppoſiturus ad-
uerſario, ſi contra verbum Dei ſcriptum eſſe crediſſet. Idem autem quum pro miti-
ganda Donatiſtarum pœna intercedit, nónne vbique extrema commeritos eſſe confi-
tetur, & manſuetudinem Imperatorum in eo laudat, quòd ſummo iure cum factioſis il-
lis & inſanis hominibus non agerent? Ex quo efficitur verum eſſe quod paulò antè dixi,
Auguſtinum videri non quid in genere fieri iure poſſet diſputaſſe, ſed quod in hac vna
cum Donatiſtis controuerſia expedire certas ob cauſas cognoſcebat, hoc vt fieret ſum-
mo ſtudio contendiſſe. Quòd ſi Patrum auctoritas tantum hîc valet, vt ex ea decîdi hęc
controuerſia poſſe videatur, agè, cur non inter Patres Moſen numeramus, qui quũ a-
Exod. 32. f. 26 lioquin eſſet homo omnium clementiſsimus, tam ſeuerè idololatriam vindicauit? cur
non Aſan in Patrum numero recenſemus, qui capitalem pœnam in eos ſanxit qui Deũ
2. Paral. 15. c. 13 Iſraelis non inuocaſſent? cur non Ioſiam pro Patre habemus, qui cunctos Excelſorum
2. Reg. 23. c. 20 ſacerdotes mactauit? Sunt enim iſti teſtes omni exceptione maiores, & de his rebus cla-
ra Dei voce collaudantur. Quæ quum ita ſe habeant, licet nobis, vt ego quidem arbi-
tror, affirmare, neque iſtis Scripturæ locis, neque argumentis in humano cerebro fabri-
catis, neque Patrum exemplo opinionem de non occidendis hæreticis poſſe ſatis con-
firmari.

¶ Confirmatio propoſitæ quæſtionis.

Iam verò maxima operis parte confecta, id eſt, argumentis quæ in contrariam partẽ
proferri ſolent ordine refutatis, quatenus quidem ea ex Bellij farragine colligere nobis
licuit, reliquum eſt vt eodem ordine quo iſtorum rationes refellẽdas putaui, ego meas
quoque recenſeam. Meas autem voco, quas ex aliorũ doctiſſimorum hominũ ſcriptis
maxima ex parte collegi, quorum auctoritas in Eccleſia Dei tantum certè valet vt à Bel
lio contemni ſine ſcelere & flagitio non potuerit. Lutherum dico, Bucerum, Capitonẽ,
Regium, quos paucis abhinc annis Dominus ad ſe euocauit: ex ijs autẽ qui Dei gratia
ſunt adhuc ſuperſtites, & in opere Domini ſtrenuè laborant, doctiſſimos quoſque, quos
omnes nominatim appellare hîc nolui: ne ſola tantorum hominum auctoritate aduer-
ſarios obruere velle videar. Certè vel ex eo apparet quanta fuerit Bellij in hac conſarci-
nanda farragine fides & integritas, quòd eum non puduit inter cæteros Lutherum &
Caluinum nominare, duos illos eximios Dei ſeruos, quos ipſe ſatis nouit ab ea quam
tuetur impietate prorſus alienos. Impietatem enim cur non vocem effrænem illam
quiduis ſentiendi ac docendi licentiam? Nam quod ait Monfortius, vt iter ſibi ſcilicet
ad futuram defenſionem muniat, Nonnullos, qui initiò quum pauperes eſſent, deteſta-
bantur perſecutores, poſtea vires nactos, omiſsis Chriſti armis, Phariſæorum arma ſum-
pſiſſe, ſine quibus potentiam ſuam tueri nequeunt: hoc eſt profectò eiuſmodi vt in eos
ex quorum libris pleraque excerpſi, ſine aperta improbitate & manifeſtiſsima calum-
nia dici non poſsit. Sed ad rem accedamus. Breuis enim eſſe conſtitui: partim quòd res
ipſa per ſe minimè ſit obſcura, partim quòd ſublatis iis quæ ab aduerſariis opponi ſolẽt,
planum

planum iam & expeditum iter nobis factum eſſe videatur.

¶ Puniendos eſſe hæreticos.

In primis igitur meminiſſe oportet de certo hominum genere hîc agi quos tum ab
infidelibus, vt Iudæis & Turcis: tum ab ijs quorum duntaxat vita ſeu mores reprehen-
duntur, vt furibus & homicidis: ab iis denique qui nuda ſimplicitate & ignorantia non
affectata citra factionis ſtudium à veritate aberrant, iam antè ex verbo Dei diſtinximus. Hæretici.
Hæreticos enim eos demũ oſtendimus vocari, qui quũ fideliũ nomẽ ambiant, & ex ver-
bo Dei legitimè ſint conuicti, tamen ſuum iudicium ſecuti, ita pertinaciter & præfra-
ctè aduerſus Eccleſiam falſa quædam in religione dogmata defendunt, vt eius pacem
& conſenſum factionibus ſuis non dubitent lacerare. Iſtos ergo puniendos eſſe non eſt
quod pluribus rationibus confirmemus, quum nemo (quod ſciam) præter iſtos Acade
micos, ſit adhuc repertus qui ſimpliciter quæſierit an ſint vlla pœna afficiendi: adeò vt
in vniuerſa Stoicorum doctrina nullum tam abſurdum paradoxõ inueniri poſſe credã.
Sunt autem portentoſa hæc ingenia maximæ in Eccleſia Dei peſtes, & vera diaboli ad
euertendam Eccleſiam inſtrumenta. Nam vt maxima pars hominum parum honeſtè
viuat, aut ab externis hoſtibus Eccleſiæ infeſtiſſimè oppugnetur, tamen quandiu ſalua
eſt doctrina, apparet hominibus tanquam Cynoſura, cuius ſplendor piis omnibus præ-
lucet, vt in mediis tempeſtatibus curſum tenere poſſint. Corrupra verò doctrina, & ita
quidem corrupta vt ſub Dei ſpecie diabolus lateat, ecquid tandem ſupereſt niſi vt plu-
timi pro Deo diabolum amplectantur, plurimi, ſpe cognoſcendæ veritatis abiecta,
omnem religionem abiiciant, horrẽda denique in Eccleſia Dei perturbatio exoriatur?
Eſt enim longè grauiſſimum hoc malum, quum transformatus Satan intra ipſa Eccle-
ſiæ viſcera graſſatur. Itaque promptiore & acriore quoque remedio eget, tantum abeſt
vt depaſcentem hanc gangrænam coërcere non debeamus: aut etiam, ſi ita neceſſe ſit, 2.Tim.2,b.13
vt reliquo corpori conſulatur, cauterio non reſecare. Sed & verbi Dei manifeſta teſti-
monia habemus, quibus in hac ſententia confirmemur. Nam, vt leges taceam in blaſ-
phemos & pſeudoprophetas perſcriptas, vt Moſis, Aſæ, Ioſiæ exẽpla prætercam: quum Leuit.24.c.16
eum à quo priuatim læſi ſumus, ſi neque nos, neque Eccleſiam audierit, verbo Dei iu- Deut.13,&17 2 Par.15.c.13
beamur pro ethnico & publicano habere, idem certè multò magis de eo faciendum eſt &14 g.11
qui doctrinam ipſam conuellit. Idque Apoſtolus in Phileto & Hymenæo hæreticis v- Mat.18 c 17 1.Tim.1,d,20
ſurpauit, quum eos Satanæ traderet. Nam qui ex Eccleſia Dei eiicitur, in qua propriè
Deus regnat, aduerſariæ poteſtari deditur, neque ciuitatis amiſſæ ius antè recipit quàm
poſtliminiò ſit reuerſus. Ex quibus omnibus vnà coniunctis efficitur, iſtos quibus hære-
tici videntur non eſſe puniẽdi, opinionem in Eccleſiam Dei conari longè omnium pe-
ſtilentiſſimam inuehere, & ex diametro repugnantem doctrinæ primùm à Deo Patre
proditæ, deinde à Chriſto inſtauratæ, ab vniuerſa denique Eccleſia Orthodoxa perpe-
tuo conſenſu vſurpatæ: vt mihi quidem magis abſurdè facere videantur quàm ſi ſacrile-
gos aut parricidas puniendos negarent, quum ſint iſtis omnibus hæretici infinitis par-
tibus deteriores. Quamobrem ad hanc quæſtionis partem probandam pluribus verbis
non vtar, quam nimirum confido omnes non prorſus iniquos iudices mihi cõceſſuros.

¶ Hæreticos iure poſſe à ciuili etiam Magiſtratu puniri.

Huius autem quæſtionis reliquæ duæ partes pluribus argumentis videntur confir- 1. Argumẽtum à præcipuo fine ſocietatis humanæ.
mãdæ. Prius ergo à ciuili quoque Magiſtratu hæreticos puniri, deinde etiam interdum
morte multari poſſe ac debere oſtendemus. Sit autem primum hoc argumentum. Quũ
Deus omnia propter ſemetipſum condiderit, præcipuus humanæ ſocietatis finis Prou.16.24
eſt, vt Deus ab hominibus ſuo honore afficiatur. Huius autem ſocietatis cuſtos ac gu-
bernator conſtitutus eſt ciuilis Magiſtratus. Debet igitur in ſocietatis huius adminiſtra
tione præcipui illius finis rationem ſummam habere: & quanuis, quoad eius fieri poteſt
eum prouidere oporteat nequid diſcordiæ in mutuis ciuium commerciis interueniat,
tamen quum hic non ſit vltimus & præcipuus humanæ ſocietatis finis vt inter ſe homi-
nes pacatè viuant, ſed potius vt pacatè viuentes Deum colant, Magiſtratus officium eſt
vel externæ pacis iactura, ſi aliter non poteſt, verum Dei cultum in ſua ditione redime-
re, tantum abeſt vt à procuratione religionis abſtinere poſſit aut debeat. Conſeruare
autem religionem non poteſt, niſi pertinaces & factioſos ipſius contemptores iure gla-
dij coërceat. Relinquitur ergo, iſtos qui Magiſtratum à religione ſummouent, vel non
intelligere quis ſit verus ſocietatis humanæ finis, vel quod probè intelligunt diſſimula-
re. Verum aũt eſſe quod dixi, humanæ videlicet ſocietatis, quod ad externam diſcipli-

nam attinet,cuſtodem ac gubernatorem cōſtirutum eſſe ciuilem Magiſtratum, idque
in primis in cauſa religionis, de qua à nobis quæritur,ſic probo. Illi certè præfici quem-
piam oportet qui externam eius diſciplinam cuſtodiat. Duæ ſunt autem omnino gu-
bernationum ſpecies. Vna eſt ciuilis Magiſtratus,altera Eccleſiaſtici Miniſterij.Hanc i-
gitur poteſtatem, pet quam externa Eccleſiæ diſciplina cuſtodiatur, neceſſe eſt vt niſi
illi tribuas,ad hoc transferas:niſi,quod eſt intolerabile, ἀναρχίαν malis in Eccleſiam inue
here. Atqui hoc ius tribuere Eccleſiaſticis miniſtris nō potes quin ipſorum claues cum
Magiſtratuum gladio permiſceas. Conſequitur ergo ad ciuilem Magiſtratum pertine-
re. Iſtam verò diuerſarum iuriſdictionum contuibarionem ſic oſtendo. Eſto, exempli
gratia, Anabaptiſta quiſpiam delatus: conueniet Preſbyrerium, vocatus ille reſponde-
bit,ſibi eum peccatoribus nihil fore negotii. Quid Eccleſia? nempe ex verbo Dei, ſi in-
fœlix ille corrigi alia ratione non potuerit,Satanę eum tradet,vt diſcat non blaſphema-
te. Ille contrà ſeſe libens & vltro ab Eccleſia ſeiunget. Sequentur eum alii fanatici,& i-
ta fiet defectio. Prodibit deinde vel Serueti,vel Schuenfeldii,vel Oſiandri diſcipulus a-
liquis: vocatus aderit, ſed vt Eccleſiam iudicet: eiectus ex Eccleſia, diſcipulos etiam in-
ueniet. Ita altera factio naſcetur. Tandem apparebit Academicus quiſpiam, probus ni-
mirum & modeſtus homo. Vocatus, præfabitur ſe diſcendi cupidū omnia legere, om-
nia audire ſolere. Quòd ſi docere velis,rogabit ne vis illa ſuæ conſciētiæ afferatur. Tan-
dem ſi inſtare pergas,& manifeſtam ipſius in deprauandis Scripturæ teſtimoniis impu-
dentiam vrgeas, huc euadet,vt, contra vererum Academicorum decretum, qui ſe hoc
vnum ſcire dicebant,quòd nihil ſcirent,omnes dicat præter ſe vnum nihil ſcire: & tamē
teſtabitur ſe neminem damnare. Denique vt omnia coneris, nihilò plus ages quàm ſi
des operam vt cum ratione inſanias. Eiectus ex Eccleſia, ſeorſim ſuum ſibi cœtum pau-
latim coget, & vires aliquas nactus, inſaniæ ludum aperiet. Quid hîc Eccleſia? Clamet
ad Dominum,dices,& ille exaudiet. Clamabit certè,&,fruſtra reluctante Satana, con-
ſeruabitur. Sed & qui eſurit clamabit,nec expectabit tamen vt ab Angelo paſcatur,He-
1.Reg.19.a.5 liæ exemplo: ſed cibum datum, vel bonis artibus quæſitum tanquam ex ipſius Dei ma-
nu accipiet. Eſto igitur in Eccleſia Magiſtratus Chriſtianus. Quæro vtrum ſit ex his du-
obus exiſtimādum,eúmne qui ciuium ſuorum in rebus profanis diſſenſionem non fer-
tet,quum de re maxima & pręcipuo ſocietaris humanæ fine agitur,quieſcere oportere,
an verò potius iis quibus alioqui nullum Gladii ius conceſſum eſt, hanc coërcionem v-
ſurpare licere? Ecquis verò non videt ſi ille conniueat, imminere Eccleſiæ, in illa quidē
regione,ſummum periculum: ſin autem iſti in illius poſſeſsionem inuadant, ſicut An-
tichriſtus Romanus fecit,fore vt Poteſtatib° quæ à Deo diſtinctæ ſunt perturbatis,ſum-
ma rerum omnium perturbatio naſcatur? Quid ſi enim Paſtores ipſi, ſicut quotidie cō-
tingit, in Lupos degenerent? Coacta Synodo, dices, ab aliis coërceantur. Rectè profe-
ctò. Nam idcirco veteribus Canonibus ſæpe decretum fuit vt Synodi per ſingulas Di-
œceſes aliquoties ſingulis annis cogerentur: & inter Miniſtros alioquin pari poteſtate
præditos, gradus aliqui ſunt ordinis cauſa conſtituti. Sed quid ſi inferiores & vocati &
damnati non pareant? Quid ſi cogi Synodum vniuerſalem oportuerit, cuius tandem
auctoritate conuocabitur? an Epiſcopi vniuerſalis,quod verum eſſe Antichriſti nomen
Gregorius ipſe Papa confitetur? Ergo quocunque te vertas, niſi ciuili Magiſtratui ius il-
lud attribueris,præfractos & factioſos externæ Eccleſiaſticæ diſciplinæ contemptores
pro criminis grauitate coërcendi,neceſſe eſt infinitam & incredibilem ἀταξίαν ſequi,ni-
ſi Dominus remedium aliquod extra ordinem attulerit. Sunt enim homines ita nati
vt hominum etiam imperio ipſos coërceri neceſſe ſit. Quid ſi verò,dices, poteſtate ſua
ciuilis Magiſtratus abutatur? an non in idem, aut potius multò maius periculum inci-
des? Id ego verò fateor & agnoſco. Neque enim in hoc mundo ita poteſt Eccleſia con-
ſtitui vt nullis ſit periculis obnoxia. Sed quoties impios Principes habebit Eccleſia,vel
ita merentibus peccatis noſtris, vel arcano quopiam Dei iudicio, vt qui probati ſunt
manifeſti fiant, noſtrum eſt in rebus etiam iniquiſsimis patienter noſtram ſortem fer-
re, in rebus aūt impiis Deo potius obedire quàm hominibus, ſed ita vt nullam ſeditio-
nē excitemus. Solet enim Dominus', quoties Eccleſiam ſuam ordinariis præſidiis deſti-
tuit, extraordinariis iudiciis eam cōſeruare,ſicut Heliæ, Ioiadæ,Apoſtolorum, noſtris
denique temporibus contigit. Interim verò Tyrannicę crudelitaris metu ciuilem Ma-
giſtratum ſuæ iuriſdictionis præcipua parte ſpoliare, & ordinario prætermiſſo remedio
aliud extra ordinem à Deo flagitare nobis non licet. Stat enim fixum illud Apoſtoli
verbum,

verbum, *Omnem animam ſuperioribus poteſtatibus ſubiectam eſſe oportere.* Rom.13.a.1

¶ Secundum argumentum: Ab auctoritate verbi Dei.

Secundum verò argumentum eſt eiuſmodi. Certum eſt hoc ab omnibus requiri, vt
gloriæ Dei ſeruiant. Eſt enim Dei gloria non modò totius ſocietatis humanæ, ſed etiam
ſingularum eius partium, atque adeò ſingularum functionum præcipuus & vltimus fi- Coloſſ.3.c.17
nis, ad quem ſinguli actiones omnes tum animi, tum corporis referre debent. Quum
autem ſicut in ampliſſima familia diſtincta ſunt ſeruorum officia, ſic etiam in hoc mun-
do diuerſæ ſint functiones: apparet non vno & eodem modo gloriā Dei poſſe à ſingulis
promoueri, ſed ex eius demum muneris ratione quod à Domino acceperunt, vt ij vide-
licet quorum publica eſt functio, publicè: quorum priuata, priuatim Dei gloriæ ſeruiāt.
Ex hoc efficitur, quū Regē iuberet Dominus acceptū à Leuitis Legis volumē legere, vt Deu.17.d.19
diſceret ſeruare quæ in eo ſcripta ſunt: id fuiſſe ita intelligendum, vt non tanquam pri-
uatus aliquis vitam ex verbo Dei inſtituere, ſed tanquam Rex officium ſuum ex Legis
præſcripto iuberetur adminiſtrare: id eſt, (vt rectè explicat Auguſtinus) non tantùm Epiſt.ad Bo-
viuendo fideliter, (ſic enim ſeruit Deo quatenus homo eſt) ſed etiam quatenus Rex eſt, nifacium 50
id eſt, leges iuſta præcipientes, & contraria prohibentes conuenienti rigore ſancien-
do. Sed fortaſſis iſta pertinacibus quorundam animis non ſufficiunt. Dicent enim hæc
propriè ad Iſraelitarum Reges pertinere, & nondum etiam ex iis videri Regis officium
ad religionis vſque negotia porrigi. Ego verò reſpondeo Ciuilem poteſtatem apud Iſ-
raëlitas neque latioribus, neque anguſtioribus finibus quàm apud cæteras gentes circū-
ſcriptam. Deinde iſtius præcepti non eſſe quærendos meliores interpretes ipſis Regi-
bus qui hoc edicto ſunt comprehenſi. Illorum igitur vitam & facta conſideremus: eorū
dico quibus præcipuæ curæ fuit Domini mandata non tantùm cognoſcere, ſed etiam
re ipſa præſtare. Prodeat autem primus Dauid ille quem Dominus inuenit ſecundū cor Act.13. d.22
ſuum, & quem etiam Solomoni vt ſingulare exemplar propoſuit. Hic igitur quomodo 1.Reg.3.c.14
præcepta Domini cuſtodit? an duntaxat vt priuatus homo aliquis? an ciuilia tantùm
negotia ita adminiſtrās vt religionis externā diſciplinā non attingeret? Nam in virtute Pſal.21.a.1.&
Domini lætatus eſt: ſperauit in Domino, & ideo nō eſt cōmotus: pauit quoq; populū ſuū b.7 Pſal.78.g.72
cum integritate cordis, & prudētia manuum eum deduxit: quinetiam vt Propheta an-
nuntiauit in ſeculū, & laudauit Deum Iacob. Sed à religione an abſtinuit? *Omnia*, inquit Pſal.75.b.10
cornua impiorū confringā, & cornua iuſti exaltabūtur. Et alibi officiū Principis deſcribēs, *Manè*, Ibidem.b.11
inquit, *perdā omnes impios in terra, & excīdā de ciuitate Domini oēs eos qui operātur iniqua.* Sed hęc Pſal.101.b.8
fortaſſis ad ſolos facinoroſos pertinent. Quaſi verò generalius quicquā dici potuerit, &
eos omnes nō cōprehēdat in quos extāt leges à Domino perſcriptę. Hîc igitur ſi Daui-
dē ita cōpellaſſet Bellij factio: Quid ais eximie ſerue Dei? túne eos etiā excindes qui cę-
teris in rebus boni viri quū ſint, tamē in Dei cultu cōſtituēdo à te diſſentiēt? Nam cer-
tè nullū hominū genus tibi minꝰ eſt metuēdū: nemo eſt ad fidē cogēdus: debes ſinere vt
creſcāt zizania, ne triticum euellas: deniq; iſta cognitio ad ſummū Pontificē pertinet. Si
Bellius, inquam, aut Monfortius, aut Clebergius, aut ex iſta hominum fæce quiſpiam
Dauidem his verbis compellaſſet, quid facturum eum fuiſſe arbitrabimur? nónne votū
ſuum illis puniendis præſtiturum? Sciebat enim has eſſe præcipuas Regis dotes, Dilige- Pſal.45. b.7
re iuſtitiam, & odio habere impietatem. Sciebat eum non ſatis ſeriò odiſſe impietatem
qui pro facultate quam à Deo accepit, etiam in aliis, eam non impediat. Sciebat deniq;
Dominum hoc à Regibus & Principibus exigere, ne Vnctos Domini & Prophetas at- Pſal.105.b.15
tingant: affligi autem ab eis videri, quoties pro poteſtate à Deo accepta, non prohibent
ne affligantur. Itaque dubitati non poteſt quin re ipſa Dauid pręſtiterit quod Domino
non ſpopondiſſet, ſi externæ diſciplinæ Eccleſiaſticæ cura ad Principem non pertine-
ret. Alioquin, obſecro, quo iure Dauid in arca deducenda, & toto eius cultu inter Leui- 2.Sam.6 1.Paral.23.24
tas diſtribuendo tam fuit diligens? Neque enim dubium eſt quin penes quem ius eſt 25.26
eas res ſtabiliendi, penes eum ſit cuſtodiendi poteſtas. Quid aūt Solomon? nónne man-
data patris exequitur? adeò quidem vt ipſum quoque Pontificem ſacerdotij dignitate 1.Reg.2.e.27
ſpoliet? Simulatque verò à patris veſtigiis diſcedit, nónne deſeritur à Deo, & regnum Iſ- & 11.b.11
raëlis propterea in duas partes ſcinditur? Et hoc quidem omnium malorum principiū
fuit, ex eo videlicet quòd Solomon veterem Eccleſiæ diſciplinam aſpernatus, nouam
fabricare voluit: tantum abeſt vt ab eius gubernatione Principes ſint remouendi. Ad
Aſan veniamus, qui primus à Dauide & Solomone inter bonos Principes numeratur.
Is igitur ſuffitum quidem facere noluit, vt poſtea fecit Vſias, neque Eccleſiaſtici mini- 2.Par.26.d.19

ſterij functionem ſibi vendicauit,ſed abſtulit altaria aliena. At hoc quannis fateri coge-
tur Monfortius ad religionem pertinere, dicet tamen fortaſsis hæreticorum diuerſam
eſſe rationem,vt qui alienos deos colendos eſſe non doceant,de quo poſtea ſuo loco diſ-
2.Paral.14.& 15 ſeremus. Quid igitur amplius fecit Aſa? Deiecit Excelſa. Atqui in quibuſdam Excelſis
vero Iſraëlis Deo ſacrificabatur. Cur igitur deiecit? quia ibi ab hæreticis ſacrificabatur,
qui & ipſi nimirum egregiè ſe tuebantur antiqua Patrum conſuetudine, ſicut ex Chri-
Iohan.4.c.20 ſti cum muliere Samaritana colloquio conſtare poteſt,& verum Dei cultum iactabant.
Num igitur Aſa ſuo iudicio eos reliquit? num ad Sacerdotes remittit, quos ſatis ſciebat
ab ipſis præfractè contemni? Minimè verò: ſed quum manifeſtum Dei verbum habe-
ret de ſacrificiis eo demum loco faciendis quem Dominus elegiſſet, & iſti ſub pietatis
ſpecie bellum apertum Eccleſiæ Dei indixiſſent,euertit Excelſa non minus quàm ido-
lolatrarum ſimulacra, & lucos. Deinde non contentus hæreſes & manifeſtas idolola-
trias excidiſſe, populum conuocat, cultum Dei inſtaurat, fœdus ſolennibus adhibitis
ceremoniis renouat, hac etiam addita iuriſiurandi formula, Vt quicunque Deum Iſra-
ëlis non inuocaſſet,interficeretur,nulla aut ætatis aut ſexus habita ratione.Sunt autem
iſta tam laudabilia, ſi Spiritus ſancti teſtimonio credamus, quàm execranda,ſi Bellium
audiamus. Sic enim Spiritus ſanctus, *Fecit Aſa quod bonum & rectum erat coram Domino*. Et
paulò pòſt conceptum iuſiurandum in eam quam dixi formulam, *Iurauerant*,inquit,*&*
quæſierant Dominum toto corde, inuentúſque eſt ab eis, & dedit eis Dominus pacem circumquaque.
Quid autem Bellius in bella ſua præfatione? *Quis*,inquit,*non putet Chriſtum aliquem eſſe Mo-*
lochum, aut eius generis aliquem Deum, ſi ſibi viuos homines immolari comburique velit? Quæ Bellij
ſententia ſi vera eſt,quid obſtat quominus Heliam pro homicida & ſacrilego habeam,
1.Reg.18.g.40 qui Deum humana cæde, Molochi inſtar, putauerit delectari? & te quoque Iehu qui i-
2.Reg.10.f.25.& 23.c.20 dem feceris & cenſueris? te verò Ioſaia ſanctiſsime Rex,nihil cauſæ eſt cur non vt imma-
nem & crudelem accuſemus,qui in ipſa mortuorum oſſa ſæuieris,mactatis ſuper altaria
Excelſorum ſacerdotibus, & humanis etiam oſsibus crematis. Sed abſint à nobis iſtæ
blaſphemæ & profanæ cogitationes. Nam & iſtorum factum cum Spiritu ſancto prædi-
2.Par.17.b.7 camus,& Ioſaphat laudamus, dignam ſancto patre progeniem, quòd Excelſis ſublatis,
& Lucis excisis doctores conſtituerit, à quibus per ſingulas ciuitates populus in Lege
2.Reg.11.d.18 Domini erudiretur,& iudicia Eccleſiaſtica ſapientiſſimè diſtribuerit.Sed & Matthanis
2.Reg.18.a.4 ſacerdotis cædem à populo factam approbamus: & Ezechiæ ſingularem in inſtaurando
Dei cultu diligentiam, magnificè, ſicut par eſt, extollimus. Ex his autem omnibus opti-
morum Regum exemplis ſatis liquet, ni fallor, quod iubet Dominus, vt Legis librũ pe-
Deut.17.d.18 culiarem Reges à Leuitis accipiant: & quod poſtea generalius ab omnibus Regibus &
Pſal.2.b.11.& 12 Principibus flagitat Dauid:(nempe vt Domino ſeruiant,& Filium oſculentur:) ſic acci-
piendum eſſe, vt his verbis iubeantur Principes ſua poteſtate in eum præcipuè finem
vti,cuius cauſa eam à Deo acceperunt,id eſt, religioni ſtudere aduerſus omnes ſiue do-
meſticos ſiue externos hoſtes conſeruandæ & amplificandæ, quæcunque tandem peri-
cula tanquam laruam oſtentet Satan: tantum abeſt vt pax illa merè ciuilis ſit tanquam
vltimus & præcipuus finis Chriſtiano magiſtratui propoſitus,quum eos oporteat, vt ait
Eſa.49.g.23 Eſaias, Eccleſiæ nutritios & alumnos eſſe. Præterea quum hoc ab omnibus requiratur
vt Deum ore confiteantur, id eſt, omnibus externis actionibus declarent ſeſe veræ do-
ctrinæ aſſentiri, contrariam aũt doctrinam deteſtentur, & pro viribus impediant, con-
ſequitur Principes ad eam cõfeſsionẽ non vt priuatos homines,ſed vt Principes teneri.
Itaque Magiſtratus qui miniſterio quod à Deo accepit ad Eccleſiam Dei conſeruandã
fungitur, verè dici debet Deum ore confiteri: ſin verò aliter faciat, quomodo tandem
Mat.10.d.33 horrendam illam Chriſti ſententiam effugiet, *Qui negabit me coram hominibus*(inquit Chri-
ſtus) *negabo & eum coram Patre cæleſti*. Quiſquis verò quum Dei gloriam promouere poſ-
ſit,ſecurè quieſcit,perinde ac ſi ea res nihil ad ſe pertineret,is multò profectò impuden-
tius Deum negat quàm qui mortis metu per ſimulationem religioni renuntiat. Quam-
obrem Princeps qui poteſtatis ſuæ præſidio fretus petulantem & præfractum hæreticũ
coërcere poteſt,neque id facit,quomodo tandem crimen effugiet proditæ diabolo Rei
publicæ? aut quam cauſam afferet cur offendiculorum Eccleſię nõ ſit particeps? Itaque
ſæpe factum fuiſſe videmus, vt ceſſantibus Principibus, egregios quoſdam Heroas Do-
minus ſuo Spiritu excitarit, qui officio Principum in oppugnandis hæreticis & reſtitu-
enda vera religione extra ordinem fungerentur, ſicut in Phinees, Ioiadæ, Heliæ, Mata-
thiæ hiſtoria legimus: quorum facta etſi in exemplum quidem trahi temerè non debẽt,

tamen

tamen, quum aperto Dei teſtimonio commendentur, digniſſima ſunt quæ ij ſibi ad imitandum proponant in quibus Dominus eam poteſtatem ordinariam & perpetuam eſſe voluit, quæ in illis extraordinaria & temporaria fuit.

Poſtremò quum leges capitales plurimæ aduerſus manifeſtos & conuictos primę Tabulæ contemptores perſcriptæ ſint, Eccleſiaſticum autem miniſterium gladij poteſtatem non habeat, ſupereſt vt vel eas leges fruſtrà Dominus condiderit, (quod ſine ipſius ludibrio dici non poteſt) vel ciuili poteſtati earum executionem mandarit. Hoc aũt ita eſſe non modò ex ſanctorum Regum exemplis liquet, quæ paulò antè commemorauimus, ſed etiam ex primo eius libri tractatu quem Hebræi Maſſecheth Sanhedrin vocãt, ſicut Vvolphgangus ille Capito feliciſsimæ memoriæ vir docuit. Illic enim ſcribitur de crimine defectionis à Deo magnum Senatum LXXI iudicum, in quo Rex ipſe pręerat multo cum apparatu, cognouiſſe: cuius fortaſſe iudicij exemplum aut certè nõ multùm diſſimilis apud Ieremiam habemus. Ierem.26

Fuit igitur ciuilis Magiſtratus primæ quoque Tabulæ, quod ad externam diſciplinã attinet, cuſtos adhibitus. Quamobrem aut doceant aduerſarij, Chriſti aduentu de Ciuili iuriſdictione aliquid detractum, aut Principum idem nunc eſſe quod olim fuit officium fateantur. Neque verò nunc diſſero an illis Iſraëlitarum legibus Chriſtiani Principes teneantur: ſed hoc potius quæro, an ciuilis poteſtatis terminos Chriſtus mutarit aut amouerit. Nã omnino, niſi vehementer fallor, vel hoc à Chriſto factũ eſſe firmis argumẽtis probandũ eſt, quod fieri nõ poſſe puto: vel cõfiteri neceſſe eſt, ſicut olim ex Lege politica Moſis, ſic hodie ſaltẽ ex ciuilibus legibus ciuili Magiſtratui impoſitũ eſſe munus cõſeruandæ, quod ad externam diſciplinã attinet, Chriſtianæ religionis. Id aũt ſine vlla Orthodoxorum cõtrouerſia, non minus in noſtra Eccleſia Chriſtiana quàm in vetere illa Iſraëlitica & creditum & vſurpatum eſſe, quoties videlicet Chriſtianos Principes habuit, ex hiſtoria Eccleſiaſtica cognoſci poteſt. Legantur enim Euſebius, Theodoretus, Nicephorus: legantur Epiſtolæ quas Synodales vocant: legãtur Conciliorum acta, ac præſertim Carthaginiẽſis illius, in quo ambitioſa illa Romani Antichriſti fraus patefacta eſt: legantur quæcunque Auguſtinus aduerſus Donatiſtas & Circũcelliones diſſeruit, & comperiemus omnes vniuerſales Synodos, Cæſarum Chriſtianorum auctoritate vocatas, habitas, confirmatas: hæreticos poſt Epiſcoporum anathema, Cæſarum ſententia damnatos, pulſos, & aliquoties reſtitutos: leges de Epiſcopis & clericis ab iis perlatas, edicta de fide Catholica in hæreticos perſcripta: omnia denique facta quæ ad externæ Eccleſiaſticæ diſciplinæ conſeruationem pertinent: idque non modò approbantibus, ſed etiam voce & ſcripto omnibus orthodoxis Epiſcopis vno conſenſu flagitantibus. Tandem verò turbulentæ illæ tempeſtates acciderunt, quibus quum Romanum imperium iactaretur, Epiſcopi Romani in aqua turbida, quod aiunt, piſcati, paulatim tyrannide ſua conſtituta, hucuſque ſunt progreſſi vt ipſos ſibi Imperatores ac Reges ſubiecerint, ſicut iam olim Iohannes futurum prædixerat. Horrẽdum profectò Dei Apoc.18 iudicium. Sed vt mihi quidem videntur, peius quiddam hoc eſt Papiſtica ipſa tyrannide quod iſti Academici in Eccleſiã Dei, ſub moderationis & clementiæ ſpecie, inuehere conãtur, tantò videlicet peius quãtò minus malũ eſt Tyrannis quàm ἀναρχία, & quãtò præſtat Tyrannum etiam crudeliſſimum, quàm nullum penitus Principem habere: aut eum certè habere, ſicut aiebat ille, ſub quo omnia cuiuis liceant. Eſto igitur huius Dion in Nerone. argumenti hæc concluſio: Eos qui Magiſtratum Chriſtianum arcent à religionis cura, atque in primis ab hæreticorum coërcione, manifeſtum Dei verbum contemnere, & omnium ſeculorum auctoritatem ſpernere: itaque extremam Eccleſię πανολεθρίαν meditari.

¶ Tertium argumentum: Ab externarum gentium perpetua conſuetudine.

Cæterùm ex hac Donatiſtarum olim, nunc autem Bellianæ factionis opinione, quãta naſcantur incommoda omnes etiam populi viderunt quibus verbi Dei fax non præluxit: vt Chriſtianos omnes Principes magnæ infamiæ ſubiici oporteat, ſi minus rectè quàm illi quæ ſint ſui muneris partes intellexiſſe videantur. Nam certè nulli ex veteribus Principibus aut Legiſlatoribus in tantis tenebris verſati ſunt, vt quanuis ſine Deo eſſent, ſicut Paulus loquitur, tamen nullas Principis partes in religione conſtituenda Ephes.2.v.12 eſſe iudicarint, ſicut vel ex vnius Numæ exẽplo intelligi poteſt. Sicut autem in eo ſunt magnopere reprehẽdendi quòd ipſas religionis leges condere voluerint, (quod propriũ vnius Dei munus eſſe oſtendimus,) ſic in eo magnam profectò laudem merentur, quòd

religionis curam à ſe non putarint alienam. Sed in iſtis externorum Principum exemplis quędam reperiuntur Sacris literis comprehenſa, quæ peculiari laude & animaduerſione digna ſunt: veluti Nabuchodonoſoris, Darij, Cyri, Darij Hyſtaſpis, Artaxerxis ſanctiſſima edicta, idcirco nimirum Sacris literis à Spiritu ſancto cōſignata, vt externorum ſaltem Principum exemplo Chriſtiani Principes ad officium ſuum faciendum ſtimulētur. Nam, obſecro, Chriſtianus Princeps quomodo tandem iudicium Dei effugiat, qui ad impiam maieſtatis Dei violationem conniuebit, quam Principes alioquin profani tanto zelo vindicarunt? quo tandem iure Chriſtianus Magiſtratus blaſphemos & factioſos fouebit, quos Babylonius Rex acerbiſſimis pœnis mulctauit: Princeps deniq; Chriſtianus qua fronte exercebit læſæ maieſtatis iudicia, ſi puram religionem contaminari, Verbum Dei contumeliis affici, miniſtros Verbi à perditiſſimis nebulonibus per ſimulationem clementiæ & modeſtiæ exagitari ſinat? Nam hæ ſunt iſtorum artes, nimirum (quod aiebat ille de Philippo Gręciæ imperium affectante) paſtoribus interceptis impunè poſſint gregem Domini populari. Sed fidelis certè Dominus Eccleſiam ſuam cuſtodiet, & fideles eius paſtores conſeruabit.

Daniel. 1 Eſd. 1. & 6. & 7

¶ Poſtremum argumentum à recentiorum Eccleſiæ doctorum conſenſu.

Cæterùm vt totam Eccleſiaſticam hiſtoriam omittam, vt de veterum Regum, Principum, Epiſcoporum exemplis nihil dicam, vt Titulos de fide Catholica, de Epiſcopis & clericis, Nouellas, Conciliorum canonas, & in primis Carthaginienſis illius canonas 54, 68, 95, Auguſtini deniq; tot libellos aduerſus Donatiſtas de hac cōtrouerſia conſcriptos prætermittam, age, quæ ſit eorũ opinio videamus, per quos Domino viſum eſt Euangelij ſui lucem penè inter homines extinctam noſtris temporibus rurſum accendere. Neque verò omnes inſtitui commemorare, (eſſet enim hoc laboris penè infiniti) ſed præcipuos tantùm ſcriptores mihi cognitos recenſebo, atque in iis etiam nonnullos, quorum nomine & auctoritate iſtos abuti non puduit, vt ſimpliciorũ oculos inani quodam nominis illorum fulgore perſtringerent.

Martinus Lutherus Chriſtianæ religionis inſtaurator.

Sic igitur Lutherus in Poſtillis minoribus, quas vocãt, Dominica ab Epiphania quinta, zizaniorum parabolam explicans: *Cuſtodit*, inquit, *Magiſtratus non ſolùm ſecundam, verùm omnium maximè primam Tabulam. Idololatrias, blaſphemias, execrationes, periuria vlciſcitur. Oblatos hæreticos, vt in verum numen contumelioſos, atque alios eas blaſphemias docentes coercet. Præfractiores atque in errore pertexendo contumaciores, vt cum certiſsimo plurium exitio, pro maleficis puniẽdos ſuſcipit. Neque quum hoc facit, zizania euellere intelligitur: quia cum ſuo officio in eo regno non verſatur vbi de euellendis zizaniis interdictum poſitum eſt.* Et paulo pòſt, *Non igitur*, inquit, *Magiſtratus & huius generis vitæ corporalis officiales, quum ſcandalis perturbantibus tranquillitatem, ſeuera vindicatione obuiam eunt, zizania contra Chriſti mandatum euellunt, ſed id præſtant pro parte ſua, vt verum triticum in Eccleſia à zizaniis non prorſus opprimatur, & regnum Dei in terris non penitus exoleſcat.*

Phil. Melanchthon.

De Melanchthone verò quid dicam, homine illo eruditiſſimo, qui pręterquam quòd infinitis locis idem ac Lutherus affirmat, peculiarem etiam librum De officio Principis conſcripſit, vt contrariam opinionẽ refutaret? Idem quoque feciſſe Vrbanum illum Regium audio diligentiſsimum hominem, Luneburgenſis Eccleſiæ nomine: cuius tamen libellus, quum hæc ſcriberem, ad manum non erat. Sed in genere ita ſe arbitrari teſtatę ſunt his verbis Saxonicæ Eccleſię, in ea cōfeſsione quã Tridentino illi conciliabulo haud ita pridem obtulerunt. *Vult Deus Magiſtratuum voce primùm proponi ſummas & immutabiles leges prohibentes cultum idolorum, blaſphemias, periuria. Et paulo pòſt, Magiſtratus eſt cuſtos Legis, videlicet primæ & ſecundæ Tabulæ, quod ad diſciplinam attinet. Item alibi, Quanquam multi in imperiis negligunt gloriam Dei, tamen hæc præcipua cura eſſe debebat, audire & amplecti veram doctrinam de Filio Dei, & Eccleſias fouere: ſicut Pſalmus inquit, Et nunc Reges intelligite. Item, Aperite portas, Principes, veſtras, id eſt, Aperite imperia Euangelio, & præbete hoſpitium Filio Dei. Et Eſaiæ 49, Et Reges erunt nutritores tui, & Reginæ: id eſt, Reſpublicæ, ſint nutrices Eccleſiæ, præbeant hoſpitia Eccleſiæ, & piis ſtudiis. Ipſi quoque Reges & Principes ſint membra Eccleſiæ, & doctrinam rectè intelligant. non adiuuent eos qui falſam doctrinam ſtabiliunt, & iniuſtam ſæuitiam exercent: videant vt iudicia in Eccleſia rectè exerceantur: ſicut Conſtantinus, Theodoſius, Arcadius, Marcianus, Carolus Magnus, & multi pij Reges curauerunt rectè exerceri iudicia Eccleſiæ.*

Vrbanus Regius.

Saxonicæ Eccleſiæ.

Pſal. 2. & 30 Pſal. 24. 7

Io. Brentius.

Brentius verò in libello De Republica bene adminiſtrãda hæc ſcripſit, *Ante omnia pij cordatique Principis officium fuerit, ne hoc Verbi Dei pabulo, efficaciſsimóque afflictarum cōſcientiarum per fidem antidoto populum ſinat defraudari: neutiquam verò ſegni opera ſinat ac iubeat hoc ipſum purè & ſyncerè citra vllas traditionum humanarum virulentias, ſummáque diligentia populo promulgari.*

Nam

Nam quum ſit verbum pacis ac iuſtitiæ: & Principis vnicum & præcipuum ſit munus pacem Reipublicæ, tranquillitatē, concordiā, ac iuſtitiā plantare & euehere: qui melius, quæſo, feliciuſq; voti ſui compos fieri poterit, quàm ſi ſinat dogmata Crucifixi pura, verbū pacis purè ac liberè ſpargi? Quumque etiā à Deo poteſtas ſit omnis, poteſtati cuique proinde decorū fuerit, hoc Domini ſui verbū omnibus neruis promouere. Quanuis enim præſtantius longè & excellentius iuſtitiæ ac pacis genus Euangelio ſit propoſitū, ſecum tamen vnà externā quoque illam cùm pacē tum iuſtitiā in medium profert. Quotus enim quiſque eſt qui verè per Chriſtum pacē habeat apud Deum, quin cū proximo ſuo pacē ſeruet? Quicquid enim eſt controuerſiarum, tragœdiarū, & litium non aliunde exoriri par eſt credere, quàm quòd nulla dū pax conſciētiæ cum Deo ſit parta, quā ſimulatque adeptus fueris, facilè ipſa ſecū vna ciuilem iſtā adduxerit, Diuinæ illius ceu fructum. Quapropter prudenti Magiſtratui maximopere huc erit incumbendū, vt verbum iſtud pacis, & non ſeditionis, ſumma qua fieri poterit diligentia annuncietur.

Suam verò ſententiā Bucerus ſuis Enarrationibus in cap. Matth 22, his verbis expoſuit, *Ex eo,* inquit, *quod apud omnes rectè ſentientes pridē & modò habetur, neminē ad fidem aut religionē compellendū: quidam officiū Magiſtratus in totū à rebus fidei & religionis alienū faciunt, nec quicquam illū circa eas vel ſtatuere vel emendare, aut etiā vindicare permittunt, addicentes illū totum ſolis rebus ſeculi. Iſti verò parum piè de ſublimi hoc Poteſtatis munere ſentire videtur. Dij in Scriptura vocantur Principes & Magiſtratus. Quare & Deos quoſdā præſtare inter homines debent, eóque ſic mala amoliri & bona prouehere, vt quæ inter bona præcipua ſunt, in primis promouēda & tuenda curent, quæque mala nocentiora, præcipuo ſtudio auertāt. Quū itaq; religio non ſolùm bona alia vniuerſa excellat, ſed ſine ea nihil iā ſit humano generi bonū & ſalutare, certè conſequēs erit vt Magiſtratus primùm debeat religioni vindicandæ & cōſeruandæ curā impendere, quandoquidē nihil queat populo accidere peſtilētius quàm ſi hæc illi violetur: nihil ſalubrius quàm ſi ſarta tecta perſiſtat. Hinc in Lege Magiſtratib⁹ perſanctè præceptū fuit vt præter Conſultores, Leuitas & Sacerdotes, ipſi quoque Legē Dei ſtudioſè legerent: nimirum vt ſicut Deus ante omnia diligi debet, ita in primis operā daret vt illius cultus rectè haberet. Hinc capitalia fecit nō ſolùm adulteria, homicidia, & id genus atrociora ſcelera, ſed etiā ſiquis à cultu Dei docendo abduceret, ſiquis ſibi ipſi tātùm idola, aut aliā ſuperſtitionē ſtatueret, ſi ariolos conſuleret, ſi Deo conuitiū diceret, & huiuſmodi, quæ propriè ad curā attinent religionis. Iam Deus nō mutatur: quare in hæc eadem hodie quoque Magiſtratū animaduertere decet. Nec enim minus apud priſcos vera religio cordi fuit atque hodie, & æquè tum atq; modò opus Spiritus ſancti illa extitit. Nihilominus quū & doctrina & ceremoniæ externa ſint, & Poteſtas publica in hoc à Deo rebus humanis præfecta ſit, vt illæ optimè, id eſt ex ſententia eius habeant, ac ita ante omnia ipſius cultus vigeat: neque poſſit nocentius quicquam accidere impia doctrina, & ſuperſtitioſis ceremoniis, etiā apud nos Magiſtratus officiū erit cauere nequid in his palā peccetur: occulta Dei iudicio relinquere oportet.* Idē paulò pòſt, *Vbi impij Magiſtratus regnāt, orādus Deus eſt vt illos ad ſe conuertat, aut piis cōmutet, & tenere vnicuiq; quod à Domino acceperit, donet: cōtra quod ſi illi præcipiant, dicere cum Petro oportet, Præſtat obedire Deo quàm hominibus. Nequaquam aūt huc ire decet, quoniā multi ſunt qui poteſtate ſua abutūtur, & maximè in rebus Sacris, vt propterea curā religionis alienā à munere Magiſtratus faciamus, quā primam habere, quicūque Poteſtate fungūtur, non ſolùm Diuinæ, ſed ſimul omnium ſapientum leges ſanxerunt.* M. Bucerus.

Sed & Capito integrū libellum cōſcripſit de iure Magiſtratus in religionē, aduerſus Iuriſconſultū quendā Academiæ profectò factionis, ex quo pauca quædā excerpſi, vt optimi & doctiſſimi viri ſententiā paucis verbis cōprehēſam liceat intueri, *Tantopere,* inquit ille, *voluit Dominus vt verbū ſuū eſſet curæ Magiſtratui, vt ad ea quæ in cultū Dei verū committūtur vindicāda, primū orbis Poteſtatē legibus & oraculis armaret. Sed noſter cōſultor, vt mūdus aſſolet atque externa probitas, nihil quàm rerū harū tranquillitatē venatur. In fures quidē ac latrones animaduertit: nam lædunt publicū: contumelioſis aūt in Diuinam maieſtatē, vt & doctrina & exēplo tam à Diuino cultu quàm à vita inter homines inculpatè trāſigenda reliquos auertant: per eū fuerit impune, quia carnis otiū tales non turbāt. Ea eſt hominis ſentētia. Quid igitur hoc loci pius Princeps? Profectò populū pro virili ad verbū Dei audiendū, & ad hoc vt vita & moribus illud exprimat, adiget ſeuera authoritate, hoc eſt animaduerſione legitima. Se enim Miniſtrū Dei eſſe perpēdet, non minus ac veteres Reges. Ex quo pax conſciētiæ cū ſibi tū populo excitatur, quā Chriſtus noſter vnus donat, quæ ſuperat omnē ſenſum. Nam officij ſui partibus, comprobante Deo, vtrique ſibi tum videbuntur ſatisfeciſſe.* Hactenus Capito. Wolph. Capito.

Tandem verò vt noſtrarū quoque, id eſt Helueticarū Eccleſiarum conſenſum oſtendam, quid fideliſſimus ille Tigurinæ Eccleſię paſtor Bullingerus de tota hac cōtrouerſia ſentiat, nihil neceſſe eſt vt hoc loco pluribus cōmemorem, quum ipſe de ea re tam copioſè ac luculenter ſcripſerit Decadis ſecundæ Sermone 7, & 8: & tu, Monforti, refutationem aduerſus eum propriè inſtitueris, de qua paulo pòſt diſſeremus. Henricus Bullingerus.

Muſculus autem ille nobilis Scripturarum interpres quantopere à vobis Academi- Wolphgangus Muſculus.

cis diſſentiat, cùm aliis plurimis locis, tum verò maximè ſuis in 2 Pſalmũ commentariis apertè declarat. Sic enim ſcribit, locũ illum explicãs, SERVITE DOMINO IN TIMORE. *Notent hunc locum,* inquit, *etiã illi qui negant Regiam poteſtatẽ, ac ſecularẽ, vt vocant, Magiſtratum habere quod in cauſa religionis agat. Admonet Spiritus ſanctus Reges ac iudices terræ vt Domino ſeruiant. Intelligit aũt de ſeruitute quæ Filio Dei debetur. Reſpondeant hîc qua in re Principes Chriſto ſeruire debeant, ſi in religione nihil prorſus eſt quod per eos adminiſtrari poſsit vel debeat. Regnũ Chriſti in cordibus credentiũ eſt, & ſpiritu conſtat. verũ eſt. At quod ad internos animi motus attinet, ne illorũ quidẽ opera aliquid præſtare poteſt, qui verbũ Dei prædicãt, niſi accedat Spiritus ſancti afflatus. Quis aũt interea ſanæ mentis negabit prædicatione Verbi ſeruiri Domino? Quando igitur Principes poteſtate ſua hoc curant, vt Verbi doctrina retineatur in Eccleſia, idololatria & falſi cultus tollantur, Miniſtri Eccleſiæ cõmodè alantur, & aduerſarij reprimãtur: deinde vetãt ne nomen Dei blaſphemetur, & curant vt piè viuentes ſecurè agant, impij verò & irrequieti puniantur & cohibeantur, quũ Chriſto nõ ſeruiunt?*

Eccleſiæ Geneuenſis. Geneuenſis aũt Eccleſiæ ſententiã minimè, vt opinor, neceſſe eſt hoc loco repetere, quum eã ſatis declaret, partim iuſtiſſimũ illud ſuppliciũ de Serueto ſumptũ, partim aureus ille liber, in quo breuiter quidẽ, ſed ita artificioſè totum hoc argumentũ à Caluino illo, theologo iudicij & fidei pleno, cõprehenſum eſt, vt poſt eum libellũ perfectum aliquos inueniri potuiſſe mirer qui de hac quęſtione controuerſiã mouerent. Cedò igitur Belli, vbi tandẽ, non dico veterũ, ſed eorum ipſorum cõſenſus de quibus tu tibi tantopere places? Vbi vindiciæ illæ ſecundũ libertatem? vbi tua ἀκαταληψία in præcipuis religionis capitibus? vbi tua illa bona hæreticorum conſcientia cum ignorantia coniuncta? Sed de his, opinor, plus ſatis.

¶ Hæreticos interdum capitali etiam ſupplicio eſſe coërcendos.

Supereſt vt vltimam quæſtionis propoſitæ partẽ, id eſt hæreticos capitali etiã interdum pœna coërcendos eſſe confirmemus. Hîc aũt quia non modò cũ noſtris Academicis, ſed etiã cum piis alioquin & eruditis hominibus mihi negotiũ fore proſpicio, eſtque non minus illorũ ſingularis impudẽtia acriter (vt ego quidẽ exiſtimo) retundẽda, quàm cum iſtis placidè & amicè diſputandũ: idcirco ab his peto vt ſiquid à nobis acerbius dictum inuenerint, id ita accipiãt quaſi non in ſe, ſed in illorũ apertã improbitatẽ dictum. Cogit enim me Baſilij cuiuſdam Monfortij effrænis audacia (quicunque tandem ille ſit qui ſub hoc nomine deliteſcit) à via quodã modo deflectere. Quia quũ is refutationem ſcripſerit eorũ quæ (vt ipſe loquitur) pro perſecutione, re ipſa verò pro perditiſſimorum hominũ iuſta & legitima animaduerſione dici ſolent, cogor & ipſe ſcilicet hanc confirmationis noſtræ partẽ ita inſtituere, vt ἀντικατηγορίας complectatur. Id aũt ſine vlla eorũ offenſione factum eſſe cupio, à quibus ego me profiteor neque in pœna, neque in ferendo iudice, ſed duntaxat in pœnæ modo ita diſſentire, vt ſi meliores ex verbo Dei rationes attulerint, libenter in eorũ ſententiam ſim conceſſurus. In primis aũt ab iis peto vt hæretici definitionẽ à nobis poſitã, & ſatis cõmodè, ni fallor, confirmatã, diligenter cõſiderent: id eſt, vt meminerint neque infideles, neque hypocritas, neque eos qui propriè Schiſmatici vocãtur, neque itẽ eos qui ſimpliciter errant, à nobis hæreticos vocari, ſed eos demùm qui quũ pietatis ſummũ ſtudiũ prætexant, tamẽ ſanis Eccleſiæ ſermonibus ritè admoniti non modò non acquieſcũt, verùm etiã falſa propoſita vel arrepta doctrina Eccleſiæ pacẽ & conſenſionem lacerant. Deinde rogo & obteſtor (vt quod ſæpe iam diximus, & iterũ hîc à nobis repetetur) ſibi perſuadeant neque Principes hac noſtra doctrina ad crudelitatẽ exercendam incitari, neque Ciuilem poteſtatẽ à nobis cum Eccleſiaſtica functione confundi. Poſtremò meminerint ipſas etiã hæreſes ſic à nobis diſtingui, vt perſonarũ & errorum magnũ eſſe diſcrimen fateamur. Et hæc quidẽ vel ob eam cauſam præfari viſum eſt, vt quanta ſit iſtius Monfortij impudẽtia omnes cognoſcant. Is enim quum vnũ ſibi ex omnibus oppugnandũ delegiſſet Henricum Bullingerum Eccleſiæ Tigurinæ paſtorem, ſpectatæ probitatis hominẽ, & ab omni ſuſpicione crudelitatis tam alienum vt nihil ſuprà, non veritus eſt tamen ab iniquiſſimis & apertiſſimis calumniis refutationẽ illam ſuam auſpicari. Quũ enim Bullingerus ſecũdæ Decadis Sermone octauo, cauſam hãc de qua diſputamus, his verbis exorſus eſſet, *Cõtrouerſum eſt adhuc hodie an liceat Magiſtratui ſuæ poteſtati ſubditos punire religionis vel contẽptæ vel cõtumeliis affectæ gratia*: ſic cõtrà Monfortius, *Sunt quidã,* inquit, *qui volũt omnes hæreticos, hoc eſt ab ipſis diſſentiẽtes interfici, cuiuſcũq; ſint generis aut nationis, ſi modò fieri poſsit. Alij putant non inuadẽdos alienos, quẽadmodum Iſraëlitis non erat mandatum vt peregrinas gentes inuaderent, ſed in ſui corporis homines animaduerterent. Talis eſt lupi cautio qui leonem non inuadit; tutius eſt ouem.* Hæc Monfortius.

Dicat

Dicat verò,ſi poteſt,in quem tandem iſta conueniunt? an in eum cuius paulò pòſt argumenta ſigillatim refutauit? At is diſertè de Magiſtratus in ſubditos ſuos imperio quærere ſe teſtatur: & hæreticos vocat,non eos qui aliter ſentiant quàm ipſe faciat,ſed eos qui religionē contemnant, vel cōtumeliis afficiant. An igitur in aliū quempiā ex Saxonicis aut Helueticis Eccleſiis? Ergo,ſi poteſt, vel vnū nominet qui aut omnes hæreticos cenſuerit interficiendos,aut ita ſibi placuerit vt aliós omnes diuerſum ſentiētes pro hæreticis habuerit. Quòd ſi nullū eiuſmodi poteſt nominare,quo loco habēdus eſt,qui,repugnante conſciētia, innocētiſſimos homines calūniatur? An verò in Papiſtas hæc ſcripta eſſe cauſabitur,quos tamē ita reformidat vt eos in toto ſuo libello nō auſus ſit appellare? Atqui Papiſtarū non ſunt ea argumēta quæ poſtea refellit,ſed ex Bullingero ad verbum deſcripta. Deinde ne hoc quidem dicerent Papiſtæ: neque enim adeò deſipiunt vt infideles externo Principi ſubiectos, niſi fortaſſis bellū vigeat, ab hæreticis non diſtinguāt. Quid igitur? nempe hæc in illos ſcripta ſunt, quorū ſedulitate & diligētia quum videret mala ſua conſilia impediri,illico furoris plenus quicquid illi in buccā venit, in eos euomuit,vt animo ſuo morē gereret. Quod aūt ad alienos attinet,cui tandē perſuaderi poſſe credidit nos ab iis ita abſtinere vt lupos à leone, quòd tutius ſit ouē inuadere? Quaſi verò Anabaptiſtas aut Seruetū (iſtos enim ſolos nobis poteſt obiicere) inter oues numerare oporteat, ac non potius inter ſæuos illos & immanes lupos qui gregi non parcunt: aut in nos vlla poſſit iſtius metus ſuſpicio cadere,qui verbo & ſcriptis quotidie Papiſtas laceſſere non deſinamus,atq; adeò pro Chriſti religione ab iis ipſis interfici nihil vereamur. Sed audiamus etiā quo conſilio ad hanc ſcribendā refutationē acceſſerit. *Refutaui,* inquit,*vt potui,in hoc ſcripto,argumēta eorū bono & religioſo ſtudio: vt ſi fieri poteſt,aperiāt oculos: vt ſi fortè inſciētes errant,errare deſināt. Præſtat enim ſerò reſipiſcere quā nunquā. Deinde vt alij eorū auctoritate nō decipiātur.* Scilicet Mōfortius bono & religioſo ſtudio hanc refutationē aggreſſus eſt. Cur igitur à manifeſtis calūniis illā eſt auſpicatus? cur nomen ſuū ſubticuit? cur non potius amicè & Chriſtianè cum iis colloquut⁹ eſt quorū ſingularē pietatē,eruditionem, modeſtiā re ipſa iāpridem eſt expertus? *Equidē,* inquit ille,*libenter eos ipſe admiſſem, & cū eis amicè & Chriſtianè contuliſſem: ſed quoniā ipſi ferro,flammis,aquis diſputāt,nos nullo ferro armati (ferro enim nobis in hoc bello Chriſtus interdixit) verbo eminus,vt Ierobaalis filius Iotham,rem geremus.* Vbi verò huius inhumanitatis,vbi huius crudelitatis vlla veſtigia deprehēdit quicum aut ferro,aut flāmis,aut aquis eſt diſputatū? Cum Anabaptiſtis dicet,& cū Serueto. Atqui mundus vniuerſus mendaciū iſtud redarguit. Hunc verò nimirū aut Anabaptiſtam aut Seruetiſtā eſſe oportet, qui nō nos quidē,ſed Principes noſtros ita miſerè reformidet vt ne verū quidem ſuū nomen edere ſit auſus. Nam alioquin quā tandē iuſti metus occaſionē habere potuit? Sed vt iſtarū etiā hæreſeωn ſibi ſit conſcius, ſi veritatis ſtudio ducitur,quod ei periculū à noſtrarū Eccleſiarū Miniſtris imminebat? Num illi cū quopiā aliis armis quàm verbo Dei ſolēt contendere? ecquē verò ad Magiſtratus detulerūt quòd amicè & Chriſtianè cū eis contuliſſet, etiā ſi in peſtilentiſſimo aliquo errore verſaretur? ecquādo Principes ad vllā crudelitatē ſunt hortati? ecquādo in iudicū ſubſellia cōſcenderūt vt Anabaptiſtā quēpiā aut Seruetū dānarent? Vana igitur,futilia,falſa iſta ſunt,& partim ad ambitionē tegēdā,partī ad ineſcādos ſimplices,cōparata. Sed ad rē veniam⁹.

Primum argumentum: A criminis hæreſeos grauitate.

Tres igitur argumentorū claſſes faciemus. Ac primo quidē loco ab eius criminis,de quo à nobis quæritur, qualitate ac natura ratiocinabimur. Conſtat enim,ni fallor,apud omnes,quum de ſupplicij modo quæritur,eā demū pœnā æquā videri quę criminis magnitudini, quoad eius fieri poteſt,reſpondeat. Nam alioquin etiam fateor,quum exempli cauſa crimina puniantur,debent iudices magnam humanitatis rationem habere,& quid Reipublicæ interſit, diligēter conſiderare. Inde factum eſt vt vnum idémque ſcelus alibi lenius,alibi acerbius, atque adeò in eadem regione, modò mitiore, modò ſeueriore pœna coërceatur. Sed quædā ſcelera ſunt eiuſmodi,vt quanuis non eodem ſupplicii genere puniātur apud omnes,tamē iure quodā communi,apud omnes quidē gentes non prorſus efferatas,pro capitalibus habeantur: cuiuſmodi ſunt parricidia,homicidia voluntaria,ſacrilegia,blaſphemia,impietas,ſiue publicè receptę religionis violatio,& ſi quæ præterea ſunt eius generis. Ac de parricidiis quidē, & aliis homicidiis volūtariis,& ſacrilegiis ſatis cōſtare puto. De blaſphemia verò & impietate miror à nōnullis dubitari. nemo enim inficiari poteſt criminis magnitudinē ex eius qualitate æſtimādā qui offenſus dicatur. Quāobrē etiā parricidiū à ſimplici homicidio diſtinguitur. Quod ſi verū eſt,

illud quoq; conſequitur, ni fallor, blaſphemiã & impietatem, quibus Dei maieſtas proprię læditur, tanto maiora eſſe ſcelera, quanto Dei gloria dignitati hominum antecellit. Quia tamen ea eſt humanæ gẽtis cæcitas vt præcipua in re, id eſt, in cultu Dei, præcipuè cæcutiat, idcirco non in omnes blaſphemos & impios pœna eſt apud homines conſtituta, ſed in eos demũ qui ſcientes ac prudẽtes peccarint. Deinde verò quia de animo iudicare difficillimũ eſt, conſtituẽda fuit perpetua quædã regula, ex qua intelligi poſſet quis ſciẽs ac prudẽs peccaſſe videretur. Ea igitur iure quodã Gentiũ eſt eiuſmodi, vt quia veriſimile eſt omnes eã religionẽ tenere in qua ſunt nati & educati, idcirco qui fecerit aut dixerit quippiam per quod illa cõuellatur, id videatur ſciens ac prudens admiſiſſe. Itaq;
Laërtius in Socrate. quũ Socratẽ Melitus accuſaret ἀσεβείας, his verbis actionẽ concepit, ἀδικεῖ Σωκράτης, οὓς ἡ πόλις νομίζει θεοὺς οὐ νομίζων, ἕτερα δὲ δαιμόνια καινὰ εἰσηγούμενος. Sed quia in conſtituenda religione infinitis modis neceſſe eſt homines hallucinari, idcirco quod ad externas & profanas gentes attinet, hæc regula profectò iniquiſſima fuit. Verùm in Chriſtianis Eccleſiis in quibus verbi Dei lampas accẽſa tenebras omnes diſcutit, nihil hac vna norma & regula rectius fieri poteſt. Chriſtianas aũt Eccleſias voco, in quibus certæ illæ & peculiares notæ apparẽt, nimirum clara vox Dei perſonans, nullis humanis traditionibus obſcurata: & pura ac legitima Sacramentorum adminiſtratio, quibus doctrina ipſa in animis piorum obſignatur. In his igitur Eccleſiis in quibus Paſtoris vocem oues audiunt æquiſſimum eſt hanc regulam valere, vt quiſquis in iis ἑτεροδιδασκαλεῖ, præſertim poſt repetitam Eccleſiæ admonitionem, ſciens ac prudens in religionem peccate videatur. Nam alioquin ſi quis prorſus extra Eccleſiã fuerit, extraneus videlicet & infidelis, quãuis coram Deo ipſius blaſphemia & impietas non excuſetur, tamen Deo relinquendus eſt, qui eos qui foris ſunt iudicabit, aut ſuo tempore donabit Spiritus ſui luce. Quid ſi verò ex Eccleſiæ grege quiſpiam in errore verſetur? nempe quum hic humano morbo laboret, mitioribus etiam remediis curandus eſt, vt conualeſcat. Itaque præter priuatas fidelium admonitiones, & mutua de pietate colloquia, etiam Eccleſiæ iudicia in eos cõſtituta ſunt qui paulò acrioribus remediis egent. Quòd ſi verò ad blaſphemiam & impietatem hęreſis accedat, id eſt, contumax verbi Dei & Eccleſiaſticæ diſciplinæ contẽptus, & veſanus quidam furor ad alios quoque corrumpendos inuaſerit, quod tandem inter homines maius aut ſceleratius crimen poſſit exiſtere? adeò quidem vt ſi pro criminis magnitudine pœnę modus conſtituendus fuerit, nullum par ſupplicium huic ſceleri inueniri poſſe videatur. Deinde verò ſi hominum incommodum in huius criminis ratione ineunda conſideres, hoc etiã affirmare poſſe videor, nullum hominum genus magis exitiale & peſtiferum poſſe reperiri. Nam qui alium hominem interficit, qui violat alterius vxorem, qui fortunas alicuius intercipit, qui denique aliquod eiuſmodi facinus admittit, Rempub. ita lædit, vt tamen aliqua damni æſtimatio iniri poſsit: qui verò in aliquo cœtu ad verum cultum Dei corrumpendum aditum patefacit, ille profectò incendium accendit quod infinitorum fortaſsis hominum ſempiterno exitio vix tandem reſtinguetur. Nam verę religionis deprauationem omnino neceſſe eſt vt ira numinis grauiſsima conſequatur. Quamobrem ſiue gloriam Dei vindicandam, ſiue ſocietatem humanam conſeruandam ſuſcepit Magiſtratus, in nullos vſquam homines ſeuerius quàm in hæreticos blaſphemos & impios debet animaduertere. Erat igitur Athenis iudicium
Pollux libr. 8 ἀσεβείας ipſi etiam accuſatori capitale niſi reum peregiſſet: & huius iudicij exemplum in tres ſummos Philoſophos editum eſſe legimus, Socratem, de quo paulò antè diximus:
Laërt. libr. 2 βίων τῶν φιλοσόφων. Theodorum, qui ἄθεος fuit cognominatus, ſicut ex Amphictatis auctoritate Diogenes teſtatur: & Protagoram Abderitẽ, qui, vt refert Cicero, quũ in principio cuiuſdam libri
De Natura deorũ libr. ſic poſuiſſet, De diis neque vt ſint, neque vt non ſint habeo dicere: Athenienſium iuſſu vrbe atq; agro eſt exterminat⁹, libriq; eius in cõcione cõbuſti: pœna tãti criminis nimirũ oſtentata potius quàm perſoluta. Itaq; vt dicã quod res eſt, mirari ſubit, quod ſit eorũ iudiciũ qui in Repub. Chriſtiana leuiorẽ eſſe pœnã volũt veræ cõſtupratæ religionis, & Eccleſiaſticę diſciplinę cõculcatæ, quã olim inter pfanas gẽtes violatę ſuperſtitionis fuerit. Iudicémne verò quẽpiam adeò ignauũ, adeò ſui officij oblitũ eſſe poſſe, vt quũ homicidas, fures, falſarios, læſæ Principũ maieſtatis reos capitali ſupplicio puniat, in iis cõſeruandis clementię laudem captet, quos re ipſa cognouerit verbo Dei corrupto, Eccleſiæ auctoritate ſpreta, Principum edictis per ſimulationem ſimplicitatis & modeſtiæ pertinaciter neglectis, à Deo re ipſa defeciſſe, & reliquos ad idem audẽdum ſollicitare? Ridicula eſt aũt Monfortij exceptio qui hac eadẽ ratione puniendos eſſe exiſtimat infideles,

quum

quum ſit infidelitatis vitium maximum: item eos qui fratrem oderũt, quum ſint homicidæ: & qui alterius vxorem cõcupiuerint, quum ſint adulteri. Neque enim, vt antè diximus, hæreſis inter ea vitia numerãda eſt quæ quum intus lateant, Dei iudicio ſunt relinquenda: ſed inter ea potius crimina quibus externa tum in rebus ciuilibus propter iram Dei, tum in religione, concordia & tranquillitas violatur. A Magiſtratu verò non vitia, ſed crimina puniri ſolere ſatis cõmodè, ni fallor, eſt à nobis ſuo loco cõprobatum.

Secundum argumentum: Ab auctoritate verbi Dei.

Sed qua pœna ſit hoc ſcelus vindicandum quorſum attinet, obſecro, humanis coniecturis probare, quum plana & aperta Dei teſtimonia in verbo ipſius legantur? Sic enim ait, *Qui ſacrificat aliis diis præterquàm Deo ſoli, moriatur.* Alibi verò legem ſcribit qua nihil Exod.22. c.20
acrius, nihil ſeuerius in toto Dei fœdere legitur. *Si ſurrexit*, inquit, *in medio tui Propheta,* Deut.13
aut qui ſomnium vidiſſe ſe dicat, & prædixerit ſignum ac portentum, & euenerit quod locutus eſt, & dixerit tibi, Eamus poſt deos alios (quos non noſti) & ſeruiamus eis: propheta talis aut ſomniorũ ſomniator interfici debet, eò quòd defectionem locutus ſit à Domino Deo veſtro, vtque te depelleret à via quam tibi præſcripſit Dominus vt in ea ambulares: & ideò exterminabis malum à medio tui. Si te clãculum ſollicitauerit frater tuus, filius matris tuæ, aut filius tuus, aut filia tua, aut vxor gremij tui, aut proximus quem vt propriam vitam amas, dicendo, Eamus & ſeruiamus dijs alienis, quos nec tu noſti, nec patres tui: ne acquieſcas ei, neque audies eum, nec parcat ei oculus tuus, neque indulgeas, neque abſcondas eum: ſed omnino occidas eum, & manus tua prima ſit in eo vt occidatur talis, deinde manus totius populi. Obrue eum lapidibus donec moriatur: hoc enim molitus eſt vt depelleret te à Domino Deo tuo, qui te eduxit de terra Ægypti, de domo ſeruitutis. Hoc omnes Iſraelitæ audiant & timeant, ne vltrà deſignent rem nefandã in medio tui. Si in aliqua vrbium tuarum, quas Dominus Deus tuus dat tibi vt in eis habites, audieris hanc famam, Egreſſi ſunt viri filij Belial è medio tui, & ſollicitarunt ciues vrbis ſuæ hiſce verbis, Eamus & ſeruiamus diis aliis quos non noſtis: Inquiras, inueſtiges, & interroges diligenter: & ſi verum eſt & certum verbum illud, quòd iſtiuſmodi abominatio facta ſit in medio tui, Omnino feries inhabitatores ciuitatis illius gladio, & vaſtabis eam gladio, & quicquid in ea eſt, etiam iumenta eius. Vniuerſa autem ſpolia eius comportabis in medium fori eius, & ſuccendes vrbem igne, & in vniuerſum omnia ſpolia eius Domino Deo tuo, vt ſit perpetuò aceruus, nec reædificetur amplius. Nec hærebit quicquam in manu tua de illo anathemate, vt reuertatur Dominus à furore iræ ſuæ, & intimo affectu erga te commoueatur, miſereatúrque tui, & multiplicet te, quemadmodum iurauit patribus tuis. Et rurſum in eodẽ lib. *Quando*, inquit, *inuentus* Deut.17.
fuerit in medio tui, intra vnam portarum tuarum quas Dominus Deus tuus dat tibi, vir ſiue mulier qui fecerit quod malum eſt in oculis Domini Dei tui, vt tranſgrediatur fœdus eius, ierítque & coluerit deos alios, & adorauerit eos, veluti Solem & Lunam, aut quemcunque exercitum cælorum, de quo non præcepi: illúdque indicatur tibi, & tu audieris, diligenter inquire: & en ſi verũ & certum eſt factã eſſe iſtam abominationem in Iſrael, Educes virũ eiuſmodi aut mulierem talẽ, qui perpetrarunt rẽ iſtã malam ad portas tuas: educes, inquam, virũ aut mulierem, & obrues eos lapidibus, & moriantur. In blaſphemum aũt hæc lex eſt perſcripta: *Quicunque maledixerit Deo ſuo, feret peccatũ ſuum, & qui blaſphemarit nomen Do-* Leu.24.c.15
mini, morte mulctetur: omnino lapidibus obruet eũ vniuerſus cœtus, ſiue indigena fuerit, ſiue incola, quũ blaſphemauerit nomẽ Domini, interficiatur. Sed & in eum qui Sabbatũ violaſſet, ex hac lege animaduertebatur. Profanans Sabbatũ morte mulctetur: quicunque opus fecerit in eo, excindetur anima illa è populo ſuo. Exod.31.c.14 Num.15.c.30

Quum igitur leges iſtæ à Deo Optimo Maximo ſint poſitæ, neceſſe eſt vt vel inuitus Monfortius fateatur nullas de his rebus æquiores aut meliores conſtitui poſſe. Sed tamen operæpretiũ eſt cognoſcere quomodo tandem ex iſtis legibus ratiocinemur: quod vt commodius poſſit explicari, rem omnem paulò altius repetemus, quando hæc nobis neceſſitas imponitur. Agnoſcimus enim politicas eſſe iſtas leges, & vni tantùm Iudæorum genti perſcriptas. Neque ſumus tam imperiti vt politiam Moſaicam velimus reuocare, quaſi peculiares de negotiis ciuilibus leges ſancire cuique Magiſtratui in ſua ditione non liceat. Sed quum Legis per Moſen datæ tres ſint partes, vna quam Moralem ſi- De Legis abrogatione.
ue Decalogum: altera quam Ceremonialem: tertia quam Iudicialem vocant, ſingulæ iſtæ partes peculiari conſideratione indigent. Nam Decalogi, ſiue legis quam Moralẽ De Decalogo.
vocãt, quia eſt Naturalis legis accurata deſcriptio, & conſciẽtiæ teſtimoniũ cum perpetua illa Dei voluntate conſentiens, agnoſcere nos oportet tantam eſſe auctoritatem, vt certa eſſe debeat omnibus gentibus & cunctis ætatibus iuſtitiæ & iniuſtitiæ regula, neque prius interire poſſit quàm natura ipſa extinguatur. De Ceremoniis verò aliter iu- De Ceremoniis.
dicandum eſt. Fuerunt enim illę vni tantùm genti ad certos vſus & certũ tempus accõmodatæ. Suo igitur tẽpore Ceremoniarum vmbræ, Chriſti tanquã Solis exortu depulſę ſunt. Manſit tamen Dei cultus à Decalogo perſcriptus, ſpiritualis nimirũ, qualẽ ſemper

Deus requlſiuit: adeò vt quo etiam tempore Ceremoniæ vigebant, ſæpe ſit teſtatus per Prophetas ſeſe illas abominari, propterea quòd ad externum illum cultum populus ea non afferebat quæ præcipuè Deus requirebat, & quæ per Ceremonias ipſas adumbrabantur, id eſt, cor contritum, fidem, ſpem, charitatem, in quibus verus Dei cultus conſiſtit. Sed rurſus de Iudiciali, de qua nunc quæritur à nobis, aliter quàm de Decalogo aut Ceremoniis conſtituendum eſt. Eius enim diſcriminis ignoratio vel diſſimulatio iſtis occaſionem præbuit non aliter Iudicialem legem quàm Ceremonialem repudiandi: in quo grauiſſimè peccari nos, vt ſpero, facilè oſtendemus. Hoc igitur dico, Iudicialem legem à Decalogo differre, quòd Decalogus omnem iuſtitiam & æquitatem in omni officiorum genere paucis comprehendit: Iudicialis autem lex eam duntaxat iuſtitiæ & æquitatis partem ſigillatim explicat, quæ in iis rebus verſatur de quibus iudicia conſtituta ſunt. Præterea Decalogus quum ſit legis Naturalis abſolutiſſima deſcriptio, & disertè in Euangelio confirmetur, omnes ſine exceptione in perpetuum obligat: Leges autē iudiciales ad vnius Reipublicæ rationem fuerunt accommodatæ, ideóque, quum nobis nunquam ſcriptæ fuerint, ne abrogatæ quidem dici poſſunt. Decalogus denique conſcientiæ leges imponit: Iudiciales autem leges, quanuis Magiſtratui non modò propter iram, ſed etiam propter conſcientiam parendum ſit, tamen conſcientiam non ſimpliciter ſed κατά τι, reſpiciunt. Rurſum Iudicialis à Ceremoniali differt, primùm in eo quòd iſta externum religionis cultum tradit, illa partim quidem in Diuini cultus externa cōſeruatione, ſicut oſtendunt leges paulò antè à nobis deſcriptæ, partim verò in ciuilibus huius vitę negotiis verſatur. Deinde (quod vereor ne à nonnullis non ſatis ſit expēſum) Ceremoniæ non propriè vnius gentis, (potuerunt enim aliæ quoque gentes ac etiam debuerant ſeſe Iſraëlitis aggregare) ſed vnius temporis fuerunt: Iudiciales autem contrà vnius gentis fuerunt, ſed non vnius temporis, maxima quidem ex parte. Idque ſic facilè, ni fallor, cognoſci poteſt. Quiſquis erat veram religionem amplexus, etiam ſi Iudæus non eſſet, neque in Iudæa habitaret, tamen ad Moſis Ceremonias obligabatur, veluti ad Circuncisionem, ad Sabbata obſeruanda, ad ciborum delectum & cætera eiuſmodi, quandiu quidem Eccleſia ſub Legis pędagogia fuit. Hoc autem elapſo tempore, & Iudæi & cæteri populi ex quibus conſtat Eccleſia, ab illarū Ceremoniarum iugo abſoluti ſunt per Chriſtum, adeò vt (contrà quàm Papiſtæ opinantur) neque illas reuocare, neque alias in earum locum ſubſtituere hominibus liceat. Nam ſi quæ Ceremoniæ ordinis cauſa conſtituuntur ex Eccleſię conſenſu, ab illis quæ conſcientiā obligabant, & in quibus ad tempus cultus Dei conſiſtebat, diſtinguendæ ſunt. Contrà verò Iudicialibus legibus ſoli Iſraëlitæ tenebantur, id eſt, qui in Iudæa habitabant: quia huic vni Reipublicæ erant accommodatæ. Quòd ſi adhuc hodie conſiſteret illa Reſpublica exceptis quibuſdam quæ ad Cetemoniarum violatarum vindicationem pertinebant, (quas nūc abolitas eſſe diximus) iiſdem adhuc legibus vteretur, quum alioquin Euangelium nihil in ipſis immutarit, aut de ipſis detraxerit. Quid igitur? dicet aliquis, quum hîc agamus de pœnæ modo quo ſunt hæretici à ciuili Magiſtratu puniēdi, quorſum nobis Politicas leges Moſis proponis? Ego verò reſpondeo, quanuis politiæ Moſaicæ formulis non teneamur, tamen quum Iudiciales iſtæ leges iudiciorum æquitatem præſcribāt, quæ pars eſt Decalogi, nos, vt illis non obligemur quatenus à Moſe vni populo perſcriptę ſunt, eatenus tamen ad eas obſeruandas teneri, quatenus generalem illam æquitatem complectuntur, quæ vbique valere debet. Videntur enim hac ratione non à Moſe vni Iſraëlitarum populo, ſed à Natura vniuerſæ hominum nationi poſitæ. quod vt facilius intelligi poſſit, exemplum afferemus. Iubet Dominus depoſitum reddi, & furem puniri. Hæc vtraque lex politica eſt, & hactenus ſolos Iſraëlitas obligat. Quia tamen naturalem æquitatem ſequitur, & perpetuum illud Decalogi præceptum, NE FVRATOR, explicat: hactenus omnes ad vtramque illam præſtandam tenentur. Fur interdum ad furti reſtitutionem, interdum in duplum, nonnūquam in quadruplum aut etiam in quintuplum damnatur, aut deditur noxæ. Hæc pœna merè eſt politica, & vnam Iſraëlitarum gentem obligat, cui nimirum vni eſt accommodata. Licet igitur Magiſtratui in ſua ditione ob certas & bonas cauſas aſperiorem pœnam in fures ſancire. Lex enim illa Moſis quatenus pœnæ modum præſcribit, aliis gentibus neque vnquam fuit poſita, neque nunc eſt propriè abrogata. Sciendum eſt verò, quanuis iſtæ Legum particulares formulæ nunquam ad nos pertinuerint, tamen quum earum auctor ſit Deus ipſe iuſtiſsimus & æquiſsimus Legiſlator, rectiſsimè facere Magiſtratus, qui, quoties peculiaris aliqua circun-

Iudicialis lex quatenus à Decalogo differat.

Rom. 13.5

Iudicialis & Ceremonialis legis diſcrimen.

Iudicialis lex quatenus nō ſit abrogata.

circunſtantia vel temporis, vel loci, vel perſonarum non impedierit, ad Moſaicarum legum perfectiſsimum exemplar in condendis ſuis legibus reſpiciunt. Ita enim fit vt Moſis iugum nobis non imponatur, & tamen iudicia ſumma cum moderatione exerceantur. Et ſanè ſiquis Græcorum nonnullas, Romanorum autem pleraſque politicas leges cum Moſaicis compararit, tantam inter eas etiam in pœnis conſtituendis ſimilitudinē inueniet, vt omnes ſatis appareat ad eundem naturalis æquitatis ſcopum fuiſſe accommodatas. Itaque, vt tandem hæc omnia ad inſtitutum noſtrum referamus, quòd iſtas Politicas Moſis leges, in verę religionis contemptores perſcriptas, Chriſtianis Principibus proponimus, hoc non facimus vt Chriſtianis Politia Moſis obtrudatur, ſed vt eius æquitatem in conſtituendis de eadem religione iudiciis, quoad eius fieri poteſt, tanquā optimum exemplar ſequantur. Sunt ergo in his legibus peculiaria quædam quæ ad nos non pertinent. Primùm, quòd à Moſe non à noſtro Magiſtratu, Iſraëlitis non nobis perſcriptæ ſint. Deinde quòd diſertè de corporeis ſacrificiis, de Sabbato, & aliis ceremoniis agunt, quas Chriſtus adueniens ſuſtulit. Tertiò, quòd in Prophetas & ſomniorum coniectores latæ ſint, quæ dona in Eccleſia Dei nunc non extant. Denique in ipſo pœnæ genere conſtituendo peculiaris aliqua huius gentis ratio habita videtur. Sed particularibus iſtis ſublatis, duo ex iſtis legibus colligo, quæ certè non puto idoneis rationibus refelli poſſe. Primùm enim quum defectio à religione quæ verbo Dei eſt conſtituta, & ſollicitatio ad defectionem quam Paulus *ἑτεροδιδασκαλίαν* vocat, his legibus à Deo per ciuilem Magiſtratum puniantur, nunc quoque eadem ſcelera ab eodem Magiſtratu in ſua ditione ex hac Lege punienda eſſe confirmo. Hactenus enim Lex iſta Decalogum reſpicit, & perpetua illa ac vniuerſali naturæ æquitate nititur. Itaque quicunque crudeles eos vocant qui hæc iudicia exercent, quicunque Magiſtratum tanquam profanum ab his iudiciis remouent, quicunque tam confidenter aſſerūt nullum hominum genus Reipublicæ minus eſſe metuendum quàm hæreticos: illos ego dicere audeo in Deum & in ſuæ conſcientiæ teſtimonium peccare, niſi fortaſsis aut prorſus ſtupent, aut ex eorum ſnnt numero quibus conſcientia quodam quaſi cauterio reſecta eſt. Deinde quum nulla idonea ratio afferri poſsit cur Dei maieſtas & Eccleſiæ auctoritas minoris apud nos ponderis eſſe debeat quàm olim apud Iudæos fuerit: imò verò Chriſtiani, ſi veram religionem aſpernentur, aut minore ſtudio tueantur quàm olim Iudęi, eo minus excuſari poſsint, quo clarius ſeſe Dominns per Filium ſuum quàm per Prophetas patefecit: hoc ego affirmare non dubito, eos demùm Principes officium facere, qui ſi non in ipſo pœnæ genere, at certè in ipſo pœnæ modo conſtituendo illas Dei leges ſibi ad imitandum proponūt, cuius videlicet exemplo & ipſi capitalem aliquam pœnam pro blaſphemiæ & criminis atrocitate in factioſos apoſtatas ſanciant. Tanti enim eſſe debet apud omnes ſempiternis ſeculorum ætatibus Dei maieſtas, vt quiſquis eam habet ludibrio, ille quia ipſum vitæ auctorem habet ludibrio, digniſsimus ſit cui vita per vim eripiatur. Hæc ego dico, hæc ego vociferor veritate Dei & conſcientiæ teſtimonio fretus. Iſti contrà, ſi libet, ad rauim vſque clamitent nos ſæuos, crudeles, immanes, ſanguinarios eſſe. Vincet tamen veritas, & eos demùm iſtis cognomentis dignos eſſe oſtendet qui præpoſtero vel ſimulato clementiæ ſtudio ouium potius vita patiuntur lupos ſaginari, quàm in vindicanda Dei maieſtate officium faciant. Et hæc quidem fortaſsis ſufficere poterant. Ne quid tamen à me videatur prætermiſſum, reliqua ſigillatim conſtitui refutare. Sic igitur primùm omniū Monfortius reſpondet, *Si corporalem*, inquit, *immolationem intelligunt in Exodi lege deſignatam, oportet vt fateantur nullum ex hac Lege puniendum: nemo enim alieno Deo ſacrificat corporaliter, ne Turca quidem: non Ioui, non Mercurio, non Soli aut Lunæ, ſed Deo Moſis. Sin autem de Spirituali, (quemadmodum loquitur Paulus de hoſtia rationali,) primi ſunt occidendi qui Deo ſuo Maozim, id eſt, violentiæ & crudelitati ſacrificāt: & auari, & guloſi, quorum vera eſt idololatria Noui teſtamenti, cuius nihil niſi vmbra & figura fuit illa quæ ſcribitur in vetere: ex quo conſequitur etiam pœnam illam veteris fuiſſe figuram non temporalis ſed æternæ.* Hæc ille, penè totidem verbis. Ego verò etſi iampridem videor his omnibus calumniis anſam omnem præcidiſſe, quum oſtenderem qnanta cum impietate verum illum Deum Moſis cum Turcarum & Iudæorum idolis iſti confundant, tamen iterum paucis reſpōdebo vt hoc magis ac magis patefaciam. Certè nemo noſtrûm tam eſt imperitus vt vetera illa ſacrificia in vſum reuocet. Sed in eo ſe prodit manifeſtus Monfortij ſtnpor, quòd in verbo ipſo Sacrificandi hærens, non conſiderat conſtituēdæ huius legis rationem latius patere quàm vt ad hanc vnam ſpeciem reſtringi poſsit aut debeat. Comprehendit enim potius pu-

Refutatio argumentorum Monfortii aduerſus Legem in Exodo ſcriptam.

blicum cultus Dei cõtemptum, qui quidem cultus vniuerſus Sacrificij vocabulo *συνεκ-δοχικῶς* intelligitur: ſicut Helias quum ſignificaret totum Dei fœdus ab Iſraële viola-
1.Reg.19. b.10 tum, *Euerterunt*, inquit, *aras tuas, & Prophetas tuos occiderunt*: & Eſaias quum prædiceret
Eſa.19.c.18 fore vt Ægyptus veram religionem amplecteretur, *Iurabit Ægyptus*, inquit, *per nomen Dei viuentis*. Neque hîc valet Iuriſconſultorum regula, quæ docet in rebus odioſis, quas vocant, leges non eſſe ampliandas. Nullus enim eſt coniecturæ locus vbi ius expreſſum habemus. Debuerant autem iſti hanc legem cum capite Deuteronomij 13, comparare, vt eius velut commentarium haberent. Ex hoc enim loco cognouiſſent capitali ſupplicio in eos animaduerti qui quũ ipſi à Domino defecerint, alios ad defectionem ſollicitant. Sunt autem huius defectionis varia teſtimonia publica, quorum etſi præcipua tãtùm, & quæ *ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον* accidunt, in legibus commemorantur, ipſa tamen legis ratio vniuerſali formula concepta eſt: itaque in genere valere debet aduerſus eos qui à vera religione deficiunt, & alios ad defectionem ſollicitant, quos generali vocabulo nunc vocamus Hæreticos, non pſeudoprophetas, aut ſomniorum coniectores, aut alienis diis ſacrificantes: propterea quòd externæ illæ ceremoniæ, & dona illa Prophetiæ ceſſarunt. Verùm vt hæc ceſſarint, neque tamẽ defectio, neque eius pœna deſiit. Quàm autem ſit abſurdum quod colligunt, nimirum ſi Spiritualis hîc idololatria ſignificetur, crudeles etiam & auaros & guloſos à ciuili Magiſtratu puniẽdos, alibi eſt à nobis ita, vt ſpero, probatum, vt longiore refutatione non indigeat. Supereſt mirifica illa allegoria idololatriæ veteris, & pœnæ in eam conſtitutæ, de qua paulo copioſius mihi putaui eſſe diſſerẽdum. Ergo, ſi iſtis creditur, idololatria Veteris teſtamenti, id eſt, corporalis immolatio, fuit idololatriæ Noui teſtamenti, id eſt, ſpiritualis immolationis figura. Itaq; pœna illius, hoc eſt, lapidatio, non fuit figura pœnæ alicuius temporalis quam nunc debeamus vſurpare: ſed ſpiritualis, id eſt, æternæ, cui videlicet debemus hæreticos relinquere, vel eius quæ gladio non corporali, ſed ſpirituali, & ancipiti, id eſt, viuo Dei verbo infligitur. Id autem commentum plurimis locis à Monfortio repetitur, nominatim verò vbi hac exceptione vtitur aduerſus Legem in eos ſcriptam qui Sabbatum violarint: vbi ſic ſcribit, *Eſt*, inquit, *facta tranſlatio peccati corporalis ad ſpirituale: ex quo cõſequitur debere quoque pœnam ſpiritualem eſſe, non corporalem*. Item quo loco reſpondet argumento à Leuitis ſumpto, per quos Moſes in idololatras capitaliter animaduertit, *Ad quod*, inquit, *ſatis iam reſponſum eſt. Corporalem vitulum corporalis pœna ſecuta eſt, ſpiritualem ſpiritualis ſequitur*. Ego verò, quidni ſpiritum illum fanaticum in iſtis agnoſcam qui per Origenem quondam tam miſerè Eccleſiam Dei vexauit? Fuit enim hæc olim Satanæ inſignis verſutia, quam tamen nemo prorſus ex veteribus, quod eorum pace dixerim, ſatis animaduertit, vt, quum non poſſet Scripturam ex Eccleſia prorſus eiicere, vanis tamen allegoriis totam redderet inutilem & mythologicam, adeò vt ne vnus quidem ſit in Scripturis apex, qui non ſit iſtis allegoriis contaminatus: quod etiamnum iter hodie Libertini & Anabaptiſtæ ingrediuntur. Sed hoc velim iſti nobis oſtendant, ex quo tandem Scripturæ loco commentum iſtud de Iudicialium legũ vmbris & figuris didicerint. Nam in Ceremoniis, atque adeò in qui-
1.Cor.10.& tota ad Hebræos Epiſt. buſdam etiam hiſtoriis ex Scripturæ authoritate hæc agnoſco. Sed de Iudicialibus legibus aut corporali idololatria quæ ſpiritualem adumbrarit, nihil vſquam legere memini. Hoc quidem fateor, ſuppliciũ quod de flagitioſo aliquo ſumitur, declarare quo ſit animo iudex in id flagitium affectus, & externam idololatriam interioris eſſe teſtimoniũ. Sed vt hæc concedam, quorſum hæc ad id de quo agimus? Deinde cur corporalem idololatriam Veteri, ſpiritualem Nouo teſtamento tribuant, ego quidem non video, quum vtraque iam olim viguerit, & nunc etiam multo magis vigeat quàm velimus. Nam vt Papiſtarum imagines, & cibarium illum Deum taceam, quot vnquam fuerunt aut futura ſunt externa vel interiora colendi Dei genera, tot eſſe dico idola ab hominibus fabricata, tótque vtriuſque idololatriæ ſpecies: Idque ſingulis ferè paginis Hieronymus in Prophetarum commentariis inculcat. Iam verò quod dicunt de corporali pœna quæ ſpiritualem adũbrarit, ſaltem *[illegible]* dici certè debuerat. Enimuerò ſi corporalis pœna ab iſtis dicitur, quæ corpori infligitur: ſpiritualem eam dici oportet, qua ſpiritus afficitur. Infligi autem ſpiritui pœna ab hominibus non ſolet, ſed ab eo qui vnus poteſt &
Mat.10.c.28 animam & corpus perdere in gehenna. Poteſtas enim illa ligandi quam Eccleſiæ conceſſit, non tam iudicium eſt, quàm eius iudicij declaratio quo ſeſe iam antea obſtrinxit quiſquis iuſto Eccleſiæ iudicio ligatur: & quum vſurpetur ad interitum carnis vt ſaluus
1.Cor.5.b.5 ſit ſpiritus in die Domini, non video quî poſſit propriè vel ſpiritualis pœna vocari, vel cor-

corporali pœnæ opponi. Sed alia eſt fortaſſis abſtruſæ iſtius allegoriæ ratio, nempe ſi ſpiritualem pœnam tunc vſurpari dicas quũ ſpirituali gladio, id eſt, prædicatione Verbi, hoſtes noſtros, id eſt, peccata iugulamus, ſicut monet Apoſtolus vt nos ipſos λογικῇ λατρείᾳ Deo noſtro conſecremus. Rom. 12. a. 1 Sed, vt concedam verbum Dei, gladium Spiritus vocari, & iubere Apoſtolum vt membra noſtra terrena mortificemus: vbi tamen legerũt corporales illas pœnas quæ corporibus ſceleratorum ſub Vetere teſtamento infligebãtur, ſacrificium illud ſpirituale quo carnem noſtram vel in nobis, vel in aliis mortificamus, adumbraſſe: & ita quidem adumbraſſe, vt, ſicut de Ceremoniis, ſic etiam de Ciuilibus legibus dicendum ſit, eas veniente luce, id eſt, Chriſti Euangelio exorto, euanuiſſe? Quaſi verò ſub Vetere teſtamẽto mortificatio illa rantùm adumbrata fuerit, ac non potius re ipſa ab omnibus fidelibus ſemper vſurpata. Quòd ſi nihilomin᷑ illi figura quapiam indigebant, cur illam iſti nobis eripiunt? Veteres enim illas leges fictitiis allegoriis ſic eludunt, vt propterea contendant aliter eſſe inter Chriſtianos quàm olim inter Iudæos hæreſin puniendam. Deinde ſi pœna illa pſeudoprophetarum temporaria tãtùm erat, cur ob eum finem perlata lex dicitur qui perpetuò valere debet? Sic enim ſcribitur in extrema lege, VT OMNES ISRAELITAE AVDIANT ET TIMEANT, ET NE DEINCEPS REM ADEO NEFANDAM DESIGNENT. Quid tu ad hæc, Monforti? Nam his adhuc exemplis egere populum Dei conſtat. Hæc igitur à Deo conſtituta tollere, ànnon ſacrilegium eſt? Ergo quocunque tandem modo fictitias iſtas allegorias vſurpent, non poſſunt non falſiſsimæ & inaniſsimæ videri, etiam ſi omniũ veterum auctoritare confirmarentur. Memini enim Auguſtinum alicubi allegoriam iſtam viſibilis & inuiſibilis gladii vno verbo attigiſſe. Sed eum quoque conſtat, (quod cum tãti viri pace dictum eſſe velim) in allegoriis perſequendis pluſculum ſeculo ſuo induſiſſe. Iterum igitur hoc affirmo, vanum & futile eſſe iſtius allegoriæ commentum.

Ephes. 6. c. 17
Coloſſ. 3. a. 5
Libr. de fide & operibus.

Sed age ad alias refutationes progrediamur, quas capiti illi 13, Deut. oppunũt. *Negant leges illas valere, quia nemo nunc ſit pſeudopropheta ex Moſis definitione, id eſt, qui futurum aliquid prædicet, & doceat deos alienos colere.* Ego verò primùm omnium reſpondeo, ſicut paulò antè feci, ex cauſa ferẽdæ legis, id eſt, ex his verbis, QVIA DEFECTIONEM LOQVVTVS EST A DOMINO DEO VESTRO: intelligendam eſſe Legiſlatoris mentem. Deinde dico verum eſſe quod negant, eos videlicet qui Sacras literas perperam interpretantur, à vero Dei cultu abducere homines, atque ita ad aliorum deorum cultum hortari. Neceſſe eſt enim vt doctrina omnis quæ de cultu Dei loquitur, ſi à Deo non eſt, à diabolo proficiſcatur. Itaque qui eam recipit, diabolum recipit: & qui recipiendam ſuadet à Deo abducit. Nam etiam Paulus ciborum & matrimonij interdictum, doctrinas dæmoniorum vocat: quo meliorem auctorem quærere non debemus. Neque ad rem pertinet illud quod afferunt de iis qui fœnum aut ſtipulam ædificant. Agitur enim illic de iis qui re duntaxat inanes, & quidem ſuper fundamentum ædificant: quod de hæreticis dici propriè non poteſt, qui Chriſtum verbo quidẽ ponunt, re tollunt: ſicut iſti faciunt, qui Chriſtum quidem Filium Dei, mundi dominũ ac iudicem prędicant, & ſuam illam albam veſtẽ præferunt, interim verò cognitionẽ Chriſti ſtat᷑ & officij, Trinitatis, Iuſtificationis, Liberi arbitrij, & cæterarum eiuſmodi rerum negãt ad religionem pertinere, & libris etiam editis poſt Eccleſiarum concordiam violatam, alios ad defectionem ſollicitant. In iſtos igitur & horum ſimiles qui vel manifeſta improbitate, vel affectata ignorantia Eccleſiæ fundamenta conuellunt, hic potius Eſaiæ locus conuenit: Erit robur illorum tanquam ſtuppa, & qui fecit tanquam ſcintilla, & comburentur ambo. Alter autem Pauli locus quem afferunt vt doceant eos qui Sacras literas perperam interpretantur, à Deo tamen neminem abducere, neque illa Deuteronomij lege cõprehendi, magis etiam eorum inſcitiam prodit. *Teſtatur Paulus*, inquiunt, *Chriſtum etiã pro eo mortuum qui veſci putat non licere. Dat enim ignorantiæ veniam Deus.* Ecquis verò noſtrûm negat, Deũ ignorantiæ veniam dare quoties libuit? Quaſi verò de perſonis hîc agamus, ac non potius de rebus ipſis. Deinde quæ hæc imperitia eſt, res medias ab iis quæ per ſe impiæ ſunt, & infirmos ab hæreticis non diſtinguere? Illic certè Paulum de rebus mediis, & de iis qui ſi de infirmi ſunt, differere, tota diſputationis ſeries oſtendit. Nam alioquin quum de iis quæritur quæ ſine violatione Legis Dei committi non poſſunt, regulam tradit prorſus diuerſam, iubens vt probemus omnia, & quod bonũ eſt teneamus: atq; adeò vt ab omni ſpecie mali abſtineamus. Ruſus ſicut teſtatur Paulus ſeſe omnibus factum eſſe omnia: de infirmis nimirum agens: ita etiam apparet peruicacibus & præfractis quàm parum

Refutatio argumentorum Monfortii aduerſus caput 13. Deut.
1. Tim. 4. a. 1
1. Cor. 3. c. 12
Eſa. 1. d. 31
Rom. 14. c. 15
1. Theſ. 5. d. 21
1. Cor. 9. d. 22

Gal.2.a.3.&4 Philip.3.a.2

indulſerit. Idcirco enim Titum noluit circuncidere, & quoſdam monet vt canes & concisionem caueant: quæ omnia quum iſti permiſceant, minimè miror eos vſqueadeò abſurda ex hoc loco colligere, vt quod de rebus mediis dictum eſt, ad blaſphemam, & impiam hæreticorum doctrinam accommodent, quos videlicet iudicare, nedum vindicare, non liceat: & quod ad infirmos ſpectat, eóſque non ἐθελοθρησκείᾳ ſed Legis Moſaicæ elementis adhuc inhærentes, ad hæreticos detorqueant.

Refutatio aduerſus legẽ in Leuitico ſcriptam in blaſphemos.

Supereſt duplex Monfortij exceptio aduerſus Legem in blaſphemos ſcripram. nam reliquas alibi refutauimus. *Si hæc lex valeret*, inquit, *tollendus eſſet totus mundus, qui Deum verbis confitetur, factis & corde negat: neque id occultum eſt, ſed apertiſſimum. Deinde (vt ſuprà demonſtratum eſt) nondum perfectè ſcitur quinam ſint verè hæretici.* Audiat verò Monfortius quid ad iſta reſpondeam. Quicunque per improbitatem in Deum blaſphemant, ſeuerè ſunt à Magiſtratu coërcendi. Negligentes hîc eſſe pleroſq; fateor: ſed ex eorum negligentia quod ſit ipſorum officium colligi nec poteſt nec debet. Multo frequentiores eſſe inter nos blaſphemias quàm par ſit, agnoſco, & cum lachrymis hanc mundi peruerſitatem deteſtor: totum tamen mundum, vt ipſe vult, hoc ſcelere manifeſtò teneri nego. Hæc, ſi poteſt, falſa eſſe oſtendat. Quod autem à ſe demonſtratum eſſe dicit, *Nondum perfectè ſciri quinam ſint verè hæretici*, hanc demonſtrationem quum in tota iſta farragine diu multúmque conquiſierim, nuſquam tamen inueni, ſed multas potius blaſphemias reperi in verbum Dei pro ἀκαταληψίᾳ impudentiſſimè & ſceleratiſſimè profuſas: tanquam videlicet adeò ſit obſcurè & ænigmaticè ſcriptum, vt noua iudicis ſentẽtia ſit expectanda, & interim dum lis inter Chriſtum & diabolum pendet, dandæ ſint vindiciæ ſecundũ libertatem. Has, inquam, blaſphemias & alias pleraſque in illo ſcripto reperiſſe me fateor, quas ſanè non video qua ratione poſſint ἀποδείξεις vocari, niſi idcirco fortaſſis quòd manifeſtam impietatem demonſtrent.

Tertium argumentum: Ab vtriuſque Teſtamenti, & veteris Eccleſiæ exemplis.

Tertio loco exempla collocabimus ex vtroque Teſtamento, & Eccleſiaſticæ hiſtoriæ penu deprompta. Ac de Veteris quidem teſtamẽti exemplis primo loco dicemus, non omnibus, ſed præcipuis. Sunt autem eiuſmodi.

Exod.32.f.27 Moſes homo clementiſſimus, & cuius rara admodum ſupplicia in negotiis ciuilibus legũtur, in religionis violatæ crimine ſeueriſſimum exemplum edidit, tribus hominum millibus ipſius mandato, ſine vllo vel ætatis, vel ſexus, vel ſanguinis ac coniunctionis diſcrimine, Leuitarum opera, propter idololatriam vituli interfectis.

2.Paral.15.13 Aſa ſanctiſſimus princeps fœdus Domini cũ populo inſtaurauit, hac addita formula, QVICVNQVE NON QVAESIERIT DOMINVM DEVM ISRAELIS, INTERFICIATVR, SIVE PARVVS SIT, SIVE MAGNVS, VIR VEL MVLIER.

2.Reg.10.a.8 Iehu à Domino delectus totam Achabi familiam propter idololatriam penitus excîdit, & ſacerdotes Baalis ad vnum trucidauit.

2.Reg.23.c.20 Pius ille rex Ioſias ſacerdotes Excelſorum mactauit ſuper altaribus, atque humana oſſa ſuper illis combuſſit.

1.Reg.18.g.40 Helias, ceſſante Magiſtratu, extraordinaria poteſtate fungens, ſacerdotes Baalis ad torrentem Kiſon interfecit.

2.Reg.11.c.15 Ioiadas à Deo excitatus Athaliam illam impiam occidit, iure Magiſtratus extra ordinem defunctus.

Antequam autem ad Noui teſtamenti exempla accedam, operæpretium eſt cognoſcere quid ex iſtis hiſtoriis colligi poſſit, vt omnem cauillandi occaſionem, ſi fieri poſſit, aduerſariis eripiamus. Sic igitur ratiocinari placet. Quod à præſtantiſſimis iſtis Heroib9 ex Principũ auctoritate & imperio geſtũ eſt, & expreſſo Spirit9 ſancti teſtimonio laudatur, id eſt eiuſmodi vt ſine blaſphemia vituperari non poſſit. Supereſt ergo vt aduerſarij nobis concedãt vel Chriſtianis Magiſtratibus licere eorum factũ imitari, vel certè vt ex his duobus alterum probent: nimirum aut diuerſam eſſe hæreticorum cõditionem ab iſtis de quibus in his exẽplis agitur: aut de poteſtate Ciuili, quoad religionis cõſeruationem attinet, per Euangelium aliquid eſſe detractum. Et certè hoc vidit Monfortius quum iſtis exemplis reſponderet. Itaque in vtroque probando laborat, ſed inutiliter profectò, vt ii ſolent qui pro mendacio dicunt aduerſus veritatem. Ait igitur *hæc conuenire in idololatras & ſacerdotes Baal, qui alienum Deum profitebantur: in hæreticos autem minimè, quum hodie hæreticorum nemo alienum Deum profiteatur.* Hæc ille, Bellii veſtigiis inhærens, qui Deũ ab idolo neſcit diſtinguere: de quo craſſiſſimo & pernicioſiſſimo errore abũdè diximus.

Deum

Deum enim iſti & cultum eius ex cuiuſque opinione metinntur. Ego verò affirmo, ſimulatque extra Verbum quiſquam Deum contẽplatur, idolum animo concipi: & qui in Dei cultu quicquã affingat, eum verè eſſe idololatrã. Sed & illud aſſeuero, quicũque peruerſo ordine non ſe ſubiiciunt verbo Dei, ſed, quod hæreticorum proprium eſt, ſibi Verbum Dei ſubiicere conantur, eos etiã idololatriç crimine teneri, eóque ipſis infidelibus eſſe deteriores, quòd ſuis mẽdaciis pietatis & veritatis nomen prætexant. Sed hæc pluribus repetere minimè eſt, opinor, neceſſarium. Nobis enim ſatis eſt hoc loco oſtendiſſe quicquid in craſſiore illa & externa idololatria à piis & ſanctis Regibus eſt factitatũ, in hæreſi tanquã eius parente ac genitrice locũ habere. Supereſt ergo alterũ duntaxat aduerſariis refugiũ, nimirũ vt doceãt per Euangelicam doctrinã de Ciuili poteſtate aliquid eſſe detractum: olim enim curam vindicandę religionis ad Principes pertinuiſſe, quę nunc facultas ſit ipſis erepta. Id autem iſte probat hac vna ratione, quòd ſub Moſe corporeus gladius ſpiritualem ſub Euangelio vſurpandum adumbrarit: qui quidem ſpiritualis gladius non ciuili Magiſtratui, ſed Eccleſiæ cõmiſſus eſt. Quaſi verò ſub Moſe Dominus ſpiritualem etiam gladium non vibrarit. Aſſumunt autem iſti quod nemo ſanus illis conceſſerit, nempe Iudicialem legem non minus quàm Ceremonialem figuris & vmbris plenam fuiſſe, quæ Chriſti tanquam lucis aduentu euanuerit. Ideóque etiam clamitant nos, quũ iſtas Veteris fœderis leges & hiſtorias citamus, iterum Legis ſeruitutem reuocare, & quæcunque rectè ſcripſit Apoſtolus aduerſus eos qui Ceremoniarum aut aliorum operum fiducia gratiam Euangelij ſubuertebant, ea in nos detorquent. Hæ verò calumniæ quàm falſæ ſint, & quàm inanes, pluribus eſt à nobis paulò antè explicatum. Relinquitur ergo concluſionem noſtram valere à veterum Regũ exemplo ſumptam, in qua videlicet paria cum paribus comparentur.

Fateor tamen Heliæ & Ioiadæ factum videri peculiari quadam conſideratione indigere. Verùm ſi rem totam accuratius expẽdamus, comperiemus eandem eſſe omnium horum exemplorum rationem. Neque enim hoc quidem loco Helias vt Propheta, vel Ioiadas vt Sacerdos conſiderãdus eſt, ſed vterque potius tanquam Regiam poteſtatem ad hæc ſingularia facta peragenda extra ordinem gerens, à Domino attributam. Non eſt igitur quòd nos quiſquam cauilletur, qua ratione à Regum exemplo ad noſtros Principes argumentum duximus, eadem etiam poſſe ab Heliæ & Ioiadæ facto ad eos qui Prophetis & Sacerdotibus ſucceſſerũt, idem argumẽtum accomodari. Hoc enim ſi faceremus, diuerſas & diſtinctas duarũ iuriſdictionum naturas confunderemus: quod nobis nunquam in mẽtem venit. Sed præterea quaſdam Monfortij exceptiones operæpretium eſt cognoſcere, vnam aduerſus Moſis factũ in punienda aurei vituli idololatria, duas aduerſus heroicum illud Heliæ facinus in occidendis Baalis ſacerdotibus. Quęrit ergo aduerſarius *cur non ea ſaltem ex Moſe imitemur quæ ſunt meliora, & ad Chriſti clementiam* Aduerſus Moſis exemplũ exceptio Mõfortij.
propius accedunt: quale erat ipſius Moſis factum qui iratum Iſraëlitis Deum placabat, (quum tamen illi Moſen ipſum lapidare vellent) & de libro vitæ deleri malebat quàm illi perderentur. Nunc deligere ex eius lege duriſsima quæque, & ſanguinem omni arte appetere, hoc verò eſt à Chriſti benignitate alieniſsimum. Ergo Monfortius Moſen, quem nobis Scriptura tantopere laudat à clementia, tanquam ſæuum & præcipitem, in hoc quidem facto, Chriſto patientiſſimo & clementiſſimo opponit: quod quum facit, certè Spiritum ſanctum reprehendit. Eſt enim eius hiſtoriæ, de qua hîc à nobis quæritur, concluſio his verbis perſcripta, *Ita percuſsit Dominus popu-* Exod.32.g.35
lum, quòd vitulum feciſſent. Ex his autem verbis intelligimus, qnicquid hîc fecit Moſes, Spiritus Dei afflatu & inſtinctu feciſſe. Itaque quum idem Leuitas hortaretur ad cruẽtam illam cædem, vt hic quidem appellat, ſed re vera ad iuſtiſſimum, & (ſi magnitudo peccati diligenter cõſideretur) moderatiſſimum imperium exequendum: *Conſecrate*, inquit, *hodie manus veſtras Domino, etiam quiſque in filio ſuo, & in fratre ſuo, vt detur vobis hodie fauſta im-* Ibidem g.29
precatio. Sed hunc quoque locum facundus ille Bibliorum interpres audaciſſimè corrupit. Sic enim iſta verba Moſis interpretatur, quaſi Leuitę poſt eam patratam cædem iubeantur manus ſanguine fratrum contaminatas expiare, quum hæc potius vel ex doctiſſimi Aben Eſræ auctoritate, per præteritum pluſquam perfectum fuerint conuertenda, vt imperãdi modi proprietas ſeruetur. neque, vt opinor, proferri poſſit exemplũ, in quo oſtendatur verbnm IMPLERE, quo illic vtitur Moſes, pro EXPIARE vſurparum. Et certè tantum abeſt vt hoc Leuitarum factum expiatione indigeret, vt contrà Moſes non alio quàm gratiſſimi ſacrificij nomine dignetur: adeò quidem vt (quemadmodum in eum locum doctiſſimus interpres annotauit) propter hoc vnum factum ma-

Deut.33 b.9 ledictio Iacobi ſuper Leui, ſit in benedictionem conuerſa,ſicut ex Moſis benedictione apparet. Vtri igitur credemus? an iſti qui duriſſimum hoc factum appellat, & melius aliquod à nobis ſeligi vult: an verò potius Spiritui ſancto,qui hanc cædem ſacrificium vocat:qui Leuitis propterea benedicit: qui denique Deum ipſum prædicat huius facti auctorem? Sed Chriſtus(inquit) hoc non fecit. Imò verò,quod Patris auctoritate factũ eſt, an Filio potuit diſplicuiſſe,qui ſimiles pœnas quotidie ingratis hominib⁹ iuſtè infligit? Fateor tamen quum hîc nobiſcum in terris verſaretur,nihil eſſe eiuſmodi ab ipſo factũ. Nego tamen ab hoc exemplo abſtinuiſſe,quaſi vel impium vel crudele id eſſet,(neque enim vel impietas eſt vel crudelitas,nocentiſsimos homines à Magiſtratu interfici) ſed quia hæc non erat propriè ipſius functio ad quam deſtinatus erat à Patre,neque tempus à Deo iſtis iudiciis conſtitutũ aduenerat. Audiri enim prius Chriſtum oportebat quàm ipſius contemptum vindicari. Eat nunc Monfortius,& melius aliquod ac præſtantius factum in Moſis vita nobis ſeligat,quod ciuilis Magiſtratus imitetur. Nam quod commemorat de Moſe pro Iſraëlitarum ſalute Dominum rogante, neque pertinet ad id de quo agitur,neque contra nos facit. Erat enim etiã Moſes populi interpres apud Deum. Deinde quod Chriſtiana charitas iubet,vt alij de aliorũ ſalute maximè ſolliciti ſimus, tantùm abeſt vt cum Principum officio pugnare arbitremur,vt contrà velut à communibus quibuſdam omnium patribus totam Rempublicam ab iis cenſeamus oportere Domino commendari,atque adeò vel in primis eos ipſos quorum ſceleribus vindicandis gladium à Deo acceperunt. Neque enim prauam vllam cupiditatem, ſed Dei timorem, & Reipublicæ charitatem debet ad iudiciũ afferre. Eius autem rei exemplum nobis inſigne præbet Moſes,ita hunc populum cõplectens,vt ad ipſius ſcelera non conniueat:ita rurſus puniens,vt vel ſuę ſalutis iactura ſit paratus eos Domino reconciliare. Ergo Monfortius eò blaſphemus eſt, quòd partim obſcurè accuſet, partim tam parcè laudet id factum quod Spiritus ſanctus tantopere commẽdat, vt ſumma etiam mercede dignetur: in eo verò ineptus, quòd à Magiſtratus officio in quo verſamur, ad Eccleſiaſticum miniſterium nos reuocet: in eo imperitus, quòd charitatem cum moderata ſeueritate pugnare exiſtimet.

Aduerſus Heliæ exempli exceptio Monfortii prima. Luc.9.g.54

Nunc de illo Heliæ ſacrificio videamus quid ſentias. *In eo*, inquit,(de nobis loquens) *malitioſè ſanè faciunt,qui non eiuſdem Heliæ factum illud commemorent, quum ignem è cœlo deuocauit quo milites abſumpſit. quod profectò non omiſiſſent,niſi viderent Apoſtolos à Chriſto reprehenſos eſſe, dum illud Heliæ factum volunt imitari*. Bona verba Monfortj! Exemplũ illud Heliæ quod tu commemoras,non eſt à nobis malitioſè,vt tu putas, prætermiſſum, ſed quòd nolimus tuo exemplo temerè quiduis effutire. Pertinet enim hoc exemplum ad tyrannos & Tyrannorũ miniſtros, quos Dominus inultos abire nõ ſinet. Nos autem etſi aliquatenus id poteramus ad hęreticos accommodare,qui & ipſi Eccleſiam Dei populantur: tamen quia(ſicut tu ipſe alicubi fateris)in hoc quidem facto pluſculũ etiam Helię quàm Magiſtratui licuit,ne quid cauſari poſſes à nobis parũ appoſitè dictũ, vel nimiùm ſollicitè cõquiſitum,vti eo noluimus. Sed quòd Apoſtoli poſtea,quum hoc exemplum imitari vellent,à Chriſto reprehenduntur,minimè id fit quaſi Helias crudelitatis accuſetur, à qua velit Chriſtus ſuos diſcipulos eſſe alienos,ſed quia ipſorum κακοζηλία ſummam certè reprehenſionem merebatur: quum neque hæc eſſet ipſorum functio,(niſi fortaſsis extra ordinem ad id peragendum ſpirituali Dei mandato mitterentur,) neque ſimile eſſet Samaritanorum factum cum eo quod vltus eſt Helias. Hunc enim pietatis prætextu cupiebat occidere Ahazias impius apoſtata:hîc Samaritani Chriſto tranſeunti hoſpitium negant. Illic cum apoſtatis negotium erat Prophetæ: hîc cum iis qui Euangelium nunquam cognouerant. Illic Helias ex Dei mãdato ignem deuocat è cœlo ad Dei gloriam aſſerendam:hîc Apoſtoli humano affectu vindicandæ iniuriæ ſtimulantur. Deinde tẽporum habenda ratio eſt. Helias ad aſſerendum Dei cultum miſſus erat,& vlciſcendam Iſraëlis perfidiam. Chriſtus & Apoſtoli ad promulgandam Euangelij doctrinam,quæ pleriſque noua & dura videbatur, Legis ceremoniis aſſuetis. Aliud eſt autem Euangelium promulgare, quàm promulgati auctoritatem aduerſus perfidioſos eius contemptores aſſerere. Meritò itaque Chriſtus diſcipulos ad ſuæ functionis conſiderationem reuocat,neque tamen (vt tu exiſtimas) Heliam tanquam crudelem reprehendit. Cæ-

Secunda. terùm altera tua exceptio hæc eſt: *Helias ignem è cœlo impetrauit ad comburendum ſacrificium, etiam aqua ter conſperſum: id quod Baalenſes facere non poterant. Itaque hac victoria potitus, de illis triumphauit. hoc eſt,eos interfecit. At iſti volunt triumphare ſine victoria. Quem enim vnquam ignem*

de

de cœlo deuocarunt? Sacrificium Deo acceptum, eſt Spiritus contribulatus: hoſtia viuens, populus Deo in ſpiritu & veritate ſeruiens. Talem populum ſi habent, & ad hoc incendendũ ſacrificiũ, charitatis ignem, & Spiritum è cœlo deuocarunt, eſt ſanè quòd meritò de Baalis ſacerdotibus triumphent: & eos gladio nõ corporali ſed ſpirituali & ancipiti, hoc eſt, viuo Dei verbo iugulent. Sin populũ habent rebellem & contumacem, & totas noctes pergræcantem (id quod ipſimet pro ſuggeſtu magna voce teſtari ſolent) neq; adhuc quum clamauerunt vſque ad veſperam, vllum charitatis ignem obtinere potuerunt quin omnia in deterius abeant, eouſque vt ipſi ſæpe Paſtores ab ouibus ſuis in exilium detrudantur: deſinant Heliæ triumphum imitari velle, cuius victoriam nequeunt imitari. Hæc tu Monforti allegoriis tuis inhærens, quarum vt ſumma futilitas ac leuitas melius intelligeretur, totum hunc locũ ex tua refutatione deſcripſi. Nos autem, ſicut res ipſa oſtendit, neque noſtros triumphos, neque quę noſtra ſunt, ſed gloriam Dei quærimus, & eius rei teſtem Deum inuocamus. De te verò quid tandem ſentiendum eſt, quem non pudeat fideles Dei ſeruos tot maledictis onerare? Hominum certè ſummam contumaciam, quam tu ridens illis exprobras, ipſi quotidie plurimis cum lachrymis deplorant. Verùm quid hîc tandem poſſis obiicere quod iam inde à mundi initio fidelibus omnibus Dei ſeruis non contigerit? Nam vt vetuſtiſſimos illos Patriarchas taceam, Prophetæ ſuis illis clamoribus quantum promouerũt? Chriſtus ipſe & diſcipuli, eius veſtigia ſecuti, quid aliud retulerunt præter verbera, exilia, cruces? Id enim demum diligit mundus quod ſuum eſt. Itaque non eſt quòd noſtrarum Eccleſiarum Miniſtris, doctiſſimis & diligentiſſimis hominibus, paruos pro illorum labore ac diligentia fructus obiicias. Iis potius hoc debet acceptum ferri, qui in iis euertendis omnes neruos contendunt quæ maximis laboribus fideles ſerui Dei conſtruxerunt. Sed tamen iſta pertinacia, vt ſpero, neque iſtorum curſum retardabit, neque optimorum & fortiſſimorum Principum conſtantiam franget, quominus illi in aperiendis, iſti in impediendis malis conſiliis multo etiam magis quàm vnquam antea ſtrenuam operam nauent.

Iohan. 15. 19

Reliqua ſunt Nebucadnezaris, Darii, & Artaxerxis edicta, quorum formulas Spiritus ſanctus extare voluit, vt Principes Chriſtianos puderet, in vindicãda religione profanis Regibus priores concedere. Ea igitur ſunt eiuſmodi. *A me factum eſt iſtud decretum* (inquit Nebucadnezar) *vt quicunque populus, natio aut lingua dixerit blaſphemiam in Deum Sadrah, Meſah, Abed-nego, fruſtulatim conficiatur, eiúſque domus in ſterquilinium redigatur, quia nullus eſt alius Deus qui poßit in hunc modum ſeruare.* Darius autem, *Conſtitutum eſt,* inquit, *a me tale decretũ, vt quicunque mortalium hoc edictum,* de inſtaurãdo tẽplo videlicet, *mutarit, tollatur trabs è domo eius, in quam erectam ſuſpendatur, & domus eius propterea in ſterquilinium redigatur.* Deinde Artaxerxes Eſdram compellans, *Quicunque*, inquit, *facere noluerit Legem Dei tui, atque legem Regis, de hoc illico fiat iudicium, ſiue ad mortem, ſiue ad eradicationem, ſiue vt facultatibus mulctetur, ſiue vt vinciatur.* Hæc igitur edicta, Monforti, negare non potes ita eſſe ſcripta, vt Spiritus ſancti voce cuiuis apparere poſſit magnificè prędicari: hîc autem te deſeri acuta illa Legis iudicialis allegoria, quam tu ſoles veluti clypeum opponere. Nondum verò diuinare potui quam tandem exceptionem ſis allaturus. Interim igitur dum te accingis, nos non pigebit Chriſtianos omnes Magiſtratus quanta maxima contentione poſſumus, non ad crudelitatẽ (abſit enim hoc à nobis) ſed ad veram religionem; omnibus iis præſidiis quę à Deo acceperunt, prudenter quidẽ & moderatè, ſed fortiter tamen & ſeuerè conſeruandam adhortari.

Exẽpla profanorũ regũ ex Vetere Teſtamento.
Dan. 3. 96
Eſd. 6. 11 & 7. 25

Exempla Noui teſtamenti.

Nunc agè, ad Noui teſtamenti exempla progrediamur, quæ omnino duo ſunt, in Actis Apoſt. cap. 5, & cap. 13, eáque non ſine iudicio ad quæſtionem nobis propoſitam accommodanda. Nimirum Ananias & Sapphira verbo interfecti à Petro: & Elymas magus verbo à Paulo excæcatus. Quod igitur ad illud Petri factũ attinet, fateor quidẽ illos à Petro non eſſe propter hæreſin interfectos, ſed propter hypocriſin, propter ſacrilegium, propter impudens mendacium. Fateor quoque quod hîc Petrus fecit neque à miniſtris Verbi & Eccleſiaſticæ diſciplinæ præfectis poſſe in exemplum trahi, (fuit enim hæc in Petro extraordinaria poteſtas,) neque ab ipſo etiam ciuili Magiſtratu, quatenus quidem Petrus ſolo verbo occidit, quod ille etiam vt velit, præſtare non poſsit: & crimen alioquin hominibus occultum punit, quum Magiſtratus nonniſi de manifeſtis iudicare poſsit, quibus nimirum ſocietatem ciuilem læſam eſſe conſtet. Hactenus

ergo ad inſtitutum noſtrum pertinet hoc exemplum, vt ex eo colligamus, mirum videri non debere, ſi ab ordinario Dei Miniſtro gladius in conuictos & factioſos religionis contemptores ſtringatur, quum Petrus religionis contemptum, quanuis adhuc occultum & latentem, capitali ſupplicio punierit. Firmum autem eſſe hoc argumentum ex ipſa perſonarum & criminum comparatione liquet. Vtrobique enim de contemptoribus verbi Dei agitur, qui tamen ſanctiſſimi videri velint. Crimina in genere ſunt eadem, religionis & Eccleſiæ contemptus, ſacrilegium, hypocriſis, ſumma in mentiendo impudentia. In eo tantùm differunt, quòd illic in vno facto peccatur, hîc in doctrina: illic occultum eſt ſcelus, hîc verò manifeſtum. Ex hoc autem conſequitur crimen hæreſeos tantò acerbius puniendum, quantò periculoſius eſt in doctrina errare quàm in vna quapiam re facienda peccare: & quantò pernicioſius exiſtit manifeſtum ſcelus de quo ipſe glorieris, quàm latens vitium, quod ita diſſimules vt totum intus contineas.

Elymam aūt propter veræ religionis peruerſionem à Paulo fuiſſe excæcatum Lucas apertè, ni fallor, declarat. Scribit enim eum laboraſſe vt Sergium Proconſulem à fide auerteret, & à Paulo fuiſſe his verbis obiurgatum, *O plene omni dolo, & omni improbitate, fili diaboli, inimice omnis iuſtitiæ, non deſines inuertere vias Domini rectas?* Eſt autem certè propoſitum hæreticis, per dolum & improbitatem alios à fide auertere, & vias Domini, id eſt doctrinam in verbo ipſius expreſſam, peruertere. Porrò quanuis hoc exemplum capitalem pœnam non contineat, oſtendit tamen, quod Academici tam præfractè negant, in religionis cauſa corporali etiã pœnæ locum eſſe. Nos aūt, ſicut ſæpe iam repetiimus, minimè ſuademus vt ſtatim ad ſeueriſsima remedia veniatur, ſed tum demum quum id poſtulat criminis grauitas, aut commodius proſpici aliorum ſaluti non poteſt quàm ſi putre membrum ferro reſecetur. Cæterùm ſi quis pauca eſſe hæc exempla obiecerit, cogitet ſingula quæ eo tempore contigerunt, non eſſe perſcripta. Eſt autem probabile donum illud δυνάμεων non fruſtra fuiſſe Eccleſiæ conceſſum, ſed ſuis temporibus ac momentis frequenter vſurpatum. Deinde quum, vt antè dixi, neque imminuta nunc ſit Dei maieſtas, neque de ciuili poteſtate quicquam detractum, apparet vtriuſque Teſtamenti exempla eſſe coniungenda. Poſtremò peculiaris fuit eorum temporũ ratio, quibus viſum eſt Domino non modò inermes & ab omni terrena potentia deſtitutos Apoſtolos mittere, ſed etiam totum mundum infeſtum habere, vt planè cæleſtem eſſe Euangelij victoriam omnibus conſtaret. Et certè, ſicut rectè quidam ſcripſit, Euangelii miniſtros in genere Chriſtus magis armat patientia quàm gladii vllius præſidio. Sed, vt ita ſit, quoties tamen Dominus Eccleſiam ſubſidio ciuilis etiam poteſtatis munit, ſine inſigni ipſius iniuria contemni nec poteſt nec debet. Ex his autem omnibus effici videtur quod probandum ſuſcepimus, nimirum Magiſtratus ciuilis hoc eſſe vel præcipuum officium, vt contemptum & perturbationem veræ religionis interdum corporali atque adeò capitali quoque ſupplicio in hæreticis vindicet.

Exceptio Mõfortii aduerſus iſta Noui teſtamenti exempla.

Sed tempus eſt vt Mõfortii exceptiones audiamus. Quærit igitur primùm, *cur non hæc potius ex Nouo teſtamento proferamus, Ego mitto vos ſicut oues in medio luporum. vel, Beati eſtis quum vos perſecuti fuerint homines. vel, Mundus gaudebit, & vos plorabitis.* Quid verò? an hæc vera eſſe negamus? an non potius ita eſſe quotidie experimur? an hæc pugnant cum ea doctrina quam tradimus? an nos miniſtris Eccleſiaſticis Ciuilem poteſtatẽ tribuimus? an quum miniſter Verbi aduerſus inuictam hæreticorum rabiem ſubſidium Ciuilis poteſtatis à miniſtro Dei flagitat, ouis eſſe deſinit in luporum medio? an lupi naturam induit Magiſtratus quum in præfractos & factioſos religionis contemptores gladium in ſua ditione ſtringit? an quia Magiſtratus, quoties ita expedit, hæreticos ad iuſtum ſupplicium trahit, propterea mundus exultare, & Eccleſia Dei afflicta plorare deſinit?

Prima Monfortii exceptio aduerſus Petri exẽplũ.

Sed agè, reliqua iſtius præſidia aggrediamur. *Petrus*, inquit, *Ananiam & Sapphiram propter hypocriſin & mendacium interfecit. Iſti contrà non niſi eos interficiunt qui mentiri nolunt.* Itáne verò Monfortium adeò ſui obliuiſci potuiſſe, vt ab iis veritatem dicat ſupplicio capitali puniri, à quibus veritas ipſa clamat ſeſe noſtris temporibus aſſertam? Sed idoneam profectò rationem affert cur id dicat. Sic enim de nobis ſcribit, *Si quis in eorum religionem verbis & exteriore facto conſentit, non necatur,*

tur, etiamſi animo ſit alienus: ex quo apparet, apud eos locum eſſe mendacio magis quàm veritati, quum ſiquis dicat quod ſentit, occidatur. Iſta verò quãuis à noſtro ſcopo ſint aliena, (neque enim hîc quæro quid fieri ſoleat, ſed quid fieri oporteat,) tamen à me propter ſingularem & inauditam maledicentiam refutabuntur. Nam quid non ille dicere audeat, qui hæc ſcribere non dubitet? Oſtendat igitur, cui tandem periculum creauerimus quòd ea diceret quæ ſentiret. Anabaptiſtas aliquot punierunt noſtri Principes, non quòd ea dicerent quæ ſentirent, neque vt vi cogerentur ad veram amplectendam religionem: ſed quòd totius humanæ ſocietatis vinculum abrumperent, quòd perfidioſi eſſent apoſtatę, quòd verbum Dei manifeſtiſſimè corrumperent, quòd Eccleſiæ authoritatem haberent ludibrio, quòd ciuium conſenſum factioſè lacerarent. Seruetus quoque, teterrimum illud monſtrum, pœnas dedit, non quòd id diceret quod ſentiret, ſed quòd ita impiè de tota Trinitate, de Chriſti humana natura, de puerorum Baptiſmo, de fide, de iuſtitia, de tota denique religione ſentiret, loqueretur, ſcriberet, ita flagitioſè & ſceleratè totis annis triginta verbum Dei, Eccleſiam, Magiſtratum ludibrio haberet, vt nihil vnquam magis impurum & deteſtandum Sol iſte conſpexerit. Quam verò inuidioſè & malitioſè religionem noſtram vocat, eam non peculiarem nobis, ſed cum tota Chriſtiana Eccleſia communem eſſe ſciat. Ad eius autem profeſſionem neminem cogere didicimus. Dant operam Paſtores vt omnes veram hanc eſſe religionem intelligant: ita tamen vt nullius vnquam colloquium defugerint, neque quicquam prorſus ex priuata ſua authoritate adminiſtrent. Magiſtratus ex officio curant vt verbum Dei purè & ſyncerè doceatur: publica offendicula pro virili tollunt, turbarum & offenſionum occaſionibus medentur, de occultis iudicare nec poſſunt, nec volunt. Quid autem eſt in iſtis quod iure reprehendatur? Sed reliquas etiam calumnias audiamus.

Si dicent, Inquit, *ſe de animo iudicare non poſſe, ſed hominẽ ex ipſius verbis iudicare, deſinãt Petrũ citare, qui de Ananiæ animo, à nemine niſi à Spiritu ſancto doctus, iudicauit: id quod ipſi facere nõ poßũt, quippe nõ eo Spiritu præditi.* Nos verò calũniæ anſam præcidimus, quũ hoc exemplũ ad propoſitã quæſtionẽ accõmodaremus. Neq; aliter ſenſiſſe Bullingerũ, aut quenquã alium apparet. Ecquis enim ignorat Magiſtratum non poſſe Petri factum in eo imitari quòd Petrus ſolo Spiritu ſancti afflatu doctus, de Ananiæ animo iudicauit? Sed vt aliter ſoleat Magiſtratus de hæreſeos crimine cognoſcere, an ſequitur quia diuerſa cognitio ſeu criminis probatio eſt, idcirco ordinariæ poteſtati in eodem crimine vindicando non licere quod Petro extra ordinem licuit? Secunda.

At enim, inquit, *Ananiæ non propter hæreſin illud accidit, ſed quòd partiri voluit cum Domino, quum deberet aut nihil, aut totũ dare: id quod declarat Petrus, dum ait, Nónne prorſus tibi manebat ager, & venundatus, erat in tua poteſtate? quaſi hoc dicat, Nemo te cogebat vendere aut afferre: neq; eos cogimus qui nihil afferunt. At iſti volunt etiã in eos animaduertere qui ipſorũ religioni nomẽ non dederunt. Cur non eadẽ dicunt quæ Petrus? nos neminẽ ſua bona vendere & Chriſto offerre, hoc eſt, neminẽ ſibi renuntiare cogimus. Sed ſi quis ſua ſpõte renũtiat, oportet vt ſibi toti renũtiet, & Domino hoſtiã integrã & immaculatã offerat. Nam Dominus totũ hominẽ habere vult, ſicut maritus vxorẽ. Quòd ſi quis Deo non toto corde ſeruit, ſed minus præſtat quàm poteſt, is verè Ananiã imitatur.* Hîc verò, quia multa mendacia dicũtur, ea ſigillatim explicabimus. Ananiæ dicũt propter hæreſin iſtud non cõtigiſſe. Fateor. Quid inde efficitur? Ineptè à nobis afferri hoc exemplũ. Id ego pernego. Dico enim, ſi extra ordinem punire tam ſeuerè licuit occultum religionis contemptum, occultum ſacrilegium, occultum mendacium: multò magis oportere Magiſtratum hæc eadem crimina, non iam occulta, ſed manifeſta, & præterea cum blaſphemia, cúmque aliorum pernicie, & Ciuilis ſocietatis periculoſiſſima perturbatione coniuncta, denique præfracta pertinacia confirmata, pro ſuo iure coërcere. Hæc ego, inquam, affirmo. Ergo nouas aliquas rationes iſti, ſi libet, excogitent, quibus hoc argumentum refelli poſsit. Nam illa quidem eſt infirmior quàm vt ea niti poſsint. Deinde quòd Ananiam dicunt à Petro idcirco reprehẽdi, quòd partiri voluiſſet cũ Domino, quũ deberet nihil aut totum dare: ſatis arguit eum locum non niſi oſcitanter ab ipſis fuiſſe perlectũ. Prætermittunt enim quod præcipuum eſt, id eſt ſimulationem Ananiæ, qui totum pretium videri volebat contuliſſe. Nam alioquin, ſi apertè profeſſus fuiſſet ſeſe partem tantùm facultatum ſuarum Domino conſecrare, non ita à Petro reprehenſus eſſet: ſiquidem ei non minus liberum erat partem pretii ſibi ſeruare, quàm agrum non vendere. Sed quum totum pretiũ initiò vouiſſet Domino, (cur enim totum prædium vẽdi- Tertia.

diſſet?) & poſtea partem eius ſibi ſeruaſſet, videri tamen volebat omnia contuliſſe.
Itaque non modò incredulus, ſimulator, ambitioſus erat, ſed etiam ſacrilegus, & eius
Spiritus contemptor à quo regitur Eccleſia, quem nimirum exiſtimabat nihil iſtorum
intelligere poſſe. Hæc autem omnia quum iſtis nunquam in mentẽ venerint, minimè
miror abſurdam iſtam allegoriã ipſos potuiſſe cõminiſci. Hinc enim colligunt Deum
non eſſe contentum aliqua noſtri parte, ſed totum hominem poſcere. Hoc autem etſi
verum eſt, commodè tamen interpretari oportuit. Nam quandiu hîc verſabimur, ſem-
per erunt in nobis peccati reliquiæ quæ nos exclamare cogant cum Apoſtolo, *Video a-*
Rom. 7.23 *liam legem in membris meis rebellantem legi mentis meæ*: &, *Miſerum me, quis me liberabit ex hoc cor-*
pore morti obnoxio? Deinde hęc omnia ex eo colligi non poſſunt, quod falſò ab ipſis dictũ
eſſe oſtendimus, nempe quòd Ananias aut nihil aut totũ Deo dare deberet. Sed ſi quis
huic doctrinæ locus eſt in hoc exemplo, reſpicere potius debuit Monfortius Ananiæ
hypocriſin & infidelitatem, qui Deo non niſi ſub bono, quod aiunt, pignore confide-
ret, quum Dominus Deus noſter plenam fidem & apertam eius profeſſionem poſtu-
let. Sed quorſum hæc? Certè ad rem non pertinent: ſed ea tamẽ paucis explicare volui,
vt quæ ſit iſtorum in explicandis Scripturis infantia, patefacerem. Cæteras enim huius
allegoriæ ineptias perſequi nec libet nec licet. Tantùm dico, quum eum ſcribunt
Ananiam verè imitari qui non toto corde Deo ſeruiat, meritò ipſos videri poſſe in
ſua cauſa præuaricari. Nam certè de nullis verius quàm de hæreticis hoc poſſit af-
firmari. Itaque miror cur eos reprehendant qui non minus ſeuerè à Magiſtratu pu-
niendos illos arbitrantur, quàm olim fuerit à Petro, aut à Deo potius ipſo punitus A-
nanias.

Sed quod verbo fecit Petrus, inquis, *id gladio tribuere eſt abſurdiſſimum*. Hoc tu quidem dicis,
Quarta. Monforti, ſed cauſam tantæ huius abſurditatis nullam affers: quod ego non miror, quũ
nulla poſſit idonea inueniri. Nam rectè profectò Bullingerus, cuius tu pietatem & eru
ditionem reuereri debueras, quum proſpiceret nonnullis prima ſpecie videri poſſe
hoc exemplum huic noſtræ quæſtioni non ſatis conuenire, in quo videlicet non ciuilis
Magiſtratus, ſed Apoſtolus, non gladio ſed verbo feriret, paucis ad hæc duo capita reſ-
pondit. Primùm enim oſtendit id ipſum hîc agi à Deo per Apoſtolum, quod agere ſo-
let per Magiſtratum: id eſt (vt doctiſsimi viri ſententiam pluribus explicem) Petrum
hîc nobis proponi, non ſimpliciter vt Apoſtolum (quæ erat ipſius ordinaria functio)
ſed velut Magiſtratus poteſtate fungentem extra ordinem, vt ſacrilegum Dei & Eccle
ſiæ contemptorem puniret. Deinde quod ad alterum caput attinet, demonſtrat, Oc-
cidere ſemper eſſe occidere, neque admodum referre cædatur aliquis gladio, poculis,
an verbis: id eſt, parum in eo eſſe momenti, quòd alio inſtrumento, nimirũ verbo, Ana
nias hîc dicatur occiſus, quàm gladio, id eſt, iis inſtrumentis quibus vti ſolent carnifi-
ces ex Magiſtratus imperio. Nam etſi diuerſum eſt inſtrumentum, idem tamen eſt ſup
plicium in genere, corporale nimirum & capitale. Ex quo conſequitur conuenire hoc
exemplum propoſitæ quæſtioni, An in cauſa religionis ciuili Magiſtratui liceat capi-
tale ſupplicium vſurpare. Et hæc quidem ille verè & acutè reſpondit. Monfortius ve-
rò quum nihil iſtorum intelligat, mira nobis arcana commemorat. Oſtendit enim a-
liud eſſe verbo quàm gladio occidere, quòd illud ſit Chriſti & Eccleſiæ telum, cuius ar-
ma non ſunt carnalia: iſte verò carneus carneo Magiſtratui conueniat. Sed quorſum
hæc? Nam nos certè iuriſdictiones non confundimus. At ipſe potius quod videri vult
diſtinguere, maximè conturbat. Putat enim in hoc Petri facto extare ſpiritualis illius &
ancipitis gladii vſum, qui Eccleſiæ conceſſus eſt: in quo magnopere hallucinatur. Vi-
ta enim hîc eripitur Ananiæ, quod proprium eſt Ciuilis iuriſdictionis, quocunque in-
ſtrumento id fiat. Nam demolitio illa munitionum non fit vitam eripiendo, aut ver-
2.Cor.10.4 bo, aut alio aliquo inſtrumento, ſed (vt ipſe Apoſtolus declarat) captiuam ducendo o-
mnem cogitationem ad obediendum Chriſto, gladio nimirum illo *διςόμῳ*, qui pertin-
Heb.4.12 git quidem ad diuiſionem vſque animæ & ſpiritus, & compagum ac medullarum, ſed
vt cogitationes & intentiones diſcernat, non autem vt vitam eripiat. Fateor tamen a-
liquam etiam vltionis poteſtatem, quam alibi (vt antè dixi) Apoſtolus *δυνάμεων* appel-
latione comprehendit, eo tempore fuiſſe certis perſonis conceſſam. Sed hoc donum
neque ordinarium, neque perpetuum fuit. Alioquin ſi quod vni & alteri extra ordi-
nem licuit, Eccleſiaſticis miniſtris tanquam ſuo iure licere velis, ciuilem iuriſdictio-
nem cum Eccleſiaſtica poteſtate confuderis.

Hæc

Hæc verò paulò pòſt idē ille ſubiicit, *Si Magiſtratus occidit gladio, ſicut Petrus verbo, cur non eodē gladio mortuos ſuſcitare poteſt, ſicut Petr⁹ verbo potuit? Occidere gladio etiā latro poteſt, ſed verbo nō poteſt. Oſtēdite vos plus poſſe quàm latrones, aut quàm potuerunt Scribæ & Phariſæi, qui Ieſum gladio occiderunt.* Ego verò Magiſtratū fateor quod ad inſtrumentum attinet, Petri factum imitari non poſſe. Sed quod Petrus verbo potuit extra ordinem, hoc ipſi poſſunt gladio, id eſt, iis inſtrumentis quæ à Domino in eum vſum acceperunt, vt homines ſub eorum imperio placidā ac quietam vitam degant cum omni pietate & honeſtate. Cur autem gladio ſuſcitare nullum poſſint, hæc cauſa eſt, quia diuerſa ſunt officia, occidere & ſuſcitare. Illud enim eſt perpetuū ciuilis poteſtatis munus, hoc autem Eccleſiæ datū fuit ad tēpus. Hìc igitur tantùm ineptus eſt Mōfortius: in eo verò planè malus quòd poteſtatē à Deo ordinatā, Dei, inquā, Miniſtrū q gladiū portat, cū latronib⁹ audeat cōparare. Quinta. 1. Tim. 2. a Ro. 13. a. & 4

Sed ad aliā exceptionē venio. *An erat,* inquit, *Ananias facinoroſus? aut tu, ſi Magiſtratus eſſes, Ananiam pro facinoroſo punires? qua lege? quid cōmiſit? Mentitus eſt Spiritui ſancto. Et quotusquiſque eſt qui hodie non mentiatur Spiritui ſancto?* Et paulò pòſt, *Videmus longè aliud eſſe officium Paſtoris quàm Magiſtratus. quemadmodum quidam vobis ſatis notus declarat his verbis, Nihil ſibi ſumit Eccleſia quod ſit proprium Magiſtratus: neque hoc efficere poteſt Magiſtratus quod ab Eccleſia peragitur. Quæ verba ſi vera confiteris, non potuiſſet Magiſtratus occidere Ananiam, & porrò neque quenquam hæreticorum, aut eorum qui verbo puniendi ſunt: alioquin priuat Magiſtratus Apoſtolos telo ipſorum.* Agnoſcis verba tua, Monforti, ad quæ ſic reſpondeo. Etiam ſi conceſſero Ananiam non fuiſſe ex eorum numero in quos iure potuiſſet Magiſtratus animaduertere, valet tamen argumentum ab eius exemplo ſumptum, quia non ſemper paria cum paribus, ſed etiam minora cum maioribus comparantur. Sic ergo ratiocinor: Si religionis contemptum hominibus occultum, & adhuc in animo latitantē, ſi occultam blaſphemiam, occultum ſacrilegium capitali ſupplicio extra ordinem punire licuit Apoſtolis, eo videlicet tempore quo Eccleſia à Magiſtratibus omnibus oppugnabatur, primùm omnium (vt hoc παρέργως dicam) apparet in religionis cauſa capitali pœnæ locum relinqui, & illam zizaniorum extirpationem in aliqua ſpecie non valere. Deinde multò certè magis licet ipſi ordinariæ poteſtati quæ Chriſto nomen dederit, in hæreticum, id eſt, impium, blaſphemum, peruicacem, factioſum, apoſtatam, gladium diſtringere, quem à Deo ad coërcendos malos accepit. Sic, inquam, ratiocinor Monforti: tu, ſi potes, quod ſit iſtorum argumentorum vitium oſtende. Cæterùm quod ille vobis quoque bene notus ſcripſit, nihil ſibi ſumere Eccleſiam quod ſit proprium Magiſtratus: neque hoc efficere poſſe Magiſtratum quod ab Eccleſia peragitur, id ſanè veriſſimè dictū eſt. Sed quod tu ex eo colligis, tantū abeſt vt cum eo cōſentiat, vt ab eo contrà deſtruatur. Idq; vt melius poſſit intelligi, totā argumentationē tuā ſubiiciā: Sexta. Caluinus capite Inſtit. 8. ſectione 170.

Quod Eccleſia peragit, Magiſtratus efficere non poteſt.

Ananiæ cædem, & Elymæ excæcationem Eccleſia peragit.

Ergo non poteſt Magiſtratus Ananiæ cædem aut Elymæ, &c.

Hìc verò non vides τὸ κρινόμενον à te aſſumi? Id autem nemo tibi conceſſerit, Petri nimirum & Pauli hæc exempla ad Eccleſiaſticam iuriſdictionem pertinere. Hìc enim vterque extraordinaria poteſtate fungitur, ſicut etiam Helias & Ioiadas in exemplis paulò antè commemoratis. Nam alioqui in occidendi facultatē, quæ ciuili Magiſtratui peculiaris eſt, cum Eccleſiaſtica functione communicares, vt hæ duæ iuriſdictiones non re, ſed inſtrumenro tantùm differrent: eo nimirum, quòd Ciuilis poteſtas gladio & aliis eiuſmodi inſtrumentis, Eccleſiaſtica verò ſolo verbo iugularet. Abſit autem à nobis vt hanc perturbationē in Eccleſiam inuehamus. Sic igitur cōtrà ratiocinari oportuerat: Eccleſia ſibi non ſumit q eſt propriū Magiſtratus. Vitā eripere eſt propriū Magiſtrat⁹. Ergo Eccleſia vitam non eripit. Probari autem κρινόμενον ab officio Magiſtratus, & pluri mis Scripturæ teſtimoniis poteſt. Concidit igitur hęc quoq; ratiocinatio tua: *Si Magiſtratus poteſt ferro occidere, quos debet Paſtor verbo occidere, oportet vt viciſſim Paſtor occidere poſſit verbo, quos debet Magiſtratus ferro occidere.* Hìc enim iterum ad eūdem ſcopulum impingis, quia quæ natura ſunt eadem, tandem diuerſa diſtinguis, & falſum etiā aſſumis, licere nimirum Paſtoribus verbo occidere: quod falſum eſt, niſi fortè & ipſis extraordinaria hęc poteſtas concedatur.

Redit poſtea Mōforti⁹ ad illā ſuā allegoriā, quū ita ſcribit, *Voluit Deus oſtēdere in Anania quas pœnas paſſuri ſint qui non ſe totos dicabunt cultui diuino, & qui mentientur Spiritui ſancto, quum ſe non plus præſtare poſſe dicēt quàm præſtāt. Sed ſuit illud in figura factū: quemadmodū etiā Chriſti cru-* Septima.

ciſixio, quam Paulus declarat, dum dicit eos qui Chriſti ſunt, carnẽ ſuam crucifixiſſe cum ſuis concupiſcentiis. At ego crediderã iſtas allegorias ad Vetus duntaxat Teſtamentum pertinere: ſed quantũ poſſum cõiicere, nobis erit in iſtis Cimmeriis tenebris conſeneſcendũ. Quum igitur nullum iſtis figuris terminum iſti conſtituant, obſecro, ſi hunc correptum Magiſtratus illi quos cum latronibus paulò antè cõparauit ſupplicio afficere vellẽt, de quo tandẽ conqueri poſſent? Nam, vt nullam aliam magis idoneam rationẽ haberent, certè poſſent prætexere ſuppliciũ iſtud nihil aliud quàm allegoriã eſſe, qua nimirũ Deus oſtenderet quas pœnas paſſuri ſint ij qui contumelioſè reſiſtunt poteſtati quã ipſe conſtituit, & qui Spiritui ſancto mentiũtur, id eſt, ſuis impudentiſſimis mendaciis pietatis ſtudium prætexunt. Et certè, ne nos in re ſeria quiſquam iocari putet, multo conuenientior eſſet hęc allegoria, ſi diligenter omnia conſideremus. Nam quòd eos dicit Spiritui ſancto mentiri, qui ſe non plus præſtare poſſe dicunt quàm præſtant: id ſi verũ eſt, quid illis fiet qui ſe nihil prorſus boni præſtare poſſe confitentur, id eſt, omnibus Dei

Dan. 9. 7 ſeruis: Dicunt enim cum Daniele, Tibi, Domine, iuſtitia, nobis autem faciei confuſio. Neque id modeſtè magis quàm verè faciunt. Nam ſi vel Abraham ipſe ex operibus

Rom. 4. 2 iuſtificatus eſt, habet de quo glorietur, ſed non apud Deum. Fatentur ergo fideles ſuam *ἀσθένειαν*, non vt peccatum ſuum inficientur, ſed vt ſuam *ἱκανότητα* in Chriſto quærant: & niſi id facerent, Spiritui ſancto mentirentur, tantum abeſt vt iſte quid ſit Spiritui ſancto mentiri rectè definiat. Quòd ſi quis hæc illorum omnia coniunxerit: Primùm videlicet illam vitæ correctionem, quæ vna ad Chriſtum patefacit aditũ, vt ait Bellius, quaſi regeneratio noſtram cum Chriſto coniunctionẽ præcedat, id eſt, à natura non à gratia proficiſcatur. Deinde, illius non aureæ ſed plumbeæ & adulterinæ monetæ definitionem, in qua de Chriſti beneficio nullum verbum. Tertio loco, iſtam definitionem eorum qui Spiritui ſancto mentiuntur. Poſtremò, quod de Chriſti crucifixione affirmant, nimirum in figura factam eſſe. Si quis, inquam, hæc omnia cõtulerit, vix fieri poteſt, ni fallor, quin cõperiat eos à Pelagio nihil prorſus diſſentire tribus in reb⁹. Primùm, quòd quantum tribuunt Naturæ, tantum beneficio Gratiæ detrahũt. Deinde, quòd perfectionem hîc aliquam homini contingere ſomniant. Tertiò, quòd Chriſti crucem vt exemplar duntaxat nobis proponunt, nimirum vt, quod olim dicebant Pelagiani, ſicut peccatum in homines ab Adamo non propagatione, ſed imitatione tranſiit, ita etiam Chriſti imitatione non inſitione tollatur. Nam certè hæc duo inter ſe cohærent, vt rectè docet Auguſtinus: quem tamẽ fateor alicubi de Chriſti paſsione, ſepultura & reſur-

Lib. 1. de peccatorum meritis & remiſſione. Enchiridio ad Laurentiũ cap. 53. rectione ita loqui, vt illis velit totam fidelium vitam configurari. Sed hoc ita ipſum intellexiſſe vt mortificatio noſtra non tam ſit Chriſti mortis & ſepulturæ imitatio quàm effectus, ex infinitis aliis locis apparet. Quòd ſi iſti quoque non aliter ſentiunt, bene habet, & Deo gratias ago quòd ad cæteros ſuos errores iſtam blaſphemiam non adiunxerint. Sed hoc tamen quomodo cum reliqua ipſorum doctrina conſentire poſsit, videre me non poſſe profiteor.

Octaua. CAETERVM hæc quoque verba paulò pòſt Monfortius ſubiicit. *Paulus ipſum Chriſtum non tam ſecundum carnem cognoſcebat, ſed ſecundum Spiritum: & nos ipſum Paulum & Petrum cognoſcemus ſecundum carnem?* Hic verò non poſſum ſatis admirari, quînam Paulum & Petrum hîc dicat à nobis ſecundum carnẽ cognoſci, id eſt, quatenus cæterorũ hominum ſimiles fuerũt. Id enim eſt, opinor, quod Paulus ait, Secundum carnem cognoſcere. Nos autem certè in hoc exemplo Petrum & Paulum non modò vt Apoſtolos, ſed etiam vt cęleſti planè virtute donatos cõſideramus. Debuerat autem ipſe ſaltem reminiſci quid paulè antè ſcripſiſſet, Petrum videlicet vſum hîc eſſe ſpirituali telo (quod tamen ei non concedo,) & quidem à Spiritu ſancto doctũ, Deum ipſum denique potius quàm Petrum hanc Ananiæ cædem peregiſſe: quæ duo poſteriora tecũ fateor. An hoc eſt verò Chriſtum & eius Apoſtolos ſecundum carnem cognoſcere?

Nona. Sed reliqua perſequamur. *Cur non*, inquit, *imitamur eos in ſanandis ægrotis, aut reſuſcitandis mortuis? Quòd ſi non poſſumus, nolimus vitam iis adimere quibus vitam dare non poſſumus: præſertim vetante Domino, cui ſtant aut cadunt.* Pudet me verò iſtas tam frigidas calumnias refellere. Tantùm dico, quæſtionem hanc eſſe à ſpiritu Anabaptiſtico profectam. Nam ſi valet iſta ratio, vt nulli liceat occidere niſi qui vitam poſsit dare, quid ſupereſt vt capitalia omnia iudicia tollantur? niſi fortaſſe afferre rationem potes, cur hoc potius in cauſa religionis quàm in aliis criminibus valere debeat. Quòd autem vetare Dominum dicit ne id fiat, falſò dicit. Nam eo Pauli loco quem velut indice commonſtrat, de priuatis iudi-

ciis

ciis & tebus mediis agi conſtat. Et de his quidem plus ſatis.

Eccleſiaſticæ hiſtoriæ exempla.

Tandem verò ad Eccleſiaſticæ hiſtoriæ exempla venio, quæ iam antè ſunt à nobis magna ex parte commemorata, quum religionis curam doceremus ad ciuilem Magiſtratum vel præcipuè pertinere. Conſtantinus igitur, ſub quo primùm Imperatote Eccleſia pacem habuit, poſt coactam illam Nicęnam Synodum ita eſt Ario aduerſatus, vt eius etiam libros (quod noſtris Academicis pro ſumma crudelitate ducitur) publicè cremari, & qui id facere neglexiſſent, capite puniri: Idololatras autem, ipſóſque adeò Prouinciarũ rectores qui eos vindicare neglexiſſent, vltore gladio ſterni imperarit. Valentinianus quoque, Gratianus, & Theodoſius Auguſti eandem aut non multo leuiorem in idololatras pœnam ſtatuerunt, cuius horrendum exemplum editum eſſe legimus [1] in Anatolium quendam Antiochenum, & eius flagitiorum ſocios: Anabaptiſtas autem & cæteros hæreticos iis pœnis ſubiiciunt quas meritò certè exiſtimes ipſa morte acerbiores. [2] Nominatim verò Martianus eos qui tentant illicita docere, vltimo ſupplicio coërcet. [3] Iuſtinianus qnoque in eos qui Seueri ſcripta ſibi ſeruanda ſtatuiſſent, capitalem pœnam cõſtituit. [4] Non nego tamen de Gratiano ſcriptum extare quod noſtris Academicis mirificè placet, à quo nimirum ſit conſtitutio perlata, vt quam quiſque vellet teligionem ſequeretur, & conuentus Eccleſiaſticos ſemoto metu omnes agerẽt, pręterquam Manichęi, & qui Photini & Eunomii ſectæ eſſent. [5] Itémque de Theodoſio refertur, ipſum nullam hęreſin perſecutũ eſſe, neque quempiam ad cõmunionem coëgiſſe, ſed potius permiſiſſe vt hæreſis quælibet ſuo loco pro eo atque ei viſum eſſet conuentus agere, atque etiam de fide in Chriſtum pro cuiuſque captu ſentire atque opinari poſſet. Sed eſt profectò Gręcorum in iſtis ſcribẽdis hiſtoriis manifeſta vanitas. Viderint igitur ſcriptores quomodo iſta poſsint cum iis conſtitutionibus conuenire quas in Iuſtiniani Codice legimus. Et (vt liberè dicam quod res eſt) in ipſis Imperatoribus & zelnm & ſcientiam maiorem à nobis meritò requiri facilè cognoſcet quiſquis res ipſorum geſtas diligentius perlegerit. Quanquam etiam fateor tantos fuiſſe eorum temporum tumultus, Romano iam imperio domi & foris miſerrimè vexato, tantámque Epiſcoporum ambitionem, tantam denique rerum omnium pertutbationem, vt ſæpenumero Principes officium ſuum neque intelligere, neque facere potuerint. Principes certè profanos in tuenda ſua ſuperſtitione multo fuiſſe diligentiores & ſeueriores vel ex eo intelligitur quod diſertè ſcribit Liuius, iam inde à Romanæ Reipublicæ initiis negotium fuiſſe Magiſtratibus datum, vt ſacra externa fieri vetarẽt: ſacrificulos vatéſque foro, circo, vrbe prohiberent: vaticinos libros conquirerent, comburerẽntque: omnem diſciplinam ſacrificandi, præterquam more Romano, abolerent. Pœna autem quænã addita fuerit Paulus Iuriſconſ. his verbis declarat, *Qui nouas*, inquit, *& vſu vel ratione incognitas religiones inducunt, ex quibus animi hominum moueantur, honeſtiores deportantur, humiliores capite puniuntur.* Quamobrem non eſt quod ab iſtorũ Imperatorum temporibus Chriſtiani principes officij ſui rationem mutuentur, neque cum aduerſariis hoc quidem loco mihi magnopere contendendum puto. Verbum Dei potius amplectantur, & eorum imitentur exempla quorum pietas & ſanctitas ipſius Spiritus ſancti teſtimonio comprobatur. Hæc enim eſt norma, hæc regula, hæc præſcriptio voluntatis Dei, à qua qui aberrauerit, fieri non poteſt vt is habeat quod in vita ſequatur.

[Nicephorus Eccleſ. hiſtorię li. 8, cap. 18 & 25.]
[l. 1. & 2. Cod. de paganis.]
[1. Niceph. lib. 18, cap. 4]
[2. l. 5. Cod. de hær. & Manich. l. 2 Cod. Ne ſanctum baptiſma iteretur. l. 3. Cod. de apoſtatis.]
[3. l. quicunque Cod. de hær. & Manich.]
[4. Niceph. lib. 17. cap. 9]
[5. Nic lib. 9. cap. 1. & 29]
[l. 2. & l. Arrians. Cod. de hæreticis.]
[Dec. 4. lib. 9]
[Lib. Sentent. 5. tit. 21. De vaticinatoribus]

Concluſio totius diſputationis.

Quum autẽ hanc eſſe Dei voluntatẽ ex ipſius verbo oſtẽderimus, vt religionis contemptũ vel capitali pœna, ſi ſit opus, vindicet Magiſtratus, idque boni & ſancti omnes Principes vſurparint, & quæ pro cõtraria ſentẽtia dici ſolent, ſatis cõmodè, ni fallor, refutauerimus, profiteor me non poſſe iis aſſentiri qui in cauſa religionis nullum capitali ſupplicio locũ eſſe exiſtimãt: à quibus tamen hactenus diſſentio, vt nonniſi extremis malis extrema remedia putem adhibenda, & in his etiam extremis remediis tantã moderationem ſeruandam, vt charitas & clementia Chriſtiano homine digna nunquam violetur. Eſt enim in iſtis magna habenda ratio, primò quidem perſonarũ: deinde verò errorum: poſtremò ipſarum quoque pœnarum: vt rectè quidam expoſuit, is nimitum in quem Monfortius egregiam illam ſuam refutationem ſcripſit, cuins tamen verba exſcribere placuit, partim quia totam huius controuerſiæ ſummam planè ac dilucidè exponunt, partim vt quod fuerit Academicorum in hoc doctiſsimo homine reprehendendo iudiciũ, omnes cognoſcant. *In perſonis igitur*, inquit ille, *magna eſt diuerſitas.*

[Bullingerus Decadis ſecundæ Sermone octauo.]

Sūt enim anteſignani & duces pervicaces in erroribus, qui audaces ſunt, hypocritæ, & loquaces, & idcirco ad ſeducendum appoſitiſſimi, ipſi quidem citra emendationē in propriam ruentes perniciem, & alios ſecū pertrahentes. Et hi modis omnibus ſunt coërcendi veluti Eccleſiæ peſtes, ne cōtagio ipſorū ceu cācer ſerpat latius. Sunt deinde ſeducti quidam ac dementati ab aliis, qui errant, ſed non malitia, neque pertinaciter, ſed reſipiſcunt in tempore. Hos non oportet damnare protinus, ſed orare Dominum, ac ſuſtinere, errantéſque ſpiritu lenitatis & manſuetudinis erudire, donec redeant ad mentem meliorem. Porrò in erroneis dogmatibus alia aliis ſunt graviora. Sunt quædā adeò blaſphema, impia, & indigna, vt ne audiri quidem, nedum ferri poſſint. Sunt quæ rectà & palàm tendant in ſubverſionem Reipublicæ: niſi in tempore ſopiantur. Oportet autem Scripturis & manifeſta veritate evincere illa quæ in accuſationē veniunt eſſe talia qualia dicuntur. Cōperta veritate, & productis apertis teſtimoniis Scripturæ, licebit in blaſphemos & everſores Eccleſiæ Reipublicæq; graviſſimè animadvertere. Sed levior mitiórq; pœna decernatur cōtra errātes in levibus, non in capitalibus erroribus. Nam errant quidā, ſed ita vt horum erroribus Deus non blaſphemetur, & Eccleſia conſiſtat: denique ipſa non interturbetur Reſpublica. Vbi rurſus occurrat illud Apoſtoli, Alter alterius onera portate. Item, Infirmos in fide ſuſcipite, non ad diiudicationes diſceptationū.

Iam & in ſuppliciis & pœnis inſigne eſt diſcrimen. Pertinaciter errantes, & alios ſecum in errorē abducere, inque erroribus retinere contendentes, blaſphemi, & perturbatores, imò ſubverſores Eccleſiarū iure cædi poſſunt. ideo tamen capitis ſupplicio non protinus afficiendus eſt omnis qui errat. Et quæ minis & increpationibus curari poſſunt, non debent acerbioribus eliti & puniri. Modus in re qualibet optimus eſt. Eſt & mulcta pecuniaria: ſunt carceres in quos concludi poſſunt, ne alios inficiāt qui veneno pravæ doctrinæ & fidei corrupti ſunt. Sunt & aliæ corporum afflictiones, quibus coërcentur errantes, & vt minus noceant aliis ſanis, & vt ipſi ſerventur, non toti pereant, ſed reſipiſcāt. Sed timor Dei, æquitas & prudētia iudicis intelliget ex circunſtantiis quomodo punienda ſint in ſeductoribus & ſeductis prava dogmata, & pervicax rebellio, aut ſtolida & minimè malitioſa credulitas. Admonitio ſeria & diligens locū non habet in ſceleribus nefandis iam perpetratis, & gladio eluendis: curet ergo Magiſtratus vt moneat in tempore monendos. Nam admonitio ſeria & diligens diligenter eſt commendata omnibus proceribus, exercenda erga ſubiectos, & iam aliqua in re periclitantes. Sed & prudentes & pii Magiſtratus non rarò pepercerunt peccantibus ignoranter, reſipiſcentibus autem ad ſeriam admonitionem. Dominus in Evangelio iubet admonere peccantem, & obſequenti parcere, rebelli graviora inducere. Et Ioſue priuſquam ad arma conclamaret, miſſa legatione iubet Rubenitas cum ſociis demoliri aram quam illi videbantur extruxiſſe contra legem Domini. Et Iuſtinianus Cæſar reſipiſcentibus amplectentibuſque meliorem ſententiam, vitam conceſſit, Conſtitu. 109. Nam & Ioſias non omnes erroribus implicitos occidit, ſed incurabiles maximè. Moderatio ergo adhibenda Magiſtratui in ſontibus puniendis.

Hactenus ille, cuius ſententia cum ſuperioribus argumentis coniuncta, moderatis omnibus ingeniis & veritatis amantibus, vt opinor, ſatiſfaciet. Hoc vnum tamen adiiciam, Principum officium in religione adverſus præfractos & factioſos Eccleſiæ perturbatores vindicanda, ad tria capita non ineptè poſſe revocari. Primùm enim id obſervare debent vt intra poteſtatis ſuæ fines & cancellos ſeſe contineāt, ne videlicet audeant de hæreſi iudicare, quum hæ ſint non Principum ſed Eccleſiæ partes. Deinde vt hæreſeωn iudicia ſanctè & incorruptè curent exercenda, non ex vlla hominum authoritate quicunque tandem illi ſint, aut vllius temporis ac cōſuetudinis nudo præiudicio, ſed ex pura & ſyncera verbi Dei adminiſtratione: ne videlicet ſeſe, per errorem, non veritatis Dei vindices, ſed alienæ crudelitatis adminiſtros præbeant. Poſtremò, vt poſtquā placida ac legitima hæreſis cognitio præierit, tum demum diligenti omnium circunſtantiarum habita, ſicut diximus, ratione, eam pœnam decernant per quam Maieſtati Dei ſuus honor aſſeratur, & Eccleſiæ paci ac tranquillitati commodè caveatur. Hæc igitur noſtra eſt de tota hac quæſtione ſententia, in qua explicanda vt paulò prolixiores eſſemus fecerunt iſti qui nobis iſtius ſcriptionis occaſionem præbuerunt. Neque enim ego cum quoquam, nedum cum bonis & minimè contentioſis hominibus, qui paulò aliter fortaſſis ſentiunt, contentionem ſuſcepi: ſed Eccleſiæ potius patrocinium recepi, quam impudentes iſti Academici per clementiæ & modeſtiæ ſimulationem ſubvertere iam pridem moliuntur, idque oppoſitis etiam eorum nominibus quorum famam & exiſtimationem ferre non potui tam impudenter & calumnioſè ab iſtis violari. Obſecro enim quid nobis relinquūt, qui quum temeraria hominum iudicia prohibere videantur, tamen de ipſa Dei Eccleſia tam ſiniſtrè iudicant? qui quum nihil velint in religione ita aſſirmari vt contrarium damnetur, ea tamen aſſeverant quibus nihil deterius, nihil ſceleratius fingi poſſit? qui Deum cum idolo confundunt? qui non aliam in Chriſtianis quàm in Diabolis fidem requirunt? qui ſalutem in nobis inchoant? qui Chriſti

ſtatum

ſtatum & officium, Trinitatem, prædeſtinationem, liberum arbitrium ponunt in earũ rerum numero quæ neque ad ſalutem obtinendam ſint neceſſariæ, neque ſi ſciantur, meliorem hominem efficiant? qui in religionis controuerſiis etiam cum Papiſtis, veluti de inuocatione Sanctorum, de iuſtificatione, de libero arbitrio, de Baptiſmo, de Cœna Domini, vindicias ſecundum libertatem dandas, id eſt, ſuo iudicio quenque relinquendum putant, quòd de his, obſcuris ſcilicet quæſtionibus, & quarum cognitio ad ſalutem non eſt ita neceſſaria, certi nihil dum conſtitui poſſit? qui Gamalielis ſententiã in vtranque partem claudicantem nobis pro regula proponunt? qui Scripturam obſcuram & ænigmaticam, qui nouas reuelationes vberiores & clariores expectãdas eſſe tradunt? qui pro fide opinionem, pro veritate veriſimilitudinem, pro neceſſitate probabilitatem inuehunt? qui hæreticis adeò apertè patrocinantur vt nullum hominum genus Reipublicæ minus eſſe metuendum aſſeuerent? qui hæreticos non modò nunquam occidendos, ſed ne puniendos quidem arbitrantur? qui ciuilem Magiſtratum ab omni religionis cura remouent? qui Magiſtratus cum latronibus comparant? qui tot Scripturæ locos tam impudenter corrumpunt? qui fanaticis ſuis allegoriis Scripturam totam in ſomnia conuertunt? qui tot ſanctarum Eccleſiarum religioſiſſimos Magiſtratus, tot fideles gregis Domini Paſtores infinitis calumniis & maledictis onerant? qui denique hæc omnia non iam obſcurè murmurant vt antea, ſed palàm editis libris declamitant? Hæc enim ſunt portenta, hæc errorum monſtra, quæ quum iam olim alerẽt, tandem quum Seruetus ille optimus ipſorũ fraterculus pœnas dediſſet, continere diutius non potuerunt. Itaque quaſi clementiæ patrocinio ſuſcepto, vt ſimpliciorum animos ab eo quod præcipuè quærunt auocarent, ita ſunt commoti indignatione ex innocentiſſimi illius Serueti martyrio ſuſcepta, vt totũ hoc virus in Eccleſiã Dei euomuerint. Quòd ſi eam quam iandiu quærunt licentiam adipiſci potuerint, quod erit ſcelus, quod flagitium quod non aggrediantur? Itaque quum hîc à nobis quæritur, An ſint hæretici à Magiſtratu coẽrcendi: non de re nihili contenditur, non de re parum neceſſaria diſputatur, ſed de Eccleſiæ ſalute & incolumitate à nobis agitur: de eius, inquam, Eccleſiæ ſalute quam Filius Dei ſanguine ſuo ſibi acquiſiuit, in cuius ſinu & viſceribus iſtos nimis diu foueri conſpicio, vt niſi maturè occurratur, prius capiendi ſimus quàm nos oppugnari ſentiamus. Vos igitur ſancti & fideles Eccleſiarum Magiſtratus, vos vigiles Eccleſiarum Paſtores, téque nominatim illuſtriſſime Virtembergenſis Princeps, cuius clariſſimum in Eccleſia Dei nomen iſtos crudeliſſimos Eccleſiæ Dei vaſtatores non puduit ſuis hæreſibus præponere: vos, inquã, ego fidelium minimus hortor & obteſtor, vt albos iſtos Lupos gregem Dei vobis commiſſum inuadere parãtes, omni ſtudio, cura, induſtria, diligentia maturè repellatis. Deum ipſum denique, cuius verbo vos Academici hanc facitis iniuriam, vt ex eo controuerſias religionis decidi poſſe negetis, & cuius Eccleſiam ita aſpernamini, vt pios eius Magiſtratus & fideles Paſtores ſæuitiæ, crudelitatis, immanitatis falſò accuſetis, aduerſum vos inuoco, qui veritatem eius aut bene cognitam oppugnatis, aut certè volentes ignoratis: neque eo contenti, libris etiam editis ſimplicium fidei & conſcientiæ per ſimulationem pietatis inſidiari non deſinitis. Nam vt veſtra nomina, vt orationis characterem, vt eius ciuitatis nomen in qua hæc veſtra edita eſt farrago, & multi præterea non multo ſanè meliores libelli, ſtudioſè diſſimuletis, tamen veſtra vos nouitatis affectatio, veſtra ſimulatio prodit. Itaq; & qui ſitis, & quid paretis omnes intelligunt. Vtinam verò Dominus cõſilia veſtra diſſipet. Certè id ita futurũ cõfido.

TH. B.

SVMMA TOTIVS CHRISTIANISMI, SIVE DESCRIPTIO ET DISTRIBVTIO CAVſarum ſalutis electorum, & exitij reproborum, ex ſacris literis collecta.

DEVS cuius viæ imperueſtigabiles.

PROPOSITVM eius æternum & immutabile, omnes cauſas ordine quoque antegrediens, quo in ſemetipſo decreuit ab æterno, certos homines ad ſuam ipſius gloriam

ELIGERE in CHRISTO ſeruandos.

REIICERE, ſua ipſorum culpa damnandos.

CREATIO hominis in recto ſtatu, ſed mutabili.

CORRVPTIO hominis ſpontanea & contingens.

AMOR gratuitus Dei erga corruptos quidem in ſeipſis, ſed in CHRISTO gratis deſtinatos electioni & ſaluti.

ODIVM Dei iuſtum erga corruptos in ſeipſis, ex peccati per ADAMVM propagatione.

VOCATIO EFFICAX.

NVLLA VOCATIO. VOCATIO INEFFICAX.

EMOLLITIO ſiue CONVERSIO, ex mera gratia.

INDVRATIO ſpontanea.

FIDEI.

IGNORATIO EVANGELII. CONTEMPTVS oblati Euangelii.

IVSTIFICATIO ex imputatione, & SANCTIFICATIO inchoata.

INIVSTITIA & POLLVTIO.

IVDICIVM Dei de vtriſque.

GLORIFICATIO iuſtificatorum in Chriſto.

DAMNATIO iuſta peccatorum.

IVSTITIA Dei

VITA AETERNA CORONANTIS etiam in membris Chriſti, obedientiam eius ipſis imputatam gratis.

MORTIS AETERNAE iuſta pœna peccatores mulctantis.

GLORIA DEI ex æterno eius decreto, ſummè miſericordis, & ſummè ſeuerj.

Ô altitudo iudiciorum Dei! Quis prior dedit illi & retribuet ei? Rom. 11. 36.

TH. B.

Breuis explicatio præcedentis *TABVLÆ.*

CAPVT I.

Quæſtionem de æterna Dei Prædeſtinatione neque curioſam, neque parum eſſe neceſſariam in Eccleſia Dei.

AVGVSTINVS lib. de bono perſeuerantiæ cap. 14. *Prædeſtinationis doctrinã aiunt prædicationi aduerſam eſſe, ne quid proſit. Quaſi verò aduerſata ſit Apoſtolo prædicanti. Nónne ille doctor Gentium prædeſtinationem toties commendauit, & verbum Dei prædicare non deſtitit?*

Item, *Sicut is qui donũ accepit, rectè exhortatur & prædicat: ita exhortantem & prædicantem obedienter audit qui accepit hoc donum, &c. Exhortamur ergo atque prædicamus: ſed qui habent aures audiendi, obedienter nos audiunt: qui verò non habent, fit in eis quod ſcriptũ eſt, vt audiẽtes nõ audiãt: audiẽtes corporis ſenſu, nõ audiãt corporis aſſenſu. Cur aliĩ illi habeant, illi non, hoc eſt, cur illis datũ ſit à Patre vt veniãt ad Filium, illis non ſit datũ, quis cognouit ſenſum Domini? Nunquid ideo negandũ eſt quod apertum eſt, quia comprehendi non poteſt quod occultum eſt?*

Item cap. 15, *Nunquid ſi hoc audito nonnulli in torporem ſegnitiémque vertantur, & à labore procliues ad libidinem poſt concupiſcentias eant: propterea de præſcientia Dei falſum putandum eſt quod dictum eſt?* Itẽ, *Et nos dicere nolumus quod teſte Scriptura dicere licet? Timemus videlicet ne offendatur qui capere non poteſt, non autem timemus ne tacentibus nobis, qui veritatem poteſt capere, falſitate capiatur?*

Item cap. 20, *Si Apoſtoli & qui eos ſecuti ſunt Eccleſiæ Doctores, vtrunque fecerunt, vt de æterna Dei electione piè diſſererent, & ſub pia vitæ diſciplina continerent fideles, quid eſt quod inuicta concluſi violentia veritatis iſti noſtri ſe rectè dicere exiſtimant, non eſſe populo prædicandum, etſi verum ſit quod de Prædeſtinatione dicitur? Imò prædicandum eſt prorſus, vt qui habet aures audiendi, audiat. Quis autem habet ſi non accepit ab eo qui ſe daturum promittit? Certè qui non accipit, reiiciat: dum tamen qui capit, ſumat & bibat: bibat & viuat. Sicut enim prædicanda eſt pietas vt ritè colatur Deus, ita & Prædeſtinatio: vt qui habet aures audiendi, de gratia Dei in Deo non in ſe glorietur.*

Hæc eſt excellentiſſimi illius hominis ſententia, quæ tamen duas cõditiones ponit. Vna eſt, ſi ex verbi Dei præſcripto de his diſſeratur: altera, ſi hoc ipſum quod Scriptura de his rebus explicat, dextrè & in ædificationem exponatur. De hoc autem vtroque paucis agere conſtituimus, & primùm quidem de doctrina ipſa: deinde de ipſius vſu & applicatione.

CAPVT II.

De æterno conſilio Dei in ipſo abſcondito, quod tamen demum ex effectu intelligitur.

APHORISMVS *primus.*

DEI [1] omnipotentis viæ ſunt imperſcrutabiles, [2] ſine cuius æterno & immutabili decreto nihil fit vſpiam à quoquam, neque vniuerſaliter, neque ſpecialiter, ne iis quidem exceptis quæ, [3] (licet non quatenus à Deo ſemper bono & iuſto decernuntur, ſed quatenus à Satana & aliis malis inſtrumentis fiunt) mala ſunt, ac proinde deteſtanda. 1 Dei conſiliũ, decretum & volũtas, fons omnium cauſarum.

PROBATIONES EX DEI VERBO.

1 *Rom.11.33. O profunda diuitias tum ſapientiæ tum cognitionis Dei! quàm inſcrutabilia ſunt eius iudicia, & eius viæ imperueſtigabiles!*

Rom.9.20. Imò verò, ô homo, tu quis es qui ex aduerſo reſponſas Deo?

Iob.9.10.11.12. Qui facit magna, eáque imperueſtigabilia, & mirabilia abſque numero. Ecce tranſit ante me, & non video: & præterit, nec intelligo eum. Certè rapiet, quis reſtituere faciet eum? quis dicet ei, Quid facis?

2 *Gen. 27,20. Dixit autem Iſaac filio ſuo, Quid hoc, quòd tam citò inueniſti, fili mi? Qui ait, Quia occurrere fecit Iehoua Deus tuus coram me.*

Epheſ.1.11. In quo etiam lecti ſumus, quum eſſemus prædeſtinati ſecundum propoſitum eius qui omnia efficit ex conſilio voluntatis ſuæ.

Exod.21.13. At qui non inſidiatus fuerit ei, ſed Deus fuit cauſa vt veniret ad manum eius, &c.

Prouerb.16.33. In ſinum proiicitur ſors, & à Iehoua eſt omne iudicium eius.

Prouerb.20.24. A Iehoua greſſus viri diriguntur: homo autem quomodo intelliget viam ſuam?

Prouerb.21.1. Velut riuuli aquarum eſt cor Regis in manu Iehouæ: ad omne quod vult inclinat illud.

Iſa.14 27. Quoniam Iehoua exercituum decreuit, & quis diſſoluet? manus eius extenta, & quis auertet eam?

Ierem.10.23, Noui, Iehoua, quòd non eſt hominis via eius, nec eſt viri ambulantis vt preparet greſſum ſuum.

Dan.4.32. Et omnes habitatores terræ tanquam nihilum reputati ſunt: & iuxta voluntatem ſuam facit in exercitu cœli & habitatoribus terræ: nec eſt qui percutiat manu ſua, & dicat ei, Quid feciſti?

Math.10.29. Nónne duo paſſerculi aſſario veneunt, & vnus ex eis nõ cadet humi ſine Patre veſtro?

3 *Epheſ.2.1.2. Et vos, quum eſſetis mortui in offenſis & peccatis: in quibus olim verſati eſtis, vt eſt vita mundi huius, ſecundum principem cui poteſtas eſt aëris & Spiritus nunc agentis in hominibus contumacibus.*

1.Sam.16.14. Spiritus autem Iehouæ receſſit à Saulo, & terruit eum ſpiritus malus à Iehoua.

2.Tim.2.26. Et elapſi ex Diaboli laqueo, à quo captiui tenentur.

Gen.45.8. Nunc itaque non vos miſiſtis me huc, ſed Deus.

Gen.50,20. Et vos cogitaſtis aduerſum me malum, Deus autem cogitauit illud in bonum, vt faceret ſecundum diem hanc, &c.

Exod.4.21. Et ego indurabo cor eius, vt non dimittat populum.

Exod.7.3. Ego verò indurabo cor Pharaonis, & multiplicabo ſigna mea & portenta mea in terra Aegypti.

Exod.9.12. Et roborauit Iehoua cor Pharaonis, neque obediuit eis, quemadmodum loquutus fuerat Iehoua ad Moſem.

Exod 10.1. Ingredere ad Pharaonem: quia ego aggrauaui cor eius, & cor ſeruorum eius.

20. Et roborauit Iehoua cor Pharaonis.

Exod.11.10. Roborauit autem Iehoua cor Pharaonis, neque dimiſit filios Iſrael è terra ſua.

Exod.14.4. Et roborabo cor Pharaonis, & perſequetur eos: & glorificabor in Pharaone.

17. Ego verò, ecce ego roboro cor Aegyptiorum, & ingredientur poſt eos. & glorificabor in Pharaone, & in vniuerſo exercitu eius, & in curribus eius, & in equitibus eius.

Deut.2.30. Et noluit Sihon rex Heſbon vt tranſiremus per ſe: indurauerat enim Iehoua Deus tuus ſpiritum eius, & obfirmauerat cor eius vt daret eum in manu tua.

Ioſ.11.19.20. Non fuit vrbs quæ pacem fecerit cum filijs Iſrael, præter Hiuæos, habitatores Gibeon: omnes alias ceperunt prælio. Quia à Iehoua fuit hoc, vt induraret cor eorum in occurſum belli cum Iſrael.

1.Sam.2.25. Et non audierunt vocem patris ſui: quia volebat Iehoua occidere eos.

2.Sam.12.11. Sic dixit Iehoua, En ego ſuſcitaturus ſum aduerſum te malum de domo tua, tollámque vxores tuas in oculis tuis, & dabo proximo tuo, dormiétque cum vxoribus tuis in oculis ſolis huius.

2.Sam.24.1. Et addidit furor Iehouæ iraſci contra Iſraelem, & concitauit Dauidem in eos, dicendo, Vade, numera Iſraelem & Iuda.

1.Reg.12.15. Et non exaudiuit rex populum: fuit enim cauſa à Iehoua, vt confirmaret verbum ſuum quod loquutus fuerat ipſe per manum Ahiæ Silonitæ ad Ieroboam filium Nebat.

1.Reg.22.23. Nunc ergo en dedit Iehoua ſpiritum mendacij in ore omnium Prophetarum tuorum iſtorum.

2.Reg.18.25. Et nunc, nunquid abſque Iehoua aſcendi contra locum iſtum, vt diſperdam illum? Iehoua dixit mihi, Aſcende contra terram iſtam, & diſperde eam.

2. Paralip.11.4. Sic dixit Iehoua, Ne aſcendatis, neque pugnetis contra fratres veſtros: reuertimini quiſque in domum ſuam: quia à me facta eſt res iſta.

2.Paralip.22.7. A Deo autem erat conculcatio Ochoziæ.

2.Paralip.25.20.Et non acquieuit Amaſius, quia à Deo erat vt traderet eos in manum hoſtis.

Nehem.9.36.37.Ecce hodie ſerui ſumus,& quidem *in terra quam dediſti Patribus noſtris, &c. Et fructum ſuum multiplicat regibus quos poſuiſti ſuper nos propter peccata noſtra.*

Iob.1.21.Iehoua dedit,& Iehoua abſtulit:ſit nomen Iehouæ benedictum.

Iob.34.30.Eò quòd regnet homo hypocrita,& propter offendicula populi.

Pſal.105.25.Conuertit cor eorum vt odio haberent populum ſuum: vt machinarentur dolos in ſeruos ipſius.

Iſa.10.15.An gloriabitur ſecuris aduerſus ſecantem ipſa?an magnificabitur ſerra aduerſus eum qui ipſam agitat?quaſi eleuatio virgæ contra eleuantem ipſam: quaſi eleuationes baculi,non ligni.

Iſa.54.16.Ecce ego creaui fabrum,ſufflantem in igne prunas,& proferentem inſtrumentum ad opus ſuum: Ego,inquam,creaui vaſtatorem ad perdendum.

Iſa.63.17.Quare feciſti nos errare Iehoua à viis tuis?recedere feciſti cor noſtrum à timore tui?

Iohan.12.40.& Iſa.6.10.Excæcauit oculos eorum,& obdurauit corda eorum:ne videant oculis,& intelligant corde,& conuertantur,& ſanem eos.

Ier.48.10.Maledictus qui facit opus Iehouæ fraudulēter,& maledictus qui prohibet gladium ſuum à ſanguine.

Act.2.23. Hunc, inquam*, definito conſilio & prouidentia Dei deditum quum accepiſſetis,manibus ſceleratis* cruci *affixum interemiſtis.*

Act.4.27.28.Coacti ſunt enim verè aduerſus ſanctum Filium tuum Ieſum,quem vnxiſti, Herodes & Pontius,Pilatus cum Gentibus & populis Iſrael, vt facerent quæcunque manus tua, & conſilium tuum prius definierat facienda.

Rom.9.18.Itaque cuius vult miſeretur,quem autem vult,indurat.

19.Dices ergo mihi,Quid adhuc ſuccenſet?nam voluntati illius quis reſtitit?

Rom.11.32.Concluſit enim Deus omnes in contumacia, vt omnium miſereretur.

Gal.3.22.Sed concluſit Scriptura omnia ſub peccatum, vt promiſsio ex fide Ieſu Chriſti daretur credentibus.

1.Theſ.3.3. Vt nemo commoueatur in oppreſsionibus iſtis.ipſi enim noſtis nos ad id eſſe conſtitutos.

*Rom.8.29.Nam quos præſciuit,*eoſdem *& prædeſtinauit vt conformes fiant imagini Filij ſui.*

1.Petr.3.17.Melius enim eſt vt bene agentes,ſi ita velit Dei voluntas,malis afficiamini, quàm malè agentes.

1.Petr.4.19.Itaque qui affliguntur ex voluntate Dei,&c.

APHORISMVS *ſecundus.*

IDEM ille Deus[1] ab æterno propoſuit & decreuit in ſemetipſo omnia ſuis 11.
temporibus ad gloriam ſuam creare, ac nominatim quidē homines, ídque duobus modis penitus diuerſis:ita nempe,[2] vt alios quos ſibi viſum fuerit pro arcana ſua voluntate faciat per miſericordiam gloriæ ſuæ participes,quos vaſa honoris,electos,filios promiſsionis,& prædeſtinatos ad ſalutem ex Dei verbo appellamus:[3] in alteris verò,quos item placuerit in eum vſum ſuſcitare,iram ac potentiam ſuam oſtēdat,vt in ipſis quoque glorificetur,quos vaſa contumeliæ & iræ, & ad omne bonum opus reprobos vocamus.

Duplex Dei propoſitum in condendis hominibus.

PROBATIONES EX DEI VERBO.

Prouerb.16.4.Omnia operatus eſt Iehoua propter ſeipſum:& etiam impium ad diem malum. 1

Iſa.43.6 Dicā Aquiloni,Da:& Auſtro,Ne prohibeas. Adducito filios meos è longinquo,& filias 2
meas ab extremo terræ.

7.Omnes vocati nomine meo:& ad gloriam meam creaui eos:formaui eos,adeóque feci eos.

Epheſ.1.5.6.Qui prædeſtinauit nos quos adoptaret in filios per Ieſum Chriſtum in ſeſe, pro beneuolo affectu voluntatis ſuæ,ad laudem glorioſæ ſuæ gratiæ,qua nos effecit ſibi gratos in illo dilecto.

Rom.9.23. Et vt notas faceret diuitias gloriæ ſuæ erga vaſa miſericordiæ, quæ præparauit ad gloriam.

Rom.8.29. Nam quos præſciuit, eoſdem *& prædeſtinauit* vt *conformes* fiant *imagini Filij ſui.*

Rom.9.7.8. Sed in Iſaac vocabitur tibi ſemen, hoc eſt, non qui filij carnis, ij filij Dei: ſed qui ſunt filij promiſſionis, cenſentur in ſemine.

Rom.9.21. Annon habet poteſtatem figulus in lutum, vt ex eadem maſſa faciat aliud quidem vas ad decus, aliud verò ad dedecus?

1.Cor.2.7. Sed loquimur ſapientiam Dei latentem *in myſterio*, id eſt, *occultam illam, quam præfinierat Deus ante ſecula in gloriam noſtram.*

Epheſ.1.4. Sicut elegit nos in ipſo antequam iacerentur fundamenta mundi, vt ſimus ſancti & inculpati coram eo per charitatem.

2.Theſ.2.13. Nos autem debemus gratias agere Deo ſemper de vobis, fratres dilecti à Domino, quòd elegerit vos Deus ab initio ad ſalutem per ſanctificationem Spiritus, & fidem habitam veritati.

1.Petr.1.2. Delectis ex prænotione Dei Patris, ad ſanctificationem Spiritus.

3 *Exod.9.16. Et profectò ob id conſtitui te*, nempe, *vt oſtenderem tibi potentiam meam, vtque narrent nomen meum in vniuerſa terra.*

Prouerb.16.4. Omnia operatus eſt Iehoua propter ſeipſum: & etiam impium ad diem malum.

Rom.9.22. Quid *ſi verò volens oſtendere iram, & notam facere potentiam ſuam, pertulit multa lenitate vaſa iræ, coagmentata ad interitum?*

APHORISMVS *tertius.*

III. *Electio in propoſito Dei latens.* HAEC electio ſeu prædeſtinatio ad ſalutem in ipſo propoſito Dei conſiderata, id eſt, decretum ipſum & propoſitum eligendi, primus eſt ſalutis filiorum Dei fons: neque, vt nõnulli volunt, à præſcientia vel fidei ipſorum, vel operum manat, ſed ab eo vno potius quod eſt in ipſo Dei beneplacito, à quo deinde & electio, & fides, & opera omnia oriuntur.

PROBATIONES EX DEI VERBO.

Deut.4.37. Et quoniam dilexit Patres tuos, elegit ſemen eius poſt eum, eduxitque te ante ſe potentia ſua maxima ex AEgypto.

Deut.7.7. Non quia plures eſſetis præ omnibus populis amauit vos Iehoua, & elegit vos, &c.

Ioſ.24.2. Dixitque Ioſue ad vniuerſum populum, Sic dicit Iehoua Deus Iſraël: trans flumen habitauerunt Patres veſtri à ſeculo, vt *Thare pater Abraham, & pater Nachor, ſeruieruntque dijs alienis.*

Pſalm.44.4. Quia non gladio ſuo poſſederunt terram, & brachium eorum non ſaluauit eos: ſed dextera tua, & brachium tuum, & lux vultus tui, quia complacueras tibi *in eis.*

Ioh.15.16. Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos, & conſtitui vos vt abeuntes fructum adferatis, &c.

Act.13.48. Gentes autem hæc audientes, gauiſæ ſunt, & glorificabant ſermonem Domini: & crediderunt quotquot erant ordinati ad vitam æternam.

Act.22.14. Ipſe autem dixit, Deus Patrum noſtrorum delegit te qui cognoſceres ipſius voluntatem, & videres Iuſtum illum, & audires vocem ex ore ipſius.

Rom.5.6. Chriſtus enim, quum adhuc nullis viribus eſſemus, ſuo tempore pro impiis mortuus eſt.

Rom.9.11.12. Nondum enim natis pueris, *quum nihil feciſſent boni vel mali, vt propoſitum Dei quod* eſt *ſecundum* ipſius *electionem*, id eſt, *non ex operibus ſed ex vocante*, firmum *maneret, dictum eſt ei, Maior ſeruiet minori.*

13. Sicut ſcriptum eſt, Iacob dilexi, Eſau verò odio habui.

14. Quid igitur dicemus? Num iniuſtitia eſt apud Deum? Abſit.

15. Nam Moſi dicit, Miſerebor cuius miſertus fuero, & commiſerabor quem commiſeratus fuero.

16. Nempe igitur electio *non eſt eius qui velit, neque eius qui currat, ſed miſerentis Dei.*

18. Itaque cuius vult miſeretur, quem autem vult indurat.

23. Et vt notas faceret diuitias gloriæ ſuæ erga vaſa miſericordiæ, quæ præparauit ad gloriam.

Rom.11.7. Quid igitur? Quod requirit Iſraël, hoc non eſt aſſequutus: ſed electi aſſequuti ſunt, reliqui verò occalluerunt.

35. Aut quis prior dedit ei, & reddetur ei?

1.Cor.

1.Cor.4.7.Quis enim te diſcernit? quid autem habes quod non acceperis? quòd ſi etiam accepiſti, quid gloriaris vt qui non acceperis?

Epheſ.1.4.Sicut elegit nos in ipſo antequam iacerentur fundamenta mundi, vt ſimus ſancti & inculpati coram eo per charitatem:

5 Qui prædeſtinauit nos quos adoptaret in filios per Ieſum Chriſtum in ſeſe, pro beneuolo affectu voluntatis ſuæ.

11. In quo etiam lecti ſumus, quum eſſemus prædeſtinati ſecundum propoſitum eius qui omnia efficit ex conſilio voluntatis ſuæ.

Epheſ.2.10. Nam ipſius ſumus opus, conditi in Chriſto Ieſu ad opera bona, quæ præparauit Deus vt in eis verſaremur.

Coloſſ.1.12.Gratias agentes Patri, qui idoneos nos fecit ad participandam ſortem ſanctorum in luce.

2.Tim.1.9.Qui ſeruauit nos, & vocauit vocatione ſancta: non ex operibus noſtris, ſed ex ſuo propoſito, & gratia, quæ data eſt nobis in Chriſto Ieſu ante tempora ſecularia.

APHORISMVS *quartus.*

I T A Q V E Scriptura quoties filios Dei vult ſpe certa confirmare, non hæret vel in ſecundarum cauſarum teſtimoniis, id eſt, fidei fructibus, neque in ipſis ſecundis & proximis cauſis, fide videlicet & vocatione, ſed aſcendit ad ipſum Chriſtum, in quo tamen vt capite reipſa electi & adoptati ſumus, & deinceps ad æternum vſque illud propoſitum conſcendit, quod Deus in nullo alio quàm in ſemetipſo propoſuit. IIII.

PROBATIONES EX DEI VERBO.

Matth.25.34.Tunc dicet Rex his qui ad dexteram ipſius erunt, *Venite benedicti Patris mei, poſſidete regnum paratum vobis à iactis fundamentis mundi.*

Ioh.6.40.Hæc eſt autem voluntas eius qui miſit me, vt omnis qui videt Filium, & credit in eum, habeat vitam æternam: ego verò ſuſcitabo eum vltimo illo die.

Ioh.6.45.Eſt ſcriptum in Prophetis, Et erunt omnes docti à Deo. Quiſquis ergo audiuit à Patre & didicit, venit ad me. Iſa.54.13

Act.13.48.Gentes autem hæc audientes, gauiſæ ſunt, & glorificabant ſermonem Domini: & crediderunt quotquot erant ordinati ad vitam æternam.

Rom.8.29. Nam quos præſciuit, eoſdem *& prædeſtinauit* vt *conformes* fiant *imagini Filij ſui.*

Rom.9.8, Non qui filij carnis, ij filij Dei: ſed qui ſunt *filij promiſſionis, cenſentur in ſemine.*

11.Nondum enim natis pueris, *quum nihil feciſſent boni vel mali, vt propoſitum Dei quod* eſt *ſecundum* ipſius *electionem,* id eſt, *non ex operibus, ſed ex vocante* firmum *maneret, &c.*

16.Nempe igitur electio *non eſt eius qui velit, neque eius qui currat, ſed miſerentis Dei.*

23. Et vt notas faceret diuitias gloriæ ſuæ erga vaſa miſericordiæ, quæ præparauit ad gloriam.

Rom.11.7.Quid igitur? Quod requirit Iſrael, &c.

Epheſ.1.4.Sicut elegit nos in ipſo antequam iacerentur fundamenta mundi, &c.

5.Qui prædeſtinauit nos quos adoptaret in filios per Ieſum Chriſtum in ſeſe.

9.Patefacto nobis myſterio volũtatis ſuæ, ſecundũ gratuitã ſuã beneuolentiã quã ꝑpoſuit in ſeſe.

11.In quo etiam lecti ſumus, &c.

2.Tim.2.19.Solidum tamen fundamentum Dei ſtat, habens ſigillum hoc, Nouit Dominus qui ſint ſui: &, Diſcedas ab iniuſtitia omnis qui nominat nomen Chriſti.

1.Cor.2.7.Sed loquimur ſapientiam Dei, latentem *in myſterio,* id eſt, *occultam illam quam præfinierat Deus ante ſecula in gloriam noſtram.*

10. Nobis autem Deus ea *reuelauit per Spiritum ſuum. Spiritus enim omnia ſcrutatur, etiam profunditates Dei.*

1. Petr.1.19.20. Sed pretioſo ſanguine(redemptos,)*vtpote agni immaculati & incontaminati,* nempe *Chriſti: præordinati quidem ante iacta mundi fundamenta, patefacti vero vltimis temporibus propter vos.*

APHORISMVS *quintus.*

V. Reprobatio in propoſito Dei latens.

I T E M quum de reproborum interitu agitur, [1]quanuis tota culpa intra ipſós maneat, [2]interdum tamen, quoties ita opus eſt, Spiritus Dei vt melius ex comparatione notas faciat diuitias gloriæ erga miſericordiæ vaſa, inſignémque ſuam potētiam atque adeò lenitatem, vſque in altum illud myſterium nos ſubuehit, quod omnes damnationis illorum cauſas ordine antecedit. Cuius quidem arcani nulla alia cauſa hominibus nota eſt præter iuſtam ipſius voluntatem, quam reuerenter excipere nos oportet, ab eo nimirum profectam, qui propriè iuſtus eſt, & nulla ratione poteſt ab hominibus aut quoquam alio comprehendi.

PROBATIONES EX DEI VERBO.

1 *Hoſ.13.9.*Iniquitas tua *perdidit te, Iſrael: ſed in me auxilium tuum.*

Ioh.3.19.Hæc eſt autem condemnatio, quòd Lux venit in mundum, ſed dilexerunt homines potius tenebras quàm lucem.

Rom.9.23. Et vt notas faceret diuitias gloriæ ſuæ erga vaſa miſericordiæ, quæ præparauit ad
2 *gloriam.*

Exod.9.16.Et profectò ob id conſtitui te, nempe vt oſtenderem tibi potentiam meam, vtq́; narrent nomen meum in vniuerſa terra.

Pſal.33.15. Qui formauit ſimul cor eorum, conſiderans omnia opera eorum.

Prouerb.16.4.Omnia operatus eſt Iehoua propter ſeipſum: & etiam impium ad diem malum.

Rom.9.11.Nondum enim natis pueris, *quum nihil feciſſent boni vel mali, vt propoſitum Dei quod* eſt *ſecundum* ipſius *electionem*, id eſt, *non ex operibus, ſed ex vocante, &c.*

Malach.1.2

13. Sicut ſcriptū eſt, Iacob dilexi, Eſau verò odio habui. Vbi non tantū dicit, Eſau antequā boni quidpiam feciſſet, deſtinatū fuiſſe odio (nam hoc modo videri poterat non niſi actualia, vt loquuntur, peccata vel incredulitatem attingere,) ſed diſertè exprimit, antequam natus eſſet. Quibus verbis originale quoque peccatum, & quicquid in perſona Eſau ab ipſa genitura reputari poteſt, ab odii cauſa excludit. Itaque vbi paulò pòſt reprobos obſtrepentes inducit, non hunc eis attribuit ſermonem, Quare non eodem odio alios etiam proſequitur Deus, quandoquidem in eadem qua nos corruptione nati ſunt? nihil, inquam, in verbis Apoſtoli tale legitur: ſed hanc eorum exceptionem opponit, Voluntati eius quis reſiſtet? Nam hinc colligit humana ratio, immeritò eos damnari. Nec verò reſpondet Paulus, ita voluiſſe Deum, quia corruptos fore præuideret, atque ita decreti cauſam in eorum prauitate eſſe fundatam, (quæ defenſio plana & expedita erat, ſiquidem vera eſſet) ſed dum fatetur ita placuiſſe Deo, nec in iſtorum arbitrio fuiſſe id mutare, certè hominum prudentiam in ordinem cogit, vt reuerenter Dei myſteria adoret, vt iuſtiſsimum eſt: electos verò ad ſuſpiciēdam Dei gratiam hortatur, quam eiuſmodi comparatione illuſtrat. Ita igitur cætera etiam teſtimonia explicanda ſunt in quibus ad ſupremam Dei voluntatem, quæ vna eſt iuſtitiæ regula, aſcenditur.

Iſa.54.16.Ecce ego creaui fabrum, ſufflantem in igne prunas, & proferentem inſtrumentum ad opus ſuum: ego, inquam, creaui vaſtatorem ad perdendum.

Ioh.6.44.Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater qui miſit me, traxerit eum.

Ioh.10.26.Sed vos non creditis: non enim eſtis ex ouibus meis: ſicut dixi vobis.

Ioh.12.39.40.& Iſa.6.10.Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Iſaias, Excæcauit oculos eorum, & obdurauit corda eorum: ne videant oculis, & intelligant corde, & conuertantur, & ſanem eos.

1.Petr.2.7.8.Et lapis offendiculi & petra offenſionis, ijs qui offendunt ad ſermonem, immorigeri, ad quod etiam conditi fuerunt.

Et pluribus aliis locis.

Iud.1.4.Nam ſubrepſerunt quidam homines, prius iam olim deſcripti ad hanc damnationem.

APHORISMVS *ſextus.*

VI. Diſtinctio inter eligendi propoſitum & electionē, itémque inter reprobādi propoſitum & reprobationē.

D E B E M V S enim inter reprobandi propoſitum & reprobationem ipſam diſtinguere. Nam illius myſterium nobis occultum eſſe voluit Deus: iſtius autem, & exitii quoque quod ab ea dependet, cauſas habemus in verbo Dei expreſſas, nimirum corruptionem, infidelitatem, & iniquitatem (neceſſarias quidē illas quod ad euentū attinet, ſed tamē volūtarias) vaſorū ad contumeliā factorū.

PRO-

PROBATIONES EX DEI VERBO.

*2.Theſ.2.9. Cuius(*impij*)aduentus eſt ex efficacia Satanæ, cum omni potentia, & ſignis, ac prodigiis mendacibus:*

10.Et cum omni fraude iniuſtitiæ in iis qui pereunt:pro eo quòd amorem veritatis non receperunt vt ſalui fierent.

11.Propterea igitur mittet illis Deus efficaciam deceptionis,vt credant mendacio:

12.Vt damnentur omnes qui non crediderunt veritati,ſed acquieuerunt in iniuſtitia.

Rom.11.20. Rectè:per infidelitatem defracti ſunt,tu verò per fidem ſtas:ne effertor animo,ſed time.

2.Cor.4.3.Quòd ſi tectum Euangelium noſtrum,ijs qui pereunt tectum eſt:

*4 In quibus Deus huius ſeculi excæcauit mentes,*id eſt,*infidelibus,ne irradiet eos lumen Euangelij gloriæ Chriſti, qui eſt imago Dei.*

Hebr.12.16.Ne quis ſit ſcortator,aut profanus,velut Eſau,qui vnico edulio vendidit ſuum ius primogeniti.

17. Scitis enim eum etiam poſtea cùm vellet hæreditario iure benedictionem aſſequi, reprobatum fuiſſe:non enim reperit pænitentiæ locũ,quãuis cũ lacrymis benedictionẽ *illam exquiſiſſet.*

APHORISMVS *ſeptimus.*

SIC quum de cauſis ſalutis in gradus & certa ſerie deſcribendis agitur, in VII.
electorum ſalute propoſitum eligendi, quod Deus in ſemetipſo decreuit,ab electione ipſa diſtinguimus,quæ eſt in Chriſto conſtituta, ita vt illud iſta & cætera omnia quæ conſequuntur,in cauſarum ſerie antegrediatur.

PROBATIONES EX DEI VERBO.

Rom.8.30.Quos verò prædeſtinauit,eos etiam vocauit:& quos vocauit,eos etiam iuſtificauit: quos autem iuſtificauit,eos etiam glorificauit.

Epheſ.1.4.Sicut elegit nos in ipſo antequam iacerentur fundamenta mundi,&c.

5 Qui prædeſtinauit nos quos adoptaret in filios per Ieſum Chriſtum in ſeſe, pro beneuolo affectu voluntatis ſuæ.

CAPVT III.

De exequutione æterni conſilij in eo quod electis & reprobis commune eſt.

APHORISMVS *primus.*

DOMINVS vt æternum illud conſilium ad gloriam ſuam exe- 1.
queretur,viam quandam ſibi muniit pro ſua infinita ſapientia,vtriſque tum eligendis,tum reprobandis communem. Quum enim in electorum ſalute conſtituiſſet inſigne miſericordiæ ſuæ ſpecimen edere: itémque in reprobis condemnandis iuſtum ſuum iudicium oſtendere,[1] neceſſe fuit vt vtroſque ſub contumacia & peccato includeret, vt omnium credentium,[2] id eſt,electorum([3]eſt enim fides donum Dei electis peculiare)miſereatur:[4] & è contrario vt iuſtæ damnationis argumentum in iis inueniat, quibus neque credere,neque myſteria Dei noſſe datum eſt.

Cur homo bonus quidem eſt creatus, ſed qui malus ſponte fieret.

PROBATIONES EX DEI VERBO.

Rom.11.32. Concluſit enim Deus omnes in contumacia,vt omnium miſereretur. 1

Gal.3.22.Sed concluſit Scriptura omnia ſub peccatum, vt promiſſio ex fide Ieſu Chriſti daretur credentibus. 2

Act.13.48.Gentes autem hæc audientes,gauiſæ ſunt, & glorificabant ſermonem Domini: & crediderunt quotquot erant ordinati ad vitam æternam. 3

Epheſ.2.8. Gratia enim eſtis ſeruati per fidem:idq; non ex vobis:Dei donum eſt.

2.Theſ.3.2.Non omnium eſt fides.

Tit.1.5. Secundum fidem electorum Dei, & agnitionem veritatis qua eſt ſecundum pietatem:
2. Ad ſpem vitæ æternæ quam promiſit Deus ille mentiri neſcius, ante tempora ſecularia.
Phil.1.29. Quia vobis datũ eſt in Chriſti negotio, nõ ſolùm in eũ credere, ſed etiã pro eo affligi.
Gal.5.22. At fructus Spiritus, eſt charitas, gaudium, pax, lenitas, benignitas, bonitas, fides &c.
Matth.13.11. Quia vobis datum eſt noſſe myſteria regni cælorum, illis autem non eſt datum.
Ioh.12.37. Quum autem tot ſigna coram eis edidiſſet, non credebant in eum:
38 Vt ſermo Iſaiæ Prophetæ impleretur, quem dixit, Domine quis credidit ſermoni noſtro, & brachium Domini cui retectum eſt?
39 Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Iſaias,
40 Excæcauit oculos eorum, & obdurauit corda eorum: ne videant oculis, & intelligant corde, & conuertantur, & ſanem eos.

APHORISMVS *ſecundus.*

II. HOC igitur ea ſapientia fecit, vt tota damnationis reproborum culpa in ipſis hæreat: tota autem ſalutis electorum laus ad ipſius miſericordiam in ſolidũ ſit referẽda. Neque enim hominẽ creauit in peccato (fuiſſet enim ipſe, quod abſit, peccati author, quod iure deinde punire non potuiſſet) quin potius ad imaginem ſuam illum condidit, id eſt, in puritate ac ſanctitate.

Creatio hominis.

PROBATIONES EX DEI VERBO.

Gen.1.27. Creauit itaque Deus hominem ad imaginem ſuam: ad imaginem Dei creauit illũ, maſculum & fœminam creauit illos.
Epheſ.4.24. Et induere nouum illum hominem qui ſecundum Deum conditus eſt ad iuſtitiã, & ſanctimoniam veram.

APHORISMVS *tertius.*

III. IS poſtea à nemine prorſus coactus, nulláque adeò, quod ad ipſius voluntatem attinet, concupiſcentiæ neceſsitate impulſus (neque enim adhuc erat peccato mancipata) ſponte & liberè Deo rebellis integram hominis naturam peccato & vtrique morti addixit.

Corruptio.

PROBATIONES EX DEI VERBO.

Gen.2.17. In die quo comederis ex ea, moriendo morieris.
Rom.7.20. Quòd ſi id facio quod ego nolo, non amplius ego id perpetro, ſed peccatum quod in me habitat.
Rom.5.12. Propterea ſicut per vnum hominem peccatum in mundum introijt, ac per peccatum mors: & ita in omnes homines mors tranſiit, in quo omnes peccarunt.

APHORISMVS *quartus.*

IIII. FATENDVM tamen eſt hunc lapſum non contigiſſe vel fortuitò, quum Dei prouidentia ad res vſque minimas porrigatur, neque dici poſsit quicquã neſciente aut prorſus conniuente Deo euenire, quin (quod Deus auertat) cum Epicureis ſentiamus.

Lapſus ſine Dei voluntate & ordinatione euenire non potuit.

PROBATIONES EX DEI VERBO.

Matth.10.29. Nónne duo paſſerculi aſſario veneunt, & vnus ex eis non cadet humi ſine Patre veſtro?
30. Veſtri verò etiam capilli capitis omnes numerati ſunt.
Prou.16.33. In ſinum proijcitur ſors, & à Domino eſt omne iudicium eius.

APHORISMVS *quintus.*

V. NEQVE id verò cõtigit nuda & otioſa permiſsione aliqua quæ ab ipſius voluntate

luntate & decreto ſeparetur. Quũ enĩ finẽ ordinarit, neceſſe quoque eſt vt cauſas ad eũ finẽ ferẽtes cõſtituerit: niſi vel temerè, vel cauſis ab alio aliquo deo ex Manichæorum opinione cõſtitutis, eũ finẽ eueniſſe cõtẽdamus. Deinde ne cogitari quidẽ poteſt quicquã inuito & nolente Deo accidere, quin ipſum omnipotentẽ eſſe magna cum impietate inficiemur: quod Auguſtinus quoque in lib. De correptione & gratia cap. 104. diſertè annotauit. Relinquitur ergo hunc lapſum ita à voluntario Adami motu profectum, vt tamen non inuito Deo acciderit, cui miro quodam & incomprehenſibili modo placet, vt id quoque quod, quatenus peccatum eſt, nõ probat, nõ ſine voluntate ſua eueniat: idque, ſicut antè diximus, vt diuitias gloriæ ſuæ in vaſa miſericordiæ oſtendat: iram autem & potentiam ſuam in iis vaſis declaret quæ idcirco fecit vt ex ipſorum iuſta damnatione gloriam ſuam illuſtret. Neque enim vel electorum ſalus, vel reproborum exitium, vltimus eſt conſiliorum Dei finis, ſed ipſius gloriæ, tum in illis per miſericordiam ſeruandis, tum in his iuſto iudicio condemnandis, illuſtratio.

Aug. Enchir. ad Laurentiũ cap. 99.

Probationes ex Dei verbo.

Rom. 9. 21. Annon habet poteſtatem figulus in lutum vt ex eadem maſſa faciat aliud quidem vas ad decus, aliud verò ad dedecus?

22. Quid ſi verò volens oſtendere iram, & notam facere potentiam ſuam, pertulit multa lenitate vaſa iræ, coagmentata ad interitum, &c.

1. Petr. 2. 7. 8. Et lapis offendiculi, & petra offenſionis, ijs qui offendunt ad ſermonem, immorigeri, ad quod etiam conditi fuerunt.

Exod. 9. 16. Et profectò ob id conſtitui te, nempe *vt oſtenderem tibi potentiam meam, vtq́ narrent nomen meum in vniuerſa terra.*

Prou. 16. 4. Omnia operatus eſt Iehoua propter ſeipſum: & etiam impium ad diem malum.

Iſa. 54. 16. Ecce ego creaui fabrum, ſufflantem in igne prunas, & proferentem inſtrumentum ad opus ſuum: ego, inquam, creaui vaſtatorem ad perdendum.

Rom. 9. 11. Nondum enim natis pueris, *quum nihil feciſſent boni vel mali, vt propoſitum Dei quod* eſt *ſecundum* ipſius *electionem,* id eſt, *non ex operibus ſed ex vocante,* firmũ *maneret, &c.*

13. Sicut ſcriptum eſt, Iacob dilexi, Eſau verò odio habui.

17. Dicit enim Scriptura Pharaoni, Ad hoc ipſum excitaui te, vt oſtendam in te poteſtatem meam, & vt annuntietur nomen meum in tota terra.

18. Itaque cuius vult miſeretur: quem autem vult indurat.

Aphorismvs *ſextus.*

I T A Q V E, vt blaſphemias iſtas vitemus, in quas humani ingenii imbecillitas nos pertrahit, confiteamur corruptionem præcipui opificii à Deo conditi neque fortuitò eueniſſe, neque ſine eius voluntate, qui pro ſapientia ſua incõprehenſibili omnia ad gloriam ſuam facit ac diſponit: fateamur nihilominus, quantumuis reluctante humano illo iudicio, quod & certis initiò limitibus circunſcriptum fuit, & eſt poſtea miſerrimè deprauatum, totam exitii culpam in homine hærere, quia inter arcanam illam atque incomprehenſibilem Dei volũtatem, & eam corruptionem humani generis, quæ vera & prima propriè eſt interitus reproborum origo, volũtas primi illius hominis intercedit, quæ, quum bona eſſet creata, ſponte ſeſe deprauauit, ideóque iuſto Dei iudicio ad eos omnes perdendos, quos miſericordia ſua non dignatur, aditum patefecit. Quòd ſi iſti iterum reſponſantes obiiciant ſe non potuiſſe huic Dei voluntati reſiſtere, agè iſtos ſinamus in perniciem ſuam aduerſus illum contendere, qui facilè iuſtitiam VI.

Deus prorſus corruptionis culpam ſuſtinet.

ſuam aſſeret aduerſus eorum calumnias. Veneremur potius quod ingenii noſtri captum ſuperat, & omnes animi noſtri ſenſus ad eius prædicandam miſericordiam conuertamus, qui nos non minus quàm illi ſunt, ſceleratos, & quouis ſupplicio dignos, ſua vnius benignitate ſeruauit.

PROBATIONES EX DEI VERBO.

Rom.9.13. Sicut ſcriptum eſt, Iacob dilexi, Eſau verò odio habui.
14. Quid igitur dicemus? Num iniuſtitia eſt *apud Deum? Abſit.*
15. Nam Moſi dicit, Miſerebor cuius miſertus fuero, & commiſerabor quem commiſeratus fuero.
19. Dices ergo mihi, Quid adhuc ſuccenſet? nam voluntati illius quis reſtitit?
20. Imò verò, ô homo, tu quis es qui ex aduerſo reſponſas Deo? Num dicet figmentum fictori, Cur me talem feciſti?

CAPVT IIII.

Quo cauſarum ordine Dominus electioni ſuæ declarandæ & aliquatenus exequendæ viam aperuerit.

APHORISMVS *primus.*

I Electionis in actu fundamentum. CVM ſuperiora illa Dominus in ſeſe, vti diximus, conſtituiſſet, deinde ſerie cauſarum proxima, & tamen æterna, vt ſunt illi omnia præſentia, eos omnes gradus ſigillatim ordinauit quibus eligendos ſuos in regnum ſuum ſubueheret. Quia igitur ita eſt miſericors, vt interim iuſtitiæ ſuæ nec debeat, nec poſsit obliuiſci, primùm omnium oportuit mediatorem aliquem cõſtitui, per quem homo in integrum reſtitueretur, ídque ex gratuita miſericordia quæ in ſuorum ſalute appareret. Atqui homo præterquam quòd imbecillior eſt, quàm vt impetum iræ Dei ſuſtineat, [1] etiam in miſerrima illa ſua cæcitate ita ſibi placet, vt eam non cernat, [2] totus ſcilicet peccati imperio mancipatus, [3] adeò vt lex Dei ipſi ad mortem cedat: tantum abeſt vt vel ipſe ſeſe in libertatem poſsit aſſerere, vel legi Dei minima etiam ex parte ſatisfacere.

PROBATIONES EX DEI VERBO.

1 *Ioh.9.41. Si cæci eſſetis, non haberetis peccatum: nunc verò dicitis, Videmus: itaque peccatum veſtrum manet.*
2 *Rom.1.18. Palàm enim eſt ira Dei è cœlo aduerſus omnem impietatem & iniuſtitiam hominũ, vt qui veritatem iniuſtè detineant.*
24. Quamobrem etiam tradidit eos Deus cupiditatibus cordium ipſorum ad impuritatem, vt fœdarent corpora ſua inter ſe.
Rom.7.14. Scimus enim Legem eſſe ſpiritualem: at ego carnalis ſum, venditus vt ſubiicerer peccato.
Epheſ.2.3. Inter quos & nos omnes cõuerſati ſumus olim in cupiditatibus carnis noſtræ, facientes quæ carni ac cogitationibus libebant: eramuſq́ natura filij iræ, vt etiam reliqui.
3 *1.Cor.2.14. Animalis autem homo non eſt capax eorum quæ ſunt Spiritus Dei. ſunt enim ei ſtultitia, nec poteſt ea cognoſcere, quia ſpiritualiter diiudicantur.*
2.Cor.3.7. Quòd ſi mortis miniſterium literis informatum in ſaxis fuit glorioſum, &c.
9. Nam ſi miniſterium condemnationis fuit *glorioſum, &c.*
Rom.7.10. At ego mortuus ſum, & repertum eſt illud mandatum, quod inſtitutum *erat ad vitam, mihi* cedere *ad mortem.*

APHORISMVS *ſecundus.*

II. DEVS igitur clementiſsimus electorum pater, iuſtitiam illam ſuam infini-

ta

ta miſericordia temperans, Filium vnicum ſuum, eiuſdem ſecum ſubſtantiæ, Deúmque æternum deſignauit, qui tempore conſtituto verus homo fieret. Chriſtus mediator.

PROBATIONES EX DEI VERBO.

Matth.1.20. Ioſeph fili Dauid, ne metuito accipere Mariam vxorem tuam. Nam quod in ea genitum eſt, ex Spiritu ſancto eſt.

Luc.1.35. Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, & virtus Altiſſimi inumbrabit te: propterea id *etiam quod naſcetur ex te ſanctum, vocabitur Filius Dei.*

Ioh.1.14. Et ſermo ille caro factus eſt, & commoratus eſt inter nos, & ſpectauimus gloriam eius, gloriam inquam *vt vnigeniti egreſſi à Patre.*

Gal.4.4. At poſtquam venit plenum tempus, emiſit Deus filium ſuum factum ex muliere, factum Legi obnoxium.

1.Ioh.1.1. Quod erat à principio, quod audiuimus, quod vidimus oculis noſtris, quod ſpectauimus, & manus noſtræ contrectarunt de Sermone vitæ:

2 (Nam vita patefacta eſt, & vidimus, & teſtamur, & annuntiamus vobis vitam illam æternam quæ erat apud Patrem, & patefacta eſt nobis)

3 Quod, inquam, *vidimus & audiuimus, id annuntiamus vobis, &c.*

Rom.1.3. De Filio ſuo, facto ex ſemine Dauidis, ſecundum carnem:

4 Declarato Filio Dei potenter ſecundum Spiritum ſanctificationis, per reſurrectionem à mortuis.

2.Cor.5.19. Nempe quia Deus erat in Chriſto, mundum reconcilians ſibi.

Philip.2.6. Qui quum eſſet in forma Dei, non duxit rapinam, parem eſſe cum Deo:

7 Sed ipſe ſe exinaniuit, forma ſerui accepta, ſimilis hominibus factus.

Coloſſ.2.9. Nam in eo inhabitat omnis plenitudo Deitatis corporaliter.

APHORISMVS *tertius.*

PRIMVM vt, coniunctis in vnum Ieſum Chriſtum naturis duabus, to- III.
ta illa hominis corruptio in vno homine prorſus emendaretur.

PROBATIONES EX DEI VERBO.

Rom.8.3. Quum enim Legis impotentia nihil poſſet in carne, Deus ſuo ipſius Filio miſſo conformato carni peccato obnoxiæ, idque pro peccato, condemnauit peccatum in carne.

APHORISMVS *quartus.*

DEINDE qui omnem iuſtitiam impleret, quíque & ſatis potens ad iu- IIII. Iuſtificatio & ſanctificatio in Chriſto.
dicium Dei ſuſtinendum, & ſatis dignus ſacerdos placando cœleſti Patri exiſteret, iuſtus pro iniuſtis moriens, ſuáque obedientia delens Adami contumaciam, & omnes noſtrûm omnium iniquitates expians humeris ſuis impoſitas.

PROBATIONES EX DEI VERBO.

Matth.3.15. Reſpondens autem Ieſus dixit ad eum, Omitte me *nunc. ita enim decet nos implere omnem iuſtitiam.*

Matth.5.17. Ne exiſtimate me veniſſe vt diſſoluam Legem, aut Prophetas, &c.

Rom.5.18. Nempe igitur ſicut per vnam offenſam reatus venit *in omnes homines ad condemnationem, &c.*

1.Cor.1.30. Sed ex ipſo vos eſtis in Chriſto Ieſu, qui factus eſt nobis ſapientia à Deo, iuſtitiáque, & ſanctificatio, & redemptio.

APHORISMVS *quintus.*

DENIQVE vt vna ſui ipſius [1]oblatione eligendos omnes ſanctificaret, V.
[2]peccatum in ipſis mortis ſuæ ac ſepulturæ communicatione perimens & ſepe-

liens,& in nouàm vitam ſuâ reſurrectione viuificans,[3] adeò vt plura etiam in eo inueniant quàm in Adamo amiſerint.

PROBATIONES EX DEI VERBO.

1 *Iſa.53.4.Sanè languores noſtros ipſe tulit,& dolores noſtros ipſe portauit, & nos existimauimus eum percuſſum,&c.*

5 Atqui ipſe vulneratus eſt propter iniquitates noſtras,attritus eſt propter peccata noſtra.

11.E labore animæ ſuæ videbit,& ſaturabitur:& doctrina ſua iuſtificabit iuſtus ſeruus meus multos.

Rom.3.25.Quem propoſuit Deus vt eſſet *placamentum per fidem,in ſanguine ipſius,ad declarandam iuſtitiam ſuam ,per remiſſionem præcedentium peccatorum.*

Act.20.28.Attendite igitur voſipſos & totum gregem,in quo vos Spiritus ſanctus conſtituit epiſcopos,ad paſcendam Eccleſiam Dei,quam proprio illo ſanguine acquiſiuit.

Coloſ.1.20.Et pace per ſanguinem crucis eius facta, per eum reconciliare omnia ſibi,per eum, inquam,*tum quæ in terra,tum quæ in cælis.*

21.& 22. Nunc ſanè reconciliauit in corpore illo carnis ſuæ , per mortem, vt ſiſteret vos ſanctos & irreprehenſos,& inculpatos coram ſe.

Rom.5.19.Sicut enim per inobedientiam vnius hominis ,peccatores conſtituti ſunt multi, ita per vnius obedientiam,iuſti conſtituentur multi.

1.Petr.2.24.Qui peccata noſtra pertulit in corpore ſuo ſuper lignum:vt peccatis mortui,iuſtitiæ viueremus:cuius vibicibus ſanati eſtis.

1.Petr.3.18.Nam & Chriſtus ſemel pro peccatis paſſus fuit,iuſtus pro iniuſtis,vt nos ad Deum adduceret,mortificatus quidem carne,viuificatus autem Spiritu.

2.Cor.5.21.Fecit enim vt *qui non nouit peccatum,pro nobis peccatum* eſſet *, vt nos efficeremur iuſtitia Dei in eo.*

2 *Rom.6.3.An ignoratis,nos quotquot baptizati ſumus in Chriſtum Ieſum,in mortem eius eſſe baptizatos?*

4 Sepulti igitur ſumus vnà cum eo per Baptiſmum in mortem : vt ſicut excitatus eſt Chriſtus ex mortuis in gloriam Patris:ita & nos noua vita ambulemus.

5 Nam ſi cum eo plantati coaluimus conformatione mortis eius,nimirum etiam reſurrectionis conformatione coaleſcemus.

Col.3.1.Itaque ſi reſurrexiſtis cum Chriſto,ſuperna quærite,vbi Chriſtus eſt ad dexteram Dei ſedens.

Coloſ.2.12.Conſepulti cum eo per Baptiſmum ,per quem etiam cum eo reſurrexiſtis per fidem Dei efficaciter agentis,qui excitauit eum ex mortuis.

Ioh.17.17.Sanctifica eos tua veritate:ſermo tuus veritas eſt.

19.Et pro eis ego ſanctifico meipſum,vt ſint & ipſi ſanctificati per veritatem.

Hebr.9.13.Nam ſi ſanguis taurorum & hircorum,& cinis iuuencæ aſpergens inquinatos,ſanctificat ad carnis puritatem:

14 Quantò magis ſanguis Chriſti,qui per Spiritum æternum ſeipſum obtulit inculpatum Deo, purgabit conſcientiam veſtram à mortuis operibus, ad ſeruiendum Deo viuo?

Hebr.10.14.Vnica enim oblatione conſecrauit in perpetuum eos qui ſanctificantur.

3 *Rom.5.15. At non vt offenſa ita etiam* eſt *quod* Deus *gratificatur. nam ſi illius vnius offenſa multi mortui ſunt, multò magis gratia Dei,& donum per gratiam quæ* eſt *vnius hominis Ieſu Chriſti,in multos redundauit.*

16.Neque vt illud quod introiit *per vnum qui peccauit,* ita eſt *beneficium:nam reatus quidem ex vna* offenſa introiit *ad condemnationem : quod autem gratificatur* Deus , datur *ex multis offenſis ad iuſtificationem.*

17.Etenim ſi per vnam offenſam mors regnauit per vnum,multò magis ij qui redũdantem illam gratiam & donum iuſtitiæ accipiunt , in vita regnabunt per vnum Ieſum Chriſtum.

20.Lex verò præterea introijt vt augeretur offenſa : ſed vbi auctum eſt peccatum , ibi *ſuperabundauit gratia.*

APHORISMVS *ſextus.*

VI. NE verò fruſtraneum hoc remedium eſſet,[1] ſimul etiam decreuit Dominus Filium illum ſuum iis quos,vti diximus, ſaluti ab æterno deſtinauit , ipſóſque vicíſ-

viciſsim Filio ſuo donare, [2] vt quum ipſe in illis, & illi in ipſo fuerint, in vnum conſummentur, iis qui deinceps ſubſequuntur gradibus.

Probationes ex Dei verbo.

Rom.8.32. Is quidem qui proprio Filio non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit eum, qui 1.
non etiam cum eo omnia nobis gratificabitur?

Ioh.3.16. Ita enim Deus dilexit mundum vt Filium ſuum vnigenitum dederit, vt quiſquis credit in eum non pereat, ſed habeat vitam æternam.

Ioh.17.2. Sicut dediſti ei authoritatem in *omnem carnem, vt quotquot dediſti ei, det eis vitam æternam.*

6. Patefeci nomen tuum hominibus quos dediſti mihi ſelectos *è mundo: tui erant, & mihi eos dediſti, & ſermonem tuum ſeruarunt.*

11. Et non ſum amplius in mundo, ſed hi ſunt in mundo, & ego ad te venio. Pater ſancte, ſerua eos per nomen tuum, quos dediſti mihi, vt ſint vnum prout & *nos.*

12. Quum eſſem cum eis in mundo, ego ſeruabam eos in nomine tuo: quos dediſti mihi, ego cuſtodiui, & nemo ex eis perijt, niſi filius ille perditionis.

Ioh.17.23. Ego in eis, & tu in me, vt ſint perfecti in vnum, & vt cognoſcat mundus me à te miſ- 2.
ſum eſſe, teq; eos diligere, ſicut me dilexiſti.

Aphorismvs *ſeptimus.*

PRIMVM [1] enim quo tempore ipſi libet arcanum illud ab æterno con- VII. Declaratio electionis prima. Vocatio externa efficax.
ſtitutum aperire, [2] eo, inquam, tempore, quo de his rebus minus cogitant, ([3] vt ſunt homines adeò cæci vt ſe tamen acutiſsimè cernere putent, [4] vnde certum illis exitium imminet,) [5] ecce repentè illis ponit ob oculos ſummum diſcrimen, in quo verſantur: atque, vt percellantur grauius ad conſcientiæ quaſi ſepultæ & tor-
pentis teſtimonium, [6] Legis ſuæ prædicationem adiungit, additis iudiciorum Lex.
exemplis, vt ad peccatorum ſuorum memoriam cohorreſcant: [7] neque id tamen eo conſilio facit, vt in hoc horrore permaneant, ſed potius vt ad contemplandá periculi magnitudinem, quod eos circunſtat, conuerſi ad vnum illum Mediatorem Ieſum Chriſtum refugiant.

Probationes ex Dei verbo.

Gen.3.15. Præterea inimicitias ponam inter te & ipſam mulierem, & inter ſemen tuum & ſe- 1.
men eius: ipſum conteret tibi caput, & tu conteres ei calcaneum.

Gen.22.18. Et benedicentur in ſemine tuo omnes Gentes terræ: eò quòd obediuiſti voci meæ.

Rom.3.25. Quem propoſuit Deus vt eſſet *placamentum per fidem, in ſanguine ipſius, ad declarandam iuſtitiam ſuam, per remiſsionem præcedentium peccatorum.*

Rom.16.25. Ei verò qui poteſt vos ſtabilire, ſecundum Euangelium meum, & præconium Ieſu Chriſti, ex reuelatione myſterij quod à temporibus æternis tacitum fuit:

26 Nunc verò factum eſt manifeſtum, &c.

1.Cor.2.7. Sed loquimur ſapientiam Dei latentem *in myſterio,* id eſt, *occultam illam, quam præfinierat Deus ante ſecula in gloriam noſtram.*

Gal.4.4. At poſtquam venit plenum tempus, emiſit Deus Filium ſuum factum ex muliere, factum Legi obnoxium.

Epheſ.1.9. Patefacto nobis myſterio voluntatis ſuæ, ſecundum gratuitam ſuam beneuolentiam quam propoſuerat in ſeſe:

10 Nempe *vt in pleni temporis diſpenſatione recolligeret omnia in Chriſto.*

Col.1.26. Nempe *myſterium abſconditum à ſeculis & ætatibus, nunc autem* illud *patefactũ eſt ſanctis eius.*

2.Tim.1.9. Qui ſeruauit nos, & vocauit vocatione ſancta: non ex operibus noſtris, ſed ex ſuo propoſito, & gratia, quæ data quidem eſt nobis in Chriſto Ieſu ante tempora ſecularia:

10 Sed patefacta nunc eſt per illuſtrem illum aduentum ſeruatoris noſtri Ieſu Chriſti.

Tit.1.2. Ad ſpem vitæ æternæ quam promiſit Deus ille mentiri neſcius ante tempora ſecularia, patefecit autem temporibus ſuis.

1.Petr.1.18.Vt qui ſciatis vos non caducis rebus, argẽto vel auro fuiſſe redemptos ex vana veſtra conuerſatione, &c.

20. Præordinati quidem ante iacta mundi fundamenta, patefacti verò vltimis temporibus propter vos.

2 Ioſue 24.2.Dixitq́ Ioſue ad vniuerſum populum, Sic dicit Iehoua Deus Iſrael, Trans flumen habitauerunt Patres veſtri à ſeculo, vt Thare pater Abraham, & pater Nachor, ſeruierúntque dijs alienis.

3 Et tuli patrem veſtrum Abraham è loco qui erat trans flumen.

Ezech.16.8.Et tranſiui iuxta te, & vidi te, & ecce tempus tuum erat tempus amorum: expandi autem amictum meum ſuper te, operui ignominiam tuam, &c.

Iſa.65.1.Patefeci me iis qui non interrogabant, inuentus ſum ab ijs qui non quærebant me: dixi, Ecce ego, ecce ego, ad gentem quæ non inuocabat nomen meum.

Epheſ.2.3.Inter quos & nos omnes conuerſati ſumus olim in cupiditatibus carnis noſtræ, facientes quæ carni ac cogitationibus libebant, eramusq́ natura filij iræ, vt etiam reliqui.

4 Sed Deus, qui diues eſt miſericordia, propter multam charitatem ſuam qua dilexit nos,

5 Etiam quum per offenſas mortui eſſemus, vnà viuificauit nos per Chriſtum, cuius gratia eſtis ſeruati.

Epheſ.2.11.Propterea mementote vos quõdam Gentes in carne, qui dicebamini Præputium ab ea quæ vocatur Circuncifio in carne, & quæ manibus fit:

12 Vos, inquam, illo tempore fuiſſe abſque Chriſto, alienos à Republica Iſraelis, & extraneos à pactis promiſſionis, ſpem non habentes, & Dei expertes in mundo:

13 At nunc in Chriſto Ieſu, vos qui olim eratis procul, propinqui facti eſtis, per ſanguinem, inquam, Chriſti.

Rom.5.10.Nam ſi quum inimici eſſemus, reconciliati fuimus Deo per mortem Filij eius, multò magis reconciliati ſeruabimur per vitam ipſius.

1.Petr.2.10.Qui quondam eratis non populus, nunc eſtis populus Dei: qui non cõſequuti miſericordiam, nunc eſtis miſericordiam conſequuti.

3 Ioh.9.41.Si cæci eſſetis, non haberetis peccatum: nunc verò dicitis, Videmus: itaque peccatum veſtrum manet.

Ioh.3.19.Hæc eſt autem condemnatio, quòd Lux venit in mũdum, ſed dilexerunt homines pòtius tenebras quàm Lucem: quia ſunt eorum mala opera.

4 Rom.1.18.Palàm enim eſt ira Dei è cælo aduerſus omnem impietatem & iniuſtitiam hominũ, vt qui veritatem iniuſtè detineant.

Rom.2.15.Vt qui oſtendant opus Legis ſcriptum in cordibus ſuis, vnà teſtimonium reddente ipſorum conſcientia, & cogitationibus ſeſe mutuò accuſantibus, aut etiam excuſantibus.

Act.14.17.Quanquam non paſſus eſt ſe eſſe expertem teſtimonij, nobis benefaciendo, dans nobis cælitus pluuias, ac tempora fructifera, implens cibo & lætitia corda noſtra.

5 Rom.2.14.Nam quum Gentes, quæ Legem non habent, natura quæ Legis ſunt faciant, iſti Legem non habentes, ſibi ipſis ſunt lex.

Act.14.17.Quanquam non paſſus eſt ſe eſſe, &c.

6 Rom.7.7.Quid ergo dicemus? Lex peccatum eſt? Abſit. Imò peccatum non cognoui niſi per Legem. nam etiam cupiditatem non noſſem niſi Lex dixiſſet, Non concupiſces.

7 1.Tim.2.5. Vnus enim Deus, vnus etiam mediator Dei & hominum, homo Chriſtus Ieſus.

2.Tim.2.25.Erudientem eos qui contrario animo ſunt affecti: ecquando det eis Deus vt reſipiſcentes agnoſcant veritatem:

26 Et elapſi ex Diaboli laqueo, à quo captiui tenentur, mentis ſanitatem recipiant ad præſtandam illius voluntatem.

Act.2.37. His autem auditis compuncti ſunt corde, & dixerunt ad Petrum ac reliquos Apoſtolos, Quid faciemus, viri fratres?

38.Petrus autẽ ait ad eos, Reſipiſcite, & baptizetur vnuſquiſque veſtrûm in nomine Ieſu Chriſti, &c.

1.Ioh.2.1.Filioli mei, hæc ſcribo vobis, ne peccetis. Quòd ſi quis peccarit, &c.

APHORISMVS *octauus.*

VIII. Euangelium. I T A Q V E poſt ſeueram illam Legis prædicationem [1] iiſdem proponit gratiam ac benignitatem Euangelicam: addita tamen cõditione, ſi in Chriſtum crediderint, [2] qui vnus ipſos condemnationi eximat, [3] & ius adipiſcendæ cæleſtis hæredi-

hæreditatis ipſis tribuat.

PROBATIONES EX DEI VERBO.

Ioh.1.12. Quotquot autem eum acceperunt, dedit eis hanc dignitatem vt filij Dei fierent, nē- 1
pe ijs qui credunt in nomen eius.
Ioh.3.16. Ita enim Deus dilexit mundum vt Filium ſuum vnigenitum dederit, &c.
Rom.1.16. Non enim me pudet Euangelij Chriſti. potentia ſiquidem eſt Dei ad ſalutem
cuiuis credenti, Iudæo imprimis, tum etiam Græco.
Rom.8.1. Nulla igitur nūc eſt condēnatio ijs qui ſunt in Chriſto Ieſu, id eſt, qui non ſecundū 2
carnem incedunt, ſed ſecundum Spiritum.
1.Ioh.2.1. Filioli mei, hæc ſcribo vobis ne peccetis. Quòd ſi quis peccarit, aduocatum apud Patrē
habemus, Ieſum Chriſtum iuſtum, &c.
Ioh.1.12. Quotquot autem eum acceperunt dedit eis hanc dignitatem vt, &c. 3
Ioh.3.16. Ita enim Deus dilexit mundum, &c.
Rom.1.16. Non enim me pudet Euangelij Chriſti. &c.
Rom.5.1. Iuſtificati igitur ex fide pacem habemus erga Deum per Dominum noſtrum Ieſum
Chriſtum.

APHORISMVS nonus.

QVONIAM verò hæc omnia fruſtrà fierent, ſi externa duntaxat prædicatione verbi ſcripti, & publicè in Eccleſia Dei promulgati, ([1]quod tamē ordinarium & ex hypotheſi neceſſarium eſt inſtrumentum, quo Ieſus Chriſtus nobiſcū cōmunicatur) hæc arcana hominibus proponeret: [2] itaque quū illi negotiū eſt cum electis ſuis, vnà cum prædicatione externa Verbi, interiorem vim Spiritus ſancti adiungit, qui quidem non, vt Sophiſtæ putant, liberi ipſorum arbitrii reliquias inſtaurat, (quicquid enim in nobis eſt arbitrii relictum, in eo poſitū eſt vt[3] volūtariè peccemus, [4]Deum fugiamus, [5]odio proſequamur, [6]atq; adeò nec illū audire, [7]nec ei credere, [8] nec donū Dei agnoſcere, [9] imò ne cogitare quidem boni quidpiā poſsimus: [10] denique vt iræ & maledictioni ſimus prorſus obnoxii) [11]ſed contrà potius corda illorum lapidea in carnea commutat, [12] trahit, [13]docet, [14]oculos illuminat, [15]ſenſum, cor, aures, intellectum aperit. IX.

Efficacia Spiritus.

Liberum arbitrium poſt lapſum quale.

PROBATIONES EX DEI VERBO.

Rom.10.8. Sed quid dicit? Prope te verbum eſt in ore tuo & in corde tuo. Hoc eſt verbum illud 1
fidei quod prædicamus.
17. Ergo fides ex auditu eſt: auditus autem per verbum Dei.
2.Cor.5.18. Hæc autem omnia ſunt ex Deo qui reconciliauit nos ſibi per Ieſum Chriſtum, de-
ditque miniſterium reconciliationis.
19. Nempe quia Deus erat in Chriſto mundum reconcilians ſibi, non imputando eis peccata
ipſorum: poſuitq; in nobis ſermonem hunc reconciliationis.
Iacob.1.18. Is quia voluit progenuit nos ſermone veritatis, vt eſſemus primitiæ quædam ſua-
rum creaturarum.
1.Petr.1.23. Renati non ex ſemine mortali, ſed ex immortali, per ſermonem Dei viui, & ma-
nentis in æternum.
25. Sed verbum Domini manet in æternum. hoc autem eſt verbum illud quod euangelizatum
eſt vobis.
Act.16.14. Cuius Dominus adaperuit cor, vt attenderet ea quæ dicebantur à Paulo. 2
Eph.1.9. Patefacto nobis myſterio voluntatis ſuæ, ſecundū gratuitā ſuam beneuolentiam quam
propoſuerat in ſeſe.
Coloſ.1.27. Quibus voluit Deus notum facere quæ ſint diuitiæ glorioſi huius myſterij inter Gē-
tes, id eſt Chriſti inter vos, qui eſt ſpes illa gloriæ.
Rom.6.20. Quum enim ſerui eſſetis peccati, liberi eratis iuſtitiæ. 3
Ioh.6.44. Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater, qui miſit me, traxerit eum.
65. Propterea dixi vobis neminem poſſe venire ad me niſi fuerit ei datum à Patre meo.
Gen.3.8. Et mox audierunt vocem Iehouæ Dei deambulantis in eo horto ad auram diei: abſ- 4
conditq; ſe Adam & vxor eius à facie Iehouæ Dei, in medio arborum horti.

5 *Rom.5.10. Nam ſi quum inimici eſſemus, reconciliati fuimus Deo, &c.*
Rom.8.7. Propterea quòd intelligentia carnis, inimicitia eſt aduerſus Deum.
6 *Ioh.8.47. Qui ex Deo eſt, verba Dei audit: propterea vos non auditis, quia ex Deo non eſtis.*
7 *Iſa.53.1. Quis credet auditui noſtro? & brachium Iehouæ cui reuelatum eſt?*
Ioh.12.39.40. Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Iſaias, Excæcauit oculos eorum, & obdurauit corda eorum: ne videant oculis, & intelligant corde, & conuertantur, & ſanem eos. Iſa.6.10.
8 *Matth.13.13. Propterea per parabolas loquor eis, quia videntes non vident, & audientes non audiunt, nec intelligunt.*
Matth.13.11. Quia vobis datum eſt noſſe myſteria regni cælorum, illis autem non eſt datum.
Ioh.4.10. Si ſcires donum illud Dei, & quis ſit qui dicit tibi, &c.
Ioh.3.3. Amen, amen dico tibi, niſi quis fuerit genitus denuo, non poteſt videre regnum Dei.
1.Cor.2.14. Animalis autem homo non eſt capax eorum quæ ſunt Spiritus Dei. ſunt enim ei ſtultitia, nec poteſt ea cognoſcere, quia ſpiritualiter dyiudicantur.
9 *2.Cor.3.5. Non quòd idonei ſimus ex nobiſipſis ad cogitandum quicquam, velut ex nobiſipſis.*
10 *Epheſ.2.1. Et vos* vnà viuificauit, *quum eſſetis mortui in offenſis & peccatis,*
2 In quibus olim verſati eſtis, vt eſt vita mundi huius, ſecundum principem cui poteſtas eſt aëris & ſpiritus nunc agentis in hominibus contumacibus:
3 Inter quos & nos omnes conuerſati ſumus olim in cupiditatibus carnis noſtræ, facientes quæ carni ac cogitationibus libebant: eramuſq́; naturâ filij iræ, vt etiam reliqui.
11 *Ezech.11.19. Et dabo eis cor vnum, & Spiritum nouum tribuam in viſceribus eorũ: auferamq́; cor lapideum de carne eorum, & dabo eis cor carneum.*
Pſal.51.12. Cor mundum crea mihi Deus: & Spiritum rectum innoua in viſceribus meis.
12 *Ioh.6.44. Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater qui miſit me, traxerit eum.*
13 *Ioh.6.45. Eſt ſcriptum in Prophetis, Et erunt omnes docti à Deo. Quiſquis ergo audiuit à Patre, & didicit, venit ad me.* Iſa.54.13
14 *Pſal.119.130. Oſtium verborum tuorum illuminat, intelligere facit ſimplices.*
Epheſ.1.17. Vt Deus Domini noſtri Ieſu Chriſti, Pater ille gloriæ, det vobis Spiritum ſapientiæ & reuelationis, per agnitionem ipſius:
18 Illuminatis oculis mentis veſtræ: vt ſciatis quæ ſit ſpes illa vocationis ipſius.
15 *Iſa.50.5. Dominus Iehoua aperuit mihi aurem, & ego non fui rebellis: retrorſum non reuerſus ſum.*
Pſal.119.18. Reuela oculos meos, & aſpiciam mirabilia de Lege tua.
73. Manus tuæ fecerunt me, & præparauerunt me: fac me intelligere, & diſcam præcepta tua.
130. Oſtium verborum tuorum illuminat, intelligere facit ſimplices.
Col.1.9. Propterea & nos, ex quo die id *audiuimus, non deſinimus pro vobis orare, & petere vt impleamini omni agnitione voluntatis eius, cum omni ſapientia, &c.*

APHORISMVS *decimus.*

X. PRIMVM autem hic Spiritus facit in electis vt calamitatis illius ſuæ ſenſu verè afficiantur: deinde fidem in ipſis creat, vt poſſint conditionem prædicationi Euangelii adnexam præſtare. Eſt autem ea quodammodo duplex. Vna eſt, qua Chriſtus in genere & vniuerſaliter cognoſcitur, [1] qua videlicet hiſtoriæ Chriſti aſſentimur & prophetiis de eo perſcriptis, quæ fides ipſis quoque reprobis interdum conceditur. Altera, quæ electis propria eſt atque peculiaris, in eo poſita eſt, vt Chriſtum vniuerſaliter & promiſcuè oblatum, nobiſipſis tanquam noſtrum applicemus, & ſinguli noſtræ electionis certiores reddamur, olim quidem ab æterno in arcano Dei abſconditæ, poſtea verò nobis declaratæ, [2] partim intrinſeco conſcientiæ teſtimonio per Spiritum Dei externæ prædicationi adiunctum: [3] partim verò etiam eiuſdem Spiritus vi & efficacia, qui ſingulos electos à ſeruitute peccati aſſertos in libertatẽ, eò deducit, vt quæ Dei ſunt, velle & facere incipiant.

Fides iuſtificationẽ & ſanctificationem in Chriſto apprehendens.

PRO-

PROBATIONES EX DEI VERBO.

Ier.31.19.Poſteaquam enim conuerſus ſum,pœnituit me. 1

Luc.24.45.Tunc aperuit eorum mentem,vt intelligerent Scripturas.

*Act.16.14.Quædam aũt mulier nomine Lydia,quæ purpuram vẽdebat in vrbe Thyatirorum, Deum colens,*nos *audiuit:cuius Dominus adaperuit cor vt attẽderet ea quæ dicebantur à Paulo.*

1.Cor.2.10.Nobis autem Deus ea *reuelauit per Spiritum ſuum.Spiritus enim omnia ſcrutatur, etiam profunditates Dei.* 2

11.Quis enim hominum nouit ea quæ ſunt hominis niſi ſpiritus hominis qui eſt in eo?ita etiam ea quæ ſunt Dei nemo nouit niſi Spiritus Dei.

12.Nos verò non ſpiritum mũdi accepimus,ſed Spiritum qui eſt *ex Deo:vt ſciamus quæ Deus eſt nobis gratificatus.*

16.Quis enim nouit mẽtem Domini,qui inſtructurus ſit eum?nos aũt mentẽ Chriſti habemus.

*Col.1.26.*Nempe *myſterium abſconditum à ſeculis & ætatibus,nunc aũt* illud *patefactum eſt ſanctis eius:*

*27 Quibus voluit Deus notum facere quæ ſint diuitiæ glorioſi huius myſterij inter Gentes, id eſt Chriſti inter vos,*qui *eſt ſpes illa gloriæ.*

Epheſ.1.16.Mentionem veſtri faciens in precibus meis,

17 Vt Deus Domini noſtri Ieſu Chriſti,Pater illæ gloriæ,det vobis Spiritum ſapientiæ & reuelationis,per agnitionem ipſius:

18 Illuminatis oculis mentis veſtræ:vt ſciatis quæ ſit ſpes illa vocationis ipſius,& quæ opes gloriæ hæreditatis ipſius in ſanctis.

*1.Ioh.3.24.Nam qui ſeruat eius mandata,in eo habitat,& ipſe in eo: & per hoc nouimus eũ habitare in nobis,*nempe *ex Spiritu quem nobis dedit.*

*1.Ioh.5.20.Sed ſcimus Filium Dei veniſſe,& dediſſe nobis mẽtem vt cognoſcamus illum qui verax eſt:& ſumus in verace illo,*id eſt,*in Filio eius Ieſu Chriſto.hic eſt ver⁹ Deus & vita æterna.*

*Rom.8.15.Non enim accepiſtis Spiritum ſeruitutis ad metum,ſed accepiſtis Spiritum adoptionis,per quem clamamus Abba,*id eſt,*Pater.*

16.Qui ipſe Spiritus teſtatur vnà cum ſpiritu noſtro,nos eſſe filios Dei.

*Gal.4.6.Quoniam autem eſtis filij,emiſit Deus Spiritum Filij ſui in corda veſtra, clamantem Abba,*id eſt,*Pater.*

Rom.8.14.Quotquot enim Spiritu Dei ducuntur,ij ſunt filij Dei. 3

1.Ioh.3.10.Per hoc manifeſti ſunt filij Dei & filij Diaboli.quiſquis non exercet iuſtitiam,non eſt ex Deo,& qui non diligit fratrem ſuum.

1.Ioh.4.13.Per hoc cognoſcimus nos in eo habitare,& ipſum in nobis,quòd de Spiritu ſuo dedit nobis.

14.Nos verò ſpectauimus & teſtamur Patrem miſiſſe Filium qui eſſet ſeruator mundi.

Philip.2.13. Deus enim is eſt qui efficit in vobis & vt velitis & vt efficiatis, pro gratuita ſua *beneuolentia.*

Rom.6.18.Et liberati à peccato,mancipati eſtis iuſtitiæ.

APHORISMVS *vndecimus.*

HI ſunt igitur gradus,quibus Domino placet in electis ſuis precioſum illud & peculiare fidei donum gratis creare quo ſalutem ſuam in Chriſto apprẽhendant. Quia verò fides in nobis eſt duntaxat inchoata, vt poſsimùs, quod omnino neceſſarium eſt, in ea non modò perſeuerare, ſed etiam proficere, [1] idcirco primùm omnium, Sacramento Baptiſmi initiamur : deinde præter auditum verbi, ea fides in nobis [2] rurſus obſignatur Sacramento Cœnæ Domini:quorum quidem Sacramentorũ hic eſt præcipuus finis,vt certa ſint & efficacia ſigna, atque adeò diplomata cõmunicationis fideliũ cum Chriſto,[3] qui ſit ipſis factus ſapientia,iuſtitia,ſanctificatio & redemptio. Quamobrem [4] ſæpiſsimè apud Paulum inculcatur,nos fide iuſtificatos pacem habere. xi. Baptiſmus. Cœna Domini

PROBATIONES EX DEI VERBO.

Marc.16.16.Qui crediderit & baptizatus fuerit,ſeruabitur. 1

Act.2.38.Reſipiſcite,& baptizetur vnuſquiſque veſtrûm in nomine Ieſu Chriſti in remiſsionem peccatorum:& accipietis donum Spiritus ſancti.

Ro.6.3.An ignoratis,nos quotquot baptizati ſum⁹ in Chriſtũ Ieſum,in mortẽ ei⁹ eſſe baptizatos?

4. Sepulti igitur ſumus vnà cum eo per Baptiſmum in mortem:vt ſicut excitatus eſt Chriſtus ex mortuis in gloriam Patris,ita & nos noua vita ambulemus.

Gal.3.27.Nam quicunque in Chriſto baptizati eſtis,Chriſtum induiſtis.

Rom.4.11.Et ſignum accepit circũciſionis,quod obſignaret iuſtitiã fidei quæ fuerat in præputio.

Coloſ.2.12.Conſepulti cum eo per Baptiſmum,per quem etiam cum eo reſurrexiſtis per fidem Dei efficaciter agentis,qui excitauit eum ex mortuis.

Epheſ.5.25.26.Sicut & Chriſtus dilexit Eccleſiam,& ſemetipſum expoſuit pro ea:vt eam ſanctificaret purgans lauacro aquæ per verbum.

1.Petr.3.25. Cui nunc correſpondens exemplar Baptiſmi nos quoque ſeruat, (non quo carnis ſordes abijciuntur,ſed quo fit vt bona conſcientia Deum interroget)per reſurrectionẽ Ieſu Chriſti.

2 *1.Cor 10.16. Poculum benedictionis cui benedicimus, nónne communio ſanguinis Chriſti eſt?panis quem frangimus,nónne communio corporis Chriſti eſt?*

3 *1.Cor.1.30.Sed ex ipſo vos eſtis in Chriſto Ieſu,qui factus eſt nobis ſapientia à Deo,iuſtitiaq́;,& ſanctificatio,& redemptio.*

4 *Rom.3.21.Nunc verò abſque Lege iuſtitia Dei patefacta eſt, comprobata teſtimonio Legis ac Prophetarum.*

22.Iuſtitia,inquam,Dei per fidẽ Ieſu Chriſti in omnes & ſuper omnes qui credunt:non enim eſt diſtinctio,&c.

*24.Iuſtificantur autem gratis,*id eſt,*eius gratia per redemptionem factam in Ieſu Chriſto.*

25.Quem propoſuit Deus vt eſſet *placamentum per fidem,in ſanguine ipſius,ad declarandam iuſtitiam ſuam,per remiſſionem præcedentium peccatorum.*

Rom.4.2.Nam ſi Abraham ex operibus iuſtificatus fuit,habet quod glorietur, at nõ apud Deũ.

Rom.5.1. Iuſtificati igitur ex fide,pacem habemus erga Deum per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.

APHORISMVS *duodecimus.*

XII. QVISQVIS[1] enim donum veræ fidei adeptus eſt, is quoque eadem Dei
Perſeuerãtia. liberalitate fretus de perſeuerantia ſolicitus quidem eſſe,non tamen dubitare debet,ſed potius in omni tentationum & afflictionũ genere,Deum inuocare,[2]cer-
Spes certa. ta cum ſpe impetrandi quod petit,quatenus quidem expedit:quum ſe filium Dei eſſe ſciat,qui fallere non poteſt.[3] Præterea nunquam à recta via aberrat,quin eiuſdem gratiæ beneficio tandem in viam redeat. Nam, vt fides in electis interdum ad tempus ſit ſepulta,adeò vt prorſus extincta videri poſsit, nempe vt imbecilli-
Charitas. tatem ſuam agnoſcant:nũquam tamen ita procul recedit,vt charitas Dei & proximi prorſus ex ipſorum animis euellatur.Neque enim quiſquam iuſtificatur in Chriſto,quin etiam in eodem ſanctificetur,[4] atque adeò condatur ad bona opera,quæ Dominus,vt in ipſis ambulemus,præparauit.

PROBATIONES EX DEI VERBO.

1 *Numer.23.19.Non eſt homo Deus,vt mentiatur:& filius hominis, vt pœniteat eum: ipſe dixit,& non faciet?loquutus eſt,& non præſtabit illud?*

Pſal.23.6.Veruntamen bonum & miſericordia proſequentur me omnibus diebus vitæ meæ,& habitabo in domo Iehouæ in longitudinem dierum.

Pſal.27.1. Iehoua lux mea & ſalus mea,à quo timebo? Iehoua fortitudo vitæ meæ,à quo pauebo?

3.Si caſtrametati fuerint aduerſum me caſtra, non timebit cor meum:ſi conſurgat aduerſum me bellum,huic ego fido.

Ioh.6.37.Quicquid dat mihi Pater,ad me veniet:& eum qui venit ad me non eijcio foras.

Ioh.17.15.Non rogo vt tollas eos è mundo,ſed vt ſerues eos à Malo.

Ioh.10.28.Et ego vitam æternam do eis,nec peribunt in æternum, neque rapiet eas quiſquam è manu mea.

29.Pater meus qui eas *dedit mihi,maior omnibus eſt, neque quiſquam poteſt eas rapere è manu Patris mei.*

Rom.5.2. Per quem etiam fide habuimus hunc aditum in gratiam hanc per quam ſtamus & gloriamur ſub ſpe gloriæ Dei.

2 *3.Neq;* id *ſolùm,ſed etiam gloriamur in oppreſſionibus,ſciẽtes quòd oppreſſio patientiã efficiat:*

4 Pa-

4 Patientia vero experientiam, experientia autem ſpem.

5 Porrò ſpes nō pudefacit, quòd charitas Dei effuſa ſit in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum qui datus eſt nobis.

Rom.11.20. Tu per fidem ſtas: ne effertor animo, ſed time.

1.Cor.2.12. Nos verò non ſpiritum mundi accepimus ſed Spiritum qui eſt *ex Deo: vt ſciamus quæ Deus eſt nobis gratificatus.*

16. Quis enim nouit mentem Domini, qui inſtructurus ſit eum? nos autem mentem Chriſti habemus.

1.Cor.10.12. Qui ſibi videtur ſtare, videat ne cadat.

Epheſ.1.9. Patefacto nobis myſterio voluntatis ſuæ ſecundum gratuitam ſuam beneuolentiam quam propoſuerat in ſeſe.

Phil.1.6. Perſuaſum habens hoc ipſum, fore vt qui cœpit in vobis opus bonum, perficiat vſque ad diem Ieſu Chriſti.

1.Theſ.5.24. Fidelis eſt qui vocauit vos, qui etiam id *efficiet.*

2.Cor.1.21. Porrò qui nos confirmat vobiſcum in Chriſtum, & qui vnxit nos, Deus eſt.

Heb.4.16. Accedamus igitur cum fiducia ad thronum gratiæ, vt conſequamur miſericordiam, & gratiam inueniamus ad opportunum auxilium.

Hebr.10.22. Accedamus cum vero corde, & certa perſuaſione fidei, puris cordibus à conſcientia mala:

23 Et abluto corpore aqua pura, teneamus confeſſionem ſpei non vacillantem: fidelis enim eſt *qui promiſit.*

Iacob.1.6. Sed poſtulet cum fide, nihil diſceptans.

1.Ioh.5.14. Et hæc eſt fiducia quam apud Deum habemus, ipſum, ſi quid petierimus ſecundum voluntatem eius, nos audire.

15. Quòd ſi ſcimus eum audire nos, quicquid petierimus, ſcimus nos habere petitiones quas ab eo petymus.

Sic errauerunt Abraham, Moſes, Aaron, Dauid, Petrus, &c. 3

1.Ioh.1.8. Si dixerimus nos peccatum non habere, noſipſos fallimus, & veritas in nobis non eſt.

10 Si dixerimus nos non peccaſſe, mendacem facimus eum, & ſermo eius non eſt in nobis.

Luc.22.32. Sed ego rogaui pro te, ne deficiat fides tua: tu igitur aliquando conuerſus, confirma fratres tuos.

1.Ioh.3.9. Quiſquis natus eſt ex Deo, peccatum non committit: quoniam ſemen ipſius in eo manet: nec poteſt peccare, eò quòd ex Deo natus eſt.

10 Per hoc manifeſti ſunt filij Dei & filij diaboli. quiſquis non exercet iuſtitiam, nō eſt ex Deo, & qui non diligit fratrem ſuum.

Rom.6.1. Quid igitur dicemus? permanebimus in peccato vt gratia auctior fiat?

2 Abſit. qui mortui ſumus peccato, quomodo adhuc viuemus in eo? &c.

1.Ioh.4.20. Siquis dixerit, Diligo Deum, & fratrem ſuum oderit, mendax eſt. qui enim non diligit fratrem ſuum quem vidit, Deum quem non vidit quomodo poteſt diligere?

2.Petr.1.5. Ad hoc ipſum verò vos *omni præterea collato ſtudio, adijcite fidei veſtræ virtutem, virtuti verò ſcientiam,*

6 Scientia verò temperantiam, temperantiæ verò tolerantiam, tolerantiæ pietatem:

7 Pietati verò animum in fratres propenſum, animo verò in fratres propenſo charitatem.

8 Hæc enim ſi vobis adſunt & exuberant, non inertes, nec infructuoſos vos efficiunt ad Domini noſtri Ieſu Chriſti cognitionem.

9 Nam cui hæc non adſunt, is cæcus eſt, nihil procul cernens, oblitus ſeſe à veteribus peccatis ſuis fuiſſe purgatum.

Ephe.1.4. Sicut elegit nos in ipſo antequam iacerentur fundamenta mundi, vt ſimus ſancti & inculpati coram eo per charitatem.

Epheſ.2.10. Nam ipſius ſumus opus conditi in Chriſto Ieſu ad opera bona, quæ præparauit Deus vt in eis verſaremur. 4

APHORISMVS *decimustertius.*

HAEC eſt igitur via qua Dominus eos ex electis ſuis præparat plenæ conſiliorum ſuorum executioni, quos ipſi viſum eſt inter homines alere tantiſper dum adoleſcant. Quod autem ad eos attinet quos vixdum natos aut primis il- XIII.

lis annis in regnum ſuum euocat,compendioſior eſt via.Quum enim in gratuito ſuo fœdere,cuius Mediator eſt Chriſtus,non ipſos modò fideles,ſed etiam eorum poſteritatem in mille generationes comprehēdat,adeò vt diſertè ſanctam eſſe pronuntiet,minimè dubium eſt quin ſanctorum liberos, qui ad electionem pertinent(quos ipſe ſolus nouit)Filio dederit,qui ne hos quidem foras eiiciet.

Adoptio paruulorum.

PROBATIONES EX DEI VERBO.

1 *Gen.17.7.Et ſtatuam pactum meum inter me & te,interq́, ſemen tuum poſt te in generationibus ſuis fœdere perpetuo:vt ſim ſcilicet tibi in Deum,& ſemini tuo poſt te.*

Exod.20.6.Et faciens miſericordiam millibus diligentibus me, & cuſtodientibus præcepta mea.

1.Cor.7.14.Maritus enim infidelis ſanctificatus eſt vxori, & vxor infidelis ſanctificata eſt viro:alioqui certè liberi veſtri impuri eßent:nunc autem ſancti ſunt.

Ioh.6.37.Quicquid dat mihi Pater,ad me veniet:& eum qui venit ad me, non eijcio foras.

CAPVT V.

Quo ordine Dominus conſilium reprobationis exequi & reipſa declarare incipiat.

APHORISMVS *primus.*

I. FACILE ex iis quæ diximus intelligi poteſt, quomodo Dominus efficiat, [1]vt ii in locum ſuum abeant,[2]quos idcirco creauit, vt in ipſorum iuſta condemnatione glorificetur.[3] Sicut enim Chriſtus ſecundus Adam è cœlo,fundamentum eſt integráque ſalutis electorum ſubſtantia,ita etiam primus Adam è terra,quia lapſus eſt, ideo primus eſt author odii,& exitii quod reprobos manet.

Verus Adam, reprobationis in actu fundamentū.

PROBATIONES EX DEI VERBO.

1 *Act.1.25.Vt accipiat ſortem miniſterij huius & Apoſtolatus, à quo aberrauit Iudas, vt abiret in locum ſuum.*

2 *Rom.9.22.*Quid *ſi verò volens oſtendere iram,& notam facere potentiam ſuam, pertulit multa lenitate vaſa iræ coagmentata ad interitum?*

Matth.25.41.Tunc dicet etiam iis qui ad ſiniſtram erunt,*Maledicti, abite à me in ignem æternum,qui paratus eſt diabolo & angelis eius.*

3 *Rom.5.18.Nempe igitur ſicut per vnam offenſam* reatus venit *in omnes homines ad condemnationem:ita per vnam iuſtificationem* beneficium redundauit *in omnes homines ad iuſtificationem vitæ.*

1.Cor.15.21.Quia enim per hominem mors,per hominem quoque reſurrectio mortuorum.
22.Sicut enim in Adam omnes moriuntur,ita & in Chriſto omnes viuificabuntur.

APHORISMVS *ſecundus.*

II. QVVM enim Dominus,iis cauſis adductus quas ipſe ſolus nouit, [1]propoſuiſſet eos in hunc finem creare, vt in ipſis iram & potentiam ſuam oſtenderet,ſimul eas cauſas gradatim ordinauit quibus fieret vt tota ipſorum exitii culpa in ipſis hæreret,quemadmodum à nobis eſt antea demonſtratum.Homine igitur in miſeram illam conditionem ſua ſponte delapſo, [2] Dominus qui reprobos meritò,quatenus corrupti ſunt,execratur, in quoſdam illorum ſimulatque nati ſunt iuſtam iram ſuam exercet.

Iudicium Dei in paruulos. Declaratio reprobationis prima.

PROBATIONES EX DEI VERBO.

1 *Rom.9.17. Dicit enim Scriptura Pharaoni, Ad hoc ipſum excitaui te vt oſtendam in te poteſtatem*

teſtatem meam,& vt annuntietur nomen meum in tota terra.

22.Quid ſi verò volens oſtendere iram,& notam facere potentiam ſuam, &c.

Exod.20.5.Ego Iehoua Deus tuus,Deus zelotes, viſitans iniquitatem patrum ſuper filios , in 2
tertiam & quartam generationem odio habentibus me.

Epheſ.2.3.Inter quos & nos omnes conuerſati ſumus olim in cupiditatibus carnis noſtræ,facientes quæ carni ac cogitationibus libebant:eramusq́; naturâ filij iræ,vt etiam reliqui.

Rom.5.14.Regnauit autem mors ab Adam vſque ad Moſem , in eos quoque qui non peccauerant, ad ſimilitudinem tranſgreßionis Adam,qui eſt typus illius qui erat futurus.

Aphorismvs tertius.

I N adultis verò duas alias rationes prorſus diuerſas obſeruat. Quoſdam e- III. Nulla vocatio ad Euangelium.
nim ne hac quidem gratia dignatur,vt vel de Christo,[1]in quo vno ſalus eſt,quicquam prorſus audiant:[2]ſed eos viis ſuis ingredi ſinit, & ad certum exitum contendere.Nam[3]quæ illis diuinitatis ſuæ teſtimonia reliquit, hactenus tantùm valent vt minus habeant quod prætexant,[4]ipſorum tamen culpa, quum illa ipſa ignorantia & ſocordia,in qua verſantur, eius corruptionis pœna ſit in qua ſunt nati.Et ſanè quicquid lumine,aut tenebris potius naturæ poſſunt in rebus diuinis intueri,etiamſi in medio curſu non deficerent,eiuſmodi eſt vt ad ſalutem ſufficere nullo modo poſsit . Neceſſe[5] eſt enim ad ſalutem vt Deum cognoſcamus, non tantùm vt Deum , ſed etiam vt Patrem in Christo: [6] quod arcanum caro & ſanguis non reuelat,ſed ipſe Filius,iis demum quos à Patre accepit.

Probationes ex Dei verbo.

Matth.1.21.Pariet autem filium,& vocabis nomen eius Ieſum . ipſe enim ſeruabit populum 1
ſuum ex peccatis ipſius.

Act.4.12. Nec eſt in alio quoquam ſalus.nec enim aliud nomen eſt ſub cælo quod datum ſit inter homines,per quod oporteat nos ſeruari.

Act.14.16.Qui præteritis ætatibus ſiuit omnes Gentes ſuis ipſarum vijs incedere. 2

Rom.1.24. Quamobrem etiam tradidit eos Deus cupiditatibus cordium ipſorum ad impuritatem,&c.

Epheſ.2.11.Mementote vos quondam Gentes in carne,qui dicebamini Præputium,&c.

12.Vos inquam illo tempore fuiſſe abſque Christo,alienos à Republica Iſraëlis , & extraneos à pactis promißionis,&c.

Rom.1.19.Quoniam id quod de Deo cognoſci poteſt,manifeſtum eſt in ipſis:Deus enim eis ma- 3
nifeſtum fecit.

Act.14.17.Quanquam non paſſus eſt ſe eſſe expertem teſtimonij,nobis benefaciendo , &c.

Act.17.27.Vt quærerent Deum,ſi fortè palpando eum inuenirent,&c.

Rom.1.20.Ipſius enim inuiſibilia,dum ex rebus conditis intelliguntur, ex creatione mūdi perſpiciuntur,æterna videlicet eius tum potentia tum diuinitas:ad hoc vt ſint ipſi inexcuſabiles.

Rom.2.12.Quicunque ſine Lege peccauerunt,ſine Lege quoque peribunt , &c.

Rom.1.21.Propterea quòd quum Deum cognouerint,tamen vt Deum nō glorificauerunt,neq; 4
gratias ei egerunt,&c.

22.Quum ſe profiteantur eſſe ſapientes,ſtulti facti ſunt.

Ioh.17.3.Hæc eſt autem vita æterna,vt te ſolum cognoſcant eſſe Deum verum,&c. 5

Ioh.3.36. Qui credit in Filium,habet vitam æternam:qui verò non credit Filio,non videbit vitam,ſed ira Dei manet ſuper eum.

Matth.11.27.Omnia mihi tradita ſunt à Patre meo,&c. 6

Matth.16.17.Beatus es Simon bar-Iona:quia caro & ſanguis hæc non retexit tibi,ſed Pater meus qui eſt in cælis.

Ioh.1.13. Qui non ex ſanguine,neque ex libidine carnis , neque ex libidine viri,ſed ex Deo geniti ſunt.

Aphorismvs quartus.

Q V O R V N D A M verò[1]grauior etiam eſt caſus,[2]eorum videlicet quos IIII.

Vocatio inefficax. externa quidem prædicatione dignatur,ſed[3]qui vocati nec volunt nec etiam poſſunt reſpondere,[4] quoniam ita ſibi in ſua cæcitate placent vt dicant ſe videre: [5]quibus etiam non datum eſt veritatis Spiritum amplecti, & credere.Itaque quanuis neceſſaria, tamen ſpontanea eſt ipſorum pertinacia:vnde fit[6]vt ad conuiuium inuitati venire recuſent,[7]adeò vt verbum vitæ ſit illis ſtultitia & offendiculum,denique odor lethalis ad mortem.

Probationes ex Dei verbo.

1 *Luc.12.47.Ille autem ſeruus qui nouit voluntatem domini ſui,nec ſe comparauit, nec fecit ex voluntate eius,cædetur multis* plagis.

2 *Matth.22.14.Multi ſunt vocati,pauci verò electi.*

Luc.13.34.Ieruſalem,Ieruſalem,quæ trucidas Prophetas, & lapidas eos qui ad te miſsi ſunt, quoties volui cogere liberos tuos,&c.

Luc.19.42.Nempe ſi vel tu noſſes vel hoc ſaltem tuo die,&c.

3 *Ierem.7.28.Et dices ad eos, Hæc eſt gens quæ non obtemperauit voci Iehouæ Dei ſui,&c.*

Prouerb.1.24.Propterea quòd vocaui,& renuiſtis:extendi manum meam,& non fuit qui attenderet.

4 *Ioh.9.41.Si cæci eſſetis,non haberetis peccatum:nunc verò dicitis, Videmus:itaque peccatum veſtrum manet.*

5 *Ioh.14.17.Spiritum illum veritatis quem mundus non poteſt recipere,quia nõ videt eum, nec nouit eum:vos autem cognoſcitis eum,quia apud vos manet,& in vobis erit.*

Iſa.6.10 *Ioh.12.39.40.Propterea non poterant credere:quia iterum dixit Iſaias, Excæcauit oculos eorũ, & obdurauit corda eorum.&c.*

2.Theſ.3.2.Et vt eripiamur à proteruis ac ſceleratis hominibus.non enim omnium eſt fides.

Matth.13.11.Quia vobis datum eſt noſſe myſteria regni cælorum,illis autem non eſt datum.

6 *Matth.22.2.Simile eſt regnum cælorum cuidam regi,qui fecit nuptias filio ſuo,&c.*

Luc.14.16.Homo quidam fecit cœnam magnam,& vocauit multos,&c.

7 *1.Cor.1.18.Nam ſermo ille de cruce, iis quidem qui pereunt ſtultitia eſt: nobis autem qui ſeruamur,potentia Dei eſt.*

23.Nos prædicamus Chriſtum crucifixum, Iudæis quidem offendiculum, Græcis verò ſtultitiã.

2.Cor.2.15.Nam Chriſti bona fragantia ſumus Deo,in iis qui ſeruantur,& in iis qui pereunt:

16 His quidem odor mortis ad mortem:illis verò odor vitæ ad vitam.

Aphoriſmvs *quintus.*

v. SVNT alii præterea quorum intelligentiam excitat ad ea percipienda & credenda quæ audiunt: [1]ſed hoc fit generali illa fide, qua prædíti Diaboli contremiſcunt.

Probatio ex Dei verbo.

1 *Iacob.2.19.Tu credis Deum vnum eſſe.rectè facis:& dæmonia credunt,& horreſcunt.*

Aphoriſmvs *ſextus & ſeptimus.*

vi.& vii. POSTREMO[1] qui ſunt omnium infeliciſsimi, altius etiã conſcendũt vt grauius ruant.Huc [1]enim cuiuſdam gratiæ munere prouehuntur, vt etiam aliquatenus commoueantur ad donum cæleſte deguſtãdum,[2] adeò vt ad tempus recepto ſemine videantur in Eccleſia Dei plantati, [3]atque etiam aliis iter ad ſalutem oſtendant.Sed hoc conſtat,Spiritum illum adoptionis,[4]quem proprium eſſe diximus illorum qui nunquam eiiciuntur foras, [5]quique in arcano populi Dei perſcripti ſunt,nunqnam cum illis communicari. Nam[6] ſi ex electis eſſent, cum electis vtique permanerent.

Iſti igitur omnes,[7]quia neceſſariò, & tamen voluntariè,vt qui ſint ſub peccati imperio,[8]ad vomitum redeunt,[9] & à fide deſciſcunt,idcirco radicitus euelluntur

tur, vt in ignẽ coniiciantur. Derelinquuntur (inquã) à Deo,[10] qui pro ſua quidẽ voluntate, cui nemo poteſt reſiſtere,[11] & ipſorum nihilominus corruptione ac improbitate commotus[12] ipſos indurat, cor illorum impinguat, aures occludit, oculos denique excæcat,[13] vtitúrque ad eam rem perficiendam partim ſceleratis illorum cupiditatibus, quibus ipſos regendos tradit,[14] partim ſpiritu illo mendacii, qui eos laqueis conſtrictos tenet, nimirum propter illorum corruptionem, ex qua, tanquam fonte quodam, perpetuus infidelitatis, ignorantiæ, & iniquitatis riuus manat:[15] vnde fit vt circa fidem naufragi diem illum exitio ſuo deſtinatum nunquam euadant,[16] vt Deus iuſto ipſorum interitu glorificetur.

Probationes ex Dei verbo.

Hebr.6.4. Nam fieri non poteſt vt qui ſemel fuerint illuſtrati, guſtauerintque donum cæleſte, & participes facti fuerint Spiritus ſancti, 1

5 Guſtauerintq́ bonum Dei verbum, ac virtutes futuri ſeculi:

6 Si prolabantur, vt denuo renouentur per reſipiſcentiam, vt qui rurſum crucifigant ſibimetipſis Filium Dei, &c.

Act.8.13. Simon verò & ipſe credidit: & baptizatus perdurabat apud Philippum, &c. 2

Matth.13.24. Vide parabolam ſeminatoris.

Act.1.16. Viri fratres, oportuit impleri Scripturã hanc, quam prædixit Spiritus ſanctus, per os Dauid, de Iuda, &c. 3

17. Quia annumerabatur nobiſcum, & ſortitus erat partem miniſterij huius.

Ioh.6.37. Quicquid dat mihi Pater, ad me veniet, &c. 4

Ezech.13.9. Et erit manus mea contra Prophetas qui vident vanum, & diuinant mendaciũ: in cœtu populi mei non erunt, & in ſcriptura domus Iſrael non ſcribentur, &c. 5

1.Ioh.2.19. E nobis egreßi ſunt, ſed non erãt ex nobis: nam ſi fuiſſent ex nobis, permanſißent vtique nobiſcum, &c. 6

Ioh.8.34. Amen, amen dico vobis, quiſquis committit peccatum, ſeruus eſt peccati. 7

Rom.5.12. Propterea ſicut per vnum hominem peccatum in mundum introijt, ac per peccatum mors: & ita in omnes homines mors tranſijt, in quo omnes peccarunt.

Rom.6.20. Quum enim ſerui eſſetis peccati, liberi eratis iuſtitia.

Rom.7.14. Scimus Legem eſſe ſpiritualem: at ego carnalis ſum, venditus vt ſubiicerer peccato.

Rom.8.7. Propterea quòd intelligentia carnis inimicitia eſt aduerſus Deum. Legi enim Dei nõ ſubijcitur: nam ne poteſt quidem. Prou.26.11

2.Petr.2.22. Sed accidit eis quod vero prouerbio dici ſolet, Canis reuerſus eſt ad ſuum ipſius vomitum, &, Sus lota, ad volutabrum cæni. 8

1.Tim.4.1. Spiritus autem diſertè dicit fore vt poſterioribus temporibus deſciſcant quidam à fide, ſpiritibus deceptoribus attendentes, ac doctrinis dæmoniorum. 9

Matth.12.43. Vide parabolam ſeptem ſpirituum.

Rom.9.19. Dices ergo mihi, Quid adhuc ſuccenſet? nam voluntati illius quis reſtitit? 10

2.Theſ.2.9. Cuius aduentus eſt ex efficacia Satanæ, cum omni potentia, & ſignis, ac prodigiis mendacibus. 11

10 Et cum omni fraude iniuſtitiæ in iis qui pereunt: pro eo quòd amorem veritatis non receperunt vt ſalui fierent.

11. Propterea igitur mittet illis Deus efficaciam deceptionis, vt credant mendacio.

Ioh.3.19. Hæc eſt autem condemnatio, quòd Lux venit in mundum, ſed dilexerunt homines potius tenebras quàm Lucem: quia ſunt eorum mala opera.

Iſa.63.17. Quare feciſti nos errare Iehoua à vijs tuis? recedere feciſti cor noſtrum à timore tui? 12

Exod.4.21. Vide vt omnia portenta quæ poſui in manu tua, facias coram Pharaone: & ego indurabo cor eius, vt non dimittat populum.

Sunt & alij plures loci quos ſuprà citauimus, cap.2. Aphor.1.

Iſa.6.10. Obſtina cor populi huius, & aures eius aggraua, & oculos eius obline: ne fortè videat oculis ſuis, & auribus ſuis audiat, & cor eius intelligat, & vbi conuerſus fuerit ſit illi ſanatio.

Rom.11.32. Concluſit enim Deus omnes in contumacia, vt omnium miſereretur.

Exod.8.32. Et aggrauauit Pharao cor ſuum etiam hac vice, neq́ dimiſit populum. 13

Pſal.95.8. Ne obduretis cor veſtrum ſicut in Meriba, ſicut in die Maſſa in deſerto.

Act.7.42. Auertit autem ſe Deus,& tradidit eos in ſeruitutem exercitus cœli,ſicut ſcriptum eſt in libro Prophetarum.

Rom.1.26. Propterea tradidit eos Deus fœdis affectibus.

14 1.Reg.22.23. Nunc ergo en dedit Iehoua ſpiritum mendacij in ore omnium prophetarum tuorũ iſtorum,& Iehoua locutus eſt ſuper te malum.

Ioh.13.2. Diabolus immiſit en cor Iudæ,vt proderet Ieſum.

2.Cor.4.3.4. Quòd ſi tectum Euangelium noſtrum,ijs qui pereunt tectum eſt: in quibus Deus huius ſeculi excæcauit mentes,id eſt,infidelibus,ne irradiet eos lumen Euangelij gloriæ Chriſti, qui eſt imago Dei.

2.Tim.2.26. Et elapſi ex diaboli laqueo,à quo captiui tenentur,mentis ſanitatem recipiant ad præſtandam illius voluntatem.

15 1.Tim.1.19. Retinens fidem & bonam conſcientiam: qua repulſa,nonnulli fidei naufragium fecerunt.

Prouerb.16.4. Omnia operatus eſt Iehoua propter ſeipſum,& etiam impium ad diem malum.

16 Exod.9.16. Et profectò ob id conſtitui te vt oſtenderem tibi potentiam meam , vtq́; narrent nomen meum in vniuerſa terra.

Rom.9.21. Annon habet poteſtatem figulus in lutum,vt ex eadem maſſa faciat aliud quidẽ vas ad decus,aliud verò ad dedecus?

22. Quid ſi verò volens oſtendere iram,& notam facere potentiam ſuam, pertulit multa lenitate vaſa iræ,coagmentata ad interitum?

CAPVT VI.

De vltima & plena conſilij Dei executione,tum in electis, tum in reprobis.

Aphorismvs primus.

1\. *Plena executio iudiciorũ Dei.* QVVM Deus ſit ipſamet iuſtitia, par eſt vt iuſtos ſeruet, iniuſtos condemnet. Atqui[1] ij ſoli ex hominibus iuſti ſunt qui fide Chriſto vniti & inſiti,atque adeò in ipſo radicati, & vnum cum ipſo corpus facti,[2] in eo & per eum iuſtificati & ſanctificati ſunt. Ex quo efficitur,[3] vitam cui ſunt deſtinati ad gloriam Dei,iure quodam ad eos ſolos pertinere.

Probationes ex Dei verbo.

1 Ioh.17.21. Vt omnes vnum ſint,ſicut tu Pater in me,& ego in te,vt & ipſi in nobis vnum ſint: vt credat mundus me à te miſſum eſſe.

Rom.6.5. Nam ſi cum eo plantati coaluimus conformatione mortis eius, nimirum etiam reſurrectionis conformatione coaleſcemus.

Col.2.7. Radicati & ſuperſtructi in eo,ac confirmati fide,ſicut edocti eſtis,abundantes ea cum gratiarum actione.

1.Cor.10.16. Poculum benedictionis cui benedicimus,nónne communio ſanguinis Chriſti eſt? panis quem frangimus,nónnè communio corporis Chriſti eſt?

2 Rom.8.30. Quos verò prædeſtinauit,eos etiam vocauit: & quos vocauit , eos etiam iuſtificauit: quos autem iuſtificauit,eos etiam glorificauit.

1.Cor.1.30. Sed ex ipſo vos eſtis in Chriſto Ieſu,qui factus eſt nobis ſapientia à Deo,iuſtitiaq́; & ſanctificatio,& redemptio.

3 2.Cor.5.5. Porrò Deus is eſt qui nos ad hoc ipſum condidit , qui etiam dedit nobis arrhabonem Spiritus.

Rom. 9. 23. Et vt notas faceret diuitias gloriæ ſuæ erga vaſa miſericordiæ , quæ præparauit ad gloriam.

Rom.3.25. Quem propoſuit Deus vt eſſet placamentum per fidem,in ſanguine ipſius, ad declarandam iuſtitiam ſuam,per remiſſionem præcedentium peccatorum:

26 Ex Dei tolerantia,ad declarandam iuſtitiam ſuam præſenti tempore: vt ſit ipſe iuſtus, & iuſtificans eum qui eſt ex fide Ieſu.

Epheſ.1.5. Qui prædeſtinauit nos quos adoptaret in filios per Ieſum Chriſtum in ſeſe,pro beneuolo

neuolo affectu voluntatis ſuæ,
6 Ad laudem glorioſæ ſuæ gratiæ, qua nos gratis effecit ſibi gratos in illo dilecto.

APHORISMVS *ſecundus.*

CONTRA' verò ii qui in Adami pollutione & in morte manent, me- II.
ritò ſunt Deo exoſi, vt ab ipſo damnentur, ne iis quidem exceptis, qui antè ſunt extincti, quàm inſtar Adami, actu videlicet, peccarent.

PROBATIONES EX DEI VERBO.

Rom.5.14. Regnauit autem mors ab Adam vſque ad Moſen, in eos quoque qui non peccauerant ad ſimilitudinem tranſgreßionis Adam, qui eſt typus illius qui erat futurus.

Epheſ.2.3. Inter quos & nos omnes conuerſati ſumus olim in cupiditatibus carnis noſtræ, facientes quæ carni ac cogitationibus libebant, eramuſq́ natura filij iræ, vt etiam reliqui.

Ioh.3.36. Qui non credit Filio, non videbit vitam, ſed ira Dei manet ſuper eum.

APHORISMVS *tertius.*

VTRAQVE hæc iudiciorum Dei executio tribus demùm gradibus III.
tum in his, tum in illis perficitur, quorum primus eſt à nobis explicatus. Nam quantum ad electos attinet, ¹eo ipſo momento quo fidei donum acceperũt, quo-
dammodo tranſierunt à morte in vitam, ² cuius certum habent pignus. Sed hæc In electis.
ipſorum vita prorſus in Chriſto eſt abſcondita, vſque dum prima illa mors ipſos vno gradu promoueat, ³per quam nimirum animus corporis vinculis ſolutus in gaudium Domini ſui ingreditur.

Denique die illo iudicandis viuis & mortuis conſtituto, quum corruptibile hoc immortalitatem induerit, & Deus erit omnia in omnibus, tum demũ ipſius maieſtatem coràm intuebuntur, & inenarrabili illo gaudio perfruentur, quod eſt ipſis ab æterno deſtinatum, mercede ſcilicet Chriſti iuſtitiæ & ſanctitati debita pro ipſorum peccatis traditi, & propter eorundem iuſtificationem à mortuis excitati, cuius virtute & ſpiritu ex fide in fidem ambularunt, vt ex tota ipſorum vita liquidò conſtabit.

PROBATIONES EX DEI VERBO.

Ioh.5.24. Amen amen dico vobis, qui ſermonem meum audit, & credit ei qui miſit me, ha- 1
bet vitam æternam, & in condemnationem non veniet: ſed tranſiuit à morte in vitam.

2.Cor.1.22. Deus obſignauit nos, deditq́ arrhabonem Spiritus in cordibus noſtris. 2

2.Cor.5.5. Porrò Deus is eſt qui nos ad hoc ipſum condidit, qui etiam dedit nobis arrhabonem Spiritus.

1.Cor.1.4. Gratias ago Deo meo ſemper de vobis, ob gratiam Dei quæ data eſt vobis in Chriſto Ieſu:
5 Quòd in omnibus ditati ſitis in ipſo omni loquendi facultate, omniq́ cognitione,
6 Prout teſtimonium Chriſti confirmatum fuit in vobis:
7 Adeò vt nullo dono deficiamini, expectãtes dum reueletur Dominus noſter Ieſus Chriſtus:
8 Qui etiam confirmabit vos vſque ad finem, &c.

Rom.8.24. Nam ſpe ſeruati ſumus. Spes autem ſi cernatur, non eſt ſpes. quod enim quis cernit, cur ſperet?
25 Si verò quod non videmus ſperamus, per patientiam expectamus.

Epheſ.1.13. In quo etiam poſteaquam credidiſtis, obſignati eſtis ſpiritu illo promißionis ſancto,
14 Qui eſt arrhabo hæreditatis noſtræ, dum in libertatem vindicemur, ad laudem gloriæ ipſius.

Epheſ.2.6. Vnaq́ excitauit, vnaq́ collocauit in cœlis in Chriſto Ieſu.

Rom.5.2. Per quem etiam fide habuimus hunc aditum in gratiam hanc per quam ſtamus, & gloriamur ſub ſpe gloriæ Dei.

Luc.23.43. Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiſo. 3

Matth.22.31. De reſurrectione verò mortuorum non legiſtis quod vobis dictum eſt à Deo dicente,
32 Ego ſum Deus Abraham, & Deus Iſaac, & Deus Iacob? Deus non eſt Deus mortuorum,

ſed viuentium.

Luc.16.22. Factum eſt autem vt moreretur mendicus,& aſportaretur ab Angelis in ſinum Abrahæ.

Philipp.1.23.Coarctor enim vtrinque:deſiderans migrare,& eſſe cum Chriſto: nam id *longè optimum eſt.*

4 *Act.3.21.Quem oportet quidem cœlo capi,vſque ad tempora reſtitutionis omnium, quæ prædixit Deus per os omnium ſanctorum ſuorum à ſeculo Prophetarum.*

Rom.8.21. Et ipſa creaturæ *vindicabuntur ex ſeruitute interitus in libertatem gloriæ filiorum Dei.*

Vide 1.Cor.15.toto capite.

2.Cor.5.10.Omnes enim nos comparere oportet coram tribunali Chriſti,vt vnuſquiſque reportet quæ in corpore fecerit,*congruenter ad id quod fecerit vel bonum vel malum.*

Rom.14.10.Omnes ſiſtemur apud tribunal Chriſti.

Matth.25.34.Tunc dicet rex his qui ad dextram ipſius erunt, Venite benedicti Patris mei, poßidete regnum paratum vobis à iactis fundamentis mundi.

APHORISMVS *quartus.*

IIII. In reprobis. CONTRA[1] verò reprobi in peccato, morte, & ira Dei ſuper ipſos manente concepti,nati,educati,[2]quum ex hoc mundo egrediuntur in alterum exitii gurgitem ruunt,præcipitatis in æternum horrorem animis ipſorum,[3] ad eum vſque diem quo, & corpore & animo rurſus coniunctis, æternum illum ignem ingredientur,Diabolo & ipſius angelis præparatum.

PROBATIONES EX DEI VERBO.

1 *Pſal.51.7.Ecce,in iniquitate genitus ſum,& in peccato concepit me mater mea.*

Ioh.3 36.Qui non credit Filio,non videbit vitam,ſed ira Dei manet ſuper eum.

Rom.5.12.Propterea ſicut per vnum hominem peccatum in mundum introijt, ac per peccatum mors:& ita in omnes homines mors tranſijt,in quo omnes peccarunt.

Rom.7.14.Scimus enim Legem eſſe ſpiritualem:at ego carnalis ſum, venditus vt ſubijcerer peccato.

Epheſ.2.3.Inter quos & nos omnes conuerſati ſumus olim in cupiditatibus carnis noſtræ,facientes quæ carni ac cogitationibus libebant:eramuſq; naturâ filij iræ,vt etiam reliqui.

2 *Luc.16.23.Et apud inferos ſublatis oculis ſuis,quum eſſet in tormentis, vidit Abraham procul, & Lazarum in ſinu eius:*

24.Tum ipſe clamans dixit,Pater Abraham,miſerere mei, & mitte Lazarum vt intingat extremum digitum ſuum in aquam,& refrigeret linguam meam:quoniam crucior in iſta flamma.

3 *Matth.25.41.Tunc dicet etiam ijs qui ad ſiniſtram erunt, Maledicti,abite à me in ignem æternum,qui paratus eſt Diabolo & angelis eius.*

APHORISMVS *quintus.*

V. Gloria Dei. Summè iuſti & miſericordis. Summè iuſti. HAC igitur duplici ratione, eáque planè diuerſa, vltimus ille iudiciorum Dei exitus gloriam ipſius omnibus patefaciet,vt qui in electis ſuis & ſummè iuſtum & ſummè miſericordem ſeſe declarauerit:iuſtum nimirũ in eo quòd ſumma ſeueritate omnia electorum ſuorum peccata in Filii ſui perſona vindicarit, neque eos prius in conſortium ſuum admiſerit,quàm plenè & integrè in eodem Filio ſuo iuſtificarit & ſanctificarit:in eo verò infinite miſericordem, quòd eos in ſemetipſo gratis eligere propoſuerit:deinde vt propoſuerat,gratis in Filio adoptarit: ipſos nimirum vocando,iuſtificando, & glorificando, ea fide intercedente quã ipſe illis eadẽ benignitate impulſus conceſsit. Altera aũt ex parte,quæ ad reprobos ſpectat,ipſorum corruptio ac infidelitas cum fructibus inde exortis, & propriæ conſcientiæ teſtimonio ita ipſos redarguet, vt quantuncunque reluctentur,ſumma tamen Dei iuſtitia in ipſorum iuſta condemnatione, omnibus approbantibus,appareat.

CAPVT

Qua ratione publicè hæc doctrina commodè proponi poſſit.

EXPLICATA doctrinæ ipſius ſumma, ſupereſt vt oſtendamus quid potiſsimum in ipſius prædicatione ac peculiari etiam applicatione putemus obſeruandum. Nam quòd tam multis ita videtur aſpera, vt eam tanquã ſcopulum refugiant, id partim hominum improbitati & arrogantiæ tribuendum eſt, partim etiam quorundam imprudentiæ, qui temerè & ſine vllo delectu hæc arcana ſtudent explicare: denique etiam quorundam inſcitiæ, qui, quæ fideliter alioquin & rectè ſunt explicata, ſibi ipſis non norunt certa methodo applicare.

Quod igitur ad primos illos attinet à quibus per malitiam peccatur, vnius Dei eſt ipſorum vitium emendare, quod ſanè ſuo momento ſemper fecit, & porrò deinceps faciet in iis quorum tandem miſereri conſtituit: reliquorum autem, qui in ſuo ſcelere manent obfirmati & pertinaces, non eſt cur vel numero vel authoritate ita commoueamur, vt diſsimuletur Dei veritas. De alteris autem, hæc habui quæ præcipuè in hoc prædicando myſterio putarem obſeruari oportere.

Primum vt, quemadmodum in cæteris, ita imprimis in prædeſtinationis arcano diligenter caueant ne pro ſimplici Dei veritate vanas & curioſas ſpeculationes afferant, quod illos facere neceſſe eſt qui, vt iſta Dei occulta iudicia cum hominis cerebro concilient, præſcientiã à propoſito Dei non modò diſtinguũt, ſicut facere omnino neceſſe eſt, ſed etiam ſeparant: aut nudam & otioſam permiſſionem imaginantur: aut duplex faciunt Dei propoſitum: ex quibus erroribus quum in alios infinitos & abſurdiſsimos errores delabi neceſſe ſit, partim negare coguntur quæ prorſus cohærent, partim etiam & futiles & obſcuras multas diſtinctiones comminiſcuntur, in quibus quò longius prouehuntur eò magis implicantur, adeò vt ex iſtis labyrinthis nunquam emergant. Hoc igitur ſedulò caueatur in hoc præſertim argumẽto, quo nullum aliud magis conuenit in Eccleſia Dei purè ac ſincerè doceri. Deinde vt ne genera quidem dicendi vlla, quoad eius fieri poteſt, (nam, docendi cauſa, interdum aliquid ſanctè & religioſè audendum eſt) à Scripturis aliena vſurpentur, & quæ in verbo Dei occurrunt commoda interpretatione explicentur, ne quis rudior offendiculi occaſionem vllam arripiat. Delectus in re & verbis.

Item magna habenda eſt auditorum ratio, in quo rurſus malitioſos à rudibus, & voluntariè ignorantes ab iis diſtinguere oportet qui ſimplici & humana ignorantia laborant. Illis enim ſolet Dominus apertè iudicium Patris denunciare, iſtos verò paulatim deducere in veritatis cognitionem oportet. Sed & illud hoc loco prouidendum eſt, ne tanta habeatur infirmorum ratio, vt dum illis conſulitur, cæteris non caueatur: cuius prudentiæ inſignia exem pla in Paulo cernimus, præſertim Epiſtolæ ad Romanos cap. 9. 10. 11. 14. & 15. Delectus in perſonis.

Item vt, niſi ſumma aliqua ratio impedierit, ab infimis gradibus ad ſummũ contendant, ſicut Paulus in Epiſtola ad Romanos, quæ eſt totius Theologiæ methodus, à Lege ad remiſsionem, & inde ſenſim ad ſummum gradum progreditur: aut in eo conſiſtãt qui appoſitiſsimus erit Scripturæ loco quem tractandũ ſuſceperunt, potius quàm à ſummo deſcendant ad imum. Solet enim diuinæ illius maieſtatis fulgor repentè oblatus oculos vehementer ferire, adeò vt in reli-

quis poſtea cernendis cæcutiant, niſi diu multúmque intuendæ illi luci aſſueuerint.

Quomodo pergendum. Item ſiue ab imo ſurſum aſcenderint, ſeu contrà à ſummo deſcenderint deorſum, cauendum eſt ne ab extremo ad alterum præteritis mediis excurras, veluti à propoſito ad ſalutem, & multo etiam magis à ſalute ad propoſitum, itémque à propoſito ad damnationem, aut contrà præteritis iudicii Dei propinquioribus cauſis:[5] niſi fortè vel cum apertis Dei contemptoribus ſit tibi negotium, quos ne doceri quidem expediat, niſi vt iudicio Dei feriantur, vel cum hominibus ita in verbo Dei exercitatis vt nulla ſit offendiculi iuſta ſuſpicio.

Quomodo applicanda doctrina. Item, nunquam ita proponatur hæc doctrina, vt cuiquam ſigillatim applicetur, quanuis aliter alii vel deliniendi vel obiurgandi ſint,[6] niſi quis fortaſſe Dei Propheta peculiari aliquo oraculo ſit admonitus: quod tamen non temerè credendum eſt, quum extra ordinem id contingat.

In viſitandis autem ægrotis, & familiaribus admonitionibus, officium miniſtri eſſe videtur afflictorum conſcientiam, quantum licet, electionis teſtificatione erigere: contrà verò horrendo illo Dei iudicio obſtinatè malos & contumaces ferire, ita tamen vt modum aliquem teneant, & ab extrema illa ſententia abſtineant, cui nulla addita ſit conditio. Nam hæc iuriſdictio ad vnum Deum pertinet.

PROBATIONES EX DEI VERBO.

1 *Matth.28.19. Profecti ergo docete omnes gentes, baptizantes eos, &c.*

20 Docentes eos ſeruare omnia quæ mandaui vobis.

2.Tim.2.23. Stultas autem & ineruditas quæſtiones reijce, ſciens eas gignere pugnas.

2 *2.Tim.2.15. Stude teipſum probatum ſiſtere Deo, operarium qui non erubeſcat, & qui rectè ſermonem veritatis ſecet.*

3 *Matth.25.* toto capite.

Ioh.8.44. Vos ex patre diabolo eſtis, & cupiditates patris veſtri vultis explere.

Ioh.9.41. Dixit eis Ieſus, Si cæci eſſetis non haberetis peccatum: nũc verò dicitis, Videmus: itaq; peccatum veſtrum manet.

Ioh.10.26. Sed vos non creditis: non enim eſtis ex ouibus meis, ſicut dixi vobis.

Luc.20.46. Cauete à Scribis, qui volunt ambulare ſtolati, & amant ſalutationes in foris, ac primos conſeſſus in conuentibus, & primos accubitus in cœnis.

47. Qui deuorant domos viduarum, & in ſpeciem precibus longis vtuntur: iſti auferent grauius iudicium.

Matth.23.38. Ecce relinquitur vobis domus veſtra deſerta.

4 *1.Cor.3.2. Lactis potu vos alui, & non eſca: nõdum enim poteratis* id ferre: *imò ne nunc quidẽ adhuc poteſtis.*

Rom.14.1. Eum qui fide eſt infirmus aſſumite, non tamen *ad certamina diſputationum.*

5 *Ioh.8.33. Reſponderunt ei, Semen Abrahæ ſumus, neque cuiquam ſeruiuimus vnquam: quomodo tu dicis nos in libertatem vindicandos?*

34. Reſpondit ei Ieſus, Amen amen dico vobis, quiſquis committit peccatum, ſeruus eſt peccati.

Philip.3.2. Cauete canes, cauete malos operarios, cauete conciſionem.

1.Tim.6.3.4. Si quis diuerſam docet doctrinam, neque accedit ſanis ſermonibus Domini noſtri Ieſu Chriſti, & ei quæ ſecundum pietatem eſt doctrinæ: Is turget, *nihil ſciens, &c.*

6 *Gal.5.12. Vtinam etiam abſcindantur qui vos inquietant.*

2.Tim.4.14. Alexander faber ærarius multa mala mihi exhibuit: reddat ei Dominus ſecundum facta ipſius.

Ioh.6.64. Sed ſunt quidam ex vobis qui non credunt. nouerat enim à principio Ieſus quinam eſſent qui non credebant, & quis eum proditurus eſſet.

Ioh.8.24. Ideo vobis dixi vos morituros in peccatis veſtris. Nam niſi credideritis me eum *eſſe moriemini in peccatis veſtris.*

CAPVT

CAPVT VIII.

Quomodo hanc vniuerſam doctrinam ſinguli ſibiipſis cum aliquo fructu poßint applicare.

APHORISMVS *primus.*

QVI ſalutem hominum docent operibus vel prorſus vel aliqua ex 1.
parte niti,[1] ab illis conſtat Euangelium Dei penitus euerti. Qui verò
gratuitam iuſtificationem ex fide docent,ii certo fundamento nitun-
tur,[2] ſed ita demum ſi fidei ſubſtrauerint æternum illud Dei propoſitum, in quo
demum & Chriſtus ipſe,[3] & Apoſtolus Chriſti veſtigia ſecutus conſiſtit.[4] Quũ
enim perſeuerãtia fidei ad ſalutem requiratur,quorſum mihi fidem,[5] niſi de per-
ſeuerantiæ dono certus fuerim? Neque verò metuendum eſt ne hæc doctrina ne-
gligentes ac diſſolutos nos reddat.[6] Iſta enim conſcientiæ pax de qua agimus,
à ſtolida ſecuritate plurimum differt, & qui filius Dei eſt quum Spiritu Dei a-
gatur, nunquam ex beneficiorum Dei cogitatione deſidiæ occaſionem capiet.
Ergo etiam ſi hunc vnum fructum afferret hæc doctrina, vt ipſius præſidio fi-
dem noſtram diſcamus in futuros omnes euentus confirmare, apparet ab iis præ-
cipuam ſalutis noſtræ baſin euerti,qui quoniã Deum ex ingenii ſui modulo me-
tiuntur,hoc religionis caput oppugnant.

Doctrina fidei inutilis ſi ab electione ſeparetur.

Pax conſcientiæ à prædeſtinatione pendet.

PROBATIONES EX DEI VERBO.

Gal.2.21. Non abrogo gratiam Dei:nam ſi per Legem eſt iuſtitia, igitur Chriſtus ſine cauſa mortuus eſt. 1

Rom.11.6. Quòd ſi per gratiam,non iam ex operibus:alioquin gratia iam non eſt gratia. Sin ex operibus,jam non eſt gratia:alioquin opus iam non eſt opus.

Ioh.6.44. Nemo poteſt venire ad me,niſi Pater,qui miſit me,traxerit eum: ego verò ſuſcitabo eum vltimo illo die. 2

45. Eſt ſcriptum in Prophetis, Et erunt omnes docti à Deo. Quiſquis ergo audiuit à Patre & didicit,venit ad me.

Rom.8.29. Nam quos præſciuit, eoſdem *& prædeſtinauit* vt *conformes* fiant *imagini Filij ſui: vt is ſit primogenitus inter multos fratres.* 3

30. Quos verò prædeſtinauit,eos etiam vocauit,&c.

Vide eandem Epiſtolam 9.10.& 11.cap.

1.Cor.2.10. Nobis autem Deus ea *reuelauit per Spiritum ſuum. Spiritus enim omnia ſcrutatur, etiam profunditates Dei.*

Epheſ.1.4. Sicut elegit nos in ipſo antequam iacerentur fundamenta mundi, vt ſimus ſancti & inculpati coram eo per charitatem.

5. Qui prædeſtinauit nos quos adoptaret in filios per Ieſum Chriſtum in ſeſe, pro beneuolo affectu voluntatis ſuæ.

2.Tim.1.1. Secundum promißionem vitæ quæ eſt in Chriſto Ieſu.

9. Qui ſeruauit nos,& vocauit vocatione ſancta,non ex operibus noſtris,ſed ex ſuo propoſito, & gratia,quæ data eſt nobis in Chriſto Ieſu ante tempora ſecularia.

1.Petr.1.2. Delectis ex prænotione Dei Patris ad ſanctificationem Spiritus,&c.

Matth.10.22. Et eritis exoſi omnibus propter nomen meum, verùm qui ſuſtinuerit ad finem vſque,is ſeruabitur. 4

Luc.21.19. Per patientiam veſtram poßidete animas veſtras.

Rom.2.7. Iis quidem qui perſtant,boni operis gloriam & honorem & immortalitatem, id eſt, *ijs qui quærunt vitam æternam.*

Ioh.6.37. Quicquid dat mihi Pater, ad me veniet: & eum qui venit ad me non eijcio foras. 5

39. Hæc eſt voluntas Patris,vt quicquid mihi dederit,non perdam ex eo.

Ioh.10.28. Ego vitam æternam do eis, nec peribunt in æternum: neque rapiet eas quiſquam è manu mea,&c.

Act.13.48.Crediderunt quotquot erant ordinati ad vitam æternam.

Rom.8.30. Quos iuſtificauit eos etiam glorificauit.

39. Nulla res creata nos poterit ſeparare à charitate Dei quæ eſt in Chriſto Ieſu Domino noſtro.

2.Tim.2.19.Solidum tamen fundamentum Dei ſtat,habens ſigillum hoc, Nouit Dominus qui ſunt ſui.

1.Ioh.2.19.E nobis egreſsi ſunt,ſed non erant ex nobis:nam ſi fuiſſent ex nobis, permanſiſſent vtique nobiſcum.

6 *Rom.5.1. Iuſtificati igitur ex fide,pacem habemus erga Deum per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.*

5.Porrò ſpes non pudefacit,quòd charitas Dei effuſa ſit in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum qui datus eſt nobis.

Matth.5.12.Gaudete & exultate:quoniam merces veſtra multa eſt in cælis.

7 *Rom.8.14.Quotquot enim Spiritu Dei ducuntur,ij ſunt filij Dei.*

APHORISMVS *ſecundus.*

11. E S T autem applicandæ huius doctrinæ hæc ratio. Opera Dei,vel minima,eiuſmodi ſunt vt de iis non poſsit homo niſi duplici ratione iudicare, nempe vel poſtquam iam præterierint,vel ex cauſarum ſecundarum diſpoſitione quas longo vſu cognouerit certum finem portendere,ſicut in naturalibus euentis fieri ſolet,in quibus tamen homines mirabiliter cæcutiunt. In hoc igitur argumento, quod longè eſt omnium obſcuriſsimum,minimè mirum eſt hominis iudicium in has anguſtias cogi,vt nō niſi hoc ordine poſsit quid de ſe in arcano Dei conſilio conſtitutū ſit intelligere. (1.Cor.2.14) Iam verò quia totum hoc iudiciū in earum cauſarū obſeruatione conſiſtit quæ omnem naturæ vim ſuperant,neceſſe eſt vt aliò confugiamus,nimirum ad Dei oracula in ipſius verbo perſcripta,quæ quum infinitis partibus certiora ſint humanis omnibus coniecturis, certius quoque iudiciū procul dubio nobis afferunt.

Electionis teſtimonium certum quomodo haberi poſſit.

[1]Teſtatur ergo Scriptura, quoſcunque Deus ex æterno ſuo propoſito prædeſtinauit, vt in filios per Ieſum Chriſtum adoptaret in ſeſe, eos etiam conſtituto tempore ita efficaciter vocari, vt vocantis vocem audiant & amplectantur: qua fide in Chriſto iuſtificati & ſanctificati [2] neceſſariò quoque glorificentur.

Vis igitur quiſquis es, prædeſtinationis tuæ, ac proinde ſalutis quam expectas certior fieri aduerſus omnes Satanæ inſultus:certior, inquam, fieri minimè dubiis,& ex humano ingenio petitis coniecturis, imò verò non minus certis & exploratis,quàm ſi in cælum vſque ipſum conſcendiſſes, & ex ipſo Dei ore arcanum illud decretum intellexiſſes?Caue diligenter ne à ſummo illo gradu incipias:alioqui enim futurum eſt,vt immenſam illam Dei lucem non feras. Auſpicare igitur ab imis gradibus,[3]& vbi vocem Dei audieris in auribus & animo tuo perſonantem,quæ te ad Chriſtum illum vnicum mediatorem vocat,conſidera paulatim ac diligenter ſcrutare,[4] ecquid in Chriſto ſis per fidem iuſtificatus & ſanctificatus. Hi ſunt enim effectus ex quibus fides, ipſorum ſcilicet cauſa, intelligitur. Hoc autem cognoſces, [5] partim ex Spiritu adoptionis intus clamante, Abba Pater:[6] partim etiam ex eiuſdem Spiritus vi & efficacia in teipſo: nempe ſi ſenſeris, & reipſa etiam oſtenderis peccatum, vt adhuc in te habitet, tamen in te non regnare. Quid enim? ánnon Spiritus ſanctus is eſt, qui facit vt improbis & ſceleratis cupiditatibus omnes habenas ſponte non laxemus, vt ii ſolent quibus Princeps huius mundi

Fides vera ex quibus ſignis cognoſcatur.

Spiritus ſancti effectus in electis.

mundi oculos excæcauit? Alioquin quis nos ad preces hortatur, quantumuis frigidos & torpentes? quis gemitus illos inenarrabiles in nobis excitat? [7] quis poſtquam peccauimus, interdum etiam prudentes ac ſcientes, odium illud admiſsi peccati in nobis ingenerat, minimè id quidem pœnæ formidine, ſed quòd clementiſsimum noſtrum patrem offenderimus? [8] quis, inquam, nobis teſtatur gemitus noſtros exaudiri, & nos huc impellit, vt Deum, Deum noſtrũ atq; adeò Patrem, etiam poſtquam illum offendimus, intrepidè audeamus appellare? [9] nón ne is demum Spiritus, quem pro noſtræ adoptionis certo pignore gratis datum gratis accepimus? Quòd ſi ex his effectis poſſumus fidem colligere, relinquitur nos cum efficacia vocatos & tractos fuiſſe, & ex hac rurſus vocatione, quã oſtẽdimus filiis Dei eſſe peculiarẽ, omnino intelligitur quod quærimus, nos videlicet, quia æterno Dei cõſilio, quod in ſeſe propoſuit, prædeſtinati fuimus quos in Filio adoptaret, idcirco Filio eſſe datos. [10] Ex quo demum conſequitur, quũ cõſtantiſsima illa Dei voluntate, quæ ſeipſa ſola nititur, prædeſtinati ſimus, [11] neque nos quiſquam è Filii manu poſsit rapere, ſit autem perſeuerantia in fide ad ſalutem neceſſaria, certam quoque eſſe perſeuerantiæ noſtræ ac proinde ſalutis expectationem, vt de ea amplius dubitare ſit nefas.

Vocationis efficacia ex fide intelligitur, ex vocatione vero prædeſtinatio.

Perſeuerantiæ & ſalutis ſpes certa in electis.

Tantum abeſt igitur vt hæc doctrina nos aut negligentes, aut diſſolutos reddat, [12] vt contrà hæc vna aditum nobis patefaciat ad ipſas Dei profunditates ipſius Spiritu ſcrutandas, atque adeò intelligendas: quemadmodum diſertè Apoſtolus teſtatur, vt quum eas cognouerimus ([13] cognoſcimus autem duntaxat ex parte, quandiu hic verſamur, [14] vt quotidie ſit nobis aduerſus diffidentiam cæleſtibus armis decertandum) [15] non negligenter nos gerere, ſed fortiter perſeuerare, illum colere, amare, timere, appellare diſcamus, vt in dies magis ac magis, [16] ſicut ait Petrus, vocationem & electionem noſtram, quod ad nos quidem attinet, firmam efficiamus. Deinde verò, quomodo aduerſus tot infeſtas intus & foris tentationes, tótque, (vt mundus loqui ſolet) fortunæ inſultus firmus ac conſtans permanebit, qui non prius in animo ſuo conſtituerit, quod veriſsimum eſt, [17] Deum videlicet, pro bona ſua voluntate omnia, quæcunque tandem illa ſint, & quibuſcunque inſtrumentis vtatur, facere in ſuorum commodum, [18] in quorum albo ipſe recenſeatur, qui in hoc diſcrimine ſit poſitus?

Doctrina prædeſtinationis vanã ſecuritatem euertit.

Electio ſola firmam conſolationem ſuppeditat.

Probationes ex Dei verbo.

Rom.8.29. Nam quos præſciuit, eoſdem & prædeſtinauit vt conformes fiant imagini Filij ſui: vt is ſit primogenitus inter multos fratres. 1

30 Quos verò prædeſtinauit, eos etiam vocauit: & quos vocauit, eos etiam iuſtificauit: quos autem iuſtificauit, eos etiam glorificauit.

Ephes.1.4. Sicut elegit nos in ipſo antequam iacerentur fundamenta mundi, vt ſimus ſancti & inculpati coram eo per charitatem.

5 Qui prædeſtinauit nos quos adoptaret in filios per Ieſum Chriſtum in ſeſe, pro beneuolo affectu voluntatis ſuæ.

9. Patefacto nobis myſterio voluntatis ſuæ, ſecundum gratuitam ſuam beneuolentiam quã propoſuerat in ſeſe.

Ioh.10.27. Oues meæ vocem meam audiunt, & ego eas agnoſco, & ſequuntur me.

Rom.5.2. Per quem etiam fide habuimus hunc aditum in gratiam hanc per quam ſtamus, & gloriamur ſub ſpe gloriæ Dei. 2

Rom.8.38. Nam mihi perſuaſum eſt neque mortem, neque vitam, neque Angelos, neque principatus, neque poteſtates, neque inſtantia, neque futura,

39 Neque ſublimitatem, neque profunditatem, neque vllam rem aliam creatam poſſe nos ſeparare à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu Domino noſtro.

1.Cor.2.10.Nobis autem Deus ea reuelauit per Spiritum ſuum.Spiritus enim omnia ſcrutatur, etiam profunditates Dei.

1.Ioh.3.24.Qui ſeruat eius mandata,in eo habitat,& ipſe in eo:& per hoc nouimus eum habitare in nobis,nempe ex Spiritu quem nobis dedit.

3 Pſal.95.7.8.Hodie ſi vocem eius audieritis,ne obduretis cor veſtrum,ſicut in Meriba,ſicut in
die Maſſa in deſerto.

Ioh.10.27.Oues meæ vocem meam audiunt,& ego eas agnoſco,& ſequuntur me.

4 2.Cor.13.5.Vos ipſos tentate ánnon ſitis in fide, voſipſos probate.ánnon agnoſcitis voſmetipſos,
videlicet Ieſum Chriſtum in vobis eſſe?

5 Gal.4.6.Quoniam eſtis filij,emiſit Deus Spiritum Filij ſui in corda veſtra, clamantem Abba,
Pater.

1.Ioh.3.24.Qui ſeruat eius mandata,in eo habitat,& ipſe in eo:& per hoc nouimus eum habitare in nobis,nempe ex Spiritu quem nobis dedit.

1.Cor.2.10.Nobis autem Deus ea reuelauit per Spiritum ſuum.Spiritus enim omnia ſcrutatur, etiam profunditates Dei,&c.

6 Rom.6.toto ferè capite.

1.Ioh.3.9.Quiſquis natus eſt ex Deo,peccatum non committit:quoniam ſemen ipſius in eo manet:nec poteſt peccare,eò quòd ex Deo natus eſt.

Rom.6.11.Ita etiam vos colligite,vos ipſos tum mortuos eſſe peccato,tum verò viuere Deo per Chriſtum Ieſum Dominum noſtrum.

12.Ne regnet igitur peccatum in mortali veſtro corpore,vt obediatis peccato in cupiditatibus corporis.

Epheſ.4.29.Nullus ſermo corruptus ex ore veſtro egreditor, ſed ſiquis eſt commodus ad adſificationis vſum,vt gratiam auditoribus adferat.

30.Et ne triſtitia afficite Spiritum illum ſanctum Dei, per quem obſignati eſtis in diem redemptionis.

Rom.8.26.Itidem autem & Spiritus vnà ſubleuat infirmitates noſtras: quid enim precemur vt oportet,non nouimus:ſed ipſe Spiritus interpellat pro nobis ſuſpirijs inenarrabilibus.

7 Rom.7.24.Miſer ego homo:quis me eripiet ex iſto corpore mortis?

8 Rom.8.15.Non enim accepiſtis Spiritum ſeruitutis ad metum,ſed accepiſtis Spiritum adoptio-
nis,per quem clamamus Abba,Pater.

16.Qui ipſe Spiritus teſtatur vnà cum ſpiritu noſtro,nos eſſe filios Dei.

9 Rom.8.27.Qui verò ſcrutatur corda,nouit quis ſit ſenſus Spiritus: quia ſecundum Deum in-
terpellat pro ſanctis.

Epheſ.1.13.In quo ſperaſtis & vos,audito ſermone veritatis,&c.

14.Qui eſt arrhabo hæreditatis noſtræ,&c.

Epheſ.4.30.Et ne triſtitia afficite Spiritum illum ſanctum Dei,per quem obſignati eſtis in diem redemptionis.

2.Cor.1.22.Qui etiam obſignauit nos,deditq́; arrhabonem Spiritus in cordibus noſtris.

10 Rom.11.29.Nam dona & vocatio Dei eiuſmodi ſunt vt eorum ipſum pœnitere non poßit.

Hebr.6.17.Qua in re Deus volens ex abundanti hæredibus promiſsionis oſtendere immutabilitatem conſilij ſui, fideiußit iureiurando.

2.Tim.2.19.Solidum tamen fundamentum Dei ſtat,habens ſigillum hoc,Nouit Dominus qui ſint ſui:&,Diſcedat ab iniuſtitia omnis qui nominat nomen Chriſti.

11 Rom.8.38.Nam mihi perſuaſum eſt,neque mortem,neque vitam,neque Angelos,neque prin-
cipatus,neque poteſtates,neque inſtantia, neque futura,

39 Neque ſublimitatem,neque profunditatem,neque vllam rem aliam creatam poſſe nos ſeparare à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu Domino noſtro.

Ioh.3.33.Qui recipit eius teſtimonium,is obſignauit quòd Deus verax ſit.

Rom.4.20.Sed robuſtus factus eſt fide,tributa gloria Deo:

21 Ac plenè perſuaſum habens,quod promiſerat,poſſe etiam facere.

Rom.5.5.Spes non pudefacit,quòd charitas Dei effuſa ſit in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum qui datus eſt nobis.

Epheſ.3.12.In quo habemus libertatem & aditum cum fiducia,per fidem ipſius.

Hebr.4.16.Accedamus igitur cum fiducia ad thronum gratiæ,vt conſequamur miſericordiã, & gratiam inueniamus ad opportunum auxilium.

1.Cor.1.9.Fidelis Deus,per quem vocati eſtis in communionem Filij ipſius Ieſu Chriſti Domi-
ni

ni noſtri.

1.Theſſ.5.24. Fidelis eſt qui vocauit vos, qui etiam id efficiet.

Hebr.10.22. Accedamus cum vero corde, & certa perſuaſione fidei, puris cordibus à conſcientia mala.

23 Et abluto corpore aqua pura, teneamus confeſſionem ſpei non vacillantem: fidelis enim eſt qui promiſit.

1.Cor.2.10. Nobis autem Deus ea reuelauit per Spiritum ſuum. Spiritus enim omnia ſcrutatur, 12
etiam profunditates Dei.

11. Quis enim hominum nouit ea quæ ſunt hominis niſi ſpiritus hominis qui eſt in eo? ita etiam ea quæ ſunt Dei nemo nouit niſi Spiritus Dei.

12 Nos verò non ſpiritum mundi accepimus, &c.

Rom.8.16. Qui ipſe Spiritus teſtatur vnà cum ſpiritu noſtro, nos eſſe filios Dei.

1.Ioh.3.24. Qui ſeruat eius mandata, in eo habitat, & ipſe in eo: & per hoc nouimus eum habitare in nobis, nempe *ex Spiritu quem nobis dedit.*

1.Cor.13.9. Ex parte enim cognoſcimus, & ex parte prophetamus. 13

1.Tim.6.12. Decerta præclarum certamen fidei: apprehende vitam æternam, cuius cauſa & vo- 14
catus es, & profeſſus præclaram profeſſionem coram multis teſtibus.

Gal.5.17. Caro concupiſcit aduerſus ſpiritum, ſpiritus autem aduerſus carnem: hæc autem inter ſe oppoſita ſunt, vt non quæcunque volueritis, eadem faciatis.

Rom 6.1. Quid igitur dicemus? permanebimus in peccato vt gratia auctior fiat? 15

Hebr.10.23. Teneamus confeſſionem ſpei non vacillantem, (fidelis enim eſt qui promiſit)

24 Et obſeruemus alij alios, vt nos acuamus ad charitatem & bona opera.

Iacob.3.18. Fructus iuſtitiæ cum pace ſeritur pacificis.

2.Petr.1.10. Quapropter, fratres, potius ſtudete vocationem & electionem veſtram firmam 16
efficere: hæc enim ſi feceritis, nunquam impingetis.

Rom.8.28. Nouimus autem, ijs qui diligunt Deum, omnia ſimul conferre ad bonum: ijs vide- 17
licet *qui ex propoſito ipſius vocati ſunt.*

31. Quid igitur dicemus ad hæc? Si Deus pro nobis, quis contra nos?

Iob.13.15. Etiamſi occidat me, in eum ſperabo, attamen vias meas in conſpectu eius arguam.

Rom.5.3. Neque id *ſolùm, ſed etiam gloriamur in oppreſſionibus, ſciẽtes quòd oppreſſio patientiam efficiat.*

1.Theſſ.3.3. Vt nemo commoueatur in oppreſſionibus iſtis. ipſi enim noſtis nos ad id eſſe conſtitutos.

1.Petr.4.19. Itaque qui affliguntur ex voluntate Dei, tanquam fideli conditori commendẽt animas ſuas benefaciendo.

Iac.1.2. Pro ſummo gaudio ducite, fratres mei, quoties in tentationes varias incideritis.

Rom.8.16. Qui ipſe ſpiritus teſtatur vnà cum ſpiritu noſtro, nos eſſe filios Dei.. 18

Rom.8.38. Nam mihi perſuaſum eſt neque mortem, neque vitam, neque Angelos, neque principatus, neque poteſtates, neque inſtantia, neque futura,

39 Neque ſublimitatem, neque profunditatem, neque vllam rem aliam creatam poſſe nos ſeparare à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu Domino noſtro.

APHORISMVS. *tertius.*

QVOD autem ad alteram partem attinet, quum eligendi propoſitum ne III.
in mentem quidem venire cuiquam poſsit quin ſimul ipſius oppoſitum, & quidem pari gradu, in cogitationem incurrat, vt interim taceam quod manifeſtum eſt, ſæpiſsimè in verbo Dei hæc duo inter ſe connecti, apparet (opinor) eos magnam facere Spiritui Dei iniuriam, qui hanc partem, tanquam curioſam aut parum neceſſariam ſepeliri volunt. Eſt igitur hæc quoque conſideranda, ſed hac tamen adhibita moderatione, vt altitudo iudiciorum Dei humanæ curioſitati frænum iniiciat: ita denique, vt priuatim aut homini cuipiam, aut certæ multitudini non applicetur. Nam in eo quoque ab electione differt, quòd hæc, vt oſtendimus, per Spiritum Dei nobis, non in aliis quidem, quorum animum non poſſumus peruidere, ſed in nobisipſis reuelatur: reprobatio verò ferè ſemper occulta

Reprobationis doctrina non eſt ſepelienda.

Reprobatio prudenter conſiderãda.

Reprobatio nec poteſt nec debet ſigillatim applicari non addita conditione.

eſt hominibus, niſi velut extra ordinem à Deo retegatur. Ecquis enim nouit,nũ [1]extremo vitæ momento Dominus conſtituerit eius miſereri qui totam vitam in flagitiis & ſceleribus conſumpſerit? Neque tamen eſt quòd ſpes iſta quenquam in ſua improbitate obfirmet,quũ de iis loquar quæ in aliis debemus obſeruare, & rara ſint huius benignitatis Dei exempla, neque quod in manu noſtra non eſt poſitum,ſapiens quiſquam ſibi vana ſecuritate polliceatur. [2] Satis eſt igitur ſi intelligamus in genere quædã eſſe vaſa in interitum apparata,[3]quæ quũ nobis Dominus non retexerit,ſtrenuè pro virili debemus ſingulos & vitæ exemplo,& oratione ad ſalutem inuitare,ipſóſque adeò de quibus penè deſperamus quum in ipſorum ſcelera intuemur.

Laborandum vt omnes lucrifaciamus.

PROBATIONES EX DEI VERBO.

1 *Luc.23.43.Dixit ei Ieſus,Amen dico tibi,hodie mecum eris in paradiſo.*

2 *Rom.9.21.Annon habet poteſtatem figulus in lutum,vt ex eadem maſſa faciat aliud quidẽ vas ad decus,aliud verò ad dedecus?*

2.Tim.2.20.Cæterùm in magna domo non tantùm ſunt vaſa aurea & argentea, ſed etiam lignea ac teſtacea: & alia quidem ad decus,alia verò ad dedecus.

3 *Matth.5.16.Ita ſplendeat lux veſtra coram hominibus,vt videant veſtra bona opera, glorificentq́ Patrem veſtrum qui eſt in cœlis.*

1.Cor.9.22.Factus ſum infirmis vt infirmus,vt infirmos lucrifaciam.omnibus factus ſum omnia,vt omnino aliquos ſeruem.

2.Tim.2.25. Cum lenitate erudientem eos qui contrario animo ſunt affecti,&c.

1.Petr.2.12. Et conuerſationem veſtram habeatis honeſtam inter Gentes: vt pro eo quòd loquuntur aduerſus vos velut maleficos,ex bonis operibus quæ *ſpectarint, glorificent Deum die viſitationis.*

APHORISMVS *quartus.*

IIII. HVNC autem modum ſi tenuerimus,magnum fructum ex hac quoque doctrina percipiemus.Primùm [1]enim ex eius cognitione diſcemus maieſtati Dei collum libenter ſummittere, vt quò magis illum timebimus & reuerebimur, eò magis laboremus de teſtimonio noſtræ in Chriſto electionis in nobis confirmando.Deinde [2]quum diſcrimen illud inter homines alioquin pari maledictioni obnoxios ex miſericordia Dei conſtitutum attentè conſiderabimus,fieri non poterit quin ſingularem illam Dei bonitatem multò cupidius agnoſcamus & amplectamur,quàm ſi hanc illius gratiam faceremus omnibus commuuem, aut inæqualitatis gratiæ cauſa in ipſis duntaxat hominibus quæreremus. Præterea vbi Fidei donum ſpeciale eſſe cognouerimus, nónne nobis oblatum promptius accipiemus,déque ipſius augmento multò magis erimus ſoliciti,quàm ſi imaginemur cum nonnullis in omniũ eſſe poteſtate,quotieſcunque voluerint reſipiſcere , quòd Dominus,vt aiunt, omnes homines ſaluos fieri velit, & peccatoris mortẽ nolit? Denique quũ doctrinã Euãgelii videmus ab vniuerſo ferè mundo non modò deſpici,ſed etiam crudeliſsimè vexari,quum tot hominum inſignem perfidiam & defectionem cernimus,quid nos melius confirmabit,quàm ſi conſtituerimus nihil temerè euenire,Deum ſuos noſſe, eos denique qui hæc cõmittant,niſi datum ſit illis reſipiſcere,illos eſſe qui non fortuitò, ſed certo & æterno Dei conſilio deſtinati ſint,in quibus tanquam in ſpeculis iuſta ira & potẽtia Dei eluceret?

Ex reprobationis cõſideratione diſcitur humilitas

Facit vt bonitas Dei melius intelligatur ab electis

Reprobationis contemplatio piam ſolicitudinẽ gignit in electis.

Confirmat aduerſus omnia offẽdicula.

PROBATIONES EX DEI VERBO.

1 *Philipp.2.12. Proinde, dilecti mei,ſicut ſemper obediſtis,non vt in præſentia mea ſolùm, ſed nunc*

nunc multo magis in abſentia mea, cum timore ac tremore veſtram ipſorum ſalutem conficite.

1. Petr. 1. 17. Cum timore verſamini commorationis veſtræ tempore.

Rom. 11. 20. Rectè: per infidelitatem defracti ſunt, tu verò per fidem ſtas: ne effertor animo, ſed time.

Rom. 9. 23. Et vt notas faceret diuitias gloriæ ſuæ erga vaſa miſericordiæ, quæ præparauit ad gloriam. 2

APHORISMVS *quintus.*

NVNQVAM tamen poteſt de his rebus dici tam commodè quin humana ratio obloquatur, atque adeò Dominum ipſum tanquam præcipuum omnium authorem in ius vocet. Sed fremat diabolus licet, impiíque omnes aduerſus ſtimulum calcitrent,[1] ipſos tamen ſua ipſorum conſcientia redarguet atque condemnabit:[2] noſter verò animus bonitate Dei confirmatus, nos abſoluet in die illo Chriſti, cui cum Patre & Spiritu ſancto gloria, laus, & honor in ſempiternum tribuatur. Amen. V.

Reprobi fruſtra Deo reluctantur.

PROBATIONES EX DEI VERBO.

Rom. 2. 15. Vt qui oſtendant opus Legis ſcriptum in cordibus ſuis, vnà teſtimonium reddente ipſorum conſcientia, & cogitationibus ſeſe mutuò accuſantibus, aut etiam excuſantibus. 1

1. Petr. 3. 21. Cui nunc correſpondens exemplar Baptiſmi nos quoque ſeruat: (non quo carnis ſordes abijciuntur, ſed quo fit vt bona conſcientia Deum interroget) per reſurrectionem Ieſu Chriſti. 2

TH. B.

Summa Doctrinæ de re Sa-CRAMENTARIA.

IN CHRISTO vnico noſtro Mediatore quatuor præcipuè ſpectamus: Chriſti Perſonam: eiuſdem officium: Dona quæ ex eo haurimus: denique, Quo modo fiamus illorum donorum compotes.

1. *De Chriſti perſona.*

CHRISTVM docemus duabus naturis conſtare, vna Diuina, altera humana, vnam perſonam vtriuſque naturæ conſtituentibus, ſed ſaluis ac diſtinctis tum diuina tum humana proprietatibus.

Naturam igitur humanam Chriſti fatemur glorificatam, & quidem ſummo glorificationis gradu, ſed per quam ſublata ſit naturę infirmitas, non autem immutata natura. Hæc autem conditio qua omnia corpora humana finita ſunt ac circunſcripta, ac proinde non niſi loco contineri poſſunt, non eſt infirmitatis, ſed naturæ.

Sicut ergo corpus Chriſti, dum verſaretur in terris, aberat à cælo, ſecundùm humanæ naturæ proprietatem: ita nunc idem illud corpus poſt aſcenſionem abeſſe à terris, & ſupra cælos euectum ibi comprehendi credimus, & ſummi imperii particeps.

Chriſtum tamen non diſcerpimus. Docemus enim Diuinā naturā quæ vbique eſt, eſſe vbique ὑποστατικῶς cum carne coniunctā, & ideo totum Chriſtum vbique eſſe fatemur, non ſecundùm carnis proprietatem, ſed ſecundùm perſonæ vnitatem. Neque hinc conſequitur, vbicunque Chriſtus eſt, quatenus Deus eſt, ibidem etiam eſſe quatenus homo eſt. Quod enim vbique eſt, neceſſariò Deus eſt, quum ſit infinitū. Deus autē non eſt in hominem mutatus, ſed homini coniunctus, vt vna perſona ſit Deus & homo.

Itaque articulum de aſcenſione Domini, cum tota Scriptura & vetuſtis omnibus orthodoxis, à ſeſſione diſtinguimus. Nam aſcenſio declarat ſitus mutationem, ſeſſio verò, gloriam corporis quod aſcendit in cælos.

2. *De officio Chriſti.*

Officium Chriſti eſſe dicimus, omnia electis conferre quæ ad ſalutem requiruntur, ſicut nos viciſſim neceſſe eſt omnia illa ex ipſo haurire.

3. *De donis quæ à Chriſto conferuntur electis.*

Inter dona quę ex Chriſto percipiūt electi, primo loco collocamus ipſum Chriſtum, cum quo nos in primis oportet vnū fieri non minus verè & arctè quàm corpori adiunguntur membra: ſed eo modo quem dicemus. Neque nobis ſatisfaciunt qui hanc vnionem noſtri cum Chriſto referunt ad ipſius ἐνσάρκωσιν. Eſt enim hæc ipſius cum noſtra natura communio vniuerſalis. Hîc autem agimus de particulari ſiue peculiari coniunctione, qua fit vt ipſius Eccleſia cum eo coaleſcat: eámque coniunctionē dicimus fontem eſſe omnium beneficiorum quæ à Chriſto poſtea in nos deriuātur. Nam quum in eo vno acquieſcat Pater, oportet nos cum eo verè vnū fieri, vt in ipſo Patri placeamus.

Hinc ergo ſequitur altera donorum ſpecies, eorū videlicet quæ in Chriſto nobis donato conferuntur.

Primùm, imputatio ſanctitatis, iuſtitiæ, obedientiæ Chriſti, vt in eo ſimus Dei iuſtitia, per remiſſionem peccatorum.

Secundò, vita ipſa ſpiritualis ex Chriſti Dei & hominis carne in nos ipſius membra promanans, cuius vi regeneramur & ſuſtentamur in vitam æternam, ſicut cibo & potu caduca hæc vita in nobis fouetur.

4. *Quomodo Chriſtus cum ſuis donis à nobis percipiatur.*

Vnius Spiritus ſancti, qui eſt & Patris & Filij virtus eſſentialis, operationi gratuitæ

tuitæ tribuendum eſſe dicimus, quòd Chriſtum & omnia ipſius dona percipimos.

Is enim vnus facit nos idoneos ad intelligendum quæ Dei ſunt, vt non modò fateamur in genere veras eſſe Dei promiſſiones, ſed etiam ſinguli in cordibus noſtris certò ſtatuamus eas promiſſiones ad nos pertinere, ac proinde cum fiducia clamemus, Abba Pater.

Hoc Spiritus ſancti effectum longè præſtantiſſimum vocamus Fidem, donum Dei gratuitum electis peculiariter deſtinatũ, & vnicum ex parte noſtra percipiendo Chriſto & omnibus ipſius donis recipiendis aptum & idoneum inſtrumentum.

Ideo docemus cum Paulo nos ſola fide iuſtificari & ſeruari, quatenus videlicet ſolo fidei inſtrumento apprehendimus omnia ad ſalutem neceſſaria, nempe Chriſtum cum omnibus ipſius donis.

Porrò Spiritus ſanctus huic fidei per arcanam ſuam virtutem in nobis gignendæ, & poſtquam ſemel genita eſt, fouendæ & confirmandæ, adhibet etiam externa inſtrumẽta (quoniam rudi & craſſa natura cõſtamus) nempe Verbum ſcriptum & prædicatum, quod ipſe ſua vi reddit in nobis efficax, vt ita in nobis efficiat ea de quib[us] antè diximus.

Hoc autem verbum interdum eſt ſimplex, cuiuſmodi eſt quotidiana prędicatio verbi: interdum habet adiuncta viſibilia ſigna cum certis ceremoniis, quæ Græci *μυστήρια*, Latini Sacramenta vocant.

Quoniam videlicet Deus habens noſtræ infirmitatis rationem, vult nos non tantũ per aures, ſed etiam per reliquos ſenſus de bona illa ſua voluntate reddere certiores, & ita noſtram cum Chriſto ſuo Filio coniunctionem magis ac magis ſancire & obſignare.

His poſitis facile iam fuerit colligere quid ſentiamus de ſequentibus quæſtionibus in re Sacramentaria.

1. *Quorſum & in quem finem inſtituta ſunt Sacramenta?*

Primùm, vt eò efficacius Chriſtum ipſum poſſideamus.

Secundò, vt quò arctior eſt noſtra cũ ipſo Chriſto coalitio, eò magis ac magis vita illa Chriſti in nos deriuetur, cum reliquis ipſius donis.

Tertiò, vt tantò efficacius admoneamur charitatis quæ vigere debet inter eiuſdem corporis membra, & cui nos, ſolenni proteſtatione, obligamus.

2. *Vnde efficacia illa Sacramentorum?*

A Spiritus ſancti operatione in ſolidum, non autem à ſignis, niſi quatenus externis illis obiectis interiores ſenſus mouentur.

Hos verò motus Spiritus ſanctus, illis adminiculis noſtræ infirmitatis cauſa vtens, reddit efficaces, qua menſura, & quo libuit momento.

3. *Quæ eſt cauſa formalis Sacramentorum?*

Ordinatio Dei in ipſius verbo comprehenſa, & ab ipſius miniſtro explicata ſecundũ eius mandatum: non autem pronunciatio ipſa illorum verborum, neque vlla vis in ipſis vocabulis latens.

4. *Quæ eſt vis huius cauſæ formalis?*

Vt ſigna non in ipſa ſui natura ſiue ſubſtantia, ſed quod ad vſum duntaxat attinet mutentur, idque tantiſper dum actio viget cui ſubſeruiunt. Neque enim ſimpliciter aquam vt aquam, vel panem vt panem, aut vinum vt vinum in ſacris myſteriis habemus, ſed vt certa & vera ſymbola ac pignora earum rerũ quas nobis Dominus alio quidem modo (vt mox dicemus) ſed tamen certiſsimè & veriſſimè donat, nempe ipſius Chriſti cum omnibus eius donis.

5. *Quæ materia Sacramentorum?*

Externam materiam vocamus ſigna ipſa, id eſt, aquam in Baptiſmo, panem & vinũ in Cœna Domini, vnà cum ceremoniis à Chriſto inſtitutis, ſicut Verbũ ipſius teſtatur, quæ & ipſæ res maximas ac prorſus diuinas verè ſignificant.

Internam materiam ſiue rem ipſam ſacramenti ſæpè iam diximus à nobis dici, non tantùm quicquid à Chriſto in nos deriuatur, ſed ipſum in primis Chriſtum, cum quo oportet vt vnum fiamus antequàm ex ipſo quicquam hauriamus. Proponitur autem nobis in Baptiſmo quidem verus ſanguis Domini vt lauacrum, quo ſanguine abluti magis ac magis inſerimur & conſepelimur cum Chriſto. In Cœna verò corpus & ſanguis eiuſdem nobis donatur, & quidem diſtinctis ſymbolis, vt verus noſter cibus & verus potus in vitam æternam.

Eadem eſt igitur materia interna verbi ſimplicis, & Sacramentorum, Chriſtus ipſe videlicet cum ſuis omnibus beneficiis, ad quorum participationem vocamur. Sed differentia tamen eſt aliqua, ſecundum plus & minus, vt dici ſolet in ſcholis. Primò, quoniã quando ad verbum ſimplex accedunt Sacramenta, neceſſe eſt vberiorem eſſe declarationem bonæ voluntatis Dei erga nos: & quò plura ac magis expreſſa ſunt obiecta, eò vehementius mouent.

Secundò, quoniam quãuis verbum ſimplex omnibus vniuerſaliter propoſitum, ſingulis poſtea fidelibus virtute fidei applicetur, tamen hoc non ita eſt expreſſum vt in Sacramentis, in quibus videlicet Chriſtus ſigillatim offertur: vnde fit vt ſinguli quodãmodo in ipſius Chriſti poſſeſſionem per Sacramenta mittantur.

6. Quomodo coniuncta eſt res cum ſignis?

Sacramentali modo, qui quum ſit proprius ac peculiaris, propria definitione eſt explicandus.

Definimus igitur Sacramentalem modum coniunctionis rei cum ſignis, eſſe ſpiritualem: quo epitheto nihil imaginarium & fictum concipimus, ſed in primis ſignificamus eum pendere à Spiritus ſancti virtute, ſicut in formalis cauſæ explicatione diximus.

Deinde omnem craſſum & naturalem coniunctionis modum ita excludimus. Sicut enim ſcimus, quod nemo inficiatur, ſigna eſſe in terris, & non alibi: ita etiam ſtatuimus rem ipſam, id eſt, Chriſtum ipſum ſecundum carnem, cælis & non alio loco comprehendi, vt ex Scriptura & orthodoxis omnibus Patribus colligimus. Et tamen coniuncta eſſe ſigna cum re non dubitamus, quatenus videlicet Deus non tantùm ſymbola corporis & ſanguinis Chriſti quaſi procul oſtentat, ſed præter ipſa ſigna, verè etiam Chriſtum ipſum nobis donat fruendum ac poſſidendum: vnde fit vt hoc reſpectu verè coniuncta hæc dici debeant, quanuis locorum interuallis longè latéque ſint ſeparata. Et tamen veram ac certam eſſe hanc coniunctionem affirmamus, adeò vt propterea etiam ipſius rei, id eſt, Corporis & Sanguinis nomen ad ipſa ſigna, nempe ad panem & vinum, figuratè quidem, ſed maximè ſignificanter transferatur.

Secundò vt Sacramentalem hunc modum plenius etiam explicemus, addimus eſſe ſignificatiuum: non quaſi Deus nobis in Sacramentis corpus & ſanguinem Filij ſui, ipſúmque adeò Filium ſuum duntaxat ſignificet (neque enim dubitamus quin verè etiã donet): ſed ne quis rem cum ſignis putet ita copulari, vt Chriſti quoque caro nunc in terris adſit modo quodam inuiſibili & incomprehenſibili.

Abeſſe igitur Chriſti corpus & ſanguinem à ſignis tanto interuallo dicimus quanto abeſt terra ab altiſſimis cælis, ſiue à beatorum ſede, de qua nolumus curioſius philoſophari, & in quam ſcimus Chriſtum aſcendiſſe, vt noſtro omnium nomine immortalem illam hæreditatem adiret. Neque tamen rem à ſignis ſeparamus, vel Dei vtraque verè offerentis, vel fidelium vtraque verè percipientium reſpectu: ſed in coniunctione rei & ſignorum, locorum diſtantiam notamus, vt veritas carnis Chriſti & ipſius aſcenſionis retineatur, nec tamen Cœna Domini vllò modo euacuetur.

7. Quid iudicandum de his formulis, Corpus Domini eſſe in, vel cum, vel ſub pane, vel iuxta panem, & ſi quæ ſunt aliæ eiuſmodi?

Has formulas hactenus veremur vſurpare, quòd videantur locorum diſtantiam euertere, quam neceſſariò conſtituimus: vel vbiquitatem corporis Chriſti confirmare, quam non poſſumus concedere, quanuis verè rem ipſam vltra ſymbola offerri à Deo, & verè à fidelibus fateamur percipi, ſed eo modo quem explicabimus quæſtione decima. Poſſe tamen videtur, concordiæ cauſa, Cum & Sub admitti, ſed non niſi adiuncta interpretatione plana & perſpicua, nempe ita eas particulas eſſe intelligendas, non quaſi caro Chriſti in terris ſtatuatur, ſed vt ſciamus præter ipſa ſymbola quæ ſunt in terris, Chriſtum ipſum qui eſt in cœlis, verè nobis donari, ſicut ſymbola in terris teſtificantur.

8. Quid ſtatuendum de hac formula, Chriſtum corporaliter, realiter, ſubſtantialiter, adeſſe præſentem in Cœna?

Has quoque formulas ob eandem cauſam non vſurpamus. Videntur tamen & illæ tolerari poſſe, ſi quis interpretationem adiungat, iſta videlicet non pertinere ad eum coniunctionis modum quo res cum ſignis coniungitur, ſed ad rem ipſam potius deſignandam,

gnandam, id eſt, vt intelligatur in Cœnæ actioοe non tantùm virtutē Chriſti, ſed ipſam in primis cū Chriſto coalitionē in nobis ſanciri, à qua diximus, tanquā ex fonte, proma oare quòd ex eo poſtea & veràm vitam & omnia ad ſalutē neceſſaria hautimus. Neque cenſerem recuſandum quin viciſſim huic noſtrę formulę, Chriſtum ſpiritualiter adeſſe in Cœna, ſimilis quoque interpretatio adiungatur, ne quis nos exiſtimet virtutē Chriſti ab ipſa Chriſti carne ſepatare, vel ſpirituale corpus ei affingere.

9. Quid de hac formula ſentiendum, Chriſtum in Cœna adeſſe, & diſtri-buι incomprehenſibili modo?

Nos hāc formulā vſurpamus, ſed alio ſenſu quàm nōnulli ſoleant. Videtur enim illi hoc ita accipere (oiſi fortaſſe fallimur) quaſi Diuina quadā omnipotētia, propter carnis cum Diuinitate hypoſtaticā vnionē, Chriſti etiam caro ſit realiter ſimul & in cælis & in terris. Nos verò, etſi neque omnipotentiam Dei, neque veram rei cū ſignis, & fidelium cum ipſo Chriſto coniunctionem inficiamur, tamen propter carnis Chriſti, & aſcēſionis ipſius veritatē, affirmamus corpus Chriſti verè nunc à mundo abeſſe, & abfuturum, donec veniat ad iudicandum viuos & mortuos, Sed nihilominus fatemur incōprehenſibile eſſe myſteriū Dei, quo fit vt quod eſt & manet in cælis, & nō alibi, nobis qui nunc in terris ſumus, & non alibi, verè communicetur, vt vitam & ſalutē ex eo nobiſcum cōmunicato hauriamus. Etſi enim ſcimus Spiritum ſanctū, id eſt, Dei virtutem hoc operari, & quod ad oos attinet, ſolo fidei inſtrumento id omne à nobis percipi, tamē & Spiritus potentia, & fidei efficacia noſtrum omnem ſenſum exuperant; quo fit vt tota hæc actio valde propriè μυςικὸν vocetur.

10. Quomodo res Sacramenti nobiſcum communicatur?

Res Sacramenti, id eſt, Chriſtus à nobis percipitur modo ſpirituali per fidem. Spiritualem autē perceptionis ſiue communicationis modum vocamus, non quo duntaxat Spiritus Chriſti nobiſcum cōmunicetur, ſed qui minimè ſit terrenus aut naturalis, verùm ab incomprehenſibili Spiritus ſancti potentia pendeat, quo videlicet arctiſſimo vinculo membra cum capite magis ac magis deuinciantur.

Excludimus enim omnem ſubſtātiarum transfuſionē, ac permixtionem, atque adeò omnem partium naturalium coaptationē & ſtructuram, & tamen veram fideliū cum Chriſto coalitionem ſtatuimus, quæ nulla locorū diſtantia impediatur. Nititur enim fides noſtra verbo Dei, qui præſtat quod promittit.

11. Quo ſenſu admittendæ hæ locutiones, Manducare corpus Domini, & Bibere eius ſanguinem, & ſimiles aliæ?

Illas loquendi formulas dicimus ad eam quoque communicationem pertioere qua Chriſtū in ſimplici etiam verbo apprehēdimus, & eſſe quidem valdè ſignificantes: ſed vocabula Bibendi & Comedēdi, quū de corporis & ſanguinis ſumptione dicuntur, non mious figuratè intelligēda quàm ſi quis fidei tribueret os & dentes. Duas autem præcipuas cauſas afferimus cur Spiritus ſanctus ita loquatur.

Vnaoι, vt oſtēdat quàm arcta ſit noſtra cū Chriſto cōiunctio per fidē. Nihil enim magis nobiſcū coaleſcit quàm cibus & potus, ſine quibus nemo poſſit hāc vitā tranſigere.

Alteram, quæ locum habet propriè in Sacramentis, vt hac ratione oſtēdatur quàm verax ſit Dominus in re ipſa tradenda, quā ſymbolis, quaſi pignoribus quibuſdā adhibitis, promittit. Inde enim fit, vt quū ſola ſymbola manu accipiantur, & ore ſumantur, tamē illud quoq; quod præter ſymbola verè offertur, & ſola fide ſpiritualiter percipitur, Accipi, Comedi, Bibi dicatur. Hāc etiā ob cauſam agnoſcimus ſanctos Patres alias oon diſſimiles multas loquendi formulas vſurpaſſe, quas tameo ipſi nunc temerè vſurpare nolimus, & commodis interpretationibus leniendas arbitramur, propter errores à Satana ſpatſos, & controuerſias multas hac occaſione in Eccleſia Dei excitatas.

12. Quomodo illa verba explicanda ſunt, Hoc eſt corpus meum, & , Hic eſt ſanguis meus?

Hoc, id eſt, hic panis, & hoc vinum, EST, Sacramentaliter videlicet. Neque enim quicquid eſt aliquid, vno modo eſt: & de Sacramentis hîc agitur. Sacramētaliter autem explicamus, quatenus Dominus verè non nudum panem & vinum, ſed vera ſymbola corporis & ſanguinis ſui: neque hæc tātùm ſymbola, ſed etiam præter illa, corpus ſuum & ſanguinem nobis offert fruendum ac poſſideodum in vitam æteroam, quam ex eo nobiſcum communicato haurimus.

CORPVS MEVM, & SANGVIS MEVS, &c. Id eſt, non imagioarium aliquod

t.

corpus,nec fictus ſanguis,ſed illud ipſum corpus quod traditum eſt pro nobis,& ille ipſe ſanguis pro nobis fuſus,quorum ſimus verè per fidem participes, ſicut ſymbola verè teſtantur.

13 *Quid ſumunt infideles?*

Sacramenti inſtitutionẽ concordi ſententia docemus à Dei veritate pẽdere,ac proinde in ipſa actione Cœnæ Domini ritè celebratæ panẽ ſemper eſſe verum ſymbolum corporis,& vinum verum ſymbolum ſanguinis Domini,quibuſcunque offerantur.

Quod autem inde colligunt nonnulli, quoſuis etiam ſumere totum ſacramentum, non poſſumus concedere. Neque enim valet conſecutio, Deus offert quibuſuis, ergo quiuis ſumunt. Sed è contrario ita colligimus, Deus offert duo in Sacramento,& quidem tam verè vnum,quàm alterum:ſed prorſus diuerſis modis & inſtrumentis ſumenda,nempe externa ſymbola corporaliter,rem ipſam ſpiritualiter per fidem. Itaq; quoniam os affertur à quibuſuis,quiuis externa ſymbola ſumunt, alij quidẽ dignè, alij verò indignè. Os aũt fidei quoniã ſoli fideles afferũt,ideo ſoli fideles rẽ ipſam percipiunt, ac proinde vitã æternam.Infideles verò iudiciũ ſibi manducant & bibunt, quia non diiudicant,id eſt,aſpernantur ac reiiciunt corpus Domini oblatum,neque vllam eius rationem habẽt.Itaque hæc eorum condamnatio nõ manat ex corpore & ſanguine Domini indignè ſumptis,(quum enim illa non niſi fide ſumantur,nunquã ſumuntur indignè,& non poſſunt non eſſe viuifica)ſed ex corpore & ſanguine Domini ideo contẽptis ac reiectis,quòd nec panis vt panis, ſed vt ſymbolũ corporis Domini: nec vinum vt vinum, ſed vt ſymbolum ſanguinis Domini,in hac actione meritò cõſideretur. Hinc igitur fit,vt qui hunc panẽ vel hoc vinũ indignè,id eſt,abſque fide ſumit,non panẽ nec vinum,ſed corpus & ſanguinẽ Domini in his ſymbolis aſpernetur, ac proinde ſit corporis & ſanguinis Domini reus,non quæ ſumpſerit,ſed quorum rationẽ nullam habuerit.

Neque enim Chriſtus viuificat eos omnes quibus offertur,ſiue in Verbo ſimplici,ſiue in Sacramẽtis,ſed omnes quidẽ viuificat à quibus percipitur,quoniã à ſolis fidelibus percipi poteſt:omnes autem iudicat à quibus reiicitur,tantum abeſt vt ab eis ſumatur.

Poſſet tamẽ propter nõnullos ex Patribus tolerari hoc dictum, Corpus Chriſti ſumi à quibuſuis,& à fidelibus quidẽ dignè,ad vitam:ab infidelibus autem indignè,ad iudicium.Sed neceſſariò addenda eſſet interpretatio,quę hoc verum eſſe doceat,quatenus rei ſignatæ,id eſt,Corporis nomen ad ipſa ſigna transfertur: vt nimirum hac locutione oſtendatur propriè non quid quiſque ſumat, ſed quid cuique pro ſua bonitate offerat Dominus.

¶ *Concluſio.*

Hæc eſt ſumma eorum quę in noſtris Eccleſiis docentur de re Sacramentaria,quantum quidem colligere potui.

Cupimus autẽ, vt Eccleſiarum paci conſulatur, omnes formulas in Scripturis inuſitatas,quoad eius fieri poteſt,vitari,& ſi quid docendi gratia nouandum videbitur, omnem ambiguitatem tolli.

Quòd ſi quid in hac doctrina oſtendi poſſit nõ eſſe verbo Dei conſentaneum,parati ſumus non tantùm doceri, ſed etiam doctoribus agere gratias,ſicut par eſt, vt tandem (quod Deus nobis teſtis eſt nos toto animo & dies & noctes ab ipſius miſericordia flagitare)vnum in eo penitus ſentiamus.

DE COENA

De Cœna Domini, plana & perſpicua tractatio.

In qua Ioachimi VVeſphali calumniæ refelluntur.

AD CAPVT PRIMVM, DE VOCABVLO *Sacramenti, & de Sacramentali locutione.*

QVÆ de Carolſtadio, itemq́ue de fœlicis memoriæ OEcolãpadio præfaris VVeſphale, quoniã aliò ſpectant omirto. Quod autẽ diſceptatur, eſt eiuſmodi, Quories nobis obüciunrur hæc Domini verba, HOC EST CORPVS MEVM, & proprietas verbi EST vrgetur, ſolemus nõ hoc quidem vnum, ſed tamen hoc in primis opponere quod neminẽ poſſe inficiari putamus: verba nimirum pro ſubiecta materia eſſe explicanda. Deinde quoniam de Sacramenris dicuntur hæc verba, colligimus corpus non alirer de pane dici quàm Sacramẽrorum narura ferat. Poſtremò, Sacram[illegible]torum naturam hãc eſſe affirmamus vt quædam ſint earum rerum ſigna, quibus ſignificandis & exrernis noſtris ſenſibus ſubiiciendis ſunt inſtituta: ſigna, inquam, minimè vana, vt quæ ſolenr à pictoribus repręſenrari, ſed hactenus efficacia vt quòd illa oculis cernimus, manu tangimus, ore ſumimus & deglurimus, nec verius nec certius ſir quàm verum & cerrum eſt nobis à Deo offerri quicquid illa nobis figurant, verum videlicer corpus & verum ſanguinem Domini. qua de te poſtea pluribus à nobis agetur. Ex his verò randem effici dicimus, corpus de pane non aliter dici quàm Sacramentum de re ſacramenralirer, id eſt, verè quidem, ſed tamen exrerno ſigno & ſymbolo, ſignificata: ac proinde *μετωνυμικῶς* nomen rei ſignificatæ ſigno tribui, quum panis dicitur eſſe corpus. In hoc verò argumenro quid tandem reprehendis? Primùm clamitas nos ad voculam confugere, eamq́ue obſcuram & ambiguam. Cur autem ambiguam? *Quoniam*, inquis, *dictio Sacramenti aliud Latinis ſcriptoribus, aliud Theologis ſignificat.* Ea verò ratio ſi valere debet, cur ab ipſo etiam Fidei vocabulo non abſtines? Audiamus ergo alteram rationem. *A Theologis*, inquis, *ambigua vſurpatur ſignificatione.* Irá ne verò? ſed quid tum obſecro? Spiritus & carnis nomen quàm multiplici ſignificatione accipiunrur in ſacris lireris? quis ramen idcirco illa vt ambigua refugerir? Sed audiamus quomodo pergas. *Aliâs*, inquis, *accipiuntur pro myſterio, aliâs pro ſigno.* Eſto. Cur igirur nobis non liceat quod vereribus omnibus fuit vſitatum? Imò ſi ram ambiguum eſt hoc vocabulum, cur iampridem illud non repudiaſti? Sed quorſum hæc omnia tendanr, audiamus. Si pro myſterio accipiamus Sacramenri nomen, non modò fareris Sacramentalem eſſe locutionem, id eſt myſticam, ſed etiam hac rarione nos tenes irreriros tuis plagis. *Nam*, inquis, *myſteria Dei fides percipit: Cœna Domini eſt myſterium: ergo fide ſola intelligitur.* Item, *Myſteria Cœnæ Domini non ſunt metienda ex philoſophia, neque iudicanda ex humana ratione. Corpus Chriſti contineri tantùm in vno loco & in pluribus eſſe non poſſe, eſt philoſophia ſeu ſapientia humana. Ergo hinc non eſt iudicandum de præſentia corporis Chriſti in ſacra Cœna.* Quaſi verò nulla rarione myſterium dici poſſir Cœna Domini, niſi hac vna quam rueris. Myſterium, id eſt, arcanum eſſe faremur, & quidem humanis ſenſibus incomprehenſibile quicquid hîc nobis per externa ſigna verè & efficaciter figuratur. Quis enim ſenſus comprehendet infinitam illam Dei ſapientiam

& bonitatem quę in noſtra redemptione elucet,& quodammodo oculis noſtris in hac actione ſubiicitur? Quis illam membrorum quæ in terris ſunt, cum capite quod in cœlis eſt arctiſſimam coniunctionem alia ratione quàm fide concipiet? ſimul autē multis locis eſſe non poſſe corpus Domini quum ipſe Dominus clamet, Apoſtoli teſtentur,& tota vetus Eccleſia, damnato Marcione, Eutychete & ſimilibus, perpetuo conſenſu declararit, etiam ſi humana ratio non diſſentiat, philoſophia certè non eſt humana, ſed ſapientia diuina, quæ non modò non impedit quominus Cœna Domini ſit *μυστήριον*, ſed id etiam prorſus confirmat. Nam ſi ſimul eſt multis in locis corpus & ſanguis Domini, quid mirum eſt à quibuſuis percipi, qui manus & os habeant? Sin autem vno eſt in loco,& nihilominus, quoniam id promiſit, locorum diſtantia non impedit quominus ſuis membris ſeſe verè inſinuet, vt vitam æternam illis infundat, an non verè hoc eſt immēſum & ſoli fidei comprehenſibile myſterium ſeu arcanum? Videris ergo vera opinio myſterium Cœnæ Domini prophanet.

Veniamus ad alteram Sacramenti ſignificationem, quam diuerſam facis à ſuperiore, quum re vera vna & eadem ſit: ſi hoc vnum excipias, quod videris non intellexiſſe: *μυστήριον* videlicet totam ipſam actionem ſæpius deſignare, Sacramenti autem nomen plerunque ipſa duntaxat ſacra ſymbola ſignificare quę in actione vſurpātur, putà panē & vinū in Cœna Domini, aut ipſas quoque ceremonias. vt ſi dicamus fractionem panis eſſe ſacramentum dolorum quos perpeſſus eſt Dominus. Sed tamē huius diſtinctionis ignorationē age tibi condonemus, & rem ipſam cōſideremus. Circunciſionem fateris in Scripturis appellari ſignum, Cœnam domini negas. Sed quid ex eo efficere potes, niſi prius oſtenderis Circunciſionem & Cœnam Domini in genere non conuenire? Mox tamen concedis, *nomen Sacramenti & Signi à Patribus Cœnæ Domini tribui: ſed ita*, inquis, *vt tropis, ſymbolis, & ſignis locum non relinquant*. Vis enim ſignum quidem eſſe, ſed præſentis corporis, non abſentis. Quis verò id tibi concedet? nam ſi ita pręſens eſt corpus & ſanguis Domini cum vel ſub vel in pane & vino, vt tu vis, (aliquatenus enim iſta nobis eſſe præſentia non negamus, vt ſuo loco explicabitur) quorſum ſigno opus erat? num vt horror carnalis manducationis tollatur? Hoc quidem dicit Theophylactus: ſed longè aliter Auguſtinus, quum ſcriberet hanc locutionem, Niſi manducaueritis carnem Filij hominis, figuratam eſſe. *Nam*, inquit, *alioqui flagitium videretur præcipere*. Item, *Non hoc corpus quod videtis comeſturi eſtis, neque ſanguinem quem illi effundent. Myſterium eſt quod vobis dico: quod ſi ſpiritualiter intellexeritis, viuificabit*. Item alibi, Figuratè intelligēdum quod Chriſtus dicitur dediſſe nobis carnem ſuam ad manducādum & ſanguinem ad bibendum. quia videtur facinus grauius eſſe carnem comedere quàm occidere, & ſanguinem bibere quàm effundere. Sed etiam ſi tibi daremus panem eſſe ſignum præſentis corporis Domini, eo ſenſu quo id verum eſſe contendis, ánnon etiam his verbis conuinci poſſet corpus de pane non aliter dici quàm res præſens quidem, ſed tamen ſignificata de ſigno dicatur? Quid eſt igitur cur tantopere exagites interpretationem iſtam, Hoc, ſiue hic panis, eſt corpus, id eſt, verè ſignificat corpus? Ac cur non potius requiris vt addamus, præſens, non autem abſens corpus ſignificari? quod & ipſum facilè concederemus ſi de præſentiæ modo inter nos conueniret.

Aug. de Doctrina Christ. lib. 3. cap. 16.

Idem in Psal. 98.

Ex eodem Contra aduerſ. Legis & Proph. lib. 2. cap. 9.

Quocunque igitur te conuertas, ſiue Sacramentum pro myſterio, ſiue ſacramentaliter pro myſticè, ſiue Sacramentum pro ſigno accipiamus, ſolidum eſſe apparebit hoc fundamentum, ſacramentaliter, id eſt, verè quidem, ſed tamen figuratè & ſignificatiuè accipienda eſſe quæ de ſymbolorum & rerum coniunctione dicuntur, neque nos vna vocula noua & ambigua, ſed ipſa veritate niti.

Supereſt vna huius capitis particula. Quod ſcribit Caluinus de analogia Sacramentorum, ab externo & terreſtri ſigno ad rē cæleſtem eſſe aſſurgendum, concedis VVeſphale, ſi modò rem cæleſtem corpus Chriſti, non autem ſolam virtutem intelligamus. Id verò ſi ita eſt, quid illud eſt de quo contendis? Nam quoties inculcat Caluinus dona ipſa Chriſti non aliter ad nos manare quàm ſi ipſe imprimis nobiſcum, & nos cum illo per fidem coniungamur? Aut ſi non credis Caluino, cur iſtis ſaltem Petri Martyris verbis non credes? Ita enim in prioris epiſtolæ ad Corinth. caput 11. ſcribit, *Si quæras quid per communionem adipiſcamur, aliqui dixerunt merita & fructus mortis Domini: quod mihi non diſplicet, verùm addo, quòd ipſum Dominum, qui eſt fons horum bonorum, etiam habemus. Nam illum quoad diuinitatem nobis adeſſe non dubitamus: corpus verò & ſanguis eius tametſi quod ad corporalem & naturalem conditionem attinet ſint in cælis, & ſuo loco contineantur, tamen ſpirituali via & ratio-*

& ratione, fide inquam & animo comprehenduntur: atque hoc pacto re vera nobiſcum eſſe dici poſſunt, quum fides noſtra in res fictas & mendaces non feratur. Quid amplius igitur à nobis requiris? Nempe vt fateamur corpus & ſanguinem eſſe in, cum, vel ſub pane: quæ nos non alibi quàm in cælis quærere volumus per fidem. Cur autẽ hoc vrges? nempe quia non credis aliter fieri poſſe vt præter ſignum verè etiam donetur nobis corpus Domini.

Ad Caput ſecundum, De fundamento fidei in cauſa Euchariſtiæ.

In toto capite, V Veſphale, inculcas oportere αὐτόπιστον eſſe verbum Domini apud omnes Chriſtianos. Quaſi verò nos verbum Domini noſtræ intelligentiæ, ac non è contrario omnem noſtrã intelligentiam vni Dei verbo ſubiiciamus. Sed bene habet quòd & libris innumerabilibus, & re ipſa coarguitur hæc calumnia. Malè certè cum noſtris Eccleſiis ageretur niſi aliunde quàm ex iſtis centonibus malè couſutis didiciſſemus omnia eſſe verbo Dei tribuenda. Ac in cæteris quidem fidei Chriſtianæ capitibus mirum an tu nos auſis tantæ ἀπιστίας accuſare. In hoc autem ipſo argumeuto quàm improbè facias, quum à nobis conqueteris verbo Domini non tantum tribui quantũ par eſt, partim ex iis apparet quæ paulò antè diximus, partim etiam multò melius ex iis liquebit quæ ſuis locis afferemus.

Ad Caput tertium, De tropo in verbis Cœnæ Domini.

Verè quidem, ſed tamen non ſine tropo panem dici eſſe corpus Domini, iiſq́;, vt nobis quidem videtur, firmis & verbo Dei conſentaneis argumẽtis probamus. ex quibus quædam tibi refutanda propoſuiſti hoc tertio capite.

Quouiam igitur afferre ſolemus locos Scripturæ, & quidem pleroſque in ſimili argũmento, in quibus idem tropi vſus oſtenditur, ne videamur nouam aliquam interpretandi rationem inuehere in Eccleſiam Dei: tu contrà, ſiue quòd non intelligas cuiuſmodi argumentis vtamur, ſiue quòd tibi cum ſtipitibus negotium eſſe putes, tribuis nobis hoc argumentum, *Scriptura eſt multis referta tropis: Ergo & verba teſtamenti Chriſti non abhorrent à tropo.* Hanc verò ſpeciem argumenti vbi tandem in noſtrorum ſcriptis repeRiſti? Deinde aliam etiam rationem opponis, nempe nullum Euangeliſtam facere mentionem eius tropi quem nos conſtituimus. Reſpondeo, perpetuum hoc non eſſe vt tropi explicentur, præſertim quum ſunt eiuſmodi vt niſi tropicè ſumatur oratio, neceſſe ſit aliquid conſequi vel ſua natura abſurdiſſimum, vel reliquis Scripturę teſtimoniis repugnans. cuiuſmodi eſt hoc dictum de quo tractamus. Corpus enim Chriſto tribuere inuiſibile, vel quod multis ſimul locis eſſe poſſit (vti ſanè tribuendum eſt niſi tropicè hæc verba explicentur) dicimus & veri corporis naturæ, & expreſſo Dei verbo repugnare. Sed & in altero ſymbolo, id eſt in vino, dicimus duplicẽ tropum occurrere, quorum tamen alterum duntaxat explicarunt nonnulli Euangeliſtę. Calicem enim affirmamus neque teſtamentum in ſanguine, neque ſanguiné dici abſque tropo poſſe. Ex quo conſequitur tropos non eſſe ſtatim in rei ſacramentariæ explicatione repudiandos. Quid tu ad hæc V Veſphale? Negas eſſe metonymiam in his verbis, *Calix eſt* Luc.22.20.
Nouum teſtamentum in ſanguine: ſed continens cum cõtento, id eſt, calicem cum ſanguine, verè dici teſtamentum propter præſentem ſanguinem. Hæc enim tua verba ſunt. Ergo ad hunc diem ſanè neſcieramus, ipſum quoque calicem ad fœdus pertinere. Credideramus enim, ei ſoli quod continetur (nempe vino) conuenire & teſtamenti & ſanguinis attributum. Quòd ſi id etiam tibi daremus quod poſtulas, nempe vt calicem quoque deificemus propter præſentem ſanguinem, tamen quum in hac locutione, *Hic calix eſt nouum teſtamentum in ſanguine meo,* ſoli calici tribuatur quod tu teſtaris & continenti & contento conuenire, ánnon hîc ſaltem Synecdoches tropum admittis? Deinde ſi ſubſtituamus pro continenre contentum, & dicamus, *Hoc vinum eſt teſtamentum nouum in ſanguine meo,* quomodo hunc nodum iterum abſque tropo expedies? Neque enim dubitamus quin veriſſimè adhibito vini ſymbolo Dominus nobiſcum fœdus illud nouum ſanciat: ſed hoc quærimus, an ſine vllo tropo vinum poſſit dici fœdus aut teſtamentum illud quod nobiſcum ſanguine Chriſti ſancitur, quum ne ſanguis quidem ipſe propriè dici poſsit fœdus, ſed illud potius per cuius effuſionem pepigit nobiſcum Domiuus illud ipſum fœdus quod in nobis per eum ſanguinem fide perceptum ſancitur. Relinquitur ergo in his Domini verbis non ſolùm poni continens συνεκδοχικῶς pro continente & contento, ſed etiam continens pro contento, id eſt, calicem pro vino, qui tropus alia eſt Metonymiæ ſpecies, & diuerſa ab ea in qua rei ſignificatæ nomen ipſi ſigno tribuitur, vt fit ab aliis Euangeliſtis quum vinum dicunt eſſe Matth.26.28. Marc.14.24.

ſanguinem noui fœderis: eadem prorſus ratione qua panem etiam corpus eſſe teſtantur. Cur autem tropicè loqui maluerit Dominus quàm ſimplici ſermone vti, ſuo loco declarabimus.

Exigis denique vt ex Euangeliſtis vel Paulo probemus continens pro contento ſumi, quum calix vocatur ſanguis. Ego verò flagito vt nos hæc tria doceas: Quomodo calix dici poſſit ſanguis ſine vllo tropo: Quomodo vinum poſſit ſimul eſſe vinum & ſanguis, ſine vllo tropo: Quomodo denique ſine tropo poſſint hæc duo enuntiata æquipollere, Hoc vinum eſt ſanguis Domini, &, Sanguis meus eſt cum, vel in, vel ſub hoc vino.

Secunda noſtra ratio eſt, eos etiam qui nullum hîc tropum volũt admittere, tamen ad tropum imprudentes conuerti, quum hęc verba, *Hoc eſt corpus meum*, interpetantur, Corpus Chriſti datur in, vel ſub, vel cum hoc pane. At tu primùm omnium negas te vllum hîc auxilium tropi accerſere. *Sed nos*, inquis, *noſtris quibuſdam loquendi formulis orationem illam Chriſti exponimus.* Obſecro te, lector, quid eſt ictum eludere, & in veritate manifeſta tergiuerſari, ſi hoc non eſt? quid enim ſibi volunt illæ formulæ, in vel cum vel ſub pane, ſi panis eſt corpus abſque vllo tropo: & tam planum ac perſpicuum eſt illud Chriſti dictum, vt nullam interpretationem requirat? Vis tibi licere tuis formulis vti: quo iure tandem nobis quoque idem non permittitur, ἀπὸ τοῦ ῥητοῦ ad διάνοιαν, vt ita loquar, prouocare? Hoc autem ſemel poſito, quod & ipſum tandem obliquè nobis concedere cogeris, quum facilè concedi dicis vt nos expediamus tropi auxilio, modò cum verbis & mente Chriſti conueniat: & paulò pòſt quum dicis tuos, quos vocas duces, non niſi fictos tropos oppugnaſſe, quorſum attinuit nos tropiſtas, ſymboliſtas, figuriſtas, & aliis eiuſmodi prodigioſis cognominibus traducere, & inanes iſtos clamores excitare? Nam potius in id incumbere oportuerat vt tropum Synecdoches, quem vos omnino conſtituere cogimini, oſtenderetis commodiorem eſſe ad huius dicti interpretationem quàm Metonymiæ tropum. Id autem videamus quomodo probes. Clamas alterum tropum, quo videlicet rei ſignificatę nomen ſigno tribuitur, eſſe peregrinum & fictitium. Atqui ſi communem loquendi morem ſpectemus, ne profani quidem authores, quum de ſignis ſuis ceremonialibus agunt, ab iſtiuſmodi Metonymia abſtinere ſolent. Sic enim Homerus Iliados γ, vbi ſanciendi fœdus ritum deſcribit, --ἀτὰρ κήρυκες ἀγαυοὶ Ὅρκια πιστὰ θεῶν συνάγον, id eſt, τὰ σφάγια, inquit Euſtathius. Victimas ergo ipſas fœdera vocari audimus ex communi loquendi more, quòd in ſanciendis fœderibus adhiberentur, idque non obſcuram ob cauſam, adhibitis nimirum imprecationibus, vt ita funderetur eius ſanguis qui iuſiurandum violaſſet. Sed & ipſa quoque victimarum & ſanguinis commiſtio futuram animorum concordiam deſignabat. Quid verò? quum Virgilius ita loquitur, --*quique arma ſequuti Impia, nec veriti dominorum fallere dextras*, fidem ac iuſiurandum dextrarum appellatione non intelligit, quòd vltro citroque dextræ præberi ſoleant? Sed videor iam mihi te audire clamitantem me ſacrilegum eſſe qui tam profana audeam cum ſacroſanctis rebus comparare. Atqui non eſt mihi propoſitum res tam impares inter ſe æquare, ſed hoc oſtendere, iſtiuſmodi tropos in iis ritibus & ceremoniis, in quibus res ipſæ quæ ſpectari non poſſunt, quibuſdam inuolucris & figuris adhibitis ſolent oculis ſubiici, & animis penitus inſculpi, minimè eſſe peregrinos. Neque iſta videri poſſunt aliena, quum minimè dubium ſit quin Dominus ad communem loquendi morem ſæpiſſimè ſeſe accommodarit, tum quoque quum abſtruſiſſima religionis myſteria explicaret. Verùm in ipſis etiam Prophetis occurrere plurimas eiuſmodi Metonymias quoties oſtendimus? Nam & Circuncisio fœdus, & agnus Paſcha, & petra Chriſtus, vocantur. quæ fateor quidẽ te laborare vt ſine tropo explices: verùm quàm aptè & commodè id facias, aliorum iudicium eſto. Tertullianum autem vſurpare figuræ vocabulum in hoc Chriſti dicto explicando, Auguſtinum ſigni, Ambroſium vti ſignificandi verbo, an infiſiari audebis? At enim iſti (dices) corporis tamen pręſentiam non tollunt. De hoc verò mox viderimus: ſed nunc quidem ſatis nobis fuerit hoc obtinuiſſe, eas formulas quibus vtuntur non per ſe vanas eſſe ac peregrinas.

Gen. 17.10. Exod. 12.11. 1. Cor. 10.4.

Tertul. lib. 4 aduerſus Marcionem. Auguſt. cõtra Maxim. Arr. lib. 3. c. 12. Ambr. in cap. 11. prioris ad Cor.

Subiicis, fictum eſſe hunc tropum quo vtimur, & contrarium verbis Domini. Cedò quamobrem? quoniam videlicet ex eo conſequitur verum corpus & verum ſanguinem non adeſſe, non dari & ſumi in ſacra Cœna. Quid ſi igitur hanc tuam interpretationem afferremus, HOC EST CORPVS MEVM, id eſt, *hic panis verè ſignificat præſens meum corpus,*

pus, ſiue, hic panis eſt verum ſymbolum præſentis mei corporis, an iſtam interptetationẽ repudiares? Minimè, opinor: & tamen hæc quoque pendet à Metooymię tropo. Non igitur debuiſti hunc tropum ſimpliciter reprehendere, vt qui multo apertius & ſimplicius explicet tuam ſententiam quàm ſi vel τὸ ῥητὸν retineatur, vel Synecdoche ſtatuatur, quam tu quidẽ verbo negas, re ipſa verò ponere cogeris in particula HOC explicanda. Sed ad rem ipſam veniamus, ne queri poſſis à nobis quęri ſubterfugia. Verum corpus & verum ſanguinem Domini, ipſumque adeò Dominum verè adeſſe, dari & ſumi in Cœoa Domini, non ſimpliciter negamus, ſed eo duntaxat modo quo adeſſe, dari & ſumi volunt qui nobis aduerſantur. Volunt enim adeſſe inuiſibilitet corpus, quod etiam negant cælis tanquam loco circunſcribi: volunt manibus tradi & ſumi, cum, vel in, vel ſub pane. Quamobrem id verò? quoniã exiſtimant alioqui nos non poſſe fieri Chriſti participes io Cœna Domini, niſi talis modus præſentiæ ſtatuatur. Nos verò dicimus iſta cum corporis Chriſti veritate ac manifeſtiſſimis teſtimooiis Scripturæ pugnare, & nihilominus fatemut Chriſtum verum hominem in cælis manentem ac manſurum ad conſummationem vſque ſeculi, ſeipſum cum omnibus ſuis donis, ſecundum Verbum ſuum, inexplicabili ſua virtute (cui omnia ſunt poſſibilia quæ vult) ſpiritualitet quidem ſed tamen non minus verè ſiſtere & offerre per fidem ſumendum ac fruendum, quàm verum eſt nobis à mioiſtro panem & vinum præberi. Itaque quod ad perceptionem & communicationem attioet, id eſt, hactenus vt oobis qoi in terra credimus, ipſe qui in cælis eſt; verè communicari poſſit cum omnibus ſuis donis: hactenus, inquam, Chriſti corpus & ſanguinem adeſſe, ſumi & dari non negamus. Neque id ego ptimus dico, quum id apettè teſtetur Conſenſio, & ante ac poſt Conſenſionem Caluinus infinitis locis expreſſerit. Videas nunc igitur tandem quo iure tropos, quos inuidioſè noſtros appellas, tanquã fictos & verbo Dei repugnantes oppugnes, nóſque intet hæreticos & Soermeros repooas: videas hoc, inquam, & cogites quid ſis coram Angelis & toto fidelium cœtu de hac calumnia & infœlicibus iſtis tragœdiis iterum excitatis reſponſurus.

Tertia noſtra ratio (ſic enim tibi libuit noſtra argumenta digerere, cui vel hac in re gratificari placet) eiuſmodi eſt, Non poſſe vrgeri τὸ ῥητὸν in his verbis Chriſti, HOC, id eſt, hic panis, EST CORPVS MEVM, quin Papiſtica tranſſubſtantiatio conſtituatur: quoniam ſi verbum EST propriè & vno modo ſemper accipiatur, id eſt ὑπαρκτικῶς, neceſſe eſt vt hæc duo enunciata ſimiliter vera ſint, Chriſtus eſt Filius Dei, &, Panis eſt corpus Chriſti. Arqui nimis abſurdum eſſet dicere panem viſibilẽ eſſe inuiſibile Chriſti corpus. Quid tu ad hæc VVeſphale? Primùm, vt tuam pietatẽ orbi teſteris, in martyres iocaris qui apud Gallos & alias gentes quotidie crudeliſſimam & ignominioſiſſimam mortem perpetiuntur. Extant enim eorum aliquot confeſsiones, quæ tibi non ſatisfaciunt. Atqui vt tibi non ſatisfaciant, an ideo digni erant quibus etiam mortuis inſultares? Nam certè pro Chriſti nomine ingreſsi ſunt flammas, quas haud ſatis ſcio an tu vel vno digito velles attingere. Quòd ſi negotium Cœnæ Domini nonniſi ex parte cognouerunt (demus enim id VVeſphalo, ac ne nobis quidẽ ſingula eorum dicta ac facta ſatisfaciont) an idcirco oon fuerunt victimæ Deo gratæ, quum ad extremum vſque halitum omnes idolomanias ſint execrati, & Chriſtum vt verum Filium Dei & vnicum noſtrum per fidem μεσίτην ſint amplexi? Alioqui quo tandem iure (vt hunc vnum ex omni antiquitate nominem) Cyprianum numerauetit intet martyres, qui nec verè nec bene de Baptiſmo ſenſerit, quum rebaptizandos eſſe cenſeret qui ab hęreticis ſunt baptizati? Imò quem tandem poterimus inter martyres, niſi dubia & incerta opinione, numerare? Longè ſanè aliter de ſanctis iſtis martyribus iudicarunt illuſtriſsimi quique Germaniæ principes, & doctiſsimi quique theologi, qoi perlecta Gallicarum Eccleſiarum confeſsione, etſi non defuit quod in ea requirerent, tamen tantum abfuerunt ab eo vt iſtius iudicium comprobarent, vt dignos etiam cenſuerint quorum cauſa apud Regem ſemel atque iterum honorificè miſſa legatione intercederent: quam illorum pietatem Dominus proculdubio in extremo illo iudicio vt membris ſuis præſtitã agnoſcet, & grata poſteritas prædicabit. Sed hæc παρέργως dicta ſunto.

Ad rem veniamus, & videamus quomodo reſpondeas. *Liberat nos* (inquis) *à tanti periculi metu fides intenta ſermoni Chriſti, quæ credit & panem & vinum, & cum his ſimul corpus eius & ſanguinem dari.* Reſpondeo, vbi verbum nullum eſt, ibi fidẽ non eſſe. Iam verò in verbo Domini legimus quidem oportere nos cum Chriſto vnum fieri, & hoc quoque credi- Ioan. 17. 21. Gal. 3. 28.

Act.3.g. mus. In cœlos ſublatum eſſe Chriſtum, quatenns homo eſt, vbi manſurus ſit donec veniat ad iudicandum orbem terrarum, legimus, & credimus. 1.Cor.10.16. Panem Chtiſti quem frangimus, eſſe communicationẽ corporis Chriſti legimus, id eſt, illud ipſum quod quum fide percipimus ex ordinatione Chriſti, verè ſimus corporis ipſius participes. Nos id quoque credimus, quoniam non dubitamus quin verè pręſtet quod promittit. Corpus Chriſti in vel ſub vel vnà cum pane præſens eſſe, dati & ſumi, ſi vel pauciſſimis verbis ſignificaſſet Dominus, ſanè crederemus. Sed nunquam euincet VVeſphalus hæc duo ſimiliter dici, ſi quidem τὸ ῥητὸν ſpectetur, HOC, id eſt, Hic panis eſt corpus meum: &, Cum vel in vel ſub hoc pane eſt corpus meum.

Tandem verò VVeſphale, non vt reſpondeas argumento quod nunquam expedies, ſed vt aliò auertas lectorum animos, clamitas magnam tibi & tuæ factionis hominibus iniuriam à nobis fieri, quòd vos grauemus quaſi ſentiatis panem naturaliter in ſua ſubſtantia eſſe corpus. Id verò quis vnquam noſtrûm aliis quàm Papiſtis obiecit? Hoc quidem ſæpe diximus, quod nunc quoque reperam, retineri re ipſa non poſſe τὸ ῥητὸν in his Chriſti verbis, *Hoc eſt corpus meum*, quin tranſſubſtãtiatio Papiſtica ſtatuatur: ſed quum hoc ſemper addiderimus, eos qui corpus vnà cum pane coniungunt, etiamſi clament nullum tropum à ſe admitti, re ipſa tamen ſynecdochen ſtatuere in pronomine HOC, ánnon ſatis manifeſtè hanc opinionẽ à Papiſtica tranſſubſtantiatione diſtinximus? Sed in ipſo communicandi modo idem atque Papiſtas ſentire te ſi dicamus, quo iure tibi fieri iniuriam conquereris, quum apertè Nicolaum & Gregorium ſeptimum patronos tibi accerſas, & eorum concilia pro oraculis habeas?

Similis eſt farinę quod mox ſubiicis, quum ais Papiſtas quidem offenſos diuerſarum ſubſtantiarum præſentia, excogitaſſe tranſmutationem & abolitionem alterius ſubſtantiæ: nos verò ad eundem lapidem impingentes, alterius ſubſtantiæ præſentiã procul ablegare. Illos igitur auferre panis & vini ſubſtantiam, nos verò remouere carnis & ſanguinis ſubſtantiam: te verò, præſentiam carnis & ſanguinis confitendo, in neutram partem velle declinare. Ita igitur fiet vt tu quidem medium ſerues, Papiſtæ vnum extremum, nos alterum teneamus. Atqui primùm omnium oportuerat te didiciſſe permulta eſſe in quibus qui medium teneant, non ſint beati, ſed minus miſeri. Pelagiani omnia tribuunt naturę, cuius corruptionem non agnoſcunt. Nos omnia gratię tribuimus. Papiſtæ partim naturæ, partim gratiæ ſalutem acceptam ferunt. Quis autem ſanns homo mediocritatem iſtam probet? Deſinas ergo tandem medium iſtud iactare. Sed vt ad rem veniam: Quòd ais Papiſtas offenſos duarum ſubſtantiarum pręſentia, ſuam illam tranſſubſtantiationem excogitaſſe, falſum & ineptum eſt. Quis enim vt aliquod abſurdum vitet, ſciens ac prudens velit aliud abſurdius ſtatuere? Non fuit hæc igitur tranſſubſtanriationis excogitãdæ ratio, ſed partim ignorãtia eorum qui quum neſcirent Chriſti officinm, ac cur inſtituta ſint Sacramenta, τὸ ῥητὸν vrgebant, tum in verbis Chriſti, tnm in veteribus pleriſque qui Chriſti veſtigia ſequuti, non aliter & ipſi de re minimè contronerſa ſibi loquendum meritò cenſuerunt: partim verò prępoſtera imperitorum hominum religio, qui in ipſis ſignis obſtupeſcentes, putarunt ea nunquam ſatis à ſe poſſe exornari: vt alias cauſas prætermittam, iuſtum nempe Dei iudicium, & Hildebrandi illius ſatanicam audaciam. Et hæc quidem de Papiſtis.

In altero autẽ extremo nihilo certè verius loqneris, quum ais nos ſubſtantiam corporis & ſanguinis à carne remonere. Cuius enim rei dicimus eſſe ſymbola (& quidem vera & efficaciæ plena) panem & vinum? certè veri illius corporis quod pro nobis eſt crucifixum, & veri illius ſanguinis qui pro nobis eſt effuſus. Quid nobis à Domino offerri in Cœna dicimus? certè illa ipſa. Quid docemus in Cœna per fidem verè percipi? eadem illa profectò ad vitam æternam. Neque enim putamns nos poſſe donorum & virtutis Chriſti participes fieri, niſi ipſum in primis poſſideamus. Sed in terris dari ſymbola dicimus à Miniſtris: fide verò nos Sacramẽtis tanquam ſcalis ſubuectos in cælum aſſurgere, vbi demum Chriſti carnem quærimus, vt Spiritus virtnte capiti noſtro vniamur, quod verè in nobis fieri credimus: & quia credimus, & ſentimus, ideo profitemur. At tibi videtur ſubſtantiam Chriſti à Cœna remouere qui non illam cum pane inuiſibiliter quidem, ſed tamen realiter copulet: quod vt millies inculcaris, nos decies millies coram Deo & hominibus inficiabimur. Sed ecce tandem cominus congrederis, & fateris has duas propoſitiones, Chriſtus eſt filius hominis, &, Panis eſt corpus Chriſti, idem non valere. Sed negas tropum eſſe in verbo EST. *Quoniam*, inquis, *Chriſtus eſt filius*

Dei

Dei propter duarum naturarum vnionem: panis autem dicitur corpus, quia ſacramentaliter vnitur, verè tamen, ita vt cum ſigno verè præſens diſtribuatur ſumentibus. Atqui ſi hoc verum eſt, quis non videt à re manifeſtè in prioris propoſitionis explicatione cõſtitui tropum quem theologi vocant *ἰδιωμάτων κοινωνίας*, quum propter vnionem toti tribuatur quod vnius duntaxat proprium eſt: in alterius verò propoſitionis interpretatione ſynecdochen abs te poni, quum parti tribuatur quod ei non conuenit, niſi alterius partis reſpectu quæ non exprimitur? Nam ſi dicas, Hic panis eſt corpus meum, propoſitio eſſe vera non poteſt, niſi vel tranſſubſtantiatio Papiſtica verborum pronuntiationem iiſdem temporis momentis conſequatur, (quod abſit vt profiteamur) vel metonymicῶs iſta intelligantur, vt affirmamus: vel ſynecdochicῶs dicamus poſitum HOC, id eſt HIC PANIS, pro, HIC PANIS CVM HOC CORPORE, vt poſtea, propter vnionem panis cum corpore, dicatur etiam panis eſſe corpus. Ergo vel tranſſubſtantiatio ponenda eſt, vel tropus. Tuam illam verò coniunctionem corporis & panis vnde tandem elicies, quum & veritas corporis Chriſti, & articulus de aſcenſu Domini in cælos, & eius in cælis commoratione, manifeſtè repugnet, & illa etiam ſublata, nihilominus verum & firmum permaneat illud Apoſtoli dictum, *Panis quem frangimus communicatio corporis Domini eſt, & poculum cui benedicimus, communicatio eſt ſanguinis Domini?* 1.Cor. 10. 16. Sed hoc præterea iſtarum propoſitionum diſcrimen non agnouiſti, quòd in hac propoſitione, Chriſtus eſt filius hominis, Chriſti nomen vtranque naturã complectitur: in altera verò, Panis eſt corpus, panis non eſt totius (vt tu quidem interpretatis) ſed partis duntaxat nomen. Vbi igitur illa ſimilitudo quam imaginaris, quũ inquis in his duabus propoſitionibus, propter vnitatis naturas diuerſas, alteram de altera prædicari? Nam tum demum valeret iſtud dictum, ſi has potius propoſitiones inter ſe contuliſſes, vt tu quidem poſteriorem interpretaris, Deus redemit Eccleſiam ſanguine ſuo, &, Panis eſt corpus Chriſti. Quomodo verò ſacramentaliter coniungi corpus cum pane minimè diffiteamur, ſed vrgeamus potius, iam antea ſatis perſpicuè eſt à nobis explicatum.

In quartam & quintam, quam vocas, rationem infinitas illas abſurditates congeris, quas oſtendimus neceſſariò conſequi ſi corpus cum pane copuletur. Interim verò nullam earum attingis, ſed vno verbo reſpondes nos omnia tribuere rationi, & laudem quærere ingenij ac ſapientiæ, quum rationem humanam theologiæ cedere oporteat. Quaſi videlicet naturæ ordini, cuius author eſt Deus, ita repugnet ipſius verbum vt iſta nunquam inter ſe conſentiant. Dolet tibi quòd de naturali corpore Chriſti ex naturæ legibus diſputemus. Atqui naturæ humanæ legibus (naturæ dico, non infirmitatis) à nobis nunc quoque ſubiici Chriſti corpus quod ipſe nõ neceſſitate, ſed vltrò voluit naturale aſſumere, & nunc quoque quanuis glorificatũ, tamen verum & naturale retinet, quis tandem æquus iudex abſurdum eſſe iudicabit? Certè iſtas abſurditates, quas ne ipſe quidem inficiari poſſis ex tuis poſitis antecedentibus neceſſariò conſequi, non ex humano iudicio ſimpliciter depromimus (vt tu falſò nobis impingis) vt qui & ipſi Dei gratia didicerimus rationem noſtram iudicio Dei in hoc quoque argumento ſubiicere, quum fatemur locorum interuallum non obſtare quominus verè cum ſuo capite quod eſt in cælis, membra quæ ſunt in terris, in Cœna Domini vniantur: illas inquam abſurditates non ex humano iudicio ſimpliciter depromimus, ſed ex Dei verbo, quod quum aſſerat corporis Chriſti etiam glorificati veritatem, noſtrum quoque iudicium in illis ſtatuendis abſurditatibus confirmat.

Ad Caput quartum, De vocula demonſtrante HOC.

Hoc caput ita exordiris. *Pronomine* HOC *Chriſtum demonſtraſſe panem Caluinus extra controuerſiam ponit in commentariis prioris epiſtolæ ad Corinthios.* Quid ergo de hac re nobiſcum contendis VVeſphale? Caluinum enim & noſtras Eccleſias nunquam aliter aut ſenſiſſe, aut docuiſſe, aut ſcripſiſſe, non ille tantùm locus quem citas, ſed etiam vltima ipſius defenſio abundè declarat. *Atenim*, inquis, *nihilo ſecius defendit opinionem Iohannis à Laſco, qui aſſeuerat demonſtrari non panem, ſed totam Cœnæ actionem.* Id verò quàm verè abs te dicatur, ex ipſius Caluini libro iudicium fiat. Certè is eſt D. à Laſco qui noſtra defenſione minimè indigeat, neque, ſiquid etiam in hac re explicanda ab eo non ſatis planè dictum eſſet, id pręſtare Caluinũ oporteret. Sed cur illud, obſecro, prętermittis quod maximè ad te pertinebat? Nam ſi particula HOC non aliud declarat quàm HIC PANIS, quomodo panis ſubiecto attribuetur ſine vllo tropo corporis Chriſti prędicatum, ſiue ſit præſens, ſiue abſens corpus? mirum enim eſt profectò vt quod hypoſtatica vnio effi-

cere nõ poteſt, nempe vt multa pronuntiata, ſine tropo vera eſſe poſſint quem *κοινωνίας ἰδιωμάτων* appellant, id tamen efficere poſſit ſacramentalis coniunctio panis & corporis qualem tu comminiſceris.

Ad Caput quintum, De tropo in verbo E S T.

Ab huius verbi E S T recta explicatione tota penè pendet controuerſia. Tu propriè accipiendum eſſe dicis, id eſt *ὑπαρκτικῶς*: nos verò affirmamus *μετωνυμικῶς* dici panem id eſſe quod verè nobis figurat ex Domini inſtitutione. Addimus deinde, magnam vim eſſe huius metonymiæ, qua videlicet declaretur quanta ſit ſacramentalis iſtius ſignificationis veritas, nequis inanem ac veluti pictam Chriſti & paſſionis eius imaginem à nobis ſtatui exiſtimet: ſed vt è contrario conſtituatur, non magis verè nobis hæc ſymbola tradi in manus à Miniſtris, quàm verum eſt Chriſtum nobis quanuis in terra poſitis verum ſuum corpus & verum ſanguinem, quæ ſunt & manent in cælis, id eſt, ſemetipſum cum omnibus ſuis donis offerre per fidem communicandum ac fruendum, in vitam æternam. Hanc ſententiam quæ neque corporis Chriſti neque Sacramentorum veritati quicquam derogat, neque vlli abſurditati locum relinquit: quæ Dei omnipotentiam maximè commendat: quæ naturæ fidei maximè conuenit: quæ denique nos in cælum attollit, tamen non dubitas perinde exagitare acſi diceremus pane ac vino tanquam ſimulachris quibuſdam nudè ac ſimpliciter corpus Domini ſignificari: quum tamen ſacramentalis ſignificationis vim vbique vrgeamus. Ad confirmandam hanc metonymiam varios ac penè infinitos locos citamus, alios quidem vt oſtendamus verbum E S T non ſemper propriè & ſubſtantiuè, vt loquuntur, vſurpari: ex quo colligimus nos non temerè quęrere quomodo in hoc Chriſti dicto quod tractamus, explicandum ſit hoc verbum, cuius varia ac multiplex ſignificatio in ſacris literis occurrat: alios verò, vt in quibus ſimili prorſus metonymia vſurpetur. Quid tu contrà? Primùm ſeligis nonnulla, reliqua prætermittis, millies, inquis, refutata. Hoc verò quàm verè dicas, ex tuis libris & noſtris reſponſis iudicium fieri non recuſamus. Deinde refutationem quorundam locorum aggrederis. ac primùm quidem tractas hunc locum,
Ioa. 7.39. *Nondum erat Spiritus ſanctus. Quid tum?* inquis. *non tamen verbum* E S T *hic accipitur pro Significat.* Quaſi verò nos ita hunc Ioannis locum explicemus, ac non tu ipſe etiam in ea interpretatione acquieſcas quã in hunc locum affert Caluinus. Quaſi denique hunc locum citauerimus vt oſtenderemus E S T accipi pro ſignificat, ac non potius vt probaremus nihil eos concludere qui ſuam illam voculam E S T omnibus argumentis opponunt, vt carnalem & ſubſtantialem præſentiæ modum ſtabiliant: quum non ſemper *ὑπαρκτικῶς* accipiatur, ac proinde ex ipſa rei natura de qua diſceptatur, oporteat eius ſignificationem æſtimare.

In eo quod ſequitur idem agis. Obiicit Caluinus, vt oſtẽdat verbum E S T nõ ſemper *ὑπαρκτικῶς* poni, locum illũ Pauli 1. Cor. 12, vbi Eccleſia Chriſti nomine cenſetur. In hac oratione ſi accipiatur verbum E S T, vt tu vis intelligi in hoc Chriſti dicto, *Hoc eſt corpus meum*, conſequetur (vt rectè colligit Caluinus) nos omnes verè, propriè ac naturaliter eſſe Chriſtũ. Quid tu ad hęc VVeſphale? Fateris quod inficiari nõ potes, Eccleſiam dici Chriſtum propter arctiſſimam coniunctionem membrorum & capitis. Sed addis hoc argumentum pro nobis nõ facere, quoniam E S T ibi non accipitur pro ſignificat. Quaſi verò nos aliud poſtulemus quàm quod tu concedis, nempe verbum E S T non ſemper declarare ſubſtantialis præſentiæ modum qualem tu vis. Nam alioqui conſequetetur ex tuo dogmate, fidelium & corpora & animas realiter & ſubſtantialiter eſſe in cælis cum Chriſto, atque adeò vbique eſſe, aut ſaltem cum pane, etiam ante repetitam communicationem Sacramenti. Neque enim tibi ſatis eſt dicere quod nos vrgemus, & in quo vno acquieſcimus, nos verè vnum eſſe cum Chriſto per fidem, Spiritus ſancti virtute, ſed etiam affirmas oportere vt realiter, ſubſtãtialiter, corporaliter Chriſto vniamur, ſicut tu nimirum vis & corpus cum pane & nos cum corpore copulare. Sed quid
Eph. 5. 30. facies Paulo, qui quod alibi dixit nos eſſe oſſa ex oſſibus, & carnem ex carne Chriſti, explicans hoc in loco, totum hoc myſterium nõ à carnali modo pręſentiæ, ſed à Spiritus virtute pendere teſtatur, & Baptiſmo hoc idem tribuit non minus quàm Cœnę Domi-
1. Cor. 12. 13. ni? Verba enim eius hæc ſunt, *Per vnum Spiritum nos omnes in vnum corpus baptizati ſumus, ſiue Iudæi, ſiue Græci: ſiue ſerui, ſiue liberi.* Ac ne cauillari poſſis aliam eſſe Cœnæ Domini rationem, adiungit Paulus, apertè ad calicis participationem reſpiciens, *καὶ πάντες εἰς ἓν πνεῦμα ἐποτίσθημεν, Et omnes in vnum ſpiritum* (hoc eſt, vt vno ſpiritu, Chriſti videlicet, coa-

leſcere-

leſceremus) *potum hauſimus*: ſiue, *Omnes vnum ſpiritum potauimus*. Niſi malimus alterã Græcorum ſcholiorũ, ac quorundam vetuſtorũ codicum auctoritatẽ ſequi magis etiam expreſſam, quæ ſic habet, *καὶ πάντες ἓν πόμα ἐποτίσθημεν εἰς ἓν πνεῦμα*, id eſt, *Et omnes vnam potionem potauimus in vnum ſpiritum*. Sed fortaſſis excipies, hanc communicationem ab altera illa reali & ſubſtantiali non modò non excludi, ſed etiam pendere. Verùm ſi ita eſt, quid obſtat quominus, quum diſertè affirmet Paulus Eccleſiam idcirco Chriſtum dici quoniam fideles omnes per baptiſmum in idem corpus cum illo coaleſcant, fatearis in baptiſmo quoque corpus Domini ſubſtantiali modo præſens eſſe? Quòd ſi tergiuerſaris hoc in baptiſmo fateri, in quo tamẽ negare non potes quin verè cum Chriſto vniamur: cur in Cœna Domini requiris alium præterea communicationis modum, quem in baptiſmo non requiri confiteris? Item, ſi ſufficit iſta per ſpiritum communicatio, vt verè dicatur Eccleſia eſſe Chriſtus, cur realis ille modus coniunctionis ſignorum & rei ſignificatæ tantopere requiritur?

Oſtendimus præterea, nomen Dei ipſius ad arcam fœderis multis locis accommodari, quum tamen arca non fuerit Deus ſubſtancialiter, ſed tantùm ſymbolicè. Ex hoc autem colligimus nouam non eſſe & inuſitatam metonymiam qua rei nomen ad ſignum transfertur, vt videlicet minimè vanum ſignum eſſe oſtendatur. At tu negas inueniri totidem verbis ſcriptum, Arca eſt Deus, ſicut diſertè dixit Dominus, *Hoc eſt corpus meum*. Deinde cauillaris iſta quæ toties occurrũt apud Moſen & alibi, de conſpectu, de facie Dei, de habitatione Dei in ſanctuario: item quod dicitur Dauid luſiſſe & ſaltaſ- 1.Paral.13.8. 2.Sam 6.14. ſe ante Dominum: item illud, *Exurge Domine*, &c, *Reuertere Domine*, non ad arcam, ſed ad Pſal.1.8. Pſal.6.5. Dominum ibi pręſentem pertinere. Verùm cui tandem, pręter te vnom fortaſſis, ignotum eſſe poteſt, Iſraelitas ita reſpexiſſe Dominũ, vt interim eius pręſentiam in illo peculiari ſymbolo arcæ fœderis ſpecialiter intuerentur, & illa dicendi genera non aliunde profluxiſſe? cui, inquam, ignotum eſt diſcrimẽ inter præſentiam & habitationem Dei? Niſi fortaſſis exiſtimas non aliter dici Dominum habitaſſe inter Cherubin, quàm dicitur omnia implere. Poſtea hunc locum arripis aduerſum nos, quoniam arca fuerit ſymbolum Dei verè præſentis, non figura abſentis. Atqui perabſurdum eſt, quod vni Diuinæ naturæ conuenit, id etiam humanæ naturæ accommodare. Deinde, vt in omnes formas te conuertas, nõ aliam poteris inuenire pręſentiæ Dei cũ arca rationẽ, quàm quòd Dominus illic peculiariter vim ſuam exereret. quo reſpectu etiam dicitur illic habitare, quum alioqui omnia impleat. Iſta verò contra nos minimè faciunt, qui minimè negamus Dominum peculiariter ſeipſum nobis in Cœna per fidem virtute Spiritus ſui communicare.

Denique etiamſi tibi concederem præſentiam qualemcunque vis, an conſequeretur arcam aliud fuiſſe quàm ſignum Dei præſentis? Quòd ſi duntaxat ſignum eſt, non res ipſa, quomodo ſine metonymia nomẽ ipſius rei tribuetur ſigno? Non igitur debuiſti tropum metonymiæ ſimpliciter reprehendere, ſed hoc tantùm requirere vt diceremus panem eſſe, id eſt, ſignificare corpus præſens. Neque nos verò (vt millies iam dixi) corporis præſentiam negamus quod ad noſtram cum Chriſto coniunctionẽ per fidem attinet, ſed corpus Chriſti dicimus non alibi quàm in cœlo per fidem quærendum, vt verè in nobis Spiritus vi impleatur quod ſymbolis naturalibus verè ſignificatur.

Citatur etiã à nobis duplex locus Moſis. vnus in quo Citcunciſio dicitur eſſe ſignum Gen.17.11. fœderis: alter in quo dicitur eſſe ipſum fœdus. & ibidem. In altera harum propoſitionum contendimus neceſſariò tropum eſſe, quoniam ſignũ à re ſignificata, id eſt, fœdus ipſum à fœderis ſigno neceſſariò diſtinguitur. Imò verò, inquis, Circunciſio verè eſt pactum & fœdus. Quis verò id auſit inficiari, quum Dominus ita luquatur? Verùm id non quæritur, an vera ſit oratio, ſed an figuratè, an verò propriè ac ſimpliciter ſit accipienda. Hoc quoque confirmas, & tamẽ fateris nõ aliud eſſe fœdus quàm promiſſionem ipſam, *Ero Deus tuus & ſeminis tui*. Hoccine verò eſt ex ratione loqui?

Poſtremò miſerè te torques vt eos locos nobis extorqueas in quibus Agnus dicitur Paſcha, quum tamen non eſſet ipſe tranſitus, ſed tranſitus memoriam renouaret: vt alias eius ſignificationes prætermittam, de quibus nunc non eſt agendi locus.

Primùm igitur tuo more nobis tribuis huiuſmodi argumentationẽ, *In his verbis, Agnus eſt paſcha, Eſt ponitur pro Significat: ergo etiam in verbis Euchariſtiæ.* Vbi verò didiciſti nos ita argumentari? Imò ſic concipimus argumentum: Agnus dicitur eſſe phaſe, cuius tamen eſt duntaxat ſymbolum, ergo verbum Eſt dicitur interdum de ſymbolica ſignifi-

catione. Deinde cauſas afferimus cur & quatenus eadẽ interpretatio in verbis Eucha-
riſtiæ locum habeat. Iam igitur in manifeſta calumnia teneris. Negas autẽ ſubeſſe tro-
Exod.12.11. pum in his verbis Moſis, *Eſt enim paſcha Domini. Nam*, inquis, *hæc ratio nõ pertinet ad agnum,
neque ad verbum Comedetis, ſed ad omnes ritus quos antea Moſes commemorarat: ac eò præſertim ſpe-
ctat quòd iuberentur Iſraelitæ accincti & feſtinantes agnũ comedere: quorum omniũ ratio hæc affertur,
quoniã paſcha ſiue tranſitus eſt Domini, id eſt, quoniã tranſibit hac nocte Dominus, cuius tranſitus me-
moriam vos oportet retinere, & iſtis ritibus renouare.* Sed vt ita eſſe largiamur, quod effugium
1.Eſr.2. 6. tibi patebit, ſi obiecerimus tot alios locos in quibus diſertè dicitur Paſcha immolari &
Matth.26.17. comedi? An tum audebis inficiari Paſchę nomen ipſi agno tribui? Nequaquam opinor;
Marc.14.12. 14.
Luc.22.7.11. Nam mox ad te rediens, quãuis locos illos fortiter diſsimules, tamen fateris agnum vo-
15.
Ioan.18.28. catum eſſe Paſcha, id eſt tranſitum, propter rei geſtæ memoriam.
1.Cor.5.7. Deinde aliquot paginas conſumis in eo vt oſtendas magnum eſſe diſcrimen inter
agni eſum & Cœnam Domini. *Nam*, inquis, *Iudæi edebant agnum in memoriam liberationis ex
Aegypto; nos autem non ſolùm edimus & bibimus panem & vinum in commemorationem liberatio-
nis per Chriſtum partæ, ſed ſimul verum eius corpus & ſanguinem ſumimus*. At nos etſi vltro fate-
mur verum corpus & verum ſanguinem Chriſti à nobis per fidem in Cœna Domini
percipi ad vitam æternam inde hauriẽdam, tamen nullum hîc diſcrimen agnoſcimus,
ſed ſummam conuenientiam: quoniam ne in iſti paſchate quidem fuit ſola commemora-
tio liberationis ex Ægypto, ſed vera & per fidem efficax futuræ per Chriſtum redem-
ptionis ſignificatio. Ad eam enim proculdubio reſpexerunt cùm alij, tum in primis
Ioan.1.29. Ioannes, quum diceret, *Hic eſt Agnus Dei, qui tollit peccata mundi.* Et omnium apertiſsimè
1.Cor.5.7. Paulus, quum ſcriberet Chriſtum paſcha noſtrum immolatum eſſe. Itaque nec rectè,
nec pro dignitate hanc ceremoniam explicaſti, quum diceres Agnum fuiſſe dũtaxat
typum Chriſti immolandi: nempe (ſi tibi aſſentiamur) non aliter quàm tranſitus ma-
ris rubri fuit Baptiſmi typus. Imò verò Paſcha fuit verum & ordinarium in Eccleſia Dei
ſacramentum, cuius eadem quæ & Cœnæ Domini fuit veritas, quãuis impari tum reue
lationis tum efficaciæ menſura. Illud verò in primis & falſum & ineptum eſt, quòd er-
rorem illum de quo modo dixi cõfirmans, hæc duo aduerbia typicè & verè inter ſe tan-
quam contraria opponis. Quaſi verò Dominus cum Iſraelitis olim luſerit, aut quaſi
quicquam impediat quominus quod Dominus figuris & ſignis externis adumbrat, nõ
vt rem obſcuret, ſed vt per ſenſus etiam noſtros fidem cordis accendat, idipſum quo-
que veriſſimè & efficaciſſimè per vim Spiritus ſui in nobis impleat.

Cætera quæ in huius capitis extremo commemoras de quodam D. Zuinglij ſom-
nio (animi potius recreandi cauſa, opinor, quàm tuendæ veritatis ſtudio) quid attinet
regerere? Certè iniquè facis quum non permittis D. Zuinglio beatæ memoriæ viro vt
bona cum ipſius pace vel ſemel inter dormiendum eruditè ſomniarit, quum ipſe ne vi-
gilans quidem aliud quàm & corpore & animo videaris ſomniare.

Sextvm capvt conſumis in explicandis Apoſtoli verbis, *Petra erat Chriſtus.* in
1.Cor.10.4. quibus nos contendimus Chriſti nomen eadem prorſus metonymia petrę tribui atque
pani tribuitur corporis nomen. Hoc negas, eámque ob cauſam Caluinus tibi eſt perui-
cax, impudens, temerarius, confidens in corrumpendis Scripturis diuinis. Hic enim eſt
tuus, modeſtiſſimi ſcilicet & pudentiſſimi hominis, pudor. Cedò verò quamobrem?
Quoniam, inquis, *hæc Pauli verba de petra duntaxat ſpirituali, ac proinde ſine tropo dicuntur.*
Vnde verò hoc colligis? *Noſtri*, inquis, *protagoniſtæ ita docuerunt.* At quibus argomen-
tis? *Primùm, quia additum eſt epitheton ſpiritualis, vt opponatur rupi corporeæ. Alterum, quia dicitur
hæc petra Iſraelitas comitata: quod non conuenit corporeæ petræ quæ ſuo loco non mouebatur, ſed Chriſto,
qui ex arido ſaxo potum dabat*. Hæc igitur age expendamus. Omitto Tertullianũ, Hierony-
mum, Origenem, Chaldæum paraphraſten, & antiquam Hebræorum explicationem,
quæ pro nobis faciunt. Rationibus pugnemus potius quàm auctoritate. Quod ais ad-
di ſpiritualis epitheton, per ſe falſum eſt. neque enim repetitur in poſteriore membro.
Sed ſanè repetatur, quoniam nõ de alia petra quàm de ſpirituali loquitur. verùm quis
te docuit Spiritualis epitheton non conuenire petræ corporeæ? Nam ſi ita eſt, eadem
nimirum ratione in præcedente verſiculo ſpiritualis eſca non conueniet Mannę. Non
meminerit igitur ſignorum Paulus, ſed duntaxat rerum ſignificatarum. quod ſi verum
eſt, vbi eſt illa comparatio quam inſtituit ſignorum cum ſignis, non rerum cum rebus?
vna enim res, nempe Chriſtus, à Paulo tum in veterum tum in noſtris ſignis ſtatuitur,
neque alio fundamento nititur tota eius argumentatio. Item cur in Baptiſmo expreſ-

ſerit

ſerit typorum nomina, nempe nubis & maris, in Cœna verò non expreſſerit? Hæc au- 1.Cor.10.2.
tem quum abſurdiſſima ſint, tibi ſanè non aſſentiar, ſed (quod res ipſa poſtulat) ſpiritua-
lis cibi nomine mannam, ſpiritualis petræ appellatione illam ipſam rupem à Moſe per-
cuſſam intelligo. Atenim, dices, cur ſpirituales vocantur? nempe quoniam ſpiritualium
alimentorum erant ſacramenta, id eſt, veri noſtri cibi ac veri potus Ieſu Chriſti: cuius
videlicet verum corpus & verum ſanguinem appello ſpiritualia alimenta, non quòd nõ
ſuapte natura corporea non ſint, ſed quoniam ſpirituali virtute nobiſcum per fidem cõ
municata, vitam illam æternam & ſpiritualem nobis inſtillant. Subeſt tamen adhuc a-
liqua fortaſſe difficultas. Videtur enim diſertè Apoſtolus potum à petra, id eſt, riuum à
fonte diſtinguere. Quaſi verò idem Chriſtus & fontis & riui figuræ non reſpondeat,
quum ipſe ſuum ſanguinem in vitam æternam per fidem potandum propinet.

Et hactenus quidem de priore illo argumento: veniamus ad alterũ in quo negas pe-
tram illam comitatam eſſe Iſraelitas. Sanè fateor, ſi rupem ipſam ſpectes. Sed cui tãdem
ignotum eſſe poteſt hoc dicẽdi genus, vt ex petra bibere dicatur qui ex riuo potat è pe
tra profluente, & ita quidem vt nihilominus fons à riuo diſtinguatur? Itaque in hoc ty-
po petra Chriſtum ipſum vt datorem, riuus Iſraelem comitans, ſanguinẽ eiuſdem re-
præſentabit, ex quo quiſquis bibit, dicitur ex Chriſto ipſo bibere. Atenim, dices, non le-
gimus apud Moſen hunc riuum perpetuò comitatum fuiſſe Iſraelitas. Fateor quidem
hoc non extare apud Moſen totidem verbis ſcriptum: ſed neque is etiam Iannem & 2.Tim.3.8.
Mambrem nominat, quorũ tamen nomina extant apud Paulum. Deinde præterquam
quòd ipſa hiſtoriæ probabilitas videtur flagitare vt credamus, nec Iſraelitas in arido
deſerto verſantes temerè ab hoc riuo diſceſſiſſe, nec riuum etiam ſubitò illos deſtituiſ-
ſe: conſentit cum Paulo vetus Hebræorum auctoritas, qui quod alibi apud Moſen ſcri- Num.21.17.
ptum eſt de puteo aſcendente, non aliter interpretantur. Poſtremò videnint qui ad v-
num Chriſtũ hæc referri volunt, quomodo verbum ἀκολουθεῖν Chriſto duci ac præeun-
ti conueniat. Neque enim qui aliis dux eſt, ἀκόλουθος dici poteſt. Expedias igitur hos
nodos. ſin minus, aut veritati aſſentiare, aut peruicaciam quam aliis imputas ipſe tibi
retineto.

Superſunt autem adhuc duo in hoc eodem capite. Tandem enim fateris ipſa vi veri-
tatis coactus, petram illam ex qua in deſerto effluxit aqua, fuiſſe Chriſti figuram. *quod,*
inquis, *non conuenit iſti Pauli loco. ſed ex aliis Scripturæ locis conſtat.* Duo igitur hîc no
bis demonſtra: vnum, cur Paulus prætermiſerit quod maximè dictum oportuit: alterũ,
quinam ſint illi Scripturæ loci ex quibus id conſtet. Tandem verò audacior factus ne-
gas hunc locũ pro nobis facere, etiamſi non aliter intelligatur quàm poſtulamus. *Nam,*
inquis, *nihil amplius obtinebitis quàm ſignum præſentis Chriſti fuiſſe, quem Patres fide*
ſpiritualiter perceperunt. Nos igitur quod veritatis vi ſuperatus concedis arripimus, &
neceſſe iam eſſe dicimus vt duo nobis cõcedas: vnum, non eſſe (ſicut adhuc feciſti) ſim-
pliciter reiiciendam expoſitionẽ verbi EST pro Significat: alterum, hoc ipſum verbum
EST pro Significat, in ſpiritualis præſentiæ modo vſurpatum eſſe à Paulo. Quòd ſi ſatis
fuit Patribus ad ſalutem, fide (quãuis nondum natum) verè præſentem Chriſtum ſpi-
ritualiter percipere (vt totidem verbis confiteris) quo iure deinceps contendes nobis
non ſufficere, ſi eundem iam natum, quãuis diuerſis ſymbolis & ampliore reuelatione
ac efficacia, ſimili ratione percipiamus?

Ad Caput VII, *De verbis Chriſti, Ioannes eſt Elias.* Matth.11.14.

Hoc Chriſti dictum quum non aliam ob cauſam citemus quàm vt oſtendamus ver-
bum EST non ſemper propria ſignificatione cõiungere prædicatũ cũ ſubiecto, abundè
te reſpondiſſe putas ſi exceperis EST pro Significat nõ accipi hoc in loco. Atqui vt pro
Significat non accipiatur, nunquã tamen euinces propriè ſubſtãtialiter Ioannẽ dici E-
liã eſſe, quũ ſint duorũ indiuiduorũ nomina Elias & Ioãnes: & manifeſtè oſtendãt Chri
ſti verba, Eliæ nomen nõ alia ratione Ioanni tribui quàm quòd Eliam virtute & ſpiritu
referret. Obtinemus ergo quod vnum volumus, nẽpe quũ verbum EST de ſola etiam
qualitatũ ſimilitudine dicatur, nõ ſatis firmo argumento niti qui vt probẽt carnẽ Chri
ſti vel in, vel cum, vel ſub pane ſubſtantialiter eſſe, nihil aliud quàm voculã illam nobis
obiiciũt: neque ſtatim pro incredulis & hæreticis habẽdos qui ex locorũ Scripturæ col
latione conantur verã eius interpretationem elicere. Neque enim tam vnquam inepti
fuimus vt verbum EST in hoc ſermone accipi pro Significat ſentiremus.

Ad Caput VIII, *De verbis Domini, Ego ſum vitis vera.* Ioan.15.1.

Hunc etiam locũ idcirco citamus vt probemus non ſemper retinendũ eſſe τὸ ῥητὸν, ſed locum eſſe tropis etiam vbi verbum ὑπαρκτικὸν vſurpatur, quum in hac ſententia tralatitiè ſumatur vitis nomen, nempe non ſubſtantiæ, ſed certæ qualitatis ac proportionis ratione, & tamen Chriſtus vitis eſſe dicatur, vt alibi lux, via, oſtium, agnus. Tu verò rurſus ad tuum Significat relaberis, quaſi EST per Significat in eiuſmodi ſententiis interpretandum dicamus, quod tamen nobis in mentem non venit.

Quid in verbu S. Cœnæ Corpus ſignificet Sacramentariis. Cap. IX.

Corporis & ſanguinis nominibus nihil aliud à nobis intelligi quàm illud ipſum naturale corpus Chriſti quod pro nobis fuit cruci affixum, & verum illum ſanguinem pro nobis effuſum, quarum rerum vera & certa ſint ſymbola panis & vinum in Cœna Domini, millies à Caluino & aliis doctis ac piis noſtrarum partium hominibus fuit inculcatum. Iſta verò tibi non ſatisfaciunt. Itaque primùm omnium quoſdam locos citas ex D. Zuinglii libris iampridem editis in ipſo infœlicis illius contentionis feruore, in quibus modò carnem interpretatur Diuinitatem, per allœoſin, modò corporis nomine intelligi ſcribit mortem aut paſſionem. Quorſum autem hæc, quum non ignores quàm multa tunc temporis vltro citróque ſcripta ſint, quæ ſcriptores ipſi poſtea multo planius ac certius explicarint? Quaſi verò ſi in ſingula D. Lutheri ſcripta liberet inquirere, non ibi plurima inuenias quæ nulli magis quàm ipſi poſtea diſplicuiſſe non dubitamus. Neque nos ſanè te velimus in ea re imitari, & præſtantiſſimi viri ſingula ſcripta excutere, vt eũ vel leuitatis vel ignorantiæ arguamus. Imò potius iſtiuſmodi poſtea planius explicata, & in aliis quibuſuis libenter præterimus, & in nobis optamus vt æqui lectores, quoad eius ferre poteſt religio & charitas, præciſè non vrgeant. Et tamen ne iſta quidem ſunt eiuſmodi quin commoda interpretatione liniri poſſint. Quorſum enim D. Zuinglius carnem pro Diuinitate interpretatur eo in loco vbi caro Chriſti dicitur viuifica, niſi vt eã vim non aliter doceat à carne proficiſci quàm quia Diuinitas ei eſt vnita? Diuinitatis enim proprium eſt viuificare. Item quum paſſionem ac mortem intelligit corporis nomine, corporis certè ſubſtantiam ſimpliciter & omnimodo non tollit, ſed à nobis conſiderandum corpus oſtendit quatenus pro nobis paſſum eſt ac mortuum, vt nobis viuificum fiat, ne quis videlicet connexionem ſubſtantiæ & fructus diſcerpat tuo more, qui putas ab impiis etiam ſumi corpus. Eſt enim is profectò optimus ſui interpres, qui in Cõfeſſione ad Carolum diſertè teſtatur, *ſe credere in Cœna Domini verum Chriſti corpus adeſſe, hactenus quidem vt fidei contemplationi ſit veluti præſens, quod corporaliter eſt in cœlis*. Sed & idem in Confeſſione ad Regẽ Franciſcum multo expreſſius: *Chriſtũ*, inquit, *credimus verè eſſe in Cœna, imò nõ credimus eſſe Domini Cœnã niſi Chriſtus adſit*. Et mox, *Aſſerimus*, inquit, *non ſic carnaliter & craſſe mãducari corpus Chriſti, vt iſti perhibẽt. ſed verũ Chriſti corpus credimus in Cœna ſacramentaliter* (id eſt, ſumpto panis ſymbolo) *& ſpiritualiter*, (id eſt, non dentibus vel ore, neque naturali modo, ſed fide & Spiritus ſancti virtute) *edi à religioſa, fideli & ſancta mente* Hæc ſunt ipſius Zuinglii verba: quibus quum altera illa planè poſſint explicari, cur tãdem illa citaſti, niſi quòd verereris ne non ſatis eſſet incendii, ſi ſopitos cineres placidè in Domino quieſcere potereris?

Aggrederis deinde ſcriptum cuiuſdam qui ſe nominari noluit, in quo vir ille, quiſquis fuit, magnum ſanè pacis ſtudium & multam doctrinam oſtendit. Verùm quid tandem apud te profecit? Nempe vt crabrones irritaſſe videatur. Sed ei profectò, quiſquis eſt, non deerit patronus, opinor, quum veritatem tueatur. Succedit Iohannes OEcolampadius, homo cuius & pietatem & eruditionem nemo vnquam non magni fecit, niſi vel qui nunquam illum nouit, vel qui fuit ipſe omnis pietatis & eruditionis expers. Illum clamitas maluiſſe in corporis nomine quàm in verbo EST tropum conſtituere: (triumpharas autem antea quòd diceres nos pro corpore ſubſtituere figuram corporis) quod vt probes, vnum duntaxat OEcolampadii locum proferre potes, in quo vir ille tale quiddam dicit. Nempe quia non intellexiſti etiam quum hæc verba, *Hoc eſt corpus meum*, dicimus idem declarare atque, Hic panis eſt ſymbolum vel ſignum, vel figura corporis (quæ tamen vocabula poſtea ſolemus diligenter explicare) nos etſi verbũ EST retinemus, tamẽ non mutare prædicatum, ſed declarare qua ratione corporis prædicatum ſubiecto panis tribuatur. Neque enim hæc inter ſe differunt, Panis verè figurat corpus: &, Panis eſt vera corporis figura. Concidit igitur quod toties inculcas, nos pro Corpore ſubſtituere figuram, typum, vmbram, ſpectrum, phantaſma corporis. Nam vt vno verbo tranſigam, ſi ita loqui piaculum eſt, cur non ipſum etiam Auguſti-

Auguſtinum apertè coarguis ſacrilegii, quòd Chriſtum teſtetur dixiſſe, Hoc eſt corpus meum, *quum ſignum daret corporis ſui?* Et alibi, *Non hoc corpus comeſturi eſtis quod videtis, nec ſanguinem bibituri quem illi effundent.* Cur non inter errata Tertulliani hoc etiam reponis quòd apertè interpretatur, *Hoc eſt corpus meum, id eſt, figura corporis mei?* Cur non Origenem hoc etiam nomine accuſas quòd manifeſtè dicat, *panẽ quem Deus Verbũ corpus ſuum eſſe fatetur, Verbum eſſe nutriens animas?* An quia ex aliis locis iſta commodè explicantur? Quaſi verò noſtri quoque abundè ſacramentalem ſignificationem non declarent. Tandem verò ad Caluinum accedis, & eum teſtaris verbis quidem videri Corpus Chriſti ſtatuere pro re Sacramenti, ſed reuera tamen virtutem Chriſti, non ipſum Chriſtum ab eo poni in Cœna Domini. Cedò verò vnde hoc elicis? Nam te non puduit locos citare in quibus affirmat Caluinus non aliud corpus quàm quod in cruce oblatum eſt, veram propriámque corporis & ſanguinis ſubſtantiã, non fallax nec imaginariũ, vel vmbratile corpus, ſed naturale illud, cuius ſacrificio in cruce expiata ſunt peccata, in Cœna dari.

Aug. contra Adimantum cap. 12. Idem in Pſal. 98. Tertul. lib. 4. aduerſus Marcionem. Origen. in Mat. cap. 26.

Sed, inquis, *de virtute & effectibus carnis Chriſti Caluinũ loqui, ex his apparet quæ ſcribit.* Quaſi verò qui virtutem illam viuificam Chriſti dicit ad nos ex Chriſti carne manare, carnis communicationem tollat, ac non potius oſtendat cur & in quem finem nobis cõmunicetur. Alibi dicit Caluinus, Dominum figurare panis ſymbolo carnem ſuam nobis cibũ eſſe, & verè intùs ſui Spiritus virtute præſtare quod oculis oſtendit. Qui hinc colligat, Caluinum pro re ſacramenti non ponere ipſum Domini corpus, ſed eius duntaxat virtutem, an videri poteſt mentis compos? Sed alibi negat Caluinus Chriſtum dediſſe cum pane idem corpus quod oculis aſpiciebant. Nempe hæc eſt tua conſequutio, Non datur corpus cum pane: ergo non datur. Alibi negat Caluinus ſubſtantialẽ præſentiam quam imaginaris. Hinc nectis firmiſſimam demonſtrationẽ, Caluinum excludere Chriſti ſubſtantiam à Cœna. Imaginaris enim realem & naturalem ſubſtantiæ Chriſti cum noſtra coalitionem, ac proinde cum tuo illo papa Nicolao (cuius te nõ pudet blaſphemiam approbare) cenſes ſenſualiter non tantùm ſacramentum, ſed etiam verũ corpus Domini, & ſanguinem Domini noſtri Ieſu Chriſti, manibus ſacerdotum poſt conſecrationem tractari, frangi (quum ne in cruce quidem à militibus fractum ſit) & fidelium dentibus atteri. Hoc qui negat, tibi eſt impius, etiam ſi verè cum Chriſto, qui in cælis eſt, nos in Cœna per fidem vnum fieri cenſeat Spiritus ſancti virtute, vt vitam æternam ex eo hauriamus. Sed bene eſt quod à re prouocare licet.

Denique ſomnias, *ſubſtantiam nihil aliud declarare Caluino quàm fundamentum & baſin rei, & id quod eſt principale ſeu cauſa, ſeu virtus, & vis: ſicut*, inquis, *ſolet accipi in prædicamentis.* Subiicis deinde, *Participem fieri Corporis Chriſti Caluino non aliud declarare quàm credere, & fide frui beneficijs Chriſti.* Quaſi verò inter beneficia Chriſti hoc non ſit veluti cæterorum fundamentum, quòd ipſe noſter fiat. neque enim fructus à fundo ſeparamus. Sed manducationem & Fidem apud Caluinum idem declarare, qua tãdem fide hoc in loco repetis, quum hæc paſſim à Caluino docendi cauſa diſtingui mox confitearis, & illum etiam hoc nomine mox accuſes? Quibus autem fretus argumentis? *quoniam*, inquis, *in Euangelio Iohannis 6, Chriſtus promiſcuè edendi, bibendi, & credẽdi vocabulo vtitur.* Quid ſi verò excipiamus, Dominũ iſta non vſurpare vt ſynonyma, ſed, vbi feciſſet edendi & bibendi mentionem, ſubiunxiſſe quo inſtrumento edi & bibi vellet? *Sed ita tamen* (inquis) *explicẽt etiam veſtrarum partium homines.* Fateor, neque nos ſanè in doctrina ab illis vel tantillum diſſentimus: ſed ſi docendi cauſa, accuratiore paulò diſtinctione vtimur, cur hoc nobis vitio vertatur? Fateris ipſe opus fidei eſſe percipere alimentũ carnis Chriſti. quę ſentẽtia etſi ſimpliciter à me, in te quidẽ, nõ admittitur, qui potius dicere volueris opus vnius fidei eſſe carnem Chriſti percipere: tamen ſi vera eſt, quantum abeſt ab eo vt teipſum tuo quod aiunt, gladio iugules? Neque enim opus ſeu effectum fidei & fides idem magis dici poſſunt, quàm manus & *ἀντίληψις*: ſiue manum extendere, & rem aliquam prehendere.

Poſtremò, quoniam ex te perpetuò obiiciẽte clara & perſpicua illa verba, *Hoc eſt corpus meũ*, quæſiuit Caluinus an etiã clariora ſint iis teſtimoniis quib⁹ nitebãtur Anthropomorphitæ: reſpondes, *eſſe etiam clariora. Nã*, inquis, *conſtat Deũ eſſe Spiritum, Chriſtũ autem eſſe hominem: vnde apparet illos locos figuratè eſſe accipiendos, iſtum verò propriè.* Ita igitur tibi licere vis locos illos, quantumuis ſimpliciter & apertè prolatos, tamen ex aliorum collatione explicare, nequa ſit diſcrepantia: idem autem vt faciamus,

v. ii.

in ſacramentis quidem teliquis cōcedis, in Cœna Domini minimè. Quamobtē? nempe quoniam tibi nō placet. Quū verò roties nobis exprobres quòd philoſophiæ & rationi ſenſus communis nimium innitamur, eôdem ipſe neſciens delaberis, narutā Spiritus claris vetbis opponens, non ſecus ac nos humani corpotis. Tandē vetò etiā perinde in nos excandeſcis acſi te vt Anthtópomorphitam accuſaremus: & vt conuitiū, quod nullum eſt, rependas, *Error eſt*, inquis. *ſentire Deum eſſe corporeū: verùm non minus errat qui ſentit Filium Dei non verè carnem aſſumpſiſſe, & illam non dare in Euchariſtia.* Quæ hæc verò calumnia eſt, eos vt phantaſticum Chriſto corpus tribuentes accuſare, qui, ne carnis veritate Chtiſtum ſpolient, nec in, nec cum, nec ſub pane, nec alibi quàm in cælo, quod ad humanitatem attinet, quærendum illius corpus eſſe ſtatuunt? Videris autem ipſe potius quàm propè hæc abſint à Marcionis, Valentini, Eutychetis, & aliorū eiuſmodi mōſtrotū delirio, quæ tuus Pythagoras diſertè ſcripſit, *Chriſtum eſſe ſimul in pane definitiuè & repletiuè ſupernaturaliter in cælo: & Chriſti, etiam quatenus homo eſt, plena eſſe omnia.*

Ad Caput XI, *De indignis & malis Chriſtianis, ſoláne ſymbola, an verum corpus Domini accipiant.*

Decimum caput & aliquot alia prætetea in eo conſumis vt Auguſtinum in tuas partes pertrahas: quæ omnia ſimul à nobis vno loco explicabuntut. Sic enim faciendum eſſe ſtatuo, ne tuo more omnia confundamus. In vna igitut parte iſtius capitis probas id quod minimè negamus, vtilem eſſe hanc quæſtionem, Quid ſumant infideles in Cœna Domini. Sumi autem rem Sacramenti, id eſt, cotpus & ſanguinem Domini etiam ab iis qui indignè accedunt, id eſt (vt vno verbo dicam) abſque fide, duplici argu-
1.Cor.11.29. mento ptobas: nempe, quòd qui ἀναξίως edunt ex hoc pane & bibunt ex hoc poculo, dicuntut apud Paulum iudicium ſibi edere ac bibere, non diiudicantes cotpus Domini. Deinde, quoniam obiicimus Chriſti corpus ſpoliari vi ſua viuifica niſi eos omnes viuificet quibuſcum coniungitur, reſpondes, *nos non expendere, Chriſto etiam vt homini datum eſſe omne iudicium, tum ad ſeruādum fideles tum ad iudicandum incredulos.* Egregia profectò teſponſio. Quis enim eſt qui neget indignè accedentes ad Sacramentum, ſibi iudicium ſumere, & Chriſto datum eſſe omne iudicium? Sed hoc quæritut, an, vt nō diiudicetur corpus Domini ab infideli, & condemnetur aliquis à Domino, oporteat Chriſtum percipi, ac non potius ſiue ſine ſymbolo, ſiue adiuncto ſymbolo oblatum repudiari? quanuis quum additur ſymbolum, quo maior elucet Dei benignitas, eo fœdiot eſt contemptus, & ſeuerius iudicium. Quid autem ad alia plutima & fitmiſſima argumenta, quibus prætetea vtimur, reſpondes VVeſphale? Vno vetbo omnia abſoluis, reſpondens quidem cutioſas eſſe omnes noſtras quæſtiones, ſed nihil ptobans. Inde delaberis ad noſtras lacetandas Eccleſias, *Quoniam*, inquis, *admittunt ad communionem non exploratos, non pronuntiata priuata abſolutione.* Ex his duobus criminibus prius quid attinet plutibus refellete? Certè cuiuis notum eſſe poteſt quanta in hac vrbe Geneuenſi diligentia à Miniſtris verbi & ab ipſo quoque piiſſimo Magiſtratu adhibeatur, nequis ignotus, nequis puer aut puella, niſi ptæeunte fidei profeſſione, ſicuti par eſt, nequis denique flagitii vllius conuictus (niſi Eccleſiæ, quum opus eſt, ſatisfecerit) ad Cœnam admittatut. Viget enim hîc excommunicatio, quæ ſaltem craſſæ ptofanationis, quàm falſò nobis obiicis, aliquod remedium eſt. De altero, id eſt, de neglecta ptiuata abſolutione, alibi à nobis dicetur. Tantùm nunc dico, diligenter in noſtris Eccleſiis & publicè omnes, & priuatim ſingulos qui vel coram Miniſtro, vt modò dixi, fidei rationem edunt, vel etiam priuatim ad Miniſtrum volunt accedete, in pœnitentiæ, fidei ac temiſſionis peccatorum doctrina confirmati. Singulis autem hoc onus imponete, vt quoties Cœna Domini peragitur, toties à Miniſtro ptobentut, ac priuatam abſolutionem accipiant, nec poſſimus, nec ſanè velimus.

Ad Caput XII, *De vocabulis Carnale & Spirituale, Corporaliter & Spiritualiter.*

Malè te habet VVeſphale, quòd te dicamus carnalem Cœnam facere, carnali modo fingere votari Chtiſti carnem, carnaliter intelligete, carnalitet Chriſti corpus edere. Cauſa autē cur ita loquamut, non ea eſt quā confingis, quaſi videlicet negemus carnem Chriſti in Cœna omnibus verè offerri, & à fidelibus verè petcipi, vt vnū facti cum Chriſto, vitam æternam inde hauriant: non, inquam, idcirco ita loquimur, ſed potius quoniā tibi non ſatis eſt nos veti corporis & veri ſanguinis Chriſti fieri patticipes per fidē in Cœna Domini, niſi ipſum quoque corpus ſtatuamus cum pane copulari, vt quāuis

inuiſi-

inuiſibili,tamen reali,ſubſtantiali, corporali denique modo primùm quidẽ caro Chriſti cum pane,ſanguis cũ vino:deinde verò & panis iunctus corpori & ſanguis iunctus vino nobiſcum coniungantur:vt quod ad ipſam coniunctionem & perceptionẽ attinet, hoc vnum interſit inter corpus & ſanguinem,panem & vinum,quòd iſta ſunt viſibilia oculis noſtris,illa verò inuiſibilia. Hinc illa vbiquitas, hinc illa fides quæ monet vt Chriſtũ habere vetũ corpus ac proinde finitũ credamus,quod tamen omnia impleat, & præterea definitiuè ſit in pane,non circumſcriptiuè. Nos igitur quibus tandem verbis opinionem iſtã declarabimus,ſi non permittis vt Scripturæ more Carnale Spirituali opponamus? Eſt tamen ambiguũ,fatemur,& Carnis & Spiritus nomen,ſed meliora tamẽ vocabula,quod ſciam,certè non habemus. Quòd autem ludis in his vocabulis, & modò contendis præſentiam qualem conſtituis,dici tamen ab effectu ſpiritualem, quoniam caro ſic etiam ſumpta ſpirituales homines facit,nos id omne facilè tibi concedimus,qui carnem Chriſti verè induis Spiritus natura,quum illã inuiſibilem facis: interim tamen tecum fatemur ſpirituale eſſe alimentũ,quod ex ſeſe Chriſtus in mẽbra ſua ſpirat. Quæris,an audeamus dicere Chriſtum carnaliter ex Maria natum eſſe, quoniam ex Maria veram carnem aſſumpſit. Nos autem rogamus viciſſim, an illum auſis dicere ſpiritualiter natum,quatenus ex vtero prodiit vera carne indutus. Clamitas nos Spiritum opponere verbo,& multa in hanc partem diſſeris de Spiritu & litera. Nos verò cur defendamus quod nunquam nobis in mentem venit? Poſtea redis ad veterem tuam cantionẽ, & nos potius carnales eſſe dicis, q̀ à ratione & ſapientia humana pendeamus. Verùm quis æquus iudex hoc tibi vel iurato credat? In eo verò planè te argutũ oſtẽdis quòd ita argumentaris. *Chriſtus*,inquis,*non propterea carne caruit quòd Petrus eum ederit ſpiritualiter: ita non propterea tollenda eſt corporis Chriſti manducatio quòd ſit ſpiritualiter manducandum.* Sanè aſſentimur. Neque enim ſpiritualis manducatio veritatem corporis tollit. Sed ſi Petrus ex tua opinione corpus Chriſti ediſſet, ſanè non magis habuiſſent Iudæi quod crucifigerent, quàm haberet quiſpiam quod ederet, qui omni abſumpto cibo vltimus accumberet. *Abraham*, inquis, *Chriſtum vidit ſpiritualiter per fidem: inde haud ſequitur Simeonem non vidiſſe corporaliter.* *Item*, inquis, *quia Simeon vidit Chriſtũ ſpiritualiter,ideo non debet negari quin viderit,& in vlnis portauerit corporaliter.* Rectè ſanè. cur enim naturaliter etiam præſentem fide quoque non complecteretur,quum naturaliter etiam abſentem liceat ſimili modo,id eſt,fide percipere? Itaque quis tandem te non putet præuaricari?

Quid amplius? *Verbum Euangelij*,inquis, *ſpiritualiter,id eſt,fide eſt recipiendum: nec tamen tollitur corporalis auditus.* Quid inde conficitur? *etiamſi corpus Domini per fidẽ ſpiritualiter percipitur,minimè tamen corporalem manducationẽ tolli.* Rectè profectò,ſi probaris quod aſſumis,& de quo quæritur,nempe Chriſti corpus nobis nunc quoque præſens eſſe,vt eſt Patris verbi prædicati ſonus,quod natura veri corporis nõ patitur, & proinde tota Scriptura negat,quæ vetum corpus Chriſto tribuit, Deitati quidem vnitũ,ſed tamen corpus. Iam verò quum non idem ſonus, ſed tantùm ſimilis poſſit diſiunctiſſimis locis ſimul audiri,cur idẽ corpus infinitis locis conſtituis,ac non potius, vt valeat ſimilitudo,noua corpora Chriſti prioribus ſimilia ſingulis momentis fabricas?

De ſacramentali & ſpirituali manducatione. *Cap.* XIII.

Quum ais multum laborare te vt quæ confuſè & perturbatè dixit Caluinus in ordinem digeras,quàm verè ita loquaris,ex re ipſa iudicium fiat. Controuerſiæ hæc ſumma eſt. Sacramentalem manducationem eſſe arbitraris, dum increduli, ſine fide, ſine vllo pietatis ſenſu,Chriſti corpus ſibi ſumunt cum pane in iudicium: ſpiritualem verò, vbi præterea accedit fructus,in iis videlicet qui fidem afferunt. Hoc reprehendit Caluinus,& quidem optimo iure. Sic enim in illa tua ſacramentali manducatione,res coniunctiſſimæ diuelluntur, id eſt, corpus à vi ſua ſpirituali & viuifica, ſiue corporis manducatio à vitæ perceptione. Itaque ſacramentalem illam ruam manducationem nihil aliud eſſe dicimus quàm Chimæram. quum potius definire oportuerit, nudè ſacramentalem eſſe manducationem, in qua etſi non nudus panis datur, ſed præter panem qui præbetur à miniſtro ex Domini inſtitutione, Chriſtus quoque vetum ſuum corpus fide ſpiritualiter percipiendum offert, id eſt, in qua etſi totum ſacramentum datur, tamen, re ſacramenti repudiata, ſolum ſymbolum ſumitur. Id autem qnoties accidit (accidit verò quoties vera fides ad actionem Cœnæ non affertur) toties, qui hoc ſcelus committit, reus eſt corporis Domini, non quod ſumpſit (neque enim

ſumpſit)ſed quod non diiudicauit,ac proinde aſpernatus eſt. An nunc intelligis ſatis perſpicuè non modò quæ noſtra,ſed etiam cuiuſmodi tua ſit ſententia? Audiamus ergo quomodo noſtram oppugnes,tuam defendas, *Quis*,inquis,*patietur ſacramẽti definitionem reſtringi ad ſolam externã panis manducationem?* Quæſo verò lector,quis æquo animo ferat eum in quoquam,nedum in Caluino lucem requirere qui tam obſcurè loquatur? Quid enim illud eſt,definitionẽ reſtringere ad manducationem? Sed coniicio quid tibi velis. Putas,niſi ſemper cum pane corpus,cum vino ſanguis ſumatur, diuelli rem à ſigno,ac proinde ſic perire ſacramẽti definitionem,quæ poſtulet vt res cum ſigno copulentur. Quaſi verò idem ſit ſacramentum definire,& de ſacramenti perceptione quærere: aut quaſi valeat hæc conſequutio, Semper Dominus in Cœna offert ſacramẽtum, id eſt,rem cum ſigno: ergo quicũque ſumit ſignum, eum etiam oportet rem ipſam percipere. Vbi igitur vitium? nempe in eo quòd tuo more idipſum aſſumis de quo controuertitur,nempe rem ſacramenti vnà cum ſymbolo realiter eſſe copulatam, vt vtrunque manibus & ore,illa quidem inuiſibiliter,iſtud verò viſibiliter ſumatur. Nos autem rem ipſam dicimus non alibi eſſe quàm in cælis, ſigna verò rerum in terris: & tamen locorum interuallum non impedire quo minus ſigna & res verè coniuncta ſint ex Domini inſtitutione, quatenus videlicet panis & vinum non dantur alimenti corporalis cauſa, ſed vt figurent externis ſenſibus verum illud corpus & verum illum ſanguinem, quæ non minus verè offerat è cælis Dominus nobis per fidem ſpiritualiter apprehendenda & communicanda,quàm verè oculis,manibus, & ore ſacra ſymbola per miniſtrum ſuũ nobis videnda,tangenda,& accipienda præbet. Ex eo verò effici dicimus, vt ſacramenta quidem nunquam deſinant ex ſigno & re conſtare,quum verè ſemper offerat Dominus quod verè figurat tum fidelibus tum infidelibus: ſed tamen ab infidelibus non magis percipi poſſit res ipſa, quàm fieri poteſt vt cibo veſcatur qui nec os nec dẽtes habet. Non ſtabit igitur tua concluſio,nos ſeparare quæ verbum Dei coniungit, niſi prius probaris ex Dei verbo carnalem illum coniunctionis modum,quem tu quidem ponis, nos verò non poſſumus exiſtimare vel neceſſarium eſſe ad hoc vt ſua ſacramentis dignitas conſtet,vtque verè capiti ſuo membra vniantur,vel cum corporis Chriſti veritate cohærere poſſe. Quòd ſi aliter quibuſdam placet,fruantur ſanè ſuo ſenſu. Nos verò interea quo iure ſimus hæretici,qui nihilo minus quàm illi noſtram cum Chriſto veram communicationem in Cœna Domini tuemur?

Subiicis paulò pòſt, *Caluinum,vt corporalem manducationem excludat, eo argumento pugnare,quòd communis ſenſus repugnet.* Atqui non commemorat Caluinus communẽ ſenſum,ſed pietatis ſenſum,vt inficiari non poſſis te hac in parte falſarium eſſe. Pietatis autem ſenſum ſi non admittis pro interpretationis regula,quid tandem admittis? Sed largiamur quod falſò comminiſceris ſcriptũ fuiſſe à Caluino. Qua de re agitur? de craſſa illa carnis manducatione. nam alioqui ſpiritualem illam cum vero corpore Chriſti cõmunicationem,quanuis communem ſenſum longè exuperet, quis vehementius vrget quàm Caluinus? Craſſam igitur illam manducationem,etiamſi ſtatuatur inuiſibili modo fieri,tamen belluinam potius eſſe quàm humanam, nedum Chriſtianam, dicimus. Spectamus enim quid fiat, non quomodo fiat, ac proinde belluinum quiddam eſſe dicimus,hominem ab homine etiam inuiſibiliter comedi. Ideo etiam comedendi ac bibendi vocabula non propriè,ſed tranſlatitiè ſumi affirmamus, vt nimirũ ſignificetur neque verius neque certius in huius vitæ alimentum tranſire quod edimus & bibimus, quàm certum ac verũ eſt nos per fidem Spiritus aliter participes fieri veri hominis Ieſu Chriſti ad vitam æternam.

Si hoc negas,audi ſaltẽ cur Auguſtinus has locutiones nõ forma & modo inuiſibili, ſed figuratè ac tropicè interpretãdas ducat. *quoniã*,inquit, *alioqui crudele facinus præcipere tur. Grauius enim facinus eſt carnẽ comedere quàm occidere,& ſanguinẽ bibere quàm effundere.* Hæc igitur habeas de cõmuni ſenſu. Similes ſunt argutiæ quas ſubiicis. *Stomachoſè*,inquis,*Caluinus quærit quid proſit edere Chriſti carnẽ,ſi deſinit eſſe alimentũ.* Quid reſpõdes? *Simili*,inquis,*ratione quæret Caluinus quid proſit Chriſtus ſi multis paſitus ſit in ruinã.* Egregia ſanè ſimilitudo: quaſi Chriſtus ſit poſitus in ruinã iis à quibus ſumitur,ac nõ iis potius à quibus reiicitur. Ideo ad aliã reſponſionem tranſis, N*on deſinit*,inquis,*eſſe piis alimentũ,etiamſi caro eius nihil proſit,imò abſit incredulis.* Promptũ certè reſpõſum: quaſi videlicet quærat Caluinus quid fidelibus proſit Chriſti caro, ſi incredulis nihil prodeſt: ac non potius quid proſit incredulis,ſi eos non paſcit. Adiuuemus ergo te,& te

Aug. contra aduerſ. Leg. & Proph. lib. 2. cap. 9.

ſpondea-

ſpondeamus nihil prodeſſe,ſed potius obeſſe, idque eorum culpa. Sed iam oſtende carnem Chriſti iis obeſſe qui fiunt eius participes,ac non iis potius qui oblatam reiiciunt. Verùm de iſtis plus ſatis. Nam quæ ex Auguſtino aſpergis,ſuo loco explicabimus.

Ad Caput XIIII, *De re & veritate ſacramenti S. Cœnæ.*

In hoc capite libenter idem omnibus perſuaſeris quod millies iam repetiiſti, nempe rem ſacramenti non ſtatui à nobis verum corpus & verum ſanguinem Chriſti,ſiue ipſum Chriſtum,ſed ipſum ſacramenti effectum duntaxat, hoc eſt,viuificæ ipſius virtutis perceptionem. Atqui ſicut fatemur nos illam ſubſtantiarum commixtionem non agnoſcere,ita etiam falſò nobis tribuis quòd Chriſtum ipſum à ſuis donis ſeparemus,quaſi nos non oporteat ipſi in primis vniri:vt iam ad faſtidium vſque declarauimus. Ipſe verò quid rei tandem externis ſymbolis adiungis? *Interdum*,inquis,*res & veritas ſacramẽti ſignificat verum corpus & ſanguinem Chriſti:interdum verò effectum, virtutem & gratiam ſacramenti.* Nos autẽ in hac deſcriptione multa reprehendimus. Primùm enim ſeparas quæ indiuiduo vinculo ſunt ſemper cõiuncta,nempe Chriſti corpus & ſanguinẽ à viuifica ipſorũ virtute. Nam ſi hæc nõ ſeparas,nulla certè hîc eſt diuiſio, ſed vnius membri diſtinctio.vt nullus hîc ſit locus particulæ Interdum,ſed potius copulantem particulam adhibere debueris. Deinde vitioſa eſt iſta diuiſio,etiamſi ſententiam tuam ſequamur. Fatearis enim neceſſe eſt, quod ad fideles ſaltem attinet, vtrunque membrum in vnum coire. Itaque,vt iuſta eſſet diuiſio,ita potius ex Dialectices legibus, quas eum tenere oportet qui nihil niſi demonſtrationes polliceatur, fuit conſtituenda, Rem & veritatem ſacramenti eſſe corpus & ſanguinem Chriſti, quæ interdum quidem ſumantur ad iudicium,interdum verò ad gratiam. Sed prius illud membrum quomodo tandem probabis? Nam quod affingis Auguſtino,ſuo loco ita refutaturum me ſpero vt nullum in in ea ſubſidium tibi reliquatur. Poſtremò quum dicis interdum veritatem ſacramenti eſſe effectum,& virtutem & gratiam ſacramenti, ánnon illud ipſum committis quod falſò nobis vitio vertebas,nos videlicet rem ſacramenti cum effectu confundere?

Ad Caput XVII, *De modo edendi corpus Chriſti.*

Siquis ex nobis roget quomodo Chriſtum edamus ac bibamus, vel quum ſimplex Domini verbum nobis proponitur, vel quum verbum ſacramentis quaſi veſtitur: reſpondemus in primis, ſi de ſimplici verbo dicantur edendi & bibendi vocabula,tranſlatitiè dici,vt quàm ſignificantiſſimè exprimatur, ſicut cibo & potu refecti caducam hanc vitam viuimus,ita vnum Chriſtum, Chriſtum, inquam,ipſum cum ſuis donis noſtrum fieri,& nobis vitam æternam ſuppeditare. Sin autem dicantur de verbo cui adiungantur panis & vini ſymbola, tum hæc vocabula propriè dici de ſignis ipſis,metonymicè verò rei ſignificatæ tribui,vt ſacramentalis communicationis veritas eo melius exprimatur. Deinde hoc poſito,reſpondemus,quod attinet ad cauſam efficientem, nos virtute Spiritus ſancti verè cum Chriſto vnum fieri,ſicut verbum nuntiat & ſacramenta verè figurant. Quod autem attinet ad cauſam inſtrumentalem, ſola fide id fieri dicimus:quoniam ſicut incredulitas Chriſtum oblatum reiicit, ſic ſola fides tanquam manus accipit. Quòd ſiquis pergat interrogare qui hoc efficere poſſit vel Spiritus ſanctus vel fides,quum Chriſti caro & ſanguis ſint in cælis, nos autem in terris, non confugimus ad verba philoſophica,definitiuè,vel ſupernaturaliter locum implere, neque diſputamus de glorificati corporis dotibus, neque ex vnione naturarum facimus confuſionem:ſed dicimus,quanuis Chriſti verum corpus reſideat in cælis & à nobis hac ratione ſit abſens,ſicut ex Scripturis liquet, nos tamẽ non dubitare quin verax ſit Dominus; ac proinde quin tam verè membra ſuo capiti vniantur ſpiritualiter & per fidem,(cui nihil eſt ἀδύνατον)quàm verum eſt ſymbola naturali modo nobiſcum communicari. An hoc eſt verò curioſè Dei arcana ſcrutari? Neque tamen, quum hæc dicimus,aut ſacramentorum vſum reddimus ſuperuacaneum, aut nudum ac ſimplex verbum ſacramentis exæquamus. Et ſi enim neque alius Chriſtus, neque alia per ſe communicatio, neque alius Spiritus, neque alia fides in ſimplici verbo quàm in ſacramentis à nobis conſideratur,fatemur tamen quod res eſt,quum id quod nobis per verbum annuntiatur & offertur, præterea expreſſis etiam ſymbolis ex Domini inſtitutione ac mandato quaſi externis noſtris ſenſibus ſubiicitur, Dominum multo apertius, ac etiam (niſi noſtra perfidia Dei bonitati omnem aditum præcludat) multo efficacius quàm per ſimplex verbum,fidem noſtram commouere,ac proinde arctius ſeſe nobiſcum magis ac magis coniungere. Denique arbitramur coniunctionẽ noſtram cum Chriſto quæ in ſimplici ver-

bo fit,à ſacramentali non niſi ſecundùm plus& minus, quod aiunt, differre. An hoc verò eſt ſacramentalem coniunctionem vel tollere vel eneruare? Dicimus autem quæcunque in ſacris literis de veritate corporis Chriſti,de Spiritu & ſpirituali vita, de fide, de verbo,de ſacramentis dicuntur,nobiſcum facere,ipſúmque adeò totius veteris Eccleſiæ conſenſum. Neque enim Chriſti verba Ioan.6,(vbi tamen de ſimplici verbo per fidẽ apprehenſo diſſeritur)minus expreſſa putamus,ſi noſtram cum Chriſto cõiunctionem generaliter ſpectemus,quàm illa ſacramentalia. Nec minus expreſſè dicit Paulus nos in Baptiſmo Chriſtum induere, cum Chriſto ſepeliri & reſurgere, in vnum corpus
Gal.3.27. Rom.6.4. Col.2.12. 1.Cor.12.13. 1.Cor.10.16. baptiſari,quàm alibi teſtatur panẽ quem frangimus eſſe communicationẽ corporis Domini,& poculũ cui benedicimus eſſe cõmunicationem ſanguinis Domini: quamuis iſta vt dixi,minimè inficiemur ſecũdùm plus& minus,quod ad efficaciã attinet,differre. Quid
Aug.in ſerm. ad infantes ad altare, de Sacr. autem Auguſtinus? Certè teſtatur credentes fieri per Baptiſmum corporis & ſanguinis Chriſti participes. Et Hieronymus ad Edibiã tradit nos in Baptiſmo corpore & ſanguine Chriſti veſci. Imò etiam expreſſius in tertium caput Eccleſiaſtæ, monet vtile nobis eſſe ſi corpore Chriſti ſaturemur,& cruorẽ eius potemus,non ſolùm in myſterio, ſed & in ſanctæ Scripturæ cognitione. Hæc noſtra eſt de carnis Chriſti eſu, & ſanguinis eius potu ſententia. Tu verò quid doces? Admittis quidem communicationem per fidem ac merè ſpiritualem, ſed quoniam putas in ſacramento Cœnæ Domini præſens corpus Chriſti re ipſa cum pane, præſentem ſanguinem re ipſa cum vino copulari, conſtituis ſecundum quendam ſacramentalem modum in quo corpus & ſanguinem Domini non ſit neceſſe in cælis quærere, ſed cum ipſo pane realiter accipere: adeò vt ſiue fidem afferas ſiue minus, quiſquis ſumit ſymbola, re ipſa ſumat quæ realiter etiam ſunt præſentia cum ſymbolis: quamuis qui fidem afferunt ſumant ad ſalutem, qui non afferunt ſumant ad iudicium. Denique corpus & ſanguinem nõ aliter vis ſumi in Cœna Domini quàm panem & vinum: ſi duo tantùm excipias, nempe quòd illa inuiſibiliter & integra ſine læſione ac contuſione, iſta verò viſibiliter ſumantur, ac fruſtulatim ſeu particulatim degluriantur. Ex his opinor ſatis apparere qua de re controuertatur, nempe non de Sacramenti materia (fatemur enim eam eſſe verum corpus & verum ſanguinem Domini) non de fine & effectu (concedimus enim idcirco dari ſymbola vt verè ſiamus participes eorum quæ verè figurant) ſed an hæc verba, Accipere, Edere, Bibere, propriè quidem in cœna Domini accipiẽda ſint de ſymbolis, tranſlatitè verò de rebus ipſis, quanuis non ſine maxima emphaſi dicantur: ſiue, an iſta manducatio ac potio ſpecie differat ab ea quæ tribuitur nudo Dei verbo: ſiue an non tantùm oporteat per fidem ſpiritualiter Chriſtum edere ac bibere, ſed etiam à nobis velit corpus ſuum ac ſanguinem intra noſtra corpora propriè & ſine tropo recipi. Ex hac autem quæſtione aliæ duæ naſcuntur. Vna, An incredulitas Chriſtum percipiat, ac non potius reiiciat. Altera eſt, non, vt calumnioſè dicis, an communis ſenſus, ſed, An Scriptura ferat vt dicamus Chriſtum, etiam quatenus homo eſt, omnia replere, & ſimul in cęlo & in terris eſſe. In his igitur probandis occupatum eſſe te oportuit, antequàm nobis ſtomachareris, quòd eum quẽ conſtituis ſacramentalem communicationis modum non admittamus. Sed tuo ſanè more facis, quum ea ipſa aſſumis de quibus controuerſia eſt. Id autem quum hoc præcipuè capite facias, in quo nihil aliud quàm in nos tanquã nuda ſymbola conſtituentes & curioſè arcana Domini ſcrutantes inueheris, fateor me nihil inuenire quod putẽ reſponſione egere. Placuit tantùm controuerſiæ ſummam exponere, in qua primùm omniũ rogo vt docti & moderati homines conſiderent ſitne ex earum genere propter quas nos damnari hæreſeos, religionem Chriſtianã periclitari, Eccleſias ſcindi oporteat. Deinde ſi quis nos à vero aberrare docuerit, auſim ego noſtrorum nomine duo polliceri: Vnum, nos ad expendenda illius, quicunque tandem fuerit, argumenta nullũ præiudiciũ allaturos quod impediat quo minus ſyncerè pro noſtro modulo omnia metiamur & expendamus. Alterũ, nos errore cognito, cuius ſanè nobis conſcii non ſumus, libenter veritatem amplexaturos, & magnam illi homini gratiam habituros.

Ad Caput XVIII, *De Capernaitis.*

Capernaitæ qui. Capernaitas vocamus, vt paucis dicã, qui in Edendi & Bibendi verbis nullã tranſlationem agnoſcunt. Hoc crimen à te ſic remoues, vt etiam in nos transferas. Putas enim Capernaitas non in eo hallucinatos quòd exiſtimarent carnẽ Chriſti verè ac ſubſtantialiter præſentem edi ac ſanguinem bibi, ſed quòd putarent iſta viſibiliter factum iri, & in fruſta conciſam carnem in ventriculum traiiciendam, quum iſtud fiat inuiſibiliter,

biliter,& caro Chriſti non laniertur,ſed integra edatur ſine iniuria aut læſione vlla. Profers autem, vt tuam interpretationem tuearis, Auguſtini locum vbi dicit Capernaitas exiſtimaſſe corpus Chriſti dentibus atteri,& ventre abſorberi:itémque Cypriani locum alterum,vbi ſcribit eos putaſſe fore vt carnem Chriſti vel aſſam vel elixam ſectámque membratim edere docerentur. Quaſi verò Auguſtinus primùm in genere non dixerit eos putaſſe corpus Chriſti dentibus atteri & ventre abſorberi:itémque Cyprianus, horrendum eis viſum eſſe ac nefarium carne humana veſci. Quod autem adiiciunt,qui is non videt ab eis additum per hypotypoſin,non autem vt ad vnam illam ſpeciem reſtringerent craſſam illam Capernaitarum opinionem? Sed quid attinet ex alio expiſcari quæ mens Capernaitarum fuerit, quum ipſos ita loquentes audiamus? *Quomodo* (inquiunt) *poteſt hic nobis carnem ſuam dare ad manducandum?* Quibus verbis nimium certè falleris, ſi exiſtimas eos non ſignificaſſe ſimpliciter ſibi horruri eſſe carnis eſum,ſed de modo edendæ carnis quæſiuiſſe. Itaque Chriſtus paulò pòſt declarans totum hunc ſermonem allegoricũ eſſe,quod ad eſum & potum attinet,non dicit fore vt re ipſa ſubſtantialiter quidem edatur,verùm inuiſibiliter & ſine læſione: ſed ſpiritualia hæc eſſe dicit, & ad aliud vitæ genus pertinere. Quamobrem etiam Auguſtinus, *Quid*, inquit, *os paras & dentes? crede, & manducaſti*. Quòd ſi Auguſtino eſt Capernaita qui cenſet carnem Chriſti dentibus atteri,quid tibi fiet qui Nicolao papæ aſſentiris? Nã disertè cenſet Nicolaus ille corpus Chriſti poſt conſecrationem, quam vocat, non tantùm ſacramento ſed in veritate manibus ſacerdotum tractari, frangi, dentibus atteri, ídque ſenſualiter. Neque eſt quòd tergiuerſeris,quaſi non putes Papiſticam illam Synodũ tam craſſè ſenſiſſe,ſed tantùm propter corporis præſentiam ei tribuiſſe quod propriè carni conuenit: aut excipias te non niſi conditionaliter Nicolai ſententiam approbaſſe. Nam manifeſtè in illis verbis diſtinguitur veritas à ſigno,& aduerbium SENSVALITER vtrique ſigillatim tribuitur. Noſti verò VVeſphale eum ipſum cuius multis eximiis virtutibus vtinam potius quàm hyperbolis delectareris, nullam addidiſſe exceptionem, quum optaret Papas omnes tam Chriſtianè egiſſe quàm Nicolaus papa cum Berẽgario in illa confeſſione egit. Agas igitur nobiſcũ VVeſphale ſimili fide, téque tam Capernaitã eſſe quàm Nicolaum papam fateare. Operæpretium autem eſt etiã audire quid cauſæ prætexas cur integrum Chriſtum edi oporteat, ac ita quidem vt dentiũ aciem effugiat. *Eſt enim*, inquis, *corpus Chriſti cæleſti gloria ornatum, immortale, & omnis paſſionis expers.* Itáne verò repẽtè à Nicolao papa deficere oportuit? Quid ſi enim exciperet, neque tũc fuiſſe glorificatũ quum primùm ipſe ſeipſum daret ſuis diſcipulis: neque nunc alia ratione Chriſtum ſumi, quàm tunc illius carnem ederunt & ſanguinem eius biberunt diſcipuli? Ego verò etiam hoc adderem, mihi videri nõ multo minus craſſè ſentire qui Chriſtum integrum & inuiſibilem ore deglutiri cenſent, quàm qui, antequàm deglutiatur, dentibus atteri volunt: quoniam omnia incommoda facilè vitant, quũ in qualibet parte ſymboli non minus quàm in toto ſymbolo integrum eum eſſe conſtituunt. adeò neceſſe eſt magis ac magis abripi in præcipitia qui ſemel à recto tramite deflexerint. Certè hoc mihi permirum accidit, exiſtimare te, parum conuenire Chriſti gloriæ ſi dicatur corpus eius dentibus atteri: qui dicere non verearis, quanuis ad iudicium, tamen non minus verè & integrè illum impiorum ore quàm fidelium percipi, ac proinde etiam impiorum corpori ingeri. niſi fortè vel tunc illum ſtatim velis euaneſcere quum ab impiis ſumitur, vel hanc abſurditatem quoque inter curioſas quæſtiones recenſere. Cauſas autem cur nos potius inter Capernaitas numeres, quid attinet refutare? ſcilicet quia carnaliter de hoc myſterio cogitamus vt illi, quum tamen nos fatearis corporeum præſentiæ modũ penitus negare, quem ipſe diffiteri non potes tibi cum Capernaitis aliquatenus eſſe communem. *Illi murmurabant*, inquis, *& vos quoque murmuratis*. Imò verò nõ mutmuramus, ſed apertè cum Angelis dicimus nos corpus Chriſti non alibi quàm in cælis quærere. Denique, vt ſemel omnia dicam, Capernaitæ non credebant, & nos non credimus, ſi tibi creditur. Ego verò concedo nos non credere quod tu cum Capernaitis credis. Nos autem eius incredulitatis meritò accuſari cuius rei fuerint Capernaitæ, nullus, opinor, ſanus homo tibi vel iurato crediderit.

Aug. in Pſal. 98. & ſuper Iohan. tractatu 25. & 27.

Iohan. 6. 63.

Aug. ſuper Iohan. tract. 25.

¶ *Ad Caput* XIX, *De argumento ſumpto à proprietate humani corporis.*

Inter cætera argumenta quibus vtimur vt oſtendamus carnem & ſanguinem Chriſti, quanuis verè nobis per fidem in Cœna Domini communicentur, tamen non alibi eſſe quàm in cælis, illud in primis aſſerimus: Quum teſtetur Scriptura corpus Domini

verè conſtare carne & oſſibus etiã poſt reſurrectioné,& cælo cõprehẽdi,videri quoque neceſſariò corpus Domini inuiſibile nõ eſſe,nec *ἀπερίγραπτον*,ac proinde multis ſimul locis contineri,aut potius vbique eſſe non poſſe. Huc argumentum cõuellere cõſtituiſti:ſed quàm validis argumentis? Primùm quereris tibi fieri iniuriam quum dicimus abs te tolli veritatem humani corporis. Atqui non ſcribimus te totidem verbis hoc dicere,ſed hoc affirmamus quod iterum hîc repeto,poni abs te antecedens ex quo illud neceſſariò conſequatur. Alioqui hoc tu nobis demonſtra,vnum & idem corpus veris dimenſionibus conſtans vbique eſſe poſſe. Nam vbique eſſe poſſe,affirmamus ne Angelicæ quidem naturæ,nedum humanæ,ſed ſoli Diuinæ eſſentiæ conuenire, & ita quidem vt hoc ſit eius proprium quarto modo, ſicut Dialectici loquuntur. Quòd ſi obiiciatur naturarum vniu,negamus procedere conſequutionem:quoniam ſic vnitas naturas fuiſſe ſcimus vt ſuæ cuique proprietates ſaluæ manſerint. Itaque non magis conueniunt humanæ naturæ quæ propria ſunt vni Diuinæ, quàm è contrario. Atque ſi dicere liceret corpus Christi eſſe vbique,liceret etiam (quũ non magis nec aliter ſit vnita natura humana cum Diuina quàm Diuina cum humana, & in morte ipſa non fuerit ſeparata Diuinitas à corpore) ſimili argumento dicere Deitatem Chriſti paſſam, mortuã,ſepultam fuiſſe,atque adeò reſurrexiſſe:quæ manifeſtè ſunt Eutychetis. Nam quòd dicitur
Iohan 3.b. Filius hominis in cælis fuiſſe iam tum quum alloqueretur Nicodemum,& Deus acqui-
Act.20.f. ſiuiſſe Eccleſiam ſanguine ſuo:& quòd dicitur Maria *θεοτόκος*,cæteráque eiuſmodi,cõtra nos non faciunt, duabus de cauſis. Primùm enim certum eſt hæc dici per *ἰδιωμάτων κοινωνίαν*,quæ reuera non eſt:(nam ſi reuera eſſet,id eſt,ſi quæ ſunt Deitatis propria, competerent te ipſa humanæ naturæ,aut è contrario,non eſſet vnio,ſed cõfuſio) ſed idcirco ſtatuitur vt intelligatur perſonæ vnitas. Deinde longè aliud eſt,vt docẽt Theologi,de concreto,vt ita loquar,quàm de abſtracto diſſerere. ex quo ſit vt dicatur quidem per *ἰδιωμάτων κοινωνίαν* Maria Deũ concepiſſe & peperiſſe, Deitatẽ verò non itẽ:& Filius hominis tum fuiſſe in cælis quum eſſet in terris,humana verò natura non item, ac ne caro quidem vel anima. Quòd ſi ad glorificati corporis dotes veniatur,primùm nego appoſitè hoc dici,quum ſatis conſtet tunc non fuiſſe corpus glorificatum, imò infirmiſſimum,quũ Dominus Cœnam ſuam inſtitueret: & mihi quidem abſurdum ac planè Origenicum videatur,vel ad diſpenſationem quãdam & *οἰκονομίαν* refugere, vel exiſtimare alio modo propoſitiones iſtas,Hoc eſt corpus meum,&,Hoc eſt ſanguis meus, tum veras fuiſſe quàm nunc ſint:quum præſertim abſque omnibus iſtis effugiis non deſinat vera eſſe noſtra cum carne & ſanguine Chriſti communicatio, qualem nos eam eſſe tradimus,& cuiuſmodi neceſſaria eſt ad ſalutem. Poſtremò illud certò ſcimus,aſcẽſionem non abſorpſiſſe corporis Chriſti naturam, ſed infirmitatem. Separentur ergo temporalia & caduca idiomata,vt dolere,pati,mori,atque adeò grauitas illa corporea: retineantur autem naturalia,vt habere corpus & animam, cutem, capillos,ſanguinem, carnem,medullas,oſſa,eáque neceſſariò finita & viſibilia. Itaque, vt paucis dicam, (& quidem eius verbis vtens ex cuius ſaltem ſcriptis quæ ſententia noſtra ſit prius diſcere te oportuerat,quàm illam adeò imperitè oppugnares,) fatemur totum Chriſtum, ſi perſonaliter, vt ita dicam,intelligas,eſſe vbique:non tamen totum quod eſt Chriſti,vbique eſſe concedimus. Vbicunque enim Filius Dei ſit,is nimirum eſt qui naturam humanam coniunctam habet.licet non vbicunque ipſe eſt,præſentem re ipſa illam faciat: quandoquidem neceſſe eſt ad eius veritatem (cui volens ipſe ſeſe ſubiecit) vt ſuis finibus circunſcripta ſit,& loco certo cõtineatur. Quamobrem etiam totum Chriſtum nobis in Cœna Domini offerri, & à nobis verè fide & ſpiritu apprehendi confitemur, ſed minimè exigimus ad veram coniunctionem membrorum cum capite, vt corpus Chriſti re ipſa vel corpora noſtra vel animos penetret. Iſta vociferaberis tu quidem ex philoſophiæ & humanæ rationis penu eſſe deprompta,& nobis ingeres fidei nomen:quaſi videlicet de iſta quæſtione agatur,An quoties captum humanum ſuperant quæ nobis verbo Dei ſignificantur, credere potius oporteat vni verbo quàm omnibus omnium rationibus: ac non potius quæratur, An iſte corporalis modus præſentiæ ex his verbis, ***Hoc eſt corpus meum***, ſtatuatur, qui cum reliquis teſtimoniis, de veritate carnis Chriſti,de abſentia ipſius à nobis, quod ad naturam humanam attinet, de aſcenſione & commoratione ipſius in cælis,conſentiat. Nam ſi vel vnam ſyllabam oſtenderis in qua ita id eſſe Dominus teſtetur, credemus, etiam ſi millies repugnet communis ſenſus. ſin autem ex vno Domini verbo ſumimus quæ proferimus, deſine nobis obiicere illud ipſum quod in re

meritò

meritò regeri poteſt. Alioqui ſi quicquid dictat communis ſenſus, reiiciendum eſt, neque quicquam eſt in quo doctrina ſcripturæ cum ſenſu communi conſentiat, atque adeò ſi theologum eſſe & ſtupidum eſſe idem declarant, neges etiam Deum vnum eſſe & mundum adminiſtrare: neges Chriſtum verum hominem fuiſſe, quoniam Thomas Iohan.20.27 ex ipſo contactu id fateri cogitur.

Sed agè, propius etiam tuas argumentationes expendamus. Ex plurimis teſtimoniis quæ citamus, duo tantùm profers, & vbi nos ad iſtam paucitatem redegiſti, negas valere noſtram conſequutionem. *Citant enim etiam*, inquis, *Ariani, Donatiſtæ, Pelagiani, Anabaptiſtæ multo plura, nec tamen deſinunt ex lacunis philoſophiæ potius ſua commenta haurire.* Nempe bone vir ac modeſte quaſi flores illos decerpſiſti ex hæreticorum catalogo, ex quibus nobis hanc corollam contexeres, quoniam videlicet Arianum eſſe Caluinum Seruetus cõfiteretur ſi reuiuiſceret: Donatiſtam & Pelagianum eſſe Papiſtæ, Anabaptiſtam autem infiniti Anabaptiſtæ profitentur. At enim non hóc dico, reſpondebis. Eſto. at certè ſi frontem haberes, erubeſcere te oportuerat quum hæc monſtra vllo modo nobiſcum comparares. In eo verò vide quàm eruditum te præbeas, quòd Donatiſtas quicquam commune putas cum philoſophorũ placitis habere, quum potius in alteram partem propenderent: Anabaptiſtas certè inter philoſophos nunquam numeraſſes, ſi philoſophiam vel à limine ſalutaſſes. Nam quorum ſunt communes interdũ concluſiones, non ſunt tamen ſemper communia principia. Sed ad rem. Citatur à noſtris locus non ſolùm ex epiſtola ad Theſſalonicenſes, ſed etiam ex aliis Scripturæ libris penè omnibus, vbi dicitur Filius hominis è cælo venturus ad iudicandũ orbem terrarũ. Hinc effici dicimus, Chriſtum quatenus quidem homo eſt, in cælis eſſe, non in terra, quoniam nemo dicitur venire in eum locum in quo iam verſatur, ſed in eum à quo abeſt. Quid tu ad hæc reſpondes? Litigas nobiſcum, acſi negaremus totum Chriſtum eſſe cum ſua Eccleſia. qua de re partim hoc ipſo capite diximus quid ſentiamus, partim etiam alibi dicemus. Deinde in hoc Chriſti dicto, *Tunc videbunt Filium hominis venientem*, mones Marc.14.16. vt verbũ VIDEBVNT expẽdamus. Vis enim iam nunc nõ aliter eſſe præſentem in mundo carnem Chriſti quàm Deitatẽ: quoniam Chriſtum lacerare idem apud te eſt atque naturas Chriſti diſtinguere: nec aliter etiam tunc futurum præſentem arbitraris quàm nunc ſit, eo excepto quòd tunc erit noſtris oculis conſpicuus, quum nunc ſit inuiſibilis. Veniet igitur Dominus, ſi tibi credimus, quod ad formam, non quod ad ſubſtantiam attinet: quoniam forma erit duntaxat diuerſa, ſubſtantia verò carnis iam nunc implet omnia perinde ac ipſa Deitas. Sed quis hoc tibi concedet, niſi ex verbo Domini comprobatum? quod ſanè fieri non poſſe arbitramur.

Alter locus citatur ex epiſtola ad Philippenſes, vbi dicit Paulus fore vt Chriſtus transformet corpus noſtrum quod nunc abiectum eſt, vt conformetur corpori Chriſti glorioſo: Phil.3.21. Hinc conſequi dicimus vt corpora etiam noſtra tunc impleant omnia, ſi idẽ nunc quadrat gloriæ corporis Chriſti. Reſpondes, *differre gloriam capitis & membrorum*. Fatemur, ſed ſecundùm plus & minus. Conuenire igitur oportet ipſas qualitates in genere. ex quo etiam conſequitur ineptum eſſe te qui in corpore glorioſo Chriſti imagineris qualitatem deitati propriam & prorſus ἀκοινώνητον, quæque prorſus non recipiat Plus aut Minus, vt aiunt, veluti vbique eſſe, id eſt, infinitum ac planè Deum eſſe. Paulò aptius loquereris, ſi diceres hoc peculiare eſſe Chriſto: quoniam is vnus eſt & Deus & homo. Sed hoc quoque videtur ſatis refutatum ex iis quæ de naturarum vnione, non confuſione diximus.

Affers aliam præterea huius loci explicationem. Dicis enim Paulum ibi non agere de quantitate & dimenſionibus, ac etiam omnipotentem Dei virtutem addere, quæ verè poteſt aduerſus noſtras quæſtiones proferri. De priore paucis reſpondeo, nos ex Paulo ſumere ſolùm quod vocant antecedens. Oſtendas autem ipſe falſam eſſe conſequutionem quam inde colligimus. De poſteriore verò mox à nobis dicetur.

Ad Caput XX, De ingreſſu Chriſti ad diſcipulos per ianuas clauſas.

Locũ Iohannis in quo dicitur Dominus ianuis clauſis ad diſcipulos veniſſe, & in me- Iohan.20.19. dio eorum ſtetiſſe, ita interpretantur veteres vt miraculo id fuerit factum: vt quum am- Iohan.6.19. bularet ſuper mare, & ex ſepulchro erumperet cui lapis incumbebat, quem poſtea deuòluerit Angelus. Caluinus autem mauult clauſas fores commemorari ab Euangeliſta,

vt ſignficetur aduentanti Chriſto ſponte patuiſſe. Hoc perinde exagitas acſi piaculum eſſet, aliter hunc locum explicare quàm fecerint veteres: quum tamen ne ſyllabam quidem proferre poſſis quæ Caluini interpretationem conuellat, vt pote quæ neque verbis ipſis, neque ſententiæ vim vllã afferat: neque etiam miraculum tollat in eiuſmodi ingreſſu. *Atenim*, inquis, *non exprimit Euangeliſta fores vltrò ſe aperuiſſe*. Neque verò etiam dicit Chriſtum per clauſas fores aut parietes penetraſſe, ſed tum ad eos veniſſe & comparuiſſe inter diſcipulos quũ ianuis clauſis vnà eſſent. Sed demus tibi quod tãtopere expetis. Illi ipſi quos citas, ſummo conſenſu hæc duo affirmant, Chriſtum habuiſſe verum corpus, ſicut & ipſe teſtatus eſt, veſtigia clauorum oſtendens: & miraculo id eſſe factum, quomodo etiam ambulauit ſuper aquas. Atqui ſi verum fuit corpus, non igitur inuiſibile & ἀπερίγραπτον, vt vis eſſe in, vel ſub, vel cum pane. Deinde ſi miraculo id contigit (vti ſanè fatemur, & aſſerit disertè Caluinus, aduerſum eos qui fores Chriſto fuiſſe ab aliquo apertas imaginantur) non igitur natura hæc eſt glorificati corporis. Neque firmior eſt hæc concluſio, quàm ſi contenderes, etiam ante reſurrectionem corpus Chriſti fuiſſe natura ponderis expers, quoniam ſemel Chriſtus ambulauit ſuper aquas. Imò idem etiam de Petri corpore licebit affirmare, ſi hæc conſequutio valeat. Poſtremò, quocunque modo hæc explicemus, etiam ſi demus corpus Chriſti à reſurrectione tam tenue tàmque ſubtile ac ſpirituale factum eſſe vt aëris inſtar potuerit per ipſas fores clauſas penetrare, an valebit conſequutio, vbique eſſe poſſe, id eſt, Deum eſſe factum? Nam, vt in omnes facies re conuertas, nunquam oſtendes in aliam naturã cadere poſſe vt ſit vbique, quàm in eam quæ vna eſt infinita. Imò ſi iam tum erat vbique, quomodo dicetur ad eos veniſſe Chriſtus? annon iterum dicendum erit, ſi tibi credimus, ideo dici veniſſe, quoniam repentè ex inuiſibili ſe fecit viſibilẽ? qui ſanè mirabilis eſt tropus. vt interim taceam quod ſuperiore capite abundè probauimus, vbi de præſentiæ modo quæritur, in Cœna Domini ineptam eſſe de glorificati corporis dotibus quæſtionem.

Ad Caput XXI, De argumento ſumpto ab omnipotentia Dei.

Quum obiiceres omnipotentiam Dei, reſpondet Caluinus id quod labefactare nemo vnquam poſſit, Deum videlicet noſtris figmentis minimè obnoxium eſſe, vt quicquid imaginamur impleat: ſed coniungendam eſſe eius potentiam cum beneplacito, ſicut admonet Propheta, *Deus noſter in cælo, quæcunque voluit fecit*. Quid tu ad hæc VVeſphale? Iterum prædicas fidei magnitudinem, & veritatem oraculorum Dei: imò nos quoque comparas cum Papiſtis, qui docent dubitare de voluntate & gratia Dei. Quaſi verò de verbi Dei authoritate quid ſentiamus vniuerſus orbis non ſatis nouerit. Quoniam autem ſoles hoc vnum excipere, ſatis clara eſſe verba de quorum interpretatione quæritur, nec interim vel ſyllabam ex Scripturis profers qua tuam expoſitionem cum aliis Scripturæ locis ex diametro repugnantibus cõcilies, excipit Caluinus, hoc nihil aliud eſſe quàm petere principium, quod aiunt: quum videlicet hoc ſummum vitiũ in argumentando committitur, vt id ipſum de quo ambigitur tanquam ſatis probatum aſſumatur. *Ego verò*, inquis, *libenter principium & fontem cauſæ peto. Nam vnde cognoſcemus, quæſo, certius Chriſti voluntatem quàm ex eius ordinatione & verbo?* Obſecro te lector, quum hæc audis, an non iſtius hominis inſcitiam miraris? Poſtremò, quoniã ſcripſeras, in miraculis quæ captum humanæ mentis excedunt ſolere Dei potentiã ab Auguſtino proferri, Caluinus hoc ipſum in te retorquens, quærit, ſi Auguſtinus in Cœnæ miraculo documentum huius Dei potentiæ videbat, cur nuſquam vno ſaltem verbo admonuerit, præter naturam latere in pane inuiſibile Chriſti corpus, cælum & terram implere, integrum eſſe in millies mille locis? Quid tu ad hæc VVeſphale? Negas valere conſequutionem: Auguſtinus ſubricuit hoc miraculum, ergo non eſt. Quaſi verò docere non oportuerit, Auguſtini authoritatem à te falſò obtendi. Vt autem non ſit neceſſarium hoc argumentum, tamen eſt maximè probabile, quum nuſquam prædicandæ potentiæ Dei opportunior fuerit locus. Sed ſi tibi non ſatisfacit argumentum à ſilentio ſumptum, ſaltem ſatisfaciant expreſſa Auguſtini verba, in quibus ait, *iſta vt religioſa honorem habere poſſe, non autem ſtuporem vt admiranda*. Adiungas autem etiam, ſi libet, iſta Chryſoſtomi verba, *Vaſa hæc ſanctificata ad priuatos vſus transferre periculoſum eſt, in quibus non eſt verum corpus Chriſti, ſed myſterium corporis eius continetur.*

Ad

Ad cap. XXIII, de verbis Chriſti, Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus, ad conſummationem vſque ſeculi. Mat.28.10.

Tibi nõ videtur eſſe ſatis præſens Chriſtus Eccleſiæ ſuæ, ſicut hîc pollicetur, niſi cũ pane verè & eſſentialiter copuletur eius caro. Itaq; toto hoc capite nihil aliud quàm clamitas nos membra diſiungere à capite: negare Chriſtũ totũ nobis adeſſe, pro corpore ſubſtituere Deitatẽ, vel corporis virtutẽ. quæ quàm falſa ſint, vel ex iis abũdè liquere poteſt quę ad cap. 19, paulò antè reſpõdimus. Relegarat te Caluinus ad Lombardi ſcholã, vt inde faſceres diſtinctionẽ inter Totus Chriſtus, &, Totũ Chriſti. Quidni. e. eiuſmodi quædã in ſcholis docẽdi cauſa retineantur, ſi cũ verbo Dei cõſentiãt, & ad perſpicuitatem faciant? Neque tamẽ ex ſophiſtarũ lacunis haurire Caluinũ quæ ſcribit, res ipſa oſtendit. Id verò ferre non potes: ſed nobis ignoſcere debuiſti qui putauimus Lombardũ aliquid apud eum hominẽ authoritatis habiturũ qui Nicolaũ papam in ſubſidiũ aduocare nõ vereatur. Verùm quod ad hunc locũ attinet, audi, ſi libet, quid veteres ſenſerint: & eorũ, ſi potes, ſcripta cũ tua vbiquitate cõcilia, tuæ illius inuiſibilitatis præſidio fretus. Sic ergo Auguſtinus, *Secundũ maieſtatem ſuã, ſecundum prouidentiã, ſecundũ ineffabilem gratiam ſuam impletur* Aug. in Ioan. tractatu 1. *qđ ab eo dictũ eſt, Ecce ego vobiſcũ ſum vſque ad conſummationẽ ſeculi: ſecundũ carnẽ verò quã Verbũ aſſumpſit, ſecundum id quòd de virgine natus eſt, à Iudæis cõprehenſus, ligno cõfixus, de cruce depoſitus, linteis inuolutus, in reſurrectione manifeſtatus, Non ſemper habebitis me vobiſcum.* Et Cyrillus, *Paruo tẽpore vnà cum diſcipulis ſe fore Chriſtus dicit, nõ quia penitus ab eis receſſurus erat: (nobiſcũ enim eſt ſemper ad conſummationem vſq; ſeculi) ſed quia* Cyrill. lib. 9. in Ioan. Cap. 21. *non erat cum eis, ſicut prius, conuicturus. Propè enim iã tempus erat vt etiã in cælos ad Patrẽ abiret.* Hîc verò mitũ ni vrgeas particulã, *Sicut prius conuicturus*, vt doceas de forma præſentiæ non aũt de ipſa præſentia hoc eſſe intelligendũ. Audi ergo quid ſubiiciat Cyrillus. *Credere*, inquit, *fideles oportet, licet à nobis corpore abſit, virtute tamẽ eius omnia & nos gubernari, adeſſeq; ſemper ipſum omnibus qui eum diligũt. Propterea dicebat, Vbicunq; duo vel tres ſunt congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorũ. Nam quemadmodũ quando vt homo in terra conuerſabatur, tunc etiam cælos implebat, & Angelorum conſortia non relinquebat: eodem nunc modo quum ſit in cælis cum carne, terram tamen replet, & cum eis eſt qui illũ diligunt.* Et mox, *Secundum carnẽ*, inquit, *ſolummodò abiturus erat. adeſt enim ſemper virtute Deitatis, vt diximus.* Audi abeſſe corpus, terram non replere, carnẽ non inuiſibilitati ſed Deitati opponi: Chriſtum tamen virtute ſuæ Deitatis ſuis adeſſe: totum vtique, non dimidiũ, ac proinde carne κατ' ἄλλο, vnde nata illa in ſcholis vſitata, vera & appoſita diſtinctio inter TOTVS CHRISTVS, & TOTVM CHRISTI. Sed audiamus etiam Vigilium aduerſus Eutychetem. *Dei filius*, inquit, *ſecũdum humanitatẽ ſuã receſſit à nobis, ſecũdum Diuinitatẽ ait nobis, Ecce ego vobiſcum ſum vſque ad conſummationẽ ſeculi.* Ex mox, Vigil. aduer. Eutych. libr. 4. *Quia quos reliquit, & à quibus diſceſſit humanitate ſua, non reliquit nec deſeruit Diuinitate ſua. Per formam enim ſerui, quam abſtulit à nobis in cælum, abſens eſt à nobis: per formã Dei, qua non recedit à nobis, in terris præſens eſt nobis: tamẽ & præſens & abſens ipſe vnũ idemq; eſt nobis.* Ac ne poſſis in vocabulo formæ tergiuerſari, audiamus quid ille idem alibi ſcribat aduerſus eundem Eutycherẽ. *Si verbi*, inquit, *& carnis vna natura eſt, quomodo, quum verbũ vbique ſit, non vbique inueniatur & caro? Nam quando in terra fuit, nõ erat vtiq; in cælo: & nunc quia in cælo eſt, non vtique in terra. Et in tantũ non eſt, vt ſecundum ipſam carnem expectemus Chriſtum de cælo venturum, quem ſecundum verbum nobiſcũ eſſe credimus in terra. Igitur ſecundum vos aut verbũ loco cum carne ſua continetur, aut caro cum verbo vbique eſt. quoniam vna natura cõtrariũ quid aut diuerſum non recipit in ſeipſa: diuerſum autem & longè diſſimile, circunſcribi loco, & vbique eſſe. Quia verbũ vbique eſt, caro autẽ eius vbique non eſt, apparet vnum eundemq; Chriſtum vtriuſque eſſe naturæ: & eſſe quidem vbique ſecundũ naturã Deitatis, & loco cõtineri ſecundũ naturã humanitatis ſuæ: creatũ eſſe, & initiũ nõ habere: morti ſubiacere, & mori non poſſe.* Et mox ſubdit, *Hæc eſt fides & cõfeſſio catholica, quam Apoſtoli tradiderunt, martyres roborauerũt, & fideles nunc vſque cuſtodiũt.* Libr. 4. Hactenus non tã veteres illi Eccleſiarũ doctores quàm ipſe Spiritus ſanctus. Cum illis ſi cõtendere inſtituiſti, deſine ſaltẽ verbum Dei & authoritatem veterum nobis opponere.

Ad cap. XXIIII, De promiſſione Dei quæ legitur Exodi 20, 24. In quocunque loco fecero mentionem nominis mei, veniam ad te, & benedicam tibi.

Hunc locum à te prolatum fuiſſe dicis VVeſphale, nõ vt corporalem præſentiam Dei ſtatueres, ſed vt oſtenderes Deum, etſi eſſentia & potentia ſua vbique ſit, non tamen vbique nobis eſſe præſentem per gratiã: ſed ibi demum vbi ſe nobis affuturũ promiſit. Itaque

tibi factam iniuriam putas à Caluino, perinde iſta accipiente acſi citata eſſent de corporali præſentia. Verùm ignoſcas nobis oportet quòd te exiſtimauimus magis appoſitè loqui. Quorſum enim oportuit ea inculcare de quibus nulla vnquã fuit cõtentio? Nam ecquis tandẽ noſtrûm alibi Chriſtũ quærendũ, quod ad gratiã eius attinet, quàm vbi ſeſe nobis patefacit ad ſalutẽ, id eſt in Verbo & Sacramentis, docuit? Ea igitur cauſa fuit cur ad id de quo quæritur, id eſt ad corporalẽ præſentiæ modũ, hunc etiã locũ à te citatũ accõmodare mallemus quàm exiſtimare te extra oleas vagari. Verùm non aliter te ſenſiſſe quàm Caluinus tibi obiecerit, vel te à teipſo diſſentire, ex iis liquere puto quæ ipſe nũc quoque
Gen. 28. 17. repetiiſti. Neque enim contentus eo quod dixerat Caluinus, Iacobũ videlicet vocaſſe Bethel portã cæli, quoniã viſione adiutus didicerat fide in cælũ penetrare, vis etiã hoc addi, Iacobum ibi verè præſentem habuiſſe Filium Dei, & ſecũ loquentẽ audiuiſſe, quem teſta-
1. Cor. 10. 4. tur Paulus comitatũ fuiſſe populũ Iſrael in deſerto. Dic ergo nobis, obſecro, poſtquã tibi non ſatisfacit quòd Iacob fide in cælum penetrauit, vnde etiã venturum Meſſiam expectabat: dic, inquam, nobis non quomodo potuerit Chriſtus Iacobo apparere in viſione, (eſſet enim hoc curioſum) ſed qualis hæc præſentia fuerit. Nam quum ea non ſis contentus quã ſpiritualẽ eſſe dicimus, & in eo tantùm diuerſam eſſe ſtatuimus ab ea qua vbique eſt præſens, quòd hîc adhibetur viſio quæ infirmitati fidei ſuccurrat, & Dei non tantùm præſentiam ſed etiã gratiam teſtetur: quum, inquam, ea non ſis contentus, qualem tandem præſentiam ſtatues niſi corporeã? Quòd ſi tam abſurdũ cõmentum tibi nõ placet, vel mediũ aliquod inter hæc extrema nobis oſtẽde, vel fateare nobiſcum quod ait Caluinus, Deum ab initio ſeſe viſibilibus ſymbolis patefeciſſe, vt per gradus ad ſe fideles eueheret, ac terrenis rudimentis ad ſpiritualem notitiam perduceret. Hoc qui non faciebant, ſed Deum in templo aliter, quod ad eſſentiam ipſius attinet, quàm quouis in loco adeſſe exiſtimabant, quoties à Prophetis vt ſuperſtitioſi redarguuntur? *Sed hoc*, inquis, *ad nos non pertinet: Illi enim, quod nos non facimus, impiè ſuis meritis & operibus confidebãt.* Atqui verum quidem hoc eſt, eo quoque nomine illos reprehendi vt ſuperſtitioſos: ſed eam rationẽ huc pertinere nego. Nam etiam qui nullam meritorum opinionem afferebant, nihilominus erant ſuperſtitioſi ſi Deum in templo aliter, quod ad eſſentiã attinet, quàm quouis in loco præſentem eſſe imaginabantur: quanuis in tẽplo duntaxat ſacrificia fieri, & ſolennes haberi preces vellet, & certis illic ſymbolis gratiã ſuã teſtari, ac veluti oculis ipſis ſeſe ſpectandum proponere. Hoc ergo potius oſtendere debuiſti, non eam eſſe noſtrorum ſacramentorum ſiue myſteriorum rationẽ quæ olim fuit: quod vt tibi libens in multis cõceſſerim, non tamẽ eatenus admittã, vt dicã Chriſtum magis in terris, quod ad carnẽ attinet, verſari poſt illam in cælos ſublatã, quàm antequàm illam aſſumeret: niſi nos hoc doceas ex Diuino verbo, cui nos quidem per omnia aſſentiri, ecce nos & ore & corde profitemur.

Cæterùm quòd Caluinum in hoc capite accuſas vt malitioſè peruertentem quæ rectè ſcripta ſunt, conſideremus quàm meritò id facias. Ita ſcripſeras, *Vbicunque promiſit Deus ſe præſentem futurum, & vbi ſe exhibet in verbo & ſacramentis, nihil haſitemus ibi cælum & domum Dei eſſe, ibique Chriſtum inueniri.* Hinc collegit Caluinus, te exiſtimare in ſacramentis cælum & domum Dei eſſe, ibique Chriſtum certò inueniri. Quid tu verò? *Particulam Ibi*, inquis, *non oportuit referre ad ſacramenta, ſed ad præcedens aduerbium Vbicunque: vt ſit hæc conſtructio, Ibi cælum & domum Dei eſſe vbicunque promiſit ſe præſentem futurum, & vbi ſe præſentem exhibet verbo & ſacramentis.* Iterum igitur nobis ignoſce quòd te putauimus de verbo & ſacramentis ipſis agere, non autem de Eccleſia. Nam vbi tandem ſeſe exhibet præſentem verbo & ſacramentis, niſi in Eccleſia? Quòd panem aut vinum intelligis, perinde facis acſi diceres, quærendum eſſe Chriſtum vbicunque, id eſt, in quibuſcunque ſacramentis ſe exhibet præſentem in verbo ac ſacramentis. Ac nobis quidem dubium nunquam fuit quin Deus gratiam illam ſuam in Chriſto cum ſola Eccleſia ſua communicet per Verbi prædicationem & Sacramentorum adminiſtrationem: neque nos Deum cælo includimus, ſed tamen cælum, in quod aſcendiſſe Chriſtnm ſecundum carnem, ad quod aſpiramus, in quo eum regnare, & vnde per Spiritum ſanctum ſeſe ſuis membris coniungere, vt Eccleſiæ corpus ac ſingula ſua membra vegetet, ex Scripturis didicimus: cælum, inquam, illud vbique conſtituere, & in terris vel in panis & vini ſymbolis quærere ſanè non poſſumus, niſi quis id nobis faciendum ex verbo Domini demonſtret.

Ioan. 14. 23. *Ad cap. XXV, De promiſsione Chriſti, Ego & pater ad eum veniemus.*

Quoniam hunc etiam locum ad tuam illam præſentiam carnis Chriſti accommodaueras,

daueras,quæſiuit Caluinus an putes Deitatis eſſentiam ita ad nos deſcendere ſicuti de carne Chriſti affirmas.Nam fateri cogeris vel te id ſentire, vel Patris præſentiam à Filij præſentia non ſeparare quidem,ſed diſtinguere debuiſſe. Iam verò ſi hæc ita diſtinguas vt dicas alio modo dici venire & in nobis habitare Patrem,nempe ſolius Deitatis virtute,& ſpirituali energia tantùm, quia duntaxat eſt Deus,&, quum alioqui omnia impleat ſua eſſentia,de ipſius ſalutari in ſanctis efficacia duntaxat illud dictum intelligitur: Filium verò,quoniã Deus & homo eſt,prætereà ſubſtantialiter quoque & realiter inuiſibili modo adeſſe.quis non videt manifeſtè violentã eſſe huius dicti interpretationem:quum ex alijs locis,qui Chriſtum teſtantur carnem ſuam à nobis in cælũ abſtuliſſe,apertè refellatur? Itaque quanuis nos cum Chriſto,carnis ipſius ratione,vnũ fieri dicamus,& Chriſtus hoc reſpectu ſigillatim conſideratus,aliter in nobis dicatur habitare quàm Pater,tamen & Patrem & Chriſtum nobis tum in Verbo tum in ſacramẽtis ſimili modo,ſpirituali videlicet & per fidem, ſeſe offerre exiſtimamus: vt cum Chriſto vnum facti verè communem cum illo patrem,commune regnum,cõmunem vitam æternam habeamus.Quæ verò hoc capite aduerſum nos de naturarum vnione diſſeris, quaſi per conſequens naturas non diſtinguamus,ſed ſeparemus, quum eaſdẽ ipſe per conſequens non vnire ſed confundere nobis videaris:quàm verè in nos dicantur, ex ijs præſertim intelligi poteſt quæ ad caput XIX reſpondimus.

Ad caput XXVI, *De inuiſibili Chriſti præſentia in Euchariſtia.*

In hoc planè capite nõ ſupra cælos quidẽ eueheris,nec,vt ille inquit, —*ſublimi ferìs ſydera vertice*,ſed humi repis,& eo quidẽ modo qui non modò non ſpectari,ſed ne percipi quidẽ poſſit. Superiore capite dixeras te credere cum Fulgentio, Chriſti carnem eſſe localem, ſed cum hac interpretatione:*hoc eſt*,inquis,*quæ pro modo corporum circunſcribi poßit*.Itaque,ſi tibi credimus,Chriſti humanitas dicetur circunſcripta vt noſtra,nõ ꝙ per ſe ſit eiuſmodi,ſed quia quoties libet talis eſſe poteſt:aut(ne queri poſſis nos in ſingulis ſyllabis inſiſtere,)quia talis quidem eſt ſuapte natura,ſed inuiſibilis etiam fieri poteſt quoties libuit.Quanquam quid attinet de inuiſibili modo præſentiæ tecum diſputare qui corpus Chriſti ſtatuas non tantùm eſſe inuiſibile,ſed etiã vbique eſſe? Quòd ergo nunc de eo diſputamus,an inuiſibili modo poſſit reipſa & ſubſtantialiter corpus Chriſti cum pane coniungi,id ſanè facimus *ἐκ περιουσίας*. Dicis igitur, Auguſtinum ſtatuere duplicem modũ præſentiæ.Sanè fateor.cur enim negaremus id quod res eſt? Sed eius præſentiæ modum quem ſtatuis duplicem poni ab Auguſtino,nempe vt carnis eſſentia reipſa nunc ſit vt in cœlo ita etiam in terra,non modò conſtanter inficiamur,ſed etiam eum qui hoc dicat,tam impudenter & præfractè ſeſe manifeſtæ veritati opponere dicimus,quàm ſi negaret die ſolſtitiali ſolem nobis oriri. Idque, vt ſpero, apparebit partim ex ijs quæ diximus ad caput XXIII,partim ex ijs quæ ſuo loco diſſeremus de Auguſtini ſententia. Nunc ergo videamus quæ argumenta depromas. Aug. in Ioan tract.

Citas illa Chriſti verba; *Ecce ego vobiſcum ſum*. Item, *Vbi duo vel tres congregati fuerint*. Item,tuum illud millies repetitum, *Hoc eſt corpus meum*. Quid autẽ ex his effici poteſt? Id certè in quo vno ſpem noſtrã reponimus, ꝙ reuera Chriſtus ille Deus & homo ſpiritus ſui virtute credentibus adſit, vt eos ſibi eadẽ virtute per fidẽ coniunctos viuificet & conſeruet in æternũ, ſicut verbo ſuo verè teſtatur, & adhibitis ſacramentis verè figurat. Tuum autẽ illum carnalem præſentiæ modum in terris tibi ſanè relinquimus, quoniam in cælis malumus Chriſtum & quærere & inuenire cum Angelis. Matth. 28. 20 Matth. 18. 20

Subijcis illa Chriſti verba, *Vado ad Patrẽ, & iam non videbitis me*. Item illa, *Chriſtũ nube ſubductum fuiſſe ab oculis diſcipulorum*. Putas igitur,ire ad Patrem,& aſcendere in cælos,nihil aliud declarare q̃ viſibili forma inter homines apparere deſijſſe,non autem reipſa,quod ad carnem attinet,à nobis diſcedere. Huc etiam refers quod de Chriſti aduentu commemorant Angeli,ſic venturum vt aſcendit:quaſi videlicet hoc non referatur ad præſentiam ipſam carnis, ſed ad præſentiæ modum : acſi dicerent, tunc fore iterum conſpicuum ex inuiſibili, ſicut poſt aſcenſionem factus eſt ex conſpicuo inuiſibilis.Ignoſcas verò nobis,rogamus, ſi Chriſtum non putamus eſſe præſtigiatorem, qui ſimulet ſe ſecundum carnem inde diſcedere vbi reipſa maneat , & fingat ſe ſecundum carnem eò rediturum vnde nunquam diſceſſerit. Sed & illud miramur, quî fieri poſſit vt tantus omnium troporum hoſtis,in iſto argumento tam impropriè poſſis hæc verba, Deſcendere,Aſcẽdere,Attolli,Subduci ex oculis, Venire,Redire,nõ ad eſſentiã ipſam: ſed ad formã,neq; ad id quod res eſt,ſed ad id qđ videtur aut nõ videtur referre. Aliog Ioan. 16. 10 Act. 1. 9 Act. 1.

ſcias, etſi credimus vbicunque reipſa eſſentialiter eſt corpus Chriſti, pro ſua natura viſibile eſſe (quum ſit verum corpus) ac proinde verè ac eſſentialiter eſſe nunc in cælis, non in terra. tamen (quod millies iam repetij) neque præſentiam carnis ipſius Chriſti, quod attinet ad veram communicationem, à nobis negari, neque inania ſymbola conſtitui, per quæ videlicet non dubitemus quin verè figuretur externis ſenſibus qđ Deus intus Spiritus ſancti virtute nobis per fidem in cælum aſcendentibus veriſſimè & efficaciſſimè præſtat, nempe vt vnum facti cum capite noſtro, verè in ipſo fiamus æternæ vitæ participes.

Vteris poſtea mirificis argumentis: *Tranſiit per hoſtes inuiſibilis: ergo nunc eſt in Cœna Domini inuiſibilis.* Verùm ſi negem antecedens (vti ſanè nego) vnde tandē cōprobabis? Inuiſibilem enim fieri non ſignificat locum mutare, ſed formam ac ſpeciem conſpicuā,
Luc.4.30 in eam quæ cerni non poſſit. Ex Luca verò, qui eam hiſtoriam recenſet, nihil aliud certè colligi poteſt quàm Chriſtū palàm per medios aduerſarios, mirabili Dei virtute cōſtrictis illorum manibus, ſaluum & incolumem euaſiſſe. Itaque quum ſic inuiſibile factum fuiſſe Chriſti corpus contendis, quis te non videat perinde facere vt ij ſolent qui in aliquo ſummo diſcrimine conſtituti temerè quiduis arripiunt?

Ioan.20.19 Eiuſmodi eſt hoc alterum tuum argumentum, *Penetrauit per clauſas ianuas: ergo eſt inuiſibile corpus.* Nā ſi negem conſequutionem, qui tandem probabis? An quòd corporea moles videatur ceſſiſſe? Id verò etiamſi concederem (quod tamen neceſſarium non eſſe ſuo loco oſtendimus) quis tamen te docuit potiùs in corpore Chriſti quàm in foribus editum miraculum? Sed vtcunque ſit, etiamſi vnius moles ad tempus alterius corporis moli, vel alterū corpus alteri ceſſerit eo modo qui Chriſto minimè difficilis fuit, an inde conſequitur nullam fuiſſe molem vel corporis Chriſti, vel ligni ex quo cōſtructæ erant fores?

Luc.24.31 Simile eſt tertium argumentum: *Euanuit ab oculis diſcipulorum: ergo factus eſt inuiſibilis.* Nā, vt inquis, *erat ibi corpus, & tamen non videbatur.* Atqui cōſulere debueras Græcum contextum, vbi nulla fit oculorum mētio, neque ſcriptū eſt, ἄφαντος ἐγένετο αὐτοῖς, ſed ἀπ' αὐτῶν. adeò vt minimè ſignificetur Chriſtum non mutato loco (ſicut falsò & imperitè colligis) ex viſibili factum inuiſibilem, ſed ſeſe repentè & vno momento ab illis ſubduxiſſe. Nam apud Græcos tritum eſt loquendi genus illud quo dicuntur ἐξ ἀνθρώπων ἀφανίζεσθαι qui moriuntur, ſiue qui deſinunt conſpici ab hominibus. imò etiam qui ex aliquo loco eijciuntur, dicuntur ex eo loco ἀφανίζεσθαι, quòd ibi amplius non conſpiciantur, ſicut omnibus ijs notum eſt qui Græcæ linguæ non penitus ſunt rudes. Chriſtum autem ſeſe repentè atque etiam miraculo, ſi libet, ſubduxiſſe etiamſi fateamur, an propterea corpus glorificatum, ac proculdubio multò agilius quàm antea, inuiſibile factum fuiſſe meritò colligemus? Imò etiam vt id colligamus, quoties iam diximus quæſtionem de corporis glorificati dotibus nihil huc pertinere? Tandem ergo in tuas latebras, id eſt ad Dei omnipotentiam, refugis, quaſi de illa ac non potiùs de bona Dei voluntate in ipſius Verbo patefacta diſceptetur. Paulò pòſt tamen iterum prodis
2.Cor.5.7 congreſſurus, & citas locum illum Pauli, *Non ambulamus nunc per ſpeciem, ſiue per aſpectum, ſed per fidem,* id eſt, vt tu interpretaris, *dum in hoc mundo peregrinamur, ſub peregrina ſpecie tectus nobiſcum agit.* Egregia ſanè interpretatio. Paulus teſtatur nos, quandiu hîc viuimus, abeſſe à Domino, quem tamen, licet abſentem, fide intueamur tum in verbo tum in ſacramentis. Tu verò è contrario negas nos abeſſe à Domino (nam ſi adeſt, ſiue ſit conſpicuus ſiue minus, nos ab eo abeſſe dici non poſſumus) ſed Dominum abeſſe à nobis, idque non propriè, ſed quoniam eſt inuiſibilis, & ſub pane tectus deliteſcit. Quid fiet autem quū receptis corporibus cum illo regnabimus? *Tunc,* inquis, *eum videbimus facie ad faciem, id eſt, non erit amplius inuiſibilis.* At ego certè hanc metamorphoſin Ouidianā potiùs quàm Chriſtianam crediderim. Quid plura? Inſtat Caluinus Auguſtini dicto, corpora non eſſe ſi tollātur ſpatia. Hîc verò quid ageres, quū de ipſo Chriſti corpore Auguſtinus ita loquatur? Nunc igitur apertè ab Auguſtino deficis, quem tamen tot modis in tuas partes pertrahere conatus es: & hoc eius dictum vt eludas phyſicum & philoſophicum eſſe contendis. Denique te grauius inſtare dicis Chriſti verbo, veritate & potētia. Eſt enim hoc tibi familiare, vt aſſumas id ipſum de quo quæritur: deinde vt ſiquid expedire non poſſis, excipias à philoſophia humana petitū eſſe. Prouocas igitur ab hoc Auguſtini dicto ad ea quæ Auguſtinus non ex phyſica, ſed ex Scripturis aſſeruit: nēpe Chriſtū introijſſe per oſtia clauſa, & exiſſe clauſo lapidis mole monumento.

mento. Poſtea exclamas, *Vbi locus? vbi ſpatium?* Reſpondeo fuiſſe locum, fuiſſe ſpatiũ, vbi
tum erat verum Chriſti corpus. Erant ergo, dices, duo ſimul corpora eodẽ ſpatio. Quid?
etiamſi inuiſibile corpus ſtatuatur, an hoc incommodum vitabitur? Quid ſi in te rege-
rerẽ, teipſum ad phyſica principia repentè delabi? Sed nihil neceſſe eſt. Quid enim ob-
ſtat quominus ligni corpus ad momentum Chriſti corpori ceſſerit: & mox rurſum fue-
rit coniunctum? Nã in eo ſitum eſt hoc miraculum: quemadmodũ contrà ſolidata eſt a-
qua ne ſub pedes Chriſti diffflueret, quum ſuper aquas ambularet etiam ante glorifica-
tionem. Quis autem propterea corpus ita tenue Chriſto tribuerit vt omnem aſpectum
fugeret? Imò etiamſi hoc daremus, an quia eſſet inuiſibile, idcirco etiam vbique eſſet, vt
tu contendis?

Ad caput XXIX, *De verbis Angeli, Surrexit, non eſt hic.* Marc.16.6

Si tibi creditur, ipſos etiam Angelos volumus pertrahere ad noſtri erroris patroci-
nium, quum dicimus eos teſtari, Chriſti corpus non eſſe in ſepulchro: ex quo colligimus
non eſſe vbique. Quomodo verò elaberis? Fingis nos ita argumentari, *Non eſt in ſepul-
chro: ergo non eſt in Cœna Domini*. Atqui ita potiùs argumentamur, vt paulò antè dixi-
mus: & non valere conſequutionem illam noſtram non priùs probabis quàm demon-
ſtraris ſolem meridie non lucere. Ridiculum eſt igitur quicquid ei fundamento ſuper-
ſtruis quod non poſuimus, quanquam ſanè neque in Cœna neque in ſepulchro carnem
Chriſti eſſe concedimus, vt tu quidem flagitas, ſed in cœlis duntaxat, in quos ſe rece-
pit. Operæpretium eſt autem videre quomodo te expedias. *Quærebant*, inquis, *mulieres
corpus Chriſti exanime*. Ergo, ſi tibi credimus, non negant ſimpliciter Angeli corpus
Chriſti eſſe in ſepulchro, ſed negant ibi eſſe exanime, quoniam ibi viuebat. Quod ſi ita
eſt, nondum ſanè emerſerit è ſepulchro, quum vbique ſit inuiſibiliter. Et miraris quòd
Chriſtum dicamus à te ſepeliri? *Sed quærebant*, inquis, *ſine verbo, imò contra ver-
bum*. Atqui non hoc agitur, an hæ mulieres rectè fecerint, quum quærerent carnẽ Chri-
ſti in ſepulchro, ſed an ibi fuerit vbi eam quærebant. Id negant Angeli ſimpliciter &
omnino. Affirmas tamen Chriſtum vbique eſſe ſecundum carnem ſubſtantialiter, pro-
pter vnitatem perſonæ: perinde acſi Angeli non negarent præſentiam niſi ex mulie-
rum hypotheſi, ac dicerent, Eſt quidem hic, quanuis à vobis non cernatur: ſed videbitis
eum, id eſt, vobis demum fiet viſibilis in Galilæa. Quid eſt verò torquere verbum Do-
mini, ſi hoc non eſt?

Ad caput XXX, *De verbis Chriſti, Caro non prodeſt quicquam.* Ioan.6.63

Hunc Ioannis locum ſi non niſi eo modo licet interpretari quo accepit Chryſoſto-
mus, quo loco cenſebuntur reliqui interpretes? Mihi certè maximè placet Auguſtini
explicatio, qui oſtendit Chriſtum indicare, carnem ſuam ſigillatim, & per ſe conſidera- Aug. ſuper Ioan. tract. 27
tam (vt ab ijs conſiderabatur quibuſcum ſuperiorem ſermonem habuerat) minimè eſſe
viuificam: ſed à Spiritu, hoc eſt, à Diuinitatis virtute, quæ in ea corporaliter habitaret,
hanc totam vim habere. Seſe enim non eſſe aliorum hominum inſtar, ſed ita hominem
vt ſimul etiam author eſſet vitæ & ſalutis: quoniam Filius Dei erat. Quorſum autẽ hæc
Chriſtus? Nempe vt eis aperiret cur carnem ſuam verum cibum dixiſſet: deinde vt
eos doceret ſpiritualem eſſe hunc eſum, & vitam æternam reſpicere. quam poſteriorẽ
partem mox explicauit quum ſubijcit, *Verba quæ loquor vobis, ſpiritus & vita ſunt.*
Hæc, inquam, explicatio mihi maximè genuina videtur. Quòd ſi tibi licere exiſtimas
Auguſtinum non ſequi, cur eodem iure nobis non liceat iudicio noſtro vti? Neutra e-
nim expoſitio nouum in Eccleſiam dogma inuehit. Sed ſi admittatur Chryſoſtomi ſen-
tentia, in quos iſta dicuntur niſi in eos qui corpus Chriſti eſſentialiter & coporaliter
comedi cum pane exiſtimãt, etiam abſque fide? Sed de his copioſius à nobis dictum eſt
in reſponſo ad XVIII caput.

Ad caput XXXI, *De verbis Domini, Vado ad Patrem, Relinquo mundum, Iam
non ſum in mundo.* Ioan.16.28, & 17.11

Obſecro te, vt vel ex hoc capite ſtatuas in quæ præcipitia ruere malis VVeſphale,
vt ſententiam de corporis Chriſti vbiquitate mordicus retineas, quàm, non dico à no-
bis veritatem diſcere (eſſet enim id fortaſſis nimiũ arrogãter dictũ) ſed nobiſcũ veritatẽ
ex mutua collatione cognoſcere. Quoniã igitur neq; in verbis *Edere* & *Bibere*, neq; in
ſacramẽtali loquutione explicãda tropũ vllum agnoſcis, vide quot trãſlationes impro-
prias, & omnibus ſemel authoribus tũ ſacris tũ profanis penitus ignotas, atq; adeò quæ
manifeſtę impietati, id eſt Eutychetis errori, viã ſternãt, nõ tãtùm admittas, ſed etiam

excogites. *Relinquere mundum, Tranſire ex mundo,* & *Abire ad Patrem,* & *Intrare in gloriam ſuã,* tibi non aliud declarant quàm pati, mori, reſurgere à mortuis, & corporis qualitatem ita exuere vt corpus antea viſibile & ſuis dimenſionibus conſtans, repentè fiat Diuinum, vt ſit inuiſibile: atque adeò non modò ſit ἀπερίγραπτον, ſed etiam terrã & cælum repleat. Hîc verò primùm omnium reſpondeo (quod ſæpe iam dixi) non videri mihi accommodam quæſtionẽ de corporis glorificati dotibus ad id de quo quæritur, niſi priùs probetur quod probari poſſe non putamus ex Dei verbo aut vllo orthodoxo interprete, Chriſti corpus aliter eſſe in Cœna poſt glorificationem, quàm tum fuerit quũ illam Dominus ante glorificationem institueret. Deinde quandoquidem me cogitis in hanc quæſtionem ingredi, te totámque tuam factionem rogo, primùm vt me doceatis quid ſit Deum fieri, ſi hoc non eſt: deinde vt memores ſitis quàm ſæpe nobis obieceritis, Dominum eo tempore conſolantem diſcipulos ſuos, plana ac perſpicua oratione, ſi vnquam aliâs, vti voluiſſe: quod & ipſi diſcipuli confitentur. Quid enim eſt planiùs quàm relinquere, abire, proficiſci, & ſimilia centies in vltima illa concione ante mortem repetita? Quæ verba ſi ad mutationem loci non referantur, ſed tecum ſtatuamus nihil niſi formæ & qualitatum mutationem declarare, quis iſte tropus erit? & quo tandem Scripturæ loco, qua ratione, qua authoritate confirmabitur? Quid autem aliud erit tota hæc Chriſti tam excellens concio, ipſáque adeò eius aſcenſio præterquam meræ præſtigiæ? Chriſtum quidem nonniſi per mortem & reſurrectionem aſcendiſſe in cælum confitemur: ſed an propterea cõſtituemus, pati, mori, ſepeliri, reſurgere, ſynonyma eſſe cum abire ex mundo, tranſire, proficiſci ad Patrem, aſcendere in cælos, intrare in gloriam? Hoc certè fieri non poteſt: quum illa præcedere, hæc conſequi oporteat. Et quòd ſcribis Ioannem capite decimo tertio tranſitum Chriſti ex mundo exponere de ipſius paſſione, falſum eſt. niſi putas tranſire ex mundo ad Patrem, nihil amplius declarare quàm ire ad mortem. quod quidem auſim dicere nulli vnquam mentis ſatis compoti in
Ioan.13.36 mentem veniſſe. Iam verò cuiuſmodi illud eſt, quòd hæc ad Petrum verba, *Quò ego vado, iam me ſequi non potes, ſequêris autem poſtea,* cum illo Chriſti dicto, *Abeo ad Patrem,* confundis? Nam certè hæc duo manifeſtè diſtinguuntur in tota Chriſti concione: ita vt Abeundi verbum modò ipſum iter, crucem videlicet ac mortem: modò ipſius itineris metam, nempe cælos & Patrem, reſpiciat. Quid autem illud attinebat toties repetere de Paracleti venturi præſentia, ſi ipſe non erat ab eis reuera diſceſſurus, ſed tantùm inuiſibilis futurus? *Fructum,* inquis, *ſuæ paſſionis indicabat quum diceret, Expedit vobis vt*
Ioan.16.7 *abeam: Si enim non abiero, Paracletus non veniet.* Atqui quo tandem tropo dicemus Abeundi verbum non aliud declarare quàm glorioſum, id eſt (vt tu interpretaris) inuiſibilẽ & ἀπερίγραπτον fieri? *At enim,* inquis, *non dixit Chriſtus, Non ero vobiſcum, ſed, Non videbitis me.* Obſecro verò cuiuſmodi hoc eſt? Coniungit Chriſtus hæc duo, Abeo ad Patrẽ, &, Amplius non videbitis me: & tamen iſta non ſunt tibi ſatis perſpicua, vt tollatur corporalis modus præſentiæ. Voluiſſes enim additum eſſe, Et amplius non ſum vobiſcum.
Ioan.13.33.& 16.4.5 Addatur ergo ex præcedentibus. *Filioli,* inquit Chriſtus, *adhuc pauliſper ſum vobiſcum.* Item, *Hæc vobis à principio non dixi, quia vobiſcum eram, nunc autem abeo ad eum qui miſit me.* Quid amplius ergo requiris? nempe iterum ad tuam inuiſibilitatem confugies. Denique videndum etiam eſt quomodo hæc Chriſti verba torqueas, *Iam non ſum in*
Ioan.17.11.12. & 16.28 *mundo, ſed ij in mundo ſunt, & ego ad te venio.* Item, *Quum eſſem cum eis in mundo, ego ſeruabam eos in nomine tuo.* Item, *Exiui à Patre, & veni in mundum: iterum relinquo mundum, & proficiſcor ad Patrem. Mundum,* inquis, *intelligamus mundi figuram, vt mundum relinquere, ſit relinquere quæ in hoc mundo grauant & contriſtant, deponere mortalitatẽ, contemptum, ignominiam mũdi.* Quid amplius? *Relinquere,* inquis, *quaſdam proprietates corporis, quales ſunt circunſcribi & concludi loco, & oculis videri.* Mirifica certè expoſitio. Mundum pro orbe terrarum: itẽ promiſcuè pro hominibus qui terram incolunt: item pro ijs qui cælũ non curant, & diaboli ſunt mancipia: interdũ pro peruerſa illa improbitate & vitiis quæ homines captiuos tenent, atque adeò pro omni eo quod ſeſe opponit Spiritui Dei, paſſim inuenio: in ea ſignificatione quam notas, nuſquam inuenio. Exuiſſe Chriſtum omnem corporis infirmitatem non dubito: naturales qualitates, ſine quibus caro non eſt caro, oſſa nõ ſunt oſſa, Dominus ipſe negat ſe depoſuiſſe: cui potiùs quàm tibi aſſentimur. Tu enim è contrario capite 25, Chriſti carnem localem eſſe credis, vt pro modo corporum quoties libuit circunſcribi poſſit. Rogamus autem vt iſtam depoſitionem naturæ viſibilis & circunſcriptæ concilies cum ijs quæ tu ipſe cap. 21. ſcripſiſti, quum te

credere

credere diceres, Ieſum dediſſe diſcipulis ſuis & dare ſuum corpus & ſanguinem, ſine mutatione corporis & ſanguinis ſui. Quid enim eſt mutari, ſi non mutatur qui ex viſibili fit natura inuiſibilis, & pro eo quòd certis dimenſionibus cõſtabat, fit natura ἀπερίγραπτος, adeò quidem vt ſit vbique? *Sed*, inquis, *non deſinit eſſe caro & ſanguis*. Sanè verò, vt ſi contenderem corpus viuere, à quo tamen animam ſeparatam eſſe faterer. Poſtremò quòd ad illud Chriſti dictum reſpõdes, *Me nõ ſemper habebitis vobiſcũ: Nõ habemus*, inquis, *vt tẽpore ſuæ diſpenſationis erat apud diſcipulos, pauperem videlicet & mortalẽ*: Sanè fatemur alium iam eſſe Chriſtum, quod ad infirmitatẽ carnis attinet. ſed ſi à nobis verè & re ipſa, quod ad humanam naturam attinet, non diſceſſit in cælum, cur ſimpliciter diſcipulis ſuis diceret Dominus, *Non me ſemper habebitis vobiſcũ?* Quòd ſi tota in terris conuerſatio Chriſti nihil aliud fuit quàm diſpenſatio quædam, ſiue οἰκονομία, quam vocant, quid obſtat quominus in Marcionis, Valentini, Eutychetis, & aliorum eiuſmodi monſtrorum partes tranſeamus? Nam affirmare verum eſſe corpus Chriſti, & tamen illud dicere adeò eſſe inuiſibile & ἀπερίγραπτον vt ſit vbique, & per diſpenſationẽ duntaxat fuerit viſibile, quid aliud eſt quàm ponere antecedens, negare conſequens? corpus non corpus dicere? arma denique illa nobis eripere quibus vnis hæreticos illos poſſumus debellare? Quid non enim illi tergiuerſatione iſta eludent? Non ita ſanè veteres perpetuo conſenſu, vt Auguſtinus, Cyrillus, Vigilius: quorum verba recitauimus ſuprà, ad caput 23. Imò quis vnquam orthodoxus dixit aut ſcripſit Chriſtum factum eſſe inuiſibilem ex viſibili, aut humanam naturam à deitate abſorptam, ſiue eſſe vbique: ac nõ potius è contrario teſtatus eſt, Chriſtum vera ſua viſibili & loco circũſcripta carne in cælum verè ſublata, ita nunc, quod ad humanam naturam attinet, abeſſe, vt ſua tamen virtute, ſicut promiſit, Eccleſiam ſuam tum in genere tum in ſingulis membris regat ac gubernet? ſecum videlicet nos coniungens & verè paſcens in vitam æternam, ſicut Verbo ſuo nobis annuntiat, & ſacramentis verè teſtatur.

Ad Caput XXXII, *De verbis Apoſtoli, Edebant eandem ſpiritualem eſcam, & eundem potum ſpiritualem bibebant.* 1.Cor.10.3.4

In hoc capite quòd non ſequar optimam methodum, vt videlicet primùm de genere, id eſt de veterum ſacramentis ſub Lege, deinde de ſpecie, id eſt de manna & potu ex rupe, diſſeram, ſi quis mirabitur, ſciat me maluiſſe tua VVeſphale veſtigia perſequi, nũ quòd ordinem abs te inſtitutũ magis probem, ſed vt melius poſſint tua argumenta cum noſtris reſponſis comparari. Tria ſunt igitur in huius loci explicatione de quibus inter nos non conuenit. Primùm enim contendis in his Pauli verbis, EVNDEM CIBVM ET EVNDEM POTVM, pronomen EVNDEM, non ad noſtram cum Iſraelitis, vt nos volumus, ſed ad Iſraelitarum inter ſe comparationem pertinere, vt ſignificetur, omnes Iſraelitas tum fideles tum incredulos eodem cibo & eodem potu vſos eſſe. Deinde ſpiritualem cibum & potum non ſimili ratione atque nos interpretaris. Poſtremò non putas in hoc Pauli loco *mannam* & *petram* pro ſacramentis poni quæ noſtræ Euchariſtiæ reſpondeant, ſed duntaxat pro typis & figuris quibuſdam ſacramentorum Eccleſiæ noui Teſtamenti: *idque non ſuapte natura, ſed ex Pauli* (vt loqueris) *inductione*: id eſt, quoniam Paulo ita libuit illa accommodare. De primo ſic reſpondeo, Multas eſſe graues cauſas cur per pronomen EVNDEM putemus potius Iſraelitas nobiſcum quàm inter ſe comparari. Nam quum conſtituerit Paulus Corinthios Iſraelitarum exemplo ab idololatriæ conuiuiis reuocare, conſideremus quanto validius ſit hoc argumentum quod nectimus, quàm illud tuum. Sic enim putas Paulum argumentari: *Deus*, inquis, *magna beneficia præſtitit Patribus, magna fecit eis miracula, de cælo dedit mannam, ex rupe potum: malè tamen grati pœnas dederunt: ita etiãſi vos cumulet magnis beneficijs, ingrati tamen haud euadent quin grauiter puniantur*. In his tuis verbis, obſecro, quæ vis eſt particulæ OMNES, & pronominis EVNDEM? Certè nulla, niſi fortaſſis eam prætermiſiſti. Nam inficiari ſanè non poteris, vt ſpero, quin bona fide tua verba deſcripſerim. Adiuuemus te igitur, & ita exornemus tuum argumentum: Omnes Iudæi habuerunt eandem ſpiritualem cibum & potum, & tranſitum maris, non tamen omnes Deo placuerunt, ſed qui ad idololatriam defecerunt malè ſunt multati: ita & vos Corinthij, quãuis eorundem inter vos myſteriorum participes ſitis, tamen pœnas Deo dabitis, ſi vos profanis conuiuiis pollueritis. Verùm ſiquis ita colligat, quis non videt paratum eſſe reſponſum, nos habere longè potiora teſtimonia noſtræ cum Deo reconciliationis, nempe ſacramenta, quæ nos reddant longè chariores Deo quàm vt tam ſe-

uerè velit nobiſcum agere? Præterea ſi voluiſſet Apoſtolus Iſraelitas duntaxat in eo nobiſcum comparare quòd vt illi beneficia acceperunt à Domino, ita & nos: ac proinde fore vt ſicut illorum plerosque ſua perfidia perdidit, ſic etiam nobis nõ parcatur: ſi hoc vnum, inquam, ſibi propoſuiſſet Apoſtolus, ac non etiam ipſa inter ſe myſteria, illorum videlicet & noſtra, conferre, cur feciſſet Baptiſmi mentionem, itémque cibi & potus, diſertè ad ſacram Cœnam reſpiciens? denique cur expreſsè adderet, *Petra erat Christus?*
Ioan. 6. a Chriſtus autem ipſe apud Ioannem quum ſe eſſe dicit viuum illum panem qui è cœlo deſcendit, ánnon idem dicit de manna quod Paulus hoc in loco, quum illam exornat ſpiritualis cibi epitheto? Sic ergo potius nectimus argumẽtum, Ne ſuperbite Corinthij quòd Chriſto nomen dederitis, & eius myſteriorum ſitis participes: neque abutimini hoc Dei beneficio, quaſi conuiuium idololatrarum non poſſit veſtram conſcientiam polluere, quum ſemel ſitis Deo deuoti. Idem enim olim potuiſſent afferre etiam Iſraelitæ, vt qui & ipſi Moſis miniſterio eundem atque vos Baptiſmum, quod ad rem ipſam attinet, perceperint, quanuis diuerſis ſignis adhibitis: nempe maris, quod ablutionem externam, nubis, quæ interiorem Baptiſmum Spiritus ſancti ſignificabat. Itémq; eundem atque vos cibum ſpiritualem ederunt, & eundem potum: nempe Chriſtum, quem illis repræſentabat manna & aqua ex rupe profluens: quæ & ipſa rupes eundem Chriſtum verè figurabat, ſeſe illis offerentem in cibum & potum. Quid autem illis accidit? Omnes quidem iſta ſacramenta perceperunt, ſed plerique propter hoc ipſum proſtrati ſunt de quo vos arguo, vt qui carnes contra Dei verbum appetierint, & prophano conuiuio ſeſe coram aureo illo vitulo polluerint. Ita igitur vobis cauendum ne, quanuis omnes ſitis myſteriorum Dei participes, tamẽ pleriſque veſtrûm eadem illa res eodem ſcelere neglecta idem exitium afferat. Hoc Pauli argumentum eſt, multo ſanè (vt mihi videtur) vehementius & ſolidius, & ipſis verbis Pauli magis conſentaneum, quàm illud quod à te affertur. Ac de prima quidem difficultate hactenus.

Ad alteram veniamus, in qua quæritur quare manna dicitur ſpiritualis cibus: & petra, ſpiritualis potus. Duas eius rei rationes affers: prior eſt, *Quoniam nõ naturaliter, ſed Dei virtute ſuppeditabatur eis hic cibus & hic potus.* At ego vellem hãc interpretationem aliquo ſaltem exemplo confirmari, niſi præterea adiiciatur ſpiritualis vſus propter quẽ creata hæc ſunt, quod Ambroſius minimè prætermiſit. Nam alioquin, ſi ea ſententia valet, quidni etiam coturnices vocarim ſpirituales, & quæcunque extra naturæ ordinem à Deo fiunt? Altera verò tua ratio eſt, *Quoniam ſpiritualiter manducarunt hi qui crediderunt.* Hoc autem ſi ſatisfacit, quid aliud conſequatur quàm quod minimè conceſſeris: nempe non omnes cibum ſpiritualem ediſſe, nec potum ſpiritualem bibiſſe: ſiquidem ſpiritualia hæc dicuntur eorum duntaxat reſpectu qui crediderunt, quum omnes non crediderint? Præterea ſi fateris ſpiritualia hæc fuiſſe iis qui ſpiritualiter ſumpſerũt, cur mox hoc ipſo capite contendis hæc eadem nihil fuiſſe quàm vmbras & typos, à quibus etiam Chriſtum ſeparas? Imò capite ſexto quàm præfractè contendiſti epitheton Spiritualis quod additur petræ, non conuenire ipſi petræ corporeæ, ſed Chriſto? An quia hoc epitheton aliter in cibi & potus quàm in mannæ & petræ vocabulis explicandum eſſe cenſes? Faceſſant igitur iſta, & ſpiritualem cibum, potum, petram, dici conſtituamus ab vſu altero, cui deſtinata hæc erant: nempe nõ paſcendis corporibus, ſed animis: id eſt, vt ſpiritualium rerum, corporis videlicet ac ſanguinis Domini, in vitam æternam vera & certa eſſent tum fidelibus tum infidelibus ſacramenta. qua ratione omnes dicuntur ſpiritualem cibum & potum ſumpſiſſe, quanuis ſoli fideles rem ipſam perceperint. Aliud eſt enim, de re ſtatuere cuiuſmodi ſit per ſeipſam, quàm quærere quid ex ea quiſpiam percipiat. Hanc explicationem huius epitheti non modò ratio ipſa & loquendi vſus, ſed (quod magis mireris) illa ipſa Ambroſij verba manifeſtè cõfirmant quæ pro te citas. Ait enim ille ſpiritualia hæc vocari, *quia non mundi lege parata ſunt, ſed Dei virtute ad tempus creata, habentia in ſe figuram futuri myſtery, quod nos nunc ſumimus in commemoratione Chriſti Domini.* Et de hoc quidem hactenus.

Veniamus tandem ad tertiam quæſtionem, qua ratione mannam & petram vocemus ſacramenta, & quatenus cum noſtris à Paulo conferantur. Vis enim non fuiſſe propriè ſacramenta, ſed tantùm miracula, quæ Paulus inducat tanquam noſtrorum ſacramentorum typos & figuras: acſi videlicet ne figuræ quidem ſint ex Domini inſtitutione, ſed tantùm ex Pauli (vt tu loqueris) inductione. Hinc autem duo elicis. vnum, non poſſe illa cum noſtris ſacramentis comparari, quum externa illa, putà manna, &

aqua

aqua ex rupe, maiorè miraculo ſint Patribus præſtita quàm nobis panis & vinum in
Cœna Domini:& è contrà maiora dona ſpiritualia nobis conferantur:alterum,nõ poſ-
ſe hinc effici,ſola ſymbola dari in Cœna Domini, quæ ſpiritualem communionem no-
ſtram cum Chriſto figurent.Ac nos quidem iſta bene conſequi dicimus, ſi modò firmũ
fuerit primum illud fundamentum. Videamus ergo quibus rationibus hoc à te confir-
metur. Citas Chryſoſtomi locum, vbi inter ſe confert figuram (id eſt, mannam Patri-
bus datam) cum veritate quæ nobis exhibetur: oſtendiſque magnam eſſe inter hæc a-
nalogiam.Quid hæc autem aduerſum nos,qui minimè negamus figuris excellẽtiorem
eſſe veritatem,& vmbris corpus, ſed qua in re poſitum ſit hoc diſcrimen quærimus? Ci-
tas præterea ex Cyrillo duos locos, quorum vnus eòdem tendit atque ſuperior Chry-
ſoſtomi ſententia:alterum autem vel ipſe nõ intelligis,vel mala fide aduerſum nos de-
torques.Quoniam enim Dominus capite Ioannis ſexto de manna loquitur ex Iudæo-
rum hypotheſi (qui nihil in manna præter externam ſubſtantiam ſpectabant quæ ven-
trem implebat) ideo illam vt corruptibilem cibum cum vero cibo comparans, nihil ei
amplius quàm cuiuis cibo tribuit, quo non poſſit homo niſi ad tempus nutriri. Itaque
quid mirum eſt Cyrillum in eo loco explicando ſimiles afferre ſententias? Quòd ſi de
manna loquutus eſſet ex ſpirituali vſu, quis eum exiſtimat alio ſermone vſurum quàm
Paulum,qui ſpiritualem cibum appellat?Sic Paulus alibi Circunciſionem exiſtimans ex Rom.4.11
vero illius vſu, ſigillum iuſtitiæ fidei vocat: alibi verò ex pſeudapoſtolorum ſenſu, per Phil.3.2
contemptum vocat conciſionem: & negat Chriſtum iis prodeſſe qui circunciduntur: Gal.5.2
atque adeò externam circunciſionem prorſus eleuat, quum illam videlicet non cõiun-
git cum veritate,id eſt,cum circunciſione cordis, ſed è cõtrario externam interiori op-
ponit: vt ij faciebant quos redarguere inſtituit. Tu verò, nihil prorſus diſtinguens, o-
mnia ſimul congeris, neque interim animaduertis, ſi verum eſſet quod ſuſpicaris, Cy-
rillum non nobiſcum ſed cum Paulo ipſo committi. Idem eſt iudicium de Ambroſij lo-
co quem citas ex libro de iis qui myſteriis initiantur:vbi etiam mannam conſideras nõ
quatenus ſacramentum erat ſiue ſpiritualis cibus, ſed quatenus cibus erat ſuſtinendæ
caducæ iſti vitæ ad tempus deſtinatus: vt ſi panem quotidianum vel cum pane myſtico
vel cum ipſo Domini corpore compararem. Quum autem plura non afferas argumẽta,
quis tibi conceſſerit quod flagitas, quum prorſus repugnet Pauli ſententiæ? Imò in eo
etiam claudicat tua probatio, quòd nullum omnino profers argumẽtum ex quo intel-
ligi poſſet mannam & petram ex ſola Pauli inductione, vt loqueris, non autem ex ipſa
Domini inſtitutione figuras eſſe ſacramentorum, nedum vt ſint ſacramenta. Qui enim
hoc probes, in quo non tantùm ipſa Pauli verba, ſed omnes etiam veteres interpretes
cogeris pro aduerſariis habere? Euicimus enim paulò antè, propriè propoſitum eſſe A-
poſtolo, ex rerum inter ſe ſimilium cõtemptu Corinthiis ſimilem pœnam denuntiare:
ac proinde ſacramenta cum ſacramentis comparata, eundem ſpiritualem cibum ac po-
tum vocari. Præterea vnde pendet vel figurarum (ſi ita mauis appellare) vel ſacramen-
torum ſiue myſteriorum dignitas? Certè ex eius rei natura quam figurant. Atqui diſer-
tè teſtatur Apoſtolus petram, ac proinde etiam mannam, fuiſſe Chriſti Sacramentum.
Oſtende igitur dignius & auguſtius aliquid eſſe in Cœna Domini quàm Chriſtum, aut,
quod ad rem ipſam attinet, patere vt hæc ſacramenta inter ſe hactenus exæquemus.
Quidni enim hoc faciamus cum Apoſtolo, qui maris traiectionẽ & nubis obumbratio- 1.Cor.10.1
nem Baptiſmi nomine ob eam ipſam cauſam exornat? At enim Apoſtolus hæc fuiſſe ty-
pos dicit. Rectè ſcilicet. Primùm nego vel mare, vel nubem, vel mannam, vel petram ab
Apoſtolo typos vocari. Quid igitur? dices. Nempe quòd pleroſque illorum non appro-
barit Deus, & quòd proſtrati fuerint in deſerto. Id enim ita eſſe nõ tantùm oſtendit ſe-
ries ipſa contextus, & ſcopus Apoſtoli, ſed ipſa quoque verba. Neque enim dicit Apo-
ſtolus hæc fuiſſe typos Iſraelitis propoſitos, ſed nobis eſſe typos. Quorſum autem? *vt*, in-
quit, *res malas non expetamus, ſicut illi expetierunt*, quòd ſimile iudiciũ alioqui ſimus ſu-
bituri. Sed etiamſi typos vocari poſſe demus, noſtri videlicet reſpectu qui noſtrorum ſa-
cramentorum quaſi ἀντίτυπα in illis intueamur, an propterea ipſis Iſraelitis vera eſſe ſa-
cramenta deſinent?

Et hæc quidem de tertia quæſtione dicta ſunto: cuius euerſo fundamento etſi neceſ-
ſe eſt corruere vtrunque illud quod extruxeras: hoc ipſum propius tamen conſideran-
dum puto, vt ſciamus quid in genere de veterum ſacramentorum cum noſtris collatio-
ne doceas. Primùm omnium doces definiendum ſacramentum. Rectè ſanè: ſed cur cum

ordinem ipſe non es ſequutus? Nos tamen ſequamur. Sacramenta vis dici alia quidem generaliter, ſigna videlicet quæ aliqua ratione teſtificentur de gratia, & confirment fidem in Chriſtum, cuiuſmodi fuiſſe vis ritus & figuras Legis, & varia miracula Iſraelitis exhibita: alia verò ſpecialiter à Dominu inſtituta, quæ habent annexam promiſſionem gratiæ, remiſſionis peccatorum & ſalutis: cuiuſmodi fuiſſe vis vnam Circuncifionem ſub Lege, nunc autem confiteris duo tantùm numerari ab omnibus veteribus. Ego verò primùm omnium hanc diuiſionem vt mutilam reprehenderim. Deinde, quòd miracula ſine diſcrimine conſtituere putas vnam cum Legis ritibus ſpeciem ſacramentorum. Poſtremò quoniam concidunt membra. Quid enim intereſt inter ſacramenta quæ confirmant fidem, & teſtificantur de gratia ex Dei inſtitutione, & ea quæ annexam habent promiſſionem remiſſionis peccatorum: quum nec gratia nec fides poſſint à promiſſione ſeparari? Ego igitur potius typos peculiari quadam ſignificatione ſic vocatos à ſacramentis propriè ſic appellatis diſtinguo: vt quum dicimus Iſaaci ſacrificium mortem Chriſti, Dauidem verò in pleriſque Chriſtum adumbrare, & in vna familia Abrahami duplicis fœderis imaginem fuiſſe, cæteráque eiuſmodi, quæ interdum quidem illorum, interdum verò noſtri potius quàm illorum reſpectu, typi & figuræ vocantur. Deinde ſacramenta rurſus in hac diſputatione ſeparatim à ſignis quæ peculiaribus quibuſdam vel rebus deſignandis, vel ſanciendis promiſſionibus fuerunt deſtina-
Gen. 41. 2. & ibid. 6 ta: vt ſeptem vaccæ & ſeptem ſpicæ Pharaonis: rubus ardens: manus Moſis modò le-
Exod. 3. 2. & 4. 6 proſa, modò ſana: vellus Gedeonis: Prophetarum viſiones multæ, & quæcunque ſimi-
Iud. 6. 37 lia occurrunt. Sacramenta verò demum propriè ſic voco quæcunque à Domino ſunt inſtituta, vt Eccleſiæ, non tanquam inanes picturæ, ſed velut certa & efficacia ſigna, gratiam illam vitæ æternæ in Chriſto velut noſtris oculis ſubiiciant, vt accenſa fide magis ac magis fiamus & Chriſti & ipſius donorum participes. Eiuſmodi ſacramenta ſub Lege fuiſſe affirmamus non tantùm Circunciſionem, ſed etiam purificationes & ſacrificia Legis, quorum vſus ad Chriſti aduentum perpetuus fuit. Iſtis autem accenſemus
Exod. 14. 22. & 16. 13. & 17. 6 etiam alia magis temporaria, vt tranſitum maris ante Legem, mannæ cibum, & potum aquæ ex rupe. quibus alia etiam addere liceret, ſi nunc de iis diſputandi locus eſſet. Tu verò ſolam Circunciſionem in hoc albo recenſes, cui videlicet vni adiunctam fuiſſe vis promiſſionem remiſſionis peccatorum. Quamobrem verò? *Quoniam,* inquis, *veteres omnes doctores ſolam Circunciſionem cum Baptiſmo conferunt.* Imò verò quis ex veteribus à Paulo diſſenſit, qui tranſitum maris adeò comparat cum Baptiſmo, vt Patres omnes teſtetur in eo baptizatos? Sed etiam ſi ita eſſet, quæ tamen erit iſta argumentandi ratio? niſi fortaſſe putas neceſſariò vel ſingulis veterum ſacramentis ſingula noua, vel ſingula vetera ſingulis nouis opponi oportere.

Subiicis præterea, *alios ritus Legis Moſaicæ nuſquam æquari ſacramẽtis noſtris.* Reſpondeo, ne nos quidẽ iſta inter ſe ſimpliciter & omnino exæquare, quod tu nõ ignoras: ſed in eo paria eſſe dicere quòd rem eãdem, id eſt Chriſtũ cum ipſius beneficiis, æquè verè ac certò Iſraelitis illi ritus ſignificarint, atque nobis Baptiſmus & Cœna Domini. quãobrem etiã illa ſub vno genere collocamus. Hæc autẽ initiò quidem cõcedis, ſed paulò pòſt conaris euertere: vt mirari nõ debeas ſi tibi nõ credimus, qui à teipſo diſſentias. Sic enim pagina 282, *Nos,* inquis, *concedimus quod ſemper conceſſimus, Patres paria in re nobiſcum ſacramenta habuiſſe, quo ad Chriſtũ, quẽ ſpiritualiter fide manducauerunt: & carnis eius cõmuniter nobiſcũ participes factos fuiſſe. Recipimus etiam quod iam antè receptũ fuit, ſacramenta Patrum & noſtra ſecundum plus & minus inter ſe differre: nos Chriſto pro reuelationis ampliore menſura vberius frui: Chriſtũ plenius nos, quàm olim Patres, paſcere carnis ſuæ ſubſtantia.* Hæc tua verba ſunt, hoc vnũ à nobis præterea, illo quidẽ loco, requirentis, vt inſuper fateamur nos corporali modo fieri corporis & ſanguinis Chriſti participes vnà cum pane & vino. Quæro igitur ex te quænã ſacramenta cum noſtris re ipſa paria eſſe cenſeas: quæ fides, quæ perceptio Chriſti in illis ſacramẽtis locũ habere potuerit, ſi vna Circunciſio adiunctã habuit promiſſionem remiſſionis peccatorum? Quòd ſi nihil hîc habes quod reſpondeas, cur pagina 288 & 289 à teipſo diſſentis, ac non potius in veritate permanes? Qui enim antea veterum ſacramenta noſtris, quod ad rem, id eſt, quod ad Chriſtum attinet, paria feceras, vbi ad rem ventum eſt, legales victimas nihil aliud fuiſſe tradis quàm admonitiones quaſdam futuri ſacrificij Chriſti, quod illi per fidem apprehendentes, ſimul etiam in eo accipiebant peccatorum remiſſionem. Admonitionis autem nomen multo leuius eſſe quàm ſacramenti, res ipſa oſtendit. nec ipſe aliter

id

id ſumis quum ita loqueris, vt qui Circunciſionem vnam dicas cum noſtris ſacramentis poſſe comparari. Vbi autem illa rei paritas, ſi ne nomen quidem ſimili nuncupatione commune illis relinquitur?

Sed quænam profers argumenta? Quæris, *An quòd toties ſacrificium vocatur hoſtia ſeu victima pro peccato, idem valeat quantum promiſſio addita Baptiſmo & Cœnæ?* Reſpondeo, non tantùm ſimilem, ſed etiam eandem eſſe vtrobique promiſſionem, quamuis in Baptiſmo & Cœna Domini ſit expreſſior & efficacior: & hoc dico meritò non poſſe reuocari in dubium ab eo qui paulò antè ſit confeſſus ſacramenta veterum (ſacramenta, inquam, non ſacramentum, ne te quiſquam exiſtimet de ſola Circunciſione prius locutum eſſe) cum noſtris, quod ad rem, id eſt quod ad Chriſtum attinet, paria eſſe. Quòd ſi etiã tibi daremus id quod vnum antea petebas, nempe corporalem illum præſentiæ modum in Cœna Domini, an tamen cõſequeretur, iſta ſacramenta, quod ad rẽ ipſam ac non potius quod ad rei ipſius cum ſigno copulationem & eiuſdem perceptionem attinet, imparia eſſe? Sed qua fronte negabis promiſſionẽ de remiſſione peccatorũ & vita æterna iis ſacramẽtis adiunctam fuiſſe, in quibus oblatum & per fidem ſpiritualiter apprehenſum fuiſſe Chriſtũ confiteris? Vbi enim gratia & fides, certè & verbũ, & Chriſtus in iuſtitiã oblatus. Iam verò ſigna iſtis adiungito quãuis multiplicia ac diuerſa, nec pari ſignificationis analogia, aut efficacia, ánnon tamen eadẽ ſacramenti definitio iſtis cõueniet quæ & Baptiſmo & Cœnæ Domini? Quòd ſi etiã ſpecialia de ſingulis teſtimonia requiris, quoties inuenies in Scripturis expreſſam promiſſionem de peccatorũ expiatione ſacrificiis adiunctã? De tranſitu maris & nube quid attinet quærere teſtimonia, quũ Paulus non dicat iſta fuiſſe nobis noſtri Baptiſmi typos, ſed Patres ipſos in illis baptizatos, id eſt, illis id fuiſſe quod nobis eſt Baptiſmus? De Cœna Domini verò quid auguſtius dici potuit quàm illud, *Petra erat Chriſtus?* Quòd ſi requiris veterum teſtimonia, ánnon audis Auguſtinum clarè & expreſſè teſtantem, non id quod ipſe affirmas, mannã videlicet & petram, non fuiſſe ſacramenta, ſed noſtrorum ſacramentorum typos, idque non ſuapte natura, ſed ex Pauli (vt loqueris) inductione: ánnon, inquam, audis Auguſtinum longè aliter loquentem? *Sacramẽta Iudæorum,* inquit Auguſtinus, *in ſignis fuerunt diuerſa, in re paria: diuerſa ſpecie viſibili, paria virtute ſpirituali.* Et idem alibi dicit, *In ſignis diuerſis eadem fides: quia verba ſonos mutant per tempora, & vtique nihil aliud verba ſunt quam ſigna. Bibebant Patres eundem ſpiritualem potum. nam corporalem non eundem. Videte ergo, fide manente, ſigna variata. Ibi petra Chriſtus: nobis Chriſtus quod in altari ponitur. Et illi pro magno ſacramento biberunt aquam profluentem è Petra: nos quid bibamus norunt fideles. Si viſibilem ſpeciem intendas, aliud eſt: ſi intelligibilem ſignificationem, eundem potum ſpiritualem biberunt.* Iam igitur intelligis nos non eſſe oblitos eius quod à nobis petiiſti, nempe ne obliuiſceremur ex Scripturis probare mannam & aquam ex rupe eſſe ſacramenta qualia ſunt Baptiſmus & Cœna. Nam qui Patres in mari & in nube baptizatos, mannam ſpiritualem cibum, & petram Chriſtum fuiſſe dicit, omnia dicit. Neque tamen definimus inter ſigna quæ exhibitionem rei præcedunt, & ſigna quæ eandem conſequuntur aptè diſtinguere, quod tu falſò nobis imputas. 1.Cor.10.a.

Verùm audiamus etiam argumenta quibus probari poſſe putas, mannam & potum ex rupe & ſimilia non fuiſſe ſacramenta pari ratione atque Circunciſionem aut noſtra ſacramenta. *Quoniam*, inquis, *Patres non fuiſſent inferiores ſed ſuperiores nobis, vt qui abundantiori copia habuerint promiſſiones, & plura ſacramenta gratiæ quàm nunc habeat Eccleſia.* Argutè profectò. quaſi promiſſiones Patribus factæ de ſalute in Chriſto ad nos non pertineant; ad quas iam acceſſit ipſius Chriſti exhibitio, & earundem promiſſionum infinitis partibus clarior & millies repetita explicatio: quaſi etiam Dominus Spiritum ſuum non multo largius infundat Eccleſiæ: quaſi denique ex ſacramentorum multitudine ſit æſtimanda Eccleſiæ dignitas, ac non ex paucitate potius. Cur enim plura illic ſacramenta, niſi quia non tanta lux, & maior imbecillitas? imò niſi infirmi adhuc eſſemus, & ex parte cognoſceremus & crederemus, quid attinebat vlla ſacramenta inſtituere? Multò ſanè aliter ſenſit Auguſtinus, qui noſtræ Eccleſiæ hanc quoque præſtantiam recenſet, *quod Chriſto reuelato ſacramenta fuerunt inſtituta numero pauciora, ſignificatione auguſtiora, virtute præſtantiora.* Quid tu porrò? Citas epiſtolam ad Hebræos, quæ docet ſacrificia Leuitica non potuiſſe ſuos cultores perficere: ſanguinem taurorum & hircorum ſanctificaſſe inquinatos ad carnis (non ad ſpiritus) purificationem: Legem obtinuiſſe vmbram futurorum bonorum, non ipſam imaginem

Aug. ad Inquiſit. Ianuarii cap. 1 & de doctr. Chriſt. cap. 9.

Leuit. 3. & 4.15. rerum:hoſtias quotidianas non potuiſſe auferre peccata. Itáne verò? cur igitur ſacrificiis pacati dicitur Dominus?cur ſacrificium pro peccato inſtitutum? cur tam ardenter Dauid ad tabernaculum adſpirat? vnde illa ſacerdotii Leuitici collaudatio? Nempe ſibi non repugnat Spiritus ſanctus:ſed vbi ſigna ſeparantur à rebus ipſis,ſigna eſſe deſinunt,& ad naturalem conditionem redeunt.Itaque non mirum eſt ſic aduerſus Iudæos,qui ſigna ſeparabant à Chriſto,diſputari,vt ſi de rebus naturalibus,non autem de ſacramentis eſſet inſtituta diſputatio. Sic Paulus Circuncisionem ſigillum iuſtitiæ fidei appellat, quam alibi non modò negat Iudæum facere,ſed etiam affirmat à Chriſto excludere:nunc quidem illam ex inſtitutione Domini & legitimo vſu ſub Lege, nunc verò ex falſa Iudæorum hypotheſi æſtimans,vt paulò antè quoque diximus.

Rom.4.11. Gal.5.2.

Superſunt nonnulla in quibus prætetea nobis es compellandus. In modo communicationis & perceptionis Chriſti ſcribit Caluinus hoc quoque obſeruandum eſſe diſcrimē inter nos & Patres qui Chriſti aduentum præceſſerunt, quòd etſi illi fuerunt Chriſti verè participes per fidem ſpiritualiter in ſuis ſacramentis,tamen eorum fides non ferebatur ſe ipſa in ipſam Chriſti ſubſtantiam (vtpote quæ nondum extitiſſet) ſed duntaxat in eum fructum qui ad nos ex eo redit quòd Chriſtus per fidem fit noſter, vt ſalutem ex eo hauriamus.Res igitur eadem fuit,& fructus idem,ſed modus in eo diuerſus, quòd eorum fides Chriſtum ſimili quidem fructu,ſed tamen per ſpem,vtpote venturum,amplexa eſt: noſtra verò eundem Chriſtum,ſed qui iam reipſa exiſtat,& ita ſeſe nobis communicet, verè apprehendit.Quid autem hîc habes quod reprehendas?Nempe quia vel non intelligis quid ſcribat Caluinus,vel ſimulas te non intelligere,perinde cum illo agis ac ſi à ſeipſo diſſideret,vt qui videatur vel concedere ſubſtantiam Chriſti nobis dari(quod alibi negarit) vel Chriſti ipſius communicatione Patres ſpoliate.Neutrum autem verè dici, neque vnquam Caluinum Chriſti communicationem à virtutis ipſius participatione ſeparaſſe tot ſcripti libri teſtantur,vt nulla noua probatio requiratur.

Poſtremò contendis,etiamſi quæcunque diximus de reliquis ſacramentis vera eſſent, tamen illud non conſequi, nos non aliter in Cœna Domini fieri Chriſti participes quàm in Baptiſmo,id eſt,ſpiritualiter per fidem. Ais enim argumentum à genere ad ſpeciem non valere,niſi addito ſigno vniuerſali. Concedo: ſed cur ſignum vniuerſale non addis? *Quoniam*,inquis,*Cœna Domini habet quiddam peculiare.* Sanè fateor:ſed neque in re ipſa, neque in communicandi modo: verùm in analogia ſignorum, & peculiari reſpectu qualitatis Chriſti, vt ita loquar, quoniam videlicet Chriſtus in Baptiſmo nobis vt regeneratio:in Cœna Domini,vt regeneratorum alimentum: ſed idem tamen Chriſtus, eadem Spiritus virtute, eadémque fide communicandus proponitur. Hoc tu quidem inficiaris,& præterea corporalem præſentiæ & communicationis modum requiris. Sed vnde tandem illum comprobabis?Nam nobis quidem æquè expreſſa videtur hæc oratio, *Nónne qui batizati eſtis,Chriſtū induiſtis?* Et, *Qui crediderit & baptizatus fuerit,ſaluus erit.* Et, *Omnes in vnum corpus baptizati ſumus:* & quæcunque Paulus de Baptiſmo commemorat cap. ad Rom. 6. atque illa, HOC EST CORPVS MEVM: &, HOC EST SANGVIS MEVS: &, *Poculum cui benedicimus,cõmunicatio ſanguinis Chriſti eſt:* &, *Panis quem frangimus,communicatio corporis Chriſti eſt.*

Gal.3.27. Marc.16.16. 1.Cor.12.13. 1.Cor.10.16.

Ad cap. XXXII, *De locali incluſione.*

Quoniam initiò putauimus verum corpus, id eſt, ſuis dimenſionibus conſtans, Chriſto abs te tribui cum Scripturis, idcirco etiam neceſſariò credidimus conſequi, vt qui Chriſti corpus cum pane modo ſubſtantiali & corporali copulatet, idem etiam in pane tanquam in loco corpus Chriſti conſtitueret. Tu verò quereris magnam tibi in ea re iniuriam fieri. Dicas igitur quomodo tandem corpus Chriſti realiter ponas in, vel cum,vel ſub pane. Hoc alibi negas inquirendum, & nunc contentus es dicere non naturaliter id fieri: nempe vt D. Bucerum fœlicis memoriæ virum in tuas partes trahas. Verùm quid tandem ex Bucero colliges, niſi quod nos etiam vrgemus, Chriſtum quanuis in cælo manentem,ſacramentaliter tamen cum pane coniungi, id eſt, ita vt ſicut ſymbola figurant,ſpiritualiter per fidem veriſſimè nobis communicetur, vt vitam æternam ex eo hauriamus?

Sed modum quem non audes apertè confiteri, ne philoſophari videaris, ego ita explicabo vt inficiari non audeas. Putas corpus Chriſti eſſe in pane definitiuè, eſſe vbique

que repletiuè ſupernaturaliter. Nos hanc philoſophiam & hæc portenta prorſus libenter tibi relinquimus: & quoniam ſcimus verum Chriſti corpus, ac proinde finitum ac circunſcriptũ cælos tranſcendiſſe, ibique Petrum teſtari oportere vt eum capiant cæli, Act.1. ideo etſi non inueſtigamus curioſè an ſit ſupra cælos locus, neque quo modo illic capiatur, neque etiam negamus quin nihilominus tam verè noſter fiat, & vitam nobis inſpiret, quàm promittit verbo, & ſacramentis figurat, imò etiam efficacius multo quàm ſi naturaliter coniungeretur: tamen eum quod ad humanitatem attinet non alibi quàm in cælis eſſe, & ſpiritualiter ibi quærendum credimus.

Ad Caput XXXIIII, *De adoratione Chriſti in Euchariſtia.*

Omnia in Eccleſia Dei honeſtè & decenter facienda, ac prorſus reuerẽter ſacra myſteria eſſe peragenda, non ore tantùm ſed etiam reipſa & exemplis, beneficio Dei, profitemur. Hanc quoque reuerentiam, etſi præcipuè poſita eſt in cordis affectu, præſentem ſibi Deum, præſentem cæleſtem menſam, præſentes angelos pio quodam horrore conſiderantis: tamen externis etiam ſignis, putà geniculatione in communibus precibus, aperto capite, decenter ſalutatis iis ex quorum manu myſteria accipimus, totóque adeò habitu ac geſtu teſtificati libenter conſueuimus: nec qui aliter faceret, ſine graui reprehenſione diſcederet. Quid igitur requiris? an vt procũbamus ante myſteria? an vt ſymbola eleuemus, vt alij in genua prouoluantur, pectus tundant, & cætera eiuſmodi faciant? Id verò abſit vt vel faciamus ipſi, vel aliis faciendum præcipiamus. *Atqui*, inquis, *non pani, ſed Chriſto id præſtatur.* Nos verò Chriſtum nõ quærimus in pane, ſed in cælis: & quanuis hæc ſciamus ſacra eſſe ſymbola ipſius veri corporis & veri ſanguinis Chriſti, tamen abſit vt adoremus, vel alia quàm ea de qua diximus ratione veneremur. Chriſtus enim iuſſit vt acciperemus, ederemus, biberemus, decenter videlicet, ſicut omnia: & hæc quidem in primis fieri debent in Eccleſia: vt autem adoraremus non iuſſit. Quid eſt autem aliud adoratio abſque Dei verbo, quàm mera ſuperſtitio? & quis diſcernet ipsíne pani an Chriſto hunc honorem habeas? Illud verò præ cæteris demiror, quî adorationem iſtam liberam relinquas, qui tamen Chriſtum reipſa corporaliter vt in cælis cum pane adeſſe, dari, & ſumi fatearis. Id enim ſi ita eſſe crederem, adorationem illius profectò non modò tolerabilem & religioſam, ſed etiam neceſſariam arbitrarer.

Ad Caput XXXV, *De abſurdis & perplexis quæſtionibus.*

Hoc caput quoniam verè addidiſti *ἐκ περιουσίας*, quid tandem attinet aduerſus te diſputare? Curioſas quæſtiones teſtaris damnari Dei verbo. Profers ad eam rem confirmandam Baſilium, Cyrillum, Chryſoſtomum, Ambroſium, Auguſtinum, Nazianzenum, & quem non? Atqui de hac re nobis non eſt contentio. Videas ipſe vtri teſtimoniis iſtis redarguantur, iíne qui ex Scripturis adſtruunt corporis Chriſti veritatem, & ad hanc amuſſim exigunt Scripturæ interpretationem: an is potius qui vt corpus inuiſibile & *ἀπερίγραπτον* (id eſt, corpus non corpus) ſabricet, quæcunque de vera aſcenſione Domini in cælos, & ſecundo eius aduentu dicta ſunt, funditus euertit, quũ ea omnia ad ſolam formæ mutationem refert.

Ad Caput X. *De locis collectis ex Auguſtino.*

PLACVIT in hunc locum reiicere quæ ex Auguſtino detorques, ne multa ſimul permiſcerem. qua in re ſi rurſus quæſtiones confundam, par eſt vt tu culpam eius rei ſuſtineas, cuius ſequi veſtigia cogimur. Omittam autem longas tuas præfationes, quibus non aliter in viuos & mortuos inueheris, quàm ſi omnem Chriſti præſentiam ſimpliciter tolleremus, ac non potius vnicum illum præſentiæ modum, quem ipſe contra omnes Scripturas, nulla cogente neceſſitate conſtituis. qua de re ſatis ſupérque à nobis dictum puto. Vnum tantùm attingam. Dicis Caluinum ſummam rei ad vnam hanc quæſtionem reuocaſſe, Propriéne an verò impropriè per metonymiam intelligenda ſint Chriſti verba. Deinde in hoc aduerbio IMPROPRIE magnos tollis clamores. Quæris enim quis ex Apoſtolis, quis ex veteribus interpretibus eò ſit audaciæ progreſſus, vt Chriſtum diceret impropriè locutum in condendo teſtamento. Atqui primùm omnium non impropriè, ſed propriè & apertè falſarium eſſe te dico. Verba enim Caluini hæc ſunt: *Tantùm quæritur*, inquit Caluinus, *propriéne & abſque figura panem intelligat eſſe corpus ſuum: an verò nomen rei ſignatæ ad ſymbolum transferat.* Nulla hîc improprij ſermonis mentio, ſed figurati, quem ſi eundem facis, cur tandem

lites moues de nihilo? Nam figuratus ſermo tãtum abeſt vt vel obſcuret orationem vel deformet (niſi fortaſſis nimium obſcura aut longius petita ſit tranſlatio) vt è contrario nihil æquè illuſtret ac exornet: quod ipſum in huius metonymiæ exemplo ſatis ſuperque probauimus. Cur autem de hoc tropo non rogarint Apoſtoli, potueras ex Chryſoſtomo duas cauſas cognoſcere: vnam, quòd antea ex concione illa in Capernaum habita ſatis fuerant edocti ſpiritualia hæc eſſe: alteram, quòd non multùm turbari & obſtupeſcere potuerint, quum Dominum ipſum viderent ante alios omnes edere & bibere eundem potum & cibum. Itaque non potuerunt non myſterium intelligere, quum nemo ſeipſum corporaliter edat aut bibat. Ex veteribus autẽ Auguſtinus nónne apertè & tribus minimùm locis, *figuratum eſſe ſermonem* dicit, quo Dominus vult carnem ſuam edi & ſanguinem bibi? Tertullianus *figuram corporis* nun interpretatur? Sed de his plus ſatis. Ad rem veniamus.

Caluinus, vt oſtendat Auguſtinum non aliter verba Cœnæ Domini quàm metonymicè explicaſſe, profert hunc locum ex epiſtola 23 ad Bonifacium. *Si ſacramenta quandam ſimilitudinem earum rerum quarum ſacramenta ſunt non haberent, omnino ſacramenta non eſſent. Ex qua etiam ſimilitudine plerunque rerum ipſarum nomina accipiunt. Sicut ergo ſecundum quendam modum ſacramentum corporis Chriſti, corpus Chriſti eſt: ſanguinis ſacramentum, ſanguis eſt: ita ſacramentum fidei, fides eſt.* Quid tu ad hæc reſpondes? Similitudinem agnoſcis, & multis etiam verbis explicas, vti facere ſoles in rebus minimè controuerſis: ſed quum ad rem ventum eſt, quid tandem affers? Dicis Auguſtinum ludere in corporis vocabulo, quaſi videlicet de myſtico Eccleſiæ corpore loquatur. Sed quid ſimile dices in altero membro, vbi idem dicitur de ſanguine? an ibi quoque cauillaberis de ſanguine Eccleſiæ loqui Auguſtinum?

Quæris poſtea, *An totum negotium Cœnæ ſit transferendum ad ſignificationem.* Reſpõdeo, hanc quæſtionem nihil ad nos pertinere qui minimè inanem ſignificationem facimus, & id nobis verè per fidem cõmunicari dicimus quod verè per ſymbola figuratur. Subiicis, *nos ex particularibus propoſitionibus facere quæſtiones vniuerſales.* Excipio Auguſtinum disertè de ſignis Cœnæ Domini agere, & qua ratione rei nomen ſignis ipſis tribuatur differere. Oſtendas igitur nos intra iſtos fines non permanere.

Quæris, *An apud Auguſtinum corporis nomen nuſquam ſignificet ſubſtantiam præſentis, ſed figuram abſentis corporis.* Reſpõdeo, quoties de hoc ipſo agit Auguſtinus, quomodo ſacramentum dicatur eſſe corpus & ſanguis, nunquam aliter accipi corporis nomen quàm pro vero corporis ſigno: corporis, inquam, viſibilis & finiti, quod non eſt in terra, ſed in cælis, & tamen verè offertur & ſumitur, ſed ſpiritualiter per fidem. Si hoc negas, proferas locum ex quo tua confirmes. Auguſtinum obiicit Caluinus modò figuram, modò ſignum corporis appellare, quod dicitur corpus apud Euangeliſtas. Reſpondes, *id fieri propter relationem ad res ſignificatas, & propter ſpeciem apparẽtem ſenſibus.* Prius concedo: ſed hoc adiicio, ſi præter ſignificationem requireretur etiam illa corporalis præſentia quam tu ponis, cauſam nullam fuiſſe cur Auguſtinus illa explicatione vteretur. Quis enim dubitare potuit ſacramentum eſſe ſignum eius rei quam ſignificat? Sed de illo dubitari potuit, quomodo dicatur panis eſſe corpus. ad quod reſpondet Auguſtinus, ideo dici, non quòd ſit corpus, vel quòd cum illo realiter ſit corpus, verùm quia ſignum eſt ac figura corporis. Neque ſanè apud illum inuenies aliam vllam explicationem huius dicti, HOC EST CORPVS MEVM. Itaque poſteriorem rationem, de ſpecie apparente ſenſibus, prorſus repudio, non modò vt commentitiam, ſed etiam vt ineptã. Neque enim externis ſenſibus apparet panis aut vinum quatenus ſunt ſacramenta, id eſt, ſigna corporis & ſanguinis: ſed ſola fides hoc videt, quoniam id ei annuntiatur per verbum quod de hoc pane & vino dicitur.

Citaſti Auguſtini locum, in quo dicitur corpus Domini *cadere in terra, & in os ingredi.* Reſpondet Caluinus, eodem ſenſu quo alibi dixit conſumi: nimirum corporis nomine, maioris emphaſεως & declarandæ ſacramentalis coniunctionis cauſa, ad ipſum ſignum accõmodato: cuius tropi author eſt ipſe Chriſtus. Hîc verò tu negas Auguſtinum dicere corpus, ſed panem conſumi. Atqui hoc conſtat, apud Auguſtinum dici id conſumi quod in altari ponitur. Doceas ergo nos quid illud ſit. Si panem & corpus dicas, ſiue corpus cum pane, neceſſe eſt vt id omne quoque conſumi fatearis, vel rationem oſtendas cur pronomẽ in Auguſtini dicto aliter explicandum putes quàm pronomẽ HOC, in Chriſti verbis. An quia Auguſtinus dicit id conſumi, Chriſtus iubet hoc

accipi,comedi,& bibi?Ego verò verbum CONSVMI non aliud puto declarare, quàm quod Comedendi & Bibẽdi verbo Chriſtus declarauit. Loquitur enim Auguſtinus de infantibus,ac proinde ad ea reſpexit quæ externis puerorum ſenſibus percipiuntur,nõ autem ad ea quæ calor naturalis intus agit. Prodeas ergo, & teipſum in omnes partes conuertas: nunquam oſtendes in hoc Auguſtini loco verbum CONSVMI aliud declarare quàm comedi & bibi.Cur ergo potius à Conſumendi quàm ab Edendi & Bibẽdi verbo abhorres?an quòd verearis ne putemus in nihilum redigi? Sanè hoc aliquid eſt.ſed liberamus te hac ſuſpicione,quoniam Auguſtinum fatemur nihil niſi externam edendi & bibendi actionem reſpexiſſe. Sed ſanè miror te abhorrere à Conſumendi verbo, quem non pudeat cum papa Nicolao confiteri, id quod in altari ponitur,poſt conſecrationem manibus ſacerdotum ſenſualiter, non tantùm ſacramento, ſed etiam in veritate tractari, frangi, & dentibus atteri. Quid ſi verò tibi demus quod poſtulas, vt ſolus panis dicatur conſumi? quo tandem pudore, quæſo, nobis deinceps obiicies nos ſeparare quæ Deus inſeparabiliter coniunxerit? Imò cur maior eſt tibi religio dicere corpus Chriſti conſumi,quàm edi,bibi,ore accipi,frangi,dentibus atteri?quid amplius? etiam in terram cadere?Sic enim loquitur Auguſtinus,vt tu ipſe citas:& hoc ſaltem poſtremum non multo minus conuenit vero Chriſti corpori, quàm ſi conſumi dicas.Itaque concidunt tuæ iſtæ argutiæ, quibus niteris probare ſanctam Cœnam à Caluino euacuari corpore & ſanguine Domini,& pro his relinqui corruptibilia elementa. *Quoniam*, inquis, *probare nititur ex Auguſtino corpus conſumi: corpus autem Chriſti non conſumitur, ſed panis: edi ergo panem, non Chriſti corpus ſentit.* Imò verò Caluinus tam confitetur corpus conſumi quàm edi apud Auguſtinum, & ſynonyma eſſe hæc duo: ſed iſta omnia metonymicè dici ex ipſo Auguſtino probat, qui de ipſomet Chriſti corpore (quem cum Petro dicit in cælis eſſe, & quidem in aliquo certo loco propter veri Act.3 corporis modum) nunquam certè iſta pronuntiaſſet. Alioqui hoc vnum nobis oſtende,quomodo corpus Chriſti ſine vllo tropo dicatur in terram cadere, præſertim ſi eſt, vt tu vis,inuiſibile & vbique,ac proinde ἀπερίγραπτον.

Vrges locos in quibus veteres, Chriſti nimirum veſtigia ſequentes, corpus Chriſti dicunt in os intrare, ore, labiis, lingua accipi. Quaſi verò non apertus ſit tropus in his loquutionibus, quò ſignificantius ſacramentalis coniunctionis, ac etiam ſpiritualis noſtræ perceptionis veritas exprimatur. Si hoc negas, cur dicis aliud in Cœna videri, aliud credi?Sunt enim hæc quoque Chryſoſtomi verba, *O quot modò dicunt, Vellem formam & ſpeciem eius,vellem veſtimenta,vellem calciamenta videre! Ipſum vides, ipſum tangis.* Itaque ſi omnia illa ſine tropo accipienda ſunt, cur non corpus etiam inuiſibile videri,ἀπερίγραπτον tangi confitearis?Citas Irenæi locum,in quo dicit carnem noſtram à Iren. aduerſus Valentinianos, lib. 5 corpore & ſanguine Domini ali & nutriri. Quis verò noſtrûm hoc vnquam negauit? ſed ſpiritualiter illam percipi per fidem dicimus ad corporis & animi vitam ſempiternam. Neque verò nos à Patrum loquutionibus ſimpliciter abhorremus: ſed quoniam te videmus Capernaitarũ more iis abuti quæ à veteribus figuratè Chriſti exemplo dicta ſunt,idcirco illorum ſententias partim ex eorum ſcriptis inter ſe collatis,partim ex ipſo Dei verbo explicamus:& ne cuiquam præbeamus offendiculi occaſionem, quàm maximè planè ac perſpicuè in hac controuerſia loqui ſtudemus. Cætera conuicia quæ tu nos in hoc loco, ac præſertim in Caluinũ euomis, quaſi ex ſacris ſymbolis corpus & ſanguinem Domini rapiamus (vt tu loqueris) aut ea nihil aliud quàm quaſdam admonitiones & commonefactiones eſſe doceamus:quaſi denique non alij ſimus quàm Monetarius,Rex Anabaptiſticus Monaſterienſis,& reliqui Enthuſiaſtæ, libens prætermitto: quoniam non immeritò vereor ne vnà cum iſtis conuiciis omnem etiam cõmunem ſenſum euomueris.

Ad Caput XI, *De indignis & malis Chriſtianis,ſoláne ſymbola,an verum corpus & ſanguinem Domini accipiant.*

Conuenit inter nos, Sacramenta integra,id eſt,& ſigna & rem omnibus pariter præberi:quoniam ab hominis dignitate non pendet Chriſti liberalitas vel fides. Sic omnibus promiſcuè Euangelium ſalutis prædicari, & Baptiſmum regenerationis dari profitemur. Sed Chriſtum, qui eſt & Verbi ſimplicis & ſacramentorum ſubſtantia, ſola fide, ac proinde à ſolis fidelibus percipi, à cæteris reſpui dicimus: ac proinde illis ſolis ad vitam, iſtis ad perniciem ſuam tum Verbum ſimplex tum etiam ſacramenta cedere. Tu verò vis in Cœna Domini coniuncta eſſe ſigna cum rebus tam inſeparabil

coniunctione,(corporali videlicet & eſſentiali modo,quanuis inuiſibili) vt quiſquis ſumit ſymbola,etiam rem ipſam,id eſt Chriſtum percipiat:alij quidem, id eſt fideles, ad vitam:reliqui verò ad iudicium: niteriſque in tuas partes Auguſtinũ pertrahere. Quid is autẽ ſenſerit oſtẽdere ſolemus ex perſpicuis eius teſtimonijs: veluti quòd apertè dicit, *eum non manducare corpus Chriſti, qui non eſt in corpore Chriſti*. Item, *Chriſtus dicens, Qui manducat carnem meam, oſtendit quid ſit non ſacramento tenus, ſed reuera corpus Chriſti manducare, & eius ſanguinem bibere.* Item, *Qui diſcordat à Chriſto, nec carnem Chriſti manducat, nec ſanguinem bibit: etſi tantæ rei ſacramentum ad iudicium ſui quotidie accipiat.* Huc etiam pertinere dicimus ꝙ ſæpiſſimè inter ſacramentum & rem ſacramẽti diſtinguit, & diſertè ſcribit, *alios diſcipulos ſumpſiſſe panem Dominum, Iudam non niſi panẽ Domini.* Quid tu ad hæc VVeſphale? Citas locum ex lib.1, cõtra Creſconium, vbi dicit Auguſtinus, *Corpus Chriſti pernicioſum fieri malè vtentibus.* Addas etiam, ſi libet, quod alibi ſcribitur, *Corpus Domini quod bonum eſt, malis malum eſſe.* Omnia hæc & ſimilia quidni concedamus? ſed oſtende, malè vti corpore Domini idem eſſe atque ſine fide Chriſtum ipſum percipere, ac non potius oblatum corpus & ſanguinem ſua infidelitate reſpuere. Atenim dices, cur igitur Auguſtinus, *viuificum cibum, noſtrum pretium, rem ſanctam*, corpus ipſum nominat? Quoniã videlicet ſpectat quid offeratur tum dignis tum indignis, non autem quid ipſi reuera ſumant. Nam ſi ſolus panis offerretur incredulis, ac non etiam corpus, non ſanè dicerentur malè vti corpore, ſed pane: ac proinde rei non eſſent non diiudicati ſiue contempti corporis Chriſti, ſed panis duntaxat.

Aug. de Ciuit. Dei li. 21. cap. 25.
Ibidem.
De vera innocẽtia, cap. 339.
Tractatu 59. in Ioan.
Cap. 25.

Atenim excipies Auguſtinum dicere non tantùm *dari corpus*, ſed etiam *mãducari, bibi, ſumi, accipi, percipi indignè.* Fateor, ſed ea nimirum ratione qua rei ſignificatæ nomen ſigno tribui alibi declarauit, quum diceret, *ſignacula malis & bonis eſſe communia, rem ipſam fidelibus ſolis.* Itaque Epiſtola 163, non dicit corpus, ſed *ſacramentum corporis Iudæ proditori datum.* & libro 2, contra Petiliani epiſtolam, cap. 37, non dicit, *Iudam & Petrum pariter communicaſſe corpus & ſanguinem*, ſed *rem ſanctam, id eſt*, vt ipſe interpretatur, *ſacramentum.* Quid enim? an dicemus infidelibus aditum patere in cælum, vbi demum Chriſti corpus eſſe, idque nõ manu, ſed fide quærendum idem Auguſtinus teſtatur? Sic ergo illa accipienda ſunt, vt quum dicit *caueri, quando miniſtratur corpus, vt nihil de ipſo in terram cadat:* & Chryſoſtomus, *Chriſtum ipſum videri & tangi.* Quis enim dixerit ipſum corpus Chriſti in terram cadere, tangi, aut videri, ac non potius corporis ſacramentum? Rectè igitur Hieronymus lib. 4, in Hieremiam cap. 22, vt iam olim citarunt alij, *Quòd infert*, inquit, *non comedent & bibent, ſubauditur corpus & ſanguinem ſaluatoris. Loquebatur autem de hæreticis.* Idémque in Eſaiam cap. 66, *Dum non ſunt ſancti corpore & ſpiritu*, inquit, *nec comedunt carnem Ieſu, nec bibũt ſanguinem eius.* Quòd ſi vera eſt Chryſoſtomi ſententia, qui in opere imperfecto in Matthæũ teſtatur, *in ſanctis vaſis non eſſe corpus & ſanguinem Chriſti, ſed myſterium corporis & ſanguinis Chriſti:* quomodo quiſquis myſteriũ ſumit, dicetur corpus & ſanguinẽ ipſum ſumere, quæ ne ſancti quidem aliter quàm fide percipiunt? Fateare igitur, quoties alibi Chryſoſtomus *corpus, ſanguinem, Diuina munera* dicit *temerè vel indignè ſuſcipi*, haberi rationem eius quod integrum offert Dominus, ab impiis autem ſigno tenus percipitur, & totum contemnitur. Idem eſto de Cypriano, ac (vt ſemel dicam) de veteribus omnibus iudicium, qui nimirum ſacra myſteria ex Eccleſiæ more, plerunque ex rei ſignificatæ nomine, Chriſti nimirum veſtigia ſequuti, appellarunt: & tamẽ, quoties opus fuit (tum autem res iſtæ extra controuerſiam erant) ſacramenta à rebus ipſis planè ac perſpicuè diſtinxerunt. Nã quòd niteris tria veluti membra facere ſacramenti, nempe elementum viſibile, rem ipſam, id eſt corpus & ſanguinem, & virtutem ſiue effectum: etiamſi tibi cõcederem, vnde tamen tertium membrum à ſecundo ſeparari poſſe probaueris? niſi fortaſſe docueris Chriſtum à viuifica ſua virtute poſſe ſeparari. Ac ſanè mirum eſt homini Theologo placere potuiſſe, vt Chriſtum à ſua efficacia potius quàm à ſignis diuelli poſſe affirmaret: quum ſatis conſtet infinitis modis arctiorem eſſe coniunctionem carnis Chriſti & viuificæ virtutis cum ea prorſus cohærentis, quàm ſignorum & rei ſignificatæ copulationem, quancunque tandem imaginari poſſimus. Quòd ſi excipias, te non ſeparare hanc efficaciam à Chriſto, ſed à nobis, nihil tamen proficies, quoniam certum eſt vel eam non eſſe in Chriſto, vel eos qui Chriſtum in ſe habeant (habere autem oportet eos qui ſumunt) illius quoque efficaciam ſentire. Argumentum autem quod profers ab Euangelij prædicatione ſumptum, quod pariter bonis & malis annuntiatur,

illis

illis quidem in odorem vitæ, iſtis in odorem mortis, pro nobis maximè facit. Quis enim
dicat materiam verbi, id eſt, Chriſtum in verbo oblatū, ab incredulis percipi?aut, ſi ma-
lumus ipſis Chriſti verbis vti, quis dicat carnem & ſanguinem Chriſti in verbo obla-
tam, ab incredulis edi ac bibi, ac non potius reiici? Neque enim vtitur Chriſtus bimem- Ioan. 6. 54
bri oratione, Quiſquis per fidem ederit carnem meam & biberit ſanguinem meum, vi-
uet in æternum: quiſquis autem ederit quidem aut biberit, ſed non ex fide, morietur in
æternum: ſed prius illud vnum vbique inculcatur. Nam ſicut caro Chriſti ſumpta, ne-
ceſſariò viuificat: ita etiam eius reiectio neceſſariò occidit. Vita igitur ex illa promanat:
mors autem ex illius contemptu. Neque obſtat quòd alicubi Auguſtinus hoc Chriſti De Ciuit. Dei lib. 21. cap. 25.
dictum accommodans ad Cœnam Domini, duplicem carnis manducationem ſtatuit,
quum firmum ſit hoc illius dictum, *corpus Chriſti nō edere qui non ſunt ex Chriſti corpore.*
Ex eo verò conſequitur, quum carnis manducationem aliquam cōſtituit inefficacem,
carnem eum vocare quod carnis eſt ſymbolum: non vt oſtendat quid percipiant, ſed
quid reiiciant increduli. Idem de Baptiſmo ſtatuendū. quod & ipſum quid aliud quàm
Chriſtum induendum offert? Commune eſt ſignum bonis & malis, at ſoli fideles Chri-
ſtum induunt. Quis enim vnquam audiuit Chriſtum indui ad iudicium? Sunt autem re
paria, Induere Chriſtū in Baptiſmo, ſiue Baptizari in vnum corpus, ac proinde in Chri-
ſtum qui huius corporis caput eſt: &, Corpus edere ac ſanguinē bibere in ſacra Domini
Cœna. Itaque (vt in ſumma dicam) ſi roges quid in Cœna offeratur infidelibus, dice-
mus verum corpus & hunc panem, verum ſanguinem & hoc vinum offerri, illa quidem
ſpiritualiter per fidem, iſta verò naturali modo ſumēda. Sin quæras quid ab iis ſumatur,
hic panis & hoc vinum reſpondebimus: quid contemnatur, corpus & ſanguis Domini
in primis excipiemus, quæ penitus per incredulitatem repelluntur, nō autem duntaxat
ipſorum virtus & efficacia: deinde etiam hic panis & hoc vinum, quorum contemptus
grauiſſimus etiam eſt: quoniam non vt panis & vinum, ſed vt corporis & ſanguinis ſym-
bola fuerant ipſis oblata. Ex hoc autem duplici cōtemptu, ac non ex ipſa Chriſti carne
vel ſanguine, manare dicimus æternæ mortis reatum. Cum hac ſententia nec verbum
Domini, nec vllius veterum ſcripra pugnare vel docuiſti vel docebis vnquam.

Ad ea quæ citat ex Auguſtino VVeſphalus, Cap. XIII.

Contendis ſacramentalem māducationem apud Auguſtinum cōprehendere totum
ſacramentum, id eſt, ſignum & rem ſignificatā: ſpiritualem verò pertinere ad effectum
& vſum: ideóque fidelibus eſſe propriam. Hoc merum cōmentum partim iam antea in
altero reſponſo ad hoc ipſum caput, partim autem in iis quæ modò reſpondimus ad ca-
put præcedens, abundè, vt ſpero, refutauimus. Tantùm igitur hoc vnum attingam, ex
quo liceat de te cuiuis iudicium facere. Obiecit tibi Caluinus, ſacramentalem mandu-
cationem, qualem videlicet ipſe conſtituis, non eſſe ſeparandam à ſpirituali. Ratio eſt
manifeſta: quoniam alioqui corpus Chriſti ſua efficacia ſpoliabitur. Quid tu contrà?
Nos, inquis, *adeò alteram ab altera non ſeparamus, vt fateamur ſpiritualem neceſſariò requi-
ri, & aſſeueremus indignè edere ad iudicium, qui ſumentes corpus Chriſti, non ſimiliter ſpiri-
tualiter percipiant. Increduli ſua culpa per incredulitatem alterū ab altero ſeparant.* Quid
hoc rei eſt, obſecro? Obiicit Caluinus, ſi tua doctrina valeat, Chriſtum ſpoliari ſui Spi-
ritus virtute: quoniam licet receptus intra corpus, tamen non erit viuificus: reſpondes,
non à te ſed ab incredulis iſta ſeparari. An hoc eſt nodum expedire?

Ad ea quæ citat ex Auguſtino VVeſphalus, Cap. XIIII, XV, XVI, *&* XXVIII.

Libenter nobis perſuaſeris, rem ſacramenti apud Auguſtinum dici modò corpus &
ſanguinem Domini, modò virtutem & gratiam. Vnde verò id colligis? ex eo quòd ſæ-
pe dicat Auguſtinus corpus & ſanguinem Domini ab indignis etiam accipi & mandu-
cari. Fateor, ſed ea ſignificatione qua dixit, *Chriſtum dediſſe ſignum corporis ſui:* & Epiſt. Aug. contra Adimantum cap. 12.
163, *ſacramentum corporis ſui communiter dari omnibus.* Nam certa & firma ſunt princi-
pia, *Chriſti corpus eſſe in cælo vt in loco, quamuis verè fidelibus qui in terra ſunt, coniunga-
tur: corpus Chriſti non edere qui non ſunt ex Chriſti corpore: ſacramentum ſumi quibuſdam* Aug. de Ciuit. Dei li. 21. cap. 25.
ad vitam, quibuſdam ad exitium, rem ſacramenti omni homini ad vitam, nulli ad exitium.
Firma, inquam, ſunt iſta principia, ex quibus conſequitur quod ſtatuimus, ſola fide ſumi Super Ioan. tractatu 26.
rem ſacramenti, id eſt, corpus & ſanguinem, quæ verè per ſymbola figurantur. Atenim
dixit Auguſtinus, *ex vna re ſancta Iudam accepiſſe iudicium, Petrum ſalutem.* Sanè fateor.
ánnon enim ſymbola corporis & ſanguinis Domini ſunt res ſanctæ? Inde Iudas accepit
iudicium: quoniam & corpus & ſanguinem perfidia ſua reiecit, & ſacra ſymbola profa-

nauit. Sed rurſus excipies, ſacramenti nomine & ſignum & rem ſignificatam intelligi: ac proinde quum ſacramentum dicit ſumi ab indignis Auguſtinus, rem etiam ipſam comprehendere. Reſpondeo, ſacramenti nomen non ita ſemper accipi vt coniunctim rem ipſam cum ſigno declaret, ſed interdum nihil aliud quàm ſignum ſeu ſymbolum ipſum declarare: relatione quidem facta ad corpus & ſanguinem, ſed quæ diſtinctè & & ſeorſim conſiderentur. Id autem ita eſſe liquidò apparet ex eo quòd alioqui nimium ineptæ eſſent iſtæ locutiones, ſacramentum corporis, & ſacramentum ſanguinis, & ſimiles aliæ: ſicuti etiam liquet ex reſolutione ſacramenti, id eſt, totius in ſuas partes in iſtis interpretandis. Quid enim declararet ſacramentum corporis? nempe panē ſiue ſignum & corpus corporis. & ſimili ratione ſacramentum ſanguinis idem eſſet atque vinum ſiue ſignum & ſanguis ſanguinis. Sic ergo ſtatuamus, quoties ſacramenta opponūtur rei (vt opponit Auguſtinus quum manducationem impiorum diſtinguit) itémque quum rei nomen, putà corporis & ſanguinis Domini, cum ſacramenti nomine coniungitur, tum ſacramentum nihil aliud quàm ſacrum ſignum declarare, id eſt, panem & vinum: non quatenus naturalia, ſed quatenus cæleſtia dona ſunt. Ideo Paulus non ſim-
1.Cor.11.28 pliciter dicit EX PANE, ſed EX HOC PANE, nimirum qui factus eſt corporis ſacramentum, ideóque etiam corpus interdū nominatur. Itaque nō dicimus nudum panem præberi infidelibus in Cœna Domini, vt falſò calumniaris, ſed præterea etiam ſpiritualiter per fidem ſumēdum dari idipſum quod verè figurat hic panis, & à quo panis denominatur corpus: neque nudum panem profanari dicimus ab indignis, ſed ſacrū corporis Domini ſymbolum. ſed præter panem & vinum organis corporis quicquam ſumi in Cœna Domini vel à dignis vel ab indignis, nunquam ſanè oſtendes. Id verò quum ita ſit, & Auguſtinus duorum duntaxat aduerbiorum meminerit, quibus duplex ſignificatur manducatio, nempe VISIBILITER & SPIRITVALITER, conſequitur neceſſariò, vt (niſi vitioſa eſt diuiſio) quicquid viſibiliter non ſumitur, ſpiritualiter ſumi dicatur: ac proinde ſpiritualis manducatio ad corpus & ſanguinem Domini, non autem (vt tu vis) ad virtutem & efficaciam illorum duntaxat pertineat. Sed hic rurſus tergiuerſaris. Dicis enim aduerbiū VISIBILITER non ad ſigna duntaxat, ſed etiam ad corpus & ſanguinem Domini pertinere, non quòd iſta quoque viſibiliter ſumantur, ſed quia propter coniunctionem ſignorum & rei dicuntur viſibiliter ſumi. Verum quis hoc tibi vnquam concesſerit, tam impropriè loquutos veteres, vt ipſum corpus & ſanguinem Domini dixerint viſibiliter ſumi? Dicit quidem Chryſoſtomus, *Ipſum vides, ipſum tangis*: ſed profectò vel hyperbolem fatearis oportet, qua nimirum exprimitur ſumma perceptionis veritas: vel videri & tangi, ſiue ſolum ſiue cum ſigno, nobis demonſtres, quod inuiſibile & ἀψηλάφητον eſſe contendis. alioqui etiam fatearis nos corporaliter & ſine tropo in cælum aſcendere: quoniam idem Chryſoſtomus lib. 3. De ſacerdotio, *Etiámne*, inquit, *te putas inter mortales verſari, atque in terra conſiſtere? ánnon potius in cælum è veſtigio transferris? ánnon carnis cogitationem omnem abyciens, nudo animo, mente pura circunſpicis quæ in cælo ſunt?*

Ad Caput XXII, *De loco Auguſtini ex epiſtola ad Dardanum.*

In hoc capite, quoniam iugulum cauſæ peti, téque ita vrgeri ſentis vt elabi non poſſis niſi deſerto Auguſtino, tribus velut aggeribus teipſum munis antequàm cominus congrediaris. Primùm enim nihil aliud ibi facere Auguſtinum dicis quàm philoſophari. Itaque quoties Auguſtinus ſeſe tibi torquendum dabit, theologus erit: ſin minus, repentè fiet philoſophus & phyſicus. Deinde ad verbum Domini refugis. Rectè profectò: ſed quid ſi illinc quoque excludaris? Neque enim Auguſtinus aliis principiis nititur quàm ex verbo Domini petitis. Quòd ſi ambigua eſt interpretatio verborum Domini, ignoſce nobis, quæſo, quòd Auguſtinum deſerere vt VVeſphalum ſequamur, non eſſe vel ſapientis vel theologi cuiuſquam arbitramur. Tandem verò, ne ſolus pugnes, magnopere laboras vt Philippum Melanchthonem (quem ſicut debeo honoris cauſa nomino) nobiſcum committas: nempe vt ipſe interim ſecurus velut ſub Aiacis clypeo pugnans deliteſcas. Sed ego iam tibi audeo denuntiare, illius doctrina & æquitate fretus, nunquam te effecturum vt tuæ nobiſcum ſuſceptæ contentionis & vbiquitatis illum habeas aſtipulatorem. Et pudere ſanè oportuit iſtiuſmodi diſcipulos (per quos optimo & doctiſſimo ſeni ne nunc quidem quieſcere licet) pacem illi ac quietem iſtis conditionibus vendere, ſi ſeſe cum illis ad cælum terræ miſcendum

ſcendum coniunxerit, & ſuam illis conſcientiam atque exiſtimationem oppignorarit.
Sed ad rem veniamus. Quæris dicis, an negauerit Auguſtinus verum Chriſti corpus eſſe
in Cœna. Imò hîc tibi licebit per nos quieſcere. Nunquam enim dubitauimus quin Au-
guſtinus ſenſerit quod & nos ſentimus, verè eſſe, dari, edi, bibi verum illud corpus & ve
rum illum ſanguinem Domini in ſacra ipſius Cœna, ſed ſpiritualiter per fidem in cælo
quæſita & apprehenſa, quò nos ipſa ſymbola ſubuehunt. Quòd ſi nos pergas tanquam
ἀεροβατοῦντας propterea irridere, opponemus ſaltē Chryſoſtomū, qui de hac re loquēs,
Iubet, inquit, *vt aquilæ facti in hac vita, ad ipſum cælū, vel potiùs ſupra cælū euolemus. Vbi
enim cadauer, illic & aquilæ. Cadauer autē Domini corpus propter mortem*. Item alibi, *Illi*, in-
quit, *ab Ægypto in Palæſtinam erant profecturi, ac ideo viatoris habitum habebant, tu de
terra in cælū aſcenſurus es*. Sed & iſta quæſtio nō eſt, an tollatur humana natura Chriſti,
ſi creditur carnē Chriſti præſentem in communione diſtribui. Sentimus enim & nos fi-
dei oculis tam verè præſentē eſſe Dominum in Cœna, ſpirituali tamen modo, quàm
verè corporis oculis præſentia ſunt ſymbola naturali modo. Ergo vt nulla ſit in præſen-
tiæ vocabulo ambiguitas, ſit potiùs hæc quæſtio, Sitne corpus Chriſti ſuis dimenſio-
nibus ita circunſcriptum, vt nunc re ipſa & quod ad ſitum attinet, non poſſit eſſe ſimul
pluribus locis, ſed ſit duntaxat in cælo tanquā in certo loco, vnde non prius deſcendet
quàm veniat iudicatū viuos & mortuos. Hæc, inquam, quæſtio eſt, in qua tibi ferimus
iudicem Auguſtinum, ac veteres ad vnum omnes orthodoxos: idque nō vt ex philoſo-
phia, ſed vt ex vno verbo Dei ſententiam ferant.

Videamus autem quid de tuo afferas. *Cōſtat*, inquis, *inter nos Chriſtum eſſe in cælo: ſed
quæritur quid ſit cælum, & quomodo Chriſtus ſit in cælo*. Itáne verò, te qui paulò antè dice-
bas illud QVOMODO non eſſe fidelium & Chriſtianorū hominum, repentè ad hanc quę-
ſtionē delabi? Sed ad rem. Cælum dicit Caluinus eſſe magnificum Dei palatiū toto mū-
di opificio ſuperius. Œcolampadius ſimili prorſus ſententia, eſſe digniſſimam Chriſto
habitationem. Hæc explicatio probatur omnibus ijs teſtimonijs quibus dicitur Domi-
nus in cælis habitare: quibus iubemur ad cælos tendere: quibus dicitur viſibiliter Do-
minus aſcendiſſe in cælum, omnibus cælis iſtis ſuperius. Quid tu verò? *Vrgent*, inquis, *τὸ
ῥητὸν, quū ſciant Deum de cæleſtibus rebus loquentē ſeſe ad captum noſtrū accōmodare*. Quæ-
ſo qd hoc rei eſt? nō loquebatur de cæleſtibus rebus Chriſtus quum ageret de ſacramē-
tali coniunctione? Et tamen ſacrilegi tibi ſumus quando quærimus quæ ſit *διάνοια* ver-
borum Chriſti: quum tamen proferamus plana & perſpicua ſacramentalis metonymię
exēpla. Proferas autē & ipſe vel vnum exēplum in quo Cælum ſignificet Vbique, & a-
bire, redire, tranſire, aſcendere, deſcendere, de vero corpore humano abſque vera mu-
tatione loci dicantur. Dicit diſertè Apoſtolus Chriſtum aſcendiſſe ſupra omnes cælos. Eph.4.10
Ex hoc colligimus cęlū quod dicit Petrus oportere vt Chriſtū capiat, ſupra omnes cæ- Act.3.21
los viſibiles eſſe: vbi etiam ſtatuitur Dei maieſtas in Scripturis, nō tamē tanquā in loco
(Deus enim eſt *ἀπερίγραπτος*, quod in Chriſti corpus non cadit) ſed propter pleniſſimā
& nobis incōprehenſibilem Diuinæ eſſentiæ ac maieſtatis lucem, quæ illic exhibetur.
Oſtendas ergo nobis ex verbo Dei, cælum quod ſit vbique, dici poſſe cælis iſtis omnibus
ſuperius: & quo tropo id fiat nobis declares: quandoquidem nunc tranſijſti in tropiſta-
rum caſtra. Dicit Dominus latroni, *Hodie mecum eris in paradiſo*, cæleſte procul dubio do- Luc.23.43
micilium illud declarans. Oſtende latronē eſſe vbique, ſi cælum & paradiſus ſunt vbi-
que. Sed præſtat audire quid dicas. Opponis nobis verè pium illum Buccerū, qui ſi hodie
viueret, certè iāpridem te repreſſiſſet. Quid autem ait in ſumma Bucerus? *Cælū in quod
aſcendit Chriſtus ſecundū humanitatē, eſſe inacceſſam lucē & gloriā Dei inuiſibilis*. Nos ve-
rò quid aliud docemus? Nam quòd tu putas ita deſignari qualitatem glorioſam qua ſit ve-
ſtitum corpus Domini, non autem locum in quo lux illa & gloria eluceat, falſiſſimum
eſſe, & alienum à Buceri ſententia dicimus.

Poſtea nobis opponis Hilarium, qui dicit *Chriſti corpus eſſe verè dignū Dei habitaculū*.
Quis autem id vnquam negauit niſi planè impius? Sed quod putaſti inde conſequi cæ-
lum eſſe vbique, quis tandem mentis compos colligat? Primùm enim Hilarius expreſſè
diſtinguit hanc habitationem ab altera qua dicitur Deus eſſe in cælis. Deinde quo iure
naturam domicilij & eius qui in domicilio habitat exæquaris, niſi planè ſequaris Euty-
chetis dogma? Præterea ſi valet hæc cōſequutio, quū Deus *σωματικῶς* (vt loquitur Pau- Col.2.9
lus) id eſt, vt eſſentialiter propter hypoſtaticam vnionem ſeſe conſpicuum præberet,
habitarit in Chriſto ab eo momento quo conceptus eſt in virginis vtero, cur non etiam

ab eo momento dicas in cælis & vbique fuiſſe:an quia nondum aſcenderat,id eſt,non-
dum qualitatem glorioſam induerat? Ergo nõ ab habitatione,ſed ab aſcenſione ſumen-
dum erat argumentum.Et tamen mox tanquã re cõfecta, *Quoniã*,inquis,*Chriſtũ in cælo
eſſe,& quid ſit,dictum eſt:quæſtio relinquitur diſcutienda, quomodo ſit in cælo.* Hanc verò
quæſtionem quum vno verbo expediat Auguſtinus,quum inquit,*Tolle ſpatia corpori,&
corpus non erit*:non acquieſcis in dicto Auguſtini,quòd phyſicum vocas,ſed pergis ita ar-
Cap. 6. gumentari:*Variat*,inquis,*in hac re Auguſtinus,& eſt ſui diſſimilis:quoniã in libro de ſymbo-
lo & fide, curioſitati tribuit inquirere quomodo corpus Domini ſit in cælo,& affirmat ſatis eſſe
credere q̃ ſit in cælo.* Atqui mirum eſt Auguſtinũ in ſuis Retractationibus non vidiſſe quod
tu vidiſti.Verùm ſi ita eſt vt ipſe cenſes,cur hoc idem cõmittis quod in alio reprehẽdis?
Qui enim dicit Chriſti corpus eſſe in cælis,id eſt vbiq;, inuiſibili modo inſtar Deitatis,
& damnat eos qui dicunt eſſe in cælis vt in loco circunſcripto,ánnon modum vnũ defi-
nit,& alterum oppugnat?Sed profectò vel tu non intelligis quid ſit curioſitas: vel ſciẽs
ac prudens magna contumelia inſignem illum Epiſcopum & Dei prophetã afficis.Cu-
rioſus eſt qui vel inutiles,vel nihil ad ſe pertinentes,vel à Spiritu Dei nobis occultatas
quæſtiones mouet. Inutilem eſſe,aut nihil ad nos pertinere quæſtionẽ quomodo cor-
pus Chriſti ſit in cælis(id eſt,vt vero corpori finito & circunſcripto conuenit,an ſecus)
dicere non potes quin ſimul fatearis inutilem eſſe quæſtionem an verum corpus,id eſt,
finitum & circunſcriptum,Chriſtus poſt reſurrectionem habere,id eſt homo eſſe deſie-
rit. Ac vtinam de iſtis quærere nos nõ cogeret Eutychianorum impudentia. nam alioq
nunquam quæreremus id de quo non dubitaremus. Iſtud autem nobis non eſſe verbo
Act. 1. 9. 11 Domini explicatum ſi dixeris,quæram iterum, quorſum igitur Dominus abijſſe,redijſ-
Ephes. 4. 10 ſe,ſublatus à nobis,aſcendiſſe,cælis cõprehendi vſque ad tempora reſtitutionis omniũ,
Act 3. 21 Act. 1. 11 1. Theſſ. 4. 16 venturus,deſcenſurus dicatur:cur nunc Spiritu ſuo,non autem corpore dicatur Eccle-
2 Cor. 5. 6 Phil. 1. 23 ſiam ſuam regere:cur nos abeſſe & peregrinari à Domino: cur eſſe diſſoluendi dicamur
vt cum eo ſimus.Quid eſt igitur?nempe hæc curioſa non ſunt,quoniã Spiritus ſanctus
non acuit nos ad curioſitatem . ſed ſi quis iam quærat quî fieri poſſit vt corpus Chriſti,
quum verum ſit corpus,contineatur in cælis vbi nõ videtur eſſe locus:quis ſit ibi ipſius
ſtatus,quæ conditio,in quo loco cæli ſit,& cætera eiuſmodi ſi quis inquirat, is demum
1. Cor. 2. 9 curioſus eſt, quoniam iſta nunquam vidit oculus,nec auris audiuit, nec in cor hominis
aſcenderunt.Id autem quum eo ipſo loco explicarit perſpicuè Auguſtinus,curioſitatẽ
illam definiens eorum eſſe qui quærunt vbi (id eſt, quo cæli loco) & quomodo (id eſt,
quo ſitu,qua conditione) ſit Chriſtus in cælis : eorum denique qui ſecreta noſtræ fidei
diſcutiunt,nec ſatis ſublimia de dignitate corporis Domini ſapiũt,ánnon te pudet Au-
guſtino tam bene ſecum vbique conſentienti, leuitatis & inconſtantiæ, atque adeò cu-
rioſitatis crimẽ impingere?Denique tu videris quo iure voces curioſos quibus ſatis eſt
credere verum corpus Chriſti eſſe nõ in terra, quoniam dicitur aſcendiſſe,ſed in cælis,
quò dicitur aſcendiſſe.

Citas alium locũ in quo dicit Auguſtinus,*Domini corpus ita in cælo eſſe vt erat quando
aſcendit in cælum.* *Hic locus*,inquis,*niſi de corporis ſubſtantia intelligatur,nõ videtur conue-
nire cũ eo in quo dicit,non eſſe fragilitatis noſtræ cælorũ ſecreta ſcrutari,ſed noſtræ fidei eſſe
de dignitate Dominici corporis ſublimia & honeſta ſapere*.Sanè ita eſt vt tu vis. illa enim o-
mnino ſunt de ſubſtantia corporis intelligenda,quã affirmat Auguſtinus Chriſtum ve-
ram,id eſt,viſibilẽ,finitam,ac circunſcriptã intuliſſe in cælũ, & è cælo ad nos allaturũ.
Nã alioqui tibi aſſentimur,eos nõ ſatis ſublimia de dignitate corporis Chriſti ſentire q
non alias ei tribuunt qualitates in gloria illa inexplicabili & fulgore inacceſſibili,quàm
in diebus infirmitatis carnis. Aſſentimur etiam Cyrillo & Chryſoſtomo,qui diſpenſa-
tioni adſcribunt q̃ Dominus non ante reſurrectionem,vt fortaſſis arbitraris,ſed poſt re-
ſurrectionem,vt mulieribus & diſcipulis in terra,atque adeò in cælo poſt reſurrectionẽ
Matth. 28. 9 Stephano & Paulo ſeſe oſtenderit non in debita corporis ſui gloria,ſed in prima forma.
Ioan 20. 19 Act. 7. 55 Quis enim fulgorem illum Diuinæ gloriæ ſuſtinuiſſet? Sed viciſſim petimus à te vt no-
Act 9. 4. 17 biſcum fatearis aliud eſſe fulgere vt ſolem,aut etiam amplius quàm ſolem,aliud verò di-
uina eſſe natura,id eſt ſubſtantia inuiſibili, ἀπεριγράπτῳ, & quæ ſit vbique. Item in A-
poſtolici ſymboli compendio,non ſimpliciter dicitur Chriſtum ſediſſe ad dextram Pa-
tris(quibus verbis ſignificatur plena illa,quod ad carnem Chriſti attinet,gloriæ æternæ
& infinitæ poteſtatis participatio,atque adeò cæleſtis hæreditatis cretio tum ſuo tum
communi omnium membrorum nomine)ſed dicitur in primis & diſtinctè, aſcendiſſe in

cælos

cælos, quos oportet ipſum δέξασθαι vſque ad tempora reſtitutionis omnium. Quo fit vt Eph 4.10
vel battologia ſit in iſtis conſtituenda, vel aſcenſio à ſeſſione, id eſt, gloriæ & imperij par- 1.Pet 3.22
ticipatione, diſtinguenda, alioqui non eſt quod mireris nos tibi obijcere, corpus Chriſti Act.3.21
abs te diffundi. Neque enim ſpectamus quibus verbis, ſed quid dicatur. Itaque ſicut idẽ declarant corpus ab anima ſeparatum & corpus mortuum: ſic putamus idem declarare, Corpus Chriſti eſt vbique, vel ſimul diuerſis locis: &, Corpus Chriſti eſt vbiq; diffuſum, & quidẽ totum: ſiue, Chriſtus, etiam quatenus homo eſt, Deus eſt: vt interim diſſimulẽ (quod tamen minimè diſſimulandum eſt) te videlicet infrà capite 27, diſertè aduerſus Caluinũ contendere, verbum DIFFVNDI tam capiti quàm membris conuenire. Quòd ſi in hoc argumento neque nobis neque Auguſtino credis, at ſaltem crede Vigilio aduerſus Eutychetem, cuius verba iam aliquoties adſcripſimus: aut ſi Vigiliũ quoque inter philoſophos iubes exulare, ſaltem Cyrillo credas, qui adeò vult iſta ſimul vera eſſe, verum corpus eſſe, & aliquo loco circunſcribi, vt etiam diſertè affirmet *fore, vt ſi in Deitate intelligeretur corpus, etiam quantitas omnino intelligeretur, & in loco eſſe, & in magnitudine, & in quantitate: ac proinde non effugeret circunſcriptionem.* Itaque (vt ſemel dicam) ne ſi quidem Deus eſſet Chriſtus ſecundum carnem, ſubſtantiam haberet quantitatis expertem ſi corpus haberet: ac proinde nec vbique, nec (quod cum tua vbiquitate proſus cohæret) in cælo ſimul & in terra totus diuerſis locis ſubſtantialiter exiſteret. Sed te tamen audiamus etiam amplius. *Nos*, inquis, *ſequuti cõſilium Auguſtini, omiſſa curioſa inquiſitione quomodo corpus Chriſti ſit in cælo, illud iam inquiramus, An quia in cælo eſt, ob id abſit in Euchariſtia.* Dicas profectò Auguſtinum prius ab itinere aberrantẽ in philoſophiæ diuerticula, non minus blandè in viam reuocari, quàm ſuum Homerum Plato vnguentis delibutum ex ciuitate ſua dimittit: imò etiam vis cum eo paciſci, vt mox intelligemus. Sed hoc in primis monitum volo lectorẽ, te videlicet verſutè nobiſcum tuo more ludere in præſentiæ & abſentiæ verbis. Neque enim, vt millies repetij, Chriſti verum corpus & verum ſanguinẽ adeſſe in Cœna Domini ſimpliciter negamus, quum dicam⁹ verè offerri, dari, & percipi ſpiritualiter, id eſt, omnipotenti ſpiritus virtute, quæ in cælis per fidem quærimus, & in terris verè ac certò per ſymbola nobis ex certa Dei inſtitutione figurantur, id eſt, Chriſtum ipſum cum ſuis donis omnibus in vitã æternã, ſed eo demum modo negamus quẽ tu ſtatuis, nos verò dicimus cũ veritate corporis Chriſti & vniuerſo Dei verbo pugnare. Negas Auguſtinum vſpiã dicere corpus Chriſti non alibi eſſe q̃ in cælo. Atqui quoties ait, *finitum & circunſcriptum eſſe: tolli corpus ſi tollatur ſpatium: oportere vt corpus in quo reſurrexit, vno ſit loco: ſecundum carnem dictũ eſſe, Nõ me ſemper habebitis vobiſcum: Chriſtum nõ amplius loqui in terra, ſed de cælo & in cælo*, ánnon ſatis manifeſtè dicit non alibi eſſe, quod ad realem & eſſentialem præſentiæ modum attinet, quàm in cælis? Si tu vis meridie cæcutire, & oculos claudere ne lucẽ videas, an nos propterea nihil videm⁹? Certè Cyrillus apertè & totidẽ verbis dicit *Chriſtũ à nobis cor-* Cyrill. libr. [illegible] in Ioan. c. [illegible]
pore abeſſe, & cum carne terrã non replere. Vigilius teſtatur *à nobis receſſiſſe ſecundũ huma-* Vigil. contra
nitatem: nos reliquiſſe humanitate ſua: per formam ſerui (id eſt corpus) *à nobis abeſſe: quando* Eutychetem libr. 4
caro fuit in terra, non fuiſſe in cælo: & nunc quia in cælo eſt, non eſſe in terra: Verbum vbique eſſe, carnem non eſſe. Cum his igitur tibi quoque contendendum ſcias, aut confitendam nobiſcum veritatẽ Dicit enim Vigilius, homo, vt tu ſcis, ſanctus & doctus, *hanc eſſe fidem & confeſſionem catholicam, quã Apoſtoli tradiderunt, martyres roborauerunt, & fideles nũc vſque cuſtodiunt.*

Diſputas de veritate corporis quam dicit Auguſtinus vbique diffuſam. Atqui quum eam perſpicuè opponat ipſi corpori quod vno ſit loco circunſcriptum, quis non videt id eò pertinere, ꝙ veritas res eſt ſpiritualis, ac proinde ſemper adeſt fidelibus: quoniam videlicet veri Chriſti corporis pro nobis mortui efficacia ad omnem Eccleſiam promanat: ipſéque adeò Chriſtus verè cum tota Eccleſia per orbem terrarum diſperſa coniungitur? Redis deinde ad argumentum de ambulatione Chriſti ſuper aquas, & eiuſdem tranſitu per ianuas clauſas: ꝙ Auguſtinus in his miraculis explicandis põdus & molem corporis remoueat. Fateor, ſed hactenus, non vt in ſeſe nec pondus nec molem haberet, ſed vt neque pondus ambulationẽ, nec moles tranſitum impediret. alioqui cur non hoc ipſum Petri corpori tribuas, quum idem de Petro affirmet Auguſtinus? Sed demus prorſus ablatum pondus & craſſam illam corporis molem, (neque enim dubito quin gloria qualitates illas infirmitatis ſuſtulerit, & naturales etiam perfecerit) an propterea naturam corporis (id eſt, finitum & circunſcriptum eſſe,) abſorpſit Diuinitas?

Cætera quæ in hoc capite referuntur, quoniam nihil aliud quàm eadẽ illa inculcant, de quibus millies iam diximus, de inuiſibili præſentia, de fidei præſtantia, de abſentia corporis & ſignorum inanitate, quid attinet refutare? Quòd ſi firmum permanet hoc fundamẽtum Auguſtini, de corpore Chriſti in cælis circũſcripto, & à terris abſente (quod ad corporalem quidẽ præſentiæ modum, non autem quod ad cõmunicationẽ attinet, quæ ſpirituali modo fit per fidem) quæſo, quorſum te torques vt reliqua Auguſtini dicta de præſentia corporis & de impiorum manducatione, in tuas partes pertrahas?

Ad caput XXVII, *de loco Auguſtini ex 30. tractatu in Ioannem.*

In ijs Auguſtini verbis vbi dicit audiendum eſſe Euangelium quaſi præſentem Dominum loquentem audiamus, dicimus particulam QVASI, eſſe conſiderandam: quoniã ſatis indicat abſentiam eius ſecundum carnem, qui ſpiritu præſens eſt in verbo ſuo. At tu vis hoc reſtringi non ad præſentiam, ſed ad præſentiæ modum, qui ſit inuiſibilis. Verùm quo pudore id facis, quum qui præſens eſt, quamuis inuiſibilis, tamen ſit præſens, ac proinde nullus hîc ſit locus particulæ QVASI? Quanto igitur ſatius fuerat ad variũ huius particulæ vſum confugere? Sed hoc tibi non venit in mentem: & ſi veniſſet, facilè poterat ex ijs refelli quæ ſuperiore capite diſſeruimus de Auguſtini in his rebus ſententia. Poſtea expatiaris vt probes iſtum locum intelligi de ſola prædicatione, quod etiam ex cuiuſdam veteris noſtri amici ſcriptis probas. Sed quid hæc ad Caluinum, qui nõ modò aliter non ſenſit, ſed apertè etiam contendit pagina vltima defenſionis 83, veritatẽ corporis vbique diffuſam, non aliò q̃ ad Euangelij doctrinã trahi? Sed aptè tamen quod de præſentia in genere dicitur, ad ſacramenta tum Baptiſmi tum Cœnæ Domini accommodari poteſt. quoniam etſi efficacius, tamen non alio modo præſentem eſſe dicimus Chriſtum in Sacramentis quàm in verbo, ſi rem ipſam ſpectes.

Quod ſcribit Auguſtinus in Pſalmo trigeſimo tertio. *ſacrificium corporis Chriſti toto orbe eſſe diffuſum*, affirmat Caluinus de fructu mortis intelligendum qui ad Eccleſiã manat, toto orbe terrarum diffuſam. tu verò vis ad Euchariſtiam referri. Eſto igitur, referatur ad actionẽ Cœnæ. an ideo corpus erit diffuſum, ac nõ potiùs cõmunicatio corporis (qui verè fructus eſt mortis Domini) ad ſingula mẽbra diffundetur? Sed tu vis hinc effici, corpus eſſe vbique præſens. Ergo nobis oſtende ſacrificium corporis idẽ declarare atq; corpus mactatum. Sed etiã ſi concederemus quod petis, nempe ex hoc loco aptè colligi, corpus Domini præſens eſſe toti Eccleſiæ quotieſcũque & quotcũque locis celebretur Cœna Domini: an tamen conſequetur ita eſſe præſens vt tu cõtendis? Denique quum dixiſſet Caluinus, præpoſterè diffundendi verbum, quod de mẽbris tantùm dici poteſt, ad caput trahi, tu hoc derides: *Quoniam alioquin*, inquis, *præpoſterè facerent qui Pſalmos quoſdam tum ad Chriſtum, tum etiam ad Eccleſiam applicant*. Argutè profectò. quaſi generatim Caluinus nihil dixerit aptè applicari ad caput ſimul & ad membra, ac nõ ſpeciatim hoc dixerit de verbo DIFFVNDI. Id verò quum nunc tantopere cõtendas tam ad membra quàm ad caput pertinere, quo pudore deinceps inficiaberis te conſtituere veri corporis Chriſti diffuſionem?

Ad caput XXXVI, *De ceremonijs: & alia conſequentia capita.*

Quum primùm in nos ſcribere aggredereris VVeſphale, veritus, opinor, ne nõ ſatis turbarum eſſet, cœpiſti etiã noſtras Eccleſias exagitare, q; ceremonias non inutiles aboleuerint: q; priuata abſolutione non vtantur: quòd Cœnam ſeorſim non adminiſtrent ęgrotis: quòd infantes in caſu neceſſitatis non baptizent extra ordinem: item de diebus feſtis: & quòd poſtillarum ordinem non ſequantur: ac poſtremò etiam quòd Decalogũ aliter partiantur, vnde etiam factum ſit vt imagines nullas habeãt in templis. Ad hæc crimina quum ſigillatim ita reſponſum eſſet, vt omnes æqui iudices facilè intelligerent nos nonniſi iuſtiſſimis de cauſis ceremonias pleraſque partim vt non neceſſarias, partim etiam vt ſuperſtitioſas aboleuiſſe: & in ijs etiam quæ in nobis reprehenderes, multa eſſe quæ in Eccleſia nullo modo toleranda putaremus: inſurrexiſti denuo vt cælum terræ miſceres. ego paucis reſpondebo, ne actum agam. Quàm pauciſſimas & quàm puriſſimas in Eccleſia Dei ceremonias. eſſe oportere primùm omnium conſtituo. Nam præterquam quòd nobis iam colẽdus eſt Dominus in ſpiritu & veritate, ipſa ſaltem experientia ſtultorum magiſtra, nos admonere debet ne exẽplum eorum imitemur, qui, dum nullum faciunt ceremoniarum finem, non amplificarunt Dei cultum, ſed penitus obruerunt. Itaque de abrogandis potiùs quàm conſtituendis ceremonijs cogitandum nobis putauimus. Hîc verò quum diuerſa ſit populorum natura, & diuerſus etiam Ver-

bi

bi profectus, quæ facta eſt Saxonicis Eccleſiis iniuria ſi dedit nobis Dominus vt à populis noſtræ fidei commiſſis vltrò multa obtineremus, quod alibi fortaſſis infeliciter eſſet tentatum? an tu nos ideò tanquam ab aliis Eccleſiis auulſos calumniari, & in omnium inuidiam adducere debuiſti? Sed & illud non diſſimulamus, nobis videri nimiùm fortaſſe meticuloſos fuiſſe & adhuc eſſe nonnullos in repurgandis Eccleſiis ab omni Papiſmi fæce: imò etiam tolerati quædam putamus quæ omnino ferri non debeant. Veſtes illas lineas non ita ſanè moramur vt propter eas velimus vel tantillum turbari progreſſum verbi Dei. Sed rectè tamen ac ſapienter feciſſe iudicamus qui totum illum habitum, hiſtrionibus quàm miniſtris Verbi conuenientiorem, & Paganiſmi reliquias ex Eccleſijs eiecerunt. Nam certè plurimum nocere poſſunt, vt ipſe docuit euentus: prodeſſe nullo modo poſſunt. Eiectas autem reſtituere, certè inter ἀδιάφορα non numeramus. Imaginum & ſtatuarũ collocationẽ in tẽplis putamus expreſſo Dei verbo millies interdictã. Cur enim niſi ad cultum eo loco ponantur? an memoriæ cauſa? Atqui ſapiẽtior eſt Spiritus ſanctus quàm nos ſimus: & quanuis non dubitemus quin eò reſpexerint qui initiò illas inuexerunt in templa, tamen horrẽdæ idolomaniæ, quibus adhuc feruet mundus, ſatis admonere nos debebant nullo modo ferendas in tẽplis imagines. Notum eſt illud Epiphanij factum, qui velum diſcidit in quo erat crucifixi Chriſti imago, quanuis (vt ego quidem exiſtimo) ad cultum non eſſet propoſita. Ex hoc ſaltẽ facto cognoſcere nos decebat quæ fuerit Eccleſiæ facies, quum adhuc inſtar puræ virginis eſſet. Ad hanc formam potiùs exigere oportuit quid ſit ex vſu Eccleſiæ, quàm ad noſtri cerebri cõmẽta. & certè res ipſa clamat Eccleſiæ fucum induxiſſe qui ſeſe magis illam exornare poſſe exiſtimarunt, quàm noſtros illos pronubos Apoſtolos. Quòd ſi ſerpẽtem æneum ipſius 4.Reg.18.4 Dei iuſſu erectũ Ezechias iuſtiſſimè ſuſtulit, an nobis vitio vertetur ab ipſis idololatriæ nutricibus templa noſtra repurgaſſe? Interim quis noſtrûm aliter quàm per Magiſtratum idola deiecit? Atque vtinam ſicut piè laborãt Miniſtri vt radices idololatriæ ex hominum mẽtibus euellant, ita etiam Chriſtiani principes omnia idololatriæ obiecta ex oculis piorum penitus tollant.

De adoratione Chriſti in pane iam antea diximus. Campanæ pulſationem quid attinet defendere, quum non aliò reſpiciat? Eleuationi quis iam locus eſſe poteſt vbi nulla collectarum oblatio? Iam verò cereorum accenſionem quid neceſſe fuit hyemis prætextu defendere? Quum enim ad æſtatem ventum eſt, omni defenſione deſtitueris. negas tamen eſſe Iudaiſmum. Neque verò nobis in mentem venit vt quẽquam iſtic Iudaiſmi argueremus. Et quanuis nihil iſtorum approbare poſſimus, tamen quis vnquam ſuperciliosas illas cenſuras ex nobis audiuit, quibus nos dignos eſſe cenſuiſti? imò ne publicè quidem vnquã voluimus de his rebus agere. Neque enim dubitamus quin iſta optimis & doctiſſimis quibuſque diſpliceant: & quotidie in nobis experimur quàm multa ſæpe ferenda ſint in laborioſo iſto munere, de quibus nemo poſſit incorruptè iudicare, niſi qui ſingulas circunſtantias norit. Itaque aſſiduè potiùs Dominum rogauimus & rogamus vt & Miniſtris populos obſequentes, & cordatos Miniſtros populis donet, nóſque in primis quotidie ſancto ſuo Spiritu regat & confirmet, vt videre poſsimus quid ex vſu ſit Eccleſiarum, & ruinas veteris ædificij feliciter pro ſe quiſque inſtauremus.

In Cœna Domini nobis ſtudium fuit doctrinam ſedulò inculcare quæ minimè extenuet ſacramenta, ſed in primis animos in cælum attollat: preces ſolẽnes habere: in ipſa verò actione, quanuis ſumma reuerentia, tamen quàm ſimpliciſſimè agere omnia. Volumus enim ſaltem maiorum noſtrorum damnis ſapere: nec quicquam purius arbitramur Domini verbo & puriſſimæ illius Eccleſiæ puritate ſub Apoſtolis. Accubationẽ ad mẽſam, quã nobis exprobras VVeſphale, non magis nouerunt noſtræ Eccleſiæ quàm quod nunquam audierunt: nec tamen ob eum morem, quãuis non neceſſarium, vllos fratres damnare velimus.

Quod ad infantium Baptiſmum attinet, non aliter nos ſentire de Baptiſmo quàm de ſancto regenerationis lauacro ſatis ſupérque teſtati ſumus. Interea noſtram ſalutem à Baptiſmi ſacramento pendere non putamus, ſed à noſtra adoptione ex formula fœderis, ERO DEVS TVVS ET SEMINIS TVI. Hãc adoptionem in liberis ſanctorum diligenter curamus ex verbo Domini per Baptiſmi ſacramentum obſignandam. Si Gen.17.7 qui parentes hoc neglexerint, eos ſeuerè admonentur vt par eſt. Quoniã autem debent in Eccleſia decenter omnia fieri, Baptiſmum nonniſi in tẽplo ſtatis horis, idq; per Miniſtros, quotidie adminiſtramus. Quòd ſi cuius prolem contigerit antè mori quàm of-

ferri Baptiſmo potuerit, minimè tamen dubitamus de eius ſalute: quoniam putamus contẽptum Baptiſmi non autem priuationem eſſe exitialem. Vbi autem non dedit Dominus vt ordine Eccleſiæ conſueto infans baptizaretur, contemptus nullus eſſe poteſt. Baptiſmos in priuatis ædibus nullos adminiſtramus: quòd ſi adminiſtraremus, nonniſi Miniſtros adhiberemus, ac præſertim reijceremus mulieres. Certum enim eſt has corruptelas non aliunde natas quàm ex opinione illa, quam prorſus falſam arbitramur, de abſoluta Baptiſmi neceſſitate ad ſalutem: quum è contrario priùs oporteat adoptatum eſſe à Deo, quàm aliquis ritè baptizari poſſit. alioqui cur in adultis requiritur fidei cõfeſſio antequã baptizentur? Sanctorum autem liberos ex formula fœderis iam in ipſo vtero eſſe adoptatos arbitramur, ideóque baptizamus. Quòd inde concludis nos exiſtimare fidelium liberos naſci ſine peccato, nimium craſſa calumnia eſt. Quòd affers ſanctos eſſe ante baptiſmum, id eſt, in externa ſocietate Eccleſiæ, ineptum putamus. Namè contrario externæ ſocietati Eccleſiæ inſeruntur per Baptiſmum, quos iam antea ſtatuimus fuiſſe à Domino verè adoptatos ex fœderis formula. Nam occulta iudicia Deo, ſicut par eſt, relinquimus. Similitudo verò quam profers vt doceas à mulieribus non profanari Baptiſmum ſi ab eis adminiſtretur, quoniam illis etiam licet ægrotos conſolari, & familiam ſuam domi docere, neque tamen ideo alienam functionem inuadunt: hæc inquã, ſimilitudo nimium eſt inepta. Priuata ac domeſtica tractatio & applicatio Verbi ad omnes ſpectat. quis autem tulerit mulieres domi cœtus habere & concionari? Atq adminiſtratio ſacramentorum pars eſt altera publici miniſterij. Itaque non magis admitti ad Baptiſmi quàm ad Cœnæ adminiſtrationẽ mulieres aut priuati vlli homines debent, nec minus baptizare quàm loqui in Eccleſia vetantur: quoniam ſimilis eſt ratio partium miniſterij publici: imò etiam vetuſta Cõcilia iſtam mulierum audaciam dãnarunt, non aliunde quàm ex illa, vt dixi, opinione neceſſitatis exortam. Quòd ſi placet in ædibus priuatis baptizare (quod tamen non approbamus quum Dominus concedit vt publicè poſſit Eccleſia conuenire,) cur non potiùs vocantur Miniſtri? aut cur idem mulieribus in Cœna ipſa Domini non permittitis, ſi inſtanter requiſierit ægrotus mox moriturus? Rogamus ergo vt iſta diligenter expendantur. quòd ſi quis meliora nos docuerit ex Dei verbo, libenter de ſententia decedemus.

Cœnam priuatim non adminiſtramus noſtris ægrotis, quam etiam ipſi non flagitãt. Sunt enim ita inſtituti vt ſciant ſalutẽ ſuam abſolutè à ſacramentis non pendere, quorũ non eſt per ſe exitialis priuatio, ſed cõtemptus. contemnere verò videri non poteſt cui Dominus poteſtatem non facit prodeundi in publicũ cœtum. Eſt enim publica ſacramentorum actio: & priuatæ etiã Cœnæ nobis videntur huius ſacramenti naturæ, quod *κοινωνία* dicitur, repugnare. Si tamen id ſine ſuperſtitione & offẽdiculo, atque etiã cum ædificatione Eccleſiæ obſeruari alicubi poteſt, & ita flagitat ægrotorum infirmitas, nolimus ſanè ob eam cauſam Eccleſias ſcindere: ſed viciſſim nobis liceat conſiderare quid in Eccleſijs noſtris expediat retineri.

De priuata abſolutione, ex cuius neceſſitate in Eccleſiã inuecta certum eſt confeſſionem auricularem natam eſſe, quàm honorificè ſentiamus, alibi diximus in hoc eodem libello, & copioſè docuit Caluinus in Chriſtiana inſtitutione, libro quarto, capite decimo nono, vbi de pœnitentia diſſerit. Qui adeò illius neceſſitatem vrgent vt tertium ſacramentum faciant, tecum etiam contendant oportet, qui duo tantùm ſacramẽta quibus adiũcta eſſet promiſſio remiſſionis peccatorum, numeraſti cum omnibus veteribus, ſuprà cap. 32.

Diuiſionem Decalogi, qua præceptum de non faciendis imaginibus cum primo præcepto coniungitur, duabus de cauſis non ſequimur. Vna eſt: quoniam hac ratione factũ videmus vt ſecundum illud præceptum fuerit ex memoria hominũ prorſus ſublatũ, Satanica certè fraude, ad idolomaniã eò facilius conſtituendã. Altera eſt, quoniã hac ratione fit vt decimum præceptum, de non cõcupiſcendo, diſcerpatur. Noua tamen non eſt diſtinctio noſtra, vt ex veteribus nonnullis apparet: & ſi noua eſſet, cõmodam tamen eſſe nemo ſani iudicij (vt arbitror) inficiabitur, nec quiſquam hinc arripere poteſt iuſtã offendiculi occaſionem. alioqui, modò diſertè exprimatur ſecũdum præceptum, de hac re cum nemine contenderimus.

In diebus feſtis ſcimus, Dei gratia, quæ ſit Eccleſiæ libertas. imò ipſi ita vtimur hac libertate, vt minimè offendamur quòd in noſtris Eccleſijs nõ eadem ſit in his ꝓbſeruandis ratio. Multitudine feſtorũ ali otiũ, infinita vitia creſcere res ipſa clamat. Ex ijs præ-
ſertim

ſertim feſtis diebus qui ſunt Mariæ & ſanctorum memoriæ conſecrati, colluuiem ſuperſtitionis profluxiſſe vtinam orbis non eſſet expertus. Hîc verò quum vnicuique conſiderandum ſit quid vtilitas Eccleſiæ poſtulet, quam iniuriã cuiquam fecimus ſi quãtum nobis dedit Dominus, curauimus vt ipſa quoque ſuperſtitionũ veſtigia quoad eius fieri poſſet aboleremus? Vtinam hac in parte, vt in reliquis omnibus, omnes aliarum regionũ miniſtri nos ſuperent: détque illis Dominus vt à ſuis principibus & populis puriſſima & optima quæque poſſint impetrare. Sed cauſa certè nulla erat cur de iſtis rebus à tua factione exagitaremur: idque omnibus æquis iudicibus nos probaturos ſperamus.

Quòd ad poſtillas, quas vocant, attinet, certum eſt iſtam verbi diuini diſſectionẽ puriori Eccleſiæ incognitam fuiſſe, imò vix vnquam in Oriẽte & Africa obtinuiſſe: quod oſtendunt perpetuæ doctorũ homiliæ & enarrationes ad populum, quanuis certis quibuſdam diebus, qui tamen initiò perpauci fuerunt, peculiares hiſtoriæ in Eccleſia recitarentur & explicarentur.

Sunt qui exiſtimenr eam conſuetudinem idcirco fuiſſe inuectam vt priuatorum ratio haberetur, qui libris vtriuſque Teſtamenti perpetuo tenore legendis vel etiã audiẽdis minus ſunt idonei. Verùm quid ſi potiùs ex Epiſcoporum ſocordia mos iſte quoque inualuit, quaſi ſatis eſſet certos quoſdam locos in numerato habere? Iſtis verò negligentiſſimis paſtoribus illud quoque tribuendum eſt, ꝙ ipſa quoq; illorum locorum enarratio mox ſublata eſt, ſola permanente in Miſſis recitatione, eáque peregrino idiomate, & nullo adhibito interprete, contra expreſſum Apoſtolicum decretum. Tandem verò creſcente feriarum numero, adeò vt Romana Eccleſia ſingulos dies Ferias vocitet, alia martyribus, alia confeſſoribus, quos vocant, ſua denique pleriſque ſeu veris ſeu fictitijs diuis Euangelia, quæ appellant, fuerunt cõſecrata, donec obtinuit Satan vt ne inter paſtores quidẽ milleſimus quiſque tota vita ſacros ipſos libros inſpiceret. Ipſum certè poſtillatũ nomen barbariem prodit: & ita diſcerpi quæ cohærẽt, nobis penè nefas videtur. Ideo in noſtris Eccleſijs perpetuæ ſunt ſacrorum librorum enarrationes, & plebem ſedulò exhortari hac etiã occaſione ſolemus, vt aſſidui potiùs quàm per interualla factis concionibus interſint, quò maiore cum fructu doctrinam perpetua quadam ſerie percipiant. Hunc noſtrum morem qui & ratione & vetuſtatis exemplo nititur, & cuius vtilitatem maximam in noſtris Eccleſijs experimur, meritò damnare certè VVeſphale non potuiſti. Quòd ſi quos vſus ipſe docuit cum aliquo fructu doceri aliter verbum Dei poſſe, agè ſuo ſenſu fruantur, dummodo & ipſi nobis noſtra relinquant.

Porrò de cõuitijs quę te nõ puduit in ſanctos Domini martyres euomere, quos tyrannis Papiſtica quotidie ex noſtris cœtibus intercipit, videris ipſe quomodo corã Domino reſpõdeas. Extãt eorũ ſcripta, quæ beatã ipſorum memoriã, velis nolis, gratæ poſteritati relinquent. Ac me certè pudet omnium Eccleſiarũ Chriſtianarum nomine, tam petulãs ingeniũ potuiſſe in vlla Eccleſia inueniri, vt linguã in eos etiã mortuos acueret quos ipſi carnifices in morte ſunt reueriti. Certè cõtumeliã iſtã pluſquàm immanem & barbarã Dominus inultam non ſinet, cui ſuorum martyrum cauſam commendamus.

In reliqua libelli tui parte conquereris de Caluini conuitijs, & tuam modeſtiã prædicas. Nos ex ipſis libris iudicium fieri nõ recuſamus. *Nihil*, inquis, *admiſcui quod pertineat ad cuiuſquam contumeliam*. Quæ verò hæc impudentia eſt? Vnum tantùm locum citabo ex pag. 101, huius ipſius Apologiæ, ad quam reſpondeo, vt totus orbis nouerit quæ tua ſit modeſtia, quis pudor, quæ denique conſcientia, de rebus tam falſis, tam incompertis, tã denique à tuo inſtituto alienis tam impurè loqui. Vſus eſt aliquoties Caluinus, carnalẽ edendi modum oppugnans ab abſurdo, vocabulis voracitatis & ingurgitationis. Quid tu ad hæc VVeſphale? *Admodum*, inquis, *religioſè & reuerenter loquitur Caluinus, ex crudo ſuo ſtomacho eructans voracitatem & ingurgitationem*. Nempe Caluinum bene noſti, vt video: quem tota hæc ciuitas teſtari poteſt tam paruam ſui rationem habere in cibo & potu, vt in eo interdum amicis non leuiter peccare videatur. Quum te de temulẽtia reprehenſum à Caluino ægrè patereris, reſpondit Caluinus id quod res eſt, ſeſe de ſpiritus temulentia loquutum: & cur ad iſtam verborum aſperitatẽ adactus eſſet copioſè declarauit. Tu verò tibi ſatisfactũ nõ putaſti niſi extra cauſam ſumma cum mẽtiendi licẽtia duplex cõuitium regereres. Quid amplius? *Ingerit*, inquis, *Caluinus voces auribus & oculis meretricibus conuenientes: quas fortaſſe didicit à matre ſua Pontificij ſacrificuli concubina*. Itáne verò nugator honeſtiſſimã matronam iam olim defunctam, & eius viri matrem, cui quantũ debeat Chriſtiana Eccleſia tot ſuſcepti labores teſtãtur, & gratioribus

futuris poſteris(vt confido)teſtabuntur, tuis verè meretricijs probris afficere malniſti q̃ animo tuo morem non gerere?Sed continebo ipſe me, & quid nos potiùs q̃ quid te deceat,ſpectabo. Caluinum & honeſto loco & integerrimæ famæ parentibus narum, & in nobiliſſima familia à pueritia educatum ſi teſtibus probare oporteret,nos non vnum aliquem teſtem,ſed integrã ciuitatem Nouiodunenſem citare poſſumus. Itaque de hoc tefutando conuitio minimè laboramus. Cogites potiùs quo pudore auſis tuam modeſtiam prædicare,& de cuiuſquam conuitijs,& illoto ſermone loqui, quem non pudeat tam impudenter de viuis & mortuis mentiri.

Quis renouati iſtius diſſidij author fuerit quid attinet quærere?quem tãdem lędebat Conſenſio,quem librum ſcripſeramus in quo vel tãtillum eſſet aſperitatis?Ingenuè ꝓfitebamur quid ſentiremus:habitæ ſunt diſputationes in Anglia aduerſus Papiſtas ex regis mandato.Quid non illic moderatè dictum aut ſcriptum? Si nõ poteras hoc ferre,an ideo nos laceſſere,hæreticos nominatim citare,gladio Magiſtratus corrigendos tradere,extra Scythas relegare,omnes Eccleſias quaſi claſſico excitare debuiſti?

Sed agè,obteſtor vos omnes qui hanc Apologiã eſtis inſpecturi,ego omnium infim⁹, ſeriò tandẽ,non quis iſta incendia excitarit,ſed qua tãdẽ ratione penitus extingui poſſint,cõſideremus.plus ſatis eſt litium,plus ſatis cõuiriorum,plus ſatis criminarionum & apologiarum:& nos tãdem profectò pœnitere debet,tot annos Euangelij ꝓfectum iſtis tam luctuoſis cõtentionibus fuiſſe retardatum.Hactenus igitur(quando ita promerita ſunt peccata noſtra)ſit odijs certatum:cur nõ tandem charitate potiùs certamus? Certè cõmunes habemus hoſtes,cõmunem cõfitemur Deum Patrem, Filium, & Spiritũ ſanctum:de Mediatoris officio,de fide,de bonis operibus,de verbo Domini,de Eccleſia,de Magiſtratu idem ſentimus.in ſacramentali cauſa quicquid eſt diſſidij,an obſecro eiuſmodi eſt vt ſcindi nos oporteat,& ludos cõmunibus hoſtibus præbere? Verbi ſimplicis prædicationem non æquamus illi quæ eſt ſacramentis veluti veſtita. De vera veri corporis & ſanguinis cõmunicatione in Cœna Domini inter nos conuenit: adeò præſentem eſſe Chriſtum,vt verè nos ſua carne & ſuo ſanguine paſcat in vitam æternam,ꝓfitemur. in modo tantùm cõmunicationis cõtrouerſia eſt: quoniã cõtenti ſumus ſpirituali quæ fit per fidem. Hanc controuerſiam ſatis intelligimus alias duas ſecum trahere:ſed vtraſque,obſecro,cuiuſmodi? Chriſtum in cælos aſcendiſſe:cæleſte regnum noſtro nomine inijſſe:eius vnius virtute,potẽtia,charitate nos regi & ſeruari ſcimus: eius Spiritui quicquid boni à nobis proficiſci poteſt,acceptum ferimus in ſolidum. Seſſionem ad dextrã nõnulli cum aſcenſione confundunt,ſed in eo vnde pendet ſalus noſtra quod diſſidium eſt?Quotcunque indignè,id eſt,ſine fide,manducant ex ſancto pane,& indignè bibunt ex ſacro poculo,reos eſſe corporis & ſãguinis Domini agnoſcimus. Ergo in re ipſa quoque conuenit.manet hîc quoque cõtrouerſia,an ſola ſymbola indignè ſumant, reiecto per infidelitatem corpore: an verò etiam corpus ipſum ſumant. An, obſecro,propter controuerſiam hanc de impijs,diutius perturbabuntur piorum animi?Si quid Dominus cuipiam reuelarit,depromatur:ſed eo modo qui Chriſtianos deceat.inſtituatur doctorum & piorum hominum colloquium:interponatur Chriſtianorum principum authoritas,qui omnem acerbitatem mitigent,& (quandoquidem hoc requirit nonnullorum petulantia)effrænes iſtos motus coerceant:neutri certum præiudiciũ afferant, ſed animum paratum ijs cedere quæ candida & ſimplex veritas docuerit. Neque verò quum hæc ſcribo,mihi in mẽtem venit vt ego homuncio inter tantæ doctrinæ & authoritatis homines velut arbitri & diſceptatoris partes agam. Quis ſum enim ego vt hanc cogitationem ſuſcipiã?Sed tamen,quando ita tulit occaſio, quis meus ſit animus & quæ quotidiana ſuſpiria,volui Eccleſiæ Dei teſtari:& hoc meũ deſiderium ſum præſens expertus tum illuſtriſſimis aliquot principibus, tum etiam doctiſſimis Germaniæ theologis haud ita pridem nõ diſplicuiſſe:quos ego iterum in nomine Domini ſupplex exhortor & obteſtor, vt potiùs de miſerabili hoc diſſidio Eccleſiæ componendo, quàm de vllis alijs negotijs cogitent.nihil enim æquè ad Chriſtianos principes puto ꝑtinere. Et quod ad noſtros attinet,confido fore vt quoties liberi & Chriſtiani colloquij conditiones offerentur,in quo ſpes aliqua vel minima futuræ concordiæ affulgeat, non modò non refugiant,ſed etiam cupidiſſimè amplectantur.

ΚΡΕΩ-

TH. B.

ΚΡΕΩΦΑΓΙΑ,
SIVE CYCLOPS,

Dialogus de vera communicatione corporis & ſanguinis Domini, aduerſus Tilemanni Heſhuſij commenta.

PERSONAE,

THEOPHILVS, HESHVSIVS.

AVDIO quid clamites, Heſhuſi. Euenit certè quod futurum præſagiebant pletique, vt qui ex hac diſcordia captant eruditionis & zeli nomen, idque vt verbum Dei cauponentur, ex hac ipſa noſtrarum Eccleſiarum concordia maximam renouandorum diſſidiorum occaſionem arriperent. Hæc verò cuius culpa eueniant videt Dominus & iudicabit. Interea, quandoquidem prodis vt noua quædã myſteria prolaturus, agè, doctorẽ agito, ſed ea conditione vt audienti liceat veritati patrocinari. HES. Si modò paratus es melius conſilium ſequi, agè, docebo te quatuor ex præcipuis Chriſtianæ religionis capitibus. Primùm.n. tibi ex hoc meo libello explicabo quid ſit Cœna Domini. Deinde ſententiam meam de ſubſtantiali præſentia certis demonſtrationibus confirmabo. Tertiò, contrarias obiectiones refellam. Quartò, quis ſit vſus Euchariſtiæ demonſtrabo. TH. Audio quid pollicearis.

HES. Cœna Domini eſt corporalis ſeu eſſentialis cõmunicatio corporis & ſanguinis Ieſu Chriſti. TH. Atqui primo loco conſtituendum fuit genus in definitione. HES. Sanè, idcirco communicationem vocaui, deinde ſubieci differentias. TH. De differentijs poſt ea viderimus. Vis ergo communicationem eſſe genus? HES. Volo. TH. Id verò conuenire non poteſt ex regulis Dialecticæs. Eſt enim Cœna Domini in prædicamento actionis, communicatio verò ad paſſionem potiùs eſt referenda. HES. Non ſum Sophiſta. TH. Tibi igitur Dialectice ac Sophiſtice idem declarant? HES. Minimè, ſed deſcribere volui Cœnam Domini potiùs quàm definire. TH. Eſto. Hoc igitur dictum voluiſti, Cœnã Domini eſſe actionem in qua communicatur nobis corpus & ſanguis Ieſu Chriſti. HES. Hoc ipſum volui. TH. Mirum eſt te ita abhorrere à tropis, in quos tamen in ipſo limine impingas. HES. Quî ſic? TH. Quoniam nunquam euinces Cœnam Domini propriè loquendo eſſe communicationem corporis & ſanguinis Domini, niſi vis inſtrumẽtalem cauſam cum ipſius effecto propriè confundere. HES. Hæc ipſa ſunt Pauli verba. Paulum igitur reprehendis, non Heshuſium. TH. Hoc verò ex illo non conſequitur. Nec enim inficior quod ex Apoſtolo deſcripſiſti, ſed te omnium in hoc argumento troporum hoſtem dico & demonſtro in ipſo limine impingere. Cæterùm cur addis, Corporis & ſanguinis Ieſu Chriſti? HES. Vt oſtendam ſacramentalem cõmunionem Cœnæ ab ea plurimùm differre quæ fit per ſolam fidem apprehendentem nudum & ſimplex verbum abſque Cœna Domini. TH. Vis igitur in Cœna amplius aliquid offerri quàm in verbo? HES. Volo. ipſam videlicet ſubſtantiam corporis & ſanguinis in ſumptione panis & vini, & quidem ore ſumendam præberi ſubſtãtialiter, quum in nudo verbo, id eſt, abſque Cœna Domini, detur quidem Chriſtus, ſed tantùm quod ad meritum & efficaciam, nõ autem quod ad ſubſtantiam attinet. TH. Sed craſſiſſimum hoc delirium quibus argumentis confirmas? HES. Id ſuo loco demonſtrabitur. Nunc autem tantùm in eo ſum, vt quæ ſit mea ſententia cognoſcatis. Cedò igitur quid in ea deſideratis? TH In eo aſſentimur, quòd Filium Dei facis huius ſacroſancti myſterij authorem: quòd panem & vinum ſumi vis ex Domini mandato: quòd præter panem & vinum dicis non tantùm meritum &

Quid ſit Cœna Domini.

Summa explicata ſententiæ Heshuſij, & viciſſim noſtrarũ Eccleſiarum.

efficaciā mortis Domini,ſed ipſum etiā corpus & ſanguinem nobis cōmunicari. In his autem diſſentimus. Primùm ꝗ imaginaris in ſimplici verbo atq; etiā in Baptiſmo nobis hæc omnia non tribui,ſed duntaxat meritum & efficaciam Chriſti. Deinde ꝗ putas ad iſtam communicationem ipſius corporis & ſanguinis Domini requiri præſentiam humanæ naturæ Chriſti,quæ corporaliter ſit in,vel ſub, vel cum pane. Tertiò, quòd ſicut corporalem præſentiam requiris,ita etiam corporali inſtrumento, id eſt,ore,non tantùm panem & vinum(quæ tibi religio eſt ſigna vel ſymbola vocare) ſed ipſum quoque Dominum ſumi exiſtimas. Quartò,quòd impios etiam vis fieri ipſiſſimi (vt loqui ſoletis ἐμφατικώτατα) corporis & ſanguinis Domini participes. Ex his autem erroribus dicimus alios longè pernicioſiſſimos naſci,de quibus ſuo loco, niſi moleſtum eſt, diſſeremus. HES. Tollitis Subſtantiæ nomen. TH. Quaſi verò quum corpus & ſanguinem nominamus,imaginarium aliquid intelligamus,ac non etiam ſæpenumero ipſum Subſtantiæ nomen vſurpemus. HES. Sed ita luditis in corporis & ſanguinis nomine,quum re vera nihil aliud ſignificetis quàm vim & efficaciam mortis Chriſti. TH. Non ita eſt Tilemanne, & mera eſt iſta ſycophantia, ſicut ex noſtris omnibus ſcriptis liquet, & nunc iterum tibi palàm & perſpicuè confirmo. Dicimus enim oportere nos in primis fieri ipſius Chriſti verè participes,ſed ſpiritualiter & per fidem,vt poſtea in eo adipiſcamur omnia quæ ad ſalutem neceſſaria ſunt. HES. Ergo præſentiam non negatis? TH. Chriſtum ipſum ſanè nobis dicimus à Deo non minus verè offerri,& à fidelibus percipi quàm panem & vinum: & hactenus præſentiam corporis & ſanguinis ponimus,non quòd nunc ſit in terris Chriſti caro, ſed quòd manens in cælis, tamen per fidem in cælum vſque euectis, verè per Spiritus ſancti omnipotentiam noſter fiat, & nos illius ad vitam æternam. HES. Hoc ego profectò nunquam cognoueram,quanuis mihi nondum ſatisfacias. TH. At tu controuerſiam prius integram cognoſcere debuiſti, quàm de rebus incōpertis ſtatuere. HES. Sed agè,pergamus,reliquas partes deſcriptionis omitto: quia ex ijs quæ diximus ſatis à te video intelligi meam ſentētiam. Subijciam igitur eius explicationem.

Primum Heſhuſii argumētū pro eſſentiali carnis præſentia.

Primùm dico me ex Euangeliſtarum & Pauli,ipſiſque adeò Chriſti verbis hanc definitionem ſumpſiſſe: & affirmo nihil in verbo Dei ſine ſacrilegio mutari poſſe. TH. Oſtende igitur in Chriſti verbis vllam fieri mētionem impanationis, companationis, vel ſubpanationis corporis & ſanguinis,aut confitere te ſacrilegum eſſe. HES. Vobis videntur incredibilia quæ docemus. TH. Id eſt,quæ nugamini contra fidei analogiam. HES. De ſubſtantiali præſentia corporis & ſanguinis Chriſti loquor. TH. Quatenus dicamus Chriſti corpus & ſanguinem abeſſe iam antea ſum teſtatus,hactenus videlicet vt ſciamus illā nunc eſſe in cælis,& non alibi,ſicut verbum Dei docet, nos autem in terris,& non alibi: ſed tamen inenarrabili Spiritus Dei virtute fieri vt, ſicut verbo & ſymbolis panis & vini teſtificatur Deus,illo ipſo Chriſti corpore pro nobis crucifixo, & ſanguine pro nobis effuſo ſpiritualiter per fidem paſcamur ad vitam æternam: quia fidei eſt præſentiſſimū quod tanto locorum interuallo eſt diſiunctiſſimum. Itaq; nihil amplius poteſtis ponere in Cœna Domini quàm nos ponamus: Chriſto verò lōgè maiorem tribuimus gloriam ac potentiā quàm tu,eam videlicet quæ cæteris articulis orthodoxę fidei, de diſtinctis vtriuſque naturæ Chriſti proprietatibus,& ipſius in cælos facto aſcenſu & futuro deſcenſu,prorſus eſt conſentanea. Tu verò vt tuum inaniſſimum cōmentū tuearis de Chriſti corpore in,vel ſub,vel cum pane ſtatuēdo,quid nō peruertis? Quia nimirū nō putas nos poſſe fieri ipſius corporis & ſanguinis Chriſti participes, niſi illa ipſa caro in terris cum,vel in,vel ſub pane ſtatuatur. Vis deniq; paucis abſoluā? Si diceret Chriſtus quod tu fingis,ſuū videlicet illud corpus eſſe ſimul in cælis & in terra, crederemus illi ſine vlla diſceptatione: ſed veſtra ſanè ſomnia non habemus pro Dei oraculis. HES. Volo diſtinctè conſiderari panem & vinum, vt res externas per quas de cibo ſpirituali & eius efficacia Deus nos admunet. TH. Cur igitur nos vocas Epicureos, ἀθέους, profanos,quum panem & vinum vocamus corporis & ſanguinis μνημόσυνα? cúrve tantopere abhorres à ſignorum & ſymbolorum nominibus? Nam admonendi verbo quiddam etiam multo minus ac dilutius declaratur. HES. Quoniā non exiſtimatis præterea illam ipſam eſſentiam nobis in cibum & potum tradi. TH. Iterum & iterum inculco,nos minimè diffiteri veram veri corporis & ſanguinis Chriſti κοινωνίαν,ſed impanationē,cōpanationem,ſubpanationem,inuinationem,conuinationem,ſubuinationem oppugnare,ſicut Chriſtianos decet. HES. Nos iſtis verborum portentis non vtimur. TH. Nos verò

Act. 1. 11, & 3. 21.

rò res ſpectamus, non tantùm ipſa verba.

HES. Damnamus Papiſtas, qui dicunt ſe conficere corpus Domini. TH. Et nos quoq; damnamus. Verùm ſi ſine exceptione vrgeatur τὸ ῥητὸν (vt tu vrges) multo probabilior eſſet eorum ſententia quàm tua. Sed hanc cauſam tuendam iis relinquimus qui noſtri odio eò vſque efferuntur, vt etiam Nicolai Papæ blaſphemiam & impiã in Berengarium ſententiam probent. HES. Volumus recitari Chriſti verba. TH. Volumus & nos. Scimus enim Verbum eſſe veluti animam ſacramenti. Sed iſtam verborum recitationem docemus oportere cum expreſſa eorum explicatione coniungi: nec quicquã tribuimus ſyllabis: quod ſanè debueras magis perſpicuè explicare. De conſecratione Papiſtica.

HES. Requiro etiam & panis & vini ſumptionẽ, & dico nihil extra vſum habere rationem ſacramenti. TH. Et hoc quoque ex te eãdem didicerunt ingrati diſcipuli, Philippe. Nos ſacramentarij certè, Dei gratia, nunquam aliter ſcripſimus aut ſenſimus. De conſeruatione reliquiarũ ſacramẽti.

HES. Difficillimum eſt humanis iudicijs diſcedere à communibus notitijs, vt quum de Deo & tribus hypoſtaſib⁹, & de Verbi æterni ἐνσαρκώσεως diſſeritur. Sed ſacrilega eſt hæc audacia. TH. Fatemur. HES. Similis eſt audacia eorũ qui verba Chriſti inſtituentis manducationem corporis & ſanguinis, ad captum humani ingenij inflectunt. TH. Id quoqi nos concedimus. HES. Sacrilega igitur eſt audacia Papiſtarum in tranſſubſtantiatione. TH. Aſſentimur. Sed rationem ex te velim audire. HES. Quoniã videlicet abſurdũ humano iudicio videatur, res adeò diuerſas profiteri, Deum quiddã eſſe & ſimul contineri. TH. Quænam verò hæc ſunt verborum portenta? Exiſtimo tamen poſſe me conijcere quid velis. Somnias profectò quũ putas abſurdum viſum eſſe Papiſtis, ſi profiterẽtur res tam diuerſas, panem eſſe Chriſtum, & Chriſtum ſub pane contineri. Sõnias, inquam, quum ita exiſtimas. Nam Chriſtum ſub pane propriè contineri nunquã præter vos fuit quiſquam tam ineptus qui ex Chriſti verbis colligeret. Imò Papiſtæ ſimpliciter vrſerunt τὸ ῥητὸν, HOC EST CORPVS MEVM: & in eo ſunt tolerabiliores quàm tu, qui interpretaris, Hoc eſt corpus meum, id eſt, *Cum hoc pane eſt corpus meum*: & tamen videri vis ab omnibus tropis abhorrere: quod perinde eſt ac ſiquis vellet cum ratione inſanire. HES. Certè negare non potes Papiſtas negligere natiuam & propriam ſententiam, & Euangeliſtarum ac Pauli conſenſum. TH. Quamobrem? HES. Quoniã Paulus ipſum ſacramentum nominat panem & vinum. TH. Hic igitur tenetis. Papiſtarum tranſſubſtantiatio eò ſanè redeat vnde prodijt, id eſt ad Satanã & eius angelos. Sed vnde colligis falſam eſſe explicationem quam inuehunt Papiſtæ, quum tamen ſimpliciſſimè inhæreant verbo? Nempe quia ſenſum gignit pugnantem cum alio Pauli loco. Hinc conficitur ineptum eſſe, ita vno loco vrgere τὸ ῥητὸν, vt collationem aliorum locorum negligas: quod quum in Papiſtis iure reprehendas, qui fit vt in teipſo non animaduertas? HES. De hoc poſtea dicetur. Sed tu mihi nunquam extorquebis, nec IN, nec SVB, nec CVM pane. TH. Nec tu mihi vnquam iſta perſuaſeris. De tranſſubſtantiatione.

HES. Sic etiam Cingliani & Caluiniſtæ ad alias corruptelas deuenerunt, quoniam nõ potuerunt perſpicere quomodo corpus Chriſti, quod viſibili modo in cælum aſcendit, & humanæ naturæ proprietates retinet, ſimul & eodem tempore poſſit pluribus locis exhiberi. TH. Iam clamaui millies, nos non negare veram veri corporis κοινωνίαν, quò fit vt in eo ſenſu, id eſt quod ad cõmunicationẽ attinet, minimè negemus corpus ſimul & eodẽ tẽpore tot locis dari ſpiritualiter quot locis ſumitur per fidẽ. Neq; verò iſta ſumptio, quanuis omnem humanum ſenſum ſuperet, Chriſti carnem vllis ſuis proprietatibus ſpoliat, ſicut tua illa impanatio. Nam Chriſti carnem quærimus per fidem in cælis, vbi eſt, non autem ore corporis comprehendere nos ſomniamus in terris vbi non eſt. HES. Putatis Chriſtum inconſideratè verba illa effutiſſe. Ideo fingitis Chriſtum loqui de manducatione ſpirituali. TH. Spiritualem dicimus, non quæ ſit imaginaria, non quæ ſolos noſtros ſpiritus paſcat, non quæ duntaxat Spiritum Chriſti percipiat, vel ſpirituale corpus ei affingat: ſed quæ pendet a Spiritus ſancti virtute inenarrabili, & opponitur omnibus illis cyclopicis imaginationibus de Chriſti carne impanata, & manibus ac ore percipienda. HES. Dicitis etiam hanc vocem, CORPVS, vſurpari μεταφορικῶς pro figura corporis. TH. Ne hoc quidem ſimpliciter verum eſt. Neque etiam Chriſti verba trahimus ad corpus myſticum, ſed de vero illo naturali corpore crucifixo intelligenda minimè inficiamur, neque Chriſto duplex corpus affingimus. HES. At certè contenditis ſignum μετωνυμικῶς vocari nomine rei ſignatæ, ac proinde corporis Domini nomẽ non poſſe dici de pane, niſi quatenus panis eſt eius ſignum vel figura. TH. Hoc verò agnoſci- De abſentia corporis & ſanguinis Domini.

mus,ſed adijcimus quod tu malitioſè prætermittis,non eſſe hoc ſignum inane, vel figu-
ram aliquam velut in tabula depictam,ſed Deum verè ſemper offerre, & à fidelibus ve-
rè quidem ſed ſpiritualiter ſumi,quod verba inſtitutionis Domini declarant, & ſacra
ſymbola nobis teſtificantur. HES. In ſumma,vultis Chriſti corpus in cælo contineri cer-
Act.1.11.& 3.21. to loco. TH. Cur enim negemus quod Angeli & Petrus tam diſertè exprimunt? HES.
Vultis proinde Cœnam Domini eſſe ſymbolum abſentis corporis & ſanguinis Chriſti
definito loco in cælo comprehenſi. TH. Tot penè hîc ſunt ſycophantiæ quot ſyllabæ.
Symboli nomen non tribuimus Cœnæ Domini, ſed pani & vino. corpus & ſanguinem
Chriſti abeſſe à Cœna Domini,abſit vt exiſtimemus. HES. Deus bone,quid audio? An
non dicitis Chriſtum ſecundum humanitatem non alibi nunc eſſe quàm in cœlis? TH.
Dicimus. HES. Id verò ſi ita eſt,an non abeſt ab ijs quæ in terra geruntur? TH. Abeſt qui-
dem quod attinet ad loci interuallum,ſed tantam vim eſſe dicimus Spiritus Dei, vt ea
etiam quæ longiſſimè ſunt diſſita poſſit certiſſimè copulare. Itaque quoniam Dei ver-
1.Cor.10.16 bum teſtatur panem quem frangimus eſſe communicationem corporis Domini,& po-
culum cui benedicimus eſſe communicationem ſanguinis Domini,non dubitamus af-
firmare, nobis qui in terra ſumus ſpiritualiter quidem, ſed veriſſimè tamen & certiſſi-
mè offerri idipſum quod in cælis nunc reſidet, ac proinde nos verè cum Chriſto coale-
ſcere,ſi modò per fidem (ſpirituali videlicet modo) percipiamus ea quæ nobis Domi-
nus Verbo promittit,ſymbolis figurat,verè denique offert ac præſtat. Hóccine verò eſt
verbum Dei ſubijcere humanæ rationis figmentis, & panem & vinum facere abſentis
Chriſti ſymbola? HES. Cur non fatemini potiùs nobiſcum, Chriſti etiam corpus eſſe in
pane, ac proinde non tantùm fide,ſed etiam ore, ab ijs quidem qui credunt,ad vitam, ab
incredulis verò, ad mortem ſumi? TH. Primùm, quoniam articulis fidei de verita-
te corporis Chriſti, & ipſius in cælos aſcenſione, toti denique Scripturæ reclamat.
Deinde quoniam ſcimus non alia manu quàm fide recipi Chriſtum, nec fas eſſe arbi-
tramur eius carnem à viuifica ipſius virtute ſeparare: viuifica,inquam,nõ tantùm κατὰ
δύναμιν, ſed etiam ἐνεργείᾳ,in ijs omnibus qui ſunt illius carnis participes. Scitote deni-
que nobis non eſſe certamẽ de ipſius ſubſtantiæ,id eſt,de ipſius corporis κοινωνίᾳ, ſed de
bruto & cyclopico eſu,ſine quo ſomnias illam κοινωνίαν ſtare non poſſe. Quid igitur te
mouet ad cælum terræ miſcendum,& impediendum Euangelij progreſſum? Certè Sa-
tanæ ſpiritus,non Chriſti.

De mutatione ſacramentali. HES. Explicabo iterum meam ſententiam. Expreſſè damnamus tranſſubſtantiatio-
nem. TH. Quorſum hæc? HES. Quia vos nobis hoc obijcitis. TH. Cyclopicum eſum qui
tibi eſt cum Papiſtis communis,tibi obijcimus,non tranſſubſtantiationẽ. Nam inter te
& Papiſtas hoc vnum intereſt,quod ad eſum & potum attinet,quòd illi ſine pane &
vino,tu vnà cum pane & vino vis ore ipſo corpus edere, & ſanguinem bibere. Sunt
igitur illi gulnſiores,tu verò paulò lautior. HES. Diſplicent nobis canonis Græci ver-
ba, ποίησον τὸν ἄρτον τοῦτον. TH Latinè potiùs hoc explica. HES. Hunc panem mutatum
per ſanctum tuum Spiritum efficito corpus pretioſum Chriſti tui. TH. Quid hîc repre-
hendis? HES. τὴν μεταβολὴν TH Atqui non diffiteberis,opinor, aliquod eſſe diſcrimen
inter ſacramenta,& panem ac vinum communi vſui deſtinata. HES. Ita eſt. TH. Sed
hæc ſacramenta aliquando fuerunt communis panis & commune vinum. HES. Fa-
teor. TH Ergo quum ex communibus rebus fiunt ſacramenta,id eſt,corporis & ſan-
guinis Chriſti ſymbola,mutantur profectò,& quidem inſigni quodam mutationis ge-
nere,ex Domini inſtituto. HES. Aſſentior: ſed non tranſſubſtantiantur. TH. Non debui-
ſti tamen ſimpliciter reprehẽdere omnem μεταβολὴν: ſed eam duntaxat quæ ſub-
ſtantiam ſignorum perimit. quæ quidem opinio ſanis hominibus nunquam in men-
tem venit. Sed legeras videlicet nonnihil περὶ τῆς μεταβολῆς in ſcriptis Philippi, quod
tuo more ſtatim arripuiſti,vt eruditus viderêre. HES. Omnino retinemus τὸ ῥητὸν &
proprietatem verborum defendimus. TH. Et Papiſtæ quid? HES. Coguntur ad tro-
pum,nempe ad metaphoram decurrere. Non enim panis mutatus propriè nominare-
tur panis,ſed per metaphoram. TH. Deo ſit gratia, quòd Papiſtæ alios habent aduerſa-
rios. Nam per te quidem non ſtaret quominus optima cauſa caderemus. Exciperent
enim Papiſtæ,Chriſtum non dicere Hic panis,ſed,Hoc,id eſt,res iſta quam cernitis,eſt
corpus meum. Præterea etiam ſi ſcriptum eſſet, HIC PANIS, non deeſſet Papiſtis
reſponſum,panem vocari,non quòd ſubſtantia ſit panis, ſed ratione externæ formæ &
cæterorum accidentium quæ efficiunt vt panis videatur: quæ forma loquendi ſæpe in
Scri-

Scipturis occurrit: vt quum Angelus Paulo apparens vocatur vir Macedo, quòd viri Macedonis ſpecie appareret. Tertiò, Si tergiuerſari velles, afferrent quod à te dilui nullo modo poſſet, Non poſſe videlicet quippiam propriè dici id eſſe quod non eſt: oportere ergo vt deſinat eſſe quod fuit, vt ſit quod non erat. hoc autem quid aliud eſt quàm mutari? Quid tu ad hæc Heſhuſi? HES. Fatemur in hoc ſermone, *Hoc eſt corpus meum*, prædicationem eſſe inuſitatam, & diſſimilem ab iis formis loquendi in quibus nihil ab ordine naturæ alienum dicitur. TH. Quæ hæc eſt inſania, obſecro, velle proprietatem ſingularum partium enunciationis retinere, & tamen inuſitatam eſſe totam enunciationem? Nam ſi inuſitata eſt locutio, quomodo τὸ ῥητὸν abſque tropo interprerabere? HES. Hoc volo, inuſitatè, id eſt contra naturæ ordinem, coniungi rem terrenam cum cæleſti ac diuina. TH O quanta vis eſt veritatis! Tibi igitur verbum, EST, coniunctionem declarat ſine tropo? Loquar magis etiam perſpicuè, vt de obſcuritate queri non poſſis. Vis iſtas enunciationes idem valere: IN, ſiue CVM, ſiue SVB HOC PANE EST CORPVS MEVM: &, HOC, ſiue HIC PANIS EST CORPVS MEVM. Quis autem præter te ita eſt cæcus vt non videat, ita amens vt non intelligat, etiam ſi tibi daremus, Corpus eſſe in, vel cum, vel ſub pane, ſicut tu ſomnias, tamen panem non poſſe niſi impropriè dici id eſſe quod cum ipſo cohæret? Vide, quomodo vel inuitus ad tropum decurras in explicatione totius enunciationis. Id verò fieri non poſſet ſi ſingulorum enunciationis verborum proprietatem ſeruares. Iam videamus in qua particula conſtituatur tropus. Pronomen HOC ſignificat hunc panem: CORPVS, declarat verum corpus, ſicut inter nos prorſus conuenit. Ergo in verbo EST, erit vobis tropus neceſſariò, quoniam pani attribuit nomen eius rei quæ non eſt propriè panis, ſed tantùm cum pane cohæret, vt videri poſſit quædam ſpecies ſynecdoches, ſed quæ nõ minus ſit aſinina quàm ſiquis clitellatos aſinos demonſtrans, diceret aſinos eſſe clitellas. *Act. 16.*

HES. Non fingimus vllam conſubſtantiationem, quum dicimus corpus cum pane, & cum vino ſanguinem exhiberi, nec dicimus eſſe vnionem perſonalem, aut naturalem, aut formalem. TH. De Conſubſtantiatione quod narras, explicatione indiget. Neque enim inficiamini ſubſtantiam corporis realiter coniungi cum ſubſtantia panis: quò fit vt nunc in manifeſto mendacio deprehendaris, niſi Conſubſtantiationis nomine intelligas ſubſtantiarum permixtionem. HES. Intelligo diuerſo modo adeſſe duas res, panem videlicet modo naturali & viſibili, corpus autem modo extraordinario, inuiſibili, & incomprehenſibili. TH. Quatenus & nos non negemus corpus adeſſe, nempe non ſitus qui in reali & corporali præſentiæ modo prorſus requiritur, ſed ſpiritualis duntaxat communicationis reſpectu, ſæpe iam dictum eſt. Vos autem videritis quomodo fingatis corpus adeſſe modo incorporeo, quum Chriſtus non dicat corpus ſuum adeſſe cum pane, nec ad ſpiritualem & tamen veram ipſius κοινωνίας eiuſmodi præſentia requiratur, qua tollitur corporis ipſius veritas. HES. Non dicimus etiam Chriſtum vniri cum pane vnione hypoſtatica. TH. Hoc quidem non dicis nec ſentis, vt opinor. Itaque verbum illud eſſentiale, EST, quod aſſiduè & ineptè inculcas propriè atque adeò propriiſſimè accipi, neceſſe eſt vt aliter accipias quàm quum dicitur Verbum eſſe caro: ſiquidem in hac enunciatione duo prorſus diuerſa coniunguntur, ſed hypoſtaticè: in veſtra verò impanatione coniunctionem ponis, ſed non hypoſtaticam. HES. Hinc apparet frigidum eſſe iſtorum cauillum qui nobis obiiciunt ἀρτολατρείαν. TH. Cedò igitur, quod argumentum nectunt? HES. Sic colligunt: Si corpus eſt in pane, ergo panis eſt adorandus. TH. Tu verò quomodo explicas hunc nodum? HES. Nego conſequutionem. TH. Non miror, vt qui prorſus eam detorqueas. Neque enim illi colligunt ex veſtra ſententia panem eſſe adorandum, ſed Chriſtum in pane eſſe adorandum, ac proinde panis circungeſtationem, geniculationem & inuocationem coram pane, dicunt hoc veſtro commento ſtabiliri, quoniam ibi omnino ſit adorandus Chriſtus vbi ſeſe religionis cauſâ ſiſtit. Tu verò quid ad hæc reſpondes? HES. Sequeretur ſimili ratione Propiciatorium fuiſſe adorandum, quoniam Deus aderat Propiciatorio. TH. Dic potius quod verum eſt, & quod antea collegi, Deum videlicet fuiſſe coram Propiciatorio adorandum, quia Propiciatorio aderat, religionis & cultus ſui cauſâ. An verò tu hanc concluſionem audebis inficiari puram & ſanctam eſſe? Hinc autem omnino efficitur, ex veſtra ſententia adorandum eſſe Chriſtum in pane, coram Chriſto in pane fundendas eſſe preces, & cæteras huiuſ- *De conſubſtantiatione carnis, & adoratione panis.*

modi partes adorationis vſurpãdas multò magis quàm olim corã Propiciatorio, quum nolitis virtute duntaxat & efficacia, ſed etiam ſubſtantialiter & realiter Chriſtum eſſe in, ſub, & cum pane: quod fortaſſe puderet vos de Propiciatorio ſentire. Totum igitur iſtud quod garris de hypoſtatica vnione quæ ad adorationem requiratur, nõ eſt ad id de quo agitur appoſitum, quoniam non contendimus adorandum eſſe panem, ex veſtra opinione, ſed adorandum Chriſtum in pane, quum in eo ſeſe cultus ſui cauſa ſiſtat.

De locali incluſione.

HES Negamus etiam localem incluſionẽ. TH. Et nus pernegamus. HES. Sed dicimus Chriſti corpus nihilominus eſſe in pane. TH. Id eſt, dicitis Chriſtum eſſe in loco, ſed nõ localiter, ſiue nõ eo modo quo naturalia corpora in ſuis locis verſantur. HES. Rectè. TH. Imò inſanè. Sic enim tribuiſti Chriſto σῶμα ἀσώματον. Et ideo dixi multos pernicioſiſſimos errores ex tuo delirio conſequi. HES. Nihil minus. Nam cõcedo Chriſtum retinere naturã verè humanam, nec eam cum diuinitate miſceri. TH. Ponis igitur antecedẽs, & negas cõſequens: quod eſt hominis nõ tantùm ſtulti, ſed etiam furioſi, vt verè ſcripſit D. Lutherus aduerſus Eutychẽ, & Neſtorium. HES. Iſtud tuum cõſequens dictat humana ratio, quæ cedere debet Dei verbo. TH De hoc optimè inter nos cõuenit, & quàm parũ tribuamus rationi humanæ in hoc verè Diuino myſterio ſæpe iã declaraui. Sed dico & affirmo conſequens iſtud quod ponimus ab ipſo verbo ſtatui, vtpote quod diſertè teſtetur Chriſtũ non modò vero corpore humano eſſe præditum, id eſt finito, & omnibus dimenſionibus cõſtante (vobis enim ne hoc quidẽ ſufficeret) ſed etiã verè in cælum aſcẽdiſſe, & cælo nunc cõprehendi, nõ terra. HES. Hoc poſtremum, *Nõ terra*, de tuo addidiſti. TH. Nõ addidi. Teſtatur enim Petrus, *cælo cõprehendi vſque ad tempora reſtitutionis omniũ*, quũ videlicet veniet è cælis. Atqui nemo dicitur eò venire vbi eſt, ſed illuc duntaxat vnde prius aberat. HES. *Ego ſum vobiſcũ*, inquit, *ad conſummationẽ vſq; ſeculi*. TH. *Secundũ præſentiã maieſtatis*, reſpõdet Auguſtinus, *nõ ſecundũ illud quod ex Virgine aſſumpſit*. Nos autem addimus eam abſentiam corporis minimè impedire quominus cum eo ſpiritualiter quidem, ſed verè per fidem iam nunc coaleſcamus, ſicut Sacramenta teſtantur. HES. Paucis argumentis cõtrarium oſtendam, verum corpus videlicet eſſe in pane, nec tamen vt in loco. Primùm enim nõ eſt tam abiectum quippiam de Dei Filio, Deo & homine exiſtimandum, vt eſſe non poſſit in loco niſi phyſico more & incluſione locali. TH. Inepte, nõ vides iſta ταπεινώσει æterni Filij Dei, quum Creator creaturam, Infinitus finitum corpus aſſumeret, nihil detractum de æterna ipſius gloria, ſed eò luculentius apparuiſſe nobis ſummam ipſius bonitatem? Quòd ſi ante reſurrectionem ea infirmitas, qua excepto peccato, factus eſt omnium hominum abiectiſſimus & calamitoſiſſimus, atque adeò maledictio pro nobis, nõ debuit quẽquam offendere, quis niſi Chriſtianæ religionis penitus ignarus, eos exiſtimabit minus religioſè de Filio Dei ſentire qui nunc quoque exiſtimant carnem ipſius, quantumuis glorioſam, tamen ſuæ naturæ proprietates integras ſeruare? HES. Reſpondeo propriè & ſimpliciter. Fatemur πανταχουσίαν, id eſt, infinitam illam vim qua ſimul & eodem momento aliquid vbique ſit, notionem eſſe per quam natura Diuina infinita & implens cælos & terram, ab aliis finitis rebus ſegregetur. TH. Memineris hoc eſſe primum axioma à teipſo deſcriptum: quanquam rectius vtereris Diſtinguendi quàm Segregandi verbo. HES. Quum naturæ in Chriſto maneant diſtinctæ, non dicimus humanam carnem Chriſti eſſe vbique, aut Diuinæ eſſentiæ eſſe parem: nec dicimus corpus Chriſti eſſe in ligno, in lapide, in frugibus. alioquin quorſum eſſet opus Cœnam Domini inſtituere? Nec vllum extat teſtimonium quod iubeat credere, carnem Chriſti ita cælum & terram implere vt facit eſſentia λόγου. TH. Sit hoc ſecundum axioma, Tilemanne. Licebítne autem mihi, antequam progrediamur, vnum quiddam addere? Inepta eſt tua illa conſecutio. Nam etiam ſi daremus, Chriſti corpus eſſe ſingulis in rebus, non tamen efficeretur ſuperuacaneam eſſe Cœnæ inſtitutionem: quoniam reſponderi poſſet Chriſtum aliam & peculiarem ob cauſam in Cœna Domini adeſſe. ſicut Deus, quanuis omnia repleat, non alibi tamen olim volebat quàm in Propiciatorio adorari. Sed licétne aliud quiddam percontari? Primùm cupio intelligere, an tu ſolus ita ſentias, an verò tecum etiam alij quotum conſenſum ita iactas, vt nulla re magis innitaris. HES. Non dubito quin idem ſentiant omnes noſtrarũ partium, id eſt, orthodoxarum Eccleſiarum Doctores. TH At ego iam tibi apertè prædico fore vt plerique eorum quibus fruſtra placere ſtuduiſti, tuum illud ſecundum axioma nunquã recipiant, vt qui apertè tradant Chriſti quoque carnẽ propter hypoſtaticam vnionem eſſe ſupra, infra, intra, & extra omnia huius ſeculi loca.

Act. 3. 21
Matth. 28. 20
Aug. in Ioan. tractatu 50.
An Chriſti corpus ſit vbique.

Imò cõiicio fore, vt antequã hæc diſputatio finiatur, à teipſo diſſentias Sed perge nihilominus. HES. Quum Euãgelij hiſtoria teſtetur Chriſtum viſibili ſpecie ſurſum aſcẽdiſſe in cælũ, libẽter accipimus Chriſtũ phyſica locatione viſibiliter ſurſum corpus ſuum ſuſtuliſſe, & in cæleſti loco collocaſſe. TH. Sit igitur hoc tertiũ axioma, cuius vide etiã atque etiã vt memineris. Nã quod ſcripſiſti, ſcripſiſti. HES. Nõ eſt dubiũ humanã Chriſti naturã, vtpote nõ ſolùm glorificatã, ſed etiã vnitam perſonali vnione cum Diuinitate, multas habere vires & virtutes incõprehẽſibiles humano ingenio. TH. Quis hoc audeat inficiari, cuius etiã exemplum liceat in nobis ipſis animaduertere? Nemo enim eſt noſtrûm, niſi ſit truncus potius quàm homo, qui nõ videat quantũ diſtet corpus ἔμψυχον à cadauere: ex quo cõſequitur ab anima inſpirari adiũcto ſibi corpori mirificas illas facultates quibus nõ tãtùm ſubſiſtat, ſed etiã vegetetur, adoleſcat, & ſeipſum tueatur. Et tamen hãc cõiunctionem infinitis partibus diſtare ab illa inexplicabili duarũ in Chriſto naturarũ ἕνωσιν, vltrò cõfitemur. Verùm quid ex iſtis colligis? HES. Tandẽ audies. Attamẽ vt euidẽs illud diſcrimẽ humanæ naturæ & Diuinæ in Chriſto reſuſcitato maneat, neque dicimus vbique Chriſti corpus eſſe, ſed recipimus modũ loquẽdi à Patribus traditũ, Chriſtus eſt vbiq;, ſcilicet cõmunicatione idiomatũ, id eſt, Diuinitas eſt vbique, & propter vnionẽ duarũ naturarũ hypoſtaticã, alterius naturæ proprietas toti perſonæ in cõcreto attribuitur. TH. Accipimus quoq; hoc quartũ axioma. & vide vt eius probè memineris. HES. Nullo modo inueſtigari poteſt quomodo fieri poſſit vt corpus Chriſti ſit in certo cæleſti loco, ſupra omnes locos, atque in cælo in cõſpectu beatorũ. TH. Iã ergo iterũ agnoſcis Chriſtũ eſſe in cælis, vt in loco, & quidẽ phyſica locatione, vt paulò antè dixiſti. HES. Sed nihilominus perſona Chriſti eſt vbique. TH Iã incipis declinare, vt qui paulò antè cõfeſſus fueris carnem Chriſti nõ eſſe vbique, ſed tamen dici vbique eſſe per idiomatum cõmunicationem. Aut igitur cõfitere te neſcire quid ſit idiomatum cõmunicatio, aut ſcito rem incõprehenſibilem à te eſſe definitã. HES De hoc tibi aliàs reſpondebo Sed hoc dico, ſuauiſſimas illas promiſſiones de Chriſto nobiſcũ futuro ad cõſummationem vſq; ſeculi, nõ debere reſtringi ad Diuinæ naturæ præſentiam, humana Chriſti natura excluſa. TH. Quiſnam verò ſanus homo hoc inficietur? HES. Itaque nõ dubitamus quin Chriſtus verus homo etiam Eccleſiæ in terris ſe præſentem exhibeat. TH. Si diceres quod veriſſimum eſt, Chriſtum videlicet nobis, quãuis in terra adhuc peregrinantibus, ſpiritualiter ſeipſum totum cõmunicare, quoniam ipſius omnipotentia omne locorũ interuallũ ſuperet, aſſentiremur certæ veritati. Sed nimiùm nobis liquet quam præſentiam ſtatuas, eam videlicet quæ Chriſti corpus realiter ſtatuit in terris. Nónne verò paulò antè negaras Chriſti carnẽ eſſe vbique? HES. Fateor: ſed aliud eſt vbiq; eſſe, quàm eſſe vbicunque vult. TH. Iam antea diuinabã hoc ſubterfugiũ à te captari: ſed fruſtrà. primùm enim neceſſe eſt vt hypoſtatica vnio vbiq; valeat, ſine exceptione, ſi verũ eſt quod vos cõtenditis, lacerari Chriſtum ab iis qui non cõfitentur Chriſti carnem eſſe vbicunque eſt Diuinitas. Deinde an tibi videtur nõ ſatis eſſe præſens caro, quæ fide cõſpicitur & verè apprehenditur in cælis, etiã ſi adhuc in terra peregrinamur? Imò ſi præſentia illa realis quam paulò ante excluſiſti, quæ tamẽ ex diametro veritati carnis Chriſti repugnat, ita eſſet neceſſaria vt tu vis, cur ſeſe nõ tantùm ex oculis noſtris, ſed ex hoc etiam mundo ſubduxiſſet Dominus? cúr ve Paulus diceret ſeſe amplius nõ cognoſcere 1. Cor. 5. 16
Chriſtum ſecundum carnem? Debueras certè Apoſtolorum ſaltem exẽplo erudiri, qui donec Chriſtus carnem ſuam, non dico ex illorum cõſpectu, ſed prorſus ex hoc mundo in cælos transferret, nunquam potuerunt ſatis ſeriò cæleſtia quærere, & aliis quærenda proponere. Sed de his ſuo loco. Nunc quanuis hæc παρέργως dicantur (cõſtitueras enim ſententiam tuam ſimpliciter explicare) tamen ſi quid eiuſmodi quaſi ἐν ἀφελείαις ſcriptũ eſt in tuo libello, cuperẽ intelligere quibus argumẽtis hoc tuum delirium cõfirmes. HES. Dicam. Stephanus teſtatur ſe videre Ieſum ſedentẽ ad dextram Dei, & tamẽ manſit in Act. 7. 56
terra. TH. Quid ex eo colligis? HES. Ieſum ſupra omnes cælos ſedere, & tamẽ Stephano in terra ſe cõſpiciendum præbuiſſe. Nõ enim tantùm fide vidit Dominum, vt omnes pij, ſed euidenter oculis eum eſt intuitus. TH. Attolle oculos obſecro, quid vides? HES. Nubes video. TH. Vbi ſunt? HES. In aëre. TH. Tu vero vbinã es? HES. In terra. TH. Num igitur nubes ideo ſunt in terra, an tu potius ex terra nubes in aëre poſitas contemplaris? HES. Maximè. TH. Cur autem aperti ſunt cæli Stephano? HES. Vt Ieſum intueretur. TH. Atqui ſi Ieſus erat in terra, cur oculos in cælos apertos attolleret Stephanus? Nempe magna vi opus fuit ad hunc ſecandum nodũ. HES. At Paulus poſt aſcenſionem vidit Domi-

2.Cor.12.2 nũ Ieſum viſibili cõſpectu. TH. Altera ſcilicet neceſſaria demõſtratio: quaſi Paulus non fuerit ſupra tertiũ cælum abreptus, aut non potuerit etiam, vt Stephanus, illum è terra

Act.9.4 ſupra cælos poſitum intueri. HES. Apparuit Ieſus in via Paulo Damaſcum proficiſcenti. TH *Caput erat in cælis*, reſpondet Auguſtinus, *membrum in terris*. HES. Reſpondebo, inquam, aliàs: ſed interim hoc teneo, integram Chriſti perſonam edere has conſolatio-

Matth.18.20 nes, *Vbicunq; duo aut tres cõgregati fuerint in nomine meo, in medio eorũ ſum.* TH. Certè actum eſſet de Eccleſia, niſi illi totus adeſſet Chriſtus, quem lacerare ſit nefas. Sed adde

Aug.ad Dardanum Epiſt. 57. quod dicit Auguſtinus, *Non eſſe conſequens, vt quod in Deo eſt, ita ſit vbique vt Deus. Vna enim eſt perſona Deus & Homo, & vtrũque eſt vnus Chriſtus Ieſus: vbique, per id quòd Deus: in cælo autem, per id quòd homo.* Sed præterea hoc ex te quæro, An cenſes carnem Chriſti eſſe eſſentialiter præſentem vbicunque duo aut tres cõgregantur in nomine ipſius? HES. Nempe ſatis intelligis hoc ita eſſe ex iis quæ dixi. TH. Bene habet. vbinã igitur illa præſentia carnis quam initiò dicebas peculiarem eſſe Cœnæ Domini?

De eſu Capernaitico. HES. Sed ferenda non eſt iniuria qua nos afficitis quum Capernaiticam deuorationẽ & ingurgitationẽ carnis Chriſti in ventrem nobis obiicitis. Quis enim noſtrûm vnquã ſic docuit carnem Chriſti edi? TH. Rogas? Imò an ab eo audebis vel tantillum declinare qui iampridem hæc ſcripſit totidem verbis? *Quod pani*, inquit, *fit, idipſum verè & propriè corpori Chriſti tribuitur propter Sacramentalem cõiunctionem. Errant igitur Suermeri atque ac gloſſa in Iure canonico, quum Nicolaum Papam reprehendunt propterea quòd Berengariũ coegit ad confeſſionẽ illam qua dicit ſe atterere dentibus ſuis verũ Chriſti corpus. Atque vtinã Papa omnes tã Chriſtianè egiſſent ac Pontifex ille cum Berengario in iſta cõfeſſione egit.* Hæc ille. Ac meminiſſe etiam debueras VVeſphalum non aliter illam Berengarij confeſſionem vrgere ac fidei Chriſtianæ axioma. Tibi igitur primùm omnium cogitãdum eſt quomodo illis ſatisfacias. Sed obſecro, quid igitur de hac re doces? HES. Ore quidẽ ſumi ſimul cũ pane Chriſti corpus, ſed tamen nec labiis tangi, nec dentibus teri, nec in ſtomachũ demitti, ſed intra nos viuum recipi, vt in noſtro corde habitet. TH. Bellũ profectò effugiũ. Vis nimirum nullas hîc eſſe labiorum aut dentiũ partes, ſed tantùm oris. Itaque perinde nobis faciendũ putas, vt ſolẽt homines valde famelici, qui cibũ nõ præmãſum ita vorãt auidè vt nec labra nec dẽtes attingat. Nec te pudet iſtarum ineptiarũ? Cedò quid igitur vocas comedere, quid bibere? Idem videlicet atque vorare & ingurgitare. & miraris tibi Cyclopicum & Capernaiticũ eſum obiici? Sed quidnam te in has anguſtias detruſit? HES Quoniã ille cõtactus labiorum & iſta attritio non videntur cõuenire Chriſti maieſtati. TH. Fatere igitur τὸ ῥητὸν in verbis COMEDITE & BIBITE, aliqua interpretatione eſſe leniendũ, quũ ad corpus & ſanguinem referuntur. Sed iſta ſumptio quam ſtatuis, quæ videlicet oris hiatu fiat, an non tibi æquè abſurda videri debuit? Quid verò, cuius eſt verecundiæ dicere, ore quidem ſumi corpus & intra nos verè & propriè recipi, nõ tamen in ventriculũ, ſed in cor intromitti? HES. Vos autem quid de hac re ſentitis? TH. Sentimus ipſum Chriſti corpus, & ipſum ſanguinẽ verè noſtrũ fieri, ſed ſpiritualiter & fidei ore, nõ minus tamẽ certò, quàm ore corporis & dentibus panẽ ac vinũ ſumimus, ſacra videlicet corporis ac ſanguinis Domini ſymbola. HES. Qua de re igitur inter nos contenditur? TH. De eo quòd eſum illũ ac potũ ſpiritualẽ qui fide fit nõ putatis ſufficere, ſed vultis præterea Chriſtũ ipſo ore realiter recipi. HES. Nẽpe quia iubemur hunc panẽ & hoc poculũ accipere, in quibus eſt ipſiſſimũ corpus & ipſiſſimus ſanguis Chriſti. TH. Atqui iubemur nõ tãtùm ore ſumere, ſed etiã comedere ac bibere. Quî fit ergo vt labiis nõ tangi, dentibus nõ atteri, in ventriculũ nõ intromitti fatearis, & tamẽ ore ſumi tã pertinaciter cõtendas? Nã ſi τὸ ῥητὸν tuo more vrgeamus, iſtud quod tu ponis nõ eſt comedere, ſed vorare: nec bibere, ſed ingurgitare, vt paulò antè diximus. Iſta porrò verba, COMEDERE & BIBERE, capite Ioannis ſexto μεταφορικῶς ſignificare ſpiritualẽ cõmunicationem Chriſti quæ fit per fidẽ, nõ autem per oris ſumptionẽ, vos ipſi nõ diffitemini. HES. Sed alia eſt ſumptio de qua agimus, quũ videlicet verbo adiungitur panis & vini ſacramentũ. TH. Atqui diuerſitas iſta vnde tandẽ colligitur? HES. Ex eo quòd Chriſtus, quum Cœnã inſtitueret, dixit, *Hoc eſt corpus meum*, corpus, inquam, *quod pro vobis frãgitur*: &, *Hic eſt ſanguis meus*, ſanguis, inquam, *qui pro vobis funditur*: vt nullum hîc corpus metaphoricum, nullum ſymbolicum ſanguinem imaginari liceat. TH. Iam antea millies reſpondi, nos quoque veram veri corporis & veri ſanguinis cõmunicationem ſtatuere, & potidam eſſe calumniam quam nobis impingitis de ſola ſiue nuda meriti & Spiritus Chriſti perceptione. Reſponde igitur ad rem. Capite Ioannis ſexto,

An non

An non dixit Chriſtus, *Ego ſum panis ille viuus qui de cælo deſcēdi?* HES. Dixit, ſed metaphoricè illic accipit PANIS nomen, pro alimēto viuifico & ſpeciali. TH. Eſto. Sed illud pronomen EGO, quid declarat? HES. Ipſum Chriſtum. TH. An verò Chriſtum declarat aliquatenus duntaxat, id eſt quod ad Spiritum, virtutem, & efficaciam ipſius attinet, an potius totum & integrū? HES. De hoc dubito. TH. Atqui dubitare non potes quin Chriſtum laceres. HES. Fateor igitur illic ſignificari totius ac integri Chriſti virtutē ac efficaciam, non autem ipſam ſubſtantiam, quæ nobis in Cœna præbetur. TH. Eòdem relaberis, vt qui virtutem Chriſti ab ipſius ſubſtantia ſepares, quum nos exiſtimas poſſe illius compotes fieri, etiam ſi iſtius non fiamus participes: quum è cōtrario ad ſalutem requiratur in primis ipſius rāquam fundi poſſeſſio, ſpiritualis quidem ſed veriſſima, antequam fructus ex eo percipiamus: ſicut corporalis cibus nō niſi perceptus, corpus fouet. Quid verò? In illa concione, Chriſtus nónne Carnis & Sanguinis nomina ſæpius & expreſſius etiam inculcat quàm Corporis & Sanguinis in ſacræ illius Cœnæ inſtitutione? Dic ergo, obſecro, vbi tādem inueniſti τὸ ῥητὸν vrgendum eſſe in ſingulis Cœnæ verbis, quod abſurdiſſimum eſt: in illa verò cōcione, Carnem & Sāguinem accipi pro ſimplici fructu & efficacia mortis Chriſti, quod prorſus eſt falſum? & MANDVCANDI AC BIBENDI verba in Cœna quidem propriè, in illa verò cōcione tranſlatitiè vſurpari? HES. Nō tamen loquitur illic Chriſtus de Cœna, vtpote quā nōdum inſtituerat. TH. Neceſſaria ſcilicet demōſtratio: quaſi de Cœna ſuo tempore inſtituenda iā tum diſſerere Chriſtus non potuerit. Simili ratione quod Chriſtus dicit, *Niſi granū tritici, quū cecidit in terrā, mortuū fuerit,* &c. non poterit de morte Chriſti, & publicatione Euāgelij quæ Chriſti mortem cōſecuta eſt, explicari. Cōcedo tamen Chriſtū illic diſſerere de perpetua ipſiſſimi Chriſti cōmunicatione quæ fit per fidē, etiā quū ſimplex promiſſio abſque externis adiūctis ſacramētis apprehēditur. HES. Quorſum igitur hæc omnia? TH. Primū vt tuas ineptias patefaciā, qui modò ſis Tropiſta, modò Miſotropiſta, quaſi videlicer extramūdano quopiā ſermone vſus ſit Chriſtus. Deinde hoc ego affirmo, quod vel parietes ipſi vociferabūtur ſi audeas cōtradicere, te videlicet nō magis intelligere quorſum inſtituta ſint ſacramēta, aut etiā quid ſit Græcis *μυστήριον*, Latinis Sacramētū: quod ſit diſcrimē inter cōmunia ſigna & Sacramēta: quæ ſit promiſſionū Dei materia, ſiue nudæ ſint, ſiue adhibitis, imbecillitatis noſtræ cauſa, ſacramentis veluti veſtiātur: te, inquā, nō multo melius iſta intelligere, neque ad iſta explicāda magis aptū eſſe quàm ſi hæc ſacra nūquā attigiſſes. Sed ad rem. Dico nos nō facere duplicem carnem & ſanguinem Chriſti. HES. Væ illi qui hoc faciat. TH. Hoc quidem ad te pertinet, niſi ſententiā mutes. In his verbis, *Niſi māducaueritis carnē Filij hominis, & biberitis eius ſanguinē,* quid eſt caro, quid eſt ſanguis? HES. In illa cōcione, Caro & Sāguis accipiuntur pro virtute & efficacia carnis & ſanguinis. TH. In Cœna verò quid ſignificat ſeu declarat corpus & ſanguis? HES. Ego non intelligo iſtud DECLARAT, nec SIGNIFICAT. TH. Quæro igitur quid ſit corpus & ſanguis in his verbis, *Hoc eſt corpus meum,* &, *hic eſt ſanguis?* HES. Corpus eſt illud corpus eſſentiale quod pependit in cruce. TH. Aſſentimur. Sed qui fit vt Ioan. ſexto capite, carnē & ſanguinē accipias tropicè, hîc verò nō itē? Ita enim duplex eſt tibi caro & ſanguis Chriſti, ſi nō re ipſa, at certè quod ad loquendi genus attinet. HES. Quia non loquitur illic de Cœna Domini. TH. Vide, ſi potes, quātum hallucineris. Carnem Chriſti & corpus, itémq; ſanguinem Domini, vtrobique accipimus propriè, ſicut facere neceſſe eſt: quoniā ſiue de ſimplici verbo agatur, ſiue de verbo quod ſacramētis veluti veſtitur, idē ſemper Chriſtus proponitur, cui verè inſeramur & quicū coaleſcamus, idq; ſpiritualiter & vno ac eodem inſtrumento, nempe fide. Sed in illa cōcione vobiſcū confitemur verba Māducandi & Bibendi tranſlatitiè vſurpari duabus de cauſis. Occaſionē enim his ſermonibus dederāt qui ſecuti erant Chriſtum vt corruptibilem cibum ab eo acciperent, quod in cauſa fuit cur in tota illa cōcione Chriſtus iſtis tranſlationibus vteretur. Deinde hac metaphora valde propriè atque etiam ornatè ſignificatur arctiſſima illa coalitio Chriſti cū ſuis mēbris, & quanta ſit iſtius coalitionis vis & efficacia. In Cœna Domini verò fatemur corpus & ſanguinem Domini propriè quidem accipi, ſed κατὰ τρόπον dici de pane & vino: quoniam quod eſt ſacramentum alicuius rei, non niſi metonymicè poteſt dici illud ipſum eſſe cuius duntaxat eſt Sacramentum: ac proinde verba Accipiendi, Comedendi, ac Bibendi ſimili tropo cenſemus explicanda. Quod autē inde colligitis, euacuari à nobis ſacramenta, niſi præſens ſiſtatur res ſacramēti, in, vel ſub, vel cum ſacramento, millies iam refutaui. Dixi enim, nos ſentire ex omnipotentis Dei

Ioan. 6. 51

Ioan. 12. 24

Ioan. 6. 53

verbo, ſpititualiter quidem & fide, ſed tamen non minus verè percipi rem ſactamenti, id eſt, ipſum Corpus & ipſum Sanguinem Chriſti, quanuis illa ſint in cælis & nos in terris, quàm panis & vinum, ſacra videlicet pretioſiſſimarum rerum myſteria ore à nobis ſumuntur. Quid tu ad hæc Heſhuſi? HES. Cogitabo, & reſpondebo. TH. Sed prius cogitara hæc oporruit.

De conſecratione, & eius vi. HES. Non recipimus Pontificium figmentum de conſecratione. TH. Quid ergo in ea reprehēdis? HES. Quòd vim quādam magicam attribuunr ſacrificuli verbis. TH. Rectè quidē hunc impium errorem repudias: ſed adiicere debuiſti quod iidē tradunt, requiri nimirum intentionē conſecrandi in eo qui verba ſacramenralia, quæ vocānt, enuntiet. quaſi videlicet ab hominis voluntate penderet Diuinæ ordinationis veritas. HES. Secundò dānamus quòd dicunt ex pane fieri corpus Chriſti. Ita enim cōſequeretur plura eſſe Chriſti corpora, & creationis maieſtas attribueretur creaturæ. TH. Debuiſti potius noſſe, ipſos Papiſtas nō ſatis intelligere quid illud ſit, Panem fieri Chriſti corpus, aut, In corpus Chriſti mutari: quas phraſes vetuſtis Patribus tum Græcis tū Latinis vſitatas nō mirum eſt temerè à te reprehēdi, qui nunquā cognoueris cuiuſmodi ſit iſtud murationis genus. HES. Quos Patres mihi narras? TH. Tertullianus air, *Chriſtum acceptū panem & diſtributum diſcipulis, corpus ſuum feciſſe.* Et Cyprianus, *Panis*, inquit, *iſte cōmunis in carnem & ſanguinē mutatus, procurat vitā.* Item, *Panis iſte quē Dominus diſcipulis porrigebat, non effigie ſed natura mutatus, omnipotētia Verbi factus eſt caro.* Item Ambroſius, *Panis eſt ante verba ſacramētorum: vbi acceſſerit conſecratio, de pane fit caro Chriſti.* HES. Nos tamē iſtas phraſes nō probamus. TH. Nēpe quot ſyllabas pronuntias, totidē edis oracula. Atqui nituntur hæ phraſes autoritate Filij Dei. Nā quum is dixerit panem illum eſſe corpus ſuum, certè nō diſcedunt à Chtiſti verbis qui dicunt panē fieri Chriſti corpus: niſi vis panē ſemper fuiſſe corpus, aut id eſſe quod nō fiat. Nā vobis video quæuis prodigia in his myſteriis mirificè placêre. HES. Quid igitur? illas phraſes admittis? TH. Addimus quidē explicationē proprer Papiſtarum tranſſubſtāriationem, & impanationē quā defendis: ſed phraſin à Filio Dei vſurpatā abſit vt damnemus. HES. Quænā autē eſt illa veſtra explicatio? TH. Diſce ex Theodoreto theologo & peruetuſto & pererudito, ſi quis eſt inter Græcos ſcriptores alius: ac inde etiā, ſi potes, agnoſce tantū abeſſe vt à nobis ſit excogitatus metonymiæ tropus quē tantopere exagitatis, vt è contrario nullam aliam verborum Chriſti explicationē vetus Eccleſia vſurparit. Sic ergo ſcribit ille in Dialogo cui titulus eſt Ἄτρεπτος: *Noſter*, inquit, *Seruator nomina permutauit, & corpori quidē dedit nomen ſymboli, ſymbolo verò corporis nomen: ita ſeipſum vocauit vitem. Et ſanguinis appellationē ſymbolo tribuit.* Audis, Theodotetum ex totius proculdubio Eccleſiæ ſententiæ diſſerentem de corporis Chriſti veritate, quum incidiſſet in horum myſteriorum explicationem, per tropum metonymiæ explicare has enunriationes, HOC EST CORPVS MEVM, & HOC EST SANGVIS MEVS: Ita enim fortaſſis Græca illa ſunt interpretanda: quoniam ſententia ipſa videtur hoc poſtulare. Nam qui dicit, Hic eſt ſanguis meus, nihil præter ſanguinem demonſtrat. Certum eſt autem Dominum Ieſum, quum ita loqueretur, demonſtraſſe vinum quod poculo continebatur, vt ſicut in hac enūntiatione, HOC EST CORPVS MEVM, pronomen HOC, idem declarat atque HIC PANIS: ita etiam in altera, idem pronomen non aliud ſignificet quàm HOC VINVM, ſiue, HOC POCVLVM, vt ait Lucas, vel, vt Græci Theologi loquuntur, τοῦτο τὸ κέρασμα. Sed hæc παρέργως Dico igitur metonymicè explicari illas enunciationes à Theodoreto,

Ioan. 15. veluti etiam quum ſe vitem eſſe Chriſtus diceret, contraria ramen ratione. *Nam in illis* (inquit) *rei, id eſt corporis & ſanguinis nomen tribuitur ſymbolis, nempe pani & vino. In hac autem enuntiatione qua Chriſtus dicitur eſſe vitis, ſymboli, id eſt vitis nomen, ipſi rei, nempe Chriſto tribuitur.* Nempe, nunc clamitabis Theodoretum eſſe Zuinglianum, OEcolampadium, Caluiniſtam, & quid non? HES. Fortaſſis iſta fingitis. TH. Nempe quoniam bene conuenit nobis cum Pontificiis, apud quos liber iſte Theodoreti Græcus eſt excuſus. Neque tu verò potuiſti hoc ignorare, quum ad verbum deſcripta ſint à doctiſſimo theologo Petro Martyre iampridem, in tractatione de Euchariſtia. Sed tu nimirum vſus es hoc in loco & aliis multis ea figura quam Rherores vocant Præteritionem. Sed ad rem redeo. Non potes inficiari, Theodoreto, atque, vt probabile eſt, toti illorum temporum Eccleſiæ & notam & probatam fuiſſe explicationem qua nos nitimur. HES. An putauit igitur ille ſimplicem parabolam eſſe in verbis quibus Chriſtus in Cœna inſtituēda vſus eſt? TH. Minimè, ſed idem genus loquendi, ſiue eandem

dem

dem phraſin annotauit, quamuis certũ ſit peculiarẽ eſſe ſacramentorũ rationẽ, quòd videlicet nō ad rerũ cæleſtiũ ſignificationẽ duntaxar, ſed etiam ad communicationẽ ſint inſtituta. HES. Sed quorſum hæc improprietas loquẽdi in re tã neceſſaria? TH. Præſciuit quidẽ Spiritus ſanctus multos naſcituros homines qualis tu es; ſed tamen voluit vti hac phraſi, quæ vt figurata ſit, tamen eſt ad hoc arcanum explicandũ longè accōmodatiſſima. Nam ſi dixiſſet Dominus, HOC SIGNIFICAT CORPVS MEVM: vel, HIC PANIS EST SYMBOLVM CORPORIS MEI, non ita expreſſiſſet vim illã & efficaciã ſacramentalis cōiunctionis, & eius participationis quæ inde ad nos promanat. Idque etiã licet ex illo ipſo Theodoreto animaduertere, qui eodem illo loco, quum quæſiuiſſet hæreticus aduerſus quẽ diſputabat, quid vtilitatis habeat iſta trãſnominatio: *Voluit* (inquit) *eos qui diuina illa myſteria participãt nō attendere ad eorũ naturã quæ vidẽtur, id eſt ad panẽ & vinũ, ſed per nominũ mutationẽ credere ei quæ ex gratia facta eſt trãſmutationi.* HES. Mihi tamen nō placet nomẽ τῆς μεταβολῆς. T. Quid ergo? Panis quilibet & panis Sacramentũ an idẽ apud te valent? H. Minimé. T. Quũ igitur Panis fit Sacramentũ, an non tibi videtur mutari? H. Sané. T. Ineptè igitur & temerè damnas ſanctos & eruditos homines, ex quorum etiam libris liquet non aliter eos ſenſiſſe in Cœna Domini panẽ dici corpus, quàm quatenus ſacramentũ, id eſt certum & verum ſymbolũ corporis Chriſti: niſi fortè opineris eos exiſtimaſſe panem aliter fieri corpus quàm eſſe. H. Illi tamẽ nihilo minus exiſtimarunt panẽ eſſe ſymbolum præſentis corporis, non abſentis. T. Neque nos verò abſentẽ eſſe dicimus eum qui fide tam ſit præſens vt verè & certò ſeſe cōmunicet, ſicut millies iam repetii. Sed aberras à propoſito quũ ita loqueris. Agebamus enim de phraſibus quas dixi & probaui temerè à te repudiari. Deinde etiam παρέργως oblata occaſione demonſtraui veteres Scriptores orthodoxos non vrgere τὸ ῥητόν, vt tu ſoles, imò etiã apertè dicere rei ſignũ ſymbolis, idque optimã ob cauſam, attribui. Sed Deo ſit gratia qꝫ alios Papiſtis aduerſarios excitarit.

De ſeparatione carnis à ſanguine.

¶ H. Curioſam eſſe quæſtionẽ arbitror eorũ qui quærunt nũ in Cœna corpus à ſanguine ſeparetur, quoniã diſtinctè offertur corpus in pane, & ſanguis in vino. T. Atqui neceſſe eſt vt hoc veniat in mentem omnibus iis qui tuã illam explicationem ſequũtur. T. Non eſt imaginãda illa corporis diſtractio. T. Cur ergo diſtrahis? H. Imò quũo diſtraho? T. Nẽpe quũ omnẽ tropũ excludis, & vrges τὸ ῥητόν. Nam ſi panis eſt propriè corpus non ſanguis, quoniã ſanguis eſſe non dicitur: & vinũ eadem ratione eſt ſanguis, vides quid inde neceſſariò cōſequatur: nẽpe nō modò ſeorſum & diſtinctè corpus & ſanguinẽ dari, ſed etiã ſicut te ipſa ſeparata ſunt ſigna, ita etiã eſſe ſeparata quę propriè & abſq; vllo tropo ſunt vel in, vel cum, vel ſub ipſis ſignis. H. Vos aũt quid de hac re ſentitis? T. Docem⁹ ex Paulo, *panẽ eſſe cōmunicationẽ corporis, & poculũ cōmunicationẽ ſanguinis*, idq; diſtinctè ac ſeorſum, quoniã ita Chriſto placuit, amplioris efficaciæ cauſa, integrã ſui cōmunicationẽ diſtinctis & ſeiunctis ſignis nobis impartiri: ac proinde Papiſtas meritò vt ſacrilegos dãnamus. H. Nónne igitur & vos ſeparatis corpus à ſanguine? T. Minimè, quoniam manet ſemper coniunctũ in ſeſe quod ſeparatim nobis ſpiritualiter cōmunicatur. Vobis aũt non ſufficit iſta ſpiritualis communicatio, quantumlibet vera & certa, ſed præterea requiritis realẽ & eſſentialem coniunctionẽ ſignorũ & rei, id eſt panis cũ corpore, & vini cum ſanguine, ideóque re ipſa corpus à ſanguine ſeparatis, quum panis à vino ſit ſeparatus. H. Sed non dicimus corpus eſſe exangue, vel ſanguinem abſque corpore. T. Ergo neceſſe eſt vt credatis panẽ ſυνεκδοχικῶς vocari corpus, quũ ſit ſimul corpus & ſanguis: itémq; vinũ ſimili tropo dici ſanguinẽ, quũ ſit ſanguis ſimul & corpus. Deinde conſequetur Chriſtũ bis ſeſe totũ nobiſcum communicare, nẽpe totum in pane, & totũ in vino: qui error præbuit occaſionem Papiſtis calicis vſ m, vt nō ita neceſſariũ, iis adimendi quos Laicos appellãt. Viden' te abripi in præcipitia, quoniã regia via tibi incedere non placet? H. Cōmittimus exhibitionis modũ nmnipotẽtiæ Dei. TH. Nempe hæc tua eſt ſolutio vniuerſalis, ſicut Phyſici ad proprietates occultas velut aſylum confugiunt: ſed ſcito fore vt Deus à te iſtius blaſphemiæ rationem repoſcat. Neque enim omnipotentia Dei nobis idcirco proponitur, vt eius quaſi velamine operiatur quicquid nobis ſomniare & comminiſci libuerit. Noſtrã verò explicationem de vera communicatione corporis & ſanguinis Chriſti non alio fundamento niti quàm Dei omnipotentia, ſicut in ipſius verbo nobis patefacta eſt, millies iam repetii: nec deinceps poteris inficiari quin manif ſtæ veritati reluctẽris.

1. Cor. 10. 16.

De vera interpretatione verborum Chriſti.

HES. Obtemperemus Hilarii præcepto, qui monet vt dictorũ intelligentiã ex ipſis dictis Propheticis ſumamus. TH. Accipio conditionem. H. Sed quæ obſcuritas in verbis

illis? an non communia, nota, ſignificantia & vſitata ſunt vocabula? T. Vah! quorſum igitur Hilarianũ præceptum: niſi fortè exiſtimas luce ii digere quæ ſatis ſunt perſpicua. Sed reſponde quæſo, quum dicitur, *Manus tua Domine fecerũt me*, &, *Terra eſt ſcabelũ pedũ meorũ*: an non ſunt cõmunia & vſitata vocabula? An verò propterea cũ Anthropomorphitis Deo tribues manus & pedes? HES. Abſit: eſt enim hoc abſurdum & impium. T. Atqui nõ minus abſurdum & impium eſt quod ex illa veſtra reali & eſſentiali præſentia corporis Chriſti cõſequitur, nẽpe Chriſti corpus eſſe ἀσώματον &, Aſcendere in cælos, nihil aliud declarare quàm ex viſibili fieri inuiſibilẽ in hoc mũdo, vt alia eiuſmodi mul ta prætermittã. H. Humana ratio cõcluſiones iſtas nectit. T. Quaſi verò Ariſtotelicum ſit principium, æternum Dei Filium factum eſſe carnẽ, Chriſtum aſcendiſſe in cælum & finito corpore ibi cõprehendi, ac nihilominus ſeipſum nobis verè cõiungere HES. Imo noſtrã ſententiã efferũt Euãgeliſtæ & Paulus, cõſentientibus phraſibus. TH. Vbi tandem? HES. Vos certè negatis præſentiã corporis Chriſti in Cœna. T. Eam nimirum quam cõminiſcimini. An verò ignorare potes Zuinglium in ipſo cõtentionis feruore hæc ſcripſiſſe totidẽ verbis? *Aſſerimus* (inquit) *non ſic carnaliter & craſſè mãducari corpus Chriſti, vt iſti perhibent: ſed verũ Chriſti corpus credimus in Cœna ſacramẽtaliter* (id eſt, vt ſacra ſymbola teſtificantur) *& ſpiritualiter* (id eſt ſpirituali modo & per fidem ac Spiritus ſancti omnipotentiã) *edi à religioſa, fideli & ſancta mẽte.* HES. Sed tamẽ reuera nõ aliud intelligitis quàm perceptionem meriti, fructus, efficaciæ, virtutis & potẽtiæ è cælo defluentis. T. Scilicet, quia corpus aliquod imaginarium Chriſto affingimus, ideo ludimus in Corporis nomine. Hoc tamen verum eſt, nõ poni à nobis vllã eſſentiæ Chriſti cum noſtra transfuſionem, vel permixtionem, vel *συναφὴν*. Sed hactenus nobis verum illud ipſum corpus, & verum illum ſanguinem dicimus per fidem communicari, vt verè ac certò fiamus vnum cum eo, vnde ex conſequenti fiat vt ſpiritualiter viuificemur. An non verò ſatis perſpicuè nunc loquimur, & tua ſycophantia ſatis liquidò patet? HES. Vtinam omnes manſiſſent in phraſi qua vſi ſunt Chriſtus & Apoſtoli! TH. Vtinam verò ita eſſet! Verùm duplex eſt iſta phraſis, ſi verba ſpectes. Chriſtus enim panem illum vocat corpus. Paulus verò cõmunicationem corporis. HES. Quid hinc colligis? T. Nempe Chriſti phraſin eſſe ex altera Paulina explicandã: panem illum videlicet dici corpus non alio reſpectu, quàm vt ſciamus verè nos, quum panem illum ſumimus, Chriſto coniungi, & huius cõmunicationis cauſa totã hanc actionem eſſe inſtitutã. Probamus enim illam Hilarii ſententiã, *Hæc hauſta & ſumpta faciunt vt Chriſtus ſit in nobis & nos in eo.* Illas autem phraſes, *In, vel ſub, vel cũ pane* realiter & eſſentialiter adeſſe corpus Chriſti, & à piis iuxtà & impiis percipi, vbi tandem dixit Chriſtus vel Paulus? HES. Illas phraſes dicimus, ad declarationem, & ad vitandum errorem trãſſubſtantiationis piè vſurpatas eſſe. T. Et nos reſpõdemus ad vitandum impanationis errorem piè à nobis eſſe reiectas. H. Vtuntur tamen iis phraſibus Auguſtinus, Epiphanius, & Hilarius. T. Aliquoties nimirum occurret apud veteres, Chriſtum in vel ſub pane ſiue ſacramento ſumi à nobis. Sed minus durum eſt verbum SVMI, quàm ESSE: ac certum eſt illos nunquam de impanatione veſtra eſſentiali cogitaſſe, ſed ſignorum & rei coniunctionem illã efficaciſſimam quæ Sacramentalis vocatur, ita exprimere voluiſſe: quo ſenſu illas phraſes ne nos quidem repudiaremus, niſi vos videremus illis abuti. HES. Sed quænã eſt illa ſacramentalis coniunctio? T. Ea videlicet quæ efficit vt ſacramentum non ſit ſimplex aliquod ſignum, ſeu *μνημόσυνον*, ſeu inanis pictura, ſed tale vt præter ſymbola quæ in externos ſenſus incurrunt, verè etiã à Deo detur, & à fidelibus, ſpiritualiter tamen & fide, percipiatur res ipſa quam externa illa ſymbola nobis, vnà cum Dei verbo, teſtificantur.

HES. Vt veſtras præſtigias vitemus, dicimus duplicẽ eſſe mãducationem carnis Chriſti: vnã videlicet ſpiritualem, alterã corporalem ſiue eſſentialem. T. Ediſſere, quæſo, nobis hæc ænigmata. HES. Spiritualem vocamus in qua fructus, efficacia, potentia, meritũ & ius rei abſentis percipitur fide. Corporalem verò qua ipſam ſimul eſſentiã atque ſubſtantiã corporis & ſanguinis Chriſti intra nos ſumimus. T. Spiritualẽ, obſecro, cur illã vocatis? an quòd pendeat ab arcana Spiritus ſancti virtute? HES. Minimè. nam hac ratione poſſet etiã Spiritualiſſima vocari quã appellamus corporalem. T. Cur ergo ſpiritualem dicitis? H. Quoniã nimirũ virtus & efficacia rei abſentis, quã in illa manducatione percipimus, eſt ſpirituale quiddã dũtaxat, quũ in altera ſit quiddã eſſentiale ac corporeũ. T. Cedò verò, quibus cõuenit iſta ſpiritualis mãducatio? H. Patribus qui crediderũt in Chriſtũ venturũ nondum exhibitum, & omnibus piis hominibus quotidie. T. Nempe extra Cœnã Domini. H. Maximè. Nã altera, id eſt, corporalis cõmunicatio propria eſt Cœnæ Domini.

TH. Cu-

Pſal. 119. 73. Eſa. 66. 1.

Zuing. in cõfeſſ. ad regem Franciſ.

De duplici manducatione carnis Chriſti ſecundum Heſhuſium.

T. Cupio intelligere quibus argumentis vtare ad probanda hæc cõmenta. H. Primùm duco totam illam concionem Chriſti quæ cap. Ioann. ſexto legitur, de ſpirituali illa & metaphorica manducatione loqui. T. Ergo in Carnis nomine tropum illic eſſe confiteris. H. Imò etiam in verbis Manducandi & Bibendi. T. Iam tandem igitur tranſis in Tropiſtarum caſtra. H. Nempe quia hîc non agitur de Cœna Domini. T. Eſto. aſſero tamen hic agi de eadem illa corporis communicatione quæ in Cœna, viſibili addito ſymbolo, traditur: quoniam eandem eſſe dico tum ſimplicis verbi, tum vtriuſque ſacramenti materiã, ipſum videlicet Chriſtum, quem à ſua virtute & efficacia nunquam diuello. HES. Sed quomodo id probabis? T. Ex eo ipſo loco, ne longius abeamus. Attende, quæſo: Nonne vt probetis agi in Cœna Domini de ipſo corpore, non autem de ipſius duntaxat merito ac virtute, vrgere ſoletis hæc verba, QVOD PRO VOBIS FRANGITVR? H. Sanè. T. Et meritò quidem. Nam ridiculum eſſet dicere fructum & efficaciam corporis frangi. H. Ridiculum. T. Dic rogo, quid dedit Dominus pro mundi vita? H. Seipſum. Eſt enim eius caro verè viuificus cibus, ſed interdum eſſentialiter ſumitur in Cœna Domini, interdum verò eius fructus & efficacia duntaxat. T. Non loquor de ſumptione, loquor de ipſa datione & oblatione. *Panis*, inquit, *quem ego dabo, caro mea eſt quam ego* Ioan. 6.
dabo pro mundi vita. Quæro ergo an fructum paſſionis ſuæ obtulerit Patri Filius pro mundi vita, an verò ſeipſum? H. Non dicit Chriſtus ſe daturum illam carnem Patri. T. Fateor non exprimi Patris nomen, ſicut etiam exprimi neceſſe non fuit: ſed datione illa inficiari non potes oblationem ſignificari, qua ſeſe vt victimam obtulit: quoniam caro Chriſti non niſi crucifixa & à mortuis excitata nos viuificat. Iam verò ſi non minus ridiculum eſt in hac enunciatione, CARO MEA QVAM DABO PRO MVNDI VITA, carnem metaphoricè interpretari de mortis fructu & efficacia, quàm quum dicitur panis eſſe corpus illud quod frangitur, qui fit vt in eo ſermone qui proximè cohæret, quum videlicet dicit Dominus ad ſalutem requiri carnis ſuæ manducationem, & ſanguinis ſui potum, metaphoram ſomnies? Vide igitur quàm tu nunc ſis alius quàm antea. Oppugnabas enim tropum quem conſtituimus in Cœna Domini. Nos contrà affirmamus & in illa concione, & in Cœnæ verbis nomen Carnis ſiue corporis, itémque Sanguinis, propriè vſurpari. H. Vbi igitur tropũ collocatis? T. Quod ad Cœnam attinet, tropum collocamus in copula enunciationis, quoniam caro propriè dici de pane non poteſt. Eadem autem ratione efficitur, verba Accipiendi, Comedendi ac Bibendi in Cœnæ inſtitutione de pane quidem ac vino propriè dici: quum autem corpori & ſanguini attribuuntur, nihil aliud quàm *κοινωνίαν* declarare, cuius tamen tropi maxima vis eſt, ſicut ſuo loco expoſuimus. Neque tu negas verba illa paſſim metaphoricè vſurpari. H. Iſta mihi nondum ſatisfaciunt. T. Afferam igitur alias quoque firmiſſimas rationes, quibus vtinã aſſentiri malis quàm pertinaciter iſta tua defendere. Dico Chriſtum à te lacerari, quum exiſtimas nos poſſe virtutis & efficaciæ ipſius fieri participes, etiam ſi non ſiamus vnum cum eo. H. Noſtri reſpectu dico illa diſtingui, nõ autem quòd hæc ita ſint in eo re ipſa. T. Vanum eſt hoc effugium. Totus enim nobis natus eſt, totus datur, totus neceſſe eſt vt nobiſcum communicetur, ſi in eo volumus ſeruari. H. Scribit Petrus nobis datas eſſe promiſſiones, vt ſiamus Diuinæ naturæ participes. An hoc verò cum Mani- 2. Pet. 1.
chæis referes ad Dei eſſentiam? T. Minimè. HES. Quorſum ergo? T. Ad Diuinam immortalitatẽ & beatam illam gloriam cuius erimus participes, vbi fuerimus omnibus carnis vitiis exuti. H. At ego ad Diuinam virtutem refero quæ nos ſanctificat. T. Non repugno. H. Talis autem eſt ſpiritualis illa manducatio qua fructum & efficaciam, non autem eſſentiam Chriſti percipimus, nec propterea Chriſtum in ſeſe laceramus. T. Sed cum tamen quod ad eſſentiam attinet à nobis ſeparatis, ac proinde ſalutis noſtræ fundamentum cõuellitis. Neque enim ex alieno fundo, ſed ex eo qui verè noſter ſit & *χρίσει* & *κτίσει*, fructus illos vitæ æternæ colligere nos oportet. H. Apage iſtas metaphoras. T. Imò tu totus extra Cœnam es metaphoricus in explicandis nominibus Carnis, Sanguinis, Eſus ac Potus. Loquar tamen ſimplicius. Niſi cum Chriſto ipſo ſpiritualiter coaleſcamus, & ſiamus os ex oſſibus eius, & caro ex ipſius carne, nihil fructus poſſumus ex eo percipere. Itaque per fidem certò inſerimur in illud ipſum Chriſti corpus quod nunc eſt in cælis & non alibi: ſiue proponatur nobis apprehendendum in nudo & ſimplici Verbo, ſiue in ipſis ſacramẽtis. H. Idem ergo ſtatuendũ eſſet de ipſa quoque Dei eſſentia: quod eſt abſurdũ, & paulò antè tibi diſplicuit. Et tamen cõiungit ſeſe Chriſtus cũ Patre in hac habitationis ſpecie. *Ego (inquit) & Pater veniemus, & manſionem apud eum faciemus.* Ioan. 14.

T. Coniungit ſeſe quidem cum Patre, quoniã Filius ab eo ſeparari nec poteſt nec debet:
ſicut Deitatem ab eius corpore non ſeparamus, quũ dicimus nos fieri carnis ipſius par-
ticipes. Sed longè alia eſt Deitatis ratio, ſiue illam in Patre, ſiue in Filio conſideremus,
quàm carnis & ſanguinis. Itaque illa nobis ſeipſa communis fieri nec poteſt nec debet,
quanuis futurus ſit Deus omnia in omnibus electis, & iam dicatur in nobis habitare, nẽ-
pe quòd ſuam vim ſaluificam in nobis exerat. Natura verò humana Chriſti nihil obſtat
quominus nobis hominibus verè communicetur, imò à Chriſto fuit aſſumpta, vt ſeſe
nobiſcum proximè & arctiſſimè coniungeret. Nullam tamen hîc imaginamur vel per-
mixtionem, vel transfuſionem, vel realem ſubſtantiarum συναφὴν, ſed veram duntaxat
communicationẽ cuius meminit Scriptura. Rogauit enim Chriſtus pro omnibus in eũ
credituris vt fierent vnum cum eo, ac proinde ſpiritualiter & per fidem ſimus eius mẽ-
bra. quæ teſtimonia ſi ad fructus duntaxat & effectus ſiue meritum Chriſti referas, vide
in quæ præcipitia te abducant tuæ iſtæ metaphoræ. Inſigni certè iniuria Eccleſiã Chri-
Epheſ. 5. 30. ſti afficis, ſi pretioſiſſimum illud & omnium ſuauiſſimum teſtimonium quo dicitur Ec-
cleſia caro eſſe ex eius carne, & os ex eius oſſibus, vel metaphoricè interpretaris, vel ad
eos ſolos accommodas qui Cœnã Domini participant, & quidem eo ipſo tantùm mo-
Hieron. in cap. 3. Eccleſ. mento. Certè Hieronymus apertè dicit *nos veſci carne eius, & cruore potari, non tantùm
in myſterio, ſed etiã in Scripturarũ lectione.* Imò valde hallucinaris ſi Paulũ exiſtimas ad
1. Cor. 10. 16. ſolam Domini Cœnam reſpexiſſe, ac non potius ad totum ſuum miniſteriũ, quum Co-
rinthios diceret ad Chriſti κοινωνίαν fuiſſe à Deo vocatos. Cæterùm de Baptiſmo quid
dicam, quẽ tu ita eleuas vt in eo quoque myſterio nomen Sanguinis metaphoricè dun
taxat interpreteris, & nos interea Tropiſtas, Metaphoriſtas, verbi Diuini corruptores
eſſe vocifereris? HES. Non legimus Chriſtum dixiſſe aquam Baptiſmi eſſe ſuum corpus,
vel ſuum ſanguinem, ſicut dixit de pane & vino. Paulus quoq; nõ ſcripſit aquam Baptiſ-
mi, ſed panem & poculum Cœnę Domini, eſſe communicationem corporis & ſangui-
nis. T. Deus bone, quæ hæc eſt peruicacia? Tibi igitur minus eſt, Induere Chriſtum, Ba-
Gal. 3. 27. ptizari in Chriſtum, σύμφυτοι γίγνεσθαι, id eſt, Chriſto inplantari & inſeri, quàm commu-
Rom. 6. 3. 5. catio corporis & ſanguinis Domini. Imò audi Paulum ipſum disertè nomen Corporis
1. Cor. 12. 13. vſurpantem, quum ſcribit nos non modò in vno Spiritu, ſed etiam in vnum corpus ba-
ptizatos: qui tamen Spiritum duntaxat nominat, quũ alludens ad Cœnæ poculum ſta-
tim ſubiicit nos vnum ſpiritum hauſiſſe. Denique non poſſet ipſius Chriſti nomen ad
1. Cor. 12. 12. Eccleſiam transferri, niſi Eccleſia cum Chriſti quoque vero corpore, modo tamen ſpi-
Epheſ. 1. 23. rituali, verè cohæreret. Nec dici poſſet Eccleſia eſſe πλήρωμα, id eſt complementum i-
pſius Chriſti, à quo tanquam capite in omnia ſubiecta membra gratiæ omnes proma-
nant: quæ omnia apud Apoſtolum legimus expreſſa. Imò adſcribamus ipſa Auguſtini
De conſecr. diſt. 2. Quia paſſus. verba: *Nulli,* inquit, *aliquatenus eſt dubitandũ, vnumquemque fideliũ corporis ac ſangui
nis tunc eſſe participẽ quãdo in Baptiſmate membrũ efficitur Chriſti: nec alienari ab illius
panis calicíſque conſortio, etiam ſi antequã panẽ illum comedat, calicémque bibat, de hoc
ſeculo migrauerit in vnitate corporis Chriſti conſtitutus. Sacramenti quippe illius partici-
patione ac beneficio non priuatur, quando in ipſo id quod ſacramẽtũ ſignificat, inuenitur.*
Audis veteris Eccleſiæ conſenſũ? nempe non eſſe dubitãdum quin fideles in Baptiſmo
fiant participes ipſius corporis & ſanguinis Domini? Audis in vnitate corporis Chriſti
conſtitui? Audis, vt tergiuerſari nõ poſſis, oĩa iſta nõ metaphoricè tantùm dici de fructu
paſſionis Domini, ſed in eo qui baptizatur inueniri illud ipſũ qđ ſacramẽto Euchariſtię
ſignificatur? Audis deniq; hanc phraſim IN BAPTISMO, ſicut tu ſoles vrgere tuũ illud IN
PANE, nec tamẽ ſtatui eſſentialẽ præſentiã Chriſti in aqua Baptiſmi, ſed verã duntaxat
cõmunicationẽ? Audis deniq; verbũ illud vobis exoſum & execrandũ, SIGNIFICAT,
vſurpari ab Auguſtino, nec tamen excludi verã veri corporis communicationẽ? ſicut &
nos non modò non tollimus, ſed etiam ſtabilimus, atque adeò aduerſus vos defendimus
in ipſo quoque Baptiſmo retinendam. Inſpice etiam, ſi libet, quid ſcribat Hilarius, libro
octauo de Trinitate, vbi oſtendit in ipſo quoque Baptiſmo nos Chriſto coniungi non ſo
lùm vnitate aſſenſus & voluntatis, ſed etiam naturæ. Lege, inquam, ſi potes, & expende.
H. Litem moues de nihilo. Docemus enim ſpiritualem illam manducationẽ ſufficere ad
ſalutem eorum qui credũt, nec poſſunt fieri Cœnæ participes. T. Sed nihilominus ve-
ſtræ iſtæ metaphoræ Chriſtum lacerant, & ſpei noſtræ fundamentũ conuellunt, vt ma-
nifeſtè probauimus. H. Quid ergo fiet Patribus ante Chriſtũ defunctis? An potuerũt illi
percipere ſubſtantiã quæ nondũ exiſtebat? T. Reſpondet Paulus eos eandẽ eſcã perce-
piſſe,

piſſe, quoniam illis petra erat Chriſtus. HES. Sed nondum re ipſa exiſtebat ipſa carnis Chriſti eſſentia. TH. Atqui omnes promiſſiones ſunt oculis fidei præſentes. Sic vidit A- 1.Cor.10.b. braham diem Domini, & ita nam verſamur in cælis. Ioan.8.f. Sed tamẽ quod ad ipſam carnis eſ- ſentiam attinet, agnoſco propriam eius communicationem non extitiſſe Patribus, cuiuſ- modi nunc à nobis percipitur: ſed viciſſim hoc dico, fuiſſe illos non tantùm efficaciæ Chriſti participes, vt vos ſomniatis, ſed etiã vera naſcituræ Chriſti carnis membra. Nã habuerunt quidem illi vmbras, ſed minimè inanes, non tantùm quod ad ſimplicem ef- ficaciã promiſſæ carnis, ſed etiã quod ad ipſam naſcituræ Chriſti carnis *κοινωνίαν* attinet, quanuis illi eminus viderint futurum quod nos re ipſa exhibitum, ſolidè ac (vt ita lo- quar) σωματικῶς percipimus. HES. Non intelligo hæc myſteria. TH. Certa ſunt tamen vel ex illo Pauli loco quem citaui. Chriſtus enim eſt heri & hodie. HES. Concedo quod ad efficaciam attinet, non autem quod ad carnis eſſentiam. TH. Vtrumque etiam conce- do, ſed efficaciã illam dico ſpectare ad integrã totius Chriſti cõmunicationẽ, extra quã videlicet nulla vnquã fuit ſalus, quãuis à Patribus fidelibus nõ fuerit propriè & ipſo actu (vt ita loquar) apprehẽſa caro Chriſti, quæ nondũ erat. Deniq; hoc dico, fideles Patres tum ante Legis pædagogiã, tũ ſub Legis pædagogia natos, quũ ad eandẽ ſalutẽ ab eodẽ Deo, per eundẽ Mediatorẽ vocati ſint atq; nos qui in nouiſſima tẽpora incidimus, pro ſuæ ætatis modo Chriſti naſcituri membra verè factos eſſe, ideóq; in eo ſeruatos, vt nos quoq; in Chriſto nato & exhibito ſeruamur. Sed (niſi fortaſſis tua myſteria prodere vel tu nõ vis, vel nõ potes) velim intelligere quib' de cauſis diſtinctionẽ duplicis mãduca- tionis cõſtituatis. H. Dicimus hãc ſecundã quæ propria eſt Cœnæ Domini, in qua vide- licet cõmunicatur ipſa corporis eſſentia, ideo eſſe inſtitutã vt eſſet alterius, quã ſpiritua- lẽ vocauimus, teſtificatio, pignus, obſignatio, ac cõprobatio. TH. Vtinã verò hac defini- tione eſſes cõtẽtus. Nã & nos cõfitemur Cœnã Domini in hũc vſum adhibitã eſſe, vt in fide & noſtri cũ Chriſto coalitione efficacius cõfirmemur. Sed ampli' aliquid in Cœna quàm in ſimplici verbo & Baptiſmo offerri quod ad rem ipſam attinet, id verò pernega- mus: & ab ipſiuſmet Chriſti cõmunicatione ſpirituali efficaciã ſpiritualẽ nunquã ſepa- ramus. HES. Ergo falſum eſt quod putabã, vos videlicet ſolius virtutis & efficaciæ com- municationem, quã ſpiritualẽ vocauimus, & in verbo & in Baptiſmo & in Cœna cõſti- tuere. TH. Falſiſſimũ, vt qui ne in ſimplici quidẽ verbo ſentiamus ſolã Chriſti virtutẽ & efficaciã nobiſcum cõmunicari. HES. Quando igitur, ſi neque in verbo ſimplici, neque in Baptiſmo, neque in Cœna Domini? TH. Nunquã. veſtra enim illa ſpiritualis cõmu- nicatio, ſicut à vobis definitur, prorſus eſt inanis idæa. HES. Non afferã igitur argumenta quibus oſtẽdere cõſtitueram in Cœna Domini non ſumi dũtaxat fructũ ſeu meritũ Chri- ſti. TH. Ineptè ſoles iſta cõiungere. Sed, vt paucis dicã, omitte iſta, niſi velis aduerſus vm- bram tuã litigare. HES. Sed ſi nihil aliud in Cœna Domini quàm in ſimplici verbo & in Baptiſmo percipiendum præbetur, quorſum panis diceretur communicatio corporis? imò ſuperuacanea Cœna videbitur. TH. O magnum ingenii acumen! quaſi non opor- teat nos in fide proficiendo magis ac magis Chriſto inſeri, aut quaſi ſit inanis adiũctio duplicis ſymboli, cũ tota illa ſacra actione. Dic, obſecro, quid noui afferebat Circũciſio Abrahamo? An nouã aliquã iuſtitiã? HES. Minimè, ſed eã obſignabat quæ iã erat ei im- putata. TH. An igitur erat Circũciſio inanis? HES. Nequaquam. TH. Vides igitur ineptã eſſe conſequutionẽ, quã ingenioſiſſimã eſſe iudicabas. HES. Sed veteres Theologi agno- uerunt duplicẽ illã manducationem. TH. Quinam obſecro? HES. Cyrillus probat *nos nõ* Cyrill.in Ioan.15. *tãtùm ſpiritualiter per fidẽ Chriſto cõiungi, ſed etiã corporaliter cõmunicare carni Chri- ſti, & Chriſtum participatione naturali in nobis habitare, quòd benedictio ſit myſtica vir- tutis.* Intelligit autẽ per benedictionẽ, proculdubiò ſacra Cœnæ Domini myſteria. T. Omnia hæc cõcedo, quãuis ſatis conſtet Cyrillũ, vt vnionẽ naturarũ aduerſus Neſto- riũ tueretur, interdũ ὑπερβολικῶς loquutũ, ſiquis ſingula ipſius verba vrgeat. Sed ex his Cyrilli verbis quid aliud colligis quàm id quod dixi, ineptum eſſe veſtrũ illud ſomnium de ſolius efficaciæ Chriſti cõmunicatione? Nam quod ſubiicit de myſticæ virtutis bene- dictione, non ideo affertur ab illo, quaſi extra hãc benedictionẽ nulla ſit corporis Chri- ſti communicatio: ſed quoniam Cœna Domini certiſſimã ac maximè expreſſam iſtius communicationis declarationem continet. Cæterùm, vt hoc velut auctarium adiiciã, Cyrill.in Ioan.2?. quid Cyrillo facies, qui alibi ſcribens, *Credere*, inquit, *oportet, fideles, licet à nobis Chriſtus corpore abſit, virtute tamen eius omnia & nos gubernari, adeſſéque ſemper ipſum omnibus qui eum diligunt?* Non eſt igitur tua illa realis & eſſentialis præſentia

in, vel cum, vel ſub pane, quam ſomnias neceſſariam ad veram ipſius carnis communicationem. HES. Vagaris extra oleas. T. Imò ſcopum attingo. HES. Auguſtinum dico manifeſtè diſtinguere manducationem quæ ſit fidei, qua iuſtus in vitam æternam nutritur, ab ea quæ piis & impiis communis eſt. TH. Deus bone, quid eſt συκοφαντεῖν, ſi hoc non eſt? Docet Auguſtinus non omnes viuificari qui ſacra myſteria participant, ſed eos demùm qui fidem afferant. Ex eo tu colligis, & pios & impios ſumere eſſentialem Chriſti carnem corporaliter, ſolos autem pios ſpiritualiter, quoniam ad eos perueniat communicati Chriſti fructus, & ita exiſtimas tuam illam diſtinctionem optimè cõprobari. Ita igitur, ſi tibi credimus, non duplex ſed triplex erit Chriſti cõmunicatio quã ſpiritualem duntaxat appellas: vna nimirum in qua non ipſa Chriſti caro, ſed tantùm eius efficacia nobiſcum cõmunicatur, putà in ſimplici Verbo & in Baptiſmo: altera corporalis tantùm, ea videlicet per quam ſumitur eſſentia carnis Chriſti, non autem ipſius fructus & efficacia, vt vis euenire impiis quum ad Cœnam Domini accedũt: tertia denique & ſpiritualis & corporalis, quæ propria ſit fidelium in Cœna Domini. Ex his autem tribus primam repudio, iis de cauſis quas paulò ante commemoraui. Separat enim fructum mortis Domini ab ipſius ſubſtantia: quod nefas eſſe arbitramur. Secundam itidem vt blaſphemam reiicio, quoniam è contrario carnem Chriſti ab ipſius viuifica & inſeparabili virtute diuellit. Tertiam autem admitto, ſed ita vt corpus quod nobiſcum communicatur, ſpiritualiter & fide non ore ſumatur, nec in pane, ſed in cælis quæratur. Dicimus autem cum Auguſtino & veteribus omnibus, duplici modo audiri verbũ & percipi ſacramenta. Multi enim præbent aures verbo Dei, qui tamen illud perfidia ſua reſpuunt. Multi quoque ſacra myſteria indignè, id eſt abſque fide, percipiunt. Audiunt ergo illi Chriſtum loquentem, ſed verbo tenus: & myſteria ſacramento tenus, id eſt, quod ad externam duntaxat actionem, & ſacrorum ſymbolorum ſumptionem attinet, percipiunt. quod vtrunque illis in mortem cedit. E contrario qui verbum ſimplex & ſacramenta fide complectuntur, illi rem ipſam quoque tum verbi tum ſacramẽti, id eſt, Chriſtum cum omnibus theſauris in eo abſconditis apprehendunt.

Aug. Sermone de Verb. Dom. — De re Sacramenti. — Iren. aduerſus Valentin. lib. 4. cap. 34.

Atque vt planius intelligas quàm peruerſè Auguſtinum torqueas, quæro ex te quid voces rem ſacramenti in Cœna Domini. HES. Efficaciam & fructum qui ex Chriſti præſentis eſſentia ad nos redit. T. Apud Irenæum lego duabus rebus cõſtare ſacramentum, quarum vna ſit cæleſtis, altera terrena. Corpus autem Domini, quæſo, rem cæleſtem an terrenam vocas? H. Cœleſtem. T. Rectè. Nam certùm eſt ſymbola panis & vini comparata cum carne & ſanguine Chriſti, res terrenas ab Irenæo dici. Sunt ergo corpus & ſanguis Domini, res ſacramenti: Panis autem & vinum ſacramenta, id eſt, ſacrarum illarum rerum ſymbola. Deinde hoc ex te quæro, An efficaciam qua res aliqua polleat, putes ipſius rei partem eſſe? Veluti facultatem attrahendi ferri an putas partem aliquam eſſe συςατικὴν magnetis? HES. Non puto, ſed illud potius in quo ſita eſt illa facultas. T. Rectè. ſicut ratiocinandi facultas non eſt propriè pars hominis, ſed anima potius, cui vis illa inſita eſt à Deo. HES. Virtus igitur illa viuificatrix qua pollet Chriſti caro, propter hypoſtaticam ipſius cum Diuinitate τοῦ λόγου vnionem cum ipſa quidem Chriſti carne cohæret, quoniam illi eſt inſita: ſed certè non eſt quædã Chriſti pars per ſe ſubſiſtens. Hæc verò quum ita ſint, non rectè cenſes hanc efficaciam eſſe rem ipſam ſacramenti. Eſt enim potius res & pars ſacramenti, ipſa Chriſti caro, virtutis illius & efficaciæ plena, quãuis aliquoties Auguſtinus Virtutis numẽ pro rei nomine vſurpet, ſed ita vt facilè ἐναλλαγὴ intelligatur: quoniam virtutem Sacramenti opponit viſibili ſigno, corpus videlicet pani. Sed ad ſcopum ipſum tandem veniamus. Dicit expreſſè Auguſtinus, *Sacramẽtum in Cœna Dominica proponi quibuſdam in vitam, aliis in exitium: rẽ verò ipſam, cuius eſt ſacramentum, omnibus ad vitam, nulli ad exitium, quicunque fuerit particeps.* Et alibi, *Non ſunt*, inquit, *exiſtimandi manducare corpus Chriſti, qui in mẽbris Chriſti non ſunt.* H. Quorſum hæc omnia? T. Vt liquidò probem veſtram illam communicationem, quæ ſit duntaxat ſpiritualis vel corporalis, nunquam veniſſe Auguſtino in mentem, ſed potius illam diſtinctionem qua vtimur quũ dicimus quãdam eſſe communicationẽ ſacramentalẽ dũtaxat, nẽpe quæ incredulis conuenit, vt qui, re ipſa ſacramẽti repudiata, ſola ſacramenta percipiant ad mortẽ: quãdam verò ſpiritualẽ, in qua videlicet per fidem ſpirituali modo res ipſa, id eſt verum corpus & verus ſanguis Domini percipiuntur ad vitam. H. Sed tamen Auguſtinus eo loco quem citaui, & aliis etiam multis locis teſtatur impios manducare carnem Domini. TH. Nempe ſacramento tenus, vt alibi explicat

Aug. in Ioan. ſerm. 26. — Lib. 21. de Ciuit. Dei. cap. 25. — De Ciui. Dei lib. 21. cap. 25.

[illegible] panem Domini [illegible]m panem Dominum. Vſitatum enim eſt illi & ve- Tractatu 35 in Ioan.
[illegible] omnibus ſecundum Chriſti [illegible] formulam, rei ipſius nomen ad ſigna transferre: vt
[illegible] Auguſtinus expreſſè declarat [illegible] ad Bonifaciũ ſcribens. Sed nonnihil diuerſa eſt hæc Epiſt. 23.
quæſtio quam nunc incidimus [illegible] quid videlicet ſumant increduli in Cœna Domini.
Quid [illegible]? quando ita opus eſt, non recuſo intelligere quid tandem ſomniaris.
HES. Afferam profectò non ſomnia, ſed firmiſſimas demonſtrationes. Prius tamen De modo cõ[illegible]
hoc vnum addam, mirari me ſimul tam Caluini modeſtiam, qui quum teſtetur ſe nol-
le de modo præſentiæ inquirere, tamen eum definit. TH. Quo pacto verò definit?
HES. Nempe vt Solis radii in terram diffunduntur. TH. Quaſi videlicet qui ſimilitudi-
nes affert nõ rem ipſam definiat, ſed vt aliqua ratione vtcũque declaret & explicet;
[illegible] (vt loquitur Epiphanius) τὸν Θεὸν συλλογίζεσθαι ἢ γεωμετρεῖν. Quàm mul-
tas ſimilitudines afferunt veteres Theologi, per quas nobis vtcunque explanant trium
perſonarum & vnius οὐσίας arcanum? Nota eſt Athanaſii ſimilitudo ab animæ & corporis
coniunctione ſumpta, ad explicandam duarum in vna Chriſti perſona naturarum vnio-
nem. An tu verò illos etiam audes adlatrare, quaſi in Dei arcana perrumpere volue-
rint? Vos autem quid tandem de præſentiæ modo ſtatuitis? HES. Illam vocem QVO-
MODO nõ admittimus in iis quæ nõ ſunt nobis patefacta. TH. Vbi ſunt igitur iſtæ diſtin-
ctiones, Circumſcriptiuè, Diffinitiuè, Repletiuè? Vbi ferri candentis & cãthari vino ple-
ni ſimilitudo? Audi etiã aliquid amplius. De modo coniunctionis rei & ſymbolorũ pro-
priè non quærimus, quoniã de eo non ambigimus. Eſt enim nobis abundè patefactum
in Scripturis quicquid ad ſacramentalem hanc coniunctionẽ pertinet. Neque dubita-
mus ex verbo Dei affirmare Chriſtum amplius quærendum non eſſe in terris, quod ad
corpus attinet, quum verè aſcenderit in cælos, quibus comprehenditur tantiſper dũ ad
extremũ illud iudiciũ verè deſcendat. HES. Quod eſt igitur incomprehenſibile illud ar-
canum quod fatemini vos percipere non poſſe? TH. Imò etiam de quo amplius quærere
nefas arbitramur, quoniam extra verbum ſapere ne tantillum quidem volumus: tantum
abeſt vt vera ſit calumnia quam nobis impingis. HES. Dic, inquam, quid illud ſit.
TH. Dicam verò quod millies ſurdis cecinimus, humani videlicet ingenii acie non poſ-
ſe comprehendi qui fieri poſſit vt nos qui in terris ſumus, in vnum quantumuis ſpiritua-
liter coaleſcamus cum illo ipſo corpore quod nunc eſt ſupra omnes cælos, ad vitam æ-
ternam inde hauriendam, idque ſpirituali modo & per fidem, non minus verè ac cer-
tò quàm panem & vinum naturaliter ore ſumimus. HES. Atqui nónne modum defi-
nitis quum id fieri dicitis ſpiritualiter per fidẽ? TH. Modũ quidẽ dicimus eſſe ſpiritualẽ
cæleſtem diuinũ: ſed hoc eſt potius incõprehẽſibilem eſſe fateri, quàm illum explicare.
Deinde fide quidẽ, vt inſtrumento, nobis corpus illud verè applicari dicimus: fides verò
qui tandem id efficiat, nos ignorare profitemur, ſicut alia plurima & maxima noſtræ
religionis arcana, in quibus quicquid nobis verbo Dei patefactum eſt, adoramus, ſicut
par eſt: alioqui quantæ ſit nobis religioni res abſconditas perſcrutari, ſi tu non agnoſcas,
nec qui tui ſimiles ſunt, noſtra tamen ſcripta ſatis luculenter, Dei beneficio, teſtantur,
& Deus ipſe nouit, ad quem, vt tuæ tuique ſimilium impudentiæ vindicem, prouoca-
mus. Certè tẽpus erit quum Deus illuſtriſſimis totius Germaniæ principibus, & omni-
bus ſanis ac moderatis hominibus quorundam furias & noſtram innocentiam patefa-
ciat. Vtcunque ſit, parum eſt nobis iſtorum ſententiis damnari, ſi coram Deo & Ange-
lis ipſius abſoluimur.

HES. Sed videris aſtutè præterire quæſtionem, An impii ſumant corpus & ſanguinẽ Quid ſumant impii in Cœna.
Domini, quod ego affirmo, vos negatis. TH. Audiamus ergo quibus argumentis id con-
firmes quod inficiamur. HES. Paulus loquens de iis qui indignè comedunt, non dicit
ſimpliciter ἄρτον, ſed τὸν ἄρτον τοῦτον, vt benedictũ hunc panem à communi pane diſcer- 1. Cor. 11.
nat. TH. Concedo, longè enim aliud eſt panis benedictionis, id eſt ſacramentũ corporis
Domini, quàm panis cõmunis. HES. Sed iſte panis eſt corpus Domini, ergo ſumunt im-
pii etiam corpus Domini. TH. Aſſumptionẽ cõcedo, atq; ideo concluſionẽ: ſed eo demũ
ſenſu quo loquũtur Euãgeliſtæ, rei videlicet appellatione ſigno attributa, propter ſacra-
mentalẽ ſigni & rei coniunctionẽ, ſicut ex Auguſtino paulò antè oſtendimus. H. Con-
tra negantẽ principia non eſt diſputandũ. TH Quaſi verò liceat inter diſputandum aſſu-
mere τὸ ζητούμενον. Sed ecce amplius etiã aliquid tibi largiar, vt eas præſtigias quas no-
bis impingis, manifeſtè patefaciã. Sit ergo corpus in pane eſſẽtialiter, vt tu vis: & pro eo
quod dixeras, PANIS AVTEM EST CORPVS, ſubſtitue hanc aſſumptionem, EST

AVTEM ESSENTIALITER CORPVS IN HOC PANE. Subiice deinde concluſionem, ERGO qui panem hunc ſumit, corpus etiam ſumit. Dico hanc concluſionem eſſe non crocodilinam, ſed prorſus aſininam. H. Quamobrem? T. Quoniam duabus rebus mihi ſimul oblatis, poſſum tamen vnam duntaxat, alterâ repudiata, ſumere. H. Sed inſeparabiliter cohærent panis & corpus eſſentiale. T. An verò exiſtimas quicquam eſſe coniunctius verbo Dei & viuifica ipſius virtute, quæ nobis in Verbo proponitur? Nolo enim dicere Chriſtum ipſum totum nobis in ſimplici quoque Verbo per fidem comprehendendum offerri, quoniam nolles aſſentiri. Atqui conſtat Euangelium multis eſſe mortiferum, quanuis in ſeſe vitam ſpiret. Vnde igitur mors? nempe quoniam plerique Verbum audiunt, qui vitam in illo oblatam repudiant. Itaque vt paucis concludam, res ipſa quidem, id eſt corpus & ſanguis Domini ſemper cohærent ſacramentaliter cum ſignis, quod ad Deum attinet, verè vtraque ſimul offerentem, nempe ſigna quidem ipſa corporali, rem ipſam verò ſpirituali modo: ſed increduli, dum ſigna indignè ſumunt, rem ipſam repudiant. Eſt autem hominis ingenio planè indigna hæc concluſio, Simul omnibus offeruntur, ergo ſimul ab omnibus ſumuntur. H. Præterea ſic argumentor: Paulus ſcribit indignè ſumentes hunc panē reos fieri corporis & ſanguinis Domini: ergo ipſa participatione corpus Chriſti afficiunt contumelia. T. Aſſentior, ſi participationem ſymbolorum intelligas. H. Probo de ipſius rei participatione hoc intelligi. Nemo enim alicuius rei fit reus, niſi in quem eſt cōtumelioſus & nefarius. Ergo ſi impius ſolo pane & vino veſcitur, ſymbolo non corpori iniuria infertur. T. Quis iſtam dialecticam te docuit? Si concluderes ex illa aſſumptione, impios, quandoquidem pronunciantur rei eſſe corporis Domini, in illud ipſum eſſe contumelioſos, rectè colligeres, nec ego diffiterer. Sed tibi probandum fuit non poſſe contumelioſos eſſe in Domini corpus, abſque eius participatione: quod nunquam probabis. H. Hoc volui dicere, & ex eo probaui quòd alioqui non facerent iniuriam corpori, quo non veſcantur, ſed ſymbolo potius, quod ſolum indignè ſumunt. T. Quaſi verò oblatam carnem Chriſti reſpuere, & nihilominus ad eius epulas accedere, & indignè ſumere, non dico panem communem, ſed ſacrum corporis Domini ſymbolum, non ſit inſigni ludibrio & contumelia Chriſtum ipſum afficere. H. De horrendo reatu loquitur Apoſtolus, quo eſus panis non oneraret hominem impium, niſi ipſum corpus Chriſti præſens afficeretur con-

1.q.2. cap. Interrogo. tumelia. T. Audi quid dicat Auguſtinus. *Quid plus*, inquit, *vobis videtur, corpus Chriſti, an verbum Chriſti? Hoc dicere debetis, quod non minus ſit verbum Dei quàm Chriſti corpus*. Et mox, *Non minus*, inquit, *erit reus, qui verbū Dei negligēter audierit, quàm ille qui corpus Chriſti ſua negligētia in terram cadere permiſerit*. Sed hoc quidem certum, horrendum quendam reatum ſignificari ab Apoſtolo. Nam qui hoc ſcelus committit, verbum Dei, ſacroſanctam hanc actionem, ſacra μυστήρια ludibrio habet, oblatam denique carnem & propinatum ſanguinem Filii Dei reiiciens, nefando ſacrilegio ſeipſum obligat: ſed ex iis omnibus non magis probaſti quod volebas, quàm ſi demonſtrare velles Chriſtum natum eſſe in Bethlehem, quoniam tu es Heidelberga eiectus. H. Quòd dicis corpus Chriſti à credentibus accipi, ab impiis repelli, tanquam tela aranei rumpitur his Pauli verbis, EDIT AC BIBIT SIBI IVDICIVM. Nam ſi impius repellit corpus, & non accipit, incredulitate ipſa ſuum iudicium grauat. At Paulus teſtatur edendi ac bibendi actione aggrauari impiorum iudicium. T. Imò tu teipſum in retia coniicis, quum ita loqueris. Quid enim dixerat Paulus indignè comedi? *hunc panem*. quid bibi? *hoc poculum*. Ergo iudicium duabus ex rebus proficiſcitur, nempe ex impietate, & ex edēdi ac bibendi actione. Reſpondeo igitur hoc argumentum ineptiſſimum eſſe. Sic enim colligis, Si ex ipſa actione EDENDI AC BIBENDI iudicium oritur, non igitur ex incredulitate quæ corpus repellit: quaſi videlicet inter ſe repugnent, Indignè ſumere ſacra ſymbola, &, Rem ipſam per incredulitatem repellere. Atqui hæc duo dicimus nō modò nō repugnare, ſed etiam neceſſariò cohærere: ſicut è contrario coniuncta ſunt hæc duo, Ritè ſumere ſymbola, &, Rem ipſam fide percipere. Hoc igitur iterūm te fefellit, quòd aſſumpſiſti idipſum de quo controuerſia eſt: hæc nimirum verba, QVI EDIT ET BIBIT INDIGNE, nō ad ſymbola, ſed ad rem ipſam referri, ac proinde cōcluſiſti eſſe repugnantia quæ nos dicimus inter ſe prorſus conſentire. Eſt autem vitioſiſſimum hoc ſophiſtices genus, in quo eſt petitio principii. HES. Dico, niſi veritatem manifeſtiſſimam de induſtria obſcurare velis, oportere te confiteri hunc panem eſſe corpus Domini. Subiicit enim Paulus, *Impios non diſcernere corpus Domini*: vocans nimirū hunc panem

corpus

corpus Domini, quod illi non diſcernunt à communi cibo. TH. Hoc poſterius non con-
cede, Nam potius Paulus cauſam affert, cur impii ſibi iudicium accerſant. Quoniam,
neque enim pani, ſed corpori Domini fit iniuria, cuius iſti nullam habentes rationem,
ad ſacrum hoc conuiuium non aliter accedunt, quàm ſi de re quapiam maximè vulga-
ri atque adeò contemptibili ageretur. Sed ponamus PANEM vocari corpus Domini:
multis iam reſpondi, & quidem ipſius Theodoreti & Auguſtini verbis, in hoc dicendi
genere rei nomen ſignis attribui: quod prius refellere te oportuerat quàm ita collige-
res. Iterum igitur petitio eſt principii: nec te pudet ſophiſticen nobis obiicere? HES.
Centi Sophiſtæ ſunt qui Paulum hîc ciadunt non agere de impiis, & vera fide prorſus
carentibus, ſed loqui de conuerſis, qui exigua fide ſunt præditi, nec ſatis digna præpara-
tione ad Cœnam accedunt. Præterea, quod ait de iudicio Paulus, iidem illi de eo ora-
li pœna exponunt. Quidam enim ex veſtris hunc locum interpretatur. T. Imò etiam
ex veſtris quidam. Sed hac quidem in parte non eſt cur nobiſcum litiges de re minimè
controuerſa. HES. Ergo mihi perierunt tot belliſſima & ingenioſiſſima argumenta ad-
uerſus ſophiſticam hanc corruptelam? TH. Perierint ſanè, quod ad nos attinet, quibus
hæc interpretatio quam exagitandam ſuſcepiſti, nunquam in mentem venit. HES. Nón-
ne verò vos dicitis Chriſti Spiritum non ſeparari ab ipſius corpore, ac proinde corpo-
ris Chriſti impios non eſſe participes, vt qui Spiritum eius non habeant? TH. Hoc affir-
mamus. HES. Audi igitur acutum & ineuitabile reſponſum Heſhuſii. Variis modis ad-
eſt Chriſtus ſuis creaturis: omnibus, quod ad conſeruationem & ſuſtentationem atti-
net: piis verò ſolis peculiari modo, quibus impertit vitam & iuſtitiam. Ergo ſicut præſen-
tia ſanctificationis, quæ eſt ſolis credentibus peculiaris, non impedit præſentiam con-
ſeruationis, quæ cōmunis eſt omnibus: ita etiā abſentia & priuatio ſanctificationis non
impedit præſentiam corporis in ſumptione impii. TH. Rectè hoc quidē, ſi probares quod
dicis. HES. Quòd dicitis non poſſe Chriſtū & Satanam ſimul verſari, facilè diluitur. TH.
Nempe quam facile eſt aſino volare. HES. Chriſtus enim adeſt impiis vt iudex. TH. Nē-
pe quia ab impiis repellitur: tantum abeſt vt quos iudicat, fiant eius participes. HES.
Spiritus fuit etiam in Saule, & in ipſis hæreticis, teſte Auguſtino, ſed ad perniciem. TH.
Dicitur eſſe Spiritus vbicúnque vim ſuam exerit. Sunt autem multiplicia Spiritus ſancti
dona, quorū tamen plurima Satanam nō expellunt, quò fit vt in iis quibus dona iſta im-
pertitur, quodammodo dici poſſint ſimul verſari diuerſis reſpectibus Spiritus & Satan.
Sed quorſum hoc ad communicationem corporis Chriſti, quæ quum nos efficiat ipſius
membra, ſimul etiam nos à tyrānide Satanæ vindicat? HES. Hoc quoque viciſſim pro-
ba. TH. Audi igitur Auguſtinum de hac ipſa controuerſia diſſerentem aduerſus eum er-
rorem quem defendis. *Non ſunt* (inquit) *dicendi manducare corpus Chriſti, qui in mēbris* Aug. li. 5. contra Donatiſt.
Chriſti computandi non ſunt. vt enim alia taceam, non poſſunt eſſe ſimul membra Chriſti &
membra meretricis. HES. Idem tamen Auguſtinus ſæpe ſcribit impios quoque mandu-
care corpus Domini, & bibere eius ſanguinem. TH. Id eſt ſigna corporis & ſanguinis, vt
diſertè loquitur multis locis, ac præſertim tractatu in Ioan. 26. HES. Imò ponit nobiſcū
duplicem illam manducationem quam antea expoſuimus. TH. Hoc nos quidem infi-
ciati ſemper ſumus, & inficiamur.

HES. At ego paratus ſum certis, firmis, propriis & validis argumentis hunc corpora- Incipit Heſhuſius [illegible] eſum confirmare.
lem eſum confirmare. Tria ſunt autem fundamenta quibus innitor: vnum, quòd Deus
ſit verax: alterum quòd ſit omnipotens: tertium, quòd quanuis Chriſtus humanæ na-
turæ proprietates quæ ad ſubſtantiam pertinent non depoſuerit, tamen neceſſe ſit at-
tribui eius corpori, etiam ante mortem, admirandas vires & proprietates, propter hy-
poſtaticam duarum naturarum vnionem. An quicquam iſtorum negabis? TH. Abſit.
HES. An hæc dicatis vero corde teſtis ſit veſtra conſcientia. TH. Eſto. Sed poſitis funda-
mentis ſtrue tandem ædificium. HES. Id verè præſtat Deus quod verbo promiſit. TH. Primū Heſhuſii argumentum. A conſenſu Euangeliſtarum in vocabulis & penè ſyllabis.
Concedo. HES. At ſummo conſenſu & iiſdem penè ſyllabis vtuntur Euangeliſtæ & Pau-
lus in tradenda Cœnæ Domini hiſtoria & inſtitutione. Ex hoc conſenſu, à quo nefas
eſt diſcedere, dico ſatis apparere verba Chriſti ſine tropo eſſe accipienda: quum præ-
ſertim Paulus nullam addat figuræ explicationem. TH. Quî ſic? HES. Quoniam ſi quid
figuratè vnus illorū dixiſſet, alius explicaſſet. TH. Vide quàm multa paucis reſpōdeam.
Primùm dico hanc tuam regulam falſam eſſe, quod infinitis teſtimoniis poſſem com- Reſp. 1.
probare. Deinde nego obſcurum eſſe quicquid figuratè dicitur, quum ſæpe figuratus ſer- Reſp. 2.
mo non minus ſit perſpicuus ac etiam ἰδιωτικώτερος quàm ſimplex. Tertiò, dico non- Reſp. 3.

nullum eſſe diſcrimen in Cœnæ narratione, non modò in ſyllabis, ſed etiam in verbis, & quidẽ illis ipſis quæ tu adeò ſolicitè appendis & numeras. Quòd ſi mihi non credis, librum ſaltẽ inſpice. Inuenies Lucam addere penè plura quàm habeat cum aliis com-

Mat. 26.28. Marc 14.24. Luc 22.20. munia: &, quod in primis vrgeo, pro eo quod Matthæus & Marcus habent, HOC EST SANGVIS MEVS NOVI TESTAMENTI, comperies Lucam ſcribere, HOC POCVLVM EST NOVVM TESTAMENTVM IN SANGVINE MEO. Id verò quum tu minimè ignores, miror iactare te conſenſum τοῦ ῥητοῦ in ipſis quoque ſyllabis. Sed ſi hoc ipſum tibi largirer (abſit enim vt in Euangeliſtis vlla ſit quod ad rem ipſam attinet διαφωνία) abſurda tamen eſſet iſta concluſio quã tu hinc elicis, ſimpliciter videlicet explicandum quicquid eodem modo & iiſdem ſyllabis enuntiant Euangeliſtæ. Subiiciam enim ex aduerſo tropum retinendum eſſe, quem tanto conſenſu non omnes modò Euangeliſtæ, ſed etiam Prophetæ perpetuò ſeruarint, quum de Sacramentis agerent.

Reſp. 4. Quarto loco affirmo te falſò ſcripſiſſe Paulum nullam afferre figuræ explicationem. Dico enim Paulum eſſe optimum Euangeliſtarũ & ſuiipſius interpretem. Itaque hæc verba, HOC EST CORPVS MEVM, Paulo Apoſtolo interprete, dico idem prorſus eſſe

1. Cor. 10.16. atque, HOC EST COMMVNICATIO CORPORIS MEI: &, HOC EST SANGVIS MEVS, non aliud ſignificare quàm HOC EST COMMVNICATIO SANGVINIS MEI. Non poteſt autem dici Panis eſſe communicatio corporis, nec Vinum aut poculũ ſine tropo vocari Teſtamentum nouum in ſanguine, ſicut vocauit Lucas: vel Communicatio ſanguinis, ſicut vocauit Paulus. Itaque quum hunc conſenſum Euangeliſtarum proferres, teipſum iugulaſti. H. Euidens eſt tamẽ illud argumentum quod attuli. T. Tam euidens certè quàm ſtercus in laterna. H. Ah, irreuerenter loqueris. T. De tuis mendaciis loquor, & ſi qua hic eſt irreuerentia, noſti ex quo didicerim.

Secundũ Heſhuſii argumẽtum. A verbis ipſis, CORPVS QVOD PRO VOBIS TRADITVR. Reſp. HES. Afferam argumentum eius generis, vt niſi audeas Euangeliſtas & Paulum, imò ipſum Filium Dei accuſare mendacii, oporteat te fateri corpus Chriſti non ſolùm in cælo certo ſpatio concludi. T. Obſerua quid à te dicatur, Chriſti corpus in cælo certo ſpatio concludi. H. Interturbas. T. Nempe quia obliuioſo opus eſt monitore. HES. Te, inquam, oporteat fateri corpus Chriſti non ſolùm in cælo certo ſpatio concludi, ſed etiam verè & ſubſtantialiter in Cœna adeſſe, præberi, & ſumi à veſcentibus. T. Audi verò, antequam de nihilo labores, fatemur hæc omnia. HES. Ergo fatemini Chriſtum in Cœna adeſſe ſubſtantialiter? T. Fatemur ſanè ipſum Chriſtum totum, non imaginarium, ſed vero corpore præditum, adeſſe in Cœna: quod quum ante tot annos diſertiſſimè ſcripſerit ille ipſe Zuinglius ad cuius vel ſolum nomen trepidas, mirum eſt quòd hæc auſis in controuerſiam reuocare. H. Ergo etiam fatemini adeſſe in pane? T. Minimè. Aliud enim eſt panis, aliud actio ipſa ac Cœna Domini in qua ſumitur panis. Itaque in Cœna, cuius myſteria omnia nos in cælos vſque ſubuehunt, vt rem ipſam, id eſt verum Chriſti corpus, ibi per fidem amplexemur, dicimus illud adeſſe, vt quod ſit finis ac ſcopus tum ſacramenti, tum vniuerſæ illius actionis. Non dicimus tamen Chriſti corpus adeſſe in pane, quoniam nunc eſt in cælis, quò nos reuocat Sacramentum. H. Putaui tamen hæc duo idem valere, ADESSE IN COENA, &, ADESSE IN PANE. T. Putaſti, ſed fallò. HES. Ergo concidet meum argumentum? T. Ruet profectò, vt ſuſpicor. HES. Sed an fatemini præberi? T. Cur enim adeſſet niſi vt ſumendum offeratur? ſed ſpiritualiter per fidem in cælis, non autore in terris, idq; nõ vt permiſceãtur ſubſtantiæ, aut corporũ inſtar vnum cum altero cohæreat, ſed vt iſtam ſpiritualem capitis & membrorum coalitionem conſequatur æterna viuificatio. H. Vah, non bene ieci fundamenta, vt video. T. Tu videris. H. Fatemini etiam ſumi? T. An verò inficiemur quod tam expreſſè declarauit Apoſtolus? ſed ſpiritualiter per fidem dicimus quæri & ſumi in cælis quod ſigna teſtificantur in terris. H. Ne hoc quidem mihi placet. probabo tamen quod dixi. T. Id eſt illud de quo non ambigitur. Sed agè, fac tandem vt promiſſa appareant.

Obiectio 1. H. Addit Chriſtus, QVOD PRO VOBIS TRADITVR: ergo non loquitur de ſym-

Reſp. bolo corporis. T. Nego conſequutionem. H. Negas? atqui ſymbolum corporis non eſt traditum pro nobis, ſed verum & naturale corpus. T. Concedo. Longius enim abſum à Marcione & Manete quàm tu ipſe qui corpus Chriſti conſtituis te ipſa adeſſe ſimul multis in locis. Sed quæ hæc eſt conſecutio? Quũ diceret Chriſtus, HOC EST CORPVS MEVM QVOD PRO VOBIS TRADITVR, de vero corpore loquebatur: Ergo, inquis, nõ tradebat ſymbolum corporis ſui. Imò vide quò proueharis. Quid enim tu ipſe doces? Nempe panẽ & corpus res eſſe diſtinctas, & illũ eſſe iſtius eſſentialiter præ-

ſentis

[illegible]ſymbolum. Id verò ſi [illegible] nō doces ſymbolū vnà cū corpore ſubſtātialiter tra-
dit igitur iſta tua [illegible]io, vel teipſo teſte, Quoniā verū adſit corpus, non ſo-
lum [illegible] de ſymbolo. Sed puto [illegible]e videre quid tibi impoſuerit: putas à nobis cōſtitui
[illegible] in ipſo vocabulo Corporis: at [illegible] ego millies iā reſpōdi, cōſiderari à nobis ipſā enūtia-
tionē, quomodo videlicet verū & eſſentiale corpus dicatur, ſiue, vt vulgò loquūtur, præ-
[illegible] de eſſentia quæ eſt in eſ[illegible]ç, id eſt de pane H. Neque etiā loquitur Chriſtus de
Eccleſia, id eſt myſtico ſuo corpore. TH. Hoc quoque eſt extra controuerſiā, quāuis in-
[illegible] non poſſis in hoc etiā ſacramento ſanciri myſticam capitis & membrorum coali-
tionem, cuius analogia cum pane ex multis granis conflato, à Paulo ipſo demonſtratur.
HES. Zuinglius dicit dari nobis non corpus, ſed figuram vel ſignum corporis. TH. 1.Cor.10.17.
Zuinglius prudenter quidem & verè diſtinguit, atque etiam, quod attinet ad ſitum, ſe- Obiect.2.
parat rē quæ eſt in cælis à ſigno quod eſt in terris: ſed tamen vtrunque coniungit, quod Reſp.
ad Deum offerentem, & quod ad fideles oblata percipientes attinet.
HES. Caluini ſententia eſt, non corpus ipſum, ſed duntaxat fructum ſeu efficaciam, ſeu Obiect.3.
ſpiritum Chriſti nobis cōmunicari. T. Hoc ego pernego. H. Quid ergo docet? T. Nobis Reſp.
verè cōmunicari verum illud naturale corpus Chriſti crucifixū, & verū ſanguinē fuſum
pro nobis, non quod trāsfundantur ſubſtātiæ, ſed vt vnum ſpiritualiter cum eo facti vitā æ-
ternā ex ipſius carne & ſanguine hauriamus vt ipſius mēbra. Itaq; tragici tui clamores
de Alexādri pictura, & cætera eiuſmodi, nihil ad nos. Redi igitur ad ſcopum. Non quæ-
ritur, inquā, quid offerat in Cœna Chriſtus, aut quid ſumatur à fidelibus. Nam extra cō-
trouerſiā eſt, tam verè offerri à Deo & à fidelibus animo percipi ſpiritualiter nō tātùm
fructum corporis & ſanguinis, ſed ipſiſſimum etiā corpus & ſanguinē Chriſti, quàm ve-
rè offeruntur externa illarum rerum ſymbola, id eſt panis & vinum. Sed de eo quæritur,
quod nondum probaſti, An ſint corpus & ſanguis eſſentialiter & re ipſa in, vel cum, vel
ſub pane & vino: ac proinde an ſumātur etiā ore intra nos, an verò duntaxat fide & ſpi-
rituali modo. Hæc ſunt, inquam, de quibus quæritur. At tu de iſtis ne tantillum quidem.
HES. Noui ego vos fateri verum corpus, ipſamque ſubſtantiā dari in Cœna. TH. Ni- Obiect.4.
mirū igitur impudēter nos calumniaris. HES. Imò ſubdola eſt veſtra confeſſio. Intelligitis
enim ſubſtantiam corporis nobis dari, quum per fidē Chriſtus totus noſter fit: vt ſi cui a-
gri procul remotus detur, huic verè dicetur, Agri ſubſtātia tibi datur: quod de iure intelli-
gitur. T. Vtimur quidē ſimilitudinibus eiuſmodi, vt declaremus ad verā ipſius Chriſti cō- Reſp.1.
municationē minimè requiri illā præſentiam in pane, ſiue impanationē corporis quam
tu ſomnias. Sed magna fit nobis iniuria quum iſta non aliter detorques, quàm ſi dicere-
mus hac ſimilitudine prorſus explicari myſterium noſtræ cum Chriſto coniunctionis,
quam tamen toties teſtati ſumus à nobis cōprehendi non poſſe, quanuis ſpirituale eſſe,
& fide fieri, ex Dei verbo agnoſcamus. Præterea quæ hæc impudentia eſt, nullum cōſti- Reſp.2.
tuere diſcrimen inter vſumfructum & proprietatē? Sic enim noſtrā ſententiā deprauas,
vt ſi diceremus nos ius aliquod in corpore habere, percipiendi videlicet ipſius tanquam
fundi alicuius fructus, ac non potius nos ipſum corpus, vt noſtrum optimo iure poſſide-
re. Tertiò quoties iam inculcaui ex Paulo, nos iſta Chriſti cōmunicatione vnū cum eo Reſp.3.
fieri, atq; adeò carnē ex eius carne, & oſſa ex oſſibus eius, ſed ſpirituali modo per fidem?
Itaque nō per oīa cōuenit illa ſimilitudo, neque in hunc ſenſum à nobis affertur, quo-
niā vt quis agrum propriè poſſideat, nō tamē vnum fit cū agro. Nec te pudet iſtarum ca-
lumniarū? HES. At explicatio Chriſti nō eſt de iure rei abſentis, ſed de ſubſtantia rei præ- Obiect.5.
ſentis, vt qui mōſtrando & porrigēdo vinū, affirmet ſe ſuum ſanguinē porrigere. TH. Tū Reſp.
quidē Chriſtum fateor verè & propriè, etiam quod ad locū attinet præſentē fuiſſe, vt qui
vnà cum Apoſtolis cœnaret. Nunc aūt quum à nobis verè ac propriè carnē ſuā ſupra o-
mnes cælos ſuſtulerit, ibi quærendū eſſe, & fidei ore manducandū dicimus, nec tamen
irritā eſſe inſtitutionē Cœnæ, quū etiamnū hodie, nō obſtante tanto locorū interuallo,
ſpiritualiter quidem & mente ipſa, ſed tamē nō minus verè ac efficaciter ſeipſum nobis
donet & coniungat, quàm ſi phyſicè & viſibili ſpecie ſe corā nobis hodie ſiſteret, qualis
tum erat quū in terris verſaretur. Sed dic præterea, an non verè tunc Apoſtoli (ſi tibi cre- Reſp.2.
dimus) Chriſtum eſſentialiter ex ipſius manu in pane acceperunt? HES. Ita. T. An non e-
tiā erat eſſentialiter in pane? HES. Maximè. TH. Viſibiliter an inuiſibiliter? HES. Inuiſibili-
ter. TH. Ergo iā tum erat corpus Domini verè ac propriè ſimul & eodē tempore in mēſa
& duodecim aliis locis, nēpe intra totidē corda ſingulorū Apoſtolorū: & in mēſa quidē
viſibile, in manu ſua verò, & intra cor Apoſtolorū, inuiſibile. Nec te pudet iſtarū ineptia-
rum? HES. De corporis Chriſti dotibus etiā ante glorificationem, mox dicemus. Sed iſtas

phyſicas concluſiones non moramur. TH. Nempe quia Chriſto phyſicum corpus verbo quidem tribuis, re verò penitus adimis: ac proinde te relego ad Marcionem, Manetem, Valentinum, Eutychen, Srencfeldium, & alia eiuſmodi monſtra.

Tertium argumentum à Pauli verbis. HES. Paulus controuerſiā diſertè & ſignificātiſſimis verbis dirimit. TH. Sedeat igitur ille controuerſiæ noſtræ iudex. H. Calix, inquit benedictionis non ſolùm vinū continet.
Reſp. 1. T. Quis hoc dicit? H. Paulus. T. Ergo verbū EST idem eſt tibi atque verbū CONTINET? HES. Minimè. TH. Imò ſi, *Hoc poculum eſt ſanguis meus*, non aliud declarat quàm, *In hoc poculo eſt ſanguis meus eſſentialiter*, cōſequetur in hac enuntiatione duplicē eſſe tropū, Metonymiam videlicet, qua ponitur continens pro contento, quoniam poculum accipitur pro vino, & Synecdochen, partis pro toto: quoniā, vel teipſo interprete, vinū non eſt tātùm vinum, ſed etiam ſanguis: vt dictum oportuerit ſimpliciter, *Hoc vinū eſt vinū, & in vino ſanguis meus eſſentialis*. HES. Dicis igitur ſolum vinum contineri in poculo? T. Reſpondet tibi vnus ex vetuſtis ſcriptoribus, quem putarūt eſſe Chryſoſtomum, in opere (quod vocant) imperfecto, *non eſſe in ſanctis vaſis corpus vel ſanguinem Chriſti, ſed myſterium corporis & ſanguinis Chriſti*. Nos autem duo exprimere ſimul cōſueuimus, quæ tu ſoles malitioſè ſubticere, nempe hoc vinum nobis non proponi vt vinum cōmune, ſed vt ſymbolum veri & eſſentialis ſanguinis Domini. Deinde, quāuis res ipſa in poculo non contineatur, vtpote quæ nunc ſit in cælis, & nuſquam alibi, tamen Chriſtum authorem huius ſacroſanctæ actionis, non minus verè nobis ſeipſum communicare fide ſpiritualiter ſumendum, quàm ipſius ſymbolū oculis videmus, & ore percipimus. H. Pergam tamen. TH. Mallem te ſapere quàm longius progredi. HES. *Calix*, inquam, *benedictionis, eſt κοινωνία ſanguinis*: id eſt, quotquot ex hoc calice Domini bibimus, hoc ipſo potu efficimur participes ſanguinis, atque illum intra nos ſumimus. Item, *panis eſt κοινωνία corporis Chriſti*: id eſt, quicunque hunc panē benedictionis manducāt, hoc ipſo eſu participes corporis Chriſti efficiūtur, atq; ipſum intra ſe ſumunt. T. Primùm ex te quæro, cur
Reſp. 2. in tuæ prioris explicationis membro dixeris, BIBIMVS, in poſteriore verò MANDVCANT, potius quàm MANDVCAMVS. H. Quamobrem verò id rogas? TH. Quoniā vrgete ſoletis τὸ ῥητὸν, æquum eſt vt id quoq; nobis liceat. Eſt autem in hac perſonarū mutatione magnum diſcrimen. Nā illud BIBIMVS admitterem, alterum verò non item. HES. Qui ſic? TH. Quoniā illo modo potuit loqui Paulus, ſeſe videlicet aggregans fidelibus, ſicut alloquens Galatarum Eccleſiā, *Quotquot*, inquit, *baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis*. Vix autem abſolutè dixiſſet in genere, *Quotquot baptizantur, Chriſtū induunt*:
Gal. 3. 27. vel, *quotquot manducant panē, fiunt participes Chriſti*. Præterea quorſum hac tua interpretatione applicas ad perſonas quod abſolutè proponitur ab Apoſtolo? Neq; enim cōſiderat Apoſtolus qui ſumant vel non ſumant corpus & ſanguinem Domini, ſed rem ipſam per ſe conſiderat, & quorſum inſtituta ſit ſymbolorum manducatio, nempe vt ſumatur aliquid longè pretioſius, illud videlicet quod illa nobis ſacramentaliter repræſentant. Tu verò vt tuā manducationem corporalē ſtabilias, quod ἁπλῶς dixit Apoſtolus, κατὰ σχέσιν cōſideras. Præterea aſſerit idē Paulus κοινωνίαν corporis & ſanguinis, cuius cauſa nobis proponūtur, & à nobis ſumenda ſunt ſymbola: ſed vbi inuenies apud Paulū tuas illas appendices, IPSO ESV, & IPSO POTV, & INTRA NOS, ore videlicet corporis etiam abſque fide SVMI corpus aut ſanguinem? Nam de eſu & potu ſacramentorū, nō autem rei ipſius loqui Apoſtolum ex ipſius verbis conſtat. Nec te pudet hac ætate hominem, & quidem Doctorem, tam parum in Dialecticis profeciſſe, vt perpetuò plus colligas in concluſione quàm propoſitione vel aſſumptione ſis complexus?
Reſp. 3.
Reſp. 4.

Obiect. 1. HES. Atqui vtitur nomine κοινωνίας & verbo μετέχειν, id eſt, participem fieri, & bono communi vnà cum aliis frui: & dicit, *οἱ πάντες ἐκ τοῦ ἑνὸς ἄρτου μετέχομεν*. Eſt autem hominis inſani de Pauli mēte plus adhibere fidei contentioſo Sophiſtæ quàm ipſi Paulo. TH.
Reſp. Quid ſit κοινωνία & μετοχὴ aliunde, Dei gratia, quàm ex te didicimus. Illud aūt, *οἱ πάντες μετέχομεν*, non potes ad impios vſque protendere, quin Paulū illis aggreges. H. Cur ergo ita loquitur Apoſtolus vniuerſaliter? TH. Quoniā eos alloquitur qui omnes Chriſto nomen dederant, ac proinde eos omnes, ſicut charitas monet, conſtituit verè eſſe Chriſti mēbra, quamuis nonnullos vt infirmos redarguat. quā etiā ob cauſam vſus eſt hac præfa-
Obiect. 2. tione, *Tanquam prudentibus loquor: vos ipſi iudicate quod dico*. ¶ HES. Dicitis obſcurum eſſe verbum κοινωνίας. An non eſt autem manifeſta ſycophantia lucem appellare tene-
Reſp. bras. præſertim quum Paulus vocem perſpicuam & planā enarret? TH. Imò vbi tandem inueniſti κοινωνίας nomen à nobis obſcurū dici, aut verā veriſſimi illius corporis & ſangui

nis

nis cõmunicationem à nobis negari [illegible] ES. Dicit Caluinus in illũ locum: *Panis eſt cõmuni-*
catio, id eſt, pane ſumpto efficitur [illegible] *cũ corpore Chriſti, ſine ius aliquod ad illã rẽ percipi-*
tur. TH. Verba ipſa Caluini hæc ſunt [illegible] *Calicẽ hoc modo benedictũ* (id eſt, conſecratũ in hũc
vſum, vt ſit nobis ſymbolum corporis [illegible] Domini) *dicit Paulus κοινωνίαν eſſe ſanguinis Domini.*
Quæritur quo ſenſu. faceſſãt cõtentiones, *& nihil erit obſcuri.* An non hęc ſunt Caluini ver-
ba? En tibi ipſum codicẽ: lege & expende. H. Sũt profectò. TH. An nõ tu igitur ſycophãta,
qui Caluinũ dicas queri de obſcuritate nominis *κοινωνίας*, quũ potius reſtetur nihil hic
eſſe obſcuri ſi faceſſat cõtẽtionis ſpiritus? Subiicit deinde, *Verũ eſt fideles ſociari per Chri-*
ſti ſanguinẽ, vt vnũ fiãt corpus. Verũ eſt etiã eiuſmodi vnitatẽ vocari κοινωνίαν. idẽ fateor de
pane. Audio præterea quòd Paulus addat exegeticè, Nos effici omnes vnum corpus, quia ſimul
communicemus eundẽ panẽ. Atqui vnde, obſecro, illa inter nos κοινωνία, niſi quia ſumus Chriſto
coadunati hac lege, vt caro ſimus de carne eius, & oſſa ex oſſibus eius? Incorporari enim (vt ita
loquar) nos Chriſto oportet primũ, vt inter nos vniamur. Adde quòd Paulus nõ tãtùm de mu-
tua inter homines cõmunicatione nunc diſputat, ſed de ſpirituali Chriſti & fideliũ vnione: vt
inde inferat, ſacrilegiũ eſſe nõ ferendũ, ipſos idolorũ communione pollui. Ex circunſtãtia igitur
loci iudicare licet κοινωνίαν ſanguinis eſſe ſocietatẽ quæ nobis eſt cum Chriſti ſanguine, dũ ſimul
oẽs nos in corpus ſuũ inſerit, vt viuat in nobis, & nos in ipſo. Hæc Caluinus. Audis Caluinũ
refellentẽ eorũ opinionẽ qui nomẽ *κοινωνίας* referũt duntaxat ad mutuã hominũ inter
ſe conſociationẽ, quũ præcipuè ſpectandũ ſit huius cõiunctionis vinculũ? Audis etiã il-
lum ἐμφατικώτατα explicare hãc ſocietatẽ quam cum Chriſto habemus, quum dicit nos
Chriſto coadunari, fieri carnem ex eius carne, & os ex oſſibus eius, ipſi incorporari, in i-
pſius deniq; corpus inſeri vt viuat in nobis, & nos in eo? Nec te pudebit hominibus per-
ſuadere velle, Caluinũ nõ aliud quàm ſocietatẽ neſcio quã, id eſt, ius quoddã in Chriſti
corpore ponere? Non te pudebit, inquam, alios docere velle quid ſit *κοινωνία* vel *μετοχή*?

HES. Sed dicit poſtea Caluinus in his verbis, Calix eſt cõmunicatio, figuratã eſſe lo- Obiect. 3.
cutionẽ. TH. Tun' verò id inficiaberis? Sit nobis igitur, te authore, nõ vinum, ſed calix ſa- Reſp.
cramentũ. Deinde quis tandẽ ita eſt hebes, vt exiſtimet rem ipſam quę cõmunicatur, &
rei cõmunicationem propriè idẽ atque vnũ eſſe? Itaque ſi vinũ propriè eſt ſanguis qui
communicatur, non poteſt ſanè dici communicatio ſanguinis niſi impropriè: quatenus
videlicet illud eſt quod à nobis ſumitur vt nobis communicetur ſanguis, cuius eſt ſacra-
mentum. Neque hoc ſubticuit Caluinus, ita enim ſcribit: *Iã verò*, inquit, *quòd calix vo-*
catur cõmunicatio, fateor figuratã eſſe locutionẽ, modò non tollatur figuræ veritas, hoc eſt, mo-
dò res ipſa adſit, nec minus ſanguinis cõmunionem anima percipiat, quàm ore vinum bibimus.

HES. Atqui dicit Paulus veſcẽtes de ſacrificio, fieri *κοινωνὲς* altaris. Id verò quid poteſt Obiect. 4.
aliud ſignificare, quàm ſacrificiis veſcentes fieri participes altaris, id eſt, de altari cõmu-
nis ſacrificij ſingulos ſuã partẽ capere? Falſa eſt igitur Caluini interpretatio. TH. Quàm Reſp. 1.
improbè torqueas Caluini interpretationẽ paulò antè explicaui. Nunc reſpõde, an qui
ſacrificãt diuidunt inter ſe altare, an verò potius quod oblatũ eſt ſuper altare? HES. Stul-
tus es qui hoc quæras. TH. Imò tu inſanus, qui *κοινωνίας* nomẽ obtẽdas tã ſecurè vt omnẽ
tropum excludas. Deinde quæro an velis in Cœnæ communicatione diuidi Chriſtum, Reſp. 2.
an verò totum à ſingulis percipi? HES. Totum à ſingulis percipi nõ dubito. T. Rectè qui-
dem cẽſes, ſed vbi illa tua *κοινωνίας* definitio, ſi hoc verũ eſt? Nã dixiſti *κοινωνεῖν*, nihil a-
liud declarare quã ex re cõmuni partẽ aliquã capere. Nẽpe bellus es interpres *τῆς κοινω-*
νίας. Pręterea quiddã aliud eſt de quo te rogem. Nónne ſubiicit eodem loco Apoſtolus, Reſp. 4.
eos qui dæmoniis ſacrificãt fieri *κοινωνὲς*, id eſt, participes dæmoniorũ? HES. Ita eſt. TH.
Quid verò? An dices etiam idololatras ore ſumere ſuorũ dæmoniorũ eſſentiã? H. Nõ ita
inſanio vt hæc dicã. TH. Planè igitur hallucinaris quũ ex vna vocula *κοινωνίας* putas tam
liquidò probari ſomnium tuæ eſſentialis & corporalis præſentiæ ac ſumptionis, vt per-
inde ac certamine cõfecto tripudies, & ſuperatis hoſtibus inſultes. Res autẽ ita ſe habet.
Quum dicit Apoſtolus eos qui ſacrificant fieri participes altaris, non reſpicit duntaxat
illam carnium immolatarum participationem quam attigiſti: ſed hoc potius reſpexit,
quòd communis ſacrificij conuiuio communem religionem ſanciunt. Sic dicit idololatras
participes fieri dæmoniorum, id eſt, in eam ſocietatem coire quæ dæmoniorum auſpi-
ciis coit, ac perinde communi idolorum cultu ſeſe illis obligare: quod fieri non poteſt
quin vero Deo renuntietur. Hæc eſt vera Pauli ſentẽtia. Hoc tamen in primis obſeruan-
dum fuit, quod Caluinus diſertè expreſſit, nẽpe nos longè aliter fieri participes Chriſti
in ipſius Cœna, quàm idololatræ ſuorum dæmoniorum in ſuis impuris ſacrificiis.

Quartū arg. Heſhuſii ex verbis, HIC CALIX &c.
Reſp.

HES. Iā expendamus hāc phraſin: *Hic calix eſt noui teſtamēti:* itémq; hæc Pauli verba, *Hic calix eſt nouū teſtamentū in ſanguine meo.* Hæc Chriſti vox eſt falſa, niſi verum ſuum ſanguinē bibendū præberet. T. Aſſentior, ac proinde præberi dico & percipi, ſed vtrunque ſpiritualiter, & animo nō ore per fidem percipiendum. HES. Sed præſentem eſſe in poculo, & ore ipſo præberi affirmo. T. Id verò pernego, tu proba. HES. Alioqui nō congruet vino appellatio Teſtamenti. TH. Nego conſecutionem. Tam enim verè demonſtratur, offertur ac percipitur fide quod eſt in cęlis, quàm quod eſt in terris, externis ſenſibus datur, ac ſumitur, non vt corpus alat, ſed vt animos ſumentium in cælum attollat.

Obiect. Reſp. 1.

HES. Abſente ſanguine non ſancitur fœdus, ſed præſente. TH. Non eſt abſens quod fidei tam eſt præſens vt verè communicetur: & falſiſſimum eſt tuum axioma quo conſtituïs ſolam Chriſti vim & efficaciam fide apprehendi, quum è cōtrario fides in totum

Reſp. 2.

Chriſtum feratur. Deinde aliud ex te quæro, Sanguis quomodo ſancit hoc fœdus? HES. Nempe ſemel effuſus à Chriſto pro nobis, ac deinde nobis quotidie communicatus. TH. Atqui nondum erat effuſus quum illud diceret Chriſtus. HES. Fateor. TH. Igitur non potuit Apoſtolis eſſe nouum teſtamentum, niſi cōſtituas iam tum præſentem fuiſſe fuſionem fidei virtute, perinde ac ſi re ipſa fuiſſet completum quod complendum erat. Vides ergo abſens dici non poſſe quod ſibi oblatum fides intuetur ac verè percipit.

Reſp. 3.

Sed aliud rurſum liber percunctari. In his verbis, HOC POCVLVM EST SANGVIS MEVS, nónne vrges τὸ ῥητόν? HES. Vrgeo, & vrgebo. T. Sit ergo nobis, vt antè dixi, non

Reſp. 4.

vinum, ſed ipſum poculum pro ſacramento. Denique an tibi idem ſunt ipſum teſtamētum, & illud quo ſancitur teſtamentum? HES. Nullum eſt de eo certamen. TH. Nempe non placet tibi de eo quæri, quod vel vnum te cogit inuitum ad tropos deſcendere. Nā vt in mille facies te conuertas, nunquam probabis poculum aut vinum eſſe ipſum fœdus, niſi μετωνυμικῶς, quatenus videlicet ſignum eſt eius rei qua ſancitur fœdus, id eſt, ſanguinis Domini. Vbi ſunt ergo illi tui clamores, actū eſſe de Sacramentis & noſtra ſalute, niſi verba Chriſti propriè & abſque vllo tropo explicentur?

Sextum arg. Heſhuſii ex verbis Apoſtoli, SI QVIS EDERIT INDIGNE, &c.
Reſp.

HES. Dicit Apoſtolus impios indignè ſumentes hunc panem & hoc vinum, reos eſſe corporis & ſanguinis Domini. Indigna verò ſymboli ſumptio, ſi nuda eſſent ſymbola, tam horrendam culpam non poſſet mereri. T. Concedo, abſit enim vt nuda ſymbola eſſe dicamus. HES. Sed nuda ſunt, niſi res ipſa adſit. T. Fatemur: & rem ipſam adeſſe dicimus. HES. Adſit, inquam, vel cum, vel in, vel ſub ſymbolis eſſentialiter. T. Hoc negamus: quoniam hæc doctrina non modò non cōſentit, ſed etiam apertè repugnat verbo Dei, quod monet vt Chriſtum nunc fide ſpiritualiter in cælis quæramus, & nos illi coniungamus, ſiue ſeſe nobis in ſimplici Verbo, ſiue etiam in ſacramentis offerat.

Septimū arg. Heſhuſii, ex verbis Apoſt. NON DISCERNENS CORPVS DOMINI.
Reſp. 1.
Reſp. 2.

HES. Paulus dicit impios ſibi māducare iudicium, quoniam corpus Chriſti nō diſcernant. Quomodo autem diſcernetur corpus Domini, ſi non eſt in Cœna? T. Etiamſi ſymbola eſſent ſimplicia rei prorſus abſentis μνημόσυνα, quæ memoriæ tantùm ac non etiā communicationis cauſa proponerentur, tamen illorum contemptus in rem ipſam redūdaret. Itaque inepta eſt omnibus modis iſta tua concluſio. Verùm ne hîc calumnieris tuo more ſacramenta nobis non aliud eſſe quàm inanes picturas, reſpondeo paucis verbis, rem ſacramenti, id eſt ipſum corpus & ipſum ſanguinem Chriſti, non magis abeſſe à Cœna quàm ipſa ſymbola. HES. Ergo fateris adeſſe vel in, vel ſub, vel cum pane? T. At nos ſcimus eum qui in cœlis eſt, nobis ſpiritualiter offerri, & præſentiſſimè communicari in terra peregrinantibus, tantiſper dum prorſus cum eo corporibus etiam iungamur, & regnemus. Scimus autem, quoniam non dubitamus quin ipſe ſit verax tum in ſuo verbo, tum etiam in ſuis Sacramentis, quanuis hæc capitis & membrorum coniunctio ſpiritualis omnem humanum ſenſum ſuperet.

Obiect. 1.
Reſp.

HES. Si quis indignè ſumat ſymbola, tamen corpus quod eſt in cælo poteſt diſcernere à cibo communi. T. Perinde loqueris acſi quis diceret abſentem principem ab eo agnoſci pro principe, & ab homine aliquo plebeio diſtingui, etiam ſi quis apparitorem vt ab eo miſſum contumeliis afficiat. Id verò tam ridiculum eſt vt ne reſponſo quidem indigeat, ac præterea nullum hîc locum habet. Dicimus enim Chriſtum ita nobis proponere hæc ſymbola, vt ſeipſum quoque verè offerat, & fidei præſentem ſiſtat: ex quo fit vt qui ſymbola contemnit, neceſſariò quoque aſpernetur id quod ſimul ei offerebatur, & ſimul accipere iubebatur. HES. Hinc concludo, Corporis Chriſti ſubſtantiam in Cœna porrigi & accipi. T. Concedo, ſed eo modo quem dixi, nempe ſymbola corporaliter in terris, res ipſas animo & fidei ſpiritualiter è cælis.

Obiect. 2.
Reſp.

ris, ſi veteri Teſtamento omnia typis & figuris ſunt adumbrata: at in nouo fœdere, *Obiectio in qua differentiam de ſacramentorū veterum & nouorum.*
figuris obſcuris aut potius impletis, ipſa rei veritas exhibetur & præſtatur. TH. Suſpicor
quid ſignificare velis, ſed age paulò apertius, oſtēde quid mōſtri alas. HES. Vetus pactum,
quam dicis legale, & obedientiam flagitaret, ac ita datum eſſet vt nouo fœderi animos
agnoſceret, & ad tempus duraret, non conferebat vitam vel iuſtitiam æternam, nec
tollebat mortem & peccatū, ſed ei ſufficiebat vt variis figuris de beneficiis noui Teſta-
mento ſignaretur, eáq; per typum repræſentaret. TH. Quòd vetus pactum vocas le- *Reſp.*
gale, ambiguè dictum eſt. Nam ſi Legis nomine Decalogū intelligas, nouum quoque
ſanctius eadem ratione legale vocandum fuerit, quoniam huius Legis non alius fuit olim
viſus quàm nunc ſit, nec erit etiam alius ad diem vſque nouiſſimum: nempe vt nos per-
territos ad Chriſtum adducat, & poſtea in Chriſto ſanctificatos dirigat in via iuſti-
tiæ. Sin verò ceremonias intelligis, legale meritò illud vocari confiteor, & hoc reſpectu
abrogatum, vel potius expletum, quoniā nobis coràm & re ipſa exhibitum eſt quod ce-
remoniæ futurum eminus mōſtrabant. Sed, obſecro, cuiuſmodi illud eſt quod adiecisti, *Reſp.*
vetus videlicet pactum obedientiam flagitaſſe? Quid enim? an nunc quoque obedientiā
à nobis non requirit Deus? Tu igitur cogitabis quomodo hæc ænigmata nobis clarius
alioquin explicare poſſis. Certè quum dicis vetus pactum non contuliſſe vitam aut iuſti- *Reſp.*
tiam βλασφημῶς, niſi commoda interpretatione hoc lenias. HES. Fateor veteres tātum
percepiſſe quantum nos. TH. Iterum falleris, & alios fallis, vt mox declarabo. Reſponde,
obſecro, perſpicuè ſi vis, & ſi potes. An non fatetis Patres à cōdito mundo adeptos fuiſ
ſe iuſtitiam & vitam æternam in Chriſto venturo, ſicut nos in eodem Chriſto exhibito
iuſtificamur & ſeruamur? HES. Hoc agnoſco & profiteor. TH. Atqui non cōtigit hoc illis
niſi ex fœdere gratuito. HES. Aſſentior. T. Sed hoc fœdus nouum an vetus appellas? HES.
Quid ais? T. Quæro an hoc fœdus quo per fidem apprehenſo Patres illi facti ſunt æter-
næ vitæ cōpotes, vetus appelles an nouū? HES. Illud certè quod cum Adamo primùm,
deinde cum Abrahamo ſancitum eſt. T. Fuitne verò Chriſtus huius quoque fœderis ve-
luti materia, quum extra Chriſtum nulla vnquam fuerit ſalus? HES. Neceſſe eſt vt hoc
quoque cōfitear. T. In nouo autem fœdere quid nobis proponitur? HES. Vnus Chriſtus,
& is quidem crucifixus. T. Non eſt igitur diſcrimen veteris & noui Teſtamenti cōſide-
randum in materia. Iam quæro quis fuerit vtriuſque fœderis author. HES. Deus. TH. Er-
go ne in efficiente quidem cauſa different nouum & vetus Teſtamentum. Progredia-
mur ad finem & ad ſcopum. Quorſum putas ſancitum fuiſſe fœdus cum Abrahamo &
eius poſteritate? nónne vt fierent æternæ vitæ participes? HES. Maximè. TH. Vita igitur
æterna vnus & idem eſt finis vtriuſque fœderis. HES. Eſt. T. Quid igitur tibi excidit, quū
diceres vetus pactum non ſuſtuliſſe mortem & peccatum, ac proinde non cōtuliſſe vi-
tam æternam, ſed duntaxat vaticinatum de futuris beneficiis, quæ per typum repræſen
tarit? HES. Volebam dicere non offerri vmbras rerum in nouo Teſtamento, ſed ipſam
veritatem: alioqui diſertè affirmo Patres nihilo inferiores nobis fuiſſe, quod ad mandu-
cationem ſpiritualem, id eſt, ad beneficiorū Chriſti perceptionem attinet. T. Nimium es
præceps, patere vt ſigillatim hæc excutiamus. Quæ ſcripſiſti nunquam ſatis excuſabis:
ſunt enim nō modò falſa, ſed manifeſtè etiā inter ſe repugnāt. Nec tamen volo ſummo
iure tecum agere, ac potius exiſtimo non potuiſſe te ſatis exprimere quod animo cōce-
peras. Hoc igitur, vt opinor, ſignificare voluiſti. Agnus Paſchatis non erat vera illa victi-
ma, nec ſanguis hircorū erat verus ille ſanguis, ſed hi duntaxat erāt typi veritatis nobis
exhibitæ. HES. Hoc ipſum volui. T. Sed vide quàm ieiunè loquaris de myſteriis tam præ-
gnantibus & fœcundis. Ex his enim quæ probauimus, & quæ tute cōfiteris, efficitur, ve-
tus & nouum fœdus, vnicum eſſe ac ſingulare fœdus, ſiue authorem, ſiue materiam, ſiue
finem & ſcopum vtriuſque ſpectes. Vna igitur ſupereſt forma in qua differant. Itaque
concedo magnum eſſe hac in parte diſcrimen: ſed cuiuſmodi ſit illud, agè, expendamus.
Propoſita ſunt veteribus ſpiritualia ſub rerum corporalium typis. HES. Ita eſt. T. Nobis
verò quomodo proponuntur? HES. In veritate. T. An verò audebis dicere typos veterū
fuiſſe manes? HES. Imò iam dixi eos tantum percepiſſe quantum nos percipimus, ſi rei
efficaciā ſpectes. T. Fuit ergo cum illorum typis res ipſa cōiuncta. HES. Nempe quod ad
efficaciā attinet, id eſt, ad Chriſti beneficia. Sed ipſe Chriſtus, qui eſt huius fœderis μεσί-
της, nondum adeſſe poterat eſſentialiter ſecundum carnem: & ibi differentiam pono
noui & veteris fœderis. T. Debuiſti ergo ſententiam tuam planius explicare. Sed rem i-
pſam nondum attingis. Quid enim? an in nouo fœdere exiſtimas tam nudam proponi

veritatem, vt nulli ſint typi? quid hæc eſt? HES. Typos nolim vocare. T. Atqui nõ dubitãt veteres Theologi myſticum ſacræ Cœnæ panem vocare corporis Chriſti *ἀντίτυπον*. Ita enim loquitur Baſilius in ſua Liturgia: & Typi nomen ita accipit Ambroſius in vndecimum caput prioris ad Corinthios, de calice myſtico loquẽs. Sed typi appellationem non moramur, modò de re ipſa conſtet. Certè non inficiaberis Chriſtum hodie nobis proponi in ſacramentis, quæ definire non potes quin ſigna ſiue ſignacula eſſe confitearis. Non caret ergo ſignis viſibilibus nouum fœdus. HES. Verum dicis, ſed non dicis omnia. Nam veteris fœderis ſigna rem futuram ſignificabant: Cœna Domini verò Chriſtum eſſentialiter præſentem communicat. T. Iam antea docui veterum ſacramenta nõ fuiſſe res inanes, ſed rem eandem, id eſt, Chriſtum propoſuiſſe credentibus, idq; efficaciter. Itaque quod de rei futuræ ſignificatione dixiſti, nimis eſt dilutũ. Fuit enim hoc addendum, non fuiſſe inanem ſignificationem, quoniam tum Deus verè communicabat quod per illos typos adumbrabat, nempe vitam æternã in Chriſto naſcituro & tandem exhibendo. HES. Cõcedo de efficacia, ſiue beneficiis Chriſti, nõ autem de ipſius eſſentia, vtpote quæ nõdum exiſteret. T. De hoc poſtea dicemus. Nunc verò in eo verſabar vt oſtenderem quomodo vetus Teſtamentum à nouo diſtinguendum ſit ſecundum formã. Videor autem euiciſſe, hoc formæ diſcrimen nõ eſſe in eo ſimpliciter poſitum, q; in illo vetere proponeretur Chriſtus adhibitis aliquibus ſignis, quum in nouo etiam ſigna aliqua viſibilia proponantur, putà Baptiſmus & Cœna Domini. Quod autẽ ad Verbum attinet, nõ puto te dubitare quin vna ſit doctrina Prophetarum & Apoſtolorum. Itaque hoc affirmo, ne in forma quidem vniuerſaliter & in genere cõſiderata vllũ eſſe diſcrimẽ noui ac veteris Teſtamenti, quoniã iiſdem vtrobique mediis (vt ita loquar) vſus eſt Dominus ad Eccleſiam ſibi colligendam, ſimplici verbo videlicet & ſacramentis. In re ipſa verò & materia, tum Verbi ſimplicis, tum ſacramenti, diſcrimẽ nullum ineſſe cõperies, etiam ſi tibi largiar quod dixiſti. Nam quod ad ſimplex verbum, itẽmq; ad Baptiſmum attinet, (ſi tibi credimus) eadẽ prorſus erit veteris & noui Teſtamenti materia, ſola videlicet Chriſti efficacia, & pari quidem menſura tum illis olim tum etiam nobis hodie cõmunicata. Quod autem ad Cœnam attinet, tu quidem hîc demum diſcrimen ponis, in eo q; Patres ſolam efficaciam typicè, nos autem ipſam quoque eſſentiã verè ac propriè percipiamus. Sed etiam ſi ita eſſet, idem tamen & vnus Chriſtus fuerit ſemper pro materia, etiã quod ad Cœnam Domini attinet, quanuis non pari menſura. Ergo vt paucis omnia cõplectar, multum aberraſti à ſcopo, etiã ſi tibi cõcedam quod petis. Volebas enim cõſtituere tam inſigne diſcrimen inter vetus & nouum Teſtamentũ, vt illud penè præ iſto nihil eſſet: & tamen demõſtraui ex tua ipſius opinione effici, ſola Cœna Domini excepta, in qua tamen idem Chriſtus, ſed impari menſura cõmunicatur, nullũ eſſe inter duo fœdera diſcrimen, ſiue cauſam efficientẽ, ſiue formã in genere, ſiue materiã, ſiue denique finẽ ſpectes. HES. Cur addis illud IN GENERE? T. Quoniã in ſpecie & peculiari quodã modo formæ cõſiderandum eſt totũ hoc diſcrimen. HES. Quid igitur doces de veteris & noui Teſtamenti differentia? T. Attingã duntaxat quod nobis propoſitum eſt. Idem eſt vtriuſque author, nempe Deus: idem finis, nẽpe gloria Dei in ſalute electorũ: eadem materia, nempe Chriſtus, Chriſtus, inquam, nõ tantùm efficacia tenus, ſed etiã eſſentia. Totum enim Chriſtũ Deum & hominem oportuit ab initio cõmunicari Eccleſiæ, quòd in eo vnà cum omnibus theſauris in ipſo abſconditis per fidem cõprehenſo ſeruaretur: neque virtutẽ Chriſti Dei & hominis ab ipſa vtriuſque naturæ eſſentia ſeparare fas eſt. HES. Quamobrem? T. Rogas? quoniã ſine Mediatore recõciliationis nemo vnquam fuit ſeruatus. Non eſt autem ὁ λόγος ſeorſim & per ſe cõſideratus, recõciliationis Mediator: ſicut nec ſolus homo filius Dauidis, ſi ſeorſim ſpectetur, ſed totus & vnus Chriſtus Deus & homo, eſt *μεσίτης*. Totum igitur nobis donari, & totũ apprehendi oportuit in vetere Teſtamento, & nũc in nouo neceſſe eſt, ad ſalutẽ. HES. Sed quomodo offerri vel apprehendi potuit quod nõdum erat? T. Ipſo quidẽ actu (vt ita loquar) non potuerunt Patres cum carne futura vnũ fieri, ſicut hodie ſimus: ſed quatenus fidei eſt præſentiſſimum quicquid Deus promiſit, etiam ſi nõdum ſit exhibitũ, hactenus dico Patres nõ minus verè factos eſſe naſcituri Chriſti membra, quàm nos hodie ſumus mẽbra Chriſti qui reipſa nobis eſt exhibitus. HES. Mira loqueris, ſed nihil probas. T. *Chriſtus*
Heb. 13. 8 *eſt heri & hodie*, inquit ille. HES. Nempe efficacia tenus. T. Sed tota & integra. Nõ eſt autem efficax Chriſtus niſi in ſuis mẽbris. Itaque hęc præcipua eſt eius efficacia, quòd nos
1. Cor. 1. 30 ſibi inſerit, vt deinde fiat nobis ſapientia, iuſtitia, ſanctificatio & redemptio. Tolle inſitionem

tionem illam, id eſt quòd cum ipſo Chriſto ſpiritualiter vnum ſimus, & omnia ſuſtuleris quæ ab eo potentia nos promanant. Dicit etiam Paulus, *Patres eandem eſcam ediſſe, & eundem* 1.Cor.10.3.4
potum ſumpſiſſe, & eodem Baptiſmate baptizatos. HES. Sed in typo. TH. Typo quidem, ſed nõ tamen. Neque enim Paulus ſigna eadem eſſe dicere potuit aut voluit, ſed rem ipſam eandem vtrobique fuiſſe teſtatur, nempe Chriſtum. HES. Nempe virtute & efficacia, quam Paulus metaphoricè vocat eſcam & potum. T. Tolle ipſius ſubiecti communicationem, & omnis hæc virtus perierit. HES. Quamobrem? T. Quoniam in vno Filio, & quidem vt mediatore, acquieſcit Pater, vt ipſe teſtatus eſt è cælis: ideóque vnũ fieri cũ ipſo Filio prius nos oportet, quàm coram Deo iuſti cenſeamur per Filij iuſtitiam, & Filij Spiritu ſanctificemur. H. Dic ergo apertè qua in re conſtituas diſcrimen veteris & noui Teſtamenti. T. Dicam, quatenus requirit argumentum nobis propoſitum. Forma quidem qua ſeſe Deus patefecit tum in hoc tum in illo, eadem eſt in genere, quoniam vtrobique adhibuit Verbum & ſacramenta: ſed in circunſtantiis formæ magna & inſignis differentia eſt. Patribus enim locutus eſt Deus πολυτρόπως καὶ πολυμερῶς, idq; Hebr.1.a
αἰνιγματικῶς, nobis verò planiſſimè per Filium, deinde per Apoſtolos, omnem ſuam voluntatem patefecit. Et illic quidem promittitur Chriſtus, hic verò Chriſtus exhibitus omnes illas promiſſiones implet. Ideo dicitur quidem Abraham vidiſſe diem Do- Ioan.8.56
mini: ſed alibi dicit Chriſtus multos Reges & Prophetas optaſſe videre quæ cernebant Lucæ.10.24
Apoſtoli, nec tamen vidiſſe. Quod autem attinet ad figuras & ſacramenta, vetus Teſtamentum penè habuit infinita: & alia quidem temporaria, cuiuſmodi fuit tranſitus Maris rubri, nubes, manna, petra, & cætera eius generis: alia verò fixa & immota vſque ad noui fœderis promulgationem, cuiuſmodi fuit Circuncisio & totus ille ceremonialis cultus. Fuerunt autem omnes iſti typi minimè inanes, vtpote quibus adiuncta fuit veritas, id eſt Chriſti venturi participatio: ſed vmbræ & figuræ vocantur, quoniam erant duntaxat Chriſti & ipſius beneficiorum veluti σκιαγραφίαι. Neque enim in illis emicabat plenus ille lucis Euangelij fulgor, ſed erant veluti ſcintillæ duntaxat in tenebris emicantes, quæ Chriſtum verè quidem & ſatis efficaciter ad ſalutem commonſtrarent, ſed eminus tamen, nec adhuc re ipſa apparentem. Nouum autem fœdus quum Solem ipſum exortum nobis contemplandum præbeat, omnes illas figuras & vmbras quæ venturum Solem prænuntiabant, ſuſtulit. Habet tamen quædam ſacramenta propter imbecillitatem noſtram, re quidem paria veteribus, vt inquit Auguſtinus, & Tractatu 26. in Ioan.
manifeſtè Paulus oſtendit (quatenus videlicet idem Chriſtus in his & in illis ſignificatur) ſed ſignis diuerſa: numero pauciora, vtpote duo tantùm: ſignificatione auguſtiora, virtute præſtantiora. En tibi quatenus duo dicantur fuiſſe fœdera, quod ſit illorum diſcrimen, & quo ſenſu prius dicatur abrogatum.

HES. Scribit tamen Paulus Patres habuiſſe rerum futurarum vmbras, nos autem corpus. TH. Fateor: meminerat tamen quod alibi ſcripſiſſet, nempe Circunciſionem fuiſſe σφραγῖδα iuſtitiæ fidei: & Patres eandem eſcam & eundem potum, nempe Chriſtum, ſumpſiſſe. HES. Cur ergo illis tribuit vmbras, nobis autem corpus? TH. Neque vmbras illi habuerunt corporis, id eſt ſolidæ veritatis, expertes, neque nos hodie corpus habemus abſque vllis ſacramentorum vmbris: ſed comparatè illic loquitur Apoſtolus, non ſimpliciter. Comparat enim Patrum conditionem cum noſtra, ac propterea etiam oſtendit illorum complementum ac efficaciam ab eo pependiſſe qui verè ac re ipſa nobis eſt exhibitus.

Obiectio aduerſarij tertia. Reſponſum. Col.2.17 Reſp. Rom.4.11 1.Cor.10.3

HES. Idem etiam ſcribit Legem habuiſſe vmbram futurorum bonorum, non autem viuam imaginem rerum, & neminem perfeciſſe. TH. Nempe Apoſtolus in tota illa tractatione ex aduerſariorum hypotheſi ceremonias ſeorſum à Chriſto & per ſe conſiderat. Vrgebant enim illi opus operatum, vt loquuntur, & quod Chriſti proprium erat, externis rebus & actionibus tribuebant. Totus autem ille cultus legalis ita conſideratus, quid aliud fuit quàm res inanis & inutilis? Deinde qui vmbram tribuit Legi, non omnia illi eripit, ſed σκιαγραφίαν facit illius propriam, cuius εἰκὼν, id eſt viua & expreſſa imago ſit in Euangelio. Illic ergo fuit inchoatum quod hic habemus perfectum, quamuis futurorum bonorum plena fruitio adhuc à nobis ſperetur.

Obiectio 2. Hebr.10.a Reſp.

HES. Non eſt tamen veriſimile quod vos dicitis, Patres videlicet obſcurius agno- Obiectio 4.
uiſſe regnum Chriſti, nobis lucidius omnia reuelata, ideóque minus eos percepiſſe. Clamat enim Chriſtus de poſtremis temporibus, *Quum venerit Filius hominis, putatis* Luc.18.b
quòd fidem ſit inuenturus? & nihilominus vobis tribuitis maiorem lucem ac fidem

Reſp 1. Matth. 11. 11.

quàm Patribus. TH. Præfert Ioannem Chriſtus omnibus ſuperiorum ſeculorum hominibus, & rurſus eidem anteponit eum qui minimus eſt in regno cælorum. Quid tu ad hæc Heſhuſi? nodum tamen expediam. Non confert Chriſtus perſonas cum perſonis,

Reſp 2.

ſed rem cum re comparat, id eſt, varios patefactæ veritatis gradus, ac proinde dicit, conditionem Eccleſiæ potiorem fuiſſe temporibus Ioannis Baptiſtæ quàm præcedentium Prophetarum, quoniam ille clarius Chriſtum demonſtrauit: ſed longè optimam eorum conditionem eſſe Chriſtus teſtatur qui ſe loquentem audierunt, omniúmque adeò qui in nouiſſima hæc tempora deuenerũt, quibus plena illa lux Euangelicæ prædicationis affulſit. Ita igitur & nos loquimur. Et quiſquis hæc non tenet, prima Chri-

Reſp 3.

ſtianæ religionis elementa ignorat. Denique dictum illud Chriſti, quo abuteris, contra nos minimè facit, quoniam non deſinat clarior eſſe lux meridiei quàm auroræ, etiam ſi pauciſſimi velint in Solem intueri.

Octauũ arg. Heſhuſ., à fine inſtitutionis ſacramentorum.

HES. Sacramenta inſtituta ſunt à Deo, non tantùm vt nos admoneat, ſed etiam vt cæleſtia pignora, id eſt corpus & ſanguinem Domini, ſingulis det & applicet. TH. Concedo. HES. Vos autem eneruatis præcipuum hunc vſum ſacramentorum. TH. Quomodo? HES. Quum dicitis nihil ibi dari præter panem & vinum, & has res exter-

Reſp 1.

nas eſſe pignora reconciliationis. TH. Vbi verò reperies à nobis tradi, nihil dari in Cœna præter panem & vinum? Imò ſi ſunt pignora reconciliationis, quomodo ſunt duntaxat panis & vinum? An non millies iam repetij nos in Cœna Domini ſtatuere veram ipſius Chriſti *κοινωνίαν*, neque de hac re diſceptari, quæ tamen præcipua eſt? Imò an non

Reſp 2.

tu ipſe toties iam confeſſus es nos ſaltem non negare Chriſti efficaciam & virtutem à nobis in Cœna percipi? qua in re etſi nobis magnam iniuriam facis, quoniam, vt toties dixi, Chriſtum ipſum à ſui virtute & efficacia ne in ſimplici quidẽ verbo, nedum in ſacramentis ſeparamus, tamen tu ipſe tuo gladio te iugulas. An enim qui ita ſentit, ſolum panem & vinũ in Cœna Domini præberi exiſtimat? Quæ hæc eſt igitur obtrectatio, quæ

Reſp 3.

calumnia? Sed amplius etiam tibi inſtare placet. Nam ſi verum eſt quod dicis (vt ſanè verum eſt) ſacramenta videlicet idcirco eſſe inſtituta, vt corpus & ſanguis Domini ſingulis applicentur, & applicari non poſſe niſi eſſentialis præſentia ſtatuatur in, vel cum, vel ſub ſignis (quod poſterius falſiſſimum eſt) fateri te neceſſe eſt aut Baptiſmum nõ eſſe ſacramentum, aut in, vel cum, vel ſub aqua Baptiſmi non minus eſſentialiter eſſe & percipi Chriſtum, quàm in, vel ſub, vel cum pane & vino. Hîc nihil calumnior, nec tuis artibus abutor. Tu ſi potes, hoc nega. HES. De hoc quoque cogitabo. TH. Cogita igitur. atque vtinam δεύτεραι φροντίδες ſint σοφώτεραι.

Digreſſio in qua diſſeritur, an Fides & manducatio idem declarent.

HES. Futilis eſt argutia Caluini diſtinguentis fidem à manducatione, quod omnes ſani improbant. TH. Quomodo verò hanc futilitatem probas? HES. Quoniam vera fides per metaphoram dicitur veſci carne Chriſti. TH. Metaphorica quidem eſt locutio (quod παρέργως dictum ſit) in verbo Veſci, ſed in nomine Carnis non item. Dicis autem fidem illud eſſe per quod veſcimur, & tamen fidem & manducationem non diſtinguis. HES. Hoc non intelligo. TH. Damnas ergo quod non intelligis. Cedò, quo inſtrumento vteris in comedendo cibo? HES. Dentibus. TH. An igitur dentes, & ipſum, vt ita loquar, COMEDERE, idem ſunt? HES. Minimè. TH. An igitur futilitas eſt, inter inſtrumentum & inſtrumenti actionem diſtinguere? HES. Dicit tamen Auguſti-

Obiectio.

nus, *Crede & manducaſti*. TH. Rectè ſanè. nam credendo manducamus. Sed ſi Credere

Reſp.

& Manducare idem ſunt, an non perinde abſurdum eſſet illud Auguſtini dictum, ac ſi dixiſſet, Crede & credidiſti? Manducare igitur μεταφορικῶς idem declarat atque ſibi applicare. Hæc autem applicatio fit per fidem: ac proinde hæc duo ſunt quidem coniunctiſſima. Ita fit vt ab eorum ſententia minimè diſſideamus, qui de hoc myſterio ita loquuntur vt videantur fidem & manducationem pro vna & eadem re accipere, ſicut alicubi loquitur Auguſtinus: ſed tamen commoda & neceſſaria diſtinctione vtimur, quum cauſam ab effecto diſtinguimus.

Nonum arg. Heſhuſ. à diſtinctis.

HES. Præterea ſic argumentor. Res quæ obſignatur diſtinguenda eſt ab ipſa obſignatione, vt teſtimoniũ à re teſtata T. Concedo. HES. Eſt autem ſpiritualis mãducatio, id eſt

Reſp. 1.

fides, obſignãda in Cœna Domini. T. Modò oſtendi fidem differre à manducatione. Præ-

Reſp. 2.

terea ſpiritualem mãducationem aliter antea definiuiſti, quũ diceres eſſe perceptionẽ

Reſp. 3.

efficaciæ ſeu virtutis & meriti Chriſti. Tertiò, quamuis legitimo vſu ſacramẽti magnopere foueatur fides in nobis, tamen non tam fides dicitur in nobis obſignari, quàm illud ipſum quod fide apprehendimus, putà Chriſti ipſius & omnium ipſius bonorum

com-

communicatio: ſicut Circumciſio dicitur à Paulo σφραγὶς, non fidei, ſed iuſtitiæ quam Abraham erat in Chriſto adeptus. Sed agè, concedo, & fidem & noſtram cum Chriſto coalitionem in Cœna obſignari. HES. Quid autem erit in Cœna præter corpus & ſanguinem Domini, quo fides, id eſt res ipſa obſignanda poſſit obſignari? Num panis & vinum? T. Quaſi verò panis vt panis & vinum vt vinum, ac non potiùs ille vt corporis, iſtud verò vt ſanguinis ſacramentum in Cœna Domini proponatur: quaſi etiam inanis ſit promiſſio, quæ eſt velut anima ſacramenti: quaſi denique ipſæ ceremoniæ totáque actio efficaciam nullam habeant. Illud autem prorſus ineptè à te dicitur, per corpus & ſanguinem obſignari fidem in nobis, quum potiùs corpus & ſanguis ſint res ipſa ac materia ſacramenti, quam in nobis obſignari vnà cum tota ipſorum efficacia oportet. Sed agè, vt noris quàm acutè concludas tuas illas neceſſarias demonſtrationes, etiam ſi tibi omnia quæ dicis largiter, quid aliud inde conſequeretur quàm ipſum corpus & ipſum ſanguinem dari & tradi in Cœna? Nos verò id minimè inficiamur: ſed illa ſpiritualiter dari, & per fidem apprehendi dicimus, ſicut verbum & ſacramenta verbo adiuncta teſtificantur corporaliter in terris. Sed quorſum hæc ad tuum illud vel IN, vel CVM, vel SVB? Rom. 4. 11 Reſp. 4. Reſp. 5.

HES. Ipſi etiam increduli, impij, & damnati, veſcuntur carne Chriſti: ergo neceſſe eſt aliquem eſſe carnis eſum corporalem tam pijs quàm impijs communem, qui diſtinguatur à ſpirituali, in quo videlicet percipiatur ipſa vita. T. Quid ſi tibi hoc concedam? HES. Nempe noſter eris: & ſanè mirabar fieri poſſe vt tam neceſſarijs argumentis non vinceretis. T. Imò verò, vide quàm multa tibi in tã paucis ſyllabis temerè exciderint. Primùm omnium quod aſſumis, impios veſci carne Chriſti, fuit tibi diſtinguẽdum, quoniam interdum hanc phraſin vis eſſe prorſus metaphoricam, interdum propriam. Vtrum igitur intelligis? HES. De propria manducatione loquor. T. Quando verò probaſti impios propriè veſci Chriſti carne? HES. Hoc docui in priore tractatione. T. Scilicet. HES. Tu tamen conceſſiſti impios veſci carne Chriſti. T. Id eſt in ſacramento, ſiue ſacramento tenus, non autem re ipſa, vt docui ex Auguſtino. HES. Atqui putabam Auguſtinum libro 2. contra Petilianum pro me facere, quum dixit impios corpus manducare, & ſanguinem bibere in ſacramento. T. Putaſti, ſed falſò, vt ex eorum teſtimoniorum collatione quæ ſuo loco protulimus, & ex ipſa veritate intelligi poteſt. Sed illud ſuo loco ſatis ſupérque oſtendi, nihil ineptius eſſe iſta duplici manducatione quam comminiſceris. Itaque iſta tua demonſtratione nihil aliud quàm figmenti tui vanitatẽ probaris.

Decimum argumentum Heſhuſij, quòd aliquis ſit eſus corporalis pijs & impijs communis, ſpirituali oppoſitus. Reſp. Obiect. Reſp.

HES. Adhuc tamen ſupereſt quod dicam. Dic ergo, Si nihil amplius in Cœna datur quàm in Baptiſmo, vel prædicatione Euangelij, nónne fruſtra erit Cœna inſtituta? T. Minimè. HES. Quamobrem? T. Primùm quia oportet nos retineri in eo cui inſiti ſumus, id eſt in Chriſto: deinde, quia quotidie progredi & augeri nos in illo neceſſe eſt. HES. Sed hoc fit etiam aſſidua prædicatione, & inuocatione, & alijs exercitijs. TH. Ita eſt omnino. HES. Eſſet igitur ſuperuacaneum ſacramentum. T. Nego conſequutionem. Dic quæſo, an non crediderat Cornelius quum illaberetur Spiritus ſanctus adhuc loquente Petro? Baptizatur tamen à Petro: imò non baptizaſſet eum Petrus, niſi credidiſſet. Sic poſtulanti Baptiſmum Eunucho reſpondet Philippus baptizatum iri ſi crederet. Poterant tamen illi quotidiana lectione & inuocatione confirmari, ſed adminiculum Baptiſmi negligere nec potuerunt nec debuerunt. Quod autem cogeris de Baptiſmo fateri, cur in Cœna locum non habebit, quum Dominus hoc etiam ſacramentũ, & quidem longè efficaciſſimum, in Eccleſia ſua extare voluerit, quo ſuiipſius communicationem magis ac magis in nobis obſignaret, & quaſi in rem præſentem nos adduceret? HES. Vide quid dicam, non tantùm putidum eſt & ineptum, ſed etiam in totum Spiritus ſancti miniſterium contumelioſum, quod Caluinus dicit in Catecheſi, in Baptiſmo videlicet & in Euangelio Chriſtum recipi non totum, ſed ex parte tantùm. TH. Ego verò hæc ſtercora tibi in os regeram, cyclops: perge. HES. Quid enim alioqui fiet infanti recèns baptizato, & ante lucis participationem morienti? aut ei qui recèns conuerſus ad Chriſtum, mox ad ſupplicium rapitur? TH. Rogas? proculdubio ille & iſte ſeruabitur. HES. Ergo totius Chriſti fuerint participes. Nã & in Baptiſmo, & in prædicatione Euangelij, quando id vera fide apprehenditur, totus Chriſtus cum toto regno ſuo, & integra ſalus percipitur. TH. Quid ais? mendacem eſſe memorem oportet. Atqui modò dicebas Cœnam fore ſuperuacaneam, ſi nihil amplius in ea quàm in prædicatione ver-

Vndecimum argumentum Heſh. ab abſurdo. Reſp. Act. 10. 44. 48. Act. 8. 36. 37.

bi & Baptiſmo daretur. Cedò igitur, qui totum Chriſtum habet, quid amplius requirit? HES. Totum Chriſtum voco omnia ipſius beneficia, non autem ipſius eſſentiam. T. Sophiſticè igitur luſiſti in æquiuoco, & quidē ineptè. Nimis enim impropria eſt loquutio, totum vocare qui vix ſit dimidius, neque tu hanc Arithmeticam ſiue mauis Geometriā approbaſti, quum de tuis ſtipendijs ageretur, mercenarie. Vide igitur quò te prouehat tua inſania. Dum vis probare Chriſtum non ex parte ſed totum percipi, hoc ipſum affers quod oppugnandum ſuſceperas. Sed vt tibi de hac tua ſtultiſſima & impudentiſſima calumnia reſpondeam, quiddam ex te percontabor. Si in Baptiſmo totus Chriſtus cum toto regno ſuo, & integra ſalus percipitur (quod ego minimè inficior) quorſum adultus puer audit verbum Dei? Sic enim es argumentatus, Superuacaneam fore Cœnam Domini, ſi nihil amplius in ea conferatur quam in Baptiſmo. Cur igitur idem non licebit affirmare de prædicatione Verbi, quæ & ipſa nihil adijciat Baptiſmo? Nā qui omnia habet beneficia Chriſti, nullum nouum beneficium expectat. Præterea reſponde, quæſo, ſi potes, Quum corporalis, id eſt corporis eſſentialis manducatio, quam tu propriā Cœnæ facis, acceſſit ad illam tuam ſpiritualem & metaphoricam, qua videlicet Spiritus, id eſt vis & efficacia Chriſti in Baptiſmo & verbo percipitur, an non totus Chriſtus tunc propriè poſſidetur? HES. Maximè. T. Dic ergo, ſi valet illa tua conſequutio, ex qua definis ſuperuacaneum eſſe in quo nihil amplius conferatur quàm antea ſit acceptū, quorſum repeteretur Cœna? Nam ad totum nihil addi poteſt. Sed nimirum tibi ſupereſt tua illa corporalis manducatio qua intra os Chriſtus ore ſumitur, ſatis ſupérque à nobis refutata. Nam alia ratione hunc nodum explicare non potes. HES. Sed quomodo dicitis

1.Cor.13.9 Chriſtum percipi tantùm ex parte? T. Nempe quo modo dicit Paulus, nos ex parte cognoſcere & prophetare, ita etiam dicimus nos ex parte Chriſtum percipere. Chriſtum tamen in partes non ſecamus ſicut tu ſecas, quum ſpiritualem illam tuam manducationem re ipſa ſeparas à tua corporali, tum in verbi prædicatione & Baptiſmo, tum etiā in manducatione impiorum. Sed IN PARTE, idem declarat atque imperfectè. HES. Imò hoc refertis ad ipſum Chriſtum, quum inter ſe opponatis Chriſtum totum, Chriſto ex parte. T. An verò non vides hæc dici noſtri reſpectu, quatenus videlicet Chriſtus nobiſcum communicatus vim ſuam in nobis exerit? Sic autem loqui nos docuit Apoſto-

Gal.4.19 Eph.4.15 lus, quum ſcribit ſenſim quaſi fœtum quendam formari Chriſtum in Galatis: itémque oportere Chriſtū in nobis quotidie augeri & adoleſcere. Ideo igitur inſtituta eſſe ſcribit Caluinus ſacramenta, ac Cœnam Domini in primis: quibus adminiculis nihil egebimus quum abolitū fuerit quod eſt ex parte. Non tu igitur potiùs putidus es & ineptus, & in totum Spiritus ſancti miniſterium contumelioſus, qui hanc non noſtram, ſed Apoſtolicam doctrinam reprehendis?

Authoritates Patrum. HES. Spero per hæc argumenta pijs mentibus eſſe ſatisfactum. Addam tamen teſtimonia veterum theologorum, tum Græcorum, tum Latinorum. T. Id eſt inſaniæ cumu-

Origenes. lum. Sed quinam ſunt iſti quos laudas ſententiæ tuæ authores? HES. Origenem & Cle-

Clemens. mentem allegoricos repudio. T. Atqui inter hæreſes Origenis nemo vnquam numerauit quòd minus rectè ſenſerit de Cœnæ myſterijs. Sed tibi nimirum nulla religio eſt, vt hæreticum damnare quicquid pro te non facit. Nos tamen agè, nec Origenem, nec Clementem morabimur, profer alios ſi habes.

Ignatius. HES Ignatius, citante Theodoreto, damnat eos qui Euchariſtias & oblationes nō admittunt, quòd non confiteantur Euchariſtiam eſſe carnem Seruatoris noſtri Ieſu Chriſti, quæ pro peccatis noſtris paſſa eſt. T. Quorſum hæc aduerſum nos, qui Cœnæ inſtitutionem ſedulò retinemus, & veri corporis communicationem aſſerimus?

Theodoretus H. Theodoretus damnat Meſſalianos, qui dicebant ſacrum cibum neque nocere, neque prodeſſe poſſe. T. Qui cum Meſſalianis ſentit, anathema ſit.

Cyrillus. HES. Cyrillus anathemate ferit Neſtorium, quòd naturas Chriſti diuelleret, & præſentiam corporis Chriſti in Euchariſtia corrumperet. T. Dum vitant ſtulti vitia, in contraria currunt. Ita & tu confundendo quod Neſtorius ſeparauit, totum Cœnæ myſteriū cuertis.

Nicolaus Papa. H. Nicolaus Papa in Romana ſynodo damnat Berengarium negantē in Cœna diſtribui verum Chriſti corpus & ſanguinem. T. Abi procul Satan cum tuo Papa.

Iuſtinus. H. Iuſtinus teſtatur *in Cœna panem non accipi vt communem panem, nec potionem, vt cōmunem potionem: ſed eſſe corpus & ſanguinē Ieſu.* T. Idem dicit Chriſtus, & nos docemus: non autem eſſe corpus vel in, vel ſub, vel cum pane.

HES. Irenæus ait mixtum calicẽ & panẽ fractum percipientem verbum Dei fieri Euchariſtiam corporis & ſanguinis Chriſti, teſtatus ſe non loqui de ſpirituali aliquo & inuiſibili corpore vel ſanguine, dicit calicem eſſe ſanguinem, & panem eſſe corpus Chriſti, quibus dicit nutriri & ali noſtrã carnem in vitam æternam. T. Ecquid eſt verò in hac tota ſententia quod contra nos faciat? Etſi enim Chriſtum non impanamus, veri tamen illius corporis crucifixi, & veri ſanguinis κοινωνίας quoties iã dixi nos retinere? Quod ergo nugaris de corpore allegorico, & metonymiã exagitas, quaſi per corpus non intelligamus ipſum Chriſtum, quid attinet toties repetere putidã eſſe calumniã? HES. Sed dicit nutriri & ali noſtram carnem communicatione corporis & ſanguinis ad vitam æternã. Inde colligo non tantùm fide, ſed etiam ore ſumi corpus & ſanguinem. T. Dic obſecro, an iſtud nutrimentũ exiſtimas fieri naturali cõcretione, ſicut perficitur cibus corporalis? Si hoc arbitraris, vide quomodo auſus ſis negare corpus & ſanguinẽ dentibus atteri. nam hoc nihilominus eſt abſurdum, & tuus ille Nicolaus Papa diſertè hoc exprimit. HES. Dico inenarrabili modo id fieri. T. Ergo vis re vera cõcoqui corpus & ſanguinem Chriſti in nobis? HES. Minimè, ſed illis tamen re vera nutriri carnem noſtrã. T. Nempe ad vitã æternam. Diſtingue igitur alimenti naturã, & proinde ipſam quoque ſumendi ac nutriendi rationem. Oportet enim inter hæc tria analogiam manere. Itaque cum Irenæo fatemur ipſiſſimi corporis & ſanguinis animis noſtris ſpiritualiter per fidem cõmunicati vim & quaſi ſuccum nos totos æterna vita viuificare. Sed quorſum hæc ad tuã impanationem & illam cyclopicam deuorationem? Irenæus aduerſus Valẽ. libro 5.

HES. Tertullianus ita ſcribit, *Acceptum panẽ Chriſtus, & diſcipulis diſtributũ, corpus ſuũ illũ fecit, dicendo, Hoc eſt corpus meũ, id eſt figura corporis mei.* T. Nónne verò Tertullianus ita loquens, oſtendit panẽ non propriè, ſed ſacramentaliter eſſe corpus? HES. Fateor figuram Tertulliano ſignificare typum, ſymbolum, ſiue imaginem. T. Liberalior nunc es quàm velim: neq; enim ſatis placet Imaginis nomen. H. Sed nõ vult ille panẽ eſſe ſignũ abſentis corporis. T. Neq; nos ſimpliciter abeſſe corpus dicimus. Nam verè, quanuis ſpiritualiter, menti offerri & communicari fatemur. H. Ego ſic interpretor hunc locum: Hoc eſt figura corporis mei, id eſt, ſicut in veteri Teſtamento panis fuit ſymbolum corporis nondum nati, ita in nouo Teſtamẽto pane vſus eſt Chriſtus ad exhibendum verũ ſuum corpus: ſed quod tunc nudo ſymbolo repræſentabatur, id nunc vnà cum apparentibus & ſenſui ſubiectis ſymbolis verè ac ſubſtantialiter donatur. T. At nos reſpondemus tuum gloſſema nunquam veniſſe in mentem Tertulliano, atque adeò intolerabilem eſſe hanc tuam audaciam. Nuda fuiſſe veteris teſtamenti ſymbola dicere ſine blaſphemia non potes, ſiquidem eandem atque nos eſcam manducauerunt, & eundem potum biberunt. Verum corpus & verum ſanguinem nobis in Cœna communicari ex Paulo didicimus & fatemur. Sub pane verò, vel in, vel cum pane re ipſa conſtare corpus Chriſti ἀόρατον Scriptura negat, vtpore quæ teſtetur cælis illud comprehendi, vſque ad tempora reſtitutionis omnium. Cæterùm quocunque te vertas, ex Tertulliano conſtat panem eſſe corpus, non propriè, ſed ſacramentaliter, ſiue quoniam eſt eius ſacramentum. Id enim hoc in loco figuram vocat. Tertullianus contra Marcion. lib. 4. Act. 3.

H. Idẽ Tertullianus dicit *carnẽ corpore & ſanguine veſci, vt & anima de Deo ſaginetur.* T. Id eſt, ſacro pane qui eſt corporis, & ſacro vino quod eſt ſanguinis ſacramentum, frui carnem noſtrã, vt eius perceptionis qua fides noſtra mirificè confirmatur, virtus ad animam vſque redundet. Optimus enim eſt ſui interpres Tertullianus, qui corpus interpretatur corporis figurã, ſed minimè inanẽ, quũ præter ſigna, quæ corporaliter ſumuntur, verè etiã, & quidẽ ſpiritualiter dentur res ipſæ ad vitã tũ animi tũ corporis ſempiternã. H. At ego ex eo colligebã corpus Chriſti non tantùm fide & ore animæ edi, ſed etiã ore corporis ſumi. T. Nẽpe quia ſimulatq; audis corpus & ſanguinem Domini, res ipſas intelligis, quum his nominibus ſæpe rerum ſacramenta intelligantur, vt ex Theodoreto, & ex Auguſtini epiſtola ad Bonifaciũ liquet. Sacramenta verò quum dico, memineris aliud eſſe cõmunem panem & commune vinum, aliud verò ſacramenta. HES. Cur mihi non liceat tuum quoque gloſſema reprehendere? TH. Licebit quidem, ſed eo iure quo adhuc vſus es. Alioqui, ſi libet τὸ ῥητὸν vrgere, concede ex Auguſtino, corpus cadere in terram, & conſumi: & ex Chryſoſtomo, linguam noſtram cruentari & rubere iſto ſanguine, in cratere ſanguinem eſſe hauſtum è latere Domini, Chriſtum & videri & tangi & palpari, &, quod tu diſertè negaſti, ipſius carni dentes etiam infigi. HES. An quiſquam noſtrûm hoc tradidit? TH. Tu ipſe minimè id ignoras, ſed vt re ipſa probares Libro de reſurrectione carnis.

quàm vera ſis loquutus, quum diceres omnia ex Patribus bona fide eſſe à te deſcripta, ne ijs quidẽ exceptis quæ contra te faciunt, hæc omnia, optima ſcilicet fide præterijſti.

Cyprianus. HES. Venio ad Cyprianũ, ſingularis authoritatis & eruditionis martyrem. T. Vide igitur ne defunctum etiam martyrem torqueas. HES. Is libro primo epiſtola ſecunda, dicit *ſanguinem Chriſti denegandum non eſſe militaturis.* T. Monet Cyprianus Cornelium, vt impendente tempeſtate, lapſos ſeriò pœnitentes nimia ſeueritate non perdat, ſed ad ius communicationis admittat. *Quoniam*, inquit, *ad hoc fit Euchariſtia, vt poſsit accipientibus eſſe tutela.* Ex his verò quũ tu colligis tuam illam impanationem & corporalẽ ſumptionem, probas id de quo nemo dubitabat. HES. Ergo non dubitatis quin iſta vera ſint? T. Imò non dubitabamus de tui dogmatis vanitate, quam tamen non deſinis nouis demonſtrationibus comprobare.

HES. Idem libro ſecundo epiſtola tertia, teſtatur. T. Scio quid velis. *Non poteſt*, inquit, *videri eſſe in calice ſanguis eius quo redempti & viuificati ſumus, quando vinum deeſt calici, quo Chriſti ſanguis oſtenditur.* Hinc tu colligis ſanguinem eſſe eſſentialiter in calice, & ipſo vino oſtendi. Atqui nihil eiuſmodi dicit Cyprianus, ſed dicit ſublato vino rem quoque ſublatum iri, & totam ſacramenti inſtitutionem. Quòd ſi hæc verba, Videri & Oſtendi, propriè accipis, ac non potiùs ſacramentaliter, agè, oſtende nos videre corporis oculis quod ore ſumi contendis, id eſt, viſibile eſſe quod tu inuiſibili modo adeſſe confiteris.

HES. Idem libro tertio epiſtola decimaquinta dicit *profanari Euchariſtiam, id eſt ſanctum Domini corpus, ab iis qui ante lapſus exomologeſin ad communicationem admittantur.* T. Quid inde colligis? HES. Euchariſtiam eſſe ſanctum Domini corpus, & dari etiam indignè manducantibus. T. An verò nos docemus ſacramentorum veritatem ab ijs pẽdere qui ad eorum participationẽ accedunt? Imò audi tandem quid ſentiamus, ſi potes. Sacer ille panis eſt corpus Domini quatenus accedentibus ſeu dignè ſeu indignè, verè offertur non tantùm panis & vinum, ſed res etiam ipſa, id eſt corpus Domini. Sed in pane realiter dari quod nunc non eſt alibi quàm in cælis, & quicquid offertur etiam ſumi, & quidem ore: hæc tu nunquã vel ex Cypriano vel quoquam alio probabis. HES. Non dicit profanari ſymbola, ſed ſanctum Domini corpus. T. Certè miſerabilis eſſet corporis Chriſti conditio, ſi nunc quoque propriè & re ipſa expoſitum eſſet impiorum ludibrio. Quo igitur modo Chriſtus dicitur pati quotidie in ſuis membris, quum tamen nunc ſit in ſeſe omnis paſſionis expers? Quoniã videlicet iniurias membris illatas pro ſuis ducit. Ita etiã ſacramentorum contemptus in rem ipſam quodãmodo redundat. Sic accipitur quod idem Cyprianus in ſermone de lapſis inculcat, *Corpus Domini inuadi, & vim inferri corpori & ſanguini Chriſti ab iis qui indignè accedunt.* Neque enim pani & vino fit iniuria, ſed corpori & ſanguini Domini, non tamen in ipſo propriè, vt qui nunc glorioſus regnet, ſed in verbi & ſacramentorum profanatione.

Dionyſius Alexandrinus. HES. Dionyſius Alexandrinus refert de quodam ab hæreticis baptizato, qui quũ diu in Eccleſia verſatus eſſet, tandem culpam agnouerit, & rebaptizari petierit. Hunc autẽ dicit Dionyſius ſe non auſum eſſe denuò initiare, ꝙ ei ſufficeret tã multi temporis cõmunio: ac dicit eum toto illo tempore participem factum fuiſſe corporis & ſanguinis Domini. Ergo etiam qui indignè accedunt, corpus & ſanguinem accipiunt. T. Nempe ſacramẽto tenus, vt loquitur Auguſtinus. Sed vel ex hoc teſtimonio poteſt intelligi quo iudicio veteres theologos cites. Neq; enim Dionyſius hunc de quo agitur numerat inter impios, & qui indignè ad menſam Domini acceſſerint. Imò eum conſolatur, & ſuperioris temporis confeſſionem oſtendit ſatis luculentum eſſe teſtimoniũ in quo eum acquieſcere oporteat, neque nouum baptiſmum flagitare. Certè pœnitentiam ei non indicit, vt qui fuiſſet Eccleſiæ contemptor: quod tum non prætermiſiſſet, ſi eum pro impio Eccleſiæ ludificatore habuiſſet.

Athanaſius. HES. Athanaſius, citante Theodoreto, verum corpus Chriſti aſſerit in Cœna Domini. T. Athanaſius igitur à te diſſidet. Nam qui ponit Chriſti corpus ſimul eſſe pluribus locis, nõ vero corpore, imò ne ſpectro quidem Chriſtum induit, ſed humanitatem cum Diuinitate confundit.

Hilarius. HES. Hilarius dicit *nos verè Verbum carnem cibo Dominico ſumere.* T. Hilarius non dicit nos carnem ſumere ore corporis in, vel ſub, vel cum pane aut vino: ſed oſtendit rem ipſam non minus verè communicari quàm ſymbola, quod toties iam inculcaui. HES. Imò dicit NATVRALITER manere carnẽ illã in nobis. T. NATVRALITER non

refertur

refertur ad modum communicationis, ſed ad rem ipſam quæ communicatur. Inſtituit enim aduerſus Arrianos probare nos vnum fieri cum Chriſto non tantùm vnitate voluntatis & conſenſus, ſed ipſius naturæ humanæ Chriſti reſpectu, ſicut Filius quoque cum Patre naturaliter, id eſt diuinæ naturæ reſpectu, vnũ eſt. Alioqui vide quò te præcipitet tantum iſtud defendendi tui dogmatis ſtudium. Quoties enim nobis obiecisti, quum de modo communicationis agitur, omnia rationis humanæ & Phyſicorum argumenta nullum hîc locum habere? Vbi ergo tuum iſtud NATVRALITER quod nunc vrges? HES. Sed addit Hilarius naturam carnis cum natura æternitatis nobis ſub ſacramento admiſceri. En tibi præpoſitionem. SVB, & veſtræ opinionis refutationẽ, qui fingitis ſolam Diuinitatem nobis in Cœna communicari, & humanitatem à Cœna remouetis. T. Non dicit Hilarius nobis admiſceri naturã carnis cum natura æternitatis: ſed vtranque naturam inter ſe admiſceri, id eſt coniungi & copulari, ſub ſacramento carnis nobis communicandæ: non quaſi ſub ſymbolis eſſentialiter deliteſcãt, vt tu contendis, ſed quoniam aliud videmus aliud credimus, ideóque res ſacramenti non apertè nec viſibiliter, ſed quodammodo ſymbolis occultata, nobis tamen verè offertur. HES. Idem affirmat hæc accepta & hauſta efficere vt & nos in Chriſto & Chriſtus ſit in nobis. T. Nempe, ſicut dixit Paulus illa eſſe *κοινωνίαν* corporis & ſanguinis: quod qui negarit, anathema ſit. Sed quorſum hæc ad tua illa commenta confirmanda? Denique vt tibi ſemel os occludam, lege quæ apud Hilarium præcedunt locum illum ex libro octauo de Trinitate, & ipſum comperies eadem tribuere Baptiſmo quæ poſtea Euchariſtiæ accommodat.

HES. Venio ad Epiphanium, qui dicit *fragmentum panis nullo modo eſſe ſimile neq; Di-* Epiphanius. *uinitati neque humanitati, ſed tamen credendum Chriſti verbo, qui dixit, Hoc meum eſt hoc.* Quòd ſi panis Euchariſtiæ nõ eſt corpus Chriſti, cur flagitatur fides in verbis Cœnæ? T. Quoniã omnem humanum ſenſum ſuperat, propoſitis & ſumptis pane & vino, corruptibilis videlicet & ſenſus expertis naturæ ſymbolis, glorioſiſſimũ illum Chriſtum nobis ad vitã ſempiternã cõmunicari. An non verò tibi huius coniunctionis myſteriũ ſatis magnum eſſe videtur? Nã tuæ impanationis prodigiũ neque apud Epiphanium, neque apud alium quenquã veterem theologum inuenias. HES. Imò apud eum inuenio, cibum quidem eſſe panem, ſed vim eſſe IN PANE ad viuificationem. T. Itaque, ſi placet vrgere *τὸ ῥητὸν*, non à corpore, ſed à pane vis illa promanabit. HES. Imò dicit eſſe in pane, quoniam corpus eſt in pane. T. Certè non dubito quin viuificum ſuccum ponat in corpore, non in pane: panis tamen ſolius meminit, quoniam dicere voluit panem non eſſe communem cibum, ſed viuifici corporis ſacramentum, hac vi quodammodo in pane incluſa, quatenus videlicet panis ille eſt corporis communicatio. Hinc ergo verã Chriſti præſentiam potes aſtruere, quam nos quoque minimè inficiamur, impanationẽ verò non potes.

HES. Baſilius grauiter cõminatur ijs qui in immunditia animæ exiſtentes audent at- Baſilius. tingere corpus Chriſti. Cenſet ergo ab indignis etiã ſumi corpus ad iudicium. T. Cenſes igitur re vera & propriè attingi corpus Chriſti, an verò ipſius ſymbola? atqui in priore tractatione diſertè dixiſti, corpus Domini ore quidem accipi, ſed tamen labijs non tangi, nec in ſtomachum demitti. HES. Cur ergo ita loquitur Baſilius? Quoniam panis iſte non eſt panis cõmunis, ſed verum corporis cõmunicandi ſacramentum: vnde efficitur, in profanatione non ſpectari panis, ſed ſacramenti ſubſtantiam, quæ non in ſeſe, ſed in ſacramento polluitur ac profanatur: & huius ſceleris reos, non panis & vini, ſed ipſius corporis & ſanguinis reos meritò cenſeri.

HES. Nazianzenus dicit *ſacerdotes manibus ſuis geſtare magni Dei figmentũ, id eſt, cor-* Nazianzenus. *pus Domini.* T. Mirum ni animaduertis hyperbolen. Nã eadẽ ratione cõſequetur Chriſtum geſtaſſe ſeipſum manibus ſuis. quã hyperbolen vſurpans Auguſtinus, Pſal. 33, prudenter addidit aduerbium QVODAMMODO.

HES. Ambroſius dicit eos inconſideratè accipere corpus Domini, de quibus ſcribit Ambroſius. Apoſtolus primæ Corinth. vndecimo: Ergo non tantùm ſpiritualiter fide fit manducatio, ſed etiam ore corporaliter ſine fide ab infideli. T. Nego conſequutionem, niſi panẽ intelligas vocari corpus propter ſacramentalem coniunctionẽ. HES. Vnde prodijt hæc explicatio? T. Ex ipſo contextu Pauli. Neque enim dicit Paulus, Qui corpus Domini edit, iudiciũ ſibi manducat: ſed, Qui edit ex hoc pane: ex hoc pane videlicet qui non eſt panis communis, ſed corporis Domini ſacramentum: vnde fit vt eiuſmodi homo non

ſit reus panis, ſed corporis Domini quod eſt aſpernat⁹. HES. Cur Ambroſius & alij theologi non nominant panem, ſed corpus? TH. Quia videlicet præceptoris Chriſti phraſin ſequuntur, qui panem dicit eſſe ſuum corpus potiùs quàm ſacramẽtum corporis, vt expreſſius & melius intelligatur rei ſignificatæ & ſignorum coniunctio ſacramentalis veriſſima, certiſſima & efficaciſſima, niſi quis beneficium Dei aſpernetur. HES. Atqui idem Ambroſius, arcens Theodoſium à Cœna Domini, *Quomodo*, inquit, *huiuſmodi manibus accipies ſanctum Domini corpus? quomodo pretioſum ſanguinem ori admouebis?* Quid verò apertius dici potuit quàm manibus accipi corpus, & ore hauriri ſanguinem? Quòd ſi bibere Chriſti ſanguinem eſt credere in mortẽ Chriſti, an metuebat Ambroſius ne fides obeſſet Imperatori? TH. Iam antea dixi te in eo hallucinari, quòd ſimulatque audis nomen corporis & ſanguinis in myſterio Cœnæ Domini, ſtatim cogitas tuum illud vel in, vel ſub, vel cum pane eſſentialiter & tealiter: quod tibi quidem erat probandum, à te verò vbique aſſumitur quaſi ſatis probatum. Quod autem ad hũc locum attinet, fateor Ambroſium hîc loqui de re ipſa ſacramenti, ſed ita vt cum ſacramento coniungat, ac proinde rei tribuat quod ſignorum eſt proprium. Quid enim erat ei propoſitum? nempe vt Imperatorem ad ſeriam peccati agnitionem & pœnitentiam adduceret. Hic enim eſt excommunicationis finis & ſcopus. Itaque reuocat ipſius animum à ſignis ad rem ipſam contemplandam: ac ſi diceret, Non cogitas, Imperator, te ingredi in tẽplum Dei? an putas ibi in ſacro conuiuio proponi communem aliquem cibum aut potum? Imò, ne neſcias, ad ipſum Filium Dei accedis, qui ſuum ipſius pretioſiſſimum corpus offert, & ſacrum ſanguinem propinat. Nec te pudebit teterrimo illo ſcelere pollutũ, manibus adhuc cruentis, & ore crudelitatem ſpirante, ad ſacram illam menſam accedere? Hæc eſt Ambroſij verborum ſententia, in qua videlicet declarat quid offerat Dominus in Cœna, & cuius rei contemptu futurum eſſet vt ſeſe pollueret Imperatot. Vt autem illi tánti contemptus grauitatem melius poneret ob oculos, quod ſignorum proprium eſt ad rem ſignificatam tranſtulit, quadam idiomatum communicatione. HES. Vbi verò inuenietis iſtũ tropum in re ſacramentaria? TH. Audi Chryſoſtomum in homilia de Encænijs, *Num*, inquit, *panem vides aut vinum? Abſit.* An nõ verò videtur panis & vinum in Cœna, imò an quicquam aliud præter panem & vinum oculis conſpicitur? An nõ durior eſt hæc hyperbole quàm idiomatum communicatio? Idem verò ad populum Antiochenum, homilia 61, *Non ſolùm*, inquit, *Chriſtus præbuit nobis ſe videndum, ſed etiam tangendum ac palpandum, cuius etiam carni dentes infigamus.* Audis manifeſtè, quod ſymbolorum eſt attribui rei ſignificatæ per ſacramenta? Nam ſi excipias (ſicut quidam tuarum partium ſcripſit) quod pani fit verè & propriè, corpori Chriſti tribui propter ſacramentalem coniunctionem, conſequentur multa falſiſſima & abſurdiſſima: verè videlicet & propriè Chriſtum in Cœna oculis videri, manibus tangi, & palpari, ipſíſque adeò dõtibus configi: quod ſaltem poſtremum ita tibi diſplicere video, vt malis exiſtimari corpus ore vorari quàm comedi.

HES. Idem in 1, Corinth. homil. decimatertia, *Quod eſt*, inquit, *in calice, illud eſt quod è latere fluxit, & illius ſumus participes.* T. Vtrumque concedo. Neque enim alius eſt ſanguis cuius participatione viuamus. Dicitur autem is eſſe in calice, nõ, vt tu ſomnias, eſſentialiter aut realiter, ſed ſacramentali modo, id eſt, quatenus tam verè nobis offertur ſanguis ſpiritualiter per fidem ſumendus, quàm ipſum vinum quod naturali modo ori admouemus. Itaque inepta eſt quoque iſta tua conſequutio, Eſt in calice, ergo eſt eſſentialiter & realiter intra calicem, vt ore etiam ſumatur. HES. Vos autem nónne ſimili modo concluditis, Eſt in calice, ergo eſt ſacramentaliter? T. Longè certè diſſimilis eſt iſta noſtra concluſio. Quid enim magis eſt conſentaneum quàm ſacramentaliter interpretari quæ de ſacramentis dicuntur? HES. Sed vultis ſacramẽtum eſſe rei abſentis, nos verò præſentis. T. Imò etſi propter verbi Dei teſtimonia de veritate naturæ humanæ quantumuis glorificatæ, & ſupra cœlos exaltatæ, tanto interuallo rem ſacramenti ſeparamus à ſignis quanto diſtat cælũ à terra, tamẽ arctiſſimo vinculo rem cum ſignis copulamus, Dei offerentis & fidei percipientis reſpectu. Nobis igitur non eſt controuerſia neque de re quæ communicatur, (fatemur enim ingenuè non tantùm ipſum fructum, ſed etiam ipſam Chriſti carnem & ipſum ſanguinem nobis communicari) neque de præſentia ſimpliciter, (fatemur enim fidei non minus præſens eſſe quod eſt in cælis, quàm corporis oculis quod eſt in terris) ſed de corporali & reali modo præſentiæ quẽ tu ſomnias, vt ipſo etiam ore à quibuſuis percipiatur quod quibuſuis offertur. HES. Cur verò

hanc

hanc quoque præſentiam & cōmunicationem non admittitis? T. Quoniam repugnant Scripturæ teſtimonia de veritate carnis Chriſti, & ipſius in cælos aſcenſu: repugnat natura ſacramentorum, quæ idcirco ſunt inſtituta vt terreſtribus ſignis cæleſtia teſtificentur, & intuentium animum nō in terris retineant, ſed in cælum vſq; ſubuehant: quoniā deniq; tuum illud cōmentum ad veram cōmunicationem nō requiritur, atq; adeò potentiæ Dei prorſus derogat in his tam ſacris myſterijs. Putatis enim nobis nō poſſe cōmunicari carnem niſi realiter in pane ſiſtatur: nos autem, quod multo eſt diuinius & auguſtius, quod tanto locorum interuallo abeſt, verè tamen nobis omnipotenti Spiritus virtute communicari credimus, ſicut declarat Dei verbum, & ſacra ſymbola verè nobis teſtificantur. Hinc ſanctæ illæ veterum hyperbolæ, & Chryſoſtomi quidem in primis, idcirco ab illis frequentiſſimè inculcatæ, vt fidelium animos docerent ſacramenta à rebus cōmuni vſui deſtinatis diſtinguere, & res æternas ſpiritualiter in ſacramētis ꝓpoſitas vera fide apprehendere. HES. Valeas cum tuis metonymijs & hyperbolis. T. Fatere ergo reale corpus Chriſti propriè & ſine tropo conſumi, cadere in terram, videri, tangi, palpari, dentibus configi, & ſanguinem Chriſti nunc quoque ex latere ipſius hauriri. Nam hæc omnia in Auguſtini & Chryſoſtomi ſcriptis inuenies.

H. Hieronymus ad Hedibiam, dicit *panē quē fregit Dominus, eſſe corpus Domini ſaluatoris*. T. Fateor, ſed eo ſenſu quo loquutus eſt Dominus ipſe. Nā neque in Chriſti neque in Hieronymi verbis lego tuum illud vel in, vel ſub, vel cum pane realiter, eſſentialiter & corporaliter, ipſo etiam ore Chriſti corpus ſumi, & ita quidem vt labijs non tangatur. Hieronymus.

HES. Chryſoſtomus homil. 3. ad populum Antiochenum, cōferens Heliā cum Chriſto, *Helias*, inquit, *palliū diſcipulo reliquit: Filius aūt Dei aſcendens ſuā nobis carnē dimiſit. Sed Helias quidē exutus, Chriſtus aūt & nobis reliquit, & ipſam habens aſcēdit.* T. Nempe in myſterio nobis reliquit quod re ipſa nobis ſuſtulit. Myſterium aūt quū dico, non intelligo inanem aliquam ceremoniam, ſed quæ verè teſtificetur in terris quod nobis verè communicatur è cælis, cuius quidem communicationis ratione non minus verè poteſt dici caro Chriſti ſimul & à nobis abeſſe, & nobis adeſſe, diuerſis videlicet reſpectibus, q̃ nos ſimul dicimur peregrinari procul à Domino, & tamen cum eo iam in cælis cōſidere. Itaq; hallucinaris quum pari & eadem ratione dici exiſtimas quæ niſi diuerſis reſpectibus accipiantur, veritatem carnis tollunt. HES. Sed quis te docuit Chryſoſtomum ita interpretari? T. Ille idem ſuijpſius interpres, & quidem eodem in loco. Ibidem enim dicit Heliam ab eo tempore, id eſt à ſuo aſcenſu duplicem fuiſſe. *Erat enim*, inquit, *ſurſum Helias & deorſum Helias.* Id verò ſi ad vnam illam eſſentialem ac realem præſentiam referas, vide ne Heliam in Chriſtum trāsformes: ſin minus, cur in eo quod de Chriſto ibidē dictū eſt, eandem interpretationem non admittis? HES. Quoniam Heliam ita cōfert cū Chriſto, vt dicat Heliam carne exutum reliquiſſe duntaxat pallium, iſtum verò nobis eam ipſam carnem reliquiſſe cum qua aſcendit. TH. Idem & nos fatemur: ſed de eo quæritur, quomodo carnē ſuam in cælum ſuſtuliſſe, & tamen nobis reliquiſſe Chriſtus dicatur. Ac tu quidem, quoniam nō potes tibi ꝑſuadere aliter nobis præſens eſſe poſſe corpus q̃ eſſentialiter & corporaliter, ita vt in loco ſe ſiſtat, ideo ita explicas Chryſoſtomum, vt cōſtituas contra naturæ ordinem fieri vt idem Chriſti corpus ſimul & eodem tempore ſit in cælo & in terra. Nos è contrario, quoniā iſtud ſomnium repugnat veritati carnis Chriſti, & nos retinet in terris, quum è cōtrario ideo inſtituta ſint ſacramenta vt his veluti ſcalis in cœlum iam nunc conſcendamus, idcirco dicimus Chryſoſtomum non de præſentiæ modo diſſerere, ſed quid ſit nobis præſens oſtendere, idq; ꝓpoſito Helię exēplo, qui etſi aberat corpore, tamen quodammodo præſens erat virtute ac ſpiritu, cuius ſymbolum erat ipſius pallium. Chriſtus verò, inquit ille, aſcendit in cælum cum ſua carne, ſed ita vt ſit nobis præſens etiam ſecundum carnem, quatenus videlicet nos verè facit eius participes, ſicut ꝑ ſua ſacramenta teſtificatur. Idq; vt penitus iam intelligas à nobis non confingi, dico ex alio eiuſdem ſcriptoris loco perſpicuè omnino id liquere. Nā 10. cap. prioris ad Corinth. ſcribēs, antequam teſtaretur verum corpus in terris videndum ꝓponi, atq; adeò etiam tangendum & comedendum, vtitur hac præfatione, *Dum*, inquit, *in hac vita ſumus, facit hoc myſterium vt terra nobis cælum ſit. Aſcende igitur ad cæli portas, & diligenter attende, imo non cæli, ſed cæli cælorum: & tunc quod dicimus intueberis.* Audis igitur in cælis eſſe quærendum ac conſpiciendum quod in terris non niſi per myſteria & ſymbola intuemur? Itaque tua iſta eſſentialis vel παντοχουσία, vel, vt tu mauis, (ſunt enim nouis rebus noua nomina excogitanda) πολυτοπία, quam ego potiùs

Chryſoſtomus.

2.Cor.5.6 Ephe.2.6

πολυτεχνίαν vocarim, præterquam quòd non ex phyſicis, ſed ex theologicis principijs euertitur, vtpote quæ veritatem corporis Chriſti aboleat: pugnat etiam ex diametro cū præcipuo ſacramentorum fine, vtpote quæ ſint cōſtituta, nō vt nos in terris retineant, ſed vt illis tanquam alis quibuſdam in cælum vſque ſubuehamur: quam ſimilitudinem copioſius in eo loco proſequitur Chryſoſtomus.

HES. Venio ad Auguſtinum illum excellentiſſimum Doctorem, cuius vel vna ſententia magis me confirmat, quàm decem aliorum Patrum prolixæ conciones. Is in Sermone ad neophytos, *Hoc accipite*, inquit, *in pane, quod pependit in cruce: & hoc accipite in calice, quod eſt effuſum ex Chriſti latere.* Quid dici potuit apertius? T. Necte concluſionem. HES. Concludo ex his Auguſtini verbis eſſe & accipi in pane corporaliter & eſſentialiter etiam ore corpus, & in calice ſanguinem Domini. T. Non concedimus iſtas conſequutiones, quanuis verum Chriſti corpus ac ſanguinem dari & cōmunicari in Cœna cum Auguſtino fateamur, ſed ſpiritualiter. Tu verò proba eſſe Auguſtini quæ tu illius verbis aſſuiſti. nos tantiſper in ſententia permanebimus.

H. Idem epiſt. 118: *Placuit Spiritui ſancto, vt in honorem tanti ſacramēti in os Chriſtiani prius Dominicum corpus intraret quàm cæteri cibi.* Audis corpus Domini in os intrare? TH. Audio. Sed non audis viciſſim iſtum honorem tribui ſacramento? HES. Audio. T. Cur igitur non animaduertis Corporis nomen hîc tribui corporis ſacramento? Alioqui non Auguſtini, ſed aſini potiùs eſſet hæc ſententia, honorari corpus Chriſti in gratiam ſacramenti, quum potiùs ſacramentum honoremus eius rei cauſa cuius eſt ſacramentum.

H. Iam venio ad inſignem locum qui nulla ſophiſtica deprauari poteſt, ex Sermone Auguſtini de verbis Domini. T. Locum teneo, quem tu in tuo libro ita prauè deſcripſiſti vt intelligi nō poſſit. Sic aūt habet ad verbum: *Illud etiā quod ait, Qui mãducat carnē meā & bibit ſanguinē meum, in me manet, & ego in illo, quomodo intellecturi ſumus? Nunqd etiā illos poterimus accipere de quibus ait Apoſtolus, Qui iudicium ſibi mãducant & bibunt? Nunquid & Iudas Magiſtri venditor & traditor impius, quãuis primum ipſum manibus ſuis cōfectum ſacramentum carnis & ſanguinis eius cum cæteris diſcipulis, ſicut Lucas Euāgeliſta declarat, comederet & biberet, mãſit in Chriſto, & Chriſtus in eo? Multi denique vel corde ficto carnē illā mãducāt, & ſanguinē bibunt: vel quū mãducauerint & biberint, apoſtatæ fiūt. Nunquid manēt illi in Chriſto, aut Chriſtus in eis? Sed profectò eſt qdā modus mãducandi illā carnē & bibēdi illū ſanguinē: quomodo q mãducauerit & biberit, in Chriſto manet, & Chriſtus in eo. Nō ergo quocunque modo qs mãducauerit carnē Chriſti, manet in Chriſto & in illo Chriſtus, ſed certo quodā modo: quē modū vtique ipſe videbat quãdo iſta dicebat.* An nō hæc ſunt illa Auguſtini verba quibus tu tātopere confidis? HES. Sunt. TH. Qui fit ergo vt ſi te plus confirmat vel vna Auguſtini ſentētia quàm decē aliorū Patrū prolixæ cōciones, ſicut paulò antè iactabas, cōcionē illā quæ habetur cap. illo Ioan. 6. nihil putes ad eā cōmunionem pertinere cuius cauſa poſtea Dominus Cœnā inſtituit? HES. Imò ſpiritualē illam cōmunicationē dixi hac corporali ſanciri & cōfirmari. TH. Sed ſi illa tantùm eſt ſpiritualis, vt tu vocas, id eſt, ſolā efficaciā Chriſti reſpicit, & ſola fide fit, atque adeò alteri illi tuæ corporali opponitur, quæ eſt eſſentialis, & cōmunis tū piis tū impiis, quorſum Auguſtinus hoc in loco de duplici illo tuo ſomnio diſputaret? Quæſo igitur, quid concludis ex illo Auguſtini loco? HES. Cōcludo duplicē illū modū cōmunicationis, vnum ſpiritualē ſolis fidelibus proprium, & alterum eſſentialē piis & impiis cōmunē. TH. Attende. De tua duplici cōmunicatione nemo prorſus ante Papiſtarū exortū meminit, nedū Auguſtinus. Sit ergo ipſe ſui ipſius interpres. Sic aūt ſcribit lib. 21. de Ciuit. Dei, cap. 25. *Dicēdū non eſt eū comedere corpus Chriſti, qui in corpore nō eſt Chriſti.* Et mox, *Qui mãducat carnē meā, & bibit ſanguinē meū, in me manet, & ego in eo: oſtēdit quid ſit nō ſacramēto tenus, ſed re vera comedere corpus. Hoc enim ſic dixit, tanquā diceret, Qui nō manet in me, & in quo ego non maneo, nō ſe dicat aut exiſtimet mãducare corpus meū, aut ſanguinē meū bibere.* HES. Quid ais? TH. Aio ſibi cōtrariū Auguſtinū eſſe ex diametro, niſi corpus & ſanguinē aliter illo q̃ iſto loco accipias. HES. Imò cōfugiēdū eſt ad duplicis cōmunicationis diſtinctionē. TH. Certè ſi ita eſſet, nō diceret Auguſtinus ſimpliciter corpus & ſanguinē, quū pro re ſacramēti accipiūtur, nō mãducari ab impiis, ſed ſcripſiſſet potius nō rectè mãducari. Deinde ſi tua illa diſtinctio vera eſſet, res ipſa nūquā opponeretur ſecramēto. Neque enim efficacia Chriſti, ſed potius corpus & ſāguis Chriſti eſt propriè res ſacramēti, vt ſuo loco probauimus: vnde cōſequeretur & à piis & ab impiis rē ſacramēti ſēper comedi, quū vbique dicat Auguſtin. ſacramētū quidē mãducari ab impiis, rem aūt ſacramēti nūquā. H. Vbi hoc dicit?

TH. In-

TH. Innumerabilibus locis, re[illegible]o quē modò citaui: pleniſſimè verò tractatu in Ioan. 26, *Huius rei, inquit, ſacramētū id eſt, vnitatis corporis & ſanguinis Chriſti, alicubi quotidie, alicubi certis interuallis dierū in menſa Domini præparatur: & de mēſa Dominica ſumitur quibuſdā ad vitā, quibuſdā ad exitiū: res ipſa verò cuius ſacramentū eſt, omni homini ad vitā, nulli ad exitiū, quicunq; eius particeps fuerit.* H. Rē ipſam appellat efficaciā Chriſti. T. Sed cum ipſo corpore cōiunctam. Apertè enim dixit Auguſtinus altero loco quem citaui, corpus & ſanguinem Chriſti nō comedi ab his qui non ſunt ipſius membra. Deinde ſi tibi concederemus quod tu vis, nempe rem ſacramenti eſſe duntaxat efficaciā & fructum Chriſti, cōſequeretur corpus Chriſti eſſe duntaxat ſacramentū, cui videlicet res ipſa, id eſt eius efficacia, ita opponatur vt etiam impiorum reſpectu ſeparetur. H. Eſtis mirifici ſophiſtæ. TH. Hæc eſt illa tua ſolutio communis & vniuerſalis: Sophiſta eſt quiſquis argumenta tua diſſoluit. H. Nondum video diſſoluta. T. Nunc igitur vide. Auguſtinus eo ipſo loco quem citas præfatus Iudam comediſſe primum ſacramentum carnis & ſanguinis, oſtendit ſeſe, quum agit de manducatione pijs & impijs communi, non aliud intelligere per carnem & ſanguinem Domini, quàm illarum rerum ſacramenta, ſicut clarè explicat quoties ſacramenta & rem ſacramentorum diſtinguit. H. Sed cur rei nomen ſacramentis tribuit? T. Quoniam ſacramentorum dignitas ita explicāda eſt ex Chriſti ipſius phraſi, qui, vt idem Auguſtinus alibi dixit, *ſignum corporis ſui corpus ſuum vocauit.* Hinc illa apud eum diſtinctio inter *panem Domini, & panem Dominum.* Hinc etiam quod ſcribit libro 2. cap. 25. contra Creſconium, *Diuina & ſancta obeſſe malè vtentibus*: & alio in loco, *Eundem cibum ſanctum ab alijs dignè, ab alijs indignè manducari.* Et epiſtola 162, *Iudam proditorem accipere pretium noſtrum.* HES. Atqui lib. 5. contra Donatiſtas, ſcribit *corpus Domini & ſanguinem Domini nihilominus eſſe ijs quibus dicebat Apoſtolus, Qui manducat indignè, iudicium ſibi manducat.* TH. Fateor. Neque enim hominum impietas vnquam efficiet vt falſa ſit Chriſti inſtitutio, qui clamat ſeſe verè in Cœna tradere verum ſuum corpus, ſicut propoſito panis ſymbolo promittit. Sed aliud eſt quærere quid offerat Deus cum pane, quàm cuius rei participes fiant impij. HES. Quid ſumunt ergo impij? TH. Reſpondet eo ipſo loco Auguſtinus, ſumere illos Dominicum ſacramentum, nec tamen efficere vt quia ipſi mali ſunt, illud ſit malum: aut quoniam ad ſalutem non accipiunt, nihil accipere. HES. Hic verò vrgeo verbum illud Accipere. T. Tu quidem tuo more facis, qui non animaduertas ſubinde verbo Accipiendi non ſignificati internam participationem, ſed receptionem in manus, quæ ſignorum eſt propria, ideóque & pijs & impijs eſt communis. Dicit ergo Auguſtinus impios, quanuis indignè accipiant, non tamen nihil accipere. Neque enim ſacramentum eſt nihil, ſed res longè pretioſiſſima, quatenus velut præſentem nobis Chriſtum ſiſtit, vt verè magis ac magis coniuncti cum ipſo, fiamus vitæ æternæ participes: quæ Dei ordinatio ſemper vna & eadem eſt. Et adhuc perges Auguſtinum in tuas partes velle pertrahere, & ſophiſticen nobis obijcere?

Contra Adimant. cap. 12. Tractatu 59. in Iohan.

Contra Donatiſtas poſt collat. cap. 7.

HES. Non adſcribam Theophylacti & aliorum recentiorum teſtimonia qui modum excesserunt. TH. Quia nimirum neceſſe eſt huc tandem eos delabi qui τὸ ῥητὸν vrgent quum minimè opus eſt. HES. Lōgè autem aliud euenit Papiſtis quàm Cinglianis, quanuis vtrique voluerunt ſublimes fidei articulos ad humana iudicia flectere, & ſapientiā Eccleſiæ propriam inepta Philoſophia malè diluere. Ita Papiſtæ finxerunt euaneſcere ſubſtantiā panis in Cœna, ſubſtituto corpore Chriſti ſub accidentibus panis. TH. Nempe quoniam planè philoſophicum eſt accidentia conſtituere ſine ſubiecto, & è Phyſicorum principiis petita eſt tranſſubſtantiatio, quæ à virtute verborum ſacramentalium dependeat. HES. Fuerunt enim offenſi rei abſurditate, quòd panis diceretur corpus. TH. Scilicet, quia nimium abſurda eſt impanatio, inuexerunt tranſſubſtantiationem. HES. Ita nunc Cingliani & Caluiniſtæ eadem philoſophia mouentur. THEOPHIL. Eſt enim, ſcilicet, hoc quoque dogma valde philoſophicum, verè communicari in terris quod tamen manet in cælis. HES. Videtur enim illis abſurdum, rem eandem & corpus Chriſti eſſe & naturalem panem. TH. Si verum eſt quod dicis, pronomen HOC, non demonſtrabit panē, ſed quiddam quod conſtabit ex pane & corpore: veluti quū hominem nominamus, quiddam ſignificamus quod cōſtat ex corpore & anima rationis participe. Deinde qua tandem ratione philoſophica videri poſſit abſurdum, ſi quis carnem cum pane demonſtrans, dicat, Hoc eſt ſimul caro & panis? Nempe hoc eſt ſcopum attingere. HES. Ideo in alteram partem inclinant, vt reali præſentia corporis ſublata, conten-

Neque Papiſtarum neque noſtri doctrinā philoſophicis principiis nita.

dant in ſancta Cœna tantùm eſſe panem naturalem, qui ſit ſymbolum abſentis corporis, cuius virtutem & efficaciam repræſentet. TH. Imò ſacramentalem coniunctionem rei & ſignorum ponimus, & pro re ſacramenti non ponimus ſolam corporis efficaciam, ſed ipſum corpus fidei oculis præſentiſſimum, vnde etiam ſequatur vera eius κοινωνία.

Concluſio argumẽti à Patrum authoritate deſumpta.

HES. Delectum adhibui in coaceruandis Patrum teſtimonijs, ac ſpero lectori ſalutarem veritatem indaganti ita eſſe ſatisfactum. TH. Idem in hoc delectu iudicium adhibuiſti ac cæteris in rebus. Quæ manifeſtè faciebant contra te prorſus non attigiſti, quæ ſpeciem aliquam habebant tuæ ſententiæ, illa adſcripſiſti: ſed quum iampridem ad ea omnia ſit millies reſponſum, qui fit vt noſtras explicationes ex iiſdem Patribus depromptas non aliter diſſimulaŕis quàm ſi nulla vnquam eſſet iſtorum facta mentio, aut noui aliquid in Patrum ſcriptis inueniſſes, quod aliorum aciem effugerit? Hoc eſt, ſcilicet, non flagrare ſtudio contentionis, & omnibus candidè ſatisfacere. Vis paucis dicam Heſhuſi, cuiuſmodi ſis quum iſta tractas? Canis in balneo. HES. Qui verò nec Chriſti, nec Pauli verbis, nec ſanctorum Patrum authoritati acquieſcere velit, eum vt αὐτοκατάκριτον vitandum, & ex piorum cœtu vt impium ἀλάστορα excludendum cenſeo. TH. Idem & nos arbitramur. Sed prius conſtituendum erit vtra pars vim faciat Chriſti & Pauli verbis, & Patrum authoritati. Eſſet igitur Synodus conuocanda, non ex tuo immani & barbaro cõſilio, in qua videlicet coactus furioſorum cœtus reliquas Eccleſias inauditas deuoueat: ſed in qua potiùs ſelecti vtriuſque partis homines docti, religioſi, moderati, in ipſorum etiam piorum Principum, quoad eius fieri poterit, præſentia, fontes iſtorum funeſtorum diſſidiorum animaduerſos obſtruant, & ſancta tandem concordia tot Eccleſiarum paci ac ſaluti proſpiciãt. Sed ſcio quid plerique vereantur, nempe ne conſtituta pace, non ſuperſit turbarum materia, ex quibus & lucrum vt auari, & gloriam vt ambitioſi captant.

Variæ Heſhuſii calumniæ, cum earundẽ refutatione.

HES. Locum hunc de confirmatione noſtræ ſententiæ hîc poſſem concludere. Sed placet præterea ſingulares & expreſſas hæreticorum notas in Zuinglianis depingere. Ludunt præſtigijs vocabulorum, nec explicant diſertè quid ſentiant. TH. Imò planius, vt ſpero, loquuti ſumus quàm velis. HES. Sic ludebant Arriani in voce ὁμοούσιος. Quis enim ignorat Caluini γοητείας. TH. Illas igitur patefacito. HES. Reijcit metaphoras & allegorias OEcolampadij, nec vult palàm pro Zuingliano haberi. TH. Tu potius ſi quod in re ipſa eſſet inter eos diſſidium, non diſſimulaſſes. Quid autẽ prohibet quominus quotidie proficiamus? HES. Decurrit ad metonymiam quæ magis eſt inſidioſa. Rudes enim opinantur eum per metonymiam intelligere quòd continens pro contento ponatur, quum panis dicitur corpus Chriſti. Sed veterator intelligit rei ſignatæ, & quidem abſentis, appellationem ſymbolis per metonymiam tribui. TH. An non hoc dicunt totidem verbis Theodoretus & Auguſtinus? HES. Non dicunt abſens eſſe corpus. TH. Neque nos abſens eſſe ſtatuimus quod verè offertur & communicatur. Sin verò de ſitu quæritur, an vnquã ante veſtram hanc monſtroſam opinionem, quæ vobis eſt cum Papiſtis communis, inuentus eſt quiſquam qui corpus Chriſti diceret realiter alibi nunc eſſe, aut futurum ad diem vſque nouiſſimum quàm in cælis, aut, ſi mauis, ſupra omnes cælos? Sed vt hoc omittam, ſiue ſit abſens, ſiue realiter & eſſentialiter præſens corpus, ſemper manet metonymia, ſi ex Theodoreti & Auguſtini ſentẽtia in hac enuntiatione, HOC EST CORPVS MEVM, rei ſignificatæ nomen ad ſignum transfertur. Hæc ſunt igitur non Zuinglij, non OEcolampadij, non alterius denique cuiuſquam ex noſtris, ſed Theodoreti & Auguſtini γοητεῖαι.

HES. Reliquorum Zuinglianorum expoſitionem, qui affirmant manducare corpus Chriſti, nihil aliud eſſe quàm vera fide amplecti beneficia Mediatoris, è ſublimi deſpicit. TH. Extat eorum quos Zuinglianos appellas cum Caluino conſenſio, quam tu quidẽ, ſi poſſes, libẽter tuis calumnijs labefactares. Eſt igitur, Dei beneficio, in re ipſa ſummus, vt in manifeſta veritate, conſenſus. Quòd ſiquid interdum ab hoc vel illo inter docendũ plenius aut enucleatius dicitur, quis propterea nos diſſidere exiſtimauerit, niſi manifeſtus calumniator? Sed agè, explica paulò apertius quid tibi velis. HES. Caluinus, inquam, comminiſcitur, manducare Chriſti carnem ſpiritualiter, aliquid amplius quàm ſolam fidem ſignificare, ſed hanc ſuam Chimæram non explicat. TH. Tibi, vt video, Chimæra eſt quicquid non intelligis. At ego paulò antè multo, vt opinor, apertius quid hoc rei ſit tibi explicaui, quàm tu ſperares. Sed quæ hæc eſt impudentia? Diſtinguit docẽdi cauſa

Caluinus,

Caluinus inter credere & manduca[illegible] re,vt inter cauſam & effectum. At tu initiò quidem dixiſti Caluinum diſtinguere inter [illegible] Manducare corpus Chriſti, & Fide complecti Chriſti beneficia:quaſi videlicet credere,& credendo aliqoid complecti,ſynonyma ſint:deinde verò in tui dicti explicatione, tuum illud ſpiritualiter adijciendo quod nobis in eo ſenſu prorſus eſt ignotum,quid aliud quàm tui dogmatis vanitatem prodis?

HES. Vtitur aliquando phraſi ex Auguſtana confeſſione ſumpta, videlicet, cum pane dari corpus Chriſti:ſed intelligit cum ſymbolico pane,tanquam inſtrumento & medio, dari corpus Chriſti,id eſt meritum & efficaciam Chriſti perinde nobis vt in Verbo offerri. T. Ne tu quidem audes inficiari ſacramenta eſſe inſtrumenta & media quibus vtitur Chriſtus,vt nos faciat ſuijpſius participes. Quòd autem garris, corpus Chriſti non aliud ſignificare Caluino quàm meritum & efficaciam Chriſti, falſiſſimum eſſe millies iam repetij,& iterum tibi in os dico. Denique quod de verbo dicis,accipimus. Neque enim dubitamus quin & in ſimplici verbi prædicatione & in vtroq; ſacramēto tot⁹ Chriſtus offeratur cum ſua efficacia ad nos iuſtificandos & ſanctificandos. Tu verò videris quàm procul abſis à blaſphemia & ſacrilegio, in eo q; ſaluificam efficaciam Chriſti ab ipſius eſſentia ſeparas in verbi prædicatione & in Baptiſmo. HES. Sed non vult Caluinus panem & corpus Chriſti ſimul in Cœna præſens eſſe,& ore accipi,ſicut Auguſtanæ cōfeſſionis Eccleſiæ hanc phraſin intelligunt. T. Maneat ſua Auguſtanæ cōfeſſioni authoritas,& optimus interpres eius habeatur qui illam conſcripſit.

HES. Fatetur quidem Chriſtum verè præſentem eſſe. TH. Quid ergo tandiu nugatus es de Chriſti abſentia? HES. Sed hoc vult tantùm accipi de diuina natura. T. Imò tute modò confeſſus es Caluinum ponere in Cœna meritum & efficaciam Chriſti cum pane. An verò meritum & deitas Chriſti idem ſunt? Addo etiam hoc amplius, nos non modò præſentiam Deitatis,ſed ipſiſſimæ etiam carnis in Cœna ſtatuere,quod ad *κοινωνίαν* attinet,etiam ſi ſigna tanto locorum interuallo ſeparamus à carne, quanto diſtant cæli cælorum à terra.

HES. Caluinus amplectitur Stoicas diſciplinas in multis. T. Et Auguſtinus Platonicas. H. At Paulus præcipit vt retineamus formam ſeu *ὑποτύπωσιν* ſanorum ſermonū. T. Sanè,ideóque veſtrum illud IN,vel SVB,vel CVM reijcimus, nec meliorem Chriſti interpretem quærimus quàm Paulum. 2.Tim.1.13

HES. Caluiniſtæ impudentiſſimis calumnijs & ſycophantijs Saxonicas Eccleſias & pios Euangelij miniſtros inſectantur. TH. Veſtræ potiùs ſunt artes iſtæ,vt vniuerſus orbis agnoſcit. Quis enim hanc tragœdiam renouauit? Nónne tuus ille VVeſphalus,cui tu nunc ſuccedere voluiſti? Illuſtriſſimos ac generoſiſſimos Principes,vel Saxonicas ciuitates,imò vel tenuiſſimum quempiam hominem abſit vt vel dicto vel facto lędamus, quamuis in Chriſti cauſa certum ſemper nobis fuerit non hominibus,ſed Deo placere. Vos autem magni,ſcilicet,zeli homines,quam gratiam refertis pleriſque ciuitatibus ac Principibus? quàm honorificè veſtros præceptores excipitis? quod beneficiū patriæ rependitis,cuius duo lumina,id eſt,duas primarias Academias,eruere modis omnib⁹ tentatis? En veſtra pietas,veſtra ſanctimonia,veſtra denique Eccleſia. HES. Criminamini nos negare veram Chriſti carnem,nihil à Capernaitis differre,Papiſticam idolomaniam à nobis ſtabiliri. T. Nos ſanè palàm dicimus,ex tuis,Heshuſi,& tuæ cateruæ ſomnijs conſequi Deitatem Chriſti cum carne eſſe confuſam: & Capernaiticum eſum ac Papiſticā *ἀρτολατρείαν* ſtabiliri:ac ne vobis fieri iniuriam queramini,hoc parati ſumus in religioſa ac ſancta Synodo comprobare.

H. Video aulicis aſſentatoribus,& ſycophantis,& hominibus alienis à vera pœnitētia gratum eſſe hunc errorem. T. Facile eſt diuinare quos intelligas,ſiquidem eò prouectus es vt nominatim etiam audeas pleroſque perſtringere. Sed illos quidem aduerſus iſtos tuos latratus ſuæ virtutes ſatis tuebuntur:te verò nec aduerſus Deum,nec aduerſus homines fortaſſis canina iſta tua maledicentia ſecurum præſtabit.

H. Cur veſtra opinio ſit gratior,hæc cauſa eſt,q; non opus eſt magna lucta ſpiritus aduerſus rationis iudicium,ad eam amplectendam. Quiliber enim facilè intelligit panem aliquid ſignificare poſſe,ſicut oculi vident lapidem in cōfinio poſitum, limitis officium gerere,ad agros diſtinguēdos. T. Tua verba agnoſco. Quorſum autem hæc comparatio à te eſt inſtituta,niſi vt perſuadeas nos vanam quandam ſignificationem ponere in ſacramentis? Cedò verò,an nobis dictabit humana ratio, panem eſſe certum noſtræ cum Chriſto cōiūctionis ſymbolum,adeò vt qui indignè huius ſāctificati panis fruſtulū acci-

piat, reus fiat corporis Domini? an, inquam, ſuggeret humanum iudicium veras eſſe promiſſiones de vita æterna in Chriſto cōprehendēda, quas hoc accepto pignore Deus in nobis ſanciat? An nobis perſuadebit cōmunis hominum captus, quod eſt in cælis, verè in terris communicari? HES. Sed altera ſententia, quòd verè & ſubſtantialiter adſit & detur corpus Chriſti, ab omni iudicio rationis eſt alieniſſima. TH. Vtrum verò magis eſt incredibile, nobis in terra reipſa communicari, quod manet in cælis, an verò quod realiter eſt præſens in pane, ſed inuiſibiliter, nobis vnà cum pane præberi? HES. Quid quòd hic error varijs blaſphemis ſectis cōmunis eſt? nēpe Epicureis, Zuinglianis, Caluiniſtis, Stencfeldianis, Enthuſiaſtis, Anabaptiſtis, Velſianis, nouis denique Sabellianis. Nam hi omnes negant corpus Chriſti in Cœna adeſſe. T. Deus te compeſcat Satan. Cur verò non etiam adiunxiſti Mahumetanos? nam hi quoque negant. Quid ſi excipiamus Papiſtas vobiſcum exiſtimare corpus Chriſti ſubſtantialiter adeſſe, an ꝓpterea licebit vos habere pro Papiſtis? HES. Minimé. Negamus enim μεταστοιχίωσιν, & alia multa. TH. Quaſi verò nos Chriſti corpus negemus adeſſe ea ratione qua impuræ illæ ſectæ. Cæterùm qd adijci poteſt ad teterrima & falſiſſima illa conuitia? An ea eſt vita noſtra, ea doctrina, ꝗ labores, qui nos Epicureos eſſe teſtentur? Quis verò veſtris temporibus doctrinam de prouidentia Dei aduerſus Libertinos aſſeruit? quis pro veritate vtriuſque naturæ Chriſti, & pro trium ὑποστάσεων diſtinctione aduerſus Seruetum & voce & ſcriptis certauit? Quis authoritatem verbi Dei contra furioſos Anabaptiſtas defendit? Quis hodie præ cæteris mortalibus cunctis veritatis hoſtibus maximè eſt exoſus? Heshuſiúſne an ille ipſe potiùs cui hæc omnia audes impingere? Atqui ſaltem tibi in mentem venire debuerat, quod minimè potes ignorare, cum ipſum Velſium, quem tu Heildebergæ paſſus es pro ſuo arbitrio quiduis ſpargere, vno die ita ab hoc ipſo quem oppugnas fuiſſe Francfurti fractum, vt ibi poſtea apparere deſierit.

HES. Poſtremò quos fructus pariat Zuinglij dogma, pia mens expendat: affert enim contemptum ſacri miniſterij. TH. Scilicet, docetis enim aliquid amplius accipi in Cœna, quàm nos doceamus, & multo eſtis diligentiores in vero vſu ſacramentorum explicando. HES. Noui profectò Zuinglianos & Stencfeldianos, qui quum magnam præ ſe ferrēt pietatē, fatebantur tamen ſe toto decennio ab vſu Cœnæ Dominicæ abſtinuiſſe. Nos, aiebant, domi ſingulis horis ſpiritualiter manducamus Chriſti carnem: iſto ſymbolico pane carere poſſumus. TH. Vtri quæſo propius abſint à Stencfeldio, túne qui corpus Chriſto tribuis inuiſibile, an nos qui humanæ naturæ proprietates cum Diuinis nō confundimus? Iſti verò de quibus loqueris (ſi modò verum dicis, quod non puto) non magis poſſunt officere noſtrarum Eccleſiarum exiſtimationi apud omnes integros iudices quàm Iuda Iacobi patris ſui caſtitati. Vos autem, obſecro, an non etiam multa eiuſmodi monſtra quotidie in conſpectu habetis? H. Sic plerique Zuingliani ab eſu Cœnę Domini vt plurimum abſtinent. TH. Quàm putidum ſit hoc mendacium ſaltem ex Eccleſiarum noſtrarum editis liturgijs perſpici poteſt. HES. Non putant, ſi indignè ſumant corpus Chriſti, ſeſe id manducare ad æternam damnationem, ſed leue quoddam erratū eſſe admonitione dignum. TH. Non docemus quidem manducari ipſum corpus Chriſti ad æternā damnationem, quoniam viuificum Spiritum Chriſti ab ipſius carne nō ſeparamus, ſed reos eſſe docemus corporis Domini, ac proinde mortis æternæ, quicunq; indignè ex illo pane edunt, quoniā in ſacramento aſpernantur ſacramenti veritatē. An verò vos hoc crimen poteſtis grauius reddere, etiāſi præſens Chriſtus in pane ſtatuatur?

HES. Ad hanc prophanitatem aliud incommodum accedit, quòd hac opinione infringitur conſolatio quæ propria eſt Eccleſiæ. Nam ſi ſubſtantia corporis Chriſti in vno loco à nobis remoto continetur, cur tantùm altera natura Chriſti in nobis eſt, nempe Deitas, & non totus Chriſtus? TH. Nego conſequutionem. Tua enim eſt hæc conſequutio & tui ſimilium, qui fieri non poſſe exiſtimatis vt carnis Chriſti reipſa participes ſiamus, niſi coram in pane ſiſtatur. At nos, quibus vos non pudet Phyſicen & Philoſophiam obijcere, tantum tribuimus Dei verbo, vt non dubitemus nos qui in terris ſumus, tam verè ac reipſa fieri participes carnis manentis in cælis, quàm ipſorum ſacramentorum: ſed corpus quidem ſpirituali modo per fidē, ſymbola verò naturaliter nobis communicari dicimus. Nunc verò conſidera, ſi potes, quo iure hæc nobis obijcias, quæ tute inficiari non potes ex doctrina veſtra conſequi. Totum enim Chriſtum ſemꝑ à credētibus ꝑcipi dicimus, tum in ſimplici Verbo, tū in vtroq; ſacramēto: tātum abeſt vt illa ſuauiſſima cōſolatione fideliū animos priuemus. Tu verò quū ſolā efficaciam Chriſti

tradis

tradis in Verbo & in Baptiſmo percipi, corporis autem communicationem vni Cœnæ propriā facis, an non illius ſacrilegij reus teneris quod te nobis obiicere nō pudet? I nūc Heſhuſi, & clama Caluiniſtas dulciſſimæ conſolationi neruos incidere. HES. Præterea ita obſcuratur doctrina de hypoſtatica vnione duarum naturarum in Chriſto. T. Nēpe, quia proprietates non confundimus, ideo Chriſtum diuidimus. HES. Quòd ſi liceret ad tropos confugere, quis articulus fidei maneret ſaluus? TH. Quaſi rerum diſſimilium ſimilis eſſe poſſit ratio. Quòd ſi nunquam ad tropos veniendum eſt, quid obſtat quominus ſis Anthropomorphita? HES. Execremur ergo toto pectore blaſphemum Zuinglij dogma, quod totius noſtræ religionis fundamentum euertit, & Chriſtum arguit mendacij. TH. Deus igitur iudicet inter te & nos.

HES. Millies quidem ſunt iampridem refutata veſtra ſophiſmata, vt in Caluinum & Bullingerum non ineptè congruat illud Iuuenalis, *Occidit miſeros crambe repetita magiſtros*: ſed tamen ad præcipuas veſtras cauillationes rurſum reſpondebo. TH. Tuo more pergis Heſhuſi. Verùm dic obſecro, quot tibi ſophiſmata elegiſti refutanda? HES. Octo. TH. Vah, quid fiet reliquis? potuiſti enim ex illa farragine cognoſcere nos multò pluribus argumentis pugnare, nec tibi etiam ignota ſunt 250 obiecta Petri Martyris, partim aduerſus tranſſubſtantiationem, partim aduerſus impanationem collecta. HES. Ego verò iſtam multitudinem nihil moror: imò iſte veſter Goliath nobis etiam arma miniſtrat quibus ipſum iugulemus. TH. Tum erit ille Goliath, quum fueris Dauid. HES. Iſtis autem explicatis, cætera diluere non erit magnæ operæ vel induſtriæ. T. Nēpe tuo more præteriris quæ non placebant, nonnulla de quibus garrires ſelegiſti, quædam etiam tibi fabricaſti, omnia denique pro arbitrio permiſcuiſti. Profer tamen quicquid habes.

Accedit Heſhuſius ad aliquot argumētorū refutationem, quæ ſophiſmata falsò vocat.

HES. Hæc eſt veſtratum obiectionum ſpecioſiſſima: Verum ac phyſicum corpus non poteſt ſimul eodem tempore, quod ad ſubſtantiam attinet, in pluribus & diuerſis locis eſſe. Chriſtus habet verum & phyſicum corpus, quod reſuſcitatum aſcendit in cælum viſibiliter, & ſedet ad dexteram Dei certo & definito loco, vnde venturus eſt tandem iudicaturus viuos & mortuos. Ergo hoc corpus quod in cælis certo loco circunſcribitur non poteſt eſſe in Cœna Domini quod ad ſubſtantiam attinet. T. An non illud eſt quod prædixi? HES. Quid ais, mi homo? T. Aio re tui ſimilem eſſe, id eſt manifeſtè calumniari. HES. Quamobrem? T. Quoniam quod in aſſumptione adſcripſiſti de ſeſſione ad dexteram, mera eſt calumnia. Neque enim ignorare potuiſti aſcenſionem à nobis vbique diſtingui à ſeſſione, & dexteram Dei nullo ſpatio à nobis terminari, quanuis non alibi quàm in cælis corpus illud glorificatum iam reſidere ex verbo Dei credamus. Præterea tota iſta concluſio quam nectis, tua eſt, non noſtra. Certum enim eſt Subſtantiæ nomen à te opponi fructui & efficaciæ Chriſti. Nos verò Chriſtum etiam ipſum verè nobis offerri, & à nobis percipi dicimus, & hoc reſpectu verè fidei noſtræ adeſſe, quanuis, quod ad ſitum attinet, non alibi ſit quàm in cælis. Iam vide igitur Heſhuſi quàm bona fide nobiſcum agas. Sed placet tuas quoque reſponſiones intelligere. HES. Nego maiorem. TH. Id eſt, affirmas corpus phyſicum poſſe ſimul & eodem tempore pluribus & diuerſis locis eſſe. Cedò igitur, an putas hoc fieri poſſe ex naturæ legibus, an non? HES. Ex naturæ legibus ſcio fieri nō poſſe: ſed Deo, qui ipſius naturæ author eſt, dico omnia eſſe poſſibilia. Itaque ſi negas poſſe Deum præſtare vt vnum corpus ſit ſimul diuerſis locis, quis te prophanum & ſacrilegum philoſophum in Eccleſia Dei, contra expreſſum Spiritus ſancti teſtimonium garrientem & blaſphemantem diutius audiat? T. Quo magis excandeſcis, eo minus es formidabilis. Itaque bilem iſtam cenſeo vt intus potius cōcoquas. Dic igitur, obſecro, an poteſt mori Deus? HES. Apage. T. Habet igitur aliquā exceptionem tuum illud dictum, Omnia eſſe Deo poſſibilia. Primùm enim excipienda ſunt quæcunque non ſunt alicuius potentiæ, ſed infirmitatis potius argumenta, vt mori, mutari, & quæcunque ſunt eius generis. Sed agè progrediamur. An putas Deum efficere poſſe vt tria, quatenus ſunt tria, ſint quatuor: vt effectum præeat efficienti cauſæ: vt quod factū eſt factum non ſit, & alia eiuſmodi? HES. Apage hanc prophanam curioſitatem. T. Hæc prophana non ſunt, quum ad diluendos pernicioſos errores religioſè explicātur, ſicut à veteribus Theologis aduerſus hæreticos neceſſariò eſt factitatum. HES. Túne igitur potentiam Dei aliquibus finibus circunſcribes? TH. Minimé. Sed hoc dico, multa eſſe Deo impoſſibilia non ſimpliciter, ſed ex hypotheſi: quoniam videlicet illi viſum eſt ab initio certas leges certis rebus præſcribere, cuius ordinis eſt cōſeruator non euerſor. I-

Prima exceptio Heſhuſii aduerſus argumentum à proprietate corporis ſumptum.

Defenſio.

Defenſio, in qua diſſeritur de Omnipotentia Dei.

taque quum hoc dico, de potentia Dei nihil detraho, ſed perpetuam & inuariabilem ipſius naturam commendo. HES. Quid verò? an non infinita occurrunt exempla quibus inuertit, immutauit, repreſſit, impediuit, ac prorſus conturbauit ordinem naturæ? T. O copioſum hominem! ſed ad rem. Triplices eſſe dico leges quas Deus naturæ rerum indidit. Quædam enim ſuapte natura ſunt fluxæ & mutabiles, vt videmus ſingulis momentis infinitas mutationum ſpecies nobis ob oculos proponi, quarum tamē regulam & amuſſim Deus moderatur. Secundò quædam ſunt leges naturæ per ſe quidem certiſſimæ, ſed quibus Deus opifex ita ſe non aſtrinxit quin ad tempus & quoties libuit illum ordinem immutet, vt accidit quoties edere voluit miracula & prodigia, quæ vocamus. Turpiter enim hallucinati ſunt Stoici, quum ſecundis cauſis primum illum motorem alligarent, & ſuæ illius catenæ indiſſolubiles nexus conſtituerent. Sed iſtiuſmodi mutatio res ipſas tamen non perimit, quoniam in iis poſita eſt quæ rebus duntaxat accidunt: vt exempli cauſa, Mare non deſiit eſſe mare quum fluctus eius tenderentur vtrinque parietum inſtar ſuſpenſi: & ſol, quum ſiſteretur à Ioſue, ſol tamen erat. Tertiò, quædam adeò ſunt οὐσιώδη in rebus ipſis, & ita illis inſita, vt ſi mutentur, rerum ipſarum interitum neceſſariò ſecum trahant: ex quo fit vt ſaluis rebus Deus illa mutare nec velit nec poſsit, quoniam ipſe ſibi hanc legem volens & vltrò indixit. Sic neceſſe eſt vt manentibus numeris & ponderibus ac menſuris, maneant quoque eædem & ſui ſemper ſimiles illarum affectiones. Nunquam enim tria erunt quatuor, ſi tria permanſerint: nec triangulum vnquam erit quadratum, quandiu triangulum fuerit. Sic corpus neceſſariò ſuis dimenſionibus conſtat, & quod finitum eſt ſuis finibus circunſcribitur. Itaque Dei omnipotentiam non infringit phyſicum illud principium quod tu negas: phyſicum videlicet corpus duobus locis ſimul eſſe non poſſe. HES. Phyſicum diſputatorem audio, non Theologum. TH. At ego diſcrimen pono inter ſtipitem & Chriſtianum. Cedò verò, vbi tandem iſta quæ diximus comperies vel in Phyſicorum libris explicari, vel vllis Sacrorum librorum teſtimoniis confutari? Præterea, quæ hæc eſt audacia, quæuis monſtra prætextu omnipotentiæ Dei fabricare? HES. Sed quo exemplo ad principia Phyſica reuocas Dei omnipotentiam? TH. Deus naturæ author, iſtorum quoque principiorum author eſt, neque principiis phyſicis Deum aſtrinxi, ſed quem ordinem conſtruxerit, & quatenus velit eſſe illius conſeruator, oſtendi. Eadem apud Theodoritum in Polymorpho inuenies. Huiuſmodi argumentis aſſerit Dydimus Spiritus ſancti deitatem. Sic etiam diſertè colligit Auguſtinus in Epiſtola ad Dardanum, quum inquit, *Tolle ſpatia corporibus, & corpora non erunt.* Imò Cyrillus longius etiam progreditur, vt qui affirmet ipſam Diuinitatem fore circunſcriptam, ſi in eam

Luc.24.39 caderet illa quantitatis ratio. Quid plura? Sic argumentatur Chriſtus ſe verum corpus poſt reſurrectionem habere, quoniam ſpiritus non conſtet carne & oſſibus. Et tu ſcilicet nos docebis omnipotentiam Dei nunquam debere ad eum ordinem reuocari quem ipſe ſibi circundedit volens.

Defenſio in qua diſſeritur de glorificatione carnis Chriſti.

HES. Venio ad ſecundam propoſitionem ſyllogiſmi. Dico illam egere declaratione. Nam ineptè blateratis de aſcenſione in cælum, & ſeſſione ad dexteram. TH. De aſcenſione in cælum poſtea dicemus. Quod autem de ſeſſione ad dexteram inculcas, mera eſt, vt paulò antè dixi, ſycophantia. Sed veni ad rem. HES. Dico vos non ſatis reuerenter ſentire de viuifica & glorioſa carne Chriſti. Quid enim? an illam quæ contra omnem ordinem naturæ concepta, nata, Deo vnita, ex morte ſuſcitata, & in æternum regnum exaltata eſt, legibus & ordini huius mutabilis naturæ ſubiiceremus? TH. Primùm, quod de glorioſi corporis dotibus diſputas, nihil ad rhombum. Neque enim tum erat glorificata, ſed infirmitatis cumulo proxima caro Chriſti quum Cœna institueretur: & iſta propoſitio, HOC EST CORPVS MEVM, non alia ratione vera eſt hodie, nec aliter explicanda, quàm quo tempore Chriſtus illam primùm enunciaret. Quòd ſi ad miraculum transfigurationis velut ad aſylum confugias, quaſi ſimile etiam aliquid acciderit Chriſti corpori in Cœnæ inſtitutione, primùm quæram ex quo Euangeliſta didiceris aliquod eiuſmodi miraculum incidiſſe quum Cœna inſtitueretur: deinde & illud percontabor, in qua ſchola didiceris ita argumentari: Tradunt Euangeliſtæ corpus Chriſti etiam ante aſcenſionem ad temporis momentum fuiſſe lucis illius & gloriæ cæleſtis particeps, ergo in Cœna, quamuis taceant Euangeliſtæ, tamen credendum eſt corpus illud, quod adhuc erat infirmum, fuiſſe diſpenſatione quadam ſimul eſſentialiter diuerſis in locis, & in menſa quidem viſibile, in pane ve-

ne verò inuiſibile. Poſtremò etiam ſi tibi hæc omnia concederem, tamen negarem conſecutionem. Quia hoc affirmo, affirmo inquam, ne glorificatum quidem corpus poſſe ſimul eſſe multis locis, quoniam hoc vnius eſt Diuinæ naturæ proprium, & quidem proſſus ἀκοινώνητον. HES. Video te tergiuerſari. T. Non tergiuerſor Heſhuſi, ſed hoc tuum argumentum oſtendo indignum eſſe reſponſo. Reſpondebo tamen, vt tuas ineptias penitus patefaciam. Quæris an carnem Chriſti tot inſignibus ornatam, velimus legibus huius mutabilis naturæ ſubiicere. Ego quod tu confuſè & perturbatè dicis, vt Sophiſtæ ſolent, diſtinguendum arbitror. Si de eo tempore loqueris quod reſurrectionem Chriſti præceſſit, dico excipiendas eas eſſe mutationes quæ per ſe ſunt vitioſæ, & iis tantùm exceptis, factum eſſe Chriſtum nobis per omnia ſimilem. Sin verò de glorificata Chriſti carne loqueris, fateor in ſummum gloriæ gradum euectam, ſed ita vt ſine quibus corpus non eſt corpus, nunquam exuerit. HES. Quænam autem illa eſſe dicis? TH. Quòd ſit quantum, carne & oſſibus conſtans, non autem nudè ſpiritualis eſſentiæ, ac proinde ſub ſenſus cadat, & certo ac definito loco comprehendatur. HES. Ego quoque concedo carnem Chriſti ſimilem eſſe noſtræ, quod attinet ad carnis, ſanguinis, oſſium & animæ ſubſtantiam. Nam execror Marcionis & Eutychis errores, & fateor Chriſtum humanam naturam aſſumpſiſſe, eámque nunc retinere, nec vnquam deſerere. TH. Dic igitur Heſhuſi, qua fronte paulò antè ex me percontabaris an audeſtem Chriſti carnem huius mutabilis naturæ legibus ſubiicere? Nam quod tu agnoſcis de carnis & oſſium ſubſtantia, an non obiecto ad communem hanc noſtram naturam pertinet? HES. Diſtinguo naturam à naturæ legibus: ideóque non concedo quod tu dicebas de vno quopiam definito loco. Nam carnem Chriſti exiſtimo admirandis & ineffabilibus quibuſdam facultatibus & prærogatiuis præ aliis humanis corporibus ornatam eſſe, vtpote omnipotenti λόγῳ inſeparabiliter vnitam, & in Regno ad dexteram Dei exaltatam. TH. Ecquis verò noſtrûm vnquam negauit Chriſtum accepiſſe Spiritum abſque menſura, & ſupra omnes cælos exaltatum? Quòd ſi inter iſtas prærogatiuas illam quoque ex verbo Dei oſtenderis qua fieri poſſit vt caro Chriſti poſſit ſimul eſſe pluribus & diuerſis locis, abſit vt veritati repugnem: ſin minus, abſit vt tua ſomnia pro cæleſti veritate habeamus. HES. Dicamus de illis prærogatiuis. An non fateris carnem Chriſti eſſe viuificatricem? TH. Fateor, quoniam idem qui homo eſt, Deus eſt. HES. An non etiam agnoſcis adorandam eſſe? TH. Agnoſco, eadem prorſus ratione. HES. An non & illud concedis, iudicium eſſe Chriſto datum, quia Filius hominis eſt? TH. Concedo, quoniam adeptus eſt nomen quod eſt ſupra omne nomen, teſte Apoſtolo. HES. Atqui hæ ſingulares prærogatiuæ multò ſunt ſublimiores quàm vt vlli creaturæ nudæ & ſoli ſine idololatria attribui poſſint. TH. Eſto. HES. Cur non ergo piè etiam credamus carnem Chriſti tam plenam maieſtate, ſimul in diuerſis & pluribus locis eſſe poſſe? An non potius impietas & dementia eſt, huic carni quæ adhuc in ſumma humiliatione exiſtens, in Thabor monte, ſupra ſolis fulgorem ſplenduit, TH. Montis Thabor nomen apud Euangeliſtas non lego, ſed hoc tu nimirum in tuis Poſtillis inueniſti, vt alia multa. HES. Huic, inquam, carni non aliam tribuere gloriam & potentiam, quàm quæ à noſtro ingenio comprehendi, & Mathematicorum regulis demonſtrari poſſit? TH. Qui tibi illa omnia conceſſit ex Dei verbo, is certè Chriſti Domini noſtri gloriam Mathematicis lineis non deſcribit, & nimiùm putidum eſt hoc cauillum. Verum autem & naturale Chriſti corpus non nos, ſed ille ipſe circunſcripſit qui ſibi illud circundedit, vt verus homo factus peccata noſtra redimeret. Imò, ſcito nos non corpus duntaxat, ſed etiam animam Chriſti arbitrari vno tantùm Chriſti corpore verè nunc in cælis contineri. Cedò verò, an non maius quidpiam eſt rationis eſſe participem quàm volucri corpore præditum? HES. Sanè. TH. Quid ſi igitur colligerem, credibile eſſe volare homines, quoniam illis tributum eſt aliquid excellentius, nempe vt intelligant & ratiocinentur, an non tibiipſi eſſem ridiculus? HES. Eſſes profectò. Nam alia eſt hominum, alia eſt auium natura. TH. Atqui non aliter es argumentatus, quum concluderes carnem Chriſti ſimul eſſe poſſe diuerſis locis, quoniam quædam præſtantiora à Deitate, cui ὑποστατικῶς vnita eſt, mutuatur. Res autem iſta, quam tu minimè intelligis, ita ſe habet. Deus noſter verè eſt omne bonum, & quidem οὐσιωδῶς. eſt enim ipſa vita, ſapientia, bonitas, ipſum denique bonum. Sed horum bonorum, quæ ſunt illius propria, veluti riuos quoſdam ſolet in res creatas deducere, prout ipſius ſapientiæ videtur. Sic creauit mundum, & quidem valde bo-

Phil. 2.

num. Sic in ipſo ſumus, viuimus & mouemur. Hinc infinita illa bona quæ impiis etiam quotidie impartitur. Hinc denique variæ illæ gratiæ quas adoptiuis ſuis filiis peculiares eſſe voluit, quos tandem etiam faciet æternæ gloriæ participes. Chriſti verò carnem quum æternus ille Sermo σωματικῶς aſſumpſerit, non dubium eſt quin donis nobis incomprehenſibilibus illam bearit, vnde poſtea in vnumquenque noſtrûm, qui ſumus illius corporis membra, pro certo cuiuſque modulo promanaret. Sed tamen quum neceſſe ſit non tantùm duarum naturarum in Chriſto vnionem, ſed etiam cuiuſque naturæ proprietates diſtinctas conſiderare, ne ex vnione faciamus vnitatem, duo conſequuntur quæ non videris animaduertere. Vnum, quædam eſſe Diuinæ naturæ idiomata quæ re ipſa ſunt incommunicabilia. Alterum, ea quæ communicabilia ſunt ſic communicari vt interea maneant vnius Deitatis propria: vſus autem & virtutis reſpectu duntaxat cõmunicentur. Nã alioqui quum in Deo omnia ſint κοινά, non eſſet Deitas ἀμιγὴς, ſed re ipſa cũ iis omnibus permiſceretur quibus aliquid ſuorũ bonorum impartiretur: cuiuſmodi fuit olim Manichæorũ, & nũc etiã eſt Seruetiſtarum deliriũ. Itaque, etſi propter Diuinæ naturæ hypoſtaticam vnionẽ quiddã ſpeciale ac peculiare de Chriſti carne omnino exiſtimandũ eſt, tamẽ ſi caro Chriſti ſeorſim cõſideretur, nõ dicemus vitã in ea propriè reſidere, ſed Deum ad quẽ alioqui nullus nobis patet acceſſus, vim ſuam viuificã nobis in illa carne patefacere, quã noſtræ ſalutis cauſa ὁ λόγος aſſumpſit. Sic iudex eſt omniũ, & adorandus eſt Chriſtus, Deus & homo, non carnis reſpectu ſeorſim, ſed quoniã idem qui homo eſt, Deus eſt. Sed & illud animaduerſione dignum eſt quod iſta magnopere confirmabit, nempe τὸν λόγον, etſi ab ipſo conceptionis momẽto in ſua (vt ita loquar) plenitudine cum illa carne in vnam perſonam coaluit, tamẽ certis gradibus ſuam efficaciam in illa exeruiſſe. Creuit enim homo ille non tantùm ætate, ſed etiam gratia & ſapiẽtia, nec induit ἀφθαρσίαν, niſi deguſtata & ſuperata morte: quia prius oportuit Chriſtum pati, & ita intrare in gloriam ſuam. HES. Sed quorſum hæc? T. Vt oſtendam te nimiùm pueriliter argumentari. Erat enim adorandus Chriſtus etiam ante mortem, vt tu confiteris, & tamen adhuc mortalis erat, non tantùm δυνάμει, ſed etiam ἐνεργείᾳ. Quæ vis igitur eſt tuæ conſecutionis, Eo dato quod eſt excellentius, dari quod minus eſt? Vides enim id verum ſtatim non eſſe, ne in iis quidẽ quæ Chriſto dari poterãt abſque vlla naturarum cõfuſione. Sed in eo quoque vaniorem te prodis, quòd idiomata illa ἀκοινώνητα non diſtinguis. HES. Quænam autem illa ſunt? TH. Ea quæ Diuinæ naturæ ita ſunt inſita, ac ſingulariter, ſiue (vt vulgò loquuntur) quarto modo propria, vt Deũ ab omnibus creaturis longè latéque ſeparent: quæque Deus proinde nullis creaturis largitur, quoniam nihil creatum poteſt Deus fieri. HES. Sed quænã illa ſunt? T. Omnia illa ſolus Deus recenſuerit: facile tamen eſt quædam numerare, vt increatũ eſſe, ſua vnius vi perfectũ exiſtere, deniq; (vt vlcus attingã) prorſus incorporeũ & infinitum eſſe, ac proinde ita omnia implere vt omnia comprehendat qui à nullo cõprehenditur. Itaque, vt paucis dicam, quũ hoc tribuis carni Chriſti vt ſimul eſſe poſſit diuerſis locis, nõ minus hallucinaris quàm ſi tribueres Chriſto corpus ἀσώματον, & manifeſtè diceres hominem mutatum eſſe in Deum. Nam diuerſis ſimul locis contineri, non eſt alterius naturæ quàm infinitæ, id eſt Diuinæ. HES. Naturaliter concedo, Theologicè nego. Nam Deo ſunt omnia poſſibilia. T. Redis ad veterẽ cantilenã. Cõcede igitur Deum poſſe nouos Deos fabricare, & Deos fieri poſſe qui ſunt creati: tunc tibi cõcedemus quod petis. Sin minus, ſaltem oſtẽde vnde hanc tuam Theologiam deprompſeris, quæ nos doceat Chriſti corpus eſſe quidem in ſeſe finitum & viſibile, ſed tamẽ hoc naturę Diuinæ idiomate præditum, vt etiam ſit inuiſibile, & quotcũque locis voluerit vnum & idẽ vno eodémq; tẽpore realiter & ſubſtantialiter, non tamen tanquam in loco, inueniatur. Hæc, inquam, oſtende Heſhuſi vnde deprompſeris. HES. At tu potius oſtende vnde tuas illas diſtinctiones hauſeris. T. Tibi certè incumbit onus probandi, non mihi, quum præſertim præſumptio pro me faciat. Nã qui naturale corpus Chriſto tribuit, ſicut omnino nunc quoque tribuendũ eſt (glorificata nõ autẽ ſublata corporis natura) idẽ neceſſariò illi tribuit corporis, quãuis glorificati tamen naturalis, dotes. Sed tamen conditionẽ accipio. Primùm igitur dico aut vanũ eſſe quod credit Eccleſia de vtriuſq; Chriſti naturæ proprietatibus re ipſa diſtinctis: aut verum eſſe quod dixi. Secũdò, ſi nobiſcũ adhuc manet corporaliter & eſſentialiter Chriſtus, vt tu vis, dico illum non propriè dici aſcendiſſe in cælos, vt qui terram non reliquerit, ſed tantùm ſit ex viſibili factus inuiſibilis: nec venturum è cælis vt iudicet orbem terrarum, ſed duntaxat ſeſe in terris, vbi eſt, ex inuiſibili

factu-

facturum viſibilem. Itaque omnia illa non propriè dicta fuerint, ſed noſtrorum tantùm ſenſuum reſpectu. Nō erat igitur cur Petrus diceret Chriſtum nunc cælis comprehendi vſque ad tempora reſtitutionis omnium: nec etiam cur Chriſtus diceret ſe non relicturũ diſcipulos ſuos orphanos, quòd Paracletũ eſſet ad eos miſſurus. Potius enim erat ei dicendũ, fore vt nunquã ab illis diſcederet. HES. Imò, nónne hoc expreſsè dixit, ſe fore nobiſcum vſque ad conſummationem ſeculi? T. Fateor: ſed idem dixerat fore vt non ſemper eum haberent. Quomodo verò idem ſimul & abſit & adſit, mox dicemus. Tertiò, quid te abripit in hæc præcipitia? Nempe quòd putes aliter ſtabiliri non poſſe verã corporis Chriſti communicationem: qua in re quantum hallucineris, ſæpius à me dictũ eſt quàm vt repetere oporteat. Quartò, quamuis poſito antecedente neges cōſequens, tamen nemo vnquam ſanæ mentis homo veram eſſe hãc tuam opinionem ſibi perſuadebit, quin ſimul cum Eutyche tollat Diuinæ & humanæ naturæ diſcrimen. Quintò, vt omnes ad vnum orthodoxos Theologos euoluas qui Papiſticam tranſſubſtantiationẽ ignorarunt, nuſquam apud eos inuenias Chriſti carnem alibi nunc eſſe aut futuram vſque ad diem nouiſſimum quàm in cælis, vnde venturus expectatur. Act. 3. 21 Ioan. 14. 18 Matth. 28. 20

HES. Primùm dixit Dominus, HOC EST CORPVS MEVM: Ergo cum pane eſſentialiter adeſt corpus vbicunque celebratur Cœna Domini ex Chriſti inſtitutione. TH. Quid ſi ita colligerem, Animal eſt Heſhuſius, ergo eſt aſinus: an tu hoc admitteres? HES. Minimè. Sunt enim aliæ multæ animalium ſpecies. T. Arqui idem vitium admittis in tuo argumento, quum multæ quoque ſint ac diuerſæ rationes τοῦ εἶ[illegible], & multipliciter dici poſſit panis eſſe corpus. At tu non aliter cōcludis quàm ſi in omni propoſitione verbum EST vno & eodem modo acciperetur. HES. Teſtatur Paulus Chriſtum euectum ſupra cælos vt omnia impleret. T. Virtute ſua videlicet, non autem eſſentia ſecundùm vtranque naturam. Nam hoc Diuinæ naturæ proprium eſt, illud verò carni etiam Chriſti tribuitur, quoniam caput eſt Eccleſiæ, & omne iudicium accepit à Patre. Rurſus igitur impingis ad eundem lapidem. Nam perinde colligis ac ſi verbum IMPLERE non niſi de eſſentia diceretur. Quòd ſi tibi largirer quod petis, certè caro Chriſti eſſentialiter eſſet collocãda non tantùm in pane, ſed etiam vbique: quod ipſum tamen duobus minimùm locis diſertè negaſti in lepido tuo libello, nempe pagina vigeſima octaua, & pagina 187. Digreſsiones Heſhuſii extra ordinem propoſitæ & refutatæ. Eph. 4. 10 Quomodo Chriſtus omnia impleat.

HES. Corpus Chriſti ambulauit ſuper aquas. T. Quidni enim potuit virtute Dei ſuſpendi grauitas corporis? Sed leue & graue non ſunt ex eorum numero quæ diximus eſſe in corporibus [illegible], ſicut finitum eſſe, & circunſcriptum, & aſpectabile: alioqui Petri quoque corpus eadem ratione dicemus ſimul eſſe poſſe multis locis. Nam & illud ſuper aquas ambulauit. De Chriſti ambulatione ſuper aquas. Matth. 14. 25 Matth. 14. 29

HES. Caro Chriſti ſæpe euanuit ex oculis hominum. TH. Concedo, ſed corpus eſſe propterea non deſiit. Sic quoque Philippus repentè fuit ab oculis Eunuchi abreptus. Itaque de Philippi corpore imaginare illud idem quod de Chriſti carne ſomnias, aut agnoſce vanum eſſe tuum argumentum. De diſparitione corporis Chriſti. Luc. 24. 31 Act. 8. 39

HES. Chriſti corpus egreſſum eſt è ſepulchro clauſo. TH. Hoc non dicunt Euangeliſtæ, & quidam ex Patribus aliter ſentiunt. ſed ita eſto. Cur non potuit lapidis durities per Dei omnipotentiam cedere corporis moli? verùm ne hoc quidem tollit corporis modum. De egreſſu Chriſti ex clauſo ſepulchro.

HES. Ingreſſus eſt Chriſtus ad diſcipulos ianuis clauſis. T. Eſto, ſemper tamen verum manet Auguſtini dictum, *Tolle ſpatia corporibus, & corpora non erunt.* De ingreſſu Chriſti ianuis clauſis. Ioan. 20. 26

HES. Extra hunc mundum non eſt locus: eſt autem corpus Chriſti ſupra omnes cælos euectum: ineptè igitur facitis quum Chriſtum in cælo, tanquam in loco, collocatis, & quidem phyſico modo. T. Quid audio Heſhuſi? an non præmonueram oportere mendacem eſſe memorem? HES. Imò quid tu tibi vis, acute Philoſophaſter? TH. Hoc dico, mirari me amplius non poſſe quòd tibi cum nemine conueniat, quum à teipſo diſſideas. HES. Id verò oſtende. TH. Lege paginam egregij tui libelli vigeſimam nonam, & ibi inuenies te cōſentiente corpus Chriſti eſſe in certo cæleſti loco. Ac ne tergiuerſari poſſis te abuſum eſſe Loci nomine, ſicut alibi conatus es Auguſtini teſtimonium eludere, affirmo hæc tua eſſe verba, pagina eiuſdem libri trigeſima: *Libenter, inquis, accipimus Chriſtũ phyſica locatione viſibiliter ſurſum ſuum corpus ſuſtuliſſe, & in cæleſti loco collocaſſe.* Audis non tantùm cæleſtem locum, ſed in loco locari, & etiam phyſicam locationem, Heſhuſi, ab Heſhuſio confirmari? Item pagina octogeſima ſecunda, *Neceſſe eſt,* De loco extramundano.

inquis, *fateri corpus non ſolùm in cælo, certo ſpatio concludi, ſed verè & ſubſtãtialiter in Cœna adeſſe.* Audis iterum ex Heſhuſij opinione, corpus Chriſti quanuis in Cœna adſit, tamen certo ſpatio CONCLVDI in cælo? Quî fit ergo vt quod affirmaſti, nunc exagites, & teipſum in noſtra perſona derideas? Tu nunc negas ſupra cælos eſſe locum, quum paulò antè dixeris Chriſtum ſupra cælos eſſe viſibiliter, phyſica locatione, certo ſpatio & loco concluſum. Diſputa igitur aduerſus teipſum ſi libet. HES. Sed ponamus illa à me dicta non eſſe. Quid tu ad illa reſpondes? T. Gratificabor tibi, quando ita libet. Quæ nobis abſcõdit Dominus, ea minimè inquirimus. Didicimus autẽ ex Dei verbo Chriſtum verò humano corpore prędiṫum in cæleſtem plagã à nobis verè diſceſſiſſe, & ibi excelſiſſimis locis in ſumma gloria collocatum, cælis comprehẽdi vſque ad tempora reſtitutionis omnium. Quicquid ergo huic doctrinæ vel directè vel obliquè repugnat, repudiamus: quomodo verò ſit locus extra cælum, aut aliquid eiuſmodi, inquirendum non arbitramur. HES. Neque etiã volumus inquirere quomodo ſimul eſſe poſſit in cælis & in terra. T. At nos hoc ipſum reiicimus, quoniam veritati corporis Domini, aſcenſioni ipſius in cælũ, & eiuſdem in cælis habitationi ex diametro repugnat. HES. Ergo naturas diſcerpitis. T. Hoc eſt quod iampridem mirabar te poſſe tam diu reticere. Quàm autem ſit hæc conſecutio friuola, ſic intellige. Fatemur Chriſtum nuſquam eſſe dimidium, ſed vbique totum, quoniam ſemper eſt totus & integer. HES. At tu paulò antè negabas carnem eius alibi eſſe quàm in cælis. T. Nẽpe quia diuerſa ſunt, Totus Chriſtus, &, Totum Chriſti, vt non ſatis Latinè fortaſſis, ſed admodũ verè dici ſolet. HES. Hoc ſophiſma nõ intelligo. T. Sophiſma non eſt, ſed veriſſima ſententia, nec valde etiam difficilis ad intelligendum. Quàm multa enim ſunt in communibus etiam his rebus quæ nobis propter partium inter ſe coniunctionem tota ſunt præſentia, quanuis eorum extremæ partes à nobis diſſitæ ſunt longiſſimè: atque etiam ſi ſeorſim illas ſpectes, penitus à nobis abſunt? Sic implet omnia Chriſtus, quatenus Deus eſt: & quoniam hæc Deitas vnita eſt cum carne quæ nunc non alibi eſt quàm in cælis, idcirco nuſquam eſt præſens Chriſtus dimidius, ſed totus, propter vnicam duarum naturarum ὑπόστασιν. Sin verò ſeorſim de carnis præſentia quæratur, non Deitatis, ſed noſtri reſpectu: quanuis ea nunquam à Deitate reipſa ſeparetur, tamẽ à nobis meritò dicetur abeſſe quãto interuallo cæli abſunt à terra, nec tamen propterea inter ſe coniuncta eſſe deſinent, quorum alterum procul à nobis aberit. Aliud enim eſt naturas diuidere quàm diſtinguere, & illas in ſeſe quàm noſtri reſpectu conſiderare. Sed & illud tibi miror in mentem non veniſſe: ſi concederemus quod petis, nẽpe ſeparari naturas, niſi corpus realiter præſens ſtatuatur vbicunque eſt Deitas, duo abſurdiſſima & falſiſſima conſequi neceſſariò. Ita enim opus erit corporalem Chriſti præſentiam non tantùm in pane, ſed etiam in omnibus rebus cõſtituere, quod tu ipſe meritò reprehẽdis. Præterea exiſtimandũ erit Chriſti corpus ne tum quidẽ abfuiſſe à cælo quũ eſſet in præſepi, in cruce, in ſepulchro, ac proinde nõ propriè aſcendiſſe in cælum, nec propriè ex cælo venturũ. Nemo enim propriè aſcendit aut venit eò vbi iam erat. HES. Ego verò omnes iſtas conſecutiones nihil moror. T. Et nos tua commenta cur tandem moremur? HES. Vos remouetis à Cœna humanitatẽ, & in cælo includitis: nos autẽ ſtatuimus totũ Chriſtum Deum & hominẽ in nobis habitare. T. Falſa eſt tua cõſecutio: Chriſti caro eſt in cælo, & nõ alibi, ergo nobis qui in terra ſumus non cõmunicatur. Falſa eſt, inquã, tua conſecutio. Nam quod locorũ interuallo diſtat, fidei tamen eſt præſentiſſimum, eſtque ea Spiritus Dei efficacia, vt quod abeſt locorum ſitu, verè tamẽ nobis ſpiritualiter applicet, ſicut millies iam reſpondi. Sed in eo teipſum ſuperas, quòd nobis audes illud ipſum vitio vertere quod ex tuis quidem principiis neceſſariò conſequitur, ex noſtris autem penitus euertitur. Nos enim affirmamus efficaciã Chriſti nõ poſſe ab ipſius ſubſtantia ſeparari, ac proinde totum Chriſtum Deum & hominem nobis per fidem cõmunicari, tum in Verbo, tũ in vtroque ſacramẽto, quãuis caro nõ alibi ſit quàm in cælis. Nouit enim Spiritus Dei copulare quod reipſa, ſi locorũ ſitũ ſpectes, eſt diſiunctiſſimũ. Et coniunctionẽ iſtã minimè eſſe imaginariã, qua ſimus os ex oſſibus Chriſti, & caro ex carne eius, ex Chriſti in nobis effectis manifeſtè intelligimus. Tu verò quũ corporalẽ ſiue eſſentialẽ cõmunicationẽ ſolius Cœnę myſterio attribuas, an nõ ab illa manifeſtè excludis quicunque nunquã fuerũt Cœnæ participes? Itaq; tu ipſe is es Heſhuſi, qui Chriſti naturas diſcerpis, & integri Chriſti habitationẽ diſtrahis. H. Vtcũque ſit, omnia illa dicta de Chriſti à nobis diſceſſu & abſentia, de modo tantùm loquuntur. TH. Ergo, ſi tibi credimus, ita hos locos explicabimus: *Me non ſemper habebitis*

Matth. 26.11

bebitis vobiſcum, id eſt, Ero quidē [illegible] vobiſcū, ſed inuiſibiliter. *Ego relinquo mundū*, id eſt, Ero inuiſibilis. *Surrexit, non eſt hic*, id eſt, ſurrexit, & eſt hic, ſed inuiſibilis. *Gaudeo ꝓpter vos, vt credatis, quia non erā ibi*, id eſt, quia ibi erā, ſed inuiſibili modo. H. Quid tu verò reſpondes? T. Quid aliud reſponderim, quàm te mihi videri planè mente captū, quum ita loqueris? H. Sed hoc nō eſt ſoluere nodū. T. Nempe quia nullus eſt nodus, niſi quē tu imaginaris. Sed ecce alios tibi adducā ex media vetuſtate qui tuos nodos nō expediāt, ſed trāſuerſos ſecēt. Cyrillus igitur ita ſcribit in Dialogis de Trin. lib. 2. vt iā olim D. Petrus Martyr vobis obiecit, *Si verè ſectionem & partitionē Diuina natura reciperet, intelligeretur & corpus: ſi aūt hoc, & in loco omnino, & in magnitudine, & in quantitate: & ſi caderet in eā quantitas, nō effugeret circunſcriptionē.* Audis Heſhuſi adeò valere hāc concluſionē, Corpus eſt, ergo eſt in loco & circunſcriptū, vt ne Diuina quidē natura excipienda fuerit, ſi corporea eſſet? Prætereà etiā inculcabo locū ex Vigilii eruditi & veteris Epiſcopi libris aduerſus Eutychen, quanuis à noſtris ſæpiſſimè deſcriptū. Floruit enim circiter annū Domini 500. *Vide*, inquit, *vtriuſq; proprietatis myſteriū. Dei Filius ſecūdùm humanitatē ſuā à nobis receſſit, ſecundùm Diuinitatē ſuā ait nobis, Ego vobiſcum ſum vſque ad conſummationē ſeculi. Si nobiſcū, quomodo ait, Veniēt dies quādo deſideretis diē vnū Filii hominis, & non videbitis? Sed & nobiſcum eſt, & nō eſt nobiſcū. Quia quos reliquit, & à quibus diſceſſit humanitate ſua, non reliquit nec deſeruit Diuinitate ſua. Per formam enim ſerui quam abſtulit à nobis in cælū, abſens eſt nobis: per formā Dei qua non recedit à nobis in terris, præſens eſt nobis: tamē & præſens & abſens ipſe vnus idemq; eſt nobis.* Hæc Vigilius. Ac ne tergiuerſari poſſis in Formæ vocabulo, audi rurſus quid ille idē alibi ſcribat. *Si Verbi*, inquit, *& carnis vna natura eſt, quomodo quū Verbū vbique ſit, non vbiq; inuenitur & caro?* Audis Heſhuſi hanc cōſecutionē, Si vbique eſt caro vt Verbū, oportere vnam tantùm eſſe naturā, non duas? Deinde ſubiicit: *Quando caro in terra fuit, nō erat vtiq; in cælo: & nunc quia in cælo eſt, nō eſt vtique in terra, & in tantū nō eſt, vt ſecundùm ipſam expectemus venturū de cælo quē ſecundùm Verbū nobiſcū eſſe credimus in terra. Igitur ſecundū vos* (Eutychianos videlicet) *aut Verbū cum carne ſua loco continetur, aut caro cum Verbo vbique eſt, quandoquidē vna natura contrariū quid & diuerſum non recipit in ſeipſum: diuerſum eſt autē & longè diſsimile circunſcribi loco, & vbique eſſe: & quia Verbū vbiq; eſt, caro autē eius vbique non eſt, apparet vnū eundemq; Chriſtū vtriuſque eſſe naturæ: & eſſe quidē vbique ſecūdùm naturā diuinitatis ſuæ, &* LOCO CONTINERI *ſecundum naturā humanitatis ſuæ.* Et mox, *Igitur vnus Dei Filius idemq; hominis factus filius,* CIRCVNSCRIBITVR LOCO *per naturā carnis ſuæ, & loco non capitur per naturā Diuinitatis ſuæ. Hæc eſt fides & confeſſio catholica quā Apoſtoli tradiderunt, martyres roborauerunt, & fideles nunc vſque cuſtodiūt.* Agè ſubiiciā quoque teſtimoniū Auguſtini, cuius paulò antè dixiſti te pluris facere vel vnam ſententiam, quàm decē aliorum prolixas conciones. Is ergo ad Dardanum ſcribens, *Vna*, inquit *perſona Deus & homo eſt, & vtrunq; eſt vnus Chriſtus Ieſus: vbique per id quod Deus eſt, in cælo autem per id quod homo.* Item ibidem, *Vbique totū præſentē eſſe non dubites, tanquā Deū, & in eodem templo Dei eſſe tanquā inhabitantē Deū: & in loco aliquo cæli propter corporis modū.*

H. Iniuriā facitis optimo Epiſcopo. Nō enim agit de Cœna Domini in illa epiſtola, ſed de vnione duarum naturarum in Chriſto, & de quæſtione, quomodo Chriſtus Deus & homo vbique eſſe dicitur. T. Agit, inquis, ibi Auguſtinus de vnione duarū naturarū, non eſt igitur hoc trahendū ad Cœnā Domini: quaſi videlicet vnio duarū naturarū myſterio huius ſacramēti repugnet. H. Nos quoque fatemur carnē eſſe in Euchariſtia, iuxta veri corporis modū. Nam veri corporis modū non neceſſe eſt eſſe localem, aut circunſcriptiuum, aut dimenſiuum, vt nec viſibilem eſſe neceſſe eſt. T. Ah, an vnquā extitit ſimilis peruicaciæ exemplum? Non tantùm de vero corpore, ſed de humano corpore loquimur, quod ita eſt glorificatum vt tamen non ſit mutatū in ſpiritus naturā. Imò ne ſi Spiritus quidem eſſet, vt Angeli, tamen ſimul diuerſis locis poſſet exiſtere. Quòd ſi vera eſt tua conſequutio, ſit ſanè mendax Cyrillus, qui hæc tria vt neceſſariò cohærentia cōiungit, corporeum eſſe, quantitatem habere, & certo loco ac ſpatio circunſcribi, adeò vt his legibus Deitatem etiam adſtringendam putet, ſi corporea eſſet, vel vlla in eam quantitas caderet. Sit vanus etiā Vigilius, qui negat eidē naturæ conuenire loco circūſcribi & nō circūſcribi, & naturā humanam colligit in terra non eſſe, quoniā ſit in cælis. Sit denique ridiculus Auguſtinus, qui colligit Chriſti corpus oportere in loco aliquo cæli eſſe, propter veri corporis modum, id eſt, quia verum eſt eius corpus humanum. H s s.

Ioannes 16.
Marc. 16. 6.
Ioan. 16. 22.

Vigil. contra Eutych. lib. 1.

Contra Eutych. lib. 4.

Imò loquitur ibi καταχρηστικῶς Auguſtinus, quum Chriſtus ſit ſupra omnes cęlos, vbi certè nec tempus eſt nec locus. T. Sit nobis ſanè ignota definitio loci cæleſtis. (Act.3.21.) Attamen hoc manet ex ipſo Petro, Corpus Chriſti cælis capi ſiue comprehendi. nec vnquam euinces corpus finitum, vel ſublatis finium dimenſionibus corpus capi aliter vſquã poſſe, quàm certis finibus circunſcriptum. Hoc teſtes illi affirmant omni exceptione maiores, & hãc catholicam fidem eſſe teſtantur Martyrum ſanguine obſignatam. Tu igitur quandiu libebit contradicito: nos ab hac veritate nunquam, vt ſpero, deficiemus.

(Secunda exceptio Heshuſii contra argumentum ex Ioanne petitum. CARO NON PRODEST QVICQVAM.) HES. Ita ſit igitur reſponſum ad veſtram primam coniecturam. T. Egregiè ſanè tibi ſucceſſit primus iſte congreſſus. H. Accedo ad ſecundum argumentum. Obiicitis locum ex capite Ioan. 6. *Caro non prodeſt quicquam, Spiritus eſt qui viuificat.* Ego verò triplicẽ defenſionem affero. Primùm enim dico totam illam concionem non pertinere ad Cœnam Domini. Deinde, vos eſſe blaſphemos in ſanctiſſimam Chriſti carnem, quam nimirum inutilem cenſetis. Tertiò, vos locum illum perperam interpretari de carne Chriſti, quum certo certius ſit Carnem ibi accipi pro corrupta hominis carne, vnde naſcebantur carnales imaginationes Capernaitarũ. Huic opponitur Spiritus, id eſt, Spiritus ſanctus, qui fidem accendit, & ſalutem præſtat. T. Paucis ordine reſpondebo. (Defenſio.1.) Quòd locum illum ad Cœnam Domini dicis non pertinere, quatenus verum ſit, ſuprà pluribus expoſui, quàm vt neceſſe ſit hoc loco repetere. Oſtendi autem in ſumma, quamuis in ea concione probabile ſit non agi propriè de Cœna, tamen explicari eius communicationis myſterium, cuius obſignandæ cauſa Dominus poſtea Cœnam inſtituit. Nam & in Verbo & in ſacramentis idem nobis Chriſtus per fidem percipiendus offertur. (Defenſio.2.) De blaſphemia verò quid attinet multa reſpondere? An non tibi toties iam conceſſi viuificam eſſe Chriſti carnem? An verò nos adeò imperitos & improbos eſſe putas, vt neſciamus quæ vis ſit hypoſtaticæ vnionis, & quo pretio ſimus redẽpti? Imò agnoſce ipſius Caluini verba in hunc locum. *Chriſtus*, inquit, *ad comedendi modum ſimpliciter reſpexit. Non ergo quãuis excludit vtilitatem, quaſi nulla percipi ex carne ſua poſſit: ſed ita demum inutilem fore pronuntiat, ſi à Spiritu ſancto ſeparetur.* Hæc ille. Quid ergo? nempe tuo more, vel temerè reprehendis quod nõ intelligis, vel malitioſè nos inſimulas eius criminis a quo, Dei gratia, profiteri, poſſumus nos eſſe maximè alienos. (Heb.7.18.) Dicit Apoſtolus, prius mandatum fuiſſe inutile. Atqui ſacrificia habebant inſignes additas promiſſiones, quas certũ eſt minimè fuiſſe vanas aut inanes. An igitur blaſphemus in Legẽ Apoſtolus? Minimè, ſed ex aduerſariorũ hypotheſi loquitur, qui ceremonias ſeorſim conſiderabant, & Chriſto opponebant: quo reſpectu certum eſt res inanes fuiſſe. Nam promiſſiones in Chriſtũ reſpiciebant, in quo ſunt ETIAM & AMEN. Tolle hunc nucleum, quid præter inane & caſſum putamen ſupererit? Ita etiam cum Capernaitis agit Chriſtus. Nam illi Chriſtũ pro nudo & ſimplici homine habebant, & quæ dixerat ille de carnis eſu, ad externam & corporalem manducationem referebant, ad cuius verba propterea exhorreſcebant. Chriſtus igitur priore loco ex illorum hypotheſi, dicit carnẽ ſuam nihil prodeſſe, qualem illi videlicet imaginabantur, ſed Spiritum viuificare, id eſt à Diuina virtute carnem ſuam mutuari viuificum illum ſuccum à quo penderet mundi vita. Deinde refellit craſſam illorum opinionem de carnali & Cyclopico manducãdi modo, quũ inquit, *Verba mea Spiritus & vita ſunt*, id eſt ſpiritualiter accipiẽda ſunt, & de vita æterna. Hæc noſtra non eſt expoſitio, Heshuſi, ſed Auguſtini, quam vt maximè appoſitam recipimus. Tuũ autem illud CERTO CERTIVS vix ſano cuiquam, vt arbitror, perſuaſeris. Nam primùm omnium conſtat, quum carnis nomen pro corrupta natura accipitur, habere quidem Spiritũ pro antitheto, ſed alio ſenſu. Tum enim ſolet ſpiritus vocabulo nõ Spiritus ſanctus, ſed potius pars hominis regenerata, quæ alteri corruptæ opponitur, ſignificari. Exempla non affero, quoniam ſingulis penè paginis occurrunt. Eſſet autem abſurdum dicere, Spiritum viuificare in hoc ſenſu, quũ potius viuificari & viuere hoc reſpectu dicamur. Præterea quàm diluta & quàm frigida eſſet hæc ſententia, Corruptã hominis naturam non prodeſſe, quum potius dicendũ fuerit illã plurimũ nocere, & nos miſeros ad certũ exitium pertrahere? Sed demus verã eſſe iſtã interpretationem, an nõ ea cõtra te facit manifeſtè? H. Minimè, ſed contra vos potius. T. Quid audio? an etiam habes pro Capernaitis, qui nullam niſi ſpiritualem manducationem admittunt? H. Imò in eo eſtis Capernaitæ, quòd carnales & philoſophicas imaginationes affertis ad conciones Chriſti. Metuitis enim vitæ Chriſti, ne in fruſta diſcerpatur, audita reali & corporali mãducatione. T. Acutè profectò diſputas. Nam credibile eſt ſcilicet, Capernaitas illos fuiſſe in ſi-

gnes

gnes aliquot Philoſophos. Sed tu nimirum ſpiritualis es, qui nihil metuas ne Chriſtus lanietur. Vis enim illum non comedi, ſed vorari, ita vt dentibus non attingatur: quod myſterium craſſi illi philoſophi Capernaitæ ignorabant. Spiritualis, inquam, es, quoniã tibi places in contradictoriis ſententiis. Vis enim finitum eſſe corpus Chriſti, & tamen habere diuinæ naturæ idioma, vt ſit ſimul innumerabilibus locis, impleat omnia, ſit in loco, ſed non vt in loco. Nos verò minimè ſpiritualem eum eſſe arbitramur, qui naturæ humanæ proprietates tollit, Diuinæ confundit, & aſcenſionem Domini in cælum pro diſparitione habet. Deinde certo certius eſſe dicimus eum καπερναΐζειν, qui carnẽ Chriſti ore vult percipi, & intra corpus realiter & eſſentialiter tranſmitti, atque ideò qui carnem Chriſti à viuifica ipſius virtute ſeparat: ſicut te facere neceſſe eſt, quum ſpiritualem communicationem corporali opponis, in ſimplicis verbi prædicatione & Baptiſmu, & rurſus Corporalem à ſpirituali ſeparas, impiorum ad Cœnam indignè accedentium reſpectu. Hæc vbi oſtenderis ex tua doctrina non conſequi, tum ad noſtram hanc obiectionem aptè reſponderis.

HES. Tertia eſt hæc veſtra cauillatio. Omnium Sacramentorum natura & proprietas eſt, vt ſint ſigna & pignora teſtificantia aliquid, vnde σφραγῖδες à Paulo vocantur, & Sacramenti appellationem ſortiuntur. Ergo in Cœna non ipſum corpus, ſed tantùm ſymbolum abſentis corporis Chriſti exhibetur: quod argumentum dicimus eſſe ridiculum. T. Nempe quoniam à te ortum eſt, non à nobis. HES. Bona verba! non ſic argumentamini? TH. Imò tantum abeſt vt ita colligamus, vt è contrario non minus verè quãnis ſpiritualiter ipſum Chriſtum in Cœna offerri à Deo, & à fidelibus percipi dicamus, quàm ſacramenta corporaliter. Quorſum enim addita eſſet promiſſio, ſi à ſigno abeſſet veritas? & vbi Dei veritas, ſi panem tantùm & vinum præbet? Sed veſtro quidem modo corpus eſſe negamus in, vel ſub, vel cum pane, quoniam in cælis per fidem quærimus, videmus, apprehendimus, quod ſymbola verè nobis in terris teſtificantur. H. Sum igitur deceptus. TH. Hoc eſt quod metui, ne videlicet temerè reprehenderes quod non intelligis.

Tertia exceptio Heſhuſii aduerſus fictitium argumentum.

Defenſio.

HES. Quarta veſtra obiectio eſt eiuſmodi, Sacramenta noui Teſtamenti, Baptiſmus, & Cœna Domini, eandem habent rationem, ac prorſus inter ſe congruunt. TH Tolle hoc PRORSVS, tuum enim eſt. HES. Vt igitur in Baptiſmo aqua non dicitur Spiritus ſanctus, niſi per Metaphoram. TH. Potius dixerimus, vt in Baptiſmo aqua non dicitur ſanguis. HES. Ita nec panis Euchariſtiæ dici poteſt corpus Chriſti, niſi ἀλληγορικῶς vel μετωνυμικῶς. TH Tuas allegorias tibi quoque relinquimus. HES. Reſpondeo congruere Baptiſmum & Cœnam Domini in ſpirituali promiſſione. TH. Intelligo quid velis, nempe ſic appellas remiſſionem peccatorum, imputationem iuſtitiæ, & Spiritum ſanctificationis. HES. Ita eſt. TH. Sed in quo iſta conſequimur? HES. In vno Chriſto. TH. Noſtróne an alieno? HES. Hoc non intelligo. TH. Quæro an non oporteat in primis Chriſtum noſtrum fieri, vt ipſius beneficiis fruamur. Dico igitur nos non ablui niſi ſanguine Chriſti nobis communicato, nec ſanctificari, niſi in Chriſto, quem verè induerimus. Cauſas autem & teſtimonia huius ſententiæ tum ex Sacris literis, tum ex Patribus deprompta audire antea potuiſti ſi voluiſti. HES. Deinde congruere etiam dico quòd ad vſum & efficaciam. TH. Egregiè profectò. Nam quid aliud eſt vſus & efficacia, quàm illud ipſum quod paulò antè commemoraſti? eadem igitur inculcas. Præterea qui poteſt idem eſſe vſus & eadem efficacia vtriuſque ſacramenti, niſi primum congruant in ipſa re ſiue ſubſtantia ſacramenti? Atqui Chriſti hominis ſubſtantiam à Baptiſmo remoues. Itaque ſi verum eſt eundem eſſe vſum & efficaciam Baptiſmi & Cœnæ Domini, tua illa corporalis manducatio, quã tu hactenus voluiſti Cœnæ eſſe propriã, erit ſupervacanea, vel vtrique Sacramento cõmunis. H. Dicimus autem Baptiſmũ differre ceremonia. T. Magnũ quiddã narras ſcilicet, & adhuc incognitũ. H. Itẽ qđ attinet ad inſtitutionis verba. T. Alterũ ſcilicet arcanum profers. Sed nobis certè non minus eſt induere Chriſtum, quàm Chriſti corpus edere. H. Deinde Baptiſmus primus eſt ingreſſus in Eccleſiam. Cœna aũt Domini data eſt vt ea aſſiduè alamur. T. Rectius diceres, Chriſtũ nobis in Baptiſmo offerri vt lauacrũ, in Cœna verò vt cibum & potũ: quanquã & illud verũ eſt qđ de ingreſſu dixiſti, ſi modò ad externã declarationem referas. Nam ab vtero corã Deo ſancti ſunt fideliũ pueri, ex fœderis formula, ſed ea ſanctificatio per Baptiſmũ obſignatur. H Non aſſentior. T. Sed plus valet apud nos Apoſtoli authoritas quàm tua commenta. H. Hinc cõcludo vos ineptè argumẽtari à ſimilitudine Baptiſmi & Cœnæ Domi-

Quarta exceptio Heſhuſii aduerſus argumentum à collatione Baptiſmi & Cœnæ Domini deſumptum.

Defenſio.

ni. TH. At ego hinc concludo te ignorare prima rei ſacramentariæ rudimenta, & firmũ conſiſtere noſtrum argumentum, nõ quale tu finxiſti, ſed cuiuſmodi nos proponimus. Nempe, quum eadem ſit res vtriuſque Sacramenti, id eſt Chriſtus ipſe, panem non aliter eſſe corpus, & vinum non aliter eſſe ſanguinem, quàm aqua Baptiſmi eſt ſanguis: nec aliter panẽ eſſe communicationem corporis, & poculum communicationem ſanguinis, quàm Baptiſmus eſt regenerationis lauacrum.

[Quinta Heſhuſii exceptio a ſuſcitis argumentum à collatione ſimilium locorum ſumptis. Defenſio 1.] HES. Quinto loco profertis illas phraſes, *Circumciſio eſt fœdus, Agnus eſt tranſitus Domini, Petra erat Chriſtus*: quæ quum nequeant ſine tropi beneficio explicari, colligitis ſimili etiam tropo explicanda eſſe verba Chriſti, HOC EST CORPVS MEVM. TH. Quid tu verò reſpondes? H. Non facilè conceſſero eſſe tropum in iſtis: ſed tamẽ hoc vobis largior. H. Ergo niſi ſuccurreret Heſhuſii facilitas, actum erat de Chriſtianiſmo, ſiquidem Chriſtus propriè eſſet petra ſiue rupes. H. Verùm, vt hoc largiar, quis neſcit ex ſingularibus exemplis non ſtatim confici regulam vniuerſalem? T. Neque nos argumẽtum ita diſponimus vt tu confinxiſti. An non verò ita colligit Paulus, Abrahamus credidit & [Defenſio 2.] imputatum eſt ei ad iuſtitiam: Ergo non ex operibus, ſed ex fide eſt iuſtitia? H. Vbi ſic argumẽtatur Paulus? T. Initio capitis quarti epiſtolæ ad Romanos. Quid autem magis eſt ſingulare quàm vnius hominis exemplum? Inde tamen colligit Apoſtolus vniuerſalem regulam: ac meritò quidem, quoniam vna eſt adipiſcendæ ſalutis ratio: ex quo fit vt quod in vno valet, in omnibus quoque neceſſariò valeat. Tu igitur oſtende non vnam eſſe rationem iſtarum omnium enuntiationũ quæ de Sacramẽtis dicuntur, vel ſacramenta omnia in genere non conuenire. Deinde noſtram argumentationẽ deride: alioqui tu ipſe potius eris ridiculus.

HES. Quid ſi quis veſtro exemplo inferat, Ergo omnes articuli fidei τροπικῶς ſunt e- [Defenſio 3.] narrandi? TH. Nempe ſe prorſus ineptum oſtenderit, quoniam diſſimilium non eſt eadem ratio. H. Atqui dicitis, quoties communis verborum ſenſus eſt abſurdus, ad tropos eſſe recurrendum. Quid verò abſurdius eſt humanæ rationi multis fidei noſtræ capiti- [Defenſio 4.] bus? TH. Aliquid dicis, ſed non omnia. Simul enim addimus quod tu prætermittis, non eſſe videlicet habendum pro abſurdo quicquid humanis ſenſibus repugnat, ſed quicquid non eſt orthodoxæ fidei ἀνάλογον: ſiue abſurditatis regulam non eſſe humanum iudicium, ſed Dei verbum. Et hæc cauſa eſt cur in Cœnæ verbis τὸ ῥητὸν non retineamus, quoniam ſententia quæ inde reſultat, veri corporis modum perimit, & aſcenſioni carnis in cœlos ex diametro repugnat. Præterea ſimiles locos proferimus, ex quorum collatione liqueat vſitatum eſſe, quum de ſacramentis agitur, rei nomen ad ſignum transfer- [Defenſio 5.] re. H. Plerunque apparet ex ſerie orationis, vbi tropis ſit locus. T. Hoc non eſt perpetuũ, ſed hìc ſanè valeat. Quid igitur in tota illa Cœnę inſtitutione apparet, vnde ſtabiliri poſſit illa veſtra manducatio? Nam certè flagitium eſt, vt rectè inquit Auguſtinus, humanã carnem vorare, & humanum ſanguinem potare, viuum denique hominẽ reipſa in corpus traiicere, ſiue viſibili, ſiue inuiſibili modo id facias: neque vnquam excidit verbum Chriſto vnde quippiam eiuſmodi colligerent Apoſtoli.

HES. Imò Chriſtus ipſe ſubiungit manifeſtam declarationem ad tropi refutationem, quum inquit, QVOD PRO VOBIS TRADITVR. Nam redemptionis beneficium [Defenſio 6.] non poteſt tribui niſi vero & viuo corpori, non ſymbolico. TH. Quorſum hoc, obſecro? Aſſerimus enim veri illius corporis & veri ſanguinis κοινωνίαν, & tropum conſtituimus in ipſa enuntiatione, ſiue prædicati attributione. Itaque quum hoc nobis obiicis, nihil aliud quàm nugaris. HES. Nullo etiam modo concedit noui Teſtamenti [Defenſio 7.] appellatio, vt in verbis Cœnæ tropus fingatur. TH. Iterum ad eundem lapidem impingis. Non eſt tropus, Heſhuſi, in ipſo nomine noui Teſtamenti, ſed in eo quòd calix dicitur eſſe nouum Teſtamentum: in qua locutione ſi tropum nullum agnoſcis, certè neceſſe eſt ſentias non tantùm ſanguinem, ſed ipſum etiam nouum Teſtamentum potari. Quòd ſi ne in eo quidem tropum agnoſcis quòd calix ponitur pro eo quod calice continetur, nempe vitreum aut argenteum Teſtamentum nobis ſtatim procudens. HES. Facit etiam iniuriam veſter iſte tropus huic Pauli dicto, *Panis eſt communicatio* [Defenſio 8.] *corporis Chriſti*. TH. Imò cui CORPVS & CORPORIS COMMVNICATIO, vnum & idẽ ſunt, dignus eſt profectò qui fœno paſcatur potius quàm pane. Sin verò hæc ſunt diuerſa, ſicut omnino neceſſe eſt id quod datur ab ipſa rei datione diſtingui, tu videris quomodo quod propriè eſt corpus, propriè ſit quoque corporis cõmunicatio. Neque enim potes ad diuerſos reſpectus confugere, quũ de vno & eodẽ corpore accipienda

da ſint & Chriſti & Pauli verba. Sed iterum in eo es hallucinatus, quòd putas tropum
à nobis in ipſo Corporis verbo conſtitui. HES. Ideo ſunt inuenti tropi, vt ſignifican- Defenſio 9.
tius rem explicent, & orationi plus luminis afferant. TH. Si ita eſt, cur ſublato tropo lu-
men conuertitis in tenebras? HES. Imò quum agat Chriſtus de ſuo corpore, non de pa-
nis communis natura, potius tribuiſſet Panis nomen ſuo corpori, ſicut alibi fecit, ſi ſuũ
illud dictum tropi lumine illuſtrare voluiſſet. TH. Tropum fateris eſſe orationis lumen,
interea tamen plerique tuæ factionis adeò id negant, vt hoc præcipuè argumento nos
oppugnẽt, quòd veriſimile ſit Chriſtum extremo illo tempore nullis figuris vel amba-
gibus vti voluiſſe. Quod autem de inuerſo tropo nugaris, quaſi potius Panis nomen tri- Defenſio 10.
buendum fuerit corpori, ſua ſponte concidit. Certũ enim eſt Chriſtum illo loco voluiſ-
ſe Sacramenti vim & naturam explicare, ideóque illi attribuiſſe rei ſignificatę nomen;
vt intelligeremus tam verè offerri nobis quod ſignificatur, vt ſymbola quodammodo
in res ipſas tranſire videantur. Vos autẽ quo iure συνεκδοχικῶς explicatis Chriſti verba, ſi Defenſio 11.
nullus hic tropis locus relinquitur? H. Ego verò Synecdochen illã non agnoſco. TH. Sic
alter es Iſmael: Manus enim tuæ contra omnes, & manus omnium contra te. Sed vbi
interea ſummus ille conſenſus quem plenis buccis iactabas? Atqui ſiue authoritatem Defenſio 12.
ſiue eruditionem ſpectes, nullo modo cum illis conferendus es quorum Synecdochen
reprehendis. HES. Dico inuſitatum eſſe prædicandi modum contra omnes Dialecti-
corum & Rhetorum regulas. Sic dicimus, Deus eſt homo: Verbũ caro factum eſt. TH.
Naturæ videlicet aſſumptione. Non igitur enuntiatio, ſed naturarum coniunctio eſt
præter naturæ regulas. Licuit enim ex Dialecticorum regulis de Minotauro dicere,
Hic homo eſt taurus. HES. Vah, réſne tam ſacras cum tam prophanis comparari? TH.
Abſit verò vt res ipſas inter ſe comparem, ſed de modo attributionis agitur. HES. Sic
etiam dicimus, Trinitas eſt vnitas, &, Vnitas eſt Trinitas. TH. Vario tamen reſpectu. I-
taque totum hoc quod profers nihil ad rhõbum. Neque enim tres deos, ſed tres perſo-
nas dicimus vnum eſſe Deum: quo fit vt nulla ſit in hac ſententia contradictio, qualem
Seruetiſtæ imaginantur. HES. Sic ſaltem mihi concedes Columbam viſam à Iohanne Defenſio 13.
Baptiſta fuiſſe Spiritum ſanctum. TH. Imò non hoc tantùm tibi concedam, ſed etiam
ſimili ratione Petram fuiſſe Chriſtum, Agnum fuiſſe tranſitum, Circuncisionem fuiſ-
ſe fœdus, & eiuſmodi quæ paſſim occurrunt. Iſtas autem phraſes dico non modò non
eſſe inuſitatas, ſed etiam prophanis ſcriptoribus in re non penitus diſſimili minimè i-
gnotas. Sic enim Homerus ὅρκια vocauit victimas quibus ſanciebantur fœdera Sic La- Iliad. 4.
tinis Dextra pro fide accipitur, quòd in promiſſionibus iungantur dextræ. HES. Iterum
ſacra miſces prophanis. TH. Iterum inculco, res ipſas à me non comparari, ſed oſtendi
phraſes eſſe peruulgatas, quas tu ipſe monſtroſo & inuſitato modo interpretaris. Con-
ſtat autem Chriſtum in maximis etiam explicandis myſteriis ſermonem ſuum ad vul-
gi captum ſæpe accomodaſſe. Non ſunt igitur perturbatæ Dialecticorum regulæ, vt
tu putas, in iſtis enunciationum formis, quanuis res ipſæ quæ talibus enunciationibus
declarantur, omnem humanum ſenſum exuperent: ſed caue ne tu potius omnem ſen-
ſum exueris.

HES. Sextò, obiicitis ex noſtra doctrina conſequi impios etiam manducare corpus Sexta exceptio Heshuſii, contra argumentum à cõſequenti.
Domini, quod ſit abſurdum & nefarium cogitare, quoniam hac ratione Spiritus Chri-
ſti ab ipſius corpore ſeparetur. Nos verò vltrò fatemur impios manducare corpus Do-
mini, & nefarium cenſemus aliter arbitrari. TH. Vt paralogiſmo occurramus, ſi corpus Defenſio 1.
Domini appellas quod eſt corporis ſacramẽtum, aſſentimur corpus Domini à quibuſ-
uis accedentibus ſumi, à fidelibus quidem ad vitam, ab Infidelibus verò ad iudiciũ. Sin
autem per corpus Domini intelligis rem ſacramenti, dicimus cum Auguſtino non ſu-
mi Chriſtum ab eo in quo Chriſtus non manet.

HES. Affirmat Apoſtolus eum qui indignè veſcatur hoc pane reum fieri corporis Defenſio 2.
Chriſti. TH. Fateor. HES. Neceſſe eſt igitur eum non tantùm ſumere panem. TH. Vbi
didiciſti hanc conſecutionẽ? HES. Ratio conſecutionis eſt manifeſta. Nam certè contẽ-
ptus panis non faceret hominem corporis Chriſti reum. TH. Quaſi verò panis iſte ſit
communis, ac non potius corporis ſacramentum, cuius ſpreti iniuria in rem ipſam re-
dundat. Neque enim ſperni poteſt ſacramentum, quin res ipſa, cuius vnius cauſa præ-
betur ſacramentum, in eo contemnatur.

HES. Iam verò quod dicitis de ſeparatione Spiritus à corpore, futile eſt commen- Defenſio 3.
tum. Nam varii ſunt modi præſentiæ Dei & Spiritus ſancti: TH. Quorſum hoc?

Nam de Chriſti Spiritu, id eſt, ſpirituali carnis ipſius vi & efficacia loquimur, quam dicimus neceſſariò comitari illius carnem. Etſi autē vis iſta Diuina eſt, nec Filiū à Patre aut Spiritu ſancto ſecūdùm eſſentiā Diuinā ſeparamus, tamen Chriſtū mediatorē neceſſe eſt vt diſtinctè & ſigillatim in hoc myſterio amplexemur. Itaque Deus alicubi eſſe poteſt, vbi tamē non operetur vt redemptor. in quo verò eſt Chriſtus, in eo quoque ſit vita neceſſe eſt, ſicut ipſe teſtatur capite Ioan. 6. Hinc illa Auguſtini verba, rem ſacramenti à nullo ſumi poſſe ad exitium, & carnem Chriſti non manducare qui membra Chriſti nō ſunt. Idcirco etiam Hieronymus negat hæreticos carnē Chriſti māducare. H. Concedo Spiritum Chriſti non eſſe in impiis, quo ad ſanctificationem & viuificationem, ſed tantùm ad iudiciū & condemnationē. Chriſtus enim non eſt tantùm Redēptor, ſed etiā Iudex. T. Sanè Iudex eſt, fateor. Sed hoc oſtende ex Scripturis, Chriſti fieri participes quos ipſe iudicat. Volue & reuolue omnia, nuſquā hoc inuenies. Sed hoc quidem tibi paſſim occurret, Chriſtum, ſicut viuificat omnes eos à quibus apprehenditur, id eſt omnes fideles, ita illis omnibus afferre grauius iudicium à quibus per diffidentiam repellitur. H. Paulus inquit, *Euangelium eſt potentia Dei ad ſalutem omni credenti.*

Defenſio. 4.

An igitur hinc colliget aliquis, Ergo in iis qui non ſeruantur, non eſt Euangelium? TH. Agnoſco quid tibi velis. Extant enim virulentæ annotationes, quas in Philippi iudiciū de tua eiectione ſcripſiſti, in quibus etiā illud auſus es comminiſci, nos videlicet ita argumentari, Qui indignè veſcitur hoc pane, fit reus corporis Chriſti: ergo corpus Chriſti non adeſt cum pane. Atqui, non in noſtro, ſed in tuo cerebro naſcuntur iſtæ argumentationum formæ. H. Paulus inquit idem verbum & Euangelium aliis eſſe odorem

Defenſio 5.

vitæ ad vitam, aliis odorem mortis in mortē. Sic corpus & Spiritus Chriſti in electis ſalutem operatur: in iis qui indignè manducant, iudiciū exercet. TH. Quaſi verò eundem Chriſtum & eadem ſacramenta non fateamur quibuſuis offerri. ſed de hoc quæritur, an à quibuſuis ſumatur. Sicut ergo Euangelium eſt ſemper Euangelium in ſeſe, & quidem ſalutiferum, ſed eos tantùm ſeruat à quibus per fidem recipitur, reliquis autem cedit exitio, à quibus reiicitur: ſic quoque verbi & ſacramentorū materiam, id eſt in Chriſtum Deū & hominem quibuſuis offerri, & ſemper quidē in ſeſe viuificum eſſe profitemur, ſed ſicut in iis omnib' à quibus apprehenditur vim ſuā exerit, ita etiā impiorum à quibus cōtēnitur, vitio ac culpa fieri dicimus, vt qđ in ſeſe vitā habet, illis cedat in mortē. Mors autē iſta non à Chriſto, ſed ab impiorum diffidētia promanat. Itaq; Chriſtum in eo quoq; afficis inſigni contumelia, quòd ex eius carne indignè participata mortem promanare arbitraris, quum caro Chriſti nihil præter vitam poſſit ex ſeſe ſpirare.

Septima Heſhuſii exceptio aduerſus aliud argumentum itidem à conſequenti ductum. Defenſio.

HES. Septimo loco cauillamini, Si corpus in pane, ſanguis in calice exhibetur, neceſſariò ſequi corpus à ſanguine eſſe diuulſum, quum panis & calix locorum etiam ſpatiis ſint ſeiuncta. TH. Hoc verò affirmamus neceſſariò ſequi. Tu contrarium oſtende, ſi potes. HES. At nos nihil moramur prophanorum hominum Epicureas cogitationes. TH. Nempe quoniam non habes quod reſpondeas, ad cōuitia progrederis. Sed agè, an qui ſponte patriam, amicos, honores Chriſto poſthabuerunt: qui, Heſhuſio ſtipēdia ſua numerante & extra telorum iactum poſito, vitam non dubitant quotidie pro Dei veritate exponere: qui & voce & ſcriptis teſtantur quibus in laboribus vitā omnem conſumant: quibus, Dei gratia, nihil Chriſtiana pietate indignum meritò potes obiicere, an ii digni ſunt quos vt Epicureos & prophanos inceſſas? Cogis enim nos inſipientes eſſe. Quid autē ad nos attinent abſurditates iſtæ quas colligi dicis contra mortuorum corporum reſurrectionem? An ſumus Sadducæi? an ita viuimus vt qui reſurrectionem non ſperant? an homines in porcos trāsformamus? Túne vllam nobis laſciuiam aut intemperantiam meritò obiicies? Quid verò? Quorſum ad nos quæ myſterio de duabus Chriſti naturis opponi ſcribis? Quid ad nos curioſæ quæſtiones de Adami lapſu? An tu is es, Heſhuſi, qui Chriſti perſonam aduerſus Serueti blaſphemias aſſeruit? An verò potiùs, ſtertente clariſſimo & religioſiſſimo Doctore Heſhuſio cum tota ſua cohorte, id ille præſtitit quem tu etiam ſi in aliquo errore verſaretur, quo tamen ſpiritu oppugnes res ipſa declarat? An tu doctrinam de æterna Dei prouidentia aduerſus Libertinorum inſaniam, aduerſus Pighii latratus, aduerſus Siculi deliria defendiſti, aut etiam defendere potuiſti? Et te non pudebit Epicureiſmum nobis obiicere? An verò quoniam nulla alia in re ſibi quàm in abſurditatibus placet Heſhuſius, nec quicquam habet ſolidi quo inaniſſimum & vaniſſimum ſuum commentum de corporis Chriſti inuiſibilitate, impanatione, corporali manducatione tueatur, idcirco efficitur nos Epicureos

reos & prophanos homines eſſe? Sed de his plus ſatis. An acquieſcamus in Dei verbo, vel inanes argutias captemus, non recuſamus quin ex noſtris ſcriptis & dictis iudicet Eccleſia. Sed hoc prætextu pro veritate Dei amplecti quicquid eſt abſurdum & monſtroſum, nec velle verbi Dei interpretationes ad fidei analogiam reuocare, Heshuſiani cerebri potius quam Chriſtiani hominis eſſe arbitramur.

HES. Nobis etiam obiicitis ἀρτολατρείαν. TH. Si nec panem adoratis, nec Chriſtum in pane, cur pleriſque locis permittitis panem attolli? Cur hiſtrionicum illum habitum retinuiſtis? quorſum etiam illæ geniculationes? HES. Damnas igitur Saxunicas Eccleſias. TH. Bona verba Heshuſi, non ſumus tui ſimiles. Optamus & illas & noſtras Eccleſias quotidie à veteribus ſordibus repurgari, nec dubitamus quin iſtæ veluti fæces quæ in extremo dolio adhuc hærent optimis quibuſque fœteant, etiam ſi tibi & tui ſimilibus non minus ſapiãt quàm immania illa Chriſti crucifixi idola, quæ paſſim adhuc in pleriſque non tantùm templis, vrbibus & pagis, ſed etiã agris proſtant. H. Memoriæ videlicet cauſâ, non adorationis. TH. Atqui ſapientior eſt Deus, qui vllas imagines religionis cauſâ fieri tam expreſſè prohibuit, nec ſaxeis prædicatoribus egẽt Chriſtiani. Præterea triſtis euentus ſatis ſupérque docuit tam procliuem eſſe hominũ lapſum ad idololatriam, vt nulla alia ratione quàm ſublatis & euerſis prorſus idolis poſſit euitari. Nos certè nunquam pœnitebit in Chriſtum à Paulo potius depictum quàm ab vllis ſtatuariis ſculptum intueri. Quòd ſi requiritur purioris Eccleſiæ conſuetudo, rectè feciſſe Epiphanium exiſtimamus, & ſatis indicaſſe quis tunc eſſet mos ſanctorum Epiſcoporũ, quum velum illud laceraret in quo (inquit ipſe) depicta erat Chriſti vel alterius hominis imago, quoniam nefas eſt in Chriſtianorum templis quicquam huiuſmodi intueri. Sed ad rem redeo. Dico, Heshuſi, ſi tua opinio recipienda eſt, oportere Chriſtum vel in, vel ſub, vel cum ſacro pane & vino adorari, quum ibi ſeſe (ſi tibi creditur) realiter & eſſentialiter religionis cauſâ ſiſtat. HES. Expedita ſolutio eſt, Chriſtum hypoſtatica vnione pani non vniri, ac proinde non eſſe adorandum panem. TH. Sed non conſequitur non eſſe adorandum in pane. Nam alioqui veteres illi Deum in variis propoſitis figuris, nec in templo & Propitiatorio adoraſſent. HES. Cur non igitur ligna, lapides, plantas denique inuocaremus, in quibus verè eſt eſſentia Dei? Cur non ſaltem ſanctos homines inuocaremus, qui ſunt Dei templa? Cur non denique Baptiſmi aquam & ſonum Miniſtri ſonantis puram Euangelii doctrinam adoraremus? TH. Quoniam Dei eſſentia non eſt in creaturis omnibus vt in iis colatur, ſed vt ex iis quis ſit colẽdus intelligatur. Neq; enim in ſanctis hominibus vult Deus adorari, ſed cognoſci & audiri. Quod autẽ attinet ad aquam Baptiſmi, manifeſtũ eſt diſcrimen, ſi tibi credimus. Neque enim exiſtimas Chriſti ſubſtantiam, ſed duntaxat efficaciam in Baptiſmo offerri & percipi. Nos autem, etſi Chriſtum non minus nec aliter in Baptiſmo quàm in Cœna nobis per fidem communicari dicimus, tamen ab omni ſignorũ adoratione abſtinemus, quoniã cum illis Chriſtum eſſentialiter, ita vt vos, non coniungimus. Ac conſtat quidem ex Auguſtino conſueuiſſe illis temporibus fideles Chriſtum in myſteriis adorare, ſed poſtquam diſertè ac clatis verbis admoniti erant vt mentem non in ſymbola, quaſi vel in, vel ſub, vel cum illis eſſet quærendus Chriſtus, ſed in cælos tollerent, vbi videlicet per fidem ſumerent quod ſymbola in terris teſtificãtur. Nos verò ſuperiorum ſeculorum triſtiſſimis exemplis admoniti, etſi cum omni reuerentia ad ſacram menſam accedimus, tamẽ ab omni externa adoratione ſatius eſſe putamus abſtinere. Ita vides nos nullis frigidis cauillationibus vti, quos tu Sacramentarios vocas, ſed iis argumentis pugnare quæ nullo modo poſſis refellere, quoniam inuicta manet Dei veritas.

Octaua exceptio Heshuſii, in qua diſſeritur de panis adoratione.

Sed agè, nihilne aliud profers? HES. Hæc ſunt profectò præcipua veſtra argumenta, in quibus omnem victoriæ ſpem ponitis, quæ tamen vides quãta perſpicuitate refutarim atque proſtrauerim. TH. Quandoquidem igitur viciſti, ſupereſt vt epiniciũ canas. HES. Ideo in extremo libro meo copioſè & elegãter quatuor inſignes ac præcipuos vſus Cœnæ explicaui. TH. Legi quæ tu in extremo tuo libello ſcripſiſti. H. De his verò quid tibi videtur? TH. Idem quod de noſtrorum hominum ſcriptis, ex quibus omnia penè ad verbum deſcripſiſti. HES. Egóne? TH. Tu inquam. Quid enim à te potuit de his myſteriis aut verè aut ornatè dici quod ex noſtrorum atque adeò ex eius ipſius fontibus non hauſeris quem tu impugnas? Hæc quoque cauſa eſt cur in hac extrema libelli tui parte vix vllam facias corporalis tuæ manducationis mentionem. Sed illud planè tuum eſt, quòd ſcribis ſacramenta conferre remiſſionem peccatorum & Spiritum Sanctum.

HES. Quid ergo? an hoc audetis negare? TH. Non negamus Deum his inſtrumentis vti ad fouendam in nobis fidem, & promiſſiones ſuas in animis noſtris obſignandas: ſed quod vnius eſt Spiritus ſancti opus, abſit vt ſacramentis tribuamus, niſi fortaſſe pluris facias ſacramenta quàm ipſos fideles ſacramentorum adminiſtros. Atqui non potes illud Pauli ignorare, *Nihil eſt neque qui rigat, neque qui plantat. ſed is demum qui dat incrementum, nempe Deus.* HES. Faueris igitur Enthuſiaſtis, Stencfeldianis, Anabaptiſtis, qui Deum quærunt extra verbum & ſacramenta. TH. Falſa eſt iſta conſecutio. Aliud enim eſt ſpiritualiter virtutem, quæ Dei propria eſt, ab externis inſtrumẽtis per quæ agit diſtinguere, quàm ſeparare. HES. Maneo tamen in ſententia. TH. Iudicet igitur Dominus inter te & nos.

1.Cor.3.

TH. B.

Abſterſio calumniarum, quibus

ASPERSA EST ECCLESIA

Geneuenſis à Tilemanno Heſhuſio.

SVPERIORIBVS annis Ioachimus VVeſphalus ſacramentariam tragœdiam renouans, veritus, opinor, ne non ſatis ad hoc incendiũ materiæ in illo vno argumento inueniret, nonnulla etiam alia excogitauit quæ non tam Caluino quàm noſtris Eccleſiis obiiceret: Ita etiam hoc anno quidam Tilemannus Heshuſius Heidelberga propter turbulentũ ingenium, ſicut & aliis antea multis locis, eiectus, vt ex aliorum inſectatione pietatis & zeli famã apud eos obtineret ad quos vnos ſibi neceſſariò confugiendum videbat, primùm quidem volumen ſcripſit de præſentia corporis Domini, cui nos ſeorſim reſpondimus: deinde verò aliquot pagellas conſcripſit, in quibus libenter imperitis hominibus perſuaderet, neminem hodie viuere Ioanne Caluino peſtilentiorem, vt ſimili poſtea damnatione omnes à ſe diſſentientes per tot regiones Eccleſias inuoluat. Cæterùm triſte & horrẽdum eſt auditu, inueniri poſſe in medio Eccleſiæ ſinu, qui non modò non faueant verè piorum & doctorum hominum laboribus, ſed etiam, quantum in ſe eſt, ad illos impediendos & interturbandos infeſtiores ſeſe & audaciores iis ipſis oſtendant qui apertũ bellum religioni indixerunt. Non ignotum eſt tamen quid furioſa hæc ingenia prætexant: graſſari videlicet lupos in ipſis Eccleſiæ viſceribus, & plerunque ab iis opprimi veritatem qui ad illam defendendam maximè videbantur inſtructi. Addunt etiam non eſſe pendendum ab hominum authoritate, ſed audiendum eſſe vnicum Dei verbum. Hæc quidem illi verè: ſed quũ ad hypotheſin ventum eſt, tum demùm ſeſe illorum ingenium prodit. Quinam enim ſunt illi lupi? nempe quæcunque noſtra memoria Dominus excellentiſſima gloriæ ſuæ organa eſſe voluit, in quorum vita & moribus ne aduerſarii quidem ipſi quicquam reprehenſione dignum inuenire vnquam potuerũt. Ad illorum autem eruditionem quod ſpectat, talis eſt eius ſplendor, vt ipſos etiam nominis Dei hoſtes in admirationẽ rapiat. Supereſt doctrinæ genus, quod iſti reprehendunt tanquam falſum & impium: ſed quo iure hoc faciant, nulla ex re melius quàm ex ipſorum accuſationibus iniquiſſimis apparet. An verè hoc dicam non recuſo quin ex iſtius Heshuſii ſycophantiis, & noſtris item reſponſis iudicium fiat. Etſi enim iſte eiuſmodi eſt vt contemni meritò potuerit atque etiam debuerit ab hominibus, præſertim in

melio-

melioribus ſtudiis occupatis, tamen vt monſtroſæ huius impudentiæ ſingulare hoc exemplum extet, volui has quoque ipſius calumnias patefacere, & manifeſtis teſtimoniis refellere.

Ad primam calumniam, in qua tractatur de Prouidentia Dei.

Arguit nos Heshuſius triplicis impietatis in primo errore quem nobis tribuit. Dicit enim nos impiè docere de fato. Deinde, Deum à nobis conſtitui peccati cauſam. Tertiò, clamitat nos reddere incertam Dei voluntatem. Ego ſigillatim ad iſta reſpondebo, vt omnibus conſtet de iſtius Cenſoris integritate.

Ad primum igitur reſpondeo, oportuiſſe tam ſeuerum veritatis aſſertorem paulò ſaltem apertius quid Fati nomine intelligat, explicare, vt noſtra hæc impietas ab omnibus poſſet intelligi. Sed ſuſpicor tamen quid ſibi velit. Legit in Philippi libris quædam pro Contingentia contra fatalem neceſſitatem diſputata. Hæc igitur arbitratus eſt aduerſum nos dici, quòd omnia à Deo decerni, ac proinde ex eius ordinatione neceſſariò euenire ſtatuamus. Sic enim cõſueuerunt temerè concludere homines qui ad diſputandum nihil præter malam mentem & inſcitiam afferunt.

Res autem ita ſe habet. Si quid euenit aliter quàm Deus decreuerit, omnipotẽs non eſt, vtpote cuius irrita ſint aliqua decreta. Nã ſi excipias poſſe quidẽ eũ, ſed nolle interdũ impedire quin aliqua fiãt cõtrà quàm cõſtituerat, aliud nõ minus abſurdũ cõſequetur: nẽpe Dei voluntatẽ eſſe mutabilẽ, vt qui hodie volẽs permittat reſcindi quod antea volens decreuerat vt fieret. Quòd ſi rurſus excipias, multa à Deo decerni cũ cõditione, à cuius euentu pendeat ipſius decretorũ exitus: reſpondeo, non poſſe ex ſecundarũ cauſarũ contingentia ſuſpendi Diuinorũ decretorũ veritatẽ quin Deus Diuinitate ſua ſpolietur, ac proinde non minus fixũ & ratum conditionis quàm ipſarũ rerũ euentũ eſſe oportere. Nam alioqui, vt eleganter inquit Auguſtinus, iudicium non eſſet penes figulũ, ſed penes lutum. Sin verò quippiã vel tantillum accidat, abſque eo vt interuenerit Dei decretum, totidem deos cõſtituamus oportet quot exiſtẽt eiuſmodi cauſæ προκαταρκτικαί. Nam qui à nullo ſuperiore motore regitur, neceſſariò Deus eſt, quũ nihil eo ſit ſuperius. Deinde quàm propè abeſt ab Epicureiſmo, qui fieri quicquam poſſe exiſtimat Deo vel inuito, vel ignorante, vel non curante? Hæc autẽ ſi impia ſunt, vt ſunt profectò, efficitur non omnia tantùm, ſed etiam ſingula ex Dei decreto fieri & euenire: & quidẽ eiuſmodi decreto, vt falli nulla ratione poſſit. Quid autẽ nonnullos impulit vt cõtra iſta diſputarent? Nempe quòd ita videretur neceſſitas quædã ſtatui, quæ omnes deliberationes & προαιρέσεις euerteret, ac præterea etiã Deus fieri omniũ malorũ author.

Ego verò primùm reſpondeo, nõ ſatis mihi videri prudentes, qui vt vnũ præcipitium vitent, in alia plurima ſponte ſe proiiciant. Oſtendimus autẽ paulò antè, poſitis iis quæ noſtræ ſententiæ contraria ſunt, neceſſariò cõſequi Deũ nec omnipotentẽ eſſe, nec ſui ſemper ſimilẽ, nec vnicũ ſingulorũ gubernatorem. Deinde nego ex iis quæ affirmaui, quicquã eorũ conſequi quæ nonnullos perturbant: idque ſpero me non admodũ difficulter omnibus non contentioſis probaturum. Nam quod ad illam neceſſitatẽ attinet, (dicam autem poſtea de peccatorũ cauſa) qui Dei decretũ dicit falli non poſſe, non mutat tamẽ cauſarũ naturã per quas Deus conſiliũ ſuũ exequitur. Sunt autẽ inter illas cauſas quædã etiã cõtingẽtes, ex quibus etſi neceſſe eſt euenire quod Deus decreuit, quoniam irritũ eſſe Dei decretum non poteſt, tamen non cõſequitur quin illæ, vt ipſarum fert natura, contingenter agant, vel non agant. Id verò cuiuſmodi ſit, ex his exemplis facile fuerit intelligere. Chriſtus, ſi Patris decretum ſpectes, neceſſariò mortuus eſt, quũ veniſſet ipſius hora: ſin autem habeamus rationẽ naturalis eius temperamenti, fuit proculdubio ita conſtituto corpore vt diu, ac fortaſſis etiam ſemper poſſet eſſe ſuperſtes. Iudas, ſi Dei decretum conſideremus, eo ipſo momẽto Dominum neceſſariò prodidit. Herodes quoque & Pilatus tum neceſſariò Chriſtum cõdemnarunt: ſicut inquiunt Apoſtoli, illos conueniſſe vt peragerent quæcunque manus & cõſilium Domini antè determinarat vt fierent. Neceſſariò igitur mortuus eſt Chriſtus ſi Patris æternum decre- Act. 4.28.
tum ſpectes, & tamen contingenter eſt mortuus, quod attinet ad naturale ipſius temperamentum, & Iudæ, Phariſæorum, Herodis, & Pilati prauam voluntatẽ. Voluntas enim hominis etſi ante regenerationem neceſſariò peccat, quoniam eſt prorſus deprauata, & in eam partem, ſiue ſciens, ſiue ignorans, ſemper prolabitur quæ Dei decreto reſpondet: tamẽ propterea non deſinit ſponte, voluntariè, ac proinde cõtingenter velle quod vult: vnde fit vt qui peccant, ſemper ſint in culpa. Nam inter coactionem & neceſſitatẽ

plurimũ intereſt:quod qui non cõſiderant, ex iſtis labyrinthis ſeſe explicare nullo modo poſſunt. Itaque, vt ad rem redeam, neceſſitas euentus decretorum Dei, cauſarũ mediarum naturam nullo modo immutat, ideóque plurimum differt à Stoicorum furoribus. Nam illi pro Dei decreto ſuam *εἱμαρμένην*, id eſt ipſatum cauſarum mediarũ connexionem ponebant, quas omnes neceſſarias eſſe volebant, adeò vt ipſum quoque Deũ vel inuitum illis cãcellis includerent. Nos verò neque aliud Fatum imaginamur quam æternam Dei voluntatem: neque Deum vllis ſecundis cauſis adſtringimus, vt qui illis non ex neceſſitate, ſed prout & quomodo illi libet vtatur: nec ſecundas omnes cauſas dicimus *δυνάμει* & in ſeſe eſſe neceſſarias, ſed duntaxat quod ad exitus & euentus rerũ attinet, quos quidem fixos & certos eſſe oporteat, quum Deus falli non poſſit. Sed hic mihi videor audire Heſhuſium grauem illum cenſorem ex terræ ſinu prodeũtem, hæc tamen omnia vt terreſtria & philoſophica deridentem. Audiat igitur Augustinum, vt illum quoque hæreſeos & impietatis condemnet.

Auguſtinus libro ſexto in Geneſin ad literã cap. 15, & 18, *Dei voluntas eſt rerũ neceſſitas.* Et iterũ, *Sic cauſas inferiores cõdidit Deus, vt ex illis eſſe illud cuius cauſæ ſunt, poſſit, ſed non neceſſe ſit: altiores autem & remotas ſic in ſe abſconderit, vt ex iis eſſe neceſſe ſit, quod ex illis fecit, vt eſſe poſſit.* Hac aũt neceſſitate nõ impediri ſpõtaneũ volũtatis motũ ſic docet idem Auguſt. *Omnia*, inquit, *fato fieri nõ dicimus, imò nulla fieri fato dicimus: quoniã Fati nomẽ vbi ſolet à loquẽtibus poni, id eſt in cõſtitutione ſyderũ, qua quiſq; conceptus aut natus eſt, quoniã res ipſa inaniter aſſeritur, nihil valere demõſtramus. Ordinẽ autẽ cauſarũ vbi voluntas Dei plurimũ poteſt, neque negamus, neq; Fati vocabulo nũcupamus, niſi fortè vt Fatũ à Fãdo dictũ intelligamus, id eſt à loquẽdo. Nõ enim abnuere poſſumus eſſe ſcriptũ literis Sanctis, Semel loquutus eſt Deus. Quod enim dictũ eſt, Semel loquutus eſt, intelligitur immobiliter, hoc eſt, incõmutabiliter eſt loquutus, ſic vt nouit incõmutabiliter oĩa quæ futura ſunt, & quæ facturus eſt. Hac itaque ratione poſſemus à Fando Fatũ appellare, niſi hoc nomẽ iã in alia re ſoleret intelligi, quò corda hominũ nolumus inclinari. Nõ eſt aũt conſequẽs, vt ſi Deo certus eſt oĩm ordo cauſarũ, ideo nihil ſit in noſtræ volũtatis arbitrio. Et ipſæ quippe noſtræ volũtates in cauſarũ ordine ſunt, qui certus eſt Deo, eiuſq; præſcientia continetur, quoniã & humanæ voluntates humanorũ operũ cauſæ ſunt.* Itẽ eodẽ loco, *Et voluntates noſtræ tãtum valẽt quantũ eas Deus valere voluit, ac præſciuit, & ideo quicquid valẽt certiſſimè valẽt: & quod facturæ ſunt, ipſæ oĩno facturæ ſunt, quia valituras ac facturas ille præſciuit cuius præſcientia falli non poteſt.* Et iterũ, *Si definitur illa eſſe neceſſitas, ſecundùm quã dicimus neceſſe eſſe vt ita ſit aliquid, vel ita fiat, neſcio cur eã timeamus, ne nobis libertatẽ auferat voluntatis.* Sed & ipſum Caluinum audiat, velit nolit, Heſhuſius, vt quàm merito nobis Fati nomen obtrudat, omnes intelligant.

Caluinus lib. Inſtit. 1. cap. 16. ſect. 8, *Qui huic doctrinæ inuidiã facere volunt, calumniãtur eſſe dogma Stoicorũ de Fato: quod & Auguſtino exprobratũ aliquãdo fuit. Nos etſi de verbis inuiti litigamus, Fati tamẽ vocabulum non recipimus: tum quia eſt ex eorũ genere quorũ profanas nouitates refugere nos Paulus docet, tum quia eius odio conantur grauare Dei veritatẽ. Dogma vero ipſum falsò ac malitioſe nobis obiectatur. Non enim cũ Stoicis neceſſitatẽ cõminiſcimur ex perpetuo cauſarũ nexu, & implicita quadã ſerie, quæ in natura cõtineatur: ſed Deũ cõſtituimus arbitrũ ac moderatorẽ oĩm, qui pro ſua ſapiẽtia ab vltima æternitate decreuit quod facturus eſſet & nunc ſua potẽtia qđ decreuit exequitur. Vnde eius prouidẽtia nõ cælum modo & terrã, & creaturas inanimatas, ſed hominũ etiã cõſilia & volũtates gubernari ſic aſſerimus, vt ad deſtinatũ ab ea ſcopũ rectà ferãtur.* Et paulo pòſt, *Haud dubiè ſic habendũ eſt, quæcunque cernuntur in mundo cõuerſiones, ex ſecreta manus Dei agitatione prodi e Interea qđ ſtatuit Deus, ſic neceſſe eſt euenire, vt tamẽ neq; præciſè, neq; ſuapte natura neceſſarium ſit. Exẽplum in Chriſti oſſibus familiare occurrit. Quũ induerit corpus noſtro ſimile, fragilia fuiſſe eius oſſa nemo ſanus negabit, quæ tamẽ frãgi fuit impoſſibile. Vnde iterũ videm⁹ in ſcholis nõ temerè inuẽtas fuiſſe diſtinctiones de neceſſitate ſecundum qđ, & abſoluta: itẽ cõſequẽtis & cõſequẽtiæ: quia oſſa Filij ſui Deus, quæ à fractura exemerat, fragilitati ſubiecit, atq; ita reſtrinxit ad cõſilij ſui neceſſitatẽ, qđ naturaliter c tingere potuit.* Itẽ alibi, *Valeant*, inquit, *Stoici cũ ſuo Fato: nobis libera Dei voluntas oĩm ſit moderatrix. Sed cõtingẽtiã tolli ex mũdo, videtur abſurdũ. Omitto quæ in ſcholis vſitatæ ſunt diſtictiones. Quod afferã, ſimplex, meo iudicio, & minimè coactũ erit, deinde ad vitæ vſum accõmodatum. Sic euenire neceſſe eſt qđ ſtatuit Deus, vt tamẽ neq; præciſe, neq; ſuapte natura neceſſariũ ſit. Exẽplũ in Chriſti oſſibus familiare habeo. Chriſtũ corpus induiſſe*

Cal. lib. de prædeſtinat.

duiſſe prorſus noſtro ſimile, Scriptura teſtatur: quare fragilia illi oſſa fuiſſe fateri nemo ſanus dubitabit. Sed alia mihi videtur ac ſeparata quæſtio, An vllum os eius frangi potuerit. Nam integra oĩa & illæſa manere, quia fixo Dei decreto ita ſtatutũ erat, neceſſario oportuit. Nec vero quòd à receptis loquendi formis de neceſsitate ſecũdùm quid & abſoluta, itẽ cõſequentis & cõſequentia abhorreã, ita loquor: ſed ne qua lectores argutia impediat, quin agnoſcat vel rudiſsimus quiſq; verũ eſſe quod dico. Ergo ſi in Chriſti oſsibus naturã conſideres, fragilia erãt: ſin vero illud Dei decretũ quod ſuo tẽpore manifeſtatũ fuit, nihilo magis fracturæ obnoxia erãt, quàm humanis ærumnis Angeli. Iam verò quia diuinitus poſitum naturæ ordinẽ intueri nos decet, contingentiam, quo ad ſenſum noſtrum, minimè reiicio.

Ex his igitur, quod ad primum illud attinet, ſatis exiſtimo quibuſuis nũc liquere qua fide nobiſcum agat Heshuſius, quum nobis Stoicam impietatem obiicit. Iam ad ſecundum huius accuſationis caput venio, in quo tradit Heshuſius Deum à nobis conſtitui peccati authorem, primùm quòd illum dicamus impiorum ſcelera non tantùm permittere fieri, ſed etiam efficaciter operari: atque adeò Adamum lapſum eſſe ex Dei ordinatione, & diabolum mendacem eſſe ex Dei mandato. Tria ſunt igitur huius obiectionis capita, ad quæ ſingula conſtitui planè ac perſpicuè reſpondere.

Vetus eſt quæſtio, Quomodo & quatenus dici poſſit Dei conſilium in iis interuenire quæ iniuſtè aguntur. Iam enim oſtendimus Deo inuito, vel ignorãte, vel non curante nihil euenire poſſe. Ex quo efficitur, & volente, & ſciente, & decernente Deo ſingula in hoc mundo fieri. Quæritur ergo, Qui fieri poſſit, ſi illa vera ſunt, vt Deus non ſit malorum author. Ac veteres quidẽ Græci, quos poſtea ſequutus eſt Auguſtinus, vt Auguſtinum poſtea alii, diſtinctionem conſtituerũt inter Agere & Permittere: minimè id quidem, vt otioſam quandam permiſſionem Deo tribuerent, ſed vt Deum docerent aliter in bonis agere, quàm in malis. In bonis enim agit ipſe propriè ſui Spiritus potentia; quum per malos potius quàm in malis agat, laxatis illorũ improbitati habenis, ſed quas tamen ipſe pro arbitrio ſuo regat. Hæc diſtinctio ita poſtea inualuit apud homines non ſatis attentos, vt permiſſionem exiſtimarint actioni & voluntati ex diametro opponi: quem manifeſtum errorem mirum eſt in tanta Euangelii luce inueniri poſſe qui defendat. Primùm enim ineptum eſt, & à Dei natura prorſus diſſidens, cogitare Deum inuitum vel ignorantem aliquid diabolo & impiis permittere. Deinde ſi quid tanquam per negligentiam & otium agere illis permittit, quiſnam hic Deus eſt? Reſtat ergo vt volens illis permittat quod permittit, ac proinde permiſſio voluntati non opponatur, ſed ſubſternatur. Præterea cuiuſmodi eſt iſta tergiuerſatio? Nam qui malum permittit quod vel ſolo nutu impedire poteſt, an non, obſecro, tam eſt in culpa, quàm ſi ipſe malè ageret? Itaque ne ſic quidem Deus culpæ eximetur. Denique quum inter Dei iudicia ſatis conſtet numeranda eſſe diaboli & impiorum peccata, magnam certè Deo iniuriam faciunt qui in ipſius iudiciis nihil eum agere, ſed duntaxat quaſi otioſum omnia ſpeculari volunt. Ingenuè igitur fatebor, nec ſatis appoſitam, nec infinitis Scripturæ teſtimoniis ſatis conuenientem eſſe illam permiſſionis & actionis, ſiue, vt alii loquuntur, voluntatis diſtinctionem: eos autem prorſus hallucinari qui aliter illam ſunt interpretati quàm veteres Theologi voluerint. Nam quæ fuerit Auguſtini ſententia, ſatis poteſt ex omnibus ipſius ſcriptis intelligi: *Magna* (inquit) *opera Domini, exquiſita in omnes voluntates eius, vt miro & ineffabili modo non fiat præter eius voluntatem, quod etiam contra eius fit voluntatem: quia non fieret, ſi non ſineret: nec vtique nolens ſinit, ſed volens.* Sed & paulò antè idem Auguſtinus, *Non dubitandum eſt*, inquit, *Deum facere bene, ſinendo fieri quæcunque fiunt malè. Non enim hoc niſi iuſto iudicio ſinit. Quamuis ergo quæ mala ſunt, in quantum mala ſunt, non ſunt bona, tamen vt non ſolùm bona, ſed etiam ſint & mala, bonum eſt. Nam niſi eſſet hoc bonum, vt eſſent & mala, nullo modo ſinerentur eſſe ab omnipotente Deo: cui procul dubio quàm facile eſt quod vult, facere, tam facile eſt quod non vult eſſe, ſinere. Hoc niſi credamus, periclitatur ipſum fidei noſtræ initium, qua nos in Deum omnipotentem credere profitemur.* Item alibi, tibi Heshuſi reſpondẽs in Iuliani perſona, *Quid eſt*, inquit, *quod dicis, quum deſideriis ſuis traditi dicuntur, relicti per Diuinam patientiam intelligendi ſunt, non per potentiam in peccata compulſi? Quaſi non ſimul poſuerit hæc duo idem Apoſtolus, & patientiam & potentiam, vbi ait, Si autem volens Deus oſtendere iram, & demonſtrare potentiam ſuam, tulit in multa patientia vaſa quæ perfecta ſunt ad perditionem. Quid horum tamen eſſe dicis quod ſcriptum eſt, Et Propheta ſi errauerit, & ſeductus fuerit, ego Dominus ſeduxi Prophetam illum, patientia eſt an potentia? Quodlibet*

Enchirid. ad Laurent. cap. 100.

Lib. 5 contra Iulianũ. ca. 5.

eligas, vel vtrunque fatearis, vides tamen falſa prophetantis peccatum eſſe, & pœnam peccati. An & hic dicturus es quod ait Dominus, Ego ſeduxi Prophetam illum, intelligendum eſt, deſeruit, vt pro eius meritis ſeductus erraret? Age vt vis, tamen eo modo punitus eſt pro peccato, vt falſum prophetando peccaret. Sed illud intuere quòd vidit Michæas Propheta Dominum ſedentem ſuper thronum ſuum, & omnis exercitus ſtabat circa eum à dextris eius, & à ſiniſtris eius. Et dixit Dominus, Quis ſeducet Achab Regem Iſrael, & aſcendet, & cadet in Ramoth Galaad? Et dixit iſte ſic, & iſte ſic. Et exiit ſpiritus in conſpectu Domini, Et dixit, Ego ſeducam eum. Et dixit Dominus, In quo? & dixit, Exibo. & ero ſpiritus mendax in ore omnium Prophetarum eius. Et dixit, Seduces & præualebis. exi & fac ſic. Quid ad iſta dicturus es? Nempe rex ipſe peccauit, falſis credendo Prophetis. At hæc ipſa erat etiam pœna peccati, Deo iudicante, Deo mittente Angelum malum, vt apertius intelligeremus quomodo in Pſalmo dictum ſit, miſiſſe iram indignationis ſuæ ſuper Angelos malos. Sed nunquid errando, nunquid iniuſtè quicquam vel temerè iudicando ſiue faciēdo? Abſit. Sed non fruſtrá illi dictum eſt, Iudicia tua ſicut abyſſus multa. Non fruſtra exclamat Apoſtolus, O altitudo! Idem Auguſtinus eodem loco, *Quis ita*, inquit *deſipiat vt quum audierit quod in Pſalmo canitur, Ne tradas me à deſiderio meo peccatori, hoc dicat oraſſe hominem, ne Deus ſit patiens erga illum. ſi Deus non tradit vt mala fiant, niſi patientem bonitatem præbendo quum fiunt? Quid eſt autem quod quotidie dicimus, Ne nos inferas in tentationem niſi vt non tradamur concupiſcentiis noſtris? Quiſque enim tentatur à concupiſcētia ſua abſtractus & illectus. An fortè hoc petimus à Deo, vt non ſit erga nos patiēs eius bonitas? Non ergo eius inuocamus miſericordiam, ſed potius iracundiam prouocamus. Quis iſta ſapiat ſanus, imò quis vel furioſus hoc dicat? Tradit ergo Deus in paſſiones ignominiæ, vt fiant quæ non conueniunt: ſed ipſe conuenienter tradit, & fiunt eadem peccata & peccatorum ſupplicia præteritorum, & ſuppliciorum merita futurorum. Sicut tradidit Achab in pſeudoprophetarum mendacium: ſicut tradidit Roboamum in falſum conſiliū. Facit hæc miris & ineffabilibus modis qui nouit iuſta ſua iudicia, non ſolùm in corporibus hominum ſed & in ipſis cordibus operari qui non facit voluntates malas, ſed vtitur eis vt voluerit, quum aliquid iniquè velle non poſſit.* Ex his Auguſtini verbis nō tantùm illud apparet quod probandum ſuſceperamus, permiſſionem videlicet non opponi voluntati & actioni Dei, ſed potius ſubſterni: ſed id etiam liquet de quo ſupereſt vt dicamus, Dei videlicet voluntatem, potentiam, decretum, efficaciam interuenire in ipſis etiam malorum inſtrumentorum & motibus & actionibus, ita tamen vt extra omnē culpam ſtatuatur, & malorum iniquitas nullo modo excuſetur. Quod enim nobis obiicit grauis iſte cenſor, nos videlicet docere Deum non tantùm permittere fieri impiorum ſcelera, ſed etiam efficaciter operari, tam aperta eſt calumnia vt noua reſponſione nihil indigeat. Nam longè aliud eſt dicere, Deum tum quoque bene agere quum agit per mala & peccantia inſtrumenta, quàm ſi tradas Deum operari impiorum ſcelera, quæ blaſphemia poteſt vel ex ipſius Diaboli conſcientia refelli. An verò nos ita adhuc vixerimus, & homines ita inſtituerimus, vt eos facere neceſſe eſt qui omne boni & mali diſcrimen tollunt, ne ipſe quidem Heshuſius ignorare poteſt. Verſamur enim, Dei gratia, in clariore luce quàm vt latere poſſimus, aut etiam velimus. Quis autem, bono Heshuſio ſtertente, hanc ipſam pluſquàm diabolicam impietatem ex profeſſo aduerſus Libertinos refutauit? Certè ille ipſe Caluinus, cuius librum, ac præſertim quatuor eius capita, nempe 13, 14, 15 & 16, ſi non legiſti, Heshuſi, culpa tamen non vacas, quum accuſatori turpiſſimum ſit dicere, NESCIEBAM: ſin autem legiſti, ſuperas profectò omnium impudentiam, quum audes illud crimen Caluino obiicere, cui tantum abeſt vt ſit affinis, vt etiam penè vnus noſtra memoria illud detexerit & redarguerit. Res autem ita ſe habet. Non ſimpliciter dicimus voluntatem ſiue decretum & efficacem operationem Dei interuenire in iis quæ mala ſunt: ſed duo ſimul adiicimus. Vnum, ita in his interuenire Dei voluntatem, vt tamen ea minimè velit aut agat quatenus mala ſunt, ſed quatenus aut ſunt aliorum malorum pœnæ, aut per illa Dominus ſuos explorat, aut etiam confirmat. Alterum, ſic Dominum vti quoties libuit, malis etiam inſtrumentis ad ſua iuſta opera peragenda, vt ipſa interim inſtrumenta Deo minimè obſequantur. Deus enim ſic eſt primus omnium rerum motor, vt quoniam in iis inſtrumentis quæ non tantùm appetitione, ſed etiam voluntate ac intelligentia prædita ſunt, motus ab internis quoque & ſpontaneis principiis proficiſcuntur, idcirco ex diuerſorum principiorum ratione ipſos motus quoque & actiones diuerſè æſtimemus. An enim propterea

quòd

quòd corruptus eſt homo, idcirco Dominus imperio ſuo, quo ſingulas res creatas ad deſtinatos fines impellit ac dirigit, ſeſe abdicauit? Minimè. Rectè ergò & iuſtè, peccâtibus etiam inſtrumentis vtitur, eáque ad deſtinatum à ſe finem perducit, & ita quidem vt nihil peccet, neque in mouendo, neque in dirigendo inſtrumēto. Actio enim ab ipſo eſt, defectus verò ab inſtrumento, quod & ipſum interiore motu ſemetipſum agit, quúmq; corruptum ſit, motus habet neceſſariò deprauatos. Nam cauſa peccati eſt tota in Satana & in nobis: quo autem tempore, & in quem finem debeat erumpere, in poteſtate Dei eſt, qui nouam malitiam non infundit, ſed eam quæ hominibus innata eſt, pro infinita ſua ſapientia quando & quomodo libuit mouet, gubernat, flectit, regit denique ac moderatur ad nominis ſui gloriam, inſciis etiam impiis, atque adeò contrariū prorſus conſilium apud ſe ineuntibus. Hæc noſtra eſt de prouidentia Dei ſentētia in hoc quod tractamus argumēto, quam ſupereſt vt verbi Dei & Patrum authoritate confirmemus.

Sic igitur Ioſephus dicit ſe à Deo miſſum in Ægyptum, quanuis eum vendidiſſent fratres. Spectabat enim Dei conſilium in Eccleſia ſua adiuuanda, non autem fratrum ſcelus. Quòd ſi nudam Dei promiſſionem in hoc facto imagineris, vbi illæ Domini excubiæ pro ſuorum ſalute? Nec tamen idcirco excuſantur fratres, vt qui verè fuerint fratricidæ, etiamſi Dominus illorum malitia vſus eſt ad hoſpitium ſuis parandum. Sic peccat quidem angelus Satanæ, quum Paulum colaphis cædit, & tamen Deus hac ratione ſeruum ſuum in officio continet. Sic inquit Iob, quum à Domino exploraretur, *Dominus dedit, Dominus abſtulit.* Quis autem neget non ex permiſſu duntaxat, ſed etiam ex actione Dei maximè propria fideles ipſius ſeruos probari? Manet tamen Satan tentator, & Chaldæi prædones ſunt & homicidæ. Sic affliguntur pij ex Dei voluntate ac prędeſtinatione. Nam alioqui cuiuſmodi eſſet noſtra in afflictionibus conſolatio? Iam verò quod attinet ad eam malorum ſpeciem quibus ſanctos ſuos Dominus per ſceleratorū manus iuſtè caſtigat, quis nudam permiſſionem hîc imaginabitur, quin Deum iudicis authoritate ſpoliet? Cuiuſmodi enim iudex eſt, qui nullum interponit decretum? Sic tradit Dominus vxores Dauidis filio ipſius Abſolomo. Sic incitat cor Dauidis ad numerandum populum. Præcipit ſic Semeo vt Dauidi maledicat. Sic aduerſarios ſuos Dauid appellat gladium & manum Domini. Sic defectionem decem tribuum vocat opus ſuū, & quidem vtens vocabulis סבה & נסבה, quibus nihil dici poteſt ἐνεργητικώτερον. Quid verò? nihilne agit, ſed deſerit duntaxat, aut otioſus aliquid fieri ſinit, aut exitum rerum duntaxat moderatur, qui hoſtes in populum ſuum concitat, manum ſuam exerit, percutit Iudam, vexillo prolato gentes ad arma conuocat, ſibilo excitat remotiſſimos populos, Aſſyriis præcipit vt prædentur prædam & rapiant ſpolia, ducit exercitū, & in ipſam vrbem introducit, auget, multiplicat, ſuccendit ignem, concoquit carnem, inſpergit pigmenta, vt & oſſa ipſa exurantur, templum ſuum omnium auaritiæ & libidini proſtituit, & omnia hæc opus ſuum vocat?

Gen. 48. | 2. Cor. 12. | Iob 1. | Rom. 8. | 1 Pet. 3. & 4. | 1. Theſſ. 1. | 2. Sam. 12. & 24. & 16. | 2. Sam. 4. | 1. Sam. 16. | Pſal. 17. | Iſa. 5. & 7. & 8. & 10 | Ezech. 24.

Nunc ad tertiam malorum ſpeciem venio: malorum, inquam, non Dei, ſed inſtrumentorum reſpectu, per quæ videlicet Dominus ſceleratos vlciſcitur. Deus ergo is eſt qui dat Reges in ira ſua: is eſt qui errare facit: is eſt qui miſcet ſpiritum erroris: is eſt qui corda indurat, & vertit: qui oculos excæcat: qui vino vertiginis inebriat: is eſt à quo ſpiritus malus Saulem inuadit: is eſt qui ſui contemptum vlciſcitur, tradens in reprobum ſenſum, & mittens erroris efficaciam vt credatur mendacio: is eſt qui prophetas ſeducit: is eſt qui ſpiritus etiam malos immittit, addito nocendi præcepto, dataque adeò ad fallendum efficacitate, vt ex Auguſtino paulò antè declarauimus. Neque enim Dominus ſpiritui illi mendaci ſcribitur dixiſſe, Permitto tibi vt Achabum decipias, ſi potes: ſed, *Perſuadebis & vinces: vade igitur, & ita facito.* Hæc verò quum dicimus, præeunte videlicet nobis his formulis Spiritu ſancto, an Deum facimus malorum authorem? Minimè. Neque enim malū eſt, ſed optimū potius opus Eccleſiam conſeruare, explorare, caſtigare, improbos denique iuſtis pœnis vlciſci. Hæc autem quoties per Satanã & impios exequitur Dominus, quid aliud quàm iuſtè facit, etiamſi peccant inſtrumenta quibus vtitur? Itaque ſemper accuſamus Satanæ conſilia & technas omnes, fratrum Ioſephi inuidiam, Pharaonis contumaciam, Abſalomi execrandos inceſtus, Semei improbitatem, aduerſariorum Dauidis perfidiam, decem tribuum ἀποστασίαν, Chaldæorum auaritiam, libidinem, crudelitatem: ſed Dei bonitatem & iudicia vbique agnoſcimus & veneramur.

Nehem. 9. | Iob 14. | Iſa. 9. & 63 | Exod. 4. & 7. & 9. | Deut. 2. | Ioſue 11. | 1. Sam. 6. | 2 Paral. 18. | Pſal. 105. | Rom. 1. | 2 Theſſ. 2. | Ezech. 14.

Ac ne nos exiſtimes, Heſhuſi, primos ita in Eccleſia ex Dei verbo docuiſſe, audi (ſi li-

bet) quid de his Auguſtinus ſcripſerit. Iulianus Pelagianus (vt apparet ex Auguſtino cōtra eum libro quinto, capite tertio, quem locum paulò antè deſcripſi) ſenſit hoc ipſum quod tu ſentis, nempe quū dicitur Dominus impios excæcare aut indurare, aut tradere in reprobū ſenſum, nihil aliud ſignificari quàm Dominum impios deſerere, & Satanæ permittere. Auguſtinus verò oſtendit Deū non modò illos deſerere, ſed etiam irā ſuam & potentiā in illos exercere. Iulianus ait has loquutiones eſſe hyperbolicas: Auguſtinus vult eſſe proprias. Iulianus ait, *Laborabāt antea deſiderijs ſuis, quid opus erat vt illis traderētur?* At Auguſtinus, *An idē*, inquit, *eſſe putas habere deſideria, & illis tradi? Tradūtur enim deſiderijs, nō tātùm vt ea habeāt, ſed etiā vt ab illis poſſideātur. Itaq.* ait, *quemadmodum Deus agit in corporibus impiorum, affligendo, ita etiam agit in illorū animis, eos in peccata impellendo.* Atque eo loco tractat Auguſtinus hiſtoriā de Semei. *Dominus*, inquit Dauid, *iuſſit vt mihi malediceret. Volūtatem*, inquit Auguſtinus, *ſuo vitio malam Deus iuſtè inclinauit, vt Dauidē inceſſeret conuitijs.* Et additur cauſa, *Retribuet mihi Dominus pro hoc maledicto.* Idē Auguſtinus alibi: *Quum vult*, inquit, *fieri Deus, quod nō niſi volentibus hominibus fieri oportet, eorum ſimul corda inclinat vt velint: nec tantùm auxiliando agit in cordibus, ſed etiam iudicando, vt impleant quibus nihil tale propoſitum eſt, quod manus & conſilium eius decreuit.* Idem alibi, *Scriptura*, inquit, *ſi diligenter inſpicitur, oſtēdit non ſolùm bonas hominum volūtates quas Deus facit ex malis, & bonas à ſe factas in actus bonos & in vitam dirigit æternam, verùm etiam illas quæ conſeruant ſeculi creaturam, ita eſſe in Dei poteſtate, vt eas quando voluerit, faciat inclinari, vel ad beneficia quibuſdam præſtanda, vel ad pœnas quibuſdam ingerēdas.* Et mox, *Quis non*, inquit, *ad iſta Dei iudicia contremiſcat, quibus agit Deus etiam in cordibus malorum quicquid vult, reddens eis tamen ſecundū eorū merita?* Et iterū, SCRIPTVRÆ *teſtimonijs ſatis eſt manifeſtum operari Deum in cordibus hominū ad inclinandas eorū voluntates, quocūque voluerit, ſiue ad bona pro ſua miſericordia, ſiue ad mala pro meritis eorum: iudicio vtique ſuo quandoque occulto, quādoque aperto, ſemper autem iuſto. Fixum enim in cordibus eſſe debet, quod non ſit iniquitas apud Deum.* Idē etiam

Enchir. ad Laurent. cap. 100. alibi declarans quāta ſit interdū in ſpecie conſenſus repugnantia, *Multum*, inquit, *intereſt quid velle homini, quid Deo congruat: & ad quem finem quiſque ſuam referat voluntatem, vt aut approbetur aut improbetur. Nam Deus quaſdam voluntates ſuas, vtique bonas, implet per malorum hominū voluntates malas: ſicut per Iudæos maleuolos bona voluntate Patris Chriſtus occiſus eſt, quod tantum bonum fuit vt Apoſtolus Petrus, quando id fieri nolebat,*

Epiſt. 48. ad Vincent. *Satanas ab ipſo qui occidi volebat, diceretur.* Et mox, *Sed qualibet ſint voluntates vel Angelorum vel hominum, vel bonorum vel malorum, vel illud quod Deus, vel aliud volentes quàm Deus: omnipotentis Dei voluntas ſemper inuicta eſt, quæ mala eſſe nunquam poteſt, quia etiam quum mala irrogat, iuſta eſt, & profectò quæ iuſta eſt, mala non eſt.* Itē alibi, *Quū*, inquit, *Pater tradiderit Filium, & Dominus corpus ſuum, & Iudas Dominum, cur in hac traditione Deus eſt iuſtus, & homo reus, niſi quia in re vna quam fecerunt, cauſa non vna eſt qua fecerunt?* Item, *Quòd mali peccant, eorum eſt: quòd peccando hoc vel illud agant, ex virtute Dei eſt, tenebras prout viſum eſt diuidentis.*

Hactenus Auguſtinus, cui mirū ni Heſhuſius diem quoque dicat. Alioqui mirum nō eſt in hoc argumento, quod eſt omnium longè obſcuriſſimum, nonnulla inueniri quæ multos qui de his rebus nunquā antea ſatis attentè cogitarant, quaſi fluctibus quibuſdā huc & illuc impellant. Sed ij vbi omnia diligenter expenderint, Deo, vt ſpero, gratias agent, quòd hanc doctrinam veluti ſepultam & ſublatam in lucem reuocarit, in qua ſanè poſita eſt noſtræ ſalutis ac conſolationis ſumma. Quod autem ad Caluinum ipſum attinet, quem tu Heſhuſi tantopere inſectaris & exagitas, quū hæc eadē ſingulis penè paginis in ipſius libris occurrant, partim ex Auguſtino deſcripta, partim plurimis argumentis & exēplis copioſiſſimè explicata, quid attinet plura de his rebus dicere? Adſcribam tamen aliquot locos, vt omnes intelligant cuiuſmodi ſit tua conſcientia, quem nō

Inſtitu. lib. 2. cap. 4. ſect. 2. pudeat adeò impudēter mētiri. Sic ergo Caluinus de Iobi afflictione diſſerēs, *Quomodo*, inquit, *idē opus ad Deum, ad Satanam, ad hominem authorē referemus, quin vel Satanā excuſemus Dei conſortio, vel Deum mali authorem prædicemus? Facilè, ſi finem agendi primùm inſpiciamus, deinde, modum. Domini conſilium eſt ſerui ſui patientiam calamitate exercere: Satan molitur eum ad deſperationem adigere: Chaldæi ex re aliena præter ius & fas lucrum quærunt. Tanta in conſilijs diuerſitas, opus iam valde diſtinguit. In modo non minus eſt diſcriminis. Satanæ affligendum ſeruum ſuum Dominus permittit: Chaldæos, quos ad id exequēdum miniſtros delegit, illi permittit ac tradit impellendos: Satan alioqui prauos Chaldæorum*

animos

animos venenatis ſuis aculeis ad perpetrandū id flagitium inſtigat: illi ad iniuſtitiam furiosè ruunt. Propriè ergo agere Satā dicitur in reprobis, in quibus regnū ſuum, id eſt nequitia, exercet. Dicitur & Deus ſuo modo agere, quòd Satanā pro ſuo nutu & imperio huc & illuc inflectat ad exequēda recta ſua iudicia. Omitto hic vniuerſalem Dei motionē vnde creaturæ omnes vt ſuſtinentur, ita efficaciā quiduis agendi ducunt. De illa ſpeciali actione tantùm loquor quæ in vnoquoque facinore apparet. Idē ergo facinus Deo, Satanæ, homini aſsignari videmus nō eſſe abſurdū, ſed varietas in fine & modo facit vt illic inculpata Dei iuſtitia reluceat, Satanæ hominiſq́; nequitia cū ſua cōfuſione ſe prodat. Itē alibi, *Turpi*, inquit, *& illiberali calumnia nos grauāt qui Deū peccati authorē fieri cōtendunt ſi omniū quæ aguntur cauſa eſt eius voluntas. Nā quod homo iniuſte perpetrat, vel ambitione, vel auaritia, vel libidine, vel prauo quouis alio affectu incitatus, quū Deus iuſto, licet occulto, iudicio per manū eius faciat, nō poteſt in eum quadrare peccati nomē. Peccatū in homine facit perfidia, crudelitas, ſuperbia, intēperies, inuidia, cæcus ſui amor, praua aliqua cupiditas. In Deo nihil reperies tale.* Et paulò pòſt, *Talis eſt*, inquit, *vt quū ad cū vētum eſt, ſua puritate omnē maculā prorſus abſtergat.* Addā denique quod ſcripſit Caluinus in locū vbi Iudæis exprobrat Petrus q; Ieſum definita præſciētia Dei traditū, per manus impias crucifixerint: *Quia*, inquit, *videtur Petrus innuere impios* Cal. in Act. 2.
paruiſſe Deo. hinc ſequitur ex duobus abſurdis alterutrū, vel Deum eſſe malorum authorē, vel homines quoduis ſcelus perpetrādo nō peccare. Reſpondeo, impios, vtcunque exequantur quod Deus apud ſe ſtatuit, nihil tamen minus quam Deo obedire. Nā obediētia ex volūtario affectu naſcitur. Scimus autē impijs lōgè aliud eſſe propoſitū. Deinde nemo obedit Deo, niſi cui coperta eſt eius voluntas. Obedientia igitur pendet ex notitia diuinæ voluntatis. Porrò Deus in Lege ſuā nobis voluntatē patefecit. Quare illi demùm obediunt Deo qui opera ſua exigunt ad Legis regulā: deinde eius imperio voluntarij ſeſe ſubijciunt. Nihil tale in omnibus impijs cernimus, quos Deus huc vel illuc neſcientes impellit. Nemo igitur excuſabiles hoc prætextu eſſe dicet, quia pareant Deo, quum & Dei voluntas in Lege nobis quærenda ſit, & illi, quātum in ſe eſt, repugnare Deo cupiant. Quantum ad alterum attinet, nego Deum eſſe mali authorē, quia in hac voce certa eſt notatio praui affectus. Maleficium enim æſtimatur ex fine quò quiſque tēdit. Homines quum vel furtum, vel homicidium perpetrant, ideo peccant quia fures ſunt, aut homicidæ. In furto autem & homicidio, ſceleratum conſilium. Deus qui illorum malitia vtitur, in ſuperiore gradu locādus eſt. Lōgè enim aliud ſpectat, quia vult alterum caſtigare, alterius exercere patientiā: atque ita nunquā à ſua natura, id eſt, à perfecta rectitudine deflectit. Ita quòd traditus fuit Chriſtus per manus impiorū, quòd crucifixus, factum eſt Dei nutu & ordinatione: proditio autē quæ per ſe nefaria eſt, & cædes quæ tantum ſcelus in ſe continet, Dei opus non debet cenſeri. Denique, vt tandem deſinā, hæc quoque alio loco ſcripſit Caluinus, *Vidē-* Cal. lib de
dum eſt, inquit, *quomodo Dei voluntas rerum omnium quæ in mūdo geruntur cauſa ſit, neq́; tamen malorum author ſit Deus. Non dicam cum Auguſtino (quod tamē vt verè ab eo dictum* prædeſtinat.
amplector) in peccato, ſiue in malo nihil eſſe poſitiuum. Eſt enim argutia quæ multis nō ſatisfaceret. Sed aliud mihi principium ſumo: Quæ perperam & iniuſte ab hominibus fiunt, eadem recta & iuſta eſſe Dei opera. Hoc ſi prima ſpecie quibuſdam paradoxum videtur, ſaltem ne ſint ita faſtidioſi quin ſuſtineant ex verbo Dei inquirere quid ſentiendum ſit. Hactenus Caluinus, eam ipſam impietatem oppugnans quæ nunc ipſi calumnioſiſſimè obiicitur.

Venio ad lapſum Adami, in quo putas, Heſhuſi, grauiſſimè à nobis peccari, quoniā videlicet illū exiſtimamus à Deo fuiſſe decretū: quod ſi verū eſt, putas illud quoq; neceſſariò effici quod horrendū eſt cogitare, Deū videlicet omniū eorū eſſe authorē quę excitandā illā defectionē ſunt cōſequuta, ac proinde iniuſtiſsimū eſſe iudicē. Atqui, niſi te maledicētia trāſuerſum raperet, cogitare debueras iſta quæ dicis nō poſſe cadere niſi in eos qui Deo apertū bellū indixerint, atq; adeò vel ipſis diabolis ſint deteriores. Hęc autē impietas an nobis cōueniat, & iis ciuitatibus in quibus, Dei gratia, pro defendenda Dei veritate tot annos exulamus, corā Deo & Angelis ipſius cōtra te & tui ſimiles, tū populi noſtræ fidei cōmiſſi, tū noſtra omnia dicta, ſcripta, & facta, ipſiq́; (vt ſperamus) veritatis hoſtes in quorū oculis quotidie, Dei beneficio, pugnamus, tandē aliquādo teſtabuntur.

Sed ad rem venio. Nouum & inexpiabile crimen tibi videtur, quòd dicamus Adamum non potuiſſe niſi ex Dei decreto & ordinatione labi. Si pro decreto ſubſtitueremus permiſſionis nomen, fortaſſis nō ita exhorreſceres. Sed quæ hæc inſcitia eſt, Deum exiſtimare aliquid Satanæ permittere, vel nolentem, vel ignorantem, vel otioſum? Reſtat ergo vt volens permittat. Oſtende igitur Heſhuſi non cohærere decretum cum voluntate, aut Deū fatere decernere quod non niſi ſciens & volens permittit, & ita qui-

dem, vt à cauſis ſecundis non pendeat decretorum ipſius exitus, ſed è contrario cauſæ ipſæ ſecundæ, quanuis contingenter (ſi contingentes ſunt) tamen ſponte eò ferantur quò ex Dei decreto inclinantur. Nam alioqui cuiuſmodi iſte Deus eſt cuius vel rata vel irrita ſententia eſſe poſſit, prout inferioribus cauſis libuerit? Itaque nihil eſt certius iſta conſequutione quæ nectitur à poſteriore, vt aiunt: Hoc accidit, ergo Deus hoc decreuerat. Quum enim variis modis Dominus conſueuerit voluntatem ſuam patefacere, putà vel ex peculiari reuelatione, per ſuos Prophetas, ſicut olim Iſraelem ſæpe præmonuit: vel per ordinariam verbi ſui prædicationem, cui adiunctæ ſunt promiſſiones & minæ minimè inanes: quum, inquam, tam multis modis ſoleat Dominus voluntatem ſuam declarare, is eſt longè omnium maximè perſpicuus, quo ſolemus de rebus præteritis à poſteriore (quod aiunt) iudicare. Cæterùm, quum Dei voluntas ad res vſque minimas, atque adeò ad paſſerculos vſque protendatur, adeò vt abſque Patre cæleſti in terram non cadant, cui tandem ſano homini perſuaſeris, Heſhuſi, in præcipui illius opificij Dei, id eſt hominis, lapſu nullam Dei voluntatem, ſed otioſam duntaxat permiſſionem interueniſſe, ſiue Deum otioſum, & nihil apud ſe decernentem, paſſum eſſe vt Adamus à Satana circumueniretur, & tandem quaſi expergefactum ad remedium ferendũ accurriſſe? Non poſſunt dæmonia in porcos ingredi, niſi facta à Deo poteſtate: & potuerit Satan vel inuito, vel ignorante, vel otiante Deo tantum facinus edere? Iam verò ſi Deus, antequam hominem conderet, certum finem ſibi non propoſuit, ſed prouiſo demum lapſu deliberauit quid eſſet opificio ſuo facturus, cuiuſmodi erit opifex? certè leuis & imprudens. Sin autem aliud de eo decreuerat quàm quod accidit, aut non fuit omnipotens, cuius conſilia infregerit Satan, aut inconſtans, qui conſilium mutarit. Quæcunque igitur Scripturæ teſtimonia confirmant in Deum non cadere temeritatem: Deum eſſe omnipotentem: Deum omnia & ſingula non tantùm feciſſe, ſed etiam regere: Deum curare & ſemper curaſſe homines: Deum nihil latere: Deum non mutari, totidem locis confirmatur Adamum ſponte quidem, ſed tamen non modò præſciente, ſed etiam iuſtè ordinante ac decernente Deo fuiſſe in iſtas calamitates prolapſum, ex quibus ſola Dei gratia electos ſuos eripit. Supereſt vt oſtendamus ita decretũ eſſe à Deo Adami lapſum, vt tamen tota culpa penes Satanam & Adamum reſideat. Hoc autem liquidò apparebit, ſi (quemadmodum paulò antè Caluinus nos admonuit) diuerſa atque adeò penitus contraria Dei, Satanæ, & hominis conſilia, ac deinde etiam diuerſos agendi modos conſideremus. Quid enim Deo propoſitum fuit quum lapſum hominis ordinaret? Nempe patefaciendæ ſuæ miſericordiæ in electis gratuitò ſeruãdis, itémque iuſto ſuo iudicio in reproborum damnãda malitia viam ſibi aperire. Nam niſi ſibi & poſteris ſuis lapſus eſſet Adam, nec vlla extaret in hominibus miſeria, cuius miſereretur Deus in Filio ſuo, nec vlla malitia quam condemnaret: ac proinde neque appareret eius miſericordia, neque etiã iudicium. Hoc igitur quũ molitur & exequitur Dominus, quis eum vllius iniuſtitię coarguet? Quid autẽ moliebatur Satan, quanuis imprudens Dei conſilio ſubſeruiret? Nempe quia Deum odit, & totus inuidia exæſtuat, inimicitias ſerere voluit inter Deum & hominem. Quid autem cogitant Adamus & Heua, ſimulatque ſe dociles Satanæ diſcipulos præbuerũt? Nẽpe Deum vt inuidũ & mendacẽ coarguere, & eo inuito ſeſe in illius ſolio collocare. Meritò igitur & Satã, & ſerpẽs, & Adã, & Heua puniuntur, vt qui ſic fuerint Dei inſtrumẽta, in excellẽti illo opere peragẽdo quod Deus moliebatur, vt tamen nõ ſint Deo obſequuti, ſed in eum potius cõiurarint. Quęrẽda enim eſt diſſidij origo in inſtrumentorũ ſpõtaneo motu, quò fit vt Deus iuſtè decreuerit quod illi iniuſtè fecerũt. Sed & in ipſo agẽdi modo inſigne eſt diſcrimen. Nã Deus quidẽ, vt bonus eſt, Adamũ & Heuã bonos, & bona volũtate præditos creauit: admonet etiã illos quid ab eis exigat, & quod illi præſtare poterãt: addit etiã minas, vt ſaltem periculi metu à peccando deterreãtur. Quòd autẽ illos noua gratia poſtea nõ fulcit, in eo reprehẽdi nõ poteſt qui nulli eſt debitor, & tã amplis facultatibus illos antea donarat, & nõ niſi ſatis magnis viribus inſtructos in certamen cũ Satana cõmittit. Quid autem Satan? miſeros illos ad defectionem ſolicitat. Quid Adam & Heua? Non modò non coacta, nec tantùm ſpontanea, ſed etiam prorſus libera, & ſeruituti peccati nõdum mancipata voluntate, à Deo ſuo opifice, quanuis neceſſariò ſi Dei decretum & certaminis exitum, tamen prorſus liberè & contingenter, ſi voluntatem ipſorum ſpectes, deficiunt. Quis autem hîc de Deo conqueri poteſt? Num Satan? Atqui ſua vnius malitia conſultrice ad decipiendum hominẽ vſus eſt. Num Adã & Heua? Atqui volun-

taria

taria defectio, & propriæ conſcientiæ teſtimonium eos coram Deo vt reos & ſontes coarguit: vt interim taceam de præſtantiſſimo illo remedio quod clementiſſimus Pater recẽti adhuc vulneri applicuit. Num Adami poſteri? Atqui quod ad electos attinet, quum multò plus recipiant in Chriſto, quàm in Adamo amiſerint, quo tandem iure conquererentur? Reprobi verò, quum non niſi ſuorum peccatorum mole obruti, & ſua ipſorum conſcientia conuicti meritis pœnis addicantur, quo tandem iure cum Deo expoſtulabunt? Hæc igitur noſtra eſt de Adami lapſu ſententia, in qua oſtendas Heſhuſi ſi potes, quid impietatis lateat, aut ſi non potes, tacere deinceps malis, quàm immerentes calumniari.

Etſi autem iſta ſatis ſupérque ſufficiunt, tamen ne calumnieris Caluinum & noſtras Eccleſias aliter de his rebus aliquando ſenſiſſe ac ſcripſiſſe, agè illum ipſum audiamus: Sic igitur ille aduerſus Pighium, cuius perſonam nunc ſuſtines Heshuſi. *Proſequitur,* inquit, *Pighius, Si Dei opus eſt hominis apoſtaſia, falſum eſſe quod Scriptura tradit, omnia quæ fecit bona eſſe. Atqui ſanctè teſtari, & ingenuè profiteri poſſum mihi cõmentum iſtud nũquam veniſſe in mentẽ. Naturam hominis ideo rectã primò conditã fuiſſe vbique aſſero, ne prauitas, quam ſibi defectione contraxit, Deo poſſit adſcribi: mortẽ, cui ſe mancipauit qui antea compos erat vitæ, ſic profectã eſſe ab eius culpa, ne Deus author cẽſeatur.* Idem eodẽ libro, *Quicquid peccãt homines, ſibi imputent. Quod ſi quis ſubterfugiat, cõſcientia vinculis arctius conſtringi dico, quàm vt ſe à iuſta dãnatione expediat. Cauſetur Adã vt volet, ſe datæ à Deo vxoris illecebris fuiſſe deceptũ, intus tamen mortiferũ infidelitatis virus, intus peſſima cõſultrix ambitio, intus diabolicũ audaciæ flabellum reperietur.* Itẽ alibi, *Sic ex Dei prædeſtinatione,* inquit, *pendet reproborũ perditio, vt cauſa & materia in ipſis reperiatur. Lapſus eſt enim primus homo, quia Dominus ita expedire cẽſuerat: cur cenſuerit, nos latet. Certũ eſt tamen non aliter cenſuiſſe, niſi quia videbat nominis ſui gloriam inde illuſtrari. Vbi mentionem gloriæ Dei audis, illic iuſtitiam cogita. Iuſtum enim eſſe oportet quod laudẽ meretur. Cadit igitur homo, Dei prouidentia ſic ordinante, ſed ſuo vitio cadit. Pronũtiauerat paulò antè Dominus, omnia quæ fecerat eſſe valdè bona. Vnde ergo illa hominis prauitas, vt à Deo ſuo deficiat? Ne ex creatione eſſe putaretur, elogio ſuo approbauerat Deus quod factum erat à ſe. Propria ergo malitia purã naturam, quam à Domino acceperat, corrupit, ſuáque ruina totã poſteritatem in exitium ſecũ traxit. Quare in corrupta potius humani generis natura euidentem damnationis cauſam contemplemur, quàm abſconditam ac penitus incomprehenſibilem inquiramus in Dei prædeſtinatione. Neque immenſæ Dei ſapientiæ ſubmittere ingenium hucuſque pigeat, vt in multis eius arcanis ſuccumbat. Eorum enim quæ ſcire nec datur, nec fas eſt, docta eſt ignorantia: ſcientiæ apparentia, inſaniæ ſpecies.* Item alibi, *Si ad primum hominem veniatur, doceo illũ, quum integer creatus eſſet, ſponte cecidiſſe: ac inde factum eſſe vt ſibi & ſuis exitium propria culpæ accerſiuerit. Iam etſi non niſi ſciente atque ita ordinante Deo cecidit Adam, ſéque & poſteros perdidit, minimè tamen id vel ad leuandã eius culpam, vel ad Deũ crimine implicandum facit. Semper enim hoc ſpectandum, quod rectitudine, quam à Deo acceperat, ſe priuauit, ſpõte ſe peccato & Satanæ addixit in ſeruitutẽ, ſponte in exitium ſe præcipitem dedit. Vna excuſatiõ obtenditur, quod à Deo decretũ erat, effugere non potuiſſe. Sed ad reatũ ſatis ſuperq; voluntaria transgreſſio ſufficit. Neque enim propria genuináq; peccati cauſa eſt arcanũ Dei cõſilium, ſed aperta hominis voluntas.* Item, *Hoc,* inquit, *abſq; controuerſia tenendum eſt, ſemper Deo peccatum odio fuiſſe. Nam verè elogiũ hoc quo ornatur à Dauide, in eum competit, quòd Deus ſit iniquitatem non volens. Quin potius in ordinando hominis lapſu finem habuit optimũ & rectiſſimũ, à quo abhorret peccati nomen. Quanquam ſic ordinaſſe dico, vt eum propriè authorem fuiſſe non concedam.* Item, *Si vnquam dixiſſem,* inquit, *Diuini Spiritus inſtinctu factũ vt ſe à Deo primus homo alienaret, ac non potius vbiq; contenderẽ, diaboli inſtigatione & proprio cordis ſui motu impulſum, meritò fortè inſultaret mihi Pighius. Nunc autẽ quum à Deo propinquam actionis cauſam remouens, ſimul omnẽ ab eo culpam remouẽã, vt ſolus homo reatum ſubeat, calumnioſè & improbè dictum illud in me torquet, Hominis defectionem vnum eſſe ex Dei operibus. Quomodo autem Dei præſcientia & decreto ſtatutum fuerit quod de homine futurum erat, neque tamen in culpæ ſocietatem trahendus ſit Deus, quaſi tranſgreſſionis vel author ſit, vel approbator, quum longè altius humana mentis perſpicacia eſſe arcanum palàm ſit, ne ignorantiam noſtram fateri pudeat: imò, ne quem ex fidelibus neſcire pigeat quod Dominus lucis ſuæ inacceſſæ fulgore abſorbet.* Cal aduerſus Pighium.

Denique vt pueris etiam ipſis liqueat quam conſcientiam afferas ad hanc accuſationem Heſhuſi, conſiderandus eſt locus quem ex Caluini commentariis in tertiũ caput

Cal. in Gen. 3.1,& 9. Geneſeos arripuiſti. Ibi igitur Caluinus nõ in ſua, ſed in eorum perſona loquens qui aduerſus Dei iuſtitiã allatrant, *Nunc*, inquit, *expedienda eſt illa quæſtio, in qua plurimum vētoſa ingenia tumultuãtur: Cur Deus Adam tentari paſſus fuerit, quũ adeo triſtis euẽtus minimè eum lateret. Quòd nunc fræna Satanæ laxat, vt nos ad peccandũ ſolicitet, iudicio & vltioni poſt alienatum ab ipſo hominẽ adſcribimus: verùm natura adhuc ſana & integra nõ eadem fuit ratio. Hominẽ ergo Deus imagini ſuæ cõformem, necdum vlla noxa implicitũ, Satanæ tentandum permiſit: quin etiam animal cõmodauit, quod alioqui nũquam paruiſſet. Quid hoc aliud fuit quàm hoſtem in hominis exitium armare?* Item Caluinus eodem capite, totius afferens ea quæ aduerſus Dei iuſtitiam dictat humana ratio, *Flexibilẽ*, inquit, *Deus hominem creauit, tentari non modò paſſus eſt, ſed voluit. Nam & ſerpentis linguam diabolo præter ordinarium naturæ vſum cõmodauit, quemadmodum ſi quis alteri gladium & arma ſuppeditet: quum infælix euentus illi eſſet præcognitus, remedium quale poterat, non attulit.* Quid igitur Heſhuſi, quum in hæc Caluini verba incidiſſes? Feciſti nimirum quod ſycophantę ſolent. Nam illa ſtatim arripuiſti, quaſi ſimpliciter à Caluino prolata, quæ ad explicandam aduerſariorum obiectionẽ ſcripta ſunt. Sed in eo quoque teipſum quodãmodo ſuperaſti, q; adiunctã ſolutionẽ prętermiſiſti. Nam priore loco quem citaui, Caluinus vbi Manichæorum de duobus principiis delirium refutauit, *At verò*, inquit, *quicunq; piè & reuerẽter de potentia Dei ſentiunt, nõ niſi eius permiſſu agnoſcunt hoc factũ eſſe. Nã iſtud primò cõcedere neceſſe eſt, nõ latuiſſe Deum qualis futurus eſſet euentus: deinde potuiſſe obſiſtere, ſi ita viſum foret. Cæterùm de permiſſu quũ loquor, intelligo fuiſſe illi cõſtitutum quidnã fieri vellet. Hic quidẽ exoritur à multis diſſenſio, qui Adam libero ſuo arbitrio ita permiſſum fuiſſe imaginantur, vt Deus eius lapſum noluerit. ſumunt pro cõfeſſo, quod illis fateor, nihil minus eſſe probabile, quàm Deum cenſeri peccati cauſam, quod tot atrocibus pœnis vltus eſt. Sed quũ dico nõ ſine Dei ordinatione & nutu lapſum fuiſſe Adam, non ita accipio quaſi peccatum illi vnquam placuerit, aut ſimpliciter voluerit præceptum quod dederat, violari. Quatenus recti & bene compoſiti ordinis euerſio fuit Adæ lapſus, quatenus in Deum legiſlatorem trãſgreſſio, Dei voluntati fuiſſe aduerſam certum eſt: horum tamen nihil obſtat quominus certa de cauſa, licet nobis incognita, hominem labi voluerit. Offendit quorundam aures quum dicitur Deum voluiſſe: ſed quid, obſecro, aliud eſt eius permiſſio qui prohibendi ius habet, imò in cuius manu res eſt poſita, quàm voluntas? Vtinam ſe à Deo iudicari potius ſinerent homines, quàm ſibi in eum iudicium ſacrilega temeritate ſumerent! verùm hæc carnis arrogantia eſt, examini ſuo Deum ſubiycere. Ego hoc axioma fixum retineo: Nihil magis à Deo alienum eſſe, quàm ſi dicamus hominem ab eo conditum vt ſuſpenſa & dubia foret eius conditio. Quare ſtatuo, ſicuti Creatorem decebat, prius apud ſe decretum habuiſſe quidnam de eo futurum eſſet. Perperam inde colligunt imperiti, non libero motu peccaſſe hominem. Senſit enim ipſe propria conſcientiæ teſtimonio conuictus, nimis ſe in peccando fuiſſe liberum.* Poſteriori autem obiectioni quam deſcripſi, mox ſubiungit Caluinus hanc obiectionem à te, Heſhuſi, calumnioſè prætermiſſam. *Vbi*, inquit Caluinus, *ad hominem ventum fuerit, reperietur ſponte peccaſſe, & non minus libero quàm peruerſo animi motu diſceſſionem feciſſe à Deo fictore ſuo. Nec dicere licebit fuiſſe leue aliquod delictum, quòd fidẽ Dei verbo abrogans, impia & ſacrilega æmulatione contra eum ſe extulit, quòd noluit eius imperio ſubeſſe, quòd denique & ſuperbè & perfidè ab eo defecit. Ergo quicquid peccati eſt ac culpæ in primorum hominum lapſu, penes eos reſidet. Quòd præceſſit æternum Dei cõſilium, iuſta ratione non caret, quamuis nobis abſcondita. Videmus quidem ex tam horribili ruina fructum quotidie emergere, quòd noſtris miſeriys Deus ad humilitatem nos erudit, deinde quòd bonitatem ſuam clarius illuſtrat. Nam vberior eius gratia per Chriſtum effuſa eſt in mundum, quàm Adæ collata eſſet à principio. Iam ſi nos ratio fugiat, non mirum ſi nobis arcanum Dei conſilium ſit inſtar labyrinthi.*

Sed quorſum ego tam multa? Puto enim vel ipſos cæcos videre quantum fidei ſit tibi Heſhuſi cæteris in rebus adhibendum, quem non puduit Caluino illud ipſum obiicere quod nemo noſtra memoria vel certius vel melius quàm Caluinus refutauit, ipſorum etiam, vt opinor, diabolorum tacita confeſſione.

Nunc accedo ad alteram tuam calumniam, quæ cum ſuperioribus eſt coniuncta. Dicis nos voluntatem Dei facere nobis incertam, quum docemus eum quæ foris verbo ſuo prohibeat, occulto tamẽ decreto ordinare vt fiant, & efficaciter vt à nobis peragãtur operari. Reſpondeo non poſſe hoc negari, quin Deus peccata peccatis volẽs & decernens vlciſcatur. Atqui peccata prohibet in Lege, nec vnquam ei placere poſſunt.

Pſal. 5.5. Stat enim illud, *Nõ Deus volens iniquitatem tu es.* Num igitur duæ, & eæ quidẽ cõtradictoriæ

ctoriæ in Deo voluntates? Minimé. Nam quæ iniuſté fiunt ab hominibus, illa quatenus
decernuntur à Deo, non ſunt peccata, ſed peccatorum pœnæ. Nolle autem peccatum,
& eos qui peccatum committunt vlciſci, optimè inter ſe conſentiunt. Sic damnat ince-
ſtum Dominus, & tamen per Abſalomi inceſtum vlciſcitur Dauidis adulterium. *Tollam* 2.Sam.12.a
enim, inquit Dominus, *vxores tuas in oculis tuis, & dabo proximo tuo, qui cũ illis dormiet in
cõſpectu ſolis huius. Tu feciſti occultè, ego autem corã toto populo, & coram ſole facturus ſum.*
An vero hæc ſunt Dei verba otioſè quippiam permittentis, ac non potiùs iuſtam pœnã
decernẽtis? Nec tamen Deus propterea vel cum Abſalomo conſentit, quum iuſtè velit
quod flagitioſiſſimè vult Abſalomus: vel à ſeipſo diſſidet, quum Legis ſuæ contemptum
vlciſcatur. Nõ eſt igitur in ipſa Dei voluntate vlla repugnantia. *Sed*, inquis, *ita quod ad
nos attinet, redditur incerta.* Contende igitur cum Deo, & illi meliorem aliquam agẽdi
formam præſcribe. Dicam autem aliquid etiã amplius. Quum diceret Dominus Abra-
hamo, *Tolle nunc filium tuum, & offer eum in holocauſtum ſuper vnum è montibus quem di-* Gene.22.a
xero tibi: quæro ex te, an nihil præcipiebat? Non ita exiſtimas, opinor. Nam alioqui vbi
obedientia & fides Abrahami? Sed & illud ex te rogo, An ita fieri, id eſt, an Iſaacum à pa
tre reipſa mactari vellet Dominus, quum ita loqueretur? Si voluiſſe dicas, certè Deus i-
ſte non fuerit qui tam ſubitò conſilium mutarit. Sin autem nolebat quod præcipiebat,
quid tu ad hoc, Heshuſi? nempe clamitabis hac ratione nobis incertam reddi Dei volun
tatem. Deo igitur ipſi diem dicito, non nobis. Nam hæc ita eſſe à Deo dicta & facta, infi-
ciari certè non potes. Item, Quum Ezechiæ denuntiaret per Prophetam, *Diſpone de do-* Iſaie 38.a
mo tua, nam morte morieris: an putas illum voluiſſe Ezechiam ex eo morbo interire?
Certè ſi ita exiſtimas, multum hallucinaris: quia nec Deus mutatur inſtar hominum, e-
tiamſi interdum per *ἀνθρωποπάθειαν* dicatur pœnitere: nec irrita eſſe poſſunt ipſius de-
creta, nec pendent ipſius conſilia ab hominum arbitrio. Quid igitur? Dicam, vt ſpero,
quod res eſt. Quum ita Dominus Abrahamo loqueretur, non vt aliquid futurum de-
cernens loquebatur, ſed vt ſerui ſui fidem explorans, ſicut etiam Moſes initio capitis
præfatur, quum inquit, *Poſt hæc Deus tentauit Abraham*, &c. Ezechiæ verò nõ tam mor- Gene.22.a
tẽ denuntiat quàm minatur, vt eum videlicet ad peccati agnitionẽ adducat. Sic igitur
ſtatuendum eſt, Deus in verbo ſuo nobis pleniſſimè patefecit omne ſalutis noſtræ con-
ſilium. Nã ex Lege intelligimus q̃d ſit rectum, quid minus: ex Euãgelio verò, quomodo
noſtri cõſtituerit miſereri. & hactenus nobis patefacta eſt Dei voluntas. Sed præterea
infinita eſſe quæ apud Deum occulta manent, quis tandem niſi prorſus furioſus & inſa-
nus inficiabitur? Quis enim intelligit quod ſingulis momentis Dominus ſit facturus in
huius mundi adminiſtratione? Relinquitur ergo, vnam, eámq; ſimplicẽ & ſemp ſui ſimi-
lem eſſe Dei voluntatẽ, ſed quæ partim ſit nobis occulta, partim patefacta, quatenus vi-
delicet noſtræ ſalutis intereſt. in ea igitur quæ nobis patefacta eſt, acquieſcamus: quæ
verò Dominus occulta eſſe voluit, ne ſcrutemur. Atenim, dices, non ſemper loquitur
Dominus ex animi ſui ſenſu, ſi vera ſunt quæ paulò antè afferebas. Iterũ reſpondeo, oc-
cultum Domini ſenſum non ſcrutandum eſſe, ſed in ipſius patefacto verbo prorſus ac-
quieſcendum. Sic Abraham non percontatus eſt à Domino, an ſeriò vellet quod præ-
cipiebat, ſed in Domini mandato, quod planum & pſpicuum erat, prorſus acquieſcẽs:
manè ſurrexit, & perrexit ad locum quem dixerat ei Deus: ideóque fides eius meritò
commendatur. Sic Ezechias Iſaiæ Prophetæ verbum amplexus, imperio Dei ſe totum
ſubijcit. Quoniam tamen ſatis norat quæ Dei eſſet conſuetudo in electis ſuis per varias
eiuſmodi denuntiationes ad pœnitentiam adducendis, idcirco de vita non prorſus de-
ſperat: neque tamen Domini minas vt futiles & inanes deridet, vt qui Dominum ſciat
quod minatur, ſeriò minari: ſed è contrario peccatum agnoſcit, veniam deprecatur, &
ita tandem, Deo ad miſericordiã flexo, reipſa experitur minas illas potiùs fuiſſe, quàm
fixum Di decretum. Itaque, vt paucis concludam, nunquam incerta eſſe debet nobis
Dei voluntas, quam nobis patefecit in Verbo ſuo, vt qui nobiſcum non ludat. Conſide-
remus ergo quid iubeat, quid prohibeat, quid ferat noſtræ vocationis ratio: admonitio-
nes eius & minas minimè irritas eſſe ſtatuamus: denique quid ſonent ipſius verba re-
ligioſè & attentè ſemper meditemur: quæ verò nobis occulta eſſe voluit, nullo modo
ſcrutemur, ſed nos totos ipſius prouidentiæ, ſapientiæ, ac iuſtitiæ regendos ſpõte & vl-
tro tradamus. Hæc ſunt, Heshuſi, quæ de hoc argumento Caluinus infinitis penè locis
ſcripſit, & nos quoque populis fidei noſtræ cõmiſſis aſſiduè inculcamus. Id ita eſſe ſi tu
ignorabas, nimium temerè profectò feciſti, quum nos reprehenderes: ſin verò ſatis

intelligebas, & tamen digna eſſe putaſti quæ reprehenderes, multò etiam magis es accuſandus.

Supeteſt tettiũ huius accuſationis caput, in quo turſus Caluinũ dicis aſſerere ipſum quoque diabolum eſſe Dei mandato mendacem: *ex quo*, inquis, *conſequitur hoc doctore Deum, non diabolum, eſſe verum germanúmque mendacÿ patrẽ*. Ego verò quid ad tam inſignem calumniam reſponderim? Itáne tot iam annos fidelis ille Dei ſeruus in tantis pro Chriſtiana Eccleſia laboribus conſumpſit, quantos nemo vnus noſtra memoria ſuſtinuit, vt hanc mercedem referret? ita, inquam, vir ille (abſit verbo inuidia) & eruditione, & vitæ integritate ſummus, & vixit, & ſcripſit, vt dignus ſit qui diaboli aduerſus Deum pattonus habeatut? Res autem ita ſe habet. Satanã docemus, quanuis perpetuò excubantem in hominum perniciem, tamen nihil poſſe niſi quatenus Deo placet illius malitia bene vti, vel ad ſuos erudiendos, vel ad caſtigãdos malos: cuius doctrinæ veritas ſingulis penè vtriuſque Teſtamenti paginis cõprobatur. Addimus autem etiam illud, hanc Dei voluntatem interdum Satanæ occultam eſſe, veluti quũ Adamum & Euam eſt adortus: interdum verò ipſi patefieri, addito etiam expreſſo nocẽdi mandato: quod poſterius dicimus ex Iobi & Achabi hiſtoria manifeſtiſſimè apparere. Quorſum enim introducitur Deus in throno teſidens, adſtãte etiã Satana, niſi vt intelligamus omnia expreſſo Dei impetio regi, quibuſcunque tandem inſtrumentis vtatur? Itaque Satanã alloquẽs Dominus poſtquam decreuiſſet in illo homine edere ſingulate patiẽtiæ exemplum, &

Iob.1.a.8 quidem per Satanam & alia ipſius inſtrumenta, *Ecce*, inquit, *quicquid illius eſt, in tua eſt poteſtate, ab eo tamen manum tuam abſtinebis*. Et mox, aliquid adÿciens priori mandato:

Ibid.2.6 *Ecce*, inquit, *ipſe eſt in tua poteſtate, parce tamẽ ipſius vitæ*. In Achabi verò hiſtoria Dominus Satanam ipſum quanuis minimè ſtertẽtem excitans (vigilat enim Dominus ad ex-

3.Reg.22.20 ercenda iuſta ſua iudicia) *Quis*, inquit, *perſuadebit Achabo vt aſcendat & cadat in Ramoth-Galaad, & ibi proſternatur?* Et quum ſeſe mendax ſpiritus obtuliſſet, non vt Domino obſequeretur, ſed quoniam mendacio ſummè delectatur, *Tu*, inquit Dominus, *hoc illi perſuadebis, & ſuperior eris. Abi igitur, & ita facito*.

Ex his colligimus quod antea dixi, Deum videlicet impijs iratum eos tradere Satanę iræ ſuæ inſtrumento, & quidem cum hoc mandato, vt mentiendo & modis omnibus illos, ſicut digni ſunt, fallendo, miſerè perdat. Tu hinc elicis Heshuſi, deſignatus ſcilicet Dictator, ne quid Reſpublica Chriſtiana detrimenti à Caluino & reliquis hæreticis omnium maximè impijs accipiat, Deum à nobis conſtitui mendacij patrem. Quaſi verò dicamus malitiam Satanæ à Deo proficiſci, ac non potiùs Deum malitia Satanæ vti ad iuſtiſſima ſua iudicia exequenda: vel Deo placere mendacium, quatenus mẽdacium eſt, quod ipſe meritò prohibet & punit, ac non potiùs quatenus iuſtum eſt eorum ſuppli-

2.Theſſ.2.11 cium qui veritati mendacium prætulerunt, ſicut explicat Paulus: quaſi denique Deus peccantibus etiam inſtrumentis aliter quàm iuſtè vtatur, & Dei opus ab inſtrumentorum opere, quæ & ipſa ſuo ſpontaneo motu mouentur, diſtingui non oporteat.

Ad ſecundam calumniam, De Chriſti merito.

Si Heshuſio credimus, non tantùm transformamus Deum in diabolum, quod abſque horrore ne cogitari quidem poteſt: ſed etiam Chriſti meritum ita eleuamus, vt digni ſimus qui vel infra ipſos inferos ablegemur. Nos verò, Dei gratia, qualeſcunque ſumus, ſperamus nos eſſe vel ipſis veritatis hoſtibus aliunde notiores, quàm vt vlla aduerſus hanc calumniam defenſione magnopere indigeamus. Dicam tamen quod res eſt. Curioſa quædam ingenia noſtro ſeculo quæſtionem mouerunt de Chriſti merito. Nam alij dicunt nos διὰ τὸν Χριστὸν, non διὰ τοῦ Χριστοῦ, id eſt, propter Chriſtum, nõ per Chriſtum ſeruatos: alij volunt Chriſtum eſſe noſtræ ſalutis formam duntaxat, non materiã, alij nõ vident quomodo dici poſſimus Patris miſericordia & tamen Filij merito ſeruati. Ad-

Caluin. Inſtitut. lib.2.c.17 uerſus omnes iſtos pernicioſiſſimos errores diſputans Caluinus, docet ex Scripturis, Chriſtum propriè dici nobis promeritum eſſe gratiam Dei & ſalutem, neque duntaxat inſtrumentum aut miniſtrum eſſe ſalutis, ſed authorem & principem: atque adeò Chriſtum ſua obedientia verè nobis gratiam apud Patrem acquiſiuiſſe ac promeritum eſſe. Quis ergo non miretur hanc ipſam impietatem Caluino obÿci, quã ex profeſſo oppugnauit? Sed operæpretiũ eſt tamen intelligere vnde arripueris, Heshuſi, huius calumnię occaſionem. *Sunt*, inquit Caluinus, *homines quidam perperam arguti, qui etſi fatentur ſalutem nos per Chriſtum cõſequi, nomen tamen Meriti audire non ſuſtinent, quo putant obſcurari Dei gratiã, atque ita Chriſtũ volunt inſtrumentum eſſe duntaxat vel miniſtrum, non au-*

thorem

*thorem vitæ,vel ducem & principem,ſicut à Petro vocatur.*Hæc non deſcripſit Heſhuſius. Act. 3.15.
Cur.n.id faceret,quum ex ijs liquidò appareat à Caluino oppugnari eã blaſphemiam
quam ipſe illi tribuit?Subijcit deinde Caluinus: *Equidẽ fateor,ſi quis ſimpliciter & per ſe
Chriſtum opponere vellet iudicio Dei,nõ fore merito locum,quia nõ reperietur in homine di-
gnitas quæ Deum poſſit promereri.*Hæc ſunt propter quæ tumultuatur Heſhuſius.*quoniã,*
inquit ipſe,*nos docẽt nõ ex merito ſolius Chriſti pendere,ſed ab alia quadã priore gratia,ex
cuius gratuito fauore ipſum etiã Chriſti meritũ ſuã vim & robur accipiat.*Poſtea vociferatur
Patres è cõtrario ſolitos fuiſſe adeò extollere meritum paſſionis Chriſti,vt dicãt vel vnã
guttã ſanguinis Chriſti potuiſſe ꝓ totius humani generis redẽptione ſatisfacare. *Certè,*
inquit,*ira Dei maior nõ fuit quàm generis humani peccatum aut debitum. Blaſphemia igitur
eſt dicere Chriſtum verum Deum & hominem ſua exinanitione,obedientia,& acerbiſsima
paſsione non potuiſſe tantum præſtare quantum humanũ genus Deo debuerit:plúſq; Adamum
ſua culpa quàm Chriſtum ſuo merito valuiſſe.*En tragicos Heſhuſij clamores.

Quod autem in Caluino reprehendit,eiuſmodi eſt. Negat Caluinus Chriſti meritum
pugnare cum Dei gratia & miſericordia,ſed potiùs ſubſterni,ſicut cauſam ſalutis ſubal-
ternam:quo fit vt quum agitur de Chriſti merito,non ſit ſtatuẽdum in eo principium,
ſed conſcendendum vſque ad Dei ordinationẽ,quæ prima cauſa eſt,quia Deus ex me-
ro beneplacito Mediatorem ſtatuit qui nobis ſalutem acquireret. Deinde hoc probat
ex Ioãnis & Pauli manifeſtis teſtimonijs,atque etiam ex duobus Auguſtini locis, mini-
mè id quidem vt Chriſti meritum extenuet, ſed vt oſtendat quomodo ſalus noſtra ni-
hilominus ad gratuitam Dei *εὐδοκίαν* ſit referenda. Hæc omnia verò quum ſciẽs & pru-
dens tranſiliat Heſhuſius,& Patres interea iactet, & meras in nos blaſphemias tuetur,
qua tandem fronte ſe penitus effrontem eſſe inficiabitur? Diluenda enim erant Caluini
argumenta,ſi bona fide nobiſcum ageret,non autem prætermittenda: nec vnum & al-
terum verbum fuerat deſcribendum,ſed integer potiùs locus citandus, vt omnes intel-
ligerent an ex Caluini dictis illæ blaſphemiæ meritò eliciantur. Itaque argumenta Cal-
uini ſubijciam,& quid inde colligat oſtendã. *Deus*,inquit Chriſtus ipſe apud Ioannem, Ioan. 3.16
ita dilexit mundum,vt Filium ſuum vnicum dederit. Et idem Ioannes alibi,*In eo apparuit* 1. Ioan. 4.9
Dei charitas erga nos,ꝙ Deus vnicũ Filium ſuum miſit in mundum. Et Paulus,*Hoc*,inquit, Rom. 5.8
*commendat Dei charitatem erga nos,quòd quum adhuc eſſemus peccatores, Chriſtus eſt mor-
tuus pro nobis.* Et Petrus Chriſtum dicit fuiſſe præordinatũ ante iacta mundi fundamen- 1. Pet. 1.20
ta. Ex his affirmo,Heſhuſi,dilectionem Dei non tantùm noſtræ ſalutis,ſed etiam eius,vt
ita loquar,medij per quod ſeruati ſumus, id eſt incarnationis Chriſti, & eorũ quæ inde
conſequuta ſunt,primariam eſſe cauſam & originem. Huius enim dilectionis cauſam
in quo tandem præterquam in ſemetipſo repererit Deus? Nam quod ad Filium attinet,
charitas iſta gratuita fuit illi cum Patre communis, ac proinde nullum eius præcedens
meritum cogitari poteſt,ſicut nullum etiam nobis in Dei verbo ſpectandum proponi-
tur quo ſit Pater ad generis humani redẽptionem obligatus. Sin autẽ naſciturã Chriſti
carnẽ ſpectemus,quid ab illa potuit ꝓficiſci quod hypoſtaticã illã ipſius vnionem ꝓme-
reretur? Acquiſiuit tamen nobis,fateor,ſua obedientia Chriſtus, & verè promeritus eſt
Dei Patris gratiã & vitam æternã. Eſt enim ipſius iuſtitia, obedientia, ſatisfactio omni-
bus numeris & partibus abſoluta:ſed vnde hæc omnia niſi ex immenſo Dei Patris amo-
re,qui Filio aptauit corpus, in quo nos ſibi reconciliaret? Et cur ipſe Filius carnẽ aſſum-
pſit,niſi quia gratis nos dilexit? Ipſe quoque Spiritus ſanctus nónne eadem illa gratuita
charitate impulſus nos in Chriſto iuſtificat & ſanctificat? Sed agè,Heſhuſi, ſi nobis non
credis, vti ſanè abſque Dei verbo credere non debes, crede tamen duplici Auguſtini
teſtimonio,cuius teſtaris vel vnicam ſententiã à te pluris fieri,quàm decẽ ꝓlixas aliorũ August. lib. de prædest. Sanct. cap. 15.
cõciones. Sic igitur ille: *Clariſsimum*,inquit,*lumen prædeſtinationis & gratiæ ipſe eſt Salua-
tor,homo Chriſtus Ieſus,qui vt hoc eſſet,nullis operum vel fidei præcedentibus meritis natura
humana,quæ in illo eſt,cõparauit. Reſpondeatur quæſo,Ille homo vt à Verbo Patri coæterno in
vnitatem perſonæ aſſumptus,Filius Dei vnigenitus eſſet,vnde hoc meruerit? Appareat igitur
in noſtro capite ipſe fons gratiæ,vnde ſecundum vniuſcuiuſq; menſurã per cuncta eius mẽbra
ſe diffundit. Ea gratia quiſque ab initio fidei ſuæ fit Chriſtianus,qua homo ille ab initio ſuo fa-
ctus eſt Chriſtus.* Itẽ alibi,*Nullũ illuſtrius eſt prædeſtinationis exẽplum quàm ipſe Mediator.
Qui enim hunc fecit ex ſemine Dauid iuſtum qui nunquã eſſet iniuſtus,ſine vllo merito præce-
dentis voluntatis eius,ipſe ex iniuſtis facit iuſtos,qui mẽbra ſunt illius capitis.* Hactenus Au-
guſtinus,cuius teſtimonia quum eo ipſo loco citauit Caluinus,non vt Chriſti meritum

euerteret,ſed potiùs vt ſtabiliret,vero videlicet fundamento,id eſt,gratuita Dei in homines miſericordia innixum,tu videris,Heshuſi,cur prætericris,vt falſò & impudenter nobis tantùm crimen obijceres.

Ad tertiam calumniam, De Chriſti intereeſsione.

Ne qua reſtaret impietas quam nobis non obijceret Heſhuſius,hoc etiam exprobrat ꝙ interceſſionē precū Chriſti diſertè reijciat Caluinus,& cū Papiſtis exiſtimet Chriſtū ſolo merito nunc ꝓ nobis intercedere.Hoc an ita ſit videamus. Profert igitur hęc Cal-
Cal.in Ioan. 16.26. uini verba.*Cæterùm*,inquit Caluinus,*quum dicitur intercedere Chriſtus pro nobis apud Patrē,nihil de ipſo carnale imaginemur,acſi ad Patris genua procumbens,preces ſuppliciter cōciperet,ſed virtus ſacrificij,quo ſemel Deum nobis placauit,ſemꝑ vigens,& efficax ſanguis, quo expiauit peccata noſtra,& obedientia quā præſtitit,cōtinua eſt pro nobis interceſsio.* Hæc ſcripſit Caluinus,fateor:ſed illud his verbis ſtabiliri quomodo tandem colliges Heshuſi,niſi manifeſtus eſſe velis ſycophanta?Duo.n.illic dicit Caluinus,quod etiā alijs locis repetit. Vnum,quū de Chriſti patrocinio agitur,nō eſſe quicquā exiſtimandum illius gloria & maieſtate indignum,quaſi videlicet Patris genibus, vt illo inferior, aduoluatur ſupplicantium ritu. Alterum,præcipuas partes huius ſacerdotij quo nunc apud Parrē Chriſtus fungitur,poſitas eſſe in bono & perpetuo ſacrificij ipſius odore. Hæc,inquam,duo,nec quicquā præterea aliud docet his verbis Caluinus.Reliquas autē duas ſacerdotij Chriſti partes,nempe Patroni ſiue aduocati,ſiue deprecatoris munus,itémque ꝙ noſtra ſacrificia,precum videlicet ac laudis,corā Patre ſanctificet,à Caluino nō modò non excludi, vt tu falſiſſimè calumniaris,ſed etiam copioſiſſimè explicari,ex ipſius ſcriptis paſſim ap-
Cal.Inſtitut. lib.2.cap.15. ſect.6. paret.Nā totidem ſacerdotij Chriſti partes ex profeſſo commemorat: *Iam*,inquit,*de ſacerdotio breuiter ſic habēdū,finē & vſum eius eſſe,vt ſit Mediator purꝰ omni macula,qui ſanctitate ſua Deum nobis conciliet.Sed quia aditum occupat iuſta maledicto, vt nobis fauorem comparet Sacerdos ad placandam ipſius iram Dei,piaculum interuenire neceſſe eſt.* Et mox,*Ita videmus à morte Chriſti incipiendum eſſe,vt ad nos perueniat ſacerdotij eius efficacia & vtilitas.*Hic eſt igitur primus huius ſacerdotij vſus, cui alrerū poſtea ſubijcit his verbis, *Hinc ſequitur æternum eſſe deprecatorem,cuius patrocinio fauorem conſequimur.* Hic eſt alter vſus,quem tertius conſequitur. *Qui*,inquit,*in nobis polluti ſumus, in ipſo tamen ſacerdotes,offerimus nos & noſtra omnia Deo,cæleſtéque ſanctuarium liberè ingredimur, vt grata ſint ac boni odoris in conſpectu Dei quæ à nobis proueniunt ſacrificia precum & laudis,&c.* Hæc ille eo in loco.Imò vt melius etiam appareat quid hoc ſit rei,agè, totum & integrū illum locum ex cōmentarijs in Ioannem proferamus,quem tu mutilum citaſti. Sic er-
Cal.in Ioan. 16.26 go Caluinus explicans illa Chriſti verba,*In illa hora in nomine meo petetis,&c.Iterum*,inquit,*cauſam repetit Chriſtus cur tam liberaliter tunc aperiendi ſint cæleſtes theſauri,quia videlicet in nomine Chriſti petent quicquid ſibi opus erit. Deus autem nihil quod Filij ſui nomine petetur,negabit.Sed videtur eſſe in verbis diſsidiū.Subijcit enim continuò pòſt Chriſtus, ſuperuacuum fore vt Patrē ipſe roget. Quorſum autem attinet ipſius nomine precari,niſi patroni ſuſcipiat munus?& Ioannes alibi eum nominat Aduocatum noſtrum.Paulus etiā teſtatur eum pro nobis intercedere. Idem confirmat author epiſtola ad Hebræos. Reſpondeo,non ſimpliciter hoc loco negare Chriſtum ſe interceſſorem fore:ſed hoc tantùm velle,tā propenſum fore erga diſcipulos Patrem,vt ſine vlla difficultate ſponte daturus ſit qquid precati fuerint. Occurret Pater,inquit,ac pro immenſo erga vos ſuo amore patronum, qui alioqui verba eſſet facturus,præueniet.* Hæc Caluinus totidē verbis,quæ cur à te ſint prætermiſſa, Heshuſi, nemo nō animaduertit, quoniā videlicet iſti tuæ calumniæ omnem occaſionem præcîdunt. Quid eſt.n.patronū eſſe, & verba ꝓ alio facere? Sed & alibi ſcribens in illa verba,
Cal.in Ioan. 14.16 *Et ego rogabo Patrē,&c. Docet*,inquit,*Chriſtus,vtut abſit à diſcipulis corpore,nō tamen ſe paſſurum vt auxilio deſtituti iaceāt,quia ꝑ Spiritum ſuū illis aderit.Spiritū hîc vocat donum Patris,ſed quod ipſe precibꝰ ſuis impetrabit. Alibi à ſeipſo dari promittet:vtrunq; verè & aptè dicitur.Nā quatenus Mediator & patronus noſter eſt Chriſtus,à Patre impetrat gratiā Spiritus:quatenus Deus eſt,eam à ſeipſo largitur.Sēſus huius loci eſt,Ego vobis à Patre Paracletus datus fui,ſed ad tēpus nunc defunctus curſu meo,alium petā vobis dari, q tēporalis nō ſit,ſed perpetuò apud vos maneat.* Hæc iterum ſunt Caluini verba de Chriſti apud Parrē aduocatione:in quibus quid tandē reprehendes? Hoc videlicet, quòd Caluinus vſus eſt Petendi verbo potiùs quàm Rogandi. Atqui in tota illa concione Chriſtus ipſe verbis αἰτεῖν & ἐρωτᾶν promiſcuè vtitur:nec Petendi verbum ad ſolam mortis efficaciam niſi calumnioſè trahi poteſt. Denique,Heshuſi,an diſertè reijcit interceſſionē precum Chri-

ſti

ſti,qui diſertè dicit Chriſti precibus Spiritum à Patre impetrari,an tu potiùs in manifeſta calumnia deprehenderis? Cur enim ſaltem non citaſti quæ idem ille in priorem ad Timotheum ſcripſit, vbi hoc argumentum ex profeſſo tractat Apoſtolus? Quoniam videlicet totam hanc calumniã nimium apertè patefaciebant. Sic enim inter cætera ſcribit Caluinus in eum locum in quo dicitur homo Chriſtus Ieſus, vnus eſſe Dei & hominum mediator: *Quidam*, inquit, *ſibi videntur acutiores, dum Chriſtum vnicum ſtatuũt mediatorem redemptionis, ſanctos autem interceſſionis mediatores nominant. Atqui horũ quoque inſulſitatem coarguit loci circunſtantia, quandoquidem hîc de precibus ex profeſſo tractatur. Pro omnibus, inquam, orare Spiritus præcipit, quia vnicus noſter mediator omnes ad ſe admittat, ſicut morte ſua omnes recõciliauit Patri. Et adhuc Chriſtiani cẽſeri volunt qui tam ſacrilega audacia Chriſtũ ſpoliãt ſuo honore? Obijcitur tamen quod ſpeciẽ habet repugnãtiæ. Nã hoc ipſo loco iubet Chriſtus nos pro alijs intercedere. Reſpõdeo ſanctorũ interceſſiones quibus ſe mutuo iuuãt apud Deũ, minimè obſtare quominus tamen vnicũ omnes interceſſorẽ habeant. Nemo enim vel pro ſe, vel pro alio, niſi Chriſti patrocinio fretus exauditur. Quod itaq; alij pro alijs intercedimus, adeò non tollit vnicã Chriſti interceſſionẽ, vt inde maxime pendeat, eóque referatur.* Et mox, *Sunt*, inquit, *res neceſſariò cõiunctæ, ſacrificiũ mortis Chriſti, & ꝑpetua interceſſio: ſuntq; duæ ſacerdotij partes. Nã hac ſignificatione Sacerdos noſter Chriſtus vocatur, ꝙ noſtra peccata ſemel morte ſua expiauit vt Deũ nobis propitiũ redderet: & nunc ſanctuariũ cæli ingreſſus, ad impetrandã nobis gratiã coram Patre apparet, vt eius nomine exaudiamur. quo melius detegitur ſacrilega Papiſtarum impietas, qui dum in hoc officio ſanctos qui mortui ſunt Chriſto ſocios adiungunt, ſimul ad eos transferunt ſacerdotij gloriã.* Hæc igitur quũ rã apertè & perſpicuè ſcripſerit Caluinus, quid inde efficitur? nẽpe te, Heſhuſi, nec tuis nec alienis parcere. Nam Papiſtis quoque iniuriam abs te fieri conſtat, quum illos dicis tradere Chriſtum ſolo ſuo merito intercedere, qui tamen in eo potiùs peccãt, quòd Chriſto & in meriti & in patrocinij munere ſocios adiungant.

Etſi autem iſta moderatis omnibus vel ad ſatietatem ſatisfaciunt, adſcribã tamẽ præterea Caluini locũ ex 1. Ioann. 2, in hæc verba, *Aduocatũ habemus. Eximia*, inquit, *cõſolatio ad nos redit quũ audimus Chriſtũ nõ ſemel modò eſſe mortuũ, vt nobis Patrẽ placaret, ſed aſſiduè intercedere pro nobis, vt aditus nobis in eius nomine ad Deũ pateat, vt preces noſtræ exaudiantur.* Et paulò pòſt, vbi Papiſtarum de multis aduocatis errorẽ refutauit, *Etſi fratres*, inquit, *orant pro fratribus, vnũ tamẽ patronum omnes ſine exceptione reſpiciunt. Obiter verò notandum eſt nimis craſsè errare eos qui Patris genibus Chriſtum aduoluunt vt pro nobis oret. Tollendæ ſunt huiuſmodi imaginationes quæ cæleſti Chriſti gloriæ derogant, ac retinenda ſimplex doctrina, fructum mortis eius recentem ac perpetuum nobis conſtare, quòd ſua interceſſione Deum nobis propitiet, precéſq; noſtras tã ſacrificij ſui odore ſanctificet, quàm patrocinij fauore adiuuet.*

Ad quartam calumniam.

Duo rurſus noſtris Eccleſijs obijcit Heſhuſius, quas per Caluini latus petit. Vnum, quòd audacter vituperet Lutherum, & omnes Germanicarum Eccleſiarum doctores, in eo quòd in primis doceant ex Lege cognitionem peccati, contritionem & pœnitentiam, & dicat talibus nunquam vim naturámque pœnitẽtiæ cognitam fuiſſe. Alterum, quòd ſibi ipſe ſit cõtrarius Caluinus, quum pœnitentiam interdum præponat fidei, interdum poſtponat. Res autem ita ſe habet. Pœnitentiæ nomen varijs modis accipitur. Nam interdum declarat totam ad Deum cõuerſionem, cuius pars non poſtrema fides eſt, vt inquit Caluinus Inſtitut. libro tertio, capite tertio, ſectione quinta. Hoc igitur reſpectu certum eſt fidem eſſe pœnitentiæ, id eſt cõuerſionis partem. Sed interdum pœnitentia nihil aliud declarat quàm μεταμέλειαν, id eſt, dolorem illũ quo neceſſe eſt affici qui ſentiunt aliquid eſſe infectum: ſicut accipitur primæ ad Corinth. ſexto, & ad Hebræos duodecimo. Ex hoc reſpectu dici nõ poteſt fides pars eſſe pœnitentiæ. Fides enim nõ terret animos, ſed potiùs perterritos ſolatur & erigit. Sed hic terror & cruciatus eſt duplex. Nam interdum ita vulneratur conſcientia, vt tamen peccatum verè non oderit, ſed ſolo pœnæ metu excrucietur, ſicut in Cain, Eſau, Saule, Iuda apparet. Nonnunquam verò ſic afficitur animus iudicij Diuini terroribus, vt tamẽ ſeipſum erigat ſpe miſericordiæ, & quoniam verè peccatum odit, reſipiſcat, & in viam iuſtitiæ ingrediatur. In illis igitur, id eſt in impijs, terrores illi & cõpunctiones cordis, ſunt veluti inferorum atrium, & certum ad deſperationem iter: electis verò, vt modò diximus, illi conſcientiæ pauores, quos Contritionem cordis vocãt, occaſionem præbent veræ conuerſionis, Sic

Caluin.in 1. Tim.2.5.

enim agnito peccato, incipiunt de remedio quærere, & oblatum Chriſtũ amplexi, Spiri-
tu ipſius aguntur, vt iuſtitiæ viuant. Hæc autem demum eſt Chriſtiana pœnitẽtia quæ
μετάνοια vocatur, id eſt Reſipiſcentia. Quid igitur eſt in quo diſſidemus à nõnullis? Cer-
tè quod attinet ad ipſam doctrinæ ſubſtantiam nullum diſſidiũ eſt. Conuenit enim inter
nos, initium faciendum à Legis prædicatione, quæ contumaciam humani cordis fran-
Cal. in Act. 2. gat. Nam, vt inquit Caluinus, *hoc pœnitentiæ initium eſt, hic ad pietatem ingreſſus, triſtitiã*
ex peccatis noſtris concipere, & malorum noſtrorum ſenſu vulnerari: &, vt idẽ ſcribit in Lu-
cæ 15, *cui non dolet peccaſſe, & ſua culpa ante oculos non verſatur, quiduis potiùs tentabit,*
quàm vt ad bonam frugem redire cogitet. Hoc autem eſſe primum Legis officium, vt no-
bis quaſi in ſpeculo mortem æternam proponat, copioſè docet ex profeſſo, libro Inſti-
tut. ſecũdo, capite ſeptimo, ſectione ſexta, ſeptima, octaua & nona. Sed & in his capiti-
bus prorſus conſentimus, Pœnitentiam eſſe gratuitum Dei donum, & cum iuſtitiæ im-
putatione neceſſariò cohærere, & execranda eſſe Papiſtarum deliria de contritionis &
ſatisfactionis meritis, & auriculari cõfeſſione, quas eſſe volunt fictitij ſui ſacramenti par-
tes. Ergo qua tandem in re diſſentimus? In hac videlicet, quòd varias nominis Pœniten
tiæ ſignificationes ex vſu Scripturæ putamus diſtinguendas: & quum agitur de reſipi-
ſcentia, cauſas ipſius putamus ab effectis accuratius diſtinguendas quàm nonnulli ſo-
leant, & ſingulas eius partes planius explicandas: quoniam niſi hæc methodus obſer-
uetur, non putamus vim reſipiſcẽtiæ ſatis commodè poſſe explicari. Primùm ergo quũ
agitur *περὶ μετανοίας*, dicimus contritionem cordis ſiue pauores cõſcientiæ, nõ eſſe pro-
priè illius partem. Nam ſi pars illius eſſet, res eſſet ſuapte natura ſalutifera, quum è con-
trario propriè nihil aliud quàm deſperationẽ & mortem pariat, neque vllo modo pſit
niſi *κατὰ συμβεβηκός*. Nam multi terrentur qui nullo modo reſipiſcunt, ſed intus potiùs
magis ac magis æſtuant, donec tanto oneri ferendo prorſus impares in extremum præ-
cipitium ruant. Interim tamen ab hoc remedio tanquam neceſſario inchoandum eſſe
docemus ad frangendam peccatoris contumaciam, & ipſius animum ad docilita-
tem præparandum: quanuis hæc cordis contritio propriè docilem non reddat pec-
catorem, ſed noua potiùs Dei gratia illum reſpicientis cuius miſereri conſtituit. Aliud
autem eſt quærere quibus modis ad reſipiſcentiam ſiue renouationem vitæ nos præ-
paret Deus, quàm agere de ipſa reſipiſcentia. Sit igitur ſanè agnitio peccati & triſtitia
ſecundùm Deum, reſipiſcentiæ initium, ſed quatenus Deus hac via incipit nos ad vitæ
renouationem præparare, quo reſpectu iſtum Dei timorem meritò Caluinus initialem
vocare conſueuit.

Præterea pauores illos conſciẽtiæ non ita ſolemus Mortificationem carnis ſeu vete-
ris hominis vocare, vt nonnulli ſolent, in pœnitentiæ deſcriptione, quanuis verbũ Dei
ſciamus gladio comparari, qui nos quodammodo mactet, vt nos Deo in ſacrificium of-
feramus, & afflictiones alicubi vocet Paulus Chriſti mortificationem quam in corpore
noſtro circunferimus. Conſtat enim Mortificationem carnis & veteris hominis ſiue
membrorum noſtrorum, apud Paulum longè aliud ſignificare: illam videlicet Spiritus
Chriſti efficaciam, non quæ nos terreat, ſed quæ nos ſanctificet, corruptã illam naturã
in nobis perimendo quæ morti fructificabat. Iam verò in eo quoque à nõnullis diſcre-
pamus, non quod ad rem ipſam attinet, ſed in ipſa docendi ratione, ſiue forma, quòd illi
volunt fidẽ eſſe alterã pœnitentiæ partem, nos verò *μετάνοιαν* (quo nomine intelligimus
vitæ renouationem, ex Scripturæ conſuetudine) dicimus eſſe fidei effectum, idque ita
confirmamus. Nemo ſeriò reſipiſcit, niſi qui ſeipſum abnegans, peccatum odit ex ani-
mo, & iuſtitiam ex præſcripto verbi Dei volens amplectitur. Hoc nemo vlla ex parte
præſtare vult aut poteſt niſi qui eſt regeneratus. Nemo regeneratur à Deo niſi in Chri-
ſto. Chriſtum nemo amplectitur cuius iuſtitia gratis imputata iuſtificetur, & cuius par-
ticipatione ſanctificetur, niſi qui fide eum amplectitur. Ergo fides pœnitentiam ſiue re-
ſipiſcentiam ordine præcedat neceſſe eſt, vt cauſa effectum antegreditur. Non eſt igi-
tur fides pars pœnitentiæ, niſi ampla illa ſignificatione pœnitentiam vocemus totam
ad Deum conuerſionem, vt initiò diximus: ideóque paſſim etiam in Scripturis hæc duo
diſtinguuntur, & tanquam diuerſa enumerantur, vt Actorum vigeſimo, & alibi. Neque
ſanè exiſtimamus aliò reſpexiſſe qui fidem ſtatuunt reſipiſcentiæ partem, quàm vt iſta
duo inter ſe perpetuo nexu oſtenderent copulari. Itaque vt omnia in ſummam contra-
hamus, *μετάνοιαν*, ſiue pœnitentiam, ſiue reſipiſcentiam Chriſtianam vocamus, quãdam
totius vitæ commutationem in melius, cuius duas partes facimus, nempe abnegare ſe-

metipſum,

metipſum,& totum ſe Deo addicere:ſiue mortificationem veteris hominis & viuificationem noui:ſiue peccati odium & iuſtitiæ ac pietatis ſtudium. Hæc enim omnia, & ſi quæ ſunt eiuſmodi,eòdem recidunt.Hæ ſunt verò illius cauſæ.Dei gratuita in ſnos electos charitas, ſumma eſt omnium ipſius beneficiorum efficiens cauſa, ſicut eadem à Chriſto tanquam vberrimo fonte in nos promanant,per Spiritus ſancti virtutem. Inſtrumentis autem varijs ac multiplicibus vtitur Deus ad nos immutandos. Primùm enim vel terrifica Legis prædicatione,vel ſeueris ſuis iudicijs, vel hoc vtroque ſimul remedio vti ſolet vt torpentes noſtras conſcientias non tantùm expergefaciat, ſed etiam acerrimo ſenſu vulneret.Hac igitur ratione Lex,peccati agnititio,diſplicentia,& quæcunque ſunt huiuſmodi, dici poſſunt in electis futuræ reſipiſcentiæ principia, quatenus videlicet ad fidem præparant,vnde poſtea reſipiſcentia emergat. Nam quiſquis remiſſionem peccatorum in Chriſto per fidem adipiſcitur,is quoque Spiritu eiuſdem ſimul ſanctificatur.Succedit deinde prædicatio Euangelij,quæ gratuitam reconciliationem annuntiat,& Spiritum ſanctum efficaciter promittit & donat. Hæc verò propriè eſt Pœnitentiæ cauſa inſtrumentalis. Lex enim terrere quidem poteſt malos, & quodammodo vel inuitos compeſcere,ſed Dei & iuſtitiæ amorem ingenerare non poteſt. Occidit enim,non viuificat. Itaque prophani philoſophi & ſtulti pœnitentiæ doctores,euiuſmodi ſunt in Papatu,vt omnia bene viuendi præcepta ſimul congerant, nihil tamen proficiunt,quoniam ſurdis canunt. Spiritus autem Dei in vnico Euangelio ad ſalutē efficax,dum homines prorſus innouat,vt incipiant velle & facere quæ Dei ſunt, vnus verè ac propriè in nobis gignit reſipiſcentiam,vt nobis ita regeneratis prædicatio Legis non modò non ſit amplius mortifera, ſed etiam iuſtitiæ & ſalutis iter nobis commonſtret,ac proinde ſit nobis ipſa reſipiſcentiæ forma. Finis denique reſipiſcentiæ eſt, vt Deus in nobis glorificetur, & in ipſius via ambulantes, gratis tandem æternæ vitæ dono potiamur.Hæc eſt,Heshuſi,noſtræ de pœnitentia doctrinæ ſumma,quantum quidem ad hanc tractationem attinet.In ea verò quid tu tandem dignum inuenies cur tantos clamores excites,quaſi nouum quoddam doctrinæ genus,nouam fidem, nouam pœnitentiam,nouum aliquem Chriſtum annuntiemus?quaſi dum volumus quotidie proficere,præclara & eximia illa Dei organa quorum laboribus non mediocriter nos adiuuari profitemur,pro nihilo habeamus:quaſi denique cum Antinomis ſentiamus,& quis ſit Legis legitimus vſus ignoremus. Docendi methodus,fateor,diuerſa eſt,& vtinam eadem per omnia eſſe poſſet. Verùm quis hanc legem omnibus Eccleſijs & Doctoribus imponet,vt non tantùm eadem doctrina(quod in primis requiritur) ſed etiam vna & eadem docendi ratio à ſingulis obſeruetur? Sed voluiſti nimirum, vt es homo pacis amans,quaſi ſatis diſſidiorum non eſſet per hos annos à te & tui ſimilibus denuò excitatum,noua alia incendia in Eccleſia Dei excitare,& nonas inter fratres inimicitias ſerere. Sed Deus, vt ſpero, expectationem tuam fallet, & aſſiduos noſtros pro Eccleſiarum pace gemitus exaudiet.

Supereſt vt videamus quibus argumentis probes, Heshuſi, Caluinum à ſeipſo diſſidere. Caluinus ita ſcripſit lib. Inſtit.3.cap.3.ſect.20, *Vt peccati odium,quod pœnitētiæ exordium eſt,primum nobis ad Chriſti cognitionē ingreſſum aperit, qui nullis ſe exhibet niſi miſeris & afflictis peccatoribus qui gemunt,laborāt,onerati ſunt,eſuriunt*,&c. Quid autem hinc colligis? *nēpe*(inquis) *ſi pœnitētia apit primum ingreſſum ad cognitionē Chriſti, profectò ſalvifica fides eā nō præcedit,qua & ipſa verè Chriſtū agnoſcit.* Atqui hoc eſt Sophiſtā agere. Neq; enim dicit Caluinus pœnitentiā primū ingreſſum parefacere ad Chriſtū,ſed pœnitētiæ exordiū,id eſt illud à quo exorditur Dominus quum vult nos in Filio ſuo renouare. Quódnā aūt illud eſt?nēpe agnitio peccati cū grauiſſimo ſenſu. Hæc verò agnitio peccati quo reſpectu dici poſſit pœnitētiæ exordiū paulo antè oſtēdimus: nēpe nō propriè nec ſimpliciter,ſed quatenus Dominus hoc modo expergefactos ſuos electos ad fidē præparat. Hæc aūt fides eſt vera & germana pœnitentiæ,id eſt emēdationis vitæ mater,quatenus in Chriſto per fidem apprehenſo regeneramur. Nā vt eodem in loco pulchrè & verè idem Caluinus ſcribit,nemo genuino peccati odio tenetur, niſi prius iuſtitiæ amore capt*. En tuū acumen,cui tamen hoc largior, ſi pœnitentiæ nomen largè accipiatur,poſſe contritionem vocari eius partem, adeò vt hoc reſpectu dici poſſit pœnitentiæ pars aliqua fidem præcedere,pars verò ſubſequi,quatenus videlicet illud pœnitentiæ exordium eſt præparatio ad fidem,vt diſertè ſcripſit Caluinus, in Act.20.

Citas præterea aliū Caluini locū ex 2.ad Tim.2.vbi ſcribit Pœnitentiæ initium eſſe in

agnitione veritatis. Ex his autem duo vis effici: vnum, ſi fides præcedit pœnitentiam, vt ſentit Caluinus, & in pœnitentia primùm cognoſcitur veritas, fidem non eſſe agnitionem veritatis, quod eſt falſum & impium: alterum, ſi fides quoque eſt agnitio veritatis, & ab huius agnitionis initio incipit pœnitentia, oportere neceſſariò vt pœnitentia primo loco doceatur, & fidem præcedat. Atqui neque Caluino neque ſano cuiquã homini vnquam in mentem venit vt diceret pœnitentiam eſſe initium agnitionis veritatis, vel principium agnitionis veritatis eſſe pœnitentiam, vt tu comminiſceris. Sed hoc dicit Caluinus, ab agnitione veritatis tanquam fonte ſcaturire pœnitentiam, id eſt vitæ innouationem. Agnitionem autem veritatis vocat illuſtrationem oculorum mentis, ſicut
Ephes.1 à Paulo in epiſtola ad Epheſ. deſcribitur. Hæc verò illuſtratio quum neceſſario cum fide cohæreat, vtpote quæ ſit ita cum fide connexa, vt illi ſit dux ſimul & comes, quum ipſi tribuitur initium reſipiſcentiæ: tantum abeſt vt fidei quicquam derogetur, vt contrà explicetur quo modo & quibus gradibus fides in electorum animis reſipiſcentiã gignat. Manes igitur hic quoque manifeſtæ calumniæ reus.

Ad quintam calumniam, in qua diſſeritur de Oſiandri errore.

Quid plura? etiam Oſiandriſmum Caluino obtrudis Heshuſi, à quo tamen fateris refutata fuiſſe Oſiãdri deliria, ſiue id fecerit, inquis, rectius edoctus, ſiue ignarus ſe ſibimet contradicere. Nos quid hoc rei ſit, agè, videamus. *Oſiãder*, inquis, *docet carnẽ Chriſti nec alijs prodeſſe poſſe, nec iuſtã eſſe per ſeſe, aut vitã habere, ſed ab inhabitãte Diuinitate & ipſam iuſtificari ac viuificari, & nobis ad vitã ac iuſtitiã fieri efficacẽ.* Hæc tu, Heshuſi, in quibus admodum profectò obſcurè loqueris. Nã ſi quis ſimpliciter dicat carnem Chriſti non prodeſſe, nec hoc dictum explicet, omni ſpe ſaluris homines priuarit. ſin autem dicat carnem Chriſti non prodeſſe ſi ſeorſim & per ſe conſideretur abſque illa vi qua perfuſa eſt à Deitate cui hypoſtaticè eſt vnita, verè & rectè ſenſerit. Vtrum autem ſenſerit Oſiander, ex illis tuis verbis intelligi non poteſt. Præterea ambiguè etiam dicitur, Chriſti carnẽ non eſſe iuſtam per ſeſe: quoniam illud PER SESE, vel ad cauſam efficientem iuſtitiæ referri poteſt, vel idem valet atque SEORSIM & SEPARATIM. Res autem ita ſe habet, quantum quidem potui ex ſcripta Oſiandri confeſſione & ipſius articulis quibuſdam colligere. Vir ille valde, vt ex eius ſcriptis apparet, ſibiipſi placens, in duobus præcipuis ſaluris noſtræ capitibus lõgiſſimè aberrauit à ſcopo. Primùm quidem in iuſtitia Chriſti, deinde in ipſius communicatione explicanda. Etſi enim, vt ij facere ſolent qui malam cauſam defendunt, nonnihil interdum videtur Chriſti carni & eius obedientiæ tribuere, tamen ſi diligenter omnia expendas, comperies eum in ſola Chriſti Diuinitate ſubſiſtere, quaſi Chriſtus Deus & homo, reſpectu Diuinæ naturę, non humanæ, factus ſit nobis iuſtitia. Neque enim aliam in Chriſto iuſtitiã ponit quàm eſſentialem, id eſt quà Deus eſt. Atqui ex hoc fonte duos præterea riuos promanantes conſiderare oportuit, quorum reſpectu propriè dicitur Chriſtus nobis à Deo factus eſſe iuſtitia & ſanctificatio. Primùm enim conſtat etiam animæ & carni Chriſti ſua integritas ſiue iuſtitia, eáque minimè eſſentialis, vt eſt Diuinæ naturæ iuſtitia, ſed qualitatis rationem habens. Deinde ſeorſum nobis eſt diligenter expendenda huius veluti δυνάμεως ἐνέργεια, id eſt illius facultatis effectus, nempe Chriſti obedientia, qua factum eſt vt omnem iuſtitiam pro nobis reipſa impleret, ſicut omnibus ijs erat inſtructus quæ ad eius impletionem requirebantur. Et huius quoque iuſtitiæ ratione Chriſtus verè dici-
Ioan.8.46 tur iuſtus, ſecundum illud, *Quis veſtrûm arguet me de peccato?* Sunt autem iſta diligenter & attentè diſtinguenda, quoniam in his poſita eſt noſtræ ſalutis materia. Eſſentialis.n. illa iuſtitia, quæ eſt Deus ipſe, fons quidem eſt & ſcaturigo omnis iuſtitię ac vitæ, neque nos Chriſtus ſeruaret niſi Deus eſſet: ſed hanc ſalutem viciſſim oportet meminerimus nobis non alibi quàm in carne Chriſti Mediatoris exhibitam. Eſt enim nobis factus iuſtitia & ſanctificatio à Deo, quatenus ſerui formam induit: vt nos iuſtificaret quatenus eſt expiatrix victima, & Agnus tollens peccata mundi, & nos ſanctificaret Spiritus ſui plenitudine, vt qui ſeipſum propter nos ſanctificarit. Etſi igitur iuſtificatio & ſanctificatio, ſiue imputatio iuſtitiæ, & regeneratio, nunquam ſeparantur, tamen accuratè diſtingui debent, ſicut paſſim apud Apoſtolum diſtinguuntur: quanuis interdum Iuſtificationis nomine vtrunque intelligatur. Nam obedientia Chriſti, qua pro nobis mortuus ſatiſfecit, & omnem iuſtitiam pro nobis impleuit, eſt illa iuſtitia cuius gratuita imputatione iuſtificati, audemus coram Deo comparere. Illa verò ſumma Chriſti hominis cum Deo vniti integritas, & vis illa inenarrabilis qua perfuſa eſt Chriſti caro,

vt

vt omnes etiam eos viuificaret qui per fidem fierent eius participes, illa eſt iuſtitia quæ verè in nobis agit, non per imputationem, vt altera illa quam diximus, ſed reipſa. Nos enim verè intus innouat, mortificans in nobis veterem hominem, & cor mundum creans, atque adeò nos ſpiritualiter viuificans ac regenerans, ſed paulatim & certis tantùm gradibus. Itaque altera illa iuſtitia, id eſt Chriſti obedientia, quoniã vt in ſeſe perfecta eſt, ita etiam tota & integra nobis per imputationem donatur, certam in nobis fiduciam ſalutis gignit, quum hoc reſpectu nulla ſit condemnatio in ijs qui ſunt in Chriſto Ieſu. Iſta verò quam reipſa in nos inſpirat viuifica Chriſti Dei & hominis caro, & quæ à nonnullis vocatur inhærens iuſtitia, quoniam in hac vita duntaxat inchoatur, idcirco noſtras conſcientias pacare non poteſt, ſed eſt duntaxat Chriſti in nobis habitãtis teſtimoniũ, ac proinde futurę noſtræ ſalutis pignus. Hæc verò omnia quum Oſiãder confunderet, eius dogma vt peſtiferum, ab omnibus ſanis hominibus meritò exploditur.

In altero verò capite, id eſt, in iuſtitiæ Chriſti communicatione, magis etiam ille videtur deliraſſe. Vult enim Chriſti carnis ſubſtantiam corporaliter & realiter nobis cõmiſceri, vt ſeſe Deus eſſentialiter in nos transfundat, & ita demum eſſentialem ſuam iuſtitiam nobis inſpiret. Nam ſicut eſſentialem iuſtitiam, itá quoque eſſentialem & realem inhabitationem & commixtionem vrget, vt inde ſuam iuſtificationem extruat, quã cum ſanctificatione confundit, vt paulò antè diximus. Nos verò ex verbo Dei affirmamus, oportere quidem vt fiamus Chriſti membra, & verè ipſi inſeramur in vnum corpus, priuſquam fiamus ipſius donorum compotes, id eſt, priuſquam in ipſo iuſtificemur & ſanctificemur. ſed myſticum & ſpiritualem eſſe dicimus hunc coniunctionis modum, cuius inſtrumentum eſt fides, & totam illam eſſentialem carnis inhabitationem ſiue eſſentiæ commixtionem, & cæteras eiuſmodi craſſas imaginationes, vt inaniſſima figmẽta repudiamus.

Hoc eſt Oſiandri dogma, quantum potui ex ipſius ſcriptis colligere. Neque enim velim illi facere iniuriã, ſi fortè aliter ſenſit, vt à quibuſdam video illum excuſari. Hęc quoque noſtra eſt doctrina, quam iudicamus verbo Dei conſentaneam. Tu verò, grauiſſime cenſor, etſi non ignoras quid de eſſentiali illa iuſtitia ſentiamus, & qua fide, induſtria ac diligentia Caluinus inter cæteros noſtræ memoriæ theologos, vtriuſque Chriſti naturę proprietates, & Mediatoris officium aduerſus omnes hæreticos defenderit: atq; etiam videas totum illud Oſiandri figmentum niti corporali & reali illa carnis Chriſti manducatione quã ipſe defendis: qua tandem fronte Caluinum dicere ſuſtines in duobus cum Oſiandro conſentire? *Primùm enim*, inquis, *ſcribit Caluinus carnem Chriſti nõ habere à ſeſe vim illã viuificã, ſed à Diuinitate ſiue Spiritu inhabitãte, quo tota eſt perfuſa.* Hoc autem quũ perinde interpretaris, ac ſi dixiſſet Caluinus, vim viuificatricẽ non reſidere in Chiſti carne, ſiue carnem Chriſti non eſſe viuificum cibum, ſed ex ſola eius Deitate vitam in nos promanare, Chriſtum denique nos non humanæ, ſed Diuinæ naturæ reſpectu iuſtificare: quum, inquam, hoc Caluini dictum ita torques, Heshuſi, quid aliud quàm calumniatorem agis? Nam alioqui ſi carnem Chriſti exiſtimas aliunde non accepiſſe viuificandi facultatem, neceſſe eſt ſemini Adami tribuas quod vnius Dei propriũ eſt. *Caro*, inquit Auguſtinus, *non prodeſt quicquã. ſed ſola caro. Spiritus accedat ad carnem, quo modo accedit charitas ad ſcientiã, & prodeſt plurimùm.* Oſtẽde igitur, Heshuſi, Spiritũ, & eum quidem viuificum, nõ acceſſiſſe ad carnem, ſed ipſius carnis eſſe: aut deſine Auguſtinum, vel potiùs Dei veritatem in Caluini perſona calumniari. Aug tract. in Ioan. 2.

In altero verò quis te non putet præuaricari? Dicimus fidem apprehendere in primis ipſum Chriſtum, deinde verò ipſius beneficia, ac proinde nobis non ſatisfacere qui in Chriſti beneficijs ſubſiſtunt, quum priore loco (ſi ordinem cauſarum ſpectes) oporteat nos cum ipſo vnum fieri, & membra corporis ipſius, atque adeò, inquit Caluinus in 1. Corinth. 11. in vnã & vitam & ſubſtantiam, vt ita loquar, cum eo coaleſcere. Addit poſtea Caluinus ſubſtantia corporis Chriſti paſci animas noſtras, (ſpiritualiter videlicet & fide comeſi) & ſe loqui de vero illo corpore crucifixo. Ibi porrò agi de Cœna Domini ne ipſe quidem audeas inficiari. Quî fit igitur vt nos ferre non poſſis, quum tibi concedimus quod tantopere contendis, nempe ipſius veri corporis ſubſtantiam verè nobis in Cœna communicari? Quis ergo tibi ſatisfaciat? Nam ſi ſpiritualem communicationem eſſe dicimus, ſtatim clamitas nos nullam aliam *κοινωνίαν* ponere, quàm virtutis & efficaciæ Chriſti. Sin verò dicimus nos verè fieri ipſius ſub-

ſtantiæ Chriſti participes, calumniaris nos eſſe Oſiandriſtas. Sed neutrum verum eſt. Aſſerimus enim & in ſimplici prædicatione Verbi, & in vtroque ſacramēto Chriſtum ipſum nobis offerri,& verè per fidem communicari Spiritus ſancti virtute,vt cū eo ſpiritualiter vnum facti,omnium ipſius bonorum verè ſiamus participes, quæ cuiuſmodi ſint paulò antè expoſuimus.Cur autem hoc aſſeramus,ſuo loco demonſtratum eſt. Sed tamen neque tecum,Heshuſi,neque cum Oſiandro carnem Chriſti eſſentialiter,vel in, vel cum,vel ſub pane collocamus,ſed in cælis quærimus vbi eſt, & eam verè amplectimur,neque corporalem oris ſumptionem vllam,ac multò minus etiam ſubſtantiæ ꝑmixtionem, & vlla eiuſmodi deliramenta imaginamur. Nunc igitur videris Heshuſi, túne an Caluinus Oſiandri commenta ſtabilias.

Poſtremò Heshuſi Caluinum in eo quoque deceptum putas, quòd Chriſtum prius velit in nobis habitare quàm nos iuſtificare,*cōtra Scripturā*,inquis,*quæ ponit Chriſti inhabitationē tanquā iuſtificationis fructum*. Reſpondeo verum eſſe quod docemus,oportere videlicet Chriſtum prius(quod ad ordinem cauſarum attinet)noſtrum fieri, ſiue nobis ſpiritualiter applicari,quàm in ipſo quicquam conſequamur, ſicuti prius oportet ſumi ab ægroto medicinam quàm eius efficaciā ſentiat. Hoc ſi tu negas,Heshuſi,dico te ꝑrſus inſanire. Quòd ſi per inhabitationem Chriſti intelligis ipſius communicari Chriſti effecta,id eſt regenerationis gratiam,non aliter ſentis quàm is ipſe quem oppugnas,eo excepto,ꝙ iuſtificationis fructum impropriè vocas, id quod nō manat ex iuſtificatione, quanuis cum ea cohæreat:quoniam quiſquis in Chriſto per fidem apprehenſo per imputationem iuſtificatur,idem eiuſdem ſpiritu ſanctificatur.

Ad ſextam calumniam.

Ad ſextam calumniam reſponderē,niſi typographus eam præterijſſet, in hac re fortaſſe ſapientior eo ipſo cuius librum excudit.

Ad ſeptimam calumniam,in qua diſſeritur de infantum ſanctificatione.

Si tibi Heshuſi creditur, tradit Caluinus infantes ex Chriſtianis natos,eſſe filios Dei & Abrahæ,quia ſint ex Chriſtianis nati,nō quia vel baptizentur,vel credant: & ita nos reuocat ad Iudaicos errores.Res autē ita ſe habet.Quoniam expreſſè dicit Dominus in

Gen. 17. 7. Exod. 20. 6. fœdere,*Ero Deus tuus & ſeminis tui:*& alibi, *Se facere miſericordiam in mille generationes ijs à quibus diligitur:*idcirco infantes ex fidelibus parentibus natos ꝓ ſanctis, id eſt in fœdere diuino cōprehenſis habemus,& cum Paulo dicimus, ſi radix eſt ſancta,ſanctos etiā eſſe ramos. Litiges igitur,Heshuſi, cum Paulo. Verùm,an negamus Deo liberum eſſe tum extraneos deligere,tum etiam ex ſanctorum liberis quoſcunque libuerit reijcere? Minimè.Neque enim à ſeipſo diſſidet Apoſtolus, quum inquit,non omnes eſſe Iſraelitas qui ſunt ex Iſrael. Sed occulta hæc iudicia Deo relinquentes, tantiſper dum ea patefaciat,omnes fidelium infantes iudicamus ad Eccleſiam pertinere,ac proinde baptizamus.Cur enim aliter ſtatueremus,quum ſint in fœdere comprehenſi? An verò quia dicimus cum Paulo,ſanctos ex ſanctis naſci,idcirco arbitramur ob id ſanctos eſſe, ꝙ ex ſanctis ſint nati?Minimè.Hæc enim concluſio tua eſt Heshuſi, non noſtra,qui, Dei gratia,non ignoramus ex gratuita Dei miſericordia,nō autem ex carne proficiſci vocationem eorum qui ſeruandi ſunt,ex quibuſcunque tandem naſcantur.An etiam propterea negamus Chriſtum & fide apprehēdi & in Baptiſmo indui? Minimè.Eſt enim hæc quoque tua concluſio Heshuſi,non noſtra. Quos enim Deus fœderi ſuo deſtinauit,eos nō dubium eſt quin Filio ſuo donet per ea media quæ in Eccleſia ſua in hunc finem conſtituit:& cauſæ ſubordinatæ primam non tollunt. Certè quum ita aduerſum nos colligis, non minus es ridiculus quàm ſi nos diceres,quum exiſtimamus hominem cibo nutriri, negare nos à Deo paſci.

Secundo loco Caluinum fingis negare infantes per Baptiſmum regenerari, ſed illic tantùm obſignari ſalutem,cuius prius fuerunt participes. Atqui nobis nunquā in mentem veniſſe,vt Baptiſmi vim & efficaciam eleuaremus,aut minus ei tribueremus quàm expreſſum Dei verbum teſtatur, nempe lauacrum eſſe regenerationis qua Chriſtum induimus,& Chriſto inſerimur ac conſepelimur, vel ipſi Catabaptiſtæ & Anabaptiſtæ contra te Heshuſi aliquando coram Deo & ipſius Angelis teſtabuntur. Sed tamen hoc cuiuſmodi ſit videamus. Sicut toties dicimur Chriſtum apprehendere,quoties illū in Verbo oblatū amplectimur,& corporis ac ſanguinis Chriſti fieri participes, quoties ſacrum illum panem fide ſumimus, & ex ſacro illo poculo fide bibimus,quatenus videlicet illis medijs magis ac magis in dies Chriſto vnimur,& arctius cum illo coaleſcentes

omnia

omnia eius beneficia quotidie in nobis obſignantur: ita etiam accipiendum tradimus q̄ dicimur in Baptiſmo Chriſtum induere, Chriſto inſeri & conſepeliri, & in eo ablui ac regenerari. Dicimus enim oportere nos in fœdere comprehendi, ac proinde ad Chriſtum pertinere, priuſquàm baptizemur: neque gratiam adoptionis à Baptiſmo inchoamus, ſed per eum potiùs dicimus illam in nobis obſignari, ſicut iubetur Paulus Baptiſmo abluere peccata ſua, quorum tamen veniam iam erat conſequutus. Id autem ita eſſe apparet ex analogia Baptiſmi & Circuncitionis, & Eccleſiæ conſuetudine. Iniijt enim fœdus Dominus cum Abrahamo, & tota ipſius familia, priuſquàm circunciderentur, neq; Circuncitio dici poſſet σφραγὶς iuſtitiæ fidei, niſi per fidem fuiſſet Abrahamus ante Circuncitionem iuſtificatus. Sic Eunucho Baptiſmum petenti reſpondet Philippus, fas illi eſſe baptizari, ſi modò ſeriò crederet. Sic credit Cornelius, ſic etiam carceris cuſtos, & poſtea baptizatur: neque vnquã Eccleſia catechumenis ante publicam fidei profeſſionem Baptiſmum præbuit. Quòd ſi Baptiſmus prima eſſet in Chriſtum inſitio, nemo certè à Baptiſmo eſſet arcendus, & inde faciendum eſſet Chriſtianiſmi initium, non autem à fidei cognitione & profeſſione. Ex his verò colligi dico, ſicut prius ſcribi oportet diploma quàm ſigillum apponatur, ita oportere nos in fœdere Chriſti prius comprehendi quàm baptizemur: ac proinde nos tum primùm Chriſto non donari quum baptizamur, ſed Baptiſmo noſtram in eum inſitionem obſignari. Quum autem oportere dico, ad Eccleſiæ ordinem reſpicio: quæ ex probabilibus coniecturis iudicat an aliquis ad Chriſtum pertineat: putà in infantibus, ſi quis ex fidelibus ſit prognatus: in adultis, ſi quis Chriſtianam fidem ſe amplecti profiteatur, & Eccleſiæ per Baptiſmum inſeri roget. Nam poteſt quidem eſſe ex reproborum numero, qui ex fidelibus eſt prognatus, & poteſt aliquis ſimulatè ſe Chriſtianum profiteri: ſed occulta hæc iudicia Deo relinquenda ſunt, & ex apparentibus ſignis iudicandum. Hinc etiam veteres illæ formulæ, CREDIS? CREDO. ABRENVNCIAS DIABOLO? ABRENVNCIO: quibus verbis tum adulti Catechumeni, tum etiam infantium parentes rogabantur, vt conſtaret an baptizandi ad Chriſtum pertinerent priuſquàm Chriſti nota inſignirentur. Quòd ſi excipias, Heshuſi, diuerſam eſſe infantium & adultorum rationem, fateor quidem id verum eſſe quod ad formam, non autem quod ad rei ſubſtantiam attinet. Idem enim Baptiſmus & infantibus & adultis ad eundem finem præbetur, quanuis ab iſtis expreſſum fidei teſtimonium requiratur, ab illis non item. Etſi autem infantes veriſimile eſt fidem ipſo actu (quod aiunt) non habere, ſed duntaxat eius ſemen, tamen quũ in fœdere Dei comprehendantur, quod irritum eſſe non poteſt, meritò arbitramur, eos in peculio Domini cenſeri, & Spiritu ſancto perfundi, qui ſuo tempore virtutem in illis exerat. Neque enim Baptiſmi efficaciam ad illud temporis momentũ reſtringimus quo exhibetur, ſed illum pro bona Dei voluntate ſcimus fructum bonum edere. Nos igitur de Baptiſmo ita docemus. quòd ſi quiſquam in eo nos oſtenderit à verbo Dei aberrare, gratiam illi habebimus.

Cæterùm pergis, Heshuſi, & addis, idcirco Caluinum ſentire non eſſe properandum, vt infantes Baptiſmo initientur, atque etiam improbare vt in ſummo caſu neceſſitatis infantes à mulieribus baptizentur: quod, inquis, ſemper in Eccleſia receptum fuit. Addis præterea lepidam fabulam quã à teſtibus fide dignis acceperis: Caluinum videlicet quũ in tẽplo eſſet, iuſſum à ſuis vt ꝓperaret baptizare puerum imbecillẽ tunc natũ, reſpondiſſe cras hora ſolita baptizatum iri, ſi ſuperuixerit: ſicque infantem ſine Baptiſmo eius culpa extinctum. Ego reſpõdeo, noſtrarum Eccleſiarum hãc eſſe conſuetudinem, vt ſemper à concione (concio verò ſingulis diebus habetur, & diebus Dominicis quater in vrbe in ſingulis templis repetitur) infantes baptizandi ad pulpitum afferantur, & in totius Eccleſiæ cœtu baptizentur. quod ſi quis facere negligat, nec Eccleſia nec Magiſtratus officio ſuo deeſt. Falſum igitur & ineptiſſimum eſſe quod narras Heshuſi, omnes ij teſtabuntur qui noſtras Eccleſias norũt. Nã, Dei gratia, neminẽ noſtrorũ exiſtimamus vel tam eſſe importunum vt publicum ordinem poſtulet ſui cauſa violari, vel tam parum in Chriſtiana doctrina profeciſſe, vt ſuorum liberorum ſalutem ita putet Baptiſmi ſacramento alligatam vt tu ſomnias. Quod enim de caſu neceſſitatis refers, vix dignum putarem refutatione, niſi error iſte nimium eſſet inueteratus. Habuit Eccleſia ſub Apoſtolis hunc morem, vt ſicut ferebat occaſio, & priuati & publici cœtus haberentur, in quibus etiam adminiſtrabatur Baptiſmus, vt ex Actis Apoſtolicis animaduertere licet. Vbi verò politia publica conſtitui potuit, quoniam diebus ferè Dominicis Act. 10. & 16

conuentus fiebant, ijs etiam diebus baptizabatur, vt ex Iuſtini Apologetico poſteriore liquet. Poſtea, vt mox omnia collabi cœperunt, quũ præſertim maxima eſſet baptizandorum multitudo, quòd pleriq; adulti erãt, & prius catechizãdi quàm baptizarentur, duo tantùm dies Baptiſmo ſunt dicati, Paſcha & Pentecoſte, ſicut ex Leonis præſertim epiſtolis apparet. Hinc factum vt caſus aliqui neceſſitatis (quos vocant) eſſent conſtituendi. Quid enim ſiquis ad certum illum diem præſtò adeſſe non poſſet? quid ſi quis interea de vita periclitaretur? Iſti certè quum fidem profiterentur, & Baptiſmo initiari poſtularent, nõ debuerunt tanta conſolatiune priuari. Itaque illos fas fuit extra ordinem baptizare, putà nauigantes, & quos Grabbatarios ſiuè Clinicos vocabant. Sed mirum eſt quanti errores in Eccleſiam hoc prætextu irrepſerint, ſimulatque diſceſſum eſt à Dei verbo. Tanti enim mox fieri cœpit hæc neceſſitas, vt domeſticæ ac priuatæ baptizationes ipſis etiam Laicis, quos vocarunt, permiſſæ fuerint, quadam videlicet eorum cummiſeratione qui ante obitum requirebant Baptiſmi ſolatium, cuius legitimum vſum ab Epiſcopis potiùs oportuerat ex Dei verbo explicari. Inde alius error exortus ſuperiore lõgè deterior, nempe à vita æterna excludi qui quoquo modo baptizati non eſſent. Inde ſenſim factũ vt ipſæ etiam mulieres in ſummo (vt loqueris, Heshuſi) neceſſitatis gradu infantes auderent baptizare: quod deinde conniuentibus Epiſcopis in cõſuetudinem trãſijt. Hũc autem errorem etſi nimium multi iam pridem aſſeruerunt, quorum nominibus libenter, ſicut par eſt, parcimus: eum tamen pro dogmate ab omnibus receptum nõ fuiſſe vel ex eo conſtare poteſt, quòd multi in contrariam partem grauiter peccantes, in multos annos Baptiſmum & ſuum & ſuorum liberorum differebant. Neque de obſcuris hominibus loquor, ſed de ijs qui in omnium oculis verſabantur. Conſtantinum enim legimus ad extremum vſque vitæ tempus Baptiſmum diſtuliſſe, qui tamẽ eo nomine, ſicut merebatur, ab Epiſcopis non fuit reprehenſus. Sed & Nectarium legimus, priuſquam baptizaretur, deſignatum fuiſſe Conſtantinopolitanum Epiſcopum. Imò quod maiore admiratione dignum eſt, Gregorius ille Nanzianzenus Epiſcopi filius non eſt ante virilem ætatem, & tamen abſque vllo offendiculo, baptizatus. Et hunc ipſum conſtat ex eius oratione in ſanctum Baptiſmum ſic reprehendere qui ſacrum Baptiſmum ad triceſimum annum differrent, vt tamen infantes, niſi vrgeat neceſſitas, cenſeat tertio demum anno baptizandos: cuius opinionis fuit etiam Tertullianus, ſed nulla certè ratione, & nullo Verbi teſtimonio, nequis nos fortè exiſtimet execrãdis Catabaptiſtis fauere, quum potiùs magnam reprehenſionem omnes etiam illos meritos fuiſſe non dubitem: ſed hæc commemoro, quòd iſtos non ſit probabile tam diu fuiſſe Baptiſmum dilaturos, ſi tantã eſſe Baptiſmi neceſſitatem creditum fuiſſet in Eccleſia, quantã nonnulli poſtea eſſe voluerunt. Huc etiam ſpectat quòd mulieres in Carthaginienſi cõcilio non minus prohibentur baptizare quàm docere, idque nulla addita exceptione. Ac rectè quidem, quum vtrunque ſit publicum in Eccleſia munus. Itaque quod dicis, Heshuſi, ita ſemper fuiſſe in Eccleſia factitatum, & falſum & abſurdum eſſe reſpondeo. Præterea ipſi quoque Papiſtæ, quamuis illum errorem de abſoluta Baptiſmi neceſſitate, vt alios multos, foueant, tamen quum ad rem ipſam ventum eſt, coguntur varia baptiſmorum genera conſtituere, nec audent non baptizatos infantes apud inferos collocare. Itaque, vt paucis hunc locum concludam, quum Baptiſmus (vt verè & ſcitè ſcribit Caluinus) ſolennis ſit agnitio qua Deus liberos ſuos in vitæ poſſeſſionem mittit, vera & efficax promiſſionis obſignatio, pignus ſacræ cum Chriſto coniunctionis: meritò ingreſſus & receptio in Eccleſiam eſſe dicitur, ac proinde ſine impietatis ſcelere contemni nequit, & grauiſſimam reprehenſionem coram Deo & hominibus merentur qui tantum beneficium differunt vel ſibi vel ſuis liberis accipere. Sed abſit vt à cælo arceamus qui nulla ſua culpa prius ad Dominum migrant quàm baptizari potuerint, quum alioqui ad Dei fœdus pertineant. Nam, vt rectè ſcripſit ad Hugonem Bernardus, *non damnat quenquam Baptiſmi priuatio, ſed contemptus.* Non poteſt autem meritò videri Baptiſmum contempſiſſe qui ſecundùm legitimum Eccleſiæ morem illo frui non potuit. Alioqui neceſſe eſt vt ſubſtantiam huius promiſſionis, ERO DEVS TVVS ET SEMINIS TVI, à ſigno quod ipſi adiunctum eſt, id eſt, diploma iuſtitiæ & remiſſionis peccatorum ab ipſius ſigillo ſuſpendamus. Neque nos verò ſola fide diceremur iuſtificari, ſi prorſus neceſſariò & abſque exceptione requiritur Baptiſmi adiunctio, atque adeò ſi (vt tibi Heshuſi placet) fides eſt Baptiſmi appendix. Denique neceſſe fuerit vt (ſi ita eſt) miſerabiliorem noſtram conditionem eſſe fateamur quàm eorum qui ſub

Circunciſione fuerunt: niſi fortè arbitraris, æternæ morti fuiſſe addictos quicunque ex Iudæis ante octauum diem interirent. Sed de his ſatis. Quomodo enim ſit explicandum illud vnicum teſtimonium quod ad ſtabiliendam hanc neceſſitatem adduci ſolet, *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto*, ab aliis copioſius dictum eſt quàm vt à nobis hoc loco repetendum ſit.

Ad octauam & nonam Calumniam.

Hic denuò, Heſhuſi, veteres tuas cantilenas occinis. Clamitas à Caluino extenuari Sacramenta quum dicit Chriſtum totum etiam offerri in Verbo & in Baptiſmo, neque te animaduertis, ſi aliter ſentias, Chriſti virtutē ab eiuſdem eſſentia ſeparare, ac proinde Chriſtum diſcerpere, ſicut manifeſtis argumentis & expreſſis Scripturæ teſtimoniis ſuo loco demonſtrauimus.

Illud etiā te offendit, quòd Patres dicamus fuiſſe naſcituri corporis Chriſti ſuo modo verè factos participes, etiam ante ipſius incarnationem. Diſputes igitur aduerſus Apoſtolum, qui teſtatur eos fuiſſe baptizatos in nube, & eandem eſcam comediſſe, & eundem potum bibiſſe.

Præterea quoniam diſtinguimus Sacramentorum officium à Spiritus ſancti operatione, id eſt cauſam efficientem ab inſtrumento, hinc colligis nos ſentire neminem ex aqua renaſci, & Baptiſmum non eſſe lauacrum regenerationis. At ego fateor me iſtam Heſhuſianam conſequutionem non percipere.

Poſtea obiicis nobis Metonymiam, quæ nos faciat falſarios Teſtamenti Chriſti, vt tu loqueris. Ego reſpondeo, nos latratus iſtiuſmodi nihil morari. Denique reprehendis quòd ægrotis domi priuatim Cœnam Domini non adminiſtremus. Nos verò quibus rationibus impulſi priuatim Cœnam ſine cuiuſquam offendiculo non celebremus, & quàm nolimus hac de re cum quoquam rixari, vel alium morem ſeruantes cum ædificatione Eccleſias reprehendere, ſæpius expoſuimus quàm vt repetere ſit opus.

Ad x. Calumniam, in qua de Peccati originis fonte & de ſeminis beati promiſſione diſſeritur.

Quum alius quidam Sycophanta ſuperioribus annis æternam Dei prædeſtinationē oppugnans, hoc etiam argumento vteretur, Crudelem viſum iri Deum ſi quod vas decretur ad contumeliam mortis æternæ compegiſſe, excepit Caluinus neminem niſi ob ſua ſcelera damnari, ipſam verò iuſtitiam Dei, qui omnia ab æterno ordinarit, non eſſe noſtro modulo metiendam, quòd alioqui multa ſint in quibus videri poſſet coarguendus. Deinde inter cætera exempla hoc etiam profert, quòd non alio quàm Dei decreto ſit factum, vt primi peccati reatus qui in Adamo vno potuerat ſiſti, in totū ipſius genus ſit propagatus, in quo tamen facto Deus crudelitatis argui non poſſit, quoniam quicquid facit, iuſtè facit, etiamſi noſtrum captum ſuperet eius iuſtitia. Hic verò inſurgens, Heshuſi, vociferaris Caluinum adſcribere hæreditatem originalis peccati, non iuri ſucceſſionis, ſed occultæ Dei ſententiæ. Quod enim de reatu dixit Caluinus, tu ad corruptionem trahis, quoniam hanc non potes ab illo diſtinguere. Deinde quid hoc eſt, exiſtimare, prima cauſa poſita (id eſt Dei decreto, quod tamē ita eſt cauſa vt Deus nulli culpæ aut vitio ſit affinis) ſecūdas cauſas tolli, putà liberam voluntatem & naturam ipſam, quæ hoc poſcit vt quiſque ſui ſimilem ac proinde corruptus corruptum gignat? Quid amplius? inde etiam elicis, Heshuſi, Deum, ſi Caluino creditur, immeritos ſuo quodam abſoluto arbitrio punire. quaſi verò innumerabilibus locis Caluinus non coarguat impium illud commentum de abſoluta Dei iuſtitia: aut quaſi inter Dei decretum quod ſemper iuſtū eſt, & reproborum damnationem, non intercedant omnes damnationis cauſæ, hæreditaria videlicet corruptio, & quicunque fructus illinc emergunt. Etſi enim perditio reproborū non euenit abſque æterno Dei decreto, cuius cauſæ nos latent, tamen in ipſis reprobis tota reſidet: ſicut è contrario ſalus electorum ab vno Deo eſt. An verò quoniam malus es Dialecticus, Heshuſi, idcirco digni ſumus qui pro impiis & blaſphemis habeamur?

Sed ecce, nonnulla etiam adiicienda putaſti. Scripſit commentarios in Geneſin Caluinus, ea fide ac diligētia de qua meritò dici poſſit, ῥᾷον μωμεῖσθαι ἢ μιμεῖσθαι. Neque quū hoc dico, immenſis aliorum, ac præſertim D. Lutheri laboribus quicquam detraho: ſed dico quod res eſt, & quod Lutherus ipſe, vt opinor, aduerſus iſtos ſimiolos intonaret, niſi Dominus ingratis hominibus eum eripuiſſet. In iis igitur Caluinus pro eo iudicio quod Dominus ei conceſſit, dum ſingula ſtudet propriè & dextrè (vt ſolet, ſi quiſquam

alius) explicare, quoſdam locos obſeruauit quos arbitrarur non ſatis rectè à pleriſque aduerſus Iudæorum errores ad hoc vel illud noſtræ religionis dogma probandum accõmodatos. Conſtat enim ſæpe & nimiùm ſæpe à multis alioqui pijs ac ſummis Theologis iam olim in hanc partem fuiſſe peccatum. Quis verò ſani iudicij homo hanc libertatem vnquam, eruditis præſertim interpretibus, inuidit? Aliud enim eſt, impudenter venditare aliena pro ſuis, vt iſti interpolatores ſolent: aliud licentioſè quiduis reprehẽdere vt aliquid eſſe videaris: aliud denique liberè quidem, ſed tamen piè, modeſtè & eruditè melius ac perfectius aliquid afferre quod ad verbi Diuini planiorem explicationem pertineat. Quid tu verò Heſhuſi? *Caluinus*, inquis, *in Geneſi, veluti Rabbinorũ cauſam agens, teſtimonia de Trinitate perſonarum & Diuinitate Chriſti communiter ab omnibus Chriſtianis ſic intellecta, extenuat.* Tu igitur illa proferto Heſhuſi, & certiores rationes opponito. Interea verò ecquis, te ſtertente cum tota tua cohorte, Trinitatem perſonarum & Deitatem Chriſti contra Seruetum & cætera huiuſmodi monſtra aſſeruit? Sed tu ſcilicet religioſus Trinitatis aſſertor, vereris ne tela nos deficiãt aduerſus hoſtes, niſi obuia quæque temerè arripiamus. Profers tamen inſignem locum, nempe de ſemine mulieris, quem ita explicat Caluinus vt dicat ſeminis voce intelligi totum genus humanum: quod nefarium crimen, inquis, loco maximi erroris meritò haberi debet, quum locum illum de Chriſto intelligendum eſſe omnes & veteres & noui interpretes exiſtimẽt. Quis verò repugnat? Eſt enim ille vnus noſtra victoria, & in eo vno benedicimur. Sed de ſolius Chriſti perſona hoc intelligẽdum negat Caluinus. Vult enim in hac promiſsione coniungi caput cum membris, ſiue Chriſtum cum Eccleſia, non modo quoniã collectiuum eſt Seminis nomen, ſed etiam quia certum eſt Deum illic velle remedium afferre quod ita ſit proprium vni alicui homini, vt in eo tamen ſit toti Eccleſiæ cõmune. Quid tu igitur hîc habes, Heſhuſi, quod reprehendas? Nam diſertè confirmat hanc interpretationem Apoſtolus, quum promittit fore vt Deus Satanam ſub pedibus noſtris conterat, eius nimirum virtute in quo Princeps huius mundi eſt ſuperatus. Extat commentarius Caluini, inſpiciatur liber, & de re tota iudicet Eccleſia.

Illud verò cuiuſmodi tandem eſt, quòd Caluinum tradis negare duo eſſe Teſtamenta? Dic igitur, quæſo, cur de vtriuſque Teſtamenti diſcrimine tam copioſè Caluinus tot locis diſſeruerit, & quidem ex profeſſo, Inſtitut. lib. 2. cap. 10. & 11. Nam in decimo capite quæ ſit inter vtrunque ſimilitudo, & quatenus vnum ſint, ſubſtantia videlicet & re ipſa: vndecimo verò quod ſit vtriuſque diſcrimen ita abundè declarat, vt hanc controuerſiam vix à quoquam diligentius explicatam omnes docti homines ſperem confeſſuros.

Verùm agè, perorationem quoque audiamus. *Omnino*, inquis, *habet iſte homo errores non paucos.* En oraculum quaſi ex tripode. Atqui ſaltem debueras vel vnum proferre Heſhuſi, vt tibi de tam multis crederetur. Sed hoc te facturum promittis: *De quibus*, inquis, *aliàs.* Tum igitur fortaſſe reſpondebimus. In eo verò re ſuperiorem fore diuino, quòd errores tuos nunquam poterimus, vt tu noſtros, numerare: & tamen, ne cuiquam videamur hominis cuiuſpiam potius quàm veritatis patrocinium ſuſcepiſſe, quocũque errore nos laborare demonſtraueris, non fateri modò, ſed etiam, Deo fauente, corrigere ſumus parati.

TH. B.

AD

Sebaſtiani Caſtellionis calumnias,

QVIBVS VNICVM SALVTIS noſtræ fundamentum, id eſt æternam Dei prædeſtinationem euertere nititur, reſponſio.

PRÆFATIO CALVMNIARVM SEBASTIANI CASTELLIONIS ADVERSVS DOCTRINAM CVIVS AV*thorem facit Ioannem Caluinum.*

HABET omnino doctrina tua fautores multos, Ioannes Caluine, vir penè toto mundo celeberrime, ſed habet eadem etiam aduerſarios multos. Ego verò qui cupio vnam eſſe doctrinā, ſicut eſt vna veritas, & omnes in eandem cōſentire, ſi fieri poteſt, putaui te admonendum eſſe familiariter de ijs quæ contra doctrinam tuā dicuntur, vt ſi falſa ſunt, refutes, & ad nos refutationem mittas, quò poſſimus aduerſus eos conſiſtere: idque facias eiuſmodi rationibus quæ poſſint à populo intelligi.

Sunt autē multa in quibus à te diſſentiunt multi: ſed ego in præſentia, cæteris in aliud tēpus omiſſis, agā tecum de vno argumento Fati, ſiue Prædeſtinationis: quoniā & hic articulus magnas turbas excitat in Eccleſia, quas nos extinctas cupimus: & aduerſariorū argumenta videntur in hoc argumento eſſe talia, vt nondum refelli poſſint ex libris quos tu hactenus publicaſti.

Circunferuntur autem ſuper hoc argumento certi articuli ex tuis libris decerpti, quos ego hic ordine tumultuariò ponam: deinde quæ aduerſus vnumquenque dici ſoleant, ſubyciam, vt tu videas ad quæ reſpondendum ſit.

RESPONSIO.

QVANVIS eam doctrinam quæ noſtra non eſt, ſed Ieſu Chriſti, ita ſemper ſtuduimus explicare, vt eius deſiderio & amore quàm plurimos homines inflammaremus, tamen erras magnopere, Sebaſtiane, ſi nos de multitudine vel aduerſariorum, vel fautorum laborare exiſtimas. Neque enim tantopere ſumus vel rerum humanarum imperiti, vel ipſorum etiam Chriſti verborum immemores, vt neſciamus mulro plures ſemper inuenros qui veritatem oppugnarent, quàm qui defenderent. Tu verò, vt video, quum de ingenioſo aliquo proœmio cogitares, id vnum delegiſti quod naturæ ingenióque tuo maximè conueniebat. Ita enim ferè accidit hominibus, præſertim ſibi malè conſciis, vt cæteros ex ingenio ſuo metiantur. Quem verò vel tam tetricū fore putas qui non te rideat, aut tam feſtiuum qui tibi non ſtomachetur, ſi te prædicantem audiat nihil magis cupere quàm vnam eſſe doctrinam? Te, inquam, qui primus in has regiones in quibus Dei lux rurſum emicuit, Academicam ἀκαταληψίαν auſus ſis inuehere? Hæccine verò eſt conſtituendæ vnius doctrinæ via ac ratio, profiteri verbum Domini ita eſſe anceps & ambiguum, vt quocunque modo illud accipias, decidēdis religionis cōtrouerſiis nō ſufficiat, & noua nobis aliqua è cælo reuelatio ſit expectanda? Hæc enim ipſa facilè meminiſſe potes, vbi totidem verbis ſcripſeris. Apage ergo iſtam hypocriſim. Cur ex tuis latebris non prodis? quid nomē tuum diſſimulas? cur apertum veritati bellum non indicis? Requiris à nobis rationes

quæ poſſint à populo intelligi. Reſpondemus nos doctrinam profiteri quæ mundo nihil aliud quàm ſtultitia videri poſſit. Quàm verum ſit hoc reſponſum, ex ipſius Chriſti exemplo dicimus optimè cognoſci. Niſi enim is tibi ſatisfaciat, quem ſatisfacturum putemus? Atqui fatearis neceſſe eſt parum admodum in ipſius doctrina profeciſſe turbas illas quæ perpetuò illum aſſectabantur, quum duodecim illi intimi ipſius familiares, quibus parabolas ſuas explicabat, ne ipſo quidem præceptore iamiam in cælum aſcẽſuro, quæ ſit regni ipſius natura ſatis cognouiſſe videantur. Certè ſi neſcis, *τὸ τῆς σαρκὸς φρόνημα* illud ipſum eſt quod impedit quominus Dei lucem cernamus: neque id tantùm in ſapientibus illis, ſed in quibuſvis inhæret. Huic morbo ſi quis eſt obnoxius (ſunt autem obnoxii quicunque non ſunt ex Spiritu renati) fruſtra illi ſtudeas arcana Chriſtianæ religionis approbare, ſiue cum populo balbutias, ſiue cum ſapientibus illis ſapere, id eſt, cum ratione cupias inſanire. Fide hæc amplectamur oportet. Fides autem donum Dei eſt, & argumenta amplectitur non ex cerebro noſtro excogitata, ſed ex verbo Dei deprompta: quæ ſi tu non percipis, non eſt tamen quòd vel rerum obſcuritatem nimiam cauſeris, vel maiorem in Caluino, aut quoquam alio perſpicuitatem requiras. Tu ipſe intus habes eas tenebras quæ faciunt vt in clariſſima luce cæcutias. Negligis doctorum hominum ſcripta, vel ad illa accedis non vt diſcas, ſed vt reprehendas. Hic te faſtus excæcat, vtcunque tu falſa quadam libertatis ac ſimplicitatis imagine hæc occultes. Da igitur gloriã Deo, & eũ ſeriò roga vt tibi oculos aperiat. Tum demum plana, perſpicua, neceſſaria eſſe argumenta experieris, quæ tu nunc vt obſcura nec ſatis firma reprehẽdis. Præfaris etiã te cõſtituiſſe agere de vno Fati, ſiue Prædeſtinationis argumẽto. Ego verò miror tantã cuiuſquã eſſe impudentiã poſſe vt inuidioſum illud Fati nomẽ Caluino audeat obiicere: de quo quid iam olim ſcripſerit, non pigebit ipſius verbis referre, vt ab ipſo ſtatim initio quilibet animaduertat quem animum ad hanc agendam cauſam attuleris. Sic ergo Caluinus: CALVMNIANTVR eſſe Stoicorum dogma de

Inſtit. Chriſt. lib. 1. cap. 16. ſect. 8.

» Fato, qui huic doctrinæ inuidiam facere volunt: quod & exprobratum Auguſtino ali» quando fuit. Nos, etſi de verbis inuiti litigamus, Fati tamen vocabulum non recipi» mus, tum quia eſt ex eorum genere quorum profanas nouitates refugere nos Paulus » docet, tum quia eius odio conantur grauare Dei veritatem. Hæc Caluinus totidem verbis: quæ ſi tu ignorabas, cuius temeritatis fuit reprehendere quod neſcires? Sin verò noueras, cuius impudentiæ, crimen impingere quod tute falſum eſſe ſcires? Sed hîc tibi gratificabor. Dices enim Fatum ab eo tolli verbo, re conſtitui. Audi igitur quid eo i» pſo loco ſubiiciat: DOGMA ipſum Stoicorum, inquit, falſò nobis ac malitioſè obiicitur. » Non enim cum Stoicis neceſſitatem comminiſcimur ex perpetuo cauſarum nexu, & » implicita quadam ſerie quæ in natura contineatur: ſed Deum conſtituimus arbitrum » ac moderatorem omnium, qui pro ſua ſapientia ab vltima æternitate decreuerit quod » facturus eſſet, & nunc ſua potentia, quod decreuit, exequatur. Vnde eius prouidentia » non cælum modò ac terram & creaturas inanimatas, ſed hominũ etiam conſilia & vo» luntates gubernari ſic aſſerimus, vt ad deſtinatum ab ea ſcopum deducantur. Hæc ille. Deinde ſubiicit, quomodo, ſi cauſas ſecundas per ſe conſideres, & fortuitò aliquid & contingenter eueniat. quas diſputationes ſi tu non intelligis, teipſum accuſes oportet, qui ſaltem ex Cicerone & Plutarcho non cognoueris quæ Chryſippi & Diodori controuerſia fuerit. Sed quorſum hæc? Nempe vt omnes intelligant quanta ſit ei accuſatori fides adhibenda, qui tam confidenter in ipſo exordio mentiatur, quum in ea orationis parte vel improbiſſimi quique ſoleant ſpeciem aliquam probitatis obtendere. Nam quod ad rẽ ipſam attinet, ſuo loco accuratius iſta expẽdemus. *Circunferuntur,* inquis, *ſuper hoc argumento certi articuli ex tuis libris excerpti, quos ego hîc ordine tumultuario ponã.* Itáne verò tibi, qui tantopere labores vt tumultus in Eccleſia Dei excitatos cõponas, animus nõ cõſtitit, vt obliuiſcereris ex circulatoribus iſtis, qui calumnias iſtas circunferunt, quærere vt primùm omnium teſtibus idoneis id quod afferrent, cõprobarent? Cedò enim, quid diceres ſi vno verbo dicerem, falſa eſſe iſta omnia quæ Caluino obiiciũtur? nempe vel repentè fatereris teipſum accuſatorem eſſe, quod tu quantum potes diſſimulas: vel ſanè cogereris imprudentiam ipſe tuam accuſare, qui prius iuſtáne an iniuſta eſſet accuſatio, tibi quærendum putaris, quàm vera ſit an falſa. Et certè, ſicuti mox intelliges, pleraque ſunt in iſtis articulis, quos vocas, eiuſmodi, vt ſimplici tantùm inficiatione ſit opus. Sed agè, tranſuerſum te rapuerit ſummum illud conciliandæ Eccleſiæ ſtudium. Quid tamen hoc rei eſt, rem tantam tumultuariò agere? Vide etiam atque e-

tiam

tiam ne qui ſuſpicentur (vt nunc ſagaces ſunt homines) nihil hîc à te ſeriò aut bona fide geri. Sed tu nimirum, vt valde es argutus, paratam reſponſionem habes. Profer ergo, ne dum amicis prodeſſe cupis, exiſtimationem ſapientiæ ac pudoris amittas.

INSCRIPTIO CALVMNIARVM.

ARTICVLI *excerpti ex libris tum Latinis, tum Gallicis Ioannis Caluini de Prædeſtinatione.*

RESPONSIO.

Debueras potius hac inſcriptione vti, CALVMNIÆ impudenter & falſò à quibuſdam indoctis & malitioſis Ioanni Caluino adſcriptæ.

Articulus primus, id eſt, Calumnia prima.

Deus maximam mundi partem nudo puróque voluntatis ſuæ arbitrio creauit ad perditionem.

REFVTATIO.

QVAM falſa hæc ſit calumnia ex ipſis Caluini ſcriptis ita apparebit. Sic enim ille:
DICO, inquit, cum Auguſtino, eſſe à Domino creatos quos in exitium ituros ſine du- Inſtit. Chriſt. lib. 3 cap. 23 ſect. 5.
bitatione præſciebat, idque ita factum, quia ſic voluit. Cur autem voluerit, non eſſe no-
ſtrum rationem exigere, qui comprehendere non poſſumus: neque conuenire vt Diui-
na voluntas in controuerſiam apud nos deſcendat: de qua quoties habetur ſermo, ſu-
prema iuſtitiæ regula ſub ipſius nomine nominatur. Item, Quod, inquit, Scriptura cla- Ibid. lib. 3 cap. 21 ſect. 7.
rè oſtendit, dicimus Dominum æterno ac immutabili conſilio ſemel conſtituiſſe quos
olim ſemel aſſumere vellet in ſalutem, quos rurſum exitio deuouere. Hoc conſilium,
quoad electos, in gratuita eius miſericordia fundatum eſſe aſſerimus, nullo humanæ di-
gnitatis reſpectu: quos verò damnationi addicit, his iuſto quidem & irreprehenſibili,
ſed incõprehenſibili ipſius iudicio, vitæ aditum præcludi. Item, Si nos, inquit, Euangelij Lib. de æterna Dei prædeſtinatione.
nõ pudet, quod illic apertè traditur, fateri neceſſe eſt: Deum æterno ſuo beneplacito, cuius
aliunde cauſa nõ pendet, quos illi viſum eſt deſtinaſſe ad ſalutem, aliis reiectis, & quos
gratuita adoptione dignatus eſt Spiritu ſuo illuminare, vt vitam in Chriſto oblatam re-
cipiãt: alios ita ſponte eſſe incredulos, vt fidei lumine deſtituti, in tenebris maneãt. Itẽ, Inſtit. Chriſt. lib. 3 cap. 23 ſect. 2.
quod & Auguſtinus ſcribit, Adeò, inquit, ſumma eſt iuſtitiæ regula Dei voluntas, vt
quicquid vult, eo ipſo quòd vult, iuſtũ habendũ ſit. Vbi ergo quęritur cur ita fecerit Do-
minus, reſpondendum eſt, Quia voluit: quòd ſi pergas rogando cur voluerit, maius ali-
quid quæris & ſublimius Dei voluntate, quod inueniri non poteſt. Item, Redeundum Ib. ſect. 4.
ſemper, inquit, ad ſolum Diuinæ voluntatis arbitrium, cuius cauſa ſit in ipſo abſcondi-
ta. Item, Non quaſi deprehenſus foret Apoſtolus, ad cuniculos reſpectauit: ſed indica- Ibid paulò poſt.
uit altiorem eſſe Diuinæ iuſtitię rationem quàm vt vel humano modo metienda ſit, vel
ingenij humani imbecillitate poſſit comprehendi. Hæc Caluinus, & alia paſſim eiuſmodi plurima, ex quibus optimè intelligi poſſe dico calumnioſè à te dictum eſſe quicquid de nudo Dei arbitrio commemoras. Nudum enim arbitrium vocant, quo ita decernitur aliquid, vt nulla ratio habeatur iuſtúmne ſit an iniuſtũ quod decernitur. Nos igitur cum Paulo quidem fatemur omnia fieri Diuinæ voluntatis conſilio, vt qui quos velit, nondum natos, antequàm aliquid boni aut mali fecerint, diligat vel oderit: ac proinde ſuo tẽpore miſeretur vel induret: ſed hoc addimus, nõ propterea apud Deũ eſſe iniuſtitiã, vt qui hæc ita decernat vt tamen nihil niſi iuſtè agat. Hoc aũt multis argumentis probamus. Primùm, quia voluntes Dei ſumma eſt iuſtitiæ regula: neque valet conſequutio, iniuſtum id eſſe, propterea quòd humana ratio iſtiuſmodi iuſtitiæ cauſam nullam videt. Quid enim? an ideo ſol non lucet quia cæcus in tenebris verſatur? Deinde ſtultè illos facere dicimus qui aliquid prius in ſeſe eſſe iuſtum volunt, quàm Deus illud velit: quũ è contrario, Deum prius aliquid velle oporteat quàm illud iuſtum eſſe poſſit. Voluntas enim Dei non pendet à rerũ qualitate: ſed è contrario, rerum qualitates Dei voluntatem ordine cauſarum ſubſequuntur. Tertio loco id etiam addimus, in eiuſmodi decreto quo Deus vaſa iræ ſuæ quæcunque libuit ab æterno deſtinauit, diſtinguendam eſſe executionem conſilij ab ipſo conſilio, id eſt, reprobandi propoſitum à dam-

natione. Cõſilij enim cauſam nullam aliam intelligimus quàm ipſam Dei voluntatem, quæ nõ poſſit nõ eſſe iuſtiſſima, etiam ſi carnis cæca ſapientia aliter ſtatuit. Executionis autem, id eſt, damnationis cauſas Dominus nobis abunde patefecit, voluntariam nimirum Adami corruptionem in nos deriuatàm, & eius corruptionis fructus. Hic verò humana ratio iterum inſurgit. Vnde enim, inquit, iſtæ damnatiobis cauſæ? an Deo inuito euenerunt? Minimè: omnipotens enim non eſſet. volente igitur. Neque enim nolens ſinit: & Epicureorum eſt dogma, otioſam Dei præſcientiam ſtatuere. quod infinitis Scripturæ teſtimoniis euertitur. Quòd ſi hæc ita fieri decreuit, & eius decreto reſiſtere nõ potui, an nõ ego extra culpam, quæ tota penes illum reſideat? Hîc autem nodus ille eſt hominibus inexplicabilis, niſi qui de Deo reuerẽter ſentire ex ipſius verbo didicerint. Itaque Paulus, quum huc peruentum eſt, non negat hanc Dei eſſe voluntatem, cui reſiſtere impij non poſſint: ſed quod impij ex hoc axiomate aſſumpto colligebant, id demũ pernegat, quia Deus iniuſtus eſſe non poſſit, & ad humanæ cõditionis conſiderationem nos reuocat, vt tam ſublime myſterium adoremus, nedum vt reprehendamus. Tu verò num ſapientior es Apoſtolo? excipis enim illa nõ eueniſſe Dei voluntate. quod ſi ita eſt, mirum eſt Apoſtolo non veniſſe in mentem vt hoc ipſum reſpõderet. Neque tamen animaduertis quò te præceps iſta temeritas abripiat, huc videlicet, vt magis ac magis te inuoluas, dum ſapientiam Dei infinitam exiſtimas à te poſſe cõprehendi. Nam vt hoc tibi demus quod petis, nimirum abſque vllo præeunte Dei decreto euenire damnationis cauſas, (damnationis cauſas dico, non damnationem) vide quàm multa & abſurda & impia cõſequantur. Primùm enim ſi inuito eo euenerint, Dei tollis omnipotentiam, qui quod voluerit impedire, non potuerit. Sin verò non curante, quantum abes ab Epicureiſmo? Reſtat ergo vt volens permiſerit, & eadẽ recurrat difficultas. Nam ſi huic voluntati cauſam præbuiſſe noſtra peccata vel præſcita vel iam cõmiſſa dixeris, nihil dixeris. De ipſorum quippe peccatorum fonte quærimus, nimirum de corruptionis cauſis, à quibus excludere Dei decretum nõ magis potes quàm quum de corruptionis fructibus quæritur, quum hîc quoque eadem incõmoda te circunſtent, & eodem prorſus labyrintho tenearis. Pręterea vide quàm bellè patrocineris Dei iuſtitiæ. Nam certè quod permiſit, etiam ſi nõ decreuerit (hoc enim tibi demus) tamẽ impedire ſolo nutu potuit. Cur igitur Satanam in tempore non coërcuit? cur Adamũ & Heuam non penitus confirmauit? Aut, ſi ad illos vſque recurrere nũ placet, cur illum peccati fontem nõ iuſſit in Adamo cõſiſtere, ne ad poſteros emanaret? An quia poſterorum peccata hoc merebantur? At nulla fuiſſent, ſi non eſſet propagata corruptio. Cur verò quotidie quas retinere poteſt Satanæ habenas, laxat? Certè quocunque te vertas, humana ratio hoc nobis dictat, nõ minus eſſe in culpa eum, qui quum impedire ruentem in perniciem poſſit, non tamen impediat, quàm qui ipſe præcipitet. Itaque ne ſi tua quidem ſolutio valeret, humanæ rationi Deus iniuſtus videri deſineret. At enim dices, Curioſa iſta ſunt. Sunt profectò: ideóque pro ſacrilegiu ducimus ſi quis in iſta Dei arcana irrepat. Sed illud quoque curioſum, atque adeò impium eſſe dicimus, quærere, Quî non ſit Deus in culpa, ſi damnationis cauſas ordinat. quam quæſtionem tu explicandã ſuſcepiſti, nos verò cum Apoſtolo inexplicabilem eſſe humanis ſenſibus arbitramur. Vter igitur curioſus, vter ſacrilegus eſt, vter arcana Dei extra ipſius verbum ſcrutatur? Túne qui Diuinæ ſapientiæ ratiunem inueſtigas, ideóque ſciens ac prudens teipſum præcipitas: an ego potius, qui quum ad Dei voluntatem ventum eſt, humanæ conditionis memor, Dei maieſtatem tacitus adoro? Ergo, vt tandem hunc locum abſoluam, ſit vltima hæc humani iudicii meta: quanuis inſcrutabilis ſit eius decreti cauſa qua Deus ab æterno nonnullos condere conſtituit, in quorum iuſto exitio iuſtitiæ ſuæ gloriam patefaciat, ob eámque cauſam omnes exitio deſtinati nõ poſſint nõ ſuo tempore perire, Deum tamẽ, quia nõniſi corruptos & reos dãnat, idcirco extra omnẽ dãnationis culpã eſſe, vt qui ea etiã quæ iniuſtè homines faciunt, iuſtè tamẽ decernat, ideóq; & iuſtè puniat. Id verò etiã ſi humana ratio nõ ferat, tamẽ falſum eſſe nõ cõſequitur. Abeat potius quicquid caro eſt, (ſic enim malo quàm tuo more loqui) vt toti in vno Dei verbo acquieſcamus. At vbi Dei verbũ? dices. Certè inficiari nõ potes, nos in his tradẽdis veluti Pauli veſtigiis inſtitiſſe. Sed de hoc tamẽ videbimus, vbi cominus tecũ cõgrediemur. Nunc officio meo ſatiſfecero, ſi lectoribus omnibus quàm vanæ ſint iſtæ calumnię veluti digito commonſtrato. Itaque vt eò reuertar vnde deflexerã, duos prætereà locos ex Caluino calumniis tuis opponam. Sic igitur ille, ETSI ante defectionem Adæ quid facturus eſſet Deus occul-

Lib. de æterna prædeſtinatione.

tas

tas ob cauſas ſtatuerat, nihil tamē ab eo damnari niſi peccatum in Scripturis legimus. » Ita reſtat vt iuſtas habuerit cauſas in reprobāda hominum parte, ſed nobis abſcōditas: » nihil aūt in homine oderit, ac dānet, niſi à iuſtitia ſua alienū. Item, OISCANVS, inquit » In Iſa. 43. prouidentiam Dei ſic nobis conſiderandā eſſe, vt eius omnipotentiæ laudē & gloriam » tribuamus. Sapiētia enim & iuſtitia Dei ſemper cū virtute ipſius coniungēda eſt. Quē- » admodum ergo Scripturæ docent Dominū hoc vel illud facere iuſtitia & ſapiētia ſua, » ita docēt certum finē cur hoc vel illud faciat. Nam cōmentum illud de abſoluta Dei » potentia quod Scholaſtici inuexerunt, execrāda blaſphemia eſt. Idē enim eſt acſi Deū » tyrannū quendā eſſe dicerent, pro libidine non æquitate aliquid ſtatuentem. Talibus » blaſphemiis refertę ſunt eorum ſcholæ: neque abſimiles ſunt ab Ethnicis, qui Deū lu- » dere in rebus humanis aiebant. Nos verò in ſchola Chriſti docemur, iuſtitiam Dei re- » lucere in operibus ipſius, cuiuſcunque modi fuerint, vt obſtruantur omnium ora, & glo » ria ipſi ſoli tribuatur. Agnoſcis tandem, Sycophanta, quæ tua fuerit in his conſarcinan- dis articulis conſcientia? Sed alias præterea calumnias adiecisti. Primùm enim pro eo quod Caluinus dixit, reprobatam eſſe hominū partem iuſtas ob cauſas, ſed nobis abſcō ditas: tu nulla cauſarū mentione facta, dicis à nobis tradi, maximam partem hominum eſſe creatam ad perditionem. Sed tamen de numero nolumus contēdere. Scimus enim ex Scripturis & perpetua omnium ſeculorum experientia, longè plurimos per latam & ſpatioſam viam ingredi, quæ ad exitium ducit. Tu tamen propterea calumniator eſſe nō deſinis, qui in accuſando de tuo aliquid adiicias. Deinde perinde hæc ſcribis acſi diceremus finē creationis reproborū eſſe æternum illorum interitum: quam calumniā ipſis Caluini verbis ita refello: CONSTARE debet, inquit, inter omnes quod ait Salo- » Inſtitu. Chriſt. mon, Deū omnia propter ſeipſum condidiſſe, & impiū quoque ad diē malū. Ecce, quū » lib. 3. cap. rerū omniū diſpoſitio in manu Dei ſit, quū penes ipſum reſideat ſalutis ac mortis arbi- » 23. ſect. 6. triū, conſilio nutúque ſuo ita ordinat, vt inter homines naſcantur ab vtero certæ mor- » ti deuoti, qui ſuo exitio nomen ipſius glorificēt. Ergo, vt hæc breuibus cōcludamus, nō » cenſet Caluinus ſimpliciter idcirco cōditos reprobos vt perirēt, ſed vt ſua ipſorū culpa pereuntes, iudicium Dei cōprobarent. Deinde ſic pendere eorum perditionem ex Dei prædeſtinatione, vt cauſa & materia tota perditionis in ipſis reperiatur: & quanuis incomprehenſibile humanis ſenſibus, iuſtum tamen eſſe hoc Dei decretum. Totum igitur illud quod de pereuntium culpa & Dei gloria dicitur, cur tandem prætermittis? Sed agè, audiamus quàm ſolidis argumentis tuam ipſe calumniam oppugnes.

CASTELL. ARGVMENTA ADVERSVS ARTIC. I.

PRIMVM *articulum dicunt eſſe contra naturam & contra Scripturam. De natura ſic dicunt, Omnē animal naturaliter amat ſuū fœtum: Atqui hæc natura eſt à Deo: Ex quo conſequitur vt Deus amet ſuum fœtum. Neque enim efficeret vt animalia amarent ſuos fœtus, niſi amaret ipſe quoque ſuos. Atque hoc probant hac ratione, Dixit Dominus, Egóne parere faciam, & non pariam? Quaſi hoc dicat, Quod ego facio facere alios, idē ipſe quoque facio. Atqui facio parere alios: Ergo ego quoque pariam. Hinc à ſimili ducunt argumentum: Deus facit animalia amare fœtus ſuos: Ergo amat ipſe ſuos. Atqui ſunt omnes homines fœtus Dei. Deus enim eſt pater Adami, à quo omnes homines nati ſunt. Ergo amat omnes homines.*

REFVTATIO:

PRIMVM omnium dico ineptè hoc in loco à te diſputari de Dei in homines amore vel odio. Neque enim hîc quæritur an aliquos oderit, ſed ân aliquos reiecerit: quæ duo quum diuerſa ſint, tu tamen eadem eſſe iudicaſti. Planius loquar, ne de obſcuritate queri poſſis. Dicimus certum cauſarum ordinem eſſe à Domino conſtitutum. Tametſi enim is omnia ſemel intueatur tanquam præſentia, tamen alias cauſas ordine conſequi, alias antegredi voluit: quem cauſarum ordinem Philoſophi etiam agnouerunt, & ὑπάλληλον vocarunt. Odium igitur Dei in reprobandos homines affirmamus cauſarum ordine non præcedere æternum Dei decretū, vtpote quod in ſupremo cauſarum omnium gradu iure collocamus, ſed potius conſequi. Ita fit, vt quanuis quoſcunque exitio prædeſtinat ab æterno Dominus, ſuo poſtea tempore oderit, tamen exitio prædeſtinare non ſit odiſſe, ſed odio ſuo deſtinare. Simul autem quū odio ſuo deſtinat Dominꝰ quos libuit, iuſti ſui futuri odii cauſas ita ſubſternit, vt tota odii materia in ipſis hominibus exitio deſtinatis inhæreat, ac proinde ſua in illis odio perſequendis ac tandem condemnandis iuſtitia emineat. At tu in eo falleris, qui Deum exiſtimes prius

G.

aliquem odiſſe quàm eum exitio deſtinet. quod perinde ineptum eſt ac ſi diceres, prius eum incipere odiſſe, quàm conſtituere quos ſit odio habiturus. Itaque poterã vno verbo tecũ tranſigere, hactenus inter nos conuenire, vt vtrique fateamur Deum nihil in hominibus niſi peccatum ac reatum odiſſe & damnare: nos autẽ in eo diſſidere, quòd Dei odium eſſe putes cauſam cur Deus aliquos exitio deſtinet, nos verò dicamus odiũ illud non eſſe Diuini decreti cauſam, ſed effectum. Neque nobis obſtat quòd Paulus

Rom.9.13. Malachiæ verba recitans, Eſau odio habui: videtur odiũ pro æterno reprobandi decre-
Malac.1.2. to accipere. Dico enim verbũ Odi, eo in loco nihil aliud declarare quàm odiſſe decreuit: quum Paulus de Dei decreto, non autem de ipſius decreti executione diſſerat. Ne-
Ephe.1.4. que deſunt manifeſta Scripturæ teſtimonia quibus hanc expoſitionem confirmemus. Elegit nos, inquit Paulus, antequam iacerentur fundamenta mundi: id eſt, eligere con-
2.Tim.1.9. ſtituit. Nam certè fatearis neceſſe eſt, Deum in tempore exequi quæ ante omne tempus ordinauit. Item, Data eſt, inquit, nobis Dei gratia per Chriſtum Ieſum ante tempora æterna: id eſt, propoſuit nobis Deus gratiam ſuam dare in Chriſto Ieſu ante tempo-
Apoc.13.8. ra æterna, quam tamen re ipſa nõ antè dat nobis, quàm efficaciter nos ad ſe vocet. Sic
1.Pet.1.20. dicitur Agnus occiſus à mũdi origine, quatenus videlicet præordinatus fuit antequàm conditus eſſet mundus, qui extremis temporibus fuit exhibitus, vt Petrus ipſe exponit. At cur ita loquitur Scriptura? nempe vt quod futurum decreuit Dominus, tam certum eſſe intelligamus, quàm certi ſumus factum eſſe quod factum cernimus. Sed & ita id eſſe vt dicimus, id eſt, Dei decretum & amori & odio cauſarum ordine præire, manifeſtè liquet ex eo quòd alioqui cogeris decreti Diuini cauſas in ipſis hominibus ſtatuere: ex quo efficitur Deum vel non antè deliberaſſe quid hominibus eſſet facturus, quàm & ipſos condidiſſet, & ruituros otioſus proſpexiſſet: vel ſi deliberauerat, conſilium tamen poſtea mutata hominis natura, mutare voluiſſe. Vtrunque verò quàm ſit à Deo ſapientiſſimo artifice, & inuariabili ac conſtantiſſima (vt ita dicam) natura prædito alienum, nemo eſt qui non videat. Deinde ſi hæc ita eſſent, id eſt, ſi Deus prius propter præſcitam corruptionem, aut eius fructus aliquos odiſſet quàm exitio deſtinaret, quorſum ne-
Rom.9.20. & 11.33. ceſſe fuit Paulum exclamare, O homo tu quis es? &, O profunditatem diuitiarum ſa-
» pientiæ & cognitionis Dei! quàm inſcrutabilia ſunt eius iudicia, & imperueſtigabiles
» viæ eius! quorſum, inquam, oportuerat Deum nobis inſtar figuli proponi, qui quæ libuerit vaſa in honorem aut contumeliam compingat? Nam in promptu erat ſolutio quam affers, nihil mirum eſſe ſi quoſdam exitio deſtinet Dominus, & eos immeritò de voluntate Dei conqueri, quum ad hoc faciẽdum quaſi eum compellant ipſorum peccata. Sed abſit vt tam abſurda, tam inepta, tam ab omni Dei natura aliena reſponſione vtamur. Dicamus potius Dominũ eſſe, qui quod voluerit fecit: & quidem omnia iuſtè fecit, quum eius voluntas ſit ipſa iuſtitiæ regula.

Præterea, quò tandem omnia tua argumenta tendunt? nónne huc vt oſtendas Deũ omnes homines amare? Hoc verò ſi ita eſt, quid relinquitur, niſi vel neminem damnatum iri, vel etiã perituros quos Deus diligat? Nam ſi excipias, Deum tandem odiſſe propter peccata, quos ab initio diligebat, rues in aliud præcipitiũ. Nam certè ſi diligebat, ſeruare etiam volebat. cur igitur non ſeruat? nempe quia fecerũt eorum peccata vt eos perderet quos antea ſeruatos voluerat. O mirificum Deum, qualem tu quidem eſſe fingis, qui in dies & horas mutetur! cuius arbitrium homines, quum libuerit, infringant! cuius denique conſiliorum exitus, non ab æterno & immutabili decreto, ſed à ſecundis cauſis totus pendeat! Quanquam certè, ſi opinionem tuam ſequamur, hominis voluntas, non ſecunda, ſed primaria decreti Dei cauſa fuerit: vt, quemadmodũ pulchrè ait Auguſtinus, Iudicium non ſit penes figulum, ſed penes lutum. En quorſum te abripiant populares iſtæ tuæ cogitationes, vt planè tibi euenerit quod ſcriptum eſt, fore videlicet vt à maieſtate Dei abſorbeantur, qui ſimplici Verbo non contenti, arcana ipſius curioſè ſcrutantur.

Sed ne tergiuerſari videamur, agè, argumẽta tua excutiamus. Sic igitur pugnas: *Hæc doctrina eſt contra Dei naturam, ergo falſa eſt & impia.* Aſſumptionem nego, quã tu ſic confirmas: *Deus facit parere, ergo parit:* Sic etiam à ſimili, *Deus facit animalia amare fœtus ſuos, ergo ipſe ſuos amat. Sunt autem omnes homines fœtus Dei (quia Deus pater eſt Adami à quo omnes homines nati ſunt,) Ergo amat omnes homines.* Hæc tua ſunt argumẽta. Nunc audi viciſſim quid reſpondeam,

PRIMVM omnium dico Prophetæ locũ de Dei partu, vel malitioſè vel imprudenter

à te

à te torqueri. Agit enim illic Propheta nõ de communi omnium hominum creatione,
ſed de ſolius Eccleſiæ inſtauratione, id eſt, de electorũ gratuita adoptione in Chriſto.
Cuius eſt igitur ingenii, quod de adoptione dicitur, ad creationem accõmodare? & q̃d
ad ſolos electos pertinet, ad omnes homines transferre, vt peculiarem electorũ gratiam
cum abdicatis etiam & ſpuriis cõmunices? At enim, dices, quis eſt igitur aliorũ parens? Is
nimirum, quẽ Chriſtus nominatim appellauit, quum ſpurios illos & adulterinos filios
alloquens, Vos, inquit, ex patre diabolo eſtis. Neque eſt quòd me idcirco Manichæum Ioh.8.44.
eſſe clames. Hanc enim genituram filiorum diaboli nõ ad creationem, ſed ad naturæ
deprauationẽ refero, quam ita ordinarit Deus, vt illius non ſit author, ſed diabolus po-
tius & hominis voluntas, quæ ſeipſam ſponte corrupit. Eſt ergo, dices, illorum quoque
parens quod ad creationem attinet. Fateor. Ergo amat, ſubiicies. Hoc ego verò perne-
go, & falſum eſſe mox comprobabo. Nunc enim quæro duntaxat quàm appoſitè
citaris Prophetæ teſtimoniũ. Deinde quæ hæc eſt inſania, quidquid Deus animalibus
indidit, in Deo quoque ipſo ſtatuere? Mirum certè eſt, vt nihil probas quod rudis popu
lus non capiat, niſi etiam caput, brachia, manus, imò & vterum Deo affingas. Mirũ niſi
verè illum audire, videre, cibum appetere & concoquere (vt de ſyderibus nugati ſunt
quidam) aut ſaltem cogitare, ratiocinari, cupere, iraſci exiſtimas. Imò, dices, de iis dun-
taxat loquor quæ in Deum cadunt. Ergo quænã illa eſſent, definire te oportuit. Verùm
vt in omnes facies te vertas, nunquam inuenies quicquam animalibus tribui, quod de
Deo ſimili ratione dicatur. Fateor tamen Scripturam (quæ Dei eſt bonitas) nobiſcum
nonnunquam nutricis inſtar veluti balbutire: ſed ita tamen vt delectum aliquẽ ſeruet.
Quamobrem etiàm debueras ſimilitudinẽ tuam ſuis limitibus definire. Fateor & illud;
στοργὰς φυσικὰς in rerum natura, ac præſertim in hominibus, inſignia eſſe bonitatis Dei
argumẽta. Sed quis tamen ſatis ſanus tibi cõceſſerit, Deũ quos diligit non aliter dilige-
re quàm quum homines inter ſe amãt? Hoc verò quàm falſum ac ridiculũ ſit vel ex his
exẽplis cognoſce. Quis noſtrûm velit filios ſibi gigni bufonibus, colubris, aut araneis ſi-
miles? Atqui hæc oĩa, ſi tuo more loqui liceat, quotidie parit Dominus, neq; vlla extat
res creata quã pro incredibili ſua bonitate non foueat. Quid verò? claudũ aut cæcũ, aut
morionẽ tibi velles gigni? Dominus tamen eiuſmodi ſpectacula nobis quotidie ob ocu
los ponit. Quid itẽ? quũ aliquos excitat in quib⁹ potẽtiã ſuã oſtẽdat (vt loquitur Moſes)
ſiue quũ vaſa ad ignominiã cõpingit, vt ſcribit Paulus: imò etiã amplius, quũ ſuos illos
ſibi chariſſimos filios, non dico propter peccata caſtigat, ſed propter gloriam ſuã iuſtos
ab iniuſtis premi, cruciari, crudeliſſimè denique necari vult (ita enim paſſim loquitur
Scriptura, & experientia confirmat) num tu hunc Dei amorẽ cum humanæ naturæ pla 1.Pet.4.19.
citis conciliabis: Quærunt ex eo diſcipuli cæcũ illum natũ intuentes, quis peccauerit, i-
pſéne an parẽtes eius, vt cæcus naſceretur. Reſpondet Ieſus, neque illum peccaſſe, neq; Ioh.9.2.
ipſius parentes: id eſt, neque ob ipſius neque ob parẽtum peccata cæcum eſſe natum,
ſed vt in eo Dei opera patefierẽt. Quid tu iſtis opponeſ? Hîc enim te deſtituit illud per-
fugium de præuiſis peccatis: & crudelis cenſeretur pater aliquis medicus, qui filiũ mor-
bis non dico affligeret, ſed etiam (vt tuo more loquar) affligi ſineret, vt ex eorum cura-
tione nomen aliquod adipiſceretur. Vides belluinas eſſe iſtas de Deo cogitationes, quũ
ad creatæ naturæ præſcriptum, vel amor Dei vel odiũ exigitur? Non aliter Dauid quũ
in has eaſdem cogitationes incidiſſet, vt de odio & amore Dei humano more iudica-
ret, Factus ſum, inquit, apud te iumentum: donec videlicet in Dei ſacrarium introi- Pſal.73.22.
ret. Antè igitur tibi fuit Dei natura perſpicienda, quàm de ipſius amore vel odio diſſe-
reres. Duæ autem viæ nobis in hoc mundo verſantibus ad cognoſcẽdum τὸ τοῦ θεοῦ γνω-
στὸν patent. Vnam nobis aperit rerum creatarum contemplatio, quam Paulus Roma-
nis & Athenienſibus, de primis Chriſtianæ religionis principiis diſſerens, cõmoſtrat.
Alterã nobis Deus in verbo ſuo aperuit. Neutra, fateor, nobis negligenda eſt, ſed quan-
to hæc ſit certior quàm illa, Dauid ſuo ipſius exemplo probat, & ſi non ex nobis ipſis,
ſaltem ex perpetua omniũ ſeculorũ obſeruatione abundè poteſt intelligi. Quis enim ma-
gis aliena de Deo tradidit quàm ſapientes illi AEgyptii à quibus poſtea inſtituta eſt
Græcia? aut vnde niſi ex his ipſis nata eſt idololatria? Legantur Apollonii cũ Brachma-
nibus & Gymnoſophiſtis colloquia, & quæ ſit humana theologia cognoſcemus. Imò
diuinus ille Plato quoties ineptit, & quàm ſæpe à primis illis principiis quæ κοινὰς ἐννοίας
vocant, deſciſcit? Certè poſtrema illa Socratis morientis verba, Gallum AEſculapio de-
bemus, quàm ſolida fuerit Socratis rerũ Diuinarũ cognitio ſatis oſtendũt, niſi tũ fortè

moribundus delirare incipiebat,& ipſa etiã præceptoris deliria Plato voluit literis com mend.re:aut niſi ne tum quidem εἰρωνεύεσθαι deſierat.Sed proculdubio verum eſt illud
Rom. 1. 21. 22. » Pauli, Vani facti ſunt in ſuis ratiocinationibus, & obtenebratum eſt deſipiẽs cor eorũ:
1. Cor. 1. 21. » quúmque ſibi viderentur ſapientes,ſtulti facti ſunt.Item illud,Mundus in Dei ſapientia Deum non cognouit.Hæc quum Paulus ſcriberet, naturam certè non damnabat, immenſa Dei opera quotidie(vt inquit Dauid)nobis enarrantem: ſed cæcitatem noſtram accuſabat,quæ ab vno Deo,& quidem ex verbi ipſius auditu,ſanari poteſt. Hoc qui non conſiderant,meritò hunc referunt inſcitiæ ſuæ fructum,vt quoniam huius naturæ legibus Dei naturam ſubiicere conantur,pueris etiam ipſis deridendos ſe propinent. Atenim,dices, Scripturam poſtea propono. Fateor id quidem, ſed ita vt eã tuis illis axiomatibus ſubiicias,quæ ex rerum aſpectabiliũ contemplatione collegiſti:quum contrà factum oportuerit,id eſt, ea exiomata quæ naturæ ordo ſuggerit, hactenus amplecti quatenus cũ Scripturæ authoritate conſentiunt:de quo mox videbimus.Sit ergo hæc reſpõſionis ſumma, Deum quidem fœtus ſuos amare,ſed ſuo modu,quem nobis, quatenus noſtra intererat,ſuo verbo patefecit.

Venio ad aliud non minus abſurdè ſcriptum.*Omnes homines*, inquis,*ſunt Dei fœtus: quia Deus eſt Adami pater,ex quo omnes homines nati ſunt. Omnes igitur homines amat Deus*.Primùm reſpondeo,contra Scripturæ conſuetudinem te facere,qui patris nomẽ promiſcuè,& omnium ſemel hominũ reſpectu Deo tribuas:id eſt, qui quod vnius Eccleſiæ in Chriſto proprium eſt,cum alienigenis etiam cõmunices.Locus enim ille Malachiæ perperam à nonnullis accommodatur ad communem omnium hominum procreationem,quum potius ad vnum communem Iſraelis patrem ſiue Abrahamum,ſiue Iacobũ referatur,vt ex ſimili Moſis loco apparet.Sed ne videar de verbis litigare(quãuis non de nihilo ſit hæc contentio)crearit Dominus omnes in Adamo, ſitque hactenus communis omniũ pater.Si ſatis firma eſt hæc ratio cur Deus omnes amet, quî fit vt Apoſtolus è contrario pronunciet omnes in Adamo eſſe iræ & mortis,ac proindeodii filios?An reſpondebis Apoſtolum homines contemplari quatenus ſunt in Adamo corrupti,ac proinde abdicati?Eſto,ita enim eſt. Tu verò quomodo illos cõtemplaris? num vt in Adamo adhuc ſtantes? Minimè profectò,vt qui non dicas Deum fuiſſe, ſed eſſe omnium patrem: nec omnes amauiſſe,ſed amare. Aliò igitur confugias oportet, huc videlicet, vt Deũ dicas nihilominus omnes amare,quia omnibus gratiam offerat. Hoc verò ſi ita eſt,nempe ne præuiſa quidem corruptio effecerit vt aliquos Dominus abdicaret,quum omnes quanuis corruptos ita diligat, vt eis gratiam ſalutis offerat: & ita quidem,vt poteſtatem eis faciat gratiam oblatam amplectendi (quia nobis alioqui videretur Dominus,vt poſtea ſuo loco dicã,nõ bona fide cũ hominibus agere)ſed præterea oportebit contumaciã accedere ad corruptionẽ,id eſt,oblatã gratiã præterea repudiari. Atqui ſi ita eſſet,non naſceremur irę & mortis filii,ſed fieremus ex quo tẽpore oblatã gratiã repudiaremus.Ita,quemadmodũ poſt Pelagiũ docẽt Catabaptiſtæ, & bonus ille veſter fraterculus Seruetus,gratia Dei in Chriſto non indigerent pueri,quũ natura nõ ſint abdicati. Denique,quid eſt peccatũ originis tollere,aut ita ſaltẽ extenuare,
Pſal.51.7. vt idonea nõ ſit abdicationis cauſa,ſi hoc non eſt?Quid Dauid è cõtrario?Ecce,inquit, in iniquitatibus conceptus ſum. Oſtende igitur non omnem iniquitatem coram Deo
Ioan.3.6. mortem commereri.Quid autem Dominus ipſe?Quod naſcitur,inquit,ex carne,caro
Rom 8.7.8. eſt.Caro autem hoſtis Dei eſt:quia qui in carne ſunt,Deo placere non poſſunt. Aut igitur proba homines ante repudiatam gratiam, carnem non eſſe:aut ab ipſo conceptu confitere omnes reos eſſe iræ ac mortis, quanuis Dominus pro ſua ſingulari bonitate miſereatur quorumcunque libuit, nedum vt Deus eò quòd omnes creauit in Adamo, idcirco omnes ex Adamo naſcentes diligat vt pater. Dico enim è contrario,Deum,ex quo Adamus peccauit,patrem eſſe deſiiſſe in Adamo humani generis, quum omnes in Adamo iure ac meritò vt corruptos abdicarit:ſed eorum quos ab æterno elegit in altero Adamo, id eſt in Chriſto, patrem eſſe cœpiſſe:quod manifeſtè etiã indicat Chriſtus ipſe,quum Cananæam illam alloquens,filios à canibus diſtinguit.Quid autẽ Apoſtolus? Vt probet peccatum per vnum hominem,non ex imitatione(vt Pelagius impiè ſentiebat)ſed ex propagatione in mundum introiiſſe, à morte ad peccatũ, id eſt ab effectis ad cauſam aſcẽdit.Regnauit enim mors,inquit,ab Adamo ad Moſen, etiã in eos qui ad inſtar Adami nõ peccauerãt.Quid igitur hîc habes quod reſpõdeas? Sed vt planius intelligatur quõ accipiendũ ſit quod tu ex quorundã doctorũ hominum ſcriptis

hauſtum

hauſtum deſcripſiſti, Omnibus videlicet offerri gratiã: in primis quærendum puto quid gratiam appelles. Neque enim ignoras hoc nomine quoduis Dei beneficium comprehendi, poſtulat aũt omnino hæc diſputatio, vt, niſi vis à ſcopo aberrare, Gratiæ nomine nihil aliud intelligas quàm gratuitã in Chriſto reconciliationẽ. Ac eam quidẽ fatemur cum iis quorũ ſcripta nõ intelligis, non vt olim, vni Iudæorum genti, ſed quibuſuis paſſim gentibus, cuiuis etiam hominum ordini, denique non ſolis electis, ſed etiã plurimis reprobis, quanuis cõtrario reſpectu, offerri. Sed quid hoc te ſubleuat? Neque enim valebit tua reſponſio, niſi non modò omnibus in genere, ſed etiam ſingulis ſine vlla exceptione hominibus ſalutis gratiam offerri dicas. Nam ſi vel vnum hominem exceperis, claudicabit tua argumentatio, Deum amare quoſcunque in Adamo condidit. Túne verò negare audeas infinitam ſemper fuiſſe hominum multitudinem, qui prius ex hac vita exceſſerint, quàm de Euãgelii doctrina quicquam audierint? Præterea, quàm multis proponitur externa gratia, qui tamen non trahuntur? Eſt enim hoc beneficium filiis peculiare. Imò ne ſi naturali quidem Dei notitiæ tribuas gratiæ nomen, verum id erit in ſingulis. Quot enim à mundo condito, vel ex vtero tranſlati ſunt ad tumulum, vel communi intelligentiæ luce priuati vixerunt? Superest ergo, vt quum ſinguli naſcamur iræ filii, nec ſingulis gratia ſalutis offeratur, quanuis ſingulos in Adamo condiderit Deus, ſingulos tamen non diligat, contrà quàm velle te video.

Præterea, ſi, vt tu vis, Deus idcirco omnes amat, quia omnes in Adamo condidit: certè par erit ipſius in omnes amor, quum pari ratione ſit omniũ pater. Hîc verò tu reſpõde. An illum exiſtimas non aliter eſſe Abrahami patrem, quàm Chaldæorum aut aliarum gentiũ? Notus in Iudæa Deus, inquit Dauid: & alibi, Non ita fecit vlli nationi. Psal. 76. 1. & 147. 20. Vnde hoc autem diſcrimen? nempe vel ex Dei voluntate, vbi nobis conſiſtendum eſſe docuimus: vel ex ipſis hominibus, vt vos mauultis. Si ex ipſis hominibus, quũ omnes ex æquo ſint iræ filii, quã maiorẽ peruicaciam in his quàm in illis proſpicere Deus potuit, quamobrẽ vnis gratiam offerret, alteris verò denegaret? vnos cõmiſeraretur, alteros induraret, aut etiã (vt vos loquimini) indurari fineret? Futile eſt igitur de prauitia corruptione, aut incredulitate, aut præſcitis peccatis cõmentum: ac proinde neceſſe vt hoc diſcrimẽ dicas à Dei voluntate pendere, quanuis occulta ſit hominibus huius iuſtitiæ ratio. Aliud exemplũ apertius ponamus: Deus æquè pater eſt Eſau ac Iacobi, idque nõ in Adamo duntaxat, ſed etiã in Iſaaco, quicum peculiaris benedictionis fœdus ſanxit. An tu verò dicere audebis Deũ non aliter patrẽ eſſe Eſau quàm Iacobi? Hoc enim tibi demus, patrẽ etiã Eſau Deũ haberi poſſe: ſi dicere hoc audeas, refellet te Dominus ipſe è cælo clamans. Maior ſeruiet minori: & ne tergiuerſari poſſis de quauis ſeruitute hoc eſſe intelligendũ, obſtat iterũ tibi Dominus, teſtificãs Iacobi præſtantiã cũ ipſius amore fuiſſe coniunctã, Eſau verò abiectionẽ cum ipſius odio: cuius certũ ſignũ fuit, quòd promiſſione terrę Chanaan excidit, quũ ea eſſet Diuinæ benedictionis ac adoptionis teſſera. Relinquitur ergo Deũ, vt etiã Eſau dilexiſſe tanquã patrẽ tibi demus, tamen Iacobum longè alio amore eſſe proſequutum. Cedò verò, vnde hoc diſcrimen, niſi ex eo qui quorum vult miſeretur, quos vult indurat, vt clamat Apoſtolus? Nam ſi ad præſcitam Eſau peruicaciam recurras, obſtat tibi Apoſtolus, qui, quum Iacobum dixiſſet dilectum ac proinde electum antequam natus eſſet, vt electionem ſciremus non tantùm Rom. 9. 13. tempore (vtpote quæ ſit æterna) ſed etiam cauſarũ ordine omnia antegredi, vtque præuiſioni vel fidei vel operũ nullus penitus locus relinquatur, vtpote quæ ſint electionis nõ cauſæ ſed effecta: ita quũ ad oppoſitum membrum ventum eſt, ſimili prorſus ratione Eſau exoſum ac proinde exitio deſtinatum fuiſſe teſtatur antequam natus eſſet, aut quicquam mali feciſſet: nempe vt hac quoque in parte intelligamus non modò æternum eſſe reprobandi propoſitum, ſed etiam cauſis omnibus exitii ſuperius eſſe, nec locum hîc vllum præuiſioni vel corruptionis vel incredulitatis vel malorum operum relinqui. Sunt enim hæ quidem damnationis cauſæ ita in vno Eſau hærentes, vt nullo modo Deus ſit culpæ affinis, ſed tamen æterni reprobationis decreti non cauſæ præcedentes, ſed ſubordinatæ. Alioqui, ſi hæc Pauli verba, Antequam nati eſſent, & boni aut mali aliquid feciſſent, aliter prorſus in vno quàm in altero membro exponas, præterquàm quòd commune illud axioma, Eandem eſſe contrariorum diſciplinam, abundè te refellet, nemo erit qui non animaduertat manifeſtã vim afferri Apoſtoli verbis, ſi vna eadémque ſententia iiſdémque verbis connexa, in contrarias prorſus expoſitiones diſcerpatur. Quod ſanè fiet, ſi in vna parte præuiſionẽ excludi, in altera verò nihilo-

minus conſtitui dicas. Poſtremò, ſi præuiſione niteretur reprobandi propoſitum, præ-
terquam quòd vtrobique eadem neceſſariò præuiderentur, vnde tandem naſcerentur
ſequentes obiectiones, in quibus diluendis Apoſtolus tantopere luctatur? Nam neque
haberent electi quod quererétur, niſi de miſericordia queri vellent: neque item repro-
bi, ſi ob merita ſua præuiſa reprobarentur. Aliud eſt autem quærere cur oderit Deus, a-
liud quærere cur odio deſtinarit. Quæ omnia ne putes à me excogitata, audi quid de
» ea re ſenſerit Auguſtinus in Enchiridio ad Laurentium, cap. 98: Sentiẽs, inquit Paulus
» quemadmodum poſſet hoc quod dictum eſt permouere eos qui penetrare intelligẽdo
» non poſſunt hãc altitudinem gratiæ, Quid ergo dicemus? ait, nunquid iniquitas eſt a-
» pud Deum? Abſit. Iniquum enim videtur, vt ſine vllis bonorũ malorúmve operũ meri-
» tis, vnum Deus diligat, oderítque alterum. Qua in re ſi futura opera, vel bona huius, vel
» mala illius, quæ Deus vtique præſciebat vellet intelligi, nequaquam diceret Ex operi-
» bus: ſed, Ex futuris operibus: eóque modo iſtam ſolueret quæſtionem, imò nullam
» quam ſolui opus eſſet, faceret quæſtionem. Hæc Auguſtinus. Supereſt igitur vt etiamſi
Deus ex æquo dicatur omnium hominum in Adamo pater, tamen dici non poſſit ex
æquo homines diligere, imò ne omnes quidem diligere, ac proinde totam hanc tuã ar-
gumentationem futilem & ineptam eſſe: quoniam propoſitum Dei, vel in amore vel
in odio, à communi iſto creationis beneficio non pendet, ſed ab æterna, &, quanuis oc-
culta, tamen iuſtiſſima Dei voluntate.

ALIVD CASTELLIONIS ARGVMENTVM.

CREARE *ad perditionem non eſt amoris, ſed odij: Ergo non creauit quenquam ad perditionem.*

REFVTATIO.

SICVT pendet hoc argumentũ à ſuperiore, ita neceſſe eſt euerſo ſuperiore, hoc quoque corruat. Malè collegeras omnes à Deo diligi, quòd omnes eſſent in Adamo conditi. Nos verò contrà oſtendimus, Deum incomprehenſibili quidem, tamen iuſto decreto quoſcunque libuit, odio ſuo ac proinde exitio deſtinaſſe, neque id eſſe à Dei natura alienum, quam minime oporteat ex communi hominum ſenſu metiri. Deinde & illud oſtendimus, Deum non adduci alicuius odio vt eum exitio deſtinet: ſed eum odiſſe quem exitio deſtinauit: & quidem conſtare nobis iſtius odii & exitii cauſam, nempe ſpontaneam in Adamo corruptionem, quæ ad eius poſteros emanans, fructus etiam edat arbori ſimiles: idque moderatis omnibus ingeniis ſatisfacere, vt quanuis illis non conſtet decreti Diuini cauſa, tamen tum quia Diuinum eſt, tum etiam quia ſic decernitur perditio, vt ſimul iuſtæ perditionis cauſæ ſtatuantur in ipſis hominibus hærentes, iuſtum etiam eſſe confiteantur. Quamobrem etiam illud quoque probauimus, nos ita loqui non ſolere, vt quenquam à Deo ſimpliciter conditum dicamus ad perditionem, ſed idcirco vt ipſius iuſta condemnatione Dominus iuſtitiam ſuam patefaciat. Iuſtam autem eſſe reproborum condemnationem, quia ipſorum perditio ſic pendet à Dei prædeſtinatione, vt tamen cauſa ipſorũ exitii, ac materia tota in ipſis reperiatur. Hæc quiſquis cognouerit, vel illud ſaltem intelliget, abſurdiſſimũ eſſe quod dicis, Odii eſſe creare ad perditionem. Neque enim, quod iterum repeto, priuſquam homines creet Dominus, (de ordine cauſarum loquimur) vel odit, vel amat: ſed quos creat, eos ab æterno vel amare in Chriſto, vel odiſſe in Adamo decreuit. Creare igitur ad perditionem non eſt odii, ſed eius qui odiſſe decreuit, iuſtam, inquam, ob cauſam odiſſe, quam decreto odii ita ſubordinauit, vt tota culpa penes eum reſideat quem odit. Præterea, ſi nemo conditus eſt idcirco vt Deus iuſto ipſius exitio glorificetur: ergo vel omnes conſtituit Dominus ſeruare, vel conſilii ſui cauſas ex præſcita hominum voluntate mutuatur, ita videlicet vt quos præſciuerit gratiam oblatam repudiaturos, ob eam cauſam exitio deſtinet, aut certè ruere ſinat, quandoquidem ita volunt. Verùm, quàm multa hîc dicuntur & ineptè, & impié! Nam ſi Deus omnes conſtituit ſeruare, vt certè conſtituit, ſi omnes amat, quî fit vt non ſeruet? an quòd non poſſit? Si id ita eſt, omnipotẽs non eſt. An quòd nolit? Mutat igitur conſilium Dominus, & quum ſe pœnitere dicit, non iam tranſlatitiè & impropriè, ſed verè ac propriè de Deo id eſſe dictum intelligemus. Sin autem propoſiti ſui cauſas ex ipſis hominibus petit, quis eſt hic opifex, qui ab opificio pendeat? imò cui ſano homini in mentem veniat dicere, Deum homines conditurum prius cõſideraſſe quales eſſent futuri, vt inde conſilium iniret, quàm deliberaſſe quorſum eos conderet? Deinde quid illis fiet quibus nunquam offertur gratia, quales eſſe plurimos

antè

antè demonſtrauimus? An omnes iſtos ſeruari dices, quandoquidem in iſtis cauſa illa præſcita repudiandæ gratiæ non ſubeſt? Vide in quæ præcipitia feraris, quandoquidem ſemel à recto itinere aberraſti. Eſt autem hoc rectum iter, Deū omnia condidiſſe propter gloriam ſuam, etiam impium ad diem malum. Nullæ in hac doctrina ambages, nihil abſurdum, ſi modò conſtituas quod veriſſimum eſt, Dei voluntatem, etiam ſi interdum aliter nobis videatur, ſemper tamen eſſe ſummam iuſtitiæ regulam. Deinde, obſecro, qui fit vt tantopere de excuſandis reprobis labores? Nos, quæſo, illos ſinamus potius, & æterno Iudici damnandos relinquamus. Simus potius in agendis Deo gratiis, & amplificanda ipſius gloria occupati, qui quum nos quoque exitio deſtinare poſſet, maluit tamen Filio ſuo donare, per quē fide apprehenſum gratis ſeruemur. Elucet autem maximè iſtud in nos Dei beneficium ex oppoſito reprobatorum exitio: & hactenus nobis reprobi conſiderandi proponuntur, vt in timore & tremore Dominum colere diſcamus, non autem vt illorum cauſam agamus.

Alivd castellionis argumentvm

Creare *eſt opus amoris, non odij: Ergo Deus omnes homines creauit amore, non odio.*

Refvtatio.

Itervm ad eundem ſcopulum impingis, qui odium neſcias decreto ſubiicere, & ita quidem vt inter decretum & odium cauſa ipſa odii interiiciatur, cuius culpa in ſolis hominibus inhæret, vt toties iam dixi. Deinde quamuis vltrò fateamur Dei bonitatem in ipſo creationis opere elucere, nec opus ſuum propriè, ſed eius corruptionem Deo eſſe exoſam, tamen quis hoc tibi concedet quod ex hoc argumento vis elicere, Deum propterea quòd pro ſingulari ſua bonitate etiam reprobos creat, idcirco illos iuſto ſuo odio non deſtinare? Imò hîc tibi gratificabor. Neque enim in reproborū creatione duntaxat, ſed & in tota illorum vita fulget ſæpe incredibilis quædam Dei beneficentia, adeò vt ſi præſentem rerum cōditionem ſpectes, nec altius aſſurgas, videri poſſit Dominus improbis potius quàm bonis fauere. quæ cogitatio Dauidem multum exercuit, & Epicureos fefellit. Sed quid ait Dominus, de reprobis omnibus in Pharaonis perſona loquens? *Idcirco*, inquit, *excitaui te*, id eſt, in lucem produxi, *vt in te declarem potētiam meam*: in re videlicet potenter conficiendo. Nec tamen ignoro non deeſſe qui Excitandi verbum, quod Hebræo vocabulo העמדתיך reſpondet, aliter exponant, ſed Apoſtoli contextus ſatis declarat ita eſſe explicandum, vt ad ipſam vſque creationem aſcēdere oporteat. Deinde quoquo modo exponas, certè beneficia Domini in Pharaonē ſignificabit, quem tamē perdere iuſto exitio ab æterno decreuerat, & quidē quia volebat. Cur enim alioqui Paulus ad voluntatem vſque aſſurgeret, ac non potius diceret, Cuius vult miſeretur, & qui hoc merentur, vel quos merituros præſciuit, eos ſinit indurari? Sic Eſau quidem Dominus odio ſuo iuſto deſtinauit ab æterno, ſed ei tamen benedixit in terræ vbertate, & rore cæli. Iſmael ancillæ filius nō eſt hæres cum filio liberæ, ſed tamen excreſcit in gentem magnam. Magna igitur extant benedicentiæ Dei ſigna in ipſos etiam reprobos, ſed inde non efficitur quod tu vis, Deum ipſos odio ſuo iuſto non deſtinaſſe: imò hoc efficitur quod inquit Chriſtus, infinitam eſſe Dei bonitatē, qui ſuis etiam hoſtibus benefaciat: ipſos autem reprobos eò magis fore ἀναπολογήτους quò plura Dei beneficia perceperint. Itaque Paulus meritò nos reuocat ad contemplandam Dei μακροθυμίαν erga ipſa iræ vaſa, nec tamen propterea negat vaſa iræ eſſe ad interitum compacta.

Alivd castellionis argumentvm.

Nvlla *tam immanis beſtia eſt (nedum homo) quæ velit creare pullum ad miſeriam: quanto minus Deus? Nónne eſſet vel lupo deterior? Sic argumētatur Chriſtus Si vos quāuis mali, tamen noſtis bona dona dare filiis veſtris, quanto magis Deus? Sic & tui aduerſarij argumentantur, Si Caluinus, quamuis malus, tamē nollet gignere filium ad miſeriam, quanto minus Deus? Hæc & talia dicunt de natura.*

Refvtatio.

Clamat Dominus ad mulierē, Dolorē tuum & conceptū tuum cumulabo. Clamat ad virum, In ſudore vultus tui veſceris pane, donec in humum reuertare: cum mi-

ſetia veſcêris terræ fructibus, & ipſa tibi ſpinas & tribulos germinabit. Clamat ad terram ipſam, Maledicta eſt humus propter te. & ſub hoc pondere totam rerum vniuerſitatem laborare ac gemere dicit Apoſtolus. Vociferatur Iob, hominem naſci ad ærumnas, & paucis diebus quibus viuit, calamitatibus ſaturari. Teſtatur Sapiens ille contonatot, nihil eſſe ſub cælo vanius aut calamitoſius homine. Dauid infinitis locis hoc cõqueritur. Philoſophi hac cogitatione abſorpti, in hanc blaſphemiam erumpunt, vt naturam clamitent hominibus eſſe nouercam, & optimum eſſe non naſci. Communis ſenſus hoc dictat quod verè ſcripſit Plinius, homine nihil eſſe miſerius, quòd à ſuppliciis vitam auſpicetur. Tu verò vnus inuentus es qui non ſimpliciter negares gigni ad miſeriam. At enim, dices, tu mihi iniuriam facis, qui non ſimpliciter negem homines ad miſeriam gigni, ſed à Deo gigni ſeu creari. Sed obſecro, quiſnã hic amor eſt, (vis enim Dei naturam humano ſenſu metiri) quum ſolo etiam nutu poſſis homines, alioqui miſeros naſcituros, beare, tamen calamitoſos naſci malle, aut certè, vt veſtro more loquar, permittere? At tu excipies fortaſſe, Deum iure hoc facere, peccatis hominum iratum, quibus quodam modo coactum paternum affectum in quoſdam exuat, vt iam non omnes amet, quum multos abdicet. Verùm tantum abeſt vt hoc reſponſo te explices, vt contrà teipſum magis ac magis inuoluas. Primùm enim vnde hæc peccata niſi ex corruptione? Corruptionem autem vnius Adami cur in poſteros illius propagari ſinit Deus? Nullam hîc potes peccatorum præſcientiã cõminiſci, quæ Deũ impulerit, quũ neceſſe ſit vt cauſam effectis præponas. Planius loquar, vt à populo, ſicut tu vis, intelligar. Si Deus neminem vult naſci ad miſeriam, cur corruptos naſci ſinit, quũ corruptionem neceſſariò conſequatur miſeria? An non hîc tandẽ gloriã dabis Deo? an non blaſphemiam illam deprecaberis, Deum fore lupo deteriorem, ſiquos homines creare velit ad miſeriam? an non tandem in animum induces in arcana illa & incomprehenſibili Dei iuſtitia tacitus acquieſcere? Nunquámne ferociam hanc tuam domabit hæc triplex ratio firmiſſima? Deum, quum ſit iuſtus, nihil iniuſtè poſſe in operibus ſuis facere, quanuis infinita faciat quæ nobis iniuſta videãtur, propterea quòd eorum cauſas percipere non poſſumus. Deum non ſimpliciter creare quenquam ad miſeriam, ſed cauſas ſimul iſtius miſeriæ ita ordinare, vt qui miſer naſcitur, meritò miſer naſcatur. Deum in reprobandi propoſito non ſpectare reproborum exitium vt finem vltimum, ſed gloriam ſuam, quæ in eorum iuſta cõdemnatione elucet. Ita diſertè loquitur Spiritus Dei, & tu perges Deo reſponſare, nec vnquam intelliges quæ ſit impietas, Deum velle huius naturæ legibus alligare, nec aliam in Deo ſapientiæ ac iuſtitiæ lucem fateri, quàm cuius radios poſſis ſuſtinere? Sed amplius etiam te vrgebo. Cæcitatem quis negabit miſeriam eſſe? Nullus, opinor, niſi magis etiam quàm ipſi cæci cæcutiat. Arqui cæcũ illum natum, de quo antea dixi, quum perinde vt tu, exiſtimarent rudes diſcipuli vel ſuo ipſius vel parentum vitio ad hanc miſeriam natum eſſe, quid illis & tibi reſpondet Dominus? Neque hic, inquit, peccauit, nec parentes eius: id eſt, neque ipſius, neque parentum illius peccata conſiderauit Dominus, quum illum vellet cæcum ac proinde miſerum naſci, ſed idcirco cæcus natus eſt, vt opera Dei patefierent in eo. I nunc, & Dominum ipſum vt blaſphemum accuſa. Quid verò? an Iobum illum, hominem rectum ac ſimplicem, ita crudeliter à Satana habitum, vt ne ſine horrore quidẽ poſſimus legere quæ de ipſo commemorantur, illum, inquam, exiſtimas vel miſerum tum quidem non fuiſſe quum in illas triſtiſſimas querelas erumperet: vel caſu in has miſerias incidiſſe, vel quòd illius peccatis Deus eſſet infenſus, vel quòd otioſa quadam permiſſione ſeu conniuentia ſeruum ſuum tradidiſſet Satanæ in manũ? Nihil horum dicere potes quin te contextus hiſtoriæ refellat, ipſéque adeò Iobus, quum Deo benedicens, Dominus, inquit, dederat, Dominus abſtulit. Quòd ſi tum quoque iuſtiſſimus eſt Dominus, ipſa ſeruorũ ſuorum confeſſione, quum eos quibuſuis ærumnis ad tempus gloriæ ſuæ cauſa ſubiicit, túnc iuſtitiæ laudem ei detrahes, quum quos illi libuit, gloriæ itidem ſuæ cauſa, ad iuſtam damnationem creat? Iuſtam, inquam, damnationem, quum nullum vnquam niſi peccati reum condemnet. Porrò locus ille quem citas, iterum probat qua fide ſoleas Scripturam explicare. Quî fit enim vt quum ad hunc vſque locum duo tantùm Scripturæ teſtimonia citatis, vtrunque tam imperitè torſeris? Si vos quanuis mali, inquit Chriſtus, tamen noſtis bona dona dare filiis veſtris, quanto magis Deus? Quid tu hinc elicis? Deum qui bonus eſt, neminem ad miſeriam gignere. Quaſi verò eo in loco quoſuis alloquatur Dominus, ac non Eccleſiam ſuam confirmet, vt cum fiducia

clamet,

clamet, Abba Pater. An verò tu ita es imperitus vt neſcias hãc demum vocem eſſe Spiritus adoptionis? Ita enim teſtatur Apoſtolus. Sed vt tua expoſitio recipiatur, quid aliud inde poſſis elicere, niſi hoc vnum, ſolere Deum omnibus benefacere? Verùm an inde conſequitur eum neque vaſa iræ ſuæ condere, quæ tamen patientiſſimè toleret: nec ſolere prout libuerit ſuis filiis in gloriam ſuam vti? Caluinum poſtea ſumis pro hypotheſi, qui, inquis, malus eſt. Nos certè non ii ſumus qui Caluinum (vt tu cum tuis garrire ſoles) pro Deo habeamus: & is ille eſt, ſi quiſquam hodie ſub cælo alius, qui peſſimè oderit quod tu maximè captas, nimirum hominum gloriam. Sed hoc tamen teſtimonium perhibere poſſumus ac debemus, veritati, præſtantiſſimum eum eſſe oportere, quem hoc noſtro ſeculo nullus oderit qui non pietati ac veræ religioni bellum indixerit, aut qui certè nunquam illum cognouerit. Denique tibi tuæque factioni diſplicere, vtinã non eſſet tam certum veræ pietatis teſtimonium, & pœnitere malles, quàm ſiniſtra de te bonorum omnium iudicia confirmare.

ALIVD CASTELLIONIS ARGVMENTVM.

DE *Scriptura autem ſic dicunt, Deus vidit omnia quæ fecerat eſſe valde bona. Ergo erat homo, quem fecerat, valde bonus. Quod ſi eum creauerat ad perniciem, creauerat bonũ ad perniciem, & amat perdere bonum: id quod vel cogitatu impium eſt.*

REFVTATIO.

QVAESO ſi ita colligerem, Deus creauit me ſanum, non igitur creauit vt morbo periirem: quis me non inſanire exiſtimet? Creauit hominem Dominus rectum & innocẽtem, fateor. & tamen ad perniciem. Primùm ſic loqui non ſolemus, ſed creatum eſſe dicimus hominem ad gloriam Dei: deinde hoc ipſum diſtinguimus. Deum enim affirmamus alios condidiſſe, vt in iis per miſericordiam ſeruandis: alios, vt in iis iuſto iudicio condemnandis gloriam ſuam patefaceret: quomodo loquuntur Moſes, Salomon, Iſaias, Paulus. *Ergo,* inquis, *creauerat bonum ad perniciem, & amat perdere bonum.* At ego conſecutionem hanc dico eſſe ineptiſſimam. Multò enim plus colligis quàm aſſumpſeris, & perinde argumentaris, acſi probaſſes hominem à Deo eſſe conditum non modò bonum, ſed etiam qui malus nunquam fieret: quod poſterius falſum eſt. Nam quia Dominus meritò erat aliquos condemnaturus, oportuit quidem eorum originem bonam eſſe, tum quia Deus quum ſit bonus, nihil niſi bonum poteſt creare, tum etiã quia ſi mala eſſet origo, iuſtè non damnaret quod ipſe feciſſet: ſed ita bonam tamen eſſe oportuit eorum originem, vt ipſa ſeſe ſua ſponte deprauans, iuſtæ condemnationi, id eſt, æterni conſilii Dei iuſtæ executioni viam patefaceret. Bonũ ergo fuit etiam reprobandorum principiũ, non vt bonos, ſed vt malos ſua ſponte factos, Dominus ſicut ab initio decreuit, ita etiam re ipſa ſuo tempore iuſtè condemnet: vt qui ſicut non poteſt non diligere quod bonum eſt, ita non poteſt non odiſſe ac punire quod malum eſt. Sed &, vt παρέργως hoc diſcas, electorum cauſa oportuit Adamum ea cõditione bonum creari, vt ſua ſponte malus fieret. Quum enim conſtituiſſet Dominus maiorem etiam beneficentiam exerere in ſuis electis ſeruãdis, quàm in creando homine, id eſt, quum eos non ex nihilo creare ad ſalutem, ſed qualibet pœna digniſſimos gratis in Chriſto regni ſui æterni participes facere decreuiſſet: quis huic gratiæ & incredibili beneficentiæ locus fuiſſet, ſi perpetuò ſtetiſſent in Adamo? Neque enim hac miſericordia eget qui miſer non eſt. Quid igitur habent electi quod de mutabili iſta Adami conditione conquerãtur, quum eò glorioſior ac etiam fructuoſior ſit ipſorum ſalus? Quid item reprobi, quũ non niſi in Adamo corrupti dãnentur? Hic enim repeto quod ſępe iã dixi, ſic pendere reproborum exitium à Dei decreto, vt tamen tota damnationis eorum culpa ac materia in ipſis inhæreat. Vna tamen excuſatio, inquit pulchrè Caluinus, obtenditur, quod à Deo decretum erat, non potuiſſe Adamum effugere. Sed ad reatum ſatis ſupérque voluntaria tranſgreſſio ſufficit. Neque enim propria genuináque peccati cauſa eſt arcanũ Dei conſilium: ſed aperta hominis voluntas. Intus mali ſui cauſam quum homo inueniat, quid circuire prodeſt, vt eam in cælo quærat? Palàm in eo apparet culpa, quòd peccare voluerit. Cur in cæli adyta prorumpens, in labyrinthum ſe demergit? Nam quòd Deus ſciens ac volens hominem cadere paſſus eſt, occulta ratio eſſe poteſt, iniuſta non poteſt. En quo iure clamites nos facere Deum bonorum oſorem.

Lib. de æterna prædeſtinatione.

ALIVD ARGVMENTVM CASTELLIONIS.

DEVS *creauit vnum hominem vt eum collocaret in paradiſo,quæ eſt vita beata.Ergo omnes homines creauit ad vitam beatam.Omnes enim ſunt creati in vno.*

REFVTATIO.

PRIMVM quæro vnde hoc hauſeris,creatum fuiſſe vnum hominē à Deo ad hunc
finem vt eum collocaret in paradiſo.Collocatum fuiſſe lego Adamum in horto illo a-
mœniſſimo:ſed Domino hunc ſuiſſe vltimum finem propoſitum, vt ibi eum colloca-
ret,nuſquam lego.Imò ſi libet verbis ipſis immorari, creatum potius lego vt omni ani-
mantiū generi dominaretur.Concidit igitur argumētationis tuæ baſis, vtpote quæ nō
Scripturæ authoritate,ſed inani ſomnio nitatur. Immiſit Dominus ſoporem Adamo,
num igitur quum eum conderet,huc ſpectauit? Conſuit ei pelliceam veſtem, num id-
circo eum creauit? Vides quàm ineptè colligas? At iſte Paradiſus, dices, typus eſt vitæ
beatæ.Cedò verò vnde hoc quoque hauſiſti? an quia Dominus,& poſt eum etiam Pau
lus & Iohannes,Paradiſi nomine cæleſtem gloriam intelligunt? Egregium verò argu-
mentum:quaſi hoc vocabulo Græci amœniſſimos quoſque hortos non intelligant, &
Scripturæ familiare non ſit fœlicitatem æternam terreſtribus iſtiuſmodi imaginibus
adumbrare.Sed hoc agè tibi largiamur. Ieruſalem innumerabilibus locis declarat Ec-
cleſiam:an propterea quicunque eam ciuitatem incoluerunt, Eccleſiæ ſunt membra?
Deinde ſi Paradiſus ille fuit vita beata, nempe fuerit etiam in vita beata diabolus, &
mors,& peccatum: & Paradiſo illo per diluuium euerſo, vita etiā beata prorſus perie-
rit.En quò præcipitem agant futiles argutiæ.Sed ne me conqueri poſſis argumenta tua
potius eludere quàm ſoluere,explicabo tibi quid de hoc argumento,id eſt de primi ho
minis conditi fine,ex verbo Dei ſentiamus.Dicimus quadruplici modo conſilia Dei à
nobis intelligi.Vnus eſt ex reuelatione per Prophetas,cuius exempla paſſim extant in
Scripturis.Alter eſt ex peculiari reuelatione Spiritus, vt de Simeone legimus, atque e-
tiam de fidelibus omnibus,quorū ſpiritui teſtificatur Spiritus Dei quæ ſint ipſis à Chri-
ſto donata.Id enim eſt quod Fidem & πληροφορίαν vocamus, quæ facit vt Pauli exem-
plo tā certi ſimus nos à Deo gratis electos in Chriſto, quàm ſi præſentes æterno ipſius
conſilio interfuiſſemus.Tertius eſt ex cauſarum naturalium cōſequutione à nobis ob-
ſeruata,quo modo ſæpe phyſici & prudentes, peritique rerum humanarum homines
multa vaticinantur.Sed fallax eſt & incerta multis in rebus iſta coniectura,propterea
quòd cauſas intermedias Dominus pro occulta ſua voluntate ſæpe inflectit. Quartus
autē modus certiſſimus eſt,ac ſine vlla exceptione certiſſimus, quia à poſteriore,quod
aiunt,iudicat. Dico igitur duo eſſe quæ non modò verbum Dei, ſed ſenſus etiam ipſe
communis nobis dictat. Vnum eſt, Deum nunquā poſſe mutari, itaque idipſum quòd
res ſæpiſſime mutentur, æterno & immutabili Dei conſilio fieri.Deus enim nō ea mo
dò decernit quæ conſtantis ſunt naturæ, qualia ſunt pauciſſima, ſed ea etiam quæ ſin-
gulis penè horis mutantur,at non niſi præſcriptis ab eo mutationis legibus. Exempli
gratia, Dominus terræ à ſe conditæ benedixit,cui poſt peccatum Adami maledicit.An
Deus mutatus eſt? Minimè:ſed initiò non niſi ad tempus ei benedixerat,quo expleto,
cōſtituerat ei maledicere propter hominis peccatum. Si quis roget vnde hoc habeam,
ex euentu me habere reſpondebo.Quum enim Deus non mutetur,& ita factum ſit vt
dixi,neceſſe eſt quoque fateri Deo ita fuiſſe conſtitutum ab initio.Item,Dominus Le-
gis cerẹmonias Eccleſiæ ſuæ tradidit per Moſen, qui tamen poſtea per Apoſtolū pro-
nuntiat,Si circuncidamini,Chriſtus vobis nihil prodeſt.An mutat cōſilium Dominus
vt probet quod antea improbarat? Minimè. Ceremonias enim ad tempus duntaxat
condiderat,nempe vſque ad Chriſti prædicationem, cuius aduentu oportuit illas tan-
quam tenebras exortu lucis euaneſcere.Item,Saulem deſignauit Iſraelis regem,ſed ad
tempus: quod quum initiò non ſignificarit,tamen ſatis comprobauit, quum eum abii-
ceret.Simul autem quum decerneret fore vt eum abiiceret, cauſam conſtituebat quā-
obrem iuſtè,& ipſius vnius culpa regnum ei abrogaret. quæ omnia ex euentibus certò
colliguntur. Alterum autem hoc eſt,quod ipſe quoque ſenſus communis dictat, Deo
vel ignorante,vel inuito,vel otioſo nihil fieri:quia nec ignorantia, nec imbecillitas in
Dei naturā cadit,nec otioſa præſcientia ei tribui poteſt,præſertim in tā excellentis opi-
ficii,id eſt hominis gubernatione,quin maxima ex parte confirmetur impium Epicuri
dogma,

dogma, Mortales Deo curæ non eſſe. Ita enim fiet vt otioſus, id eſt nihil agens, Adamũ à Satana circunueniri ſit paſſus, & tandem quaſi expergefactus, ad remedium ferendũ accurrerit. Longè aliter Scriptura, quæ à Deo gubernari teſtatur quæcunque etiã maximè videntur fortuita. Clamat eadem, ne paſſerculos quidem ad terram cadere ſine Patris cæleſtis voluntate, & capillos omnes capitis noſtri numeratos. Iobum ne attingere quidem poteſt Satan, niſi Deo ita decernente, ac proinde Satanæ hoc permittente. Imò ne in porcos quidem ſæuire poſſunt dæmones, niſi petita à Chriſto facultate: quã ſanè non conceſſit inuitus, ſed volens. Reſtat ergo vt Deo volente omnia fieri dicamus: ac proinde vt quicquid accidiſſe viderimus, non ſine Dei decreto, eóque iuſto, æterno, & immutabili dicamus accidiſſe. Quòd ſi quis hîc clamitet nos Stoicam neceſſitatem inuehere, fateor quidem cum Auguſtino, aut cum ipſa potius veritate, Dei voluntatem eſſe rerum neceſſitatem, ſed Stoicam hanc eſſe nego. Neque enim Deum cauſis ſecundis alligamus, vt Iouem ſuum Homerus inducit conquerentem quòd quũ velit fato reſiſtere, non poſſit: nos, inquam, nullum eiuſmodi fatum agnoſcimus, ſed certum & immutabilem eſſe omnium rerum euentum dicimus, quem liberè, ſapienter ac iuſtè ab æterno conſtituit Dominus. Dicimus tamen Dei decreto non cogi cauſas ſecundas, niſi quum ipſi libuit aduerſarios ſuos frænare, ſed pronas ad finem à Deo conſtitutum ferri. Denique motus & merè naturales & voluntarios ἐκ προαιρέσεως nõ modò non tollimus, ſed inter cauſas ſecundas vt præcipuas recenſemus, quæ videlicet, vt modò diximus, ſua ſponte huc inclinentur, quò tendunt Dei ſapientiſſimi, liberrimi ac iuſtiſſimi conditoris conſilia. Exemplum hoc eſto: Deus Pater ſalutem electorum procurans, decreuit omnino vt Chriſtus certo momento moreretur. Hoc adeò oportuiſſe fieri dico, vt neque antè fieri potuiſſe quàm ipſius hora adueniſſet (ſicut loquuntur Euangeliſtæ) neque poſtquàm præfinitum tempus aduenit, aliter fieri potuiſſe affirmem, quod ad euentum ipſum attinet. Interim quum Chriſtus adhuc ætate floreret, & eſſet procul dubio corpore optimè conſtituto, ſi naturæ δύναμιν ſeorſum ſpectes, eiuſmodi erat vt in multos adhuc annos poſſet eſſe ſuperſtes: voluntas quoque humana eius erat naturæ quæ crudeliſſimam mortem cum ira Dei Patris coniunctam horrendum in modum exhorreſceret, atque etiam deprecaretur. Naturæ igitur facultatem ſi per ſe conſideres, Chriſtũ dicemus potuiſſe non mori: item ſi voluntatis δύναμιν in ſeſe conſideres, potuiſſe optare non mori. Sed & natura naturali motu, & voluntas ſua ſponte Dei decreto, id eſt morti neceſſariæ conſenſit. Itaque non eſt quòd nobis Stoicorum dogma obiicias, quod & Deo libertatem decernendi, ac cauſas ſecundas conſtituendi adimit, id eſt, Deum ſua diuinitate ſpoliatum in ordinem redigit, & nullum conſiliis aut deliberationibus ſpontaneis locum relinquit. Neque nobis obſtat (vt obiter hoc dicam) quòd cauſis ſecundis interdum videatur vis afferri: vt quum ſol curſum ſiſtit, & mare finditur. Diximus enim Deum cauſis ſecundis non eſſe aſtrictum, quin eas quò libuerit inflectat: neque dubium eſt quin tum natura ſua ſponte iubenti Conditori cedat. Plus eſt difficultatis in corrupta diaboli & omnium qui renati non ſunt voluntate, quam certum eſt ſeſe interdum Dei decretis penitus, id eſt ſcientem ac prudẽtem, opponere. Hîc verò prorſus apparet incomprehenſibilis illa & inexplicabilis conſiliorum Dei ratio, quandoquidem ipſa diaboli & membrorum eius voluntas, eo ipſo quòd Deo ſeſe penitus opponit, Dei tamen operibus imprudens non minus ſubſeruit, quàm ſi prono impetu illi obſequeretur. Cedò enim, (vt vnum è multis exemplum nobile deligamus) dum conatur Satan Ioſephum per ipſius fratres perdere, per quem Deus Iſraelitas ſeruare conſtituerat, quid effecit? Nempe illod ipſum quod is decreuerat cui ſeſe opponebat, id eſt, vt Ioſephus in AEgypto authoritatem nactus, Eccleſiæ Dei hoſpitium pararet. Itaque in Dei decretum reſpiciens Ioſephus, & fratres attonitos conſolans, Vos inquit, non miſiſtis me huc, ſed Deus. Quòd igitur dixi cauſas ſecundas ſeſe pronas Dei voluntati accommodare, quod ad improborum voluntatem corruptam attinet, ita accipiendum eſt, vt exitum potius quàm voluntatis ipſius formam ſpectemus. Sed hæc fortaſſis altius ſunt repetita. Ad rem igitur redeo. Oſtẽdimus ex externo & immutabili Dei decreto omnia euenire, quòd neq; ignoratio, neque impotentia, neque ἀμέλεια, neque conſilii mutatio vlla in eum cadat. Oſtendimus illud quoque, ea ipſa quæ mutantur, non niſi ex ipſo æterno ac immutabili conſilio Dei mutari. Sed & hoc tertium probauimus quod ex ſuperioribus pendet, firmiſſimã eſſe hãc collectionẽ, Hoc ita euenit, ergo Dei conſilium erat vt ita hoc eueniret. Ex his facilè

Prou.16.33. Exod.21.13.

Gen.45.8.

eſſe dico colligere quid de conditi primi hominis fine ſit exiſtimandum, nempe(quod
exitus oſtendit)creatum fuiſſe bonum,ſed hac conditione,vt certo temporis momen-
to ſua ſponte,nulláque Conditoris culpa,hac bonitate amiſſa, viam imprudens patefa
ceret,tum iis per miſericordiam ſeruandis,quorum ſalute Deus ab æterno decreuit glo
riam ſuam illuſtrare:tum iis iuſtè condemnandis, quorum itidē iuſto exitio propoſuit
ab æterno iuſtitiæ ac ſeueritatis ſuæ immenſitatem patefacere. Fuit igitur bonus con-
ditus Adam:ita quidem,vt ſi hanc naturæ conditionem per ſe ſpectes,id eſt integrita-
tem ac innocentiam,tum ipſe ſeruari potuerit ac debuerit,tum etiā ipſius poſteri,quos
ſibi ſimiles fuiſſet procreaturus.Sin verò decretum Dei conſideres,id eſt quorſum illum
condiderit bonum,comperies nec bonum manere ipſum potuiſſe quod ad euentū at-
tinet,nec potuiſſe ipſius poſteros alia conditione naſci, quàm ea ipſa cui vt obnoxii na-
ſcerentur,Deus ab æterno propoſuerat.Quæris vnde hæc habeam? Reſpondeo,ex e-
uentu,ſiue à poſteriore,qđ aiunt,hæc me colligere,nec poſſe te inficiari quæ dixi, quin
vel Deum facias varium & inconſtantem, vel imbecillum, vel ignarum, vel, quod ad
cauſarum ordinationem attinet,otioſum:addo etiam temerariū & imprudentē. Quid
enim?antequàm hominem conderet, non ſibi certum finem propoſuit cur conderet,
ſed præuiſo demū lapſu,deliberauit quid hominibus eſſet facturus?Quis,obſecro,æquis
animis hæc de Deo dici ferat,quæ ne in homines quidem cadant,niſi omni mente ac
cōſilio deſtitutos?Sin autem finem aliquē ſibi propoſuerat, quæro ex te quis ille fuerit.
Omnes homines beare,dices.Explica igitur,quî non ſint incerta & infirma Dei cōſilia,
quî non ſit Deus varius & inconſtans,quî non ſit prorſus imbecillus, ſi quod cōſtitue-
rat de beata omnium hominū vita,nullo modò nunc præſtat. Nam ne eos quidē quos
ſeruat dicere potes ex commentitio illo tuo decreto ſeruari,quum gratia ſeruentur,non
natura:& plurimos non dubium eſt æternis pœnis addici, quum extra Chriſtum non
ſit ſalus,& fides ſit ex auditu. At ſua culpa,dices.Fateor.ſed quid te hoc ſubleuat? Nam
ſi illud erat Deo decretum, Adamum & omnes in eo conditos ſeruare, certè vel Deus
non vult,vel non poteſt perficere quod decreuerat.Si non vult,conſilium igitur muta-
uit.Si nō poteſt,nō eſt igitur omnipotēs. Vtrunque verò quàm ſit à Dei natura alienū,
vides.Falſum eſt igitur ex tua etiā hypotheſi doctrinæ genus quod nos in iſtas blaſphe
mias adigit. Vnum tamen præterea perfugium tibi ſupereſſe cōiicio,nēpe vt dicas Deū
condidiſſe quidem Adamum,& omnes in eo cōprehenſos homines, ad vitā beatā,ſed
ſub cōditione,ſi Adamus perſiſteret in ſua integritate. quod in ipſius poteſtate ſitū fue-
rit,ac Deum proinde conſiliū mutaſſe non videri. Reſpondeo,verū quidē eſſe quod di
cis de cōditione,ſed nō quo ſenſu exiſtimas. Neq; enim putandū eſt Deū inſtar homi
nū pendere ancipitem in ſuis conſiliis, & prout ſecūdis cauſis libuerit hoc vel illud de-
cernere.Quis enim eſſet iſte Deus qui à rerum creatarū arbitrio penderet? Quod ergo
dicitur de cōditione,accipiendū eſt in contrariā prorſus ſententiam,creatum videlicet
Adamum conditione lapſus interpoſita, ſed quæ omnino impleretur quāuis volunta-
riè,liberè & ſponte,ſi Adamū ipſum conſideres,tamen neceſſariò, ſi ipſius Diuini de-
creti rationem habeas,quum Dei conſilium excidere non poſſit. Nam decretum Dei
non pendebat à voluntate Adami:ſed è cōtrario,Adami voluntas à Dei decreto,cuius
tamen decreti vi non cogebatur voluntas, ſed ſuo ſpontaneo motu(quāuis ipſo Ada-
mo finem illū nec ſciente,nec ſpectante,ac proinde peccante)ad finē à Deo conſtitu-
tum ferebatur,huc nimirū vt Dei tum miſericordiæ, tū ſeuero iudicio iter ſterneretur.
Nam,vt rectè ſcribit Auguſtinus,Deus ſic condidit cauſas inferiores,in quibus eſt & i-
pſa hominis voluntas,vt ex illis illud cuius cauſæ ſunt eſſe poſſit, non neceſſe ſit: altio-
res autē & remotas ita abſcōdit vt ex eis eſſe neceſſe ſit, quod fecit vt ex illis interiorib⁹
eſſe poſſit.Itaque in vno & eodē opere,aliud ſponte ſua,ac proinde peccans,conabatur
Adam,aliud moliebatur Dominus:& Adami quidem ac Satanæ conatus fuerunt irri-
Prou.21.30. ti,quia non eſt conſilium contra Dominum: Deus verò iuſtè etiam vſus peccante in-
ſtrumēto,id ipſum quod voluit effecit:quia quicquid conſtituit, illud etiam vt quomo-
do conſtituit eueniat,prorſus oportet. Si tibi iſta non ſatisfaciunt quæ neceſſariis iſtis
principiis nituntur,Deum ſemper eſſe iuſtum, etiam ſi homines non ſemper intelligāt
quomodo iuſtus eſſe poſſit: Deum non pendere ex cauſis ſecundis,ſed eas iuſtè ſemper
ordinare,tum quoque quum iniuſtè agunt: Deū nihil agere imprudenter, & nullo cer-
to fine cōſtituto,nec ignorare aliquid, nec aliquid velle aut decernere quod nō poſſit,
nec otioſum ſpectare quid futurū ſit,aut quid fiat,ſed omnia(vt loquitur Solomon)ad
gloriam

gloriam ſuam facere, ac proinde facere antea decreuiſſe: Deum mutari non poſſe, ſed ea etiã quæ mutantur, ex immutabili ipſius conſilio, certis & fixis omnibus circunſtantiis mutari: ſi tibi, inquam, ea non ſatisfaciunt, quæ tam certis & Dei naturæ conſentaneis principiis, atque adeò innumerabilibus Scripturæ teſtimoniis ac exemplis nituntur, ingenuè dico me iam nihil laborare vt tibi tuæque factioni ſatisfaciam. Id enim qui faciat, perinde ſanè faciat ac ſi cum ratione (vt inquit ille) velit inſanire.

ALIVD CASTELLIONIS ARGVMENTVM.

SI *omnes in Adamo lapſi ſunt, neceſſe eſt vt omnes in Adamo ſteterint, ídque ea conditione qua Adamus.*

REFVTATIO.

HÆC omnia tibi concedo, & ita quidem vt contra te faciant. Quum enim Adami poſteri non alia conditione ſteterint quàm ſtetit Adamus, nempe vt ſua ſponte ſeſe in exitium præcipitaret, vnde poſtea eximeret Dominus quoſcunque ab æterno decreuerat Filio ſuo dare, conſequitur hoc ipſum quod volumus, nempe electos nihil habere cur de hoc Dei decreto conquerantur, quũ tanto melior nunc ſit eorum cõditio, quàm ſi Adamus non peccaſſet, quanto præſtantius eſt in Chriſto Dei Filio quàm in Adamo, & gratia quàm natura ſeruari: reprobos verò nihil etiã queri poſſe de Deo, vt qui, quãuis ſecundùm iuſtum Dei decretum lapſi ſint in Adamo, tamen voluntariè, non coactè ſint in eo lapſi, ac proinde non niſi merentes damnẽtur. Si hoc tibi & illis nõ ſatisfacit, clamabo cum Paulo, Homo, tu quis es qui reſpondes Deo?

ALIVD ARGVMENTVM CASTELLIONIS.

NOLO *mortem peccatoris.* Ezech.33.11

REFVTATIO.

VIDE quàm ſis popularis. Oblitus enim es qua de re quæreretur. Non laboramus de morte ſiue damnatione æterna (nam inter nos cõſtat neminem niſi ſuo merito damnari) ſed de iuſto damnandi propoſito, cuius cauſa, quanuis nobis occulta, ſemper tamen iuſta eſt: quia quicquid Deus vult, iuſtum eſt: & ita decernit Deus quod decernit, vt iuſtas cauſas exequendo ſuo decreto ſubſternat. Quorſum tu igitur præteritis cauſis mediis à decreto Dei ad eius executionem, id eſt à damnandi propoſito ad damnationem delaberis? Quaſi verò Dominus ab æterno ita ſimpliciter propoſuerit, Ego hunc exitio addicam: ac non potius, Ego hunc ſua ipſius culpa exitio addicam, vt mea iuſtitia appareat. Dicam etiam planius. Ineptè facis qui de morte, id eſt executione conſilij teſtimonium cites, vbi de ipſo conſilio agitur. Imò Propheta, cuius duplici teſtimonio abuteris, contra tuæ factionis homines diſputat, qui conquerebantur ſeſe abſoluta Dei potentia, quam vocant, in iram Dei incurriſſe, quaſi Deus tyrannicè cum ipſis ageret, id eſt, ſiue iure, ſiue iniuria in eos ſæuiret. Quid autem Dominus per Prophetam? Nempe reuocat eos ad cauſas exitij in ipſis hærentes: quod & nos facimus quotidie. Non eſt, inquit Dominus per Prophetam, quòd me accuſetis. Ego ſicut pœnitentes recipio, ita non niſi præfractos & contumaces punio. Quum enim veſtra conſcientia vos accuſet, cur in me culpam deriuatis? Hanc eſſe Prophetæ mentem fatebitur quiſquis eos locos expenderit: & ſanè omnes moderati ingenij homines, vbi hæc audierint & ſeipſos fuerint ſcrutati, potius de emendanda vita & nouo corde à Domino impetrando, quàm de exagitandis Dei conſiliis cogitabunt. In ſumma igitur, Prophetam dico ad æternum illud Dei decretum non aſſurgere, ſed verum huius doctrinæ vſum indicare, quem etiam nos quàm poſſumus diligentiſſimè inculcamus: nempe oportere nos Dei de nobis decretum non in arcanis illis receſſibus ſcrutari, ſed in Verbo quod nobis pennitur conſiderare. Atenim vrgebis verbum Nolo. quaſi verò verbum רצה apud Hebræos ſimpliciter ſignificet velle, ac non potius declaret comprobare ac gratum habere; pro quo Græci dicunt εὐδοκεῖν. Multa autem vult Deus, ne neſcias, quæ tamen ἁπλῶς non probat, ſed κατά τι. Exempli cauſa, quum ſuos exercet, aut etiam caſtigat impiorum manu, an putas illi propriè placere quod patrant impij, quãuis ab eo excitati, vt paſſim loquitur per Prophetas: adeò quidem vt propterea etiã

Nebuchadnezar ſeruus Domini appelletur? Certè ſi ita cenſes, magno in errore verſaris, quum hæc ipſa ſcelera in Chaldæis poſtea tam ſeuerè ſit vltus. Quid ergo? Nempe illa ſimpliciter non probat Deus, id eſt quatenus populum ſuum premūt, ſed quatenus hac ratione confirmatur piorum patientia, qui peccarunt ad officium reuocantur, patefit iuſtitia eius in ſceleratis puniendis, impij menſuram ſuam implent, quatenus denique hæc iudicia gloriam eius illuſtrant, hactenus Dominus iſtarum rerum vſum ac finem iuſtiſſimum probat. Eſt autem ex harum etiam rerum genere, reproborum exitiū, quo propriè nō delectatur Deus, ſed gloria ſua, cuius cauſa teſtatur per Solomonem ſeſe impium quoque ad calamitatis diem condidiſſe. Ideo ſæpe iam dixi nos non ita loqui ſolere, vt dicamus Deum homines aliquos condidiſſe exitij ipſorum cauſa, ſed vt iuſto quorundam exitio gloriam ſuam illuſtret, quo fine nihil iuſtius aut melius ne cogitari quidem poteſt. Itaque nihil hoc pertinet ad ſcopum inſtitutæ diſputationis, an Deus propter gloriam ſuam aliquos, nempe impios, exitio deſtinarit, quod tu negas, ego cum Moſe & Solomone affirmo: neque tu ex his locis Ezechielis aliud potes elicere quàm quod nos quoque dicimus, Deum ita benignum eſſe, vt ne tum quidem quum homines pro ipſorum merito tractat, delectetur ipſorum exitio, ſed duntaxat nominis ſui gloriæ conſulat: quemadmodum clementes & æqui iudices non ſpectant nocentum cruciatus, quaſi ſit hoc illis propoſitum, humanum ſanguinem fundere, ſed tamen quia ita ius & æquum poſtulat, vt ſceleratorum pœnis terreantur mali, & defendantur boni à malorum iniuriis, idcirco non homines, ſed ſcelera in hominibus oderunt, atque ex legum præſcripto vindicant. Hæc, inquam, vis eſt verbi Nolo, aduerſus eos qui Deum tāquam ſæuum aliquem tyrannum accuſabant, vt qui in homines, nulla vel proborum vel improborum habita ratione ſæuiret: quum è contrario nunquam niſi nocentes puniat: & ita quidem, vt minimè ipſorum hominum pœnis, ſed iuſtitia ſua delectetur. Alioqui, ſi ſimpliciter Nolendi verbum accipias, tibi profectò explicandum erit, quî nolente Deo peccatores damnare, ac proinde volente ſeruare, pœnis tamen æternis ex Dei ipſius nolentis ſententia tam multi puniātur. Poſtremò, animaduertere debueras quibus deſtinetur hæc Ezechielis concio, populo certè ſcelerato, & præfracto, ſed tamen populo Dei, in quo quum plurimos haberet electos, minimè mirum eſt Dominum hoc ſermone apud eos vti, quos in ſuo fœdere comprehenſos ad ſe volebat reuocare. Tu verò ad cætera de quibus dixi, hoc etiam addidiſti, quòd ſoli Dei Eccleſiæ conuenientia, toti humano generi accommodaſti.

ALIVD CASTELLIONIS ARGVMENTVM.

1.Pet.3.9 DEVS *neminem vult perire, ſed omnes ad veritatis cognitionem venire.*

REFVTATIO.

Petrus eo loco quem tuo more detorques, cōfirmans electos aduerſus irriſores quoſdam, qui, vt hodie nimiùm multi, ridebant quæcunque de ſupremo Dei iudicio referuntur: Dilecti, inquit, ne hoc vnum vos lateat, perinde eſſe apud Dominū mille annos
" vt vnum diem, & vnum diem vt mille annos: id eſt, vt ego interpretor, Dominum nullis temporum ſpatiis, quæ nimiùm anxiè à quibuſdam numerantur, humano more eſſe
" aſtrictum. Deinde ſubiicit, Non tardat Dominus qui promiſit (vt nonnulli tarditatem
" hanc eſſe ducunt) ſed patiens eſt erga nos, nollens vllos perire, ſed omnes ad reſipiſcentiam rendere. Perinde eſt autem acſi diceret Petrus, Sunt nonnulli veſtrûm quibus videtur Dominus plus æquo differre alterum ſuum aduentum, qui ſanè longè aliter de Deo ſentiunt quàm par ſit. Primùm enim cōſideremus quis ille ſit qui promiſit ſe tandem venturum vt ſuos penitus liberet. Certè is Deus eſt. Num igitur vel vno momento poterit promiſsionem differre, cuius certiſſimum eſt verbum, quique definita momenta ſuæ promiſſioni præfixit? Deinde videte quàm perperàm quidam æſtiment hanc dilationem, præ impatientia. Putant enim Eccleſiam quodammodo ſperni à Deo, aut tanti non fieri quanti par erat, quum è contrario Dominus aduentum illum ſuum non fuerit dilaturus niſi ſumma patientia & bonitate erga nos vteretur. Differt enim tantiſper dum ſuos congregarit, quorum ne vnum quidem vult perire, ſed omnes potius vera pœnitētia ſeruari. Hanc eſſe ſimplicem, planam, ac perſpicuam verborum Petri ſententiam multis rationibus probatur. Nam & hic ſcopus eſt ei propoſitus,
fideles

fideles confirmare aduerſus Epicureos: quò fit vt ea afferat quæ ad ſolos fideles ſpectãt, quos nimirum ad promiſſiones reuocet. Deinde totus in eo eſt Petrus vt patientius ferendam doceat futuri Iudicij moram, quæ certè non conueniunt præfractis & contumacibus, qui Deum optarent quàm diutiſſimè iudicium illud protrahere, ſicut ex hac dæmonum voce apparet, Cur veniſti ante tempus nos excruciatum? nedum vt Domini mora nimiùm diuturna ipſis videatur. Propterea quum iſtos quos alloquitur, dilectos vocet, & ſeſe illis adiungat, vt qui dicat εἰς ἡμᾶς, erga nos, non εἰς ὑμᾶς, erga vos, quis tam eſt hebes qui non videat ad ſolam Eccleſiam, ad ſolos, inquam, electos pertinere totum hunc ſermonem? Ideo alibi dicitur Dominus in illo Iudicio primùm omnium vniuerſos electos ſuos ex toto mundo aggregaturus, iam videlicet expleto eorum numero. Denique Iohannes optimus eſt Petri interpres: nam apud illum inducuntur animæ interfectorum propter Dei verbum, quòd longioris huius dilationis illas tædeat, clamare, Vſquequò Domine, qui Sanctus es & verax, non iudicas ac vindicas ſanguinem noſtrum aduerſus eos qui terram incolunt? Quid autem illis reſpondetur? Hoc ipſum quod commemorat Petrus, nempe vt aliquantulum temporis præterea conquieſcant, tantiſper videlicet dum expleatur reliquus conſeruorum & fratrum numerus. Hi ſunt igitur, Sycophanta, quorum neminem vult Dominus perire, & quos omnes ad reſipiſcentiam ſuo tempore vocat. Reliquos enim quos ad diem malum creauit gloriæ ſuæ cauſa (vt loquitur Solomon, cui longè præſtat credere quàm tibi) non dubium eſt quin velit ſua ipſorum culpa perire: ſicut de filiis Heli & reiectis iis Iudæis diſertè teſtatur Scriptura. Ergo hîc quoque in eundem ſcopulum impingis, in quo paulò antè naufragium feceras. Nam quod de ſolis filiis dicitur, ad canes quoque ipſos vis pertinere: quod etiam ſi tibi concederem, tamen hîc quoque tibi eſſet explicandum quomodo inuito Deo ſint aliqui perituri. nam otioſa permiſſio iudici non conuenit.

Mat.24.31 Mar.13.27

Apo.6.11

1.Sam.2.25 Iſa.6.9 Ioh.12.39

Alivd castellionis argvmentvm.

Si creauit Deus maximam mundi partem ad perditionem, ſequitur vt ſit eius ira maior quàm miſericordia. Et tamen tradunt Scripturæ, eum eſſe tardum ad iram, propenſum ad miſericordiam, ita vt eius ira extendatur tantùm vſque ad tertium aut quartum generis gradũ, quum miſericordia pateat ad milleſimum.

Refvtatio.

In hoc argumento penè plura inſunt errata, quàm ſyllabæ. Quod de maxima mundi parte garris, totũ tuum eſt, vt antè dixi. Quanuis enim ex Chriſti authoritate, & perpetua omnium ſeculorũ obſeruatione, vel cæcis ipſis conſtare poſſit quàm pauciſſimos per anguſtam portam ingredi, præ illis qui ſpatioſa via incedunt, quæ ad exitium ducit, tamen non libenter ſanè ſolemus in iſtis ſpeculationibus nos fatigare, ſint'ne plura iræ & cõtumeliæ vaſa quàm miſericordiæ & honoris. Deinde, vt ſæpe iam repetij, noſtrum non eſt dicere ſimpliciter Deum creaſſe quoſdam ad perditionem, ſed ad gloriam ſuã iuſto quorũdam exitio declarandam. Præterea non valet conſequutio quã nectis. Nam etiamſi Deus vnum duntaxat hominem ſeruaret, tantam eſſe dicimus magnitudinem eius amoris quem in arcano illo & incomprehenſibili æterni Filij ſui myſterio declarauit, vt infinitis partibus ſuperet ſeueritatem omnem in impios, quantacunque cogitari poteſt. Quis enim vel in cælis vel in terra quæ ſit illius amoris Dei erga nos miſerrimos peccatores latitudo, longitudo, ac profunditas comprehendet? Quanta enim hæc ſunt, Verbum illud æternum quod Deus erat in principio apud Deum, ita exinaniri vt homo fiat perpeſſionibus noſtræ carnis omnibus, excepto peccato, obnoxius, vt nos viciſſim filij Dei fieremus? Æternum illum concipi, naſci, & aërem hunc nobiſcum communem haurire? Omnipotentem omnibus laboribus & ærumnis, fame, ſiti, vigiliis, horroribus & animi & corporis, infinitis contumeliis, totos penè triginta quatuor annos confici? vitam ipſam crudeliſſimis & exquiſitiſſimis ſuppliciis necari, & ſepulchro includi? Sic enim nobis Pauli exemplo loqui liceat, non vt naturas confundamus, ſed vt diſtinctas vniamus. Quid verò quòd nunc quoque in tanta mundi perfidia nõ deſinit, nec vnquã deſinet inexhauſta illa Chriſti in Eccleſiam ſuam charitas? Si vel vnus, inquã, dũtaxat ac ſingularis homo fieret huius immẽſi & inexplicabilis

beneficij particeps, quæ tamen poſſet huius amoris Dei cum ipſius in reliquos omnes homines, atque in ipſos Angelos apoſtatas ſeueritate ratio iniri? At tu mauis iræ & miſericordiæ proportionem ex damnandorum & ſeruandorum numero inire, quàm ex ipſa vtriuſque natura.

Quod autem ad Moſis teſtimonium illud duplex attinet, hoc etiam vtroque abuteris. Quid ſi enim exciperem, Deum illic explicare qualem ſeſe Eccleſiæ ſuæ patefaciat? Sanè dicerem quod res eſt, vt vel ex hoc vno exemplo apparet. Comparemus Saulis factum cum Dauidis ſcelere. Saul contra Dei mandatum, quod atrociſſimum videbatur, Agag regem captiuum non ſtatim interficit, & pinguiora pecora ex anathemate, vel Domini ſacrificiis, vel etiam ſibi ipſi per auaritiam reſeruat. Quid autem Dauid eximius Propheta, quíque Dei benignitatem toties erat expertus? Alienam vxorē conſtuprat, peccato indulget, virum integerrimum & fortiſſimum turpiſſima proditione occidendum curat, atque adeò vt crudeliſſimæ ſuæ cupiditati morem gerat, exercitum totum manifeſtiſſimo periculo, arcam fœderis, Deíque ipſius nomē hoſtium ludibriis ſciens ac prudens exponit. Atqui Saul mox abiicitur, nec Dominus vllis Samuelis lachrymis exorari poteſt. Dauid autem in gratiam mox recipitur. Quînam id verò? certè nihil hîc te iuuat peccatorum præſcientia, ſed huc deuenias oportet, Deum quos vult miſerari, & quos vult indurare. Non habet tamen Saul quod conqueratur. Nam quis prior dedit Domino, & retribuetur ei? Nec iniuria fit Sauli, quamuis gratia fiat Dauidi. Sed tamē quis in Saule non videat Dei ἀποτομίαν, vt loquitur Paulus, in Dauide verò expreſſam Dei naturam quam ipſe apud Moſen deſcribit, quum ſe propènſum ad miſericordiam, tardum ad iram eſſe dicit? Poſſem igitur ſemel tecum tranſigere, ſi exciperem, Dominum ſolos electos ſuos eo in loco compellare, vt qui reliquis terribilem ſeſe potius & inexorabilem iure ac meritò præbeat. Sed tamen ne me tergiuerſari clamires, Dominum fateor etiam erga ipſa iræ vaſa ad interitum cōpacta, incredibili benignitate ac lenitate vti. Quî fit enim vt Cainum ſtatim non perdat? Quî fit vt ad tot annos diluuium differat? Quî fit vt Eſau benedicat in terræ vbertate? vt Iſmael creſcat in gētem magnam? vt Chananæos & Amalechitas tam diu toleret? vt Saulem non ſtatim tollat è medio, ſed ſinat tam diu tum vitę huius beneficio, tum etiam regni Iſraelitici gloria & commodis frui? Denique, ne vetuſta perſequamur, qui fit vt tot impios Turcas, tantam Antichriſti tyrannidem, teipſum denique cum tot pſeudoprophetis, qui non deſinunt quoſcunque poſſunt à veritate Dei abducere, tam indulgenter habear, támque clementer ſuſtineat? Magna hæc eſt, magna & incomprehenſibilis Dei bonitas erga hoſtes ſuos, quā vtinam tandem agnoſcant quicunque inter eos electi latent, vt ad eum tandem confugiant, qui verè ſe clemētem & tardum ad iram ſuis etiam aduerſariis oſtendit.

In altero eiuſdem Moſis aut Domini potius teſtimonio explicando non minus peccas. Pertinet enim iſtius doctrinæ vſus ad ſolam Eccleſiam, cui etiam vni propriè Lex conditur, & Euangelium prædicatur. Sunt autem varia hominum ingenia, & duplex etiam eſt in ipſis hominibus renatis natura. Ideò adhibentur minæ cum promiſſionibus, vt illis quidem coërceatur caro & quicquid ſeruile eſt, iſtis verò confirmetur ſpiritus, & quicquid liberum eſt ac ingenuum. Neque ſunt iſtæ minæ inania duntaxat terriculamenta, quum ſępe non conſiſtat Dominus intrà verba, ſed ſeuerè ipſos filios ſuos caſtiget, & aduerſarios in eorum conſpectu terribili furore domet. Interim verò eminere ipſius miſericordiam, ſed in ipſius inprimis Eccleſia, concedo. Verùm quàm ineptus es, qui teſtimoniis iſtis abutaris, vt æternum illud & abſconditum decreti Diuini arcanum eludas? Cur non potius in cauſis exitij proximis inhæres, & Apoſtoli veſtigiis inſiſtis? Ita enim fieret vt Dei potius benignitatē in hoſtes ſuos admirareris, quàm ei non concederes quod figulis omnibus nemine repugnante licet, quum tamen luti & figuli aliqua poſſit iniri proportio, Dei autem & rerum conditarum, quæcunque tandem illæ ſint, nulla poſſit inſtitui comparatio, niſi quatenus Deus ſibi homines gratis adoptat. Nam vt ad Adamum vſque aſcendamus, quæ eſt imaginis & rei ipſius proportio? Innumerabilia ſunt tamen, fateor, Dei in homines beneficia, præſertim ſi in Adamo conſiderentur: ſed falleris vehementer, quum Deum propterea exiſtimas ſeſe Diuinitate ſua ſpoliaſſe, vt ei non liceret abſque crudelitatis nota quoſcunque libuiſſet homines condere, in quorū iuſta condemnatione (etſi enim quos voluit, exitio deſtinauit, tamen nō niſi merētes exitio addicit) odium ſuum in peccatum, iuſtámq; ſuam

iuſtitiam

iuſtitiam patefaceret. Num arbores & plantæ hodie in Deum inſurgũt tuo more, quòd ab hominibus vorentur? Num omne animantium genus cum Deo expoſtulat, quòd ſint deſtinata mactationi, & hominum voracitati expoſita? Minimé. Ita enim dicit Apoſtolus, τὴν κτίσιν gemere ac ſuſpirare, non quaſi cum Deo expoſtulet, ſed quòd aduerſus Dei hoſtes fremat. Et certè ita eſt. Nam ſi terra ipſa, ſi cælum & ſydera, omniáque rerum principia, ſi pecudum, piſcium, auium infinitæ penè ſpecies, ſi lapides & ſaxa loqui poſſent, quanuis miſerabilis humanæ rationi videri poſſet ipſorum conditio, tamen non modò non expoſtularent cum Deo tanquam ſæuo & crudeli, ſed gratias ei vltrò agerent, quòd digna eſſent habita quæ gloriæ ipſius ſeruirent. Tu verò repertus es qui Deum crudelitatis accuſares, niſi omnes ad vitam beatam deſtinarit. Quanuis enim omnium non memineris hoc in loco, tamen ita eſſe oportet. Nam ſi vel vnus ſuppliciis æternis deſtinetur, crudelitatis notam, te iudice, Deus non effugerit. Etſi enim crudelior eſt qui plures quàm qui vnum damnat, tamen crudelis propterea eſſe nõ deſinit qui vel vnum damnat, tuo quidem iudicio, qui iuſtæ damnationis propoſitum à damnatione ipſa diſcernere vel non vis, vel non potes. Sed vt omnia iſta omittamus quæ negas à populo percipi poſſe, dico te in hoc Moſis teſtimonio torquendo ſimilem iis eſſe qui plures ebrioſos quàm medicos mirantur ad ſenectutẽ peruenire, nec interim cogitant id eò fieri, quòd infinitis partibus plures ſint ebrioſi quàm medici. Ita etiam ſi, vt tu falſò exiſtimas, Deus cuiuſuis fidelis poſteros ad milleſimum vſque gradũ, ne vno quidẽ excepto ſeruaret, infidelium autem liberos ad quartum vſque gradum duntaxat perderet, adhuc tamen multò plures damnãdi ſupereſſent, quia ſemper fuerunt multò plures in mundo qui Deum odiſſent, quàm qui diligerent. Sed tum in eo falleris, quòd ex ſeruandorum aut damnandorum multitudine putas Dominum hîc proponere naturam ſuam conſiderandam: tum in eo quòd perinde hæc accipis, ac ſi Dominus ſeſe alicuius poſteris certo numero ſeruãdis ſine exceptione obligaret: quod vtrunque falſiſſimum eſſe perpetua experientia docet. Quid igitur? num fallax eſt Dominus? Minimé: ſed his verbis explicat duntaxat, quanto ſit perſeuerantior in benefaciendo, quàm in perſequendis aduerſariis tenax ac memor iniuriarum: ſed ita vt iis demum benefaciat à quibus diligitur, eos autẽ oderit à quibus contemnitur: & liberum ſibi faciat, quos vult, gratis miſerari, & quos vult, iuſtè indurare. ſicut in Heli ſacerdotis hiſtoria diſertè teſtatus eſt, ac re ipſa comprobauit: vt Iſmaëlem & Iſaacum, Iacobum & Eſau, & alios innumerabiles omittam.

Rom. 8.

1. Sam. 2. 25. 29.

Calvmnia II.

Deus non ſolùm prædeſtinauit ad damnationem, ſed & ad cauſas damnationis Adamum, cuius non modò præuidit lapſum, ſed voluit decreto æterno & occulto, ordinauítque vt laberetur: quod vt ſuo tempore fieret, lapſus cauſa pomum propoſuit.

Censvra Castellionis.

Secvndvm *item articulum dicunt eſſe doctrinam diaboli: & petunt à nobis, Caluine, vt oſtendamus vbinam id ſcriptum ſit in libris Diuinis.*

Refvtatio.

In hac conſuenda calumnia ingenium tuum retinuiſti: nam à te confictum eſt quod garris de Adamo prædeſtinato ad damnationem, & de pomo quod ei propoſuerit Dominus. Hæc, inquam, ſunt à te conficta, vt nihil ad ea reſpondere ſit opus. Quàm autem ſoleat Caluinus religioſè de his rebus ſentire ac ſcribere, vel ex his teſtimoniis liquere poteſt, quæ ad verbum exſcripſi, partim ex Inſtitutione Chriſtianæ religionis, partim ex libro de æterna prædeſtinatione: « Sic ex Dei prædeſtinatione, inquit, pendet reproborum perditio, vt cauſa & materia in ipſis reperiatur. « Lapſus eſt enim primus homo, quia Dominus ita expedire cenſuerat: cur cenſuerit, nos « latet. Certum tamen eſt non aliter cenſuiſſe, niſi quia videbat nominis ſui gloriam « inde illuſtrari. Vbi mentionem gloriæ Dei audis, illic iuſtitiam cogita. Iuſtum enim eſſe «

Inſtit. Chriſt. lib. 3. cap. 23. ſect. 8.

» oportet quod laudem meretur. Cadit igitur homo, Dei prouidentia ſic ordinante: ſed
» ſuo vitio cadit. Pronuntiauerat paulò antè Dominus, omnia quæ fecerat eſſe valde bo-
» na. Vnde ergo illa homini prauitas, vt à Deo ſuo deficiat? Ne ex creatione eſſe pu-
» taretur, elogio ſuo approbauerat Deus quod profectum erat à ſe. Propria ergo malitia
» puram naturam quam à Domino acceperat, corrupit: ſuáque ruina totam poſterita-
» tem in exitium ſecum traxit. Quare in corrupta potius humani generis natura eniden-
» tem damnationis cauſam contemplemur, quàm abſconditam ac penitus incompre-
» henſibilem inquiramus in Dei prædeſtinatione. Neque immenſæ Dei ſapientiæ ſub-
» mittere hucuſque ingenium pigeat, vt in multis eius arcanis ſuccumbat. Eorum enim
» quæ ſcire nec datur, nec fas eſt, docta eſt ignorantia: ſcientiæ apparentia, inſaniæ ſpe-
cies. Hæc Caluini verba ſunt, quæ vel vna abundè ad hanc diluendam calumniam mo-
deratis omnibus ingeniis ſatisfacient. Sed tamen hæc quoque adiiciemus ex abundan-

Lib. de æterna prædeſtinat.

» ti, vt magis magíſque res pateat: TRIA hîc ſunt, inquit, conſideranda: primò, æternam
» Dei prædeſtinationem, qua de toto genere humano, & de ſingulis hominibus quid fu-
» turum eſſet, ſtatuit antequàm cecidiſſet Adam, fixam & decretam fuiſſe: deinde A-
» dam ipſum pro defectionis ſuæ merito, eſſe morti addictum: poſtremò, in eius iam per-
» diti ac deſperati perſona ſic damnatam eſſe totam progeniem, vt Deus quos inde gra-
» tuitò eligit, adoptionis honore dignetur. Sed & paulò pòſt, eodem loco, QVVM, inquit,
» de prædeſtinatione ſermo habetur, inde exordiendum eſſe conſtanter ſemper docui,
» atque hodie doceo, iure in morte relinqui omnes reprobos qui in Adam mortui ſunt
» ac damnati: iure perire qui natura ſunt iræ filij: ita nemini cauſam eſſe cur de nimio Dei
» rigore queratur, quando reatum in ſe incluſum omnes geſtant. Quòd ſi ad primum
» hominem veniatur, illum, quum integer creatus eſſet, ſponte cecidiſſe: ac inde fa-
» ctum eſſe vt ſibi & ſuis exitium propria culpa accerſiuerit. Iam etſi non niſi ſciente,
» atque ita ordinante Deo cecidit Adam, ſéque & poſteros perdidit, minimè tamen id
» vel ad leuandam eius culpam, vel ad Deum crimine implicandum facit. Semper enim
» hoc ſpectandum, quòd rectitudine quam à Deo acceperat, ſe priuauit, ſponte ſe pec-
» cato & Satanæ addixit in ſeruitutem: ſponte in exitium ſe præcipitem dedit. Vna ex-
» cuſatio obtenditur, quod à Deo decretum erat, effugere non potuiſſe. Sed ad reatum ſa-
» tis ſupérque voluntaria tranſgreſſio ſufficit. Neque enim propria genuináque peccati
» cauſa eſt arcanũ Dei cõſilium, ſed aperta hominis volũtas. Meritò apud veterẽ Poëtam
» ridetur ſtulta Medeæ querimonia, VTINAM NE IN NEMORE PELIO, &c. Prodi-
» derat illa patriã furioſo amore aduenæ & ignoti hominis correpta. Quum ſibi perfidię
» & barbarę crudelitatis ſit conſcia: quum impudicitiæ flagellum eam cõſtringat: ridiculè
» ſe ad occaſiones procul remotas cõuertit. Intus mali ſui cauſam quum inueniat homo,
» quid circuire prodeſt vt eam in cælo quærat? Palàm in eo apparet culpa, quòd peccare
» voluerit: cur in cæli adyta prorumpens, in labyrinthum ſe demergit? Quanquam vt per
» immenſas ambages vagando deludere ſe homines conentur, nunquam ita ſe obſtupefa-
» cient, quin ſenſum peccati in cordibus ſuis inſculptum retineant. Hominem igitur quẽ
» ſua ipſius cõſcientia damnat, fruſtrà abſoluere tendit impietas. Quòd autem Deus ſciẽs
» ac volens hominem ipſum cadere paſſus eſt, occulta ratio eſſe poteſt, iniuſta eſſe nõ po-
teſt. Hæc eſt Caluini de lapſu Adami ſententia: quæ cur tibi diſpliceat, dicendum tibi
fuerat potius quàm vt eam ita confidenter reprehenderes.

Sed duo ſunt tamẽ quæ prætexere ſoletis, ad quæ ſigillatim reſpõdebo. Primùm que-
rimini, Deum hac ratione fieri peccatorum omnium authorem, quum ex Adami la-
pſu omnia promanarint, cuius culpa ſit ei tribuẽda, ſi quidem ex eius ineuitabili decre-
to lapſus eſt Adam. Deinde requiritis expreſſum Dei verbum, quo poſſit illa doctrina
confirmari. Quod ad prius attinet, iam audiuiſti cur hæc tua conſecutio non valeat,
Deus hoc ordinauit, ergo eſt in culpa. Rationem aperit Caluinus ex Auguſtino, his

Lib. de æterna prædeſtin. ſtatim poſt ſuperiora.

» verbis: HOC, inquit, abſque controuerſia tenendum, ſemper Deo peccatum odio fuiſ-
» ſe. Nam verè elogium hoc quo ornatur à Dauide, in eum competit, Quòd Deus ſit ini-
» quitatem non volens. Quin potius in ordinando hominis lapſu finem habuit optimum
» & rectiſſimum, à quo abhorret peccati nomen. Quanquam ſic ordinaſſe dico, vt eum
» propriè authorem fuiſſe non concedam. Audis, Caluinum diſertè refutantem illud i-
pſum blaſphemiæ crimen quod ei falsò obiicitis? Sed iſta tibi tamen nondum ſatisfa-
ciunt. At certè tamen iſta, velis nolis, ſatis oſtendunt quanta ſit improbitas, hoc cui-
quam audere obiicere quod diſertè ſit teſtatus ſeſe vt impiam blaſphemiam execrari.

Verùm

Verùm alia præterea teſtimonia ex eodem libro afferamus: NE longior ſim, inquit, penitus quod Auguſtinus docet impletum fuiſſe ſentio. Hæc autem ſunt Auguſtini verba: Hæc ſunt magna opera Domini, exquiſita in omnes voluntates eius, & tam ſapienter exquiſita, vt quũ Angelica & humana creatura peccaſſet, id eſt, non quod ille, ſed quod voluit ipſa, feciſſet, etiam per eandem creaturæ voluntatem, qua factum eſt quod Creator noluit, impleret ipſe quod voluit, bene vtens etiam malis tãquam ſummè bonus, ad eorum damnationem quos iuſtè prædeſtinauit ad pœnam: & ad eorum ſalutem quos benignè prædeſtinauit ad gratiã. Quantum enim ad ipſos pertinet, quod Deus noluit, fecerunt: quantum verò ad omnipotentiam Dei, nullo modo id efficere valuerunt. Hoc quippe ipſo quod contra Dei voluntatem fecerunt, de ipſis facta eſt Dei voluntas. Propterea nanque magna opera Domini, exquiſita in omnes volũtates eius, vt miro & ineffabili modo non fiat præter eius voluntatem quod etiã contra eius fit voluntatẽ: quia nõ fieret, ſi nõ ſineret: nec vtiq; nolẽs ſinit, ſed volẽs. Sed & paulò antè idẽ Auguſtinus, NON dubitandũ eſt, inquit, Deum facere bene, ſinendo fieri quæcunque fiunt malè. Nõ enim hoc niſi iuſto iudicio ſinit. Quanuis ergo quæ mala ſunt, in quantũ mala ſunt, non ſint bona, tamen vt nõ ſolùm bona, ſed etiã ſint & mala, bonũ eſt. Nam niſi eſſet hoc bonũ, vt eſſent & mala, nullo modo eſſe ſinerentur ab Omnipotẽte bona: cui proculdubio quàm facile eſt quod vult, facere, tam facile eſt, quod non vult eſſe, non ſinere. Hoc niſi credamus, periclitatur ipſum fidei noſtræ initium, qua nos in Deum omnipotentẽ credere profitemur. Hæc & alia plurima poſtquam citauit Caluinus, tandem hæc quoque ſubiicit, vt iis calumniis occurrat quas ex Pighij lacunis hauſiſtis. SI vnquam dixiſſem, inquit, Diuini Spiritus inſtinctu factum vt ſe à Deo primus homo alienaret: ac non potius vbique contenderem, diaboli inſtigatione & proprio cordis ſui motu impulſum, meritò fortè inſultaret mihi Pighius. Nunc autem quum à Deo propinquam actionis cauſam remouens, ſimul omnem ab eo culpam remoueam, vt ſolus homo reatũ ſubeat, calumnioſè & improbè dictum iſtud in me torquet: Hominis defectionem vnum eſſe ex Dei operibus. Quomodo autem Dei præſcientia & decreto ſtatutum fuerit quod de homine futurum erat, neque tamen in culpæ ſocietatem trahendus ſit Deus, quaſi trãſgreſſionis vel author ſit, vel approbator, quum longè altius humanæ mentis perſpicacia eſſe arcanum palàm ſit, ne ignorantiam noſtram fateri pudeat. Imò, ne quem ex fidelibus neſcire pigeat quod Dominus lucis ſuæ inacceſſæ fulgore abſorbet. Porrò quum hæc tam expreſſè non tam ſcripſerit quàm ex Auguſtino deſcripſerit Caluinus, quorſum alia defenſione nobis opus, apud ſanos quidem homines?

Enchir. ad Laur. cap. 100.

Ibid. c. 98.

Sed ne vos velle videamur ſola nominis authoritate opprimere, ſi quicquid ex Dei ordinatione fit, ita fit vt, ſi quidem illud iniuſtè fiat, propterea trahendus ſit Deus in culpæ ſocietatem, dic obſecro (vt innumerabilia exempla nunc prætermittam, de quibus mox dicemus) quomodo Deum excuſabis in facinore illo omnium teterrimo quæ vnquã ab hominibus non dico perpetratá, ſed vel cogitata fuerunt? Filij Dei proditionẽ, damnationem, contumelias, mortem denique crudeliſſimam dico. Non iam tibi cum Auguſtino & Caluino, aut quopiam alio ex eorum grege qui Eccleſiæ Dei ſapiunt, vobis deſipiunt, ſed cum ipſo Petro negotium eſt. Is enim apertè & populariter (vt tu requiris) dicit Ieſum à Iudæis fuiſſe captum & crucifixum, qui definito Dei conſilio ac prouidentia traditus fuerit. Quid verò tota Eccleſia Ieroſolymitana? Verè, inquit, aduerſus ſanctum Filium tuum Ieſum quem vnxiſti, conuenerunt Herodes & Pilatus, vt facerent quæcunque manus tua & cõſilium determinarant vt fierent. Hæc verba ſunt Spiritus ſancti per Petrum & Apoſtolos loquentis: non vt culpam iſtorum nefariorum hominum in Deum ipſum deriuent, (à quo ſcelere & nos ita abhorremus, vt ne in mentem quidem nobis vnquam venerit) ſed vt crucis ſcandalo arcanum illud Dei Patris conſilium, & incredibilem in ſuos amorem opponant. An verò nos aliter loquimur, & vos ita eritis circunſpecti, vt ſanctius etiam loqui vos poſſe exiſtimetis quàm ipſe Spiritus ſanctus ſit locutus: aut potius ita confidentes, vt id in quoquam audeatis tanquam blaſphemum accuſare, cuius authorem ipſum Spiritum ſanctum laudet? Nos Adamum dicimus ſua quidem ſponte & ſua culpa lapſum, non tamen fortuitò, ſed prout definitum Dei conſilium, prouidentia, ac manus iuſtè determinarant vt fieret. Hæc ipſa affirmat Iſaias de Chriſto, quẽ dicit percuſſum & vulneratũ propter iniquitates noſtras, certè ab eo qui proprio Filio non pepercit propter nos, quamuis nihil minus ſpectarint impij, tum Iudæi, tum Romani. Hæc ipſa exprimit Petrus, confirmat vniuerſus ſanctiſ-

Act. 2. 23.

ſimæ Eccleſiæ cœtus. Tu nunc oſtende quî ſit illud facinus iſto deterius, aut nobis concede vt Apoſtolorum lingua poſſimus vti ſine blaſphemiæ ſuſpicione, aut noua effugia comminiſcere, vt tui ſimilis eſſe pergas.

Supereſt vt reſpondeam ad alterum quod quærere ſoletis, vbi nimirum in libris Diuinis ſcriptum ſit, Adamum non ſine Dei decreto lapſum eſſe. Cur verò mihi non liceat confirmandę illi rei de qua quæritur, Pauli dictum illud afferre, Deum omnia facere voluntatis ſuæ conſilio? Neceſſe enim eſt fatearis Deum ſemper eundem fuiſſe. Deinde, quum idem Apoſtolus diſertè teſtatur Deum inſtar figuli ex eadem maſſa quædam vaſa honori & miſericordiæ, quædam contumeliæ & iræ deſtinaſſe, quomodo dictum iſtud ita detorquebis, vt ad ipſum vſque Adami opificium non aſcendas? Neque enim maſſæ nomen humano generi condito, ſed condendo conuenit, nedum vt maſſæ appellatione corruptum humanum genus intelligatur. Condẽdum autem humanum genus voco, non modò quod Deus nondum reipſa condidiſſet, ſed etiam quod non conſideraret ſiue proſpiceret vt conditum, nedum vt corruptum. Nam ſi in Adami peccato ſiue in corruptione, tanquam in ſummo gradu omnium cauſarum electionis & reprobationis hæreret Apoſtolus, id eſt, ſi de cõditis, iiſque corruptis hominibus, aut reipſa, aut ſecundùm Dei præſcientiam, hanc ſimilitudinem vellet intelligi, ſanè dicendum non erat Deum facere vaſa iræ, ſed ea quæ ſuapte natura præſciret fore, vel quæ iam eſſent irę vaſa, in miſerabili ſtatu relinquere. Ita verò collaberetur tota ſimilitudinis analogia, quæ ſi hac in parte non congruit, dic, quæſo, quamobrem ſit à Paulo vſurpata, & nobis etiam explica quorſum tam altè exclamarit, O homo, tu quis es? Nam ſi ita eſſet, quod attinet ad miſericordiæ vaſa, cur conquereretur? Quòd ſi in altera parte corruptio ſummus eſt cauſarum gradus, cur hîc quoque laboraret Apoſtolus? Nulla enim reprobis ſupereſſet vel leuiſſimæ querelæ ſpecies, ſi facere vaſa iræ idem eſſet, atque eos in corruptione relinquere, qui ſuapte natura tales naſcerentur. Et ſi qua huius Diuini iudicij ratio fuerat afferenda, hanc vnam afferre oportuerat, Deum cuiquam non teneri gratiam facere. Cur hîc igitur exclamaret Apoſtolus, & hominem iuberet Diuinæ maieſtatis arcana tacitum adorare? Nam quod afferre nonnulli ſolent, Paulum eo loco non diſputare cur aliqui reprobentur, ſed cur hi potius quàm illi reprobentur, quum paria debeantur paribus, etſi fortaſſis non dicitur ſatis appoſitè, tamen maximè etiã contra vos facit. Quid enim & his & illis præter iuſtam pœnam debebitur, ſi (vt vos vultis) præuiſa illorum corruptio decretum Dei antegreditur? Hoc ſi tibi videtur nimis obſcurum, agè, popularem aliquam ſimilitudinem proferamus, vt tibi obſequamur. Si creditor qui duos habeat ſibi æquè obnoxios, vni remittat æs alienum, quod exigat ab altero, quis tandem iſtum non dicat inſanire, ſi iniuriam ſibi fieri dicat, quòd ſecum ſeuerius quàm cum illo altero agatur? Si rex quiſpiam ex duobus eodem prorſus facinore ſimiliter obſtrictis, vni gratiam faciat, alterum agat in crucẽ, num idcirco vlla erit in iudice iniquitatis ſpecies, quòd in iſtum animaduertat? Imò ſi qua hic eſſet iniquitas, non in eo eſſet quòd iſtum puniret, ſed in eo potiùs quòd non etiam in illum perinde ſceleratum animaduerteret. Itaque, ſi hic ſcopus fuiſſet Apoſtolo propoſitus, non fuiſſet illi afferenda Dei iuſtitia in reproborum exitio, ſed in electorum potiùs ſalute. Quæ quum ita ſint, vides, quoquò te vertas, non poſſe te elabi quin fateri cogaris Deum comparari figulo, in cuius conſpectu fuerit lutum, ex quo ſemel condiderit tum honoris, tum contumeliæ vaſa, quoniam ſic ei libuit, quo nihil eſt iuſtius. Cedò verò, quomodo illa condidit? Certè in Adamo, ad cuius etiam creationem proculdubio reſpexit Apoſtolus, quum figuli & luti meminit. Quomodo porrò in Adamo vaſa deſtinata ſunt, altera quidem miſericordiæ & honori, altera verò iræ ac contumeliæ? Certè non niſi interueniente voluntario Adami lapſu. Nam niſi ſua ſponte, & quãquam non abſque ordinatione Dei, tamẽ ſine vlla Dei culpa, lapſus eſſet Adam, nec miſericordiæ, nec ſeueritati locus eſſet relictus, ac proinde cõſilium Dei irritum fuiſſet. Fatere igitur ex hoc Apoſtoli loco, Deum eſſe qui vaſa iræ & miſericordiæ fecerit, ac proinde cauſas ad eum finem neceſſarias iuſtè ordinarit: niſi fortaſſe mauis, vel Deum accuſare imprudentiæ ac temeritatis, vel figulum imaginari ab ipſo luto pendere, non autem è contrario, figulum prout libuit ita lutum efformare, vt finem deſtinatum aſſequatur. Præterea, quum dicit Paulus Deum omnes incluſiſſe ſub contumacia, vt omnium, qui videlicet crediderint (vt idem alibi explicat) ac proinde qui electi fuerint, miſereatur, an non tibi videtur ad ipſum vſque contumaciæ fontem, id eſt ad lapſum vſque Adami aſcendere, quum eò vſque peruenerit,

nerit, vt exclamet, O altitudo iudiciorum Dei? Sed iſta tibi nimirum non videntur ſatis expreſſa: velles enim locum proferri in quo diſertè & totidem verbis diceretur Deus decreuiſſe ac voluiſſe vt Adā laberetur. At ego viciſſim quæro, vbi reperias in Diuinis libris (ita vt tu vis) expreſſè damnatam Noah & Lothi ebrietatem, & huius quoque inceſtum, Iſaaci mendacium in Gerar, Iudæ malignitatem & ſcortationem, Abrahami & aliorum plurimorum polygamiam, Dauidis peruerſum illud & penitus iniquum iudicium, quo Miphiboſetum amiciſſimi hominis filium dimidia bonorum parte multat, Sibam autem ſceleratum domini ſui proditorem, quaſi re bene geſta, magnificis præmiis donat: hæc, inquam, & alia penè innumerabilia quæro vbi inuenias expreſſis ac propriis verbis damnata? Certè vereor vt vſquam hoc inuenias. Num igitur hæc non eſſe damnanda exiſtimabis? Minimè, vt opinor, niſi fortaſſis de polygamia diſputari poſſe exiſtimas in vtrāque partem, vt Academicorum morem hic quoque retineas. Quid igitur? Num aliquid fas erit Diuinæ doctrinæ adiicere aut detrahere? Minimè verò: ſed diſtinguenda eſt doctrina ab exemplis, quæ ſunt veluti doctrinæ appendices. In illa id obſeruandum eſt ſumma religione, vt à ſcripto Dei verbo toti prorſus pendeamus. In exemplis verò ſi cognoſcere cupimus quid nobis vel approbandū vel reiiciendum proponatur, generales theſes oportet cum eo de quo agitur comparare, etiam ſi nō id ſemper in ipſa exemplorum narratione exprimat Scriptura. Verbi gratia, quanuis ea facta de quibus diximus, diſertè in eorum narratione non damnentur, tamen quia verbum Dei manifeſtè prohibet ebrietatem, inceſtus, mendacia, homicidia, ſcortationem, fraudes, iniqua iudicia, polygamiam denique, quum Dominus ab initio de duobus dixerit, Et erunt caro vna: non dubitabimus illa omnia vt peccata, quibus etiam præſtantiſſimi homines fuerint obnoxij, reprehendere. Hæc tu verò quum inficiari non poſſis, qui fit vt quum ad eam Adami hiſtoriam ventū eſt in qua deſcribitur ipſius lapſus, hanc rationem ſequi nolis, ſed expreſſam Dei ſententiam requiras? Nempe, dices, propterea quòd videtur hoc alienū à Dei natura, vt decernat quod malum eſt, atq; adeò idipſum quod fons eſt omnium malorum. At nos iam antea oſtendimus Deum iuſtè ordinare quæ homines iniuſtè faciunt: Deum, inquam, bene vti peccante inſtrumento. Nam aliud ſpectat Dominus, nempe gloriam ſuam, propter quam etiam impium fecit, vt ait Salomon: aliud verò ſibi proponit peruerſa Satanæ & improborum hominum voluntas. Ita fit vt in eodem opere iuſtus ſit Deus, iniuſtus ſit Satan, & iniuſti homines. Hoc vt intelligas, hoc ipſum Adami exemplum nobis proponamus. Deus hominem conditurus ad gloriam tum miſericordiæ tum ſeueritatis ſuę declarandam, ſicut rei exitus oſtēdit, & proponit nobis Apoſtolus ſub figuli exemplo, Adamum cōdidit ad imaginem ſuam, id eſt, ſanctum ac innocentem, vt idem Apoſtolus exponit. Cúrnam id verò? nempe quia bonus quum ſit, non poteſt ab eo vitioſum quicquam creari. vitioſi autem ſint oportet, tū quorum conſtituit miſereri, tum etiam quos iuſtè decreuit glorię ſuæ cauſa condemnare. deinde quia etiam ſi potuiſſet vitioſum creare, tamen ſi vitioſum creaſſet, iuſtè non potuiſſet opus ſuum condemnare: ideo, inquam, oportuit Adamum condi ſanctum & innocentem, ſed qui ſua ſponte & ſine vlla Dei culpa vitioſus factus, viam patefaceret æternis Dei conſiliis, id eſt, tum miſericordiæ, tum ſeueritati ipſius declarandæ. Oportuit ergo Deum quoque hanc vnicā viam ſibi aperire, id eſt, Adami lapſum ordinare, ſed ad eum quem dixi finem, qui quum ſit iuſtiſſimus ac ſanctiſſimus, iuſtam quoque ipſius ordinationem eſſe conſequitur. Sed interim Satan imprudens ſubſeruiens Dei conſilio, quid molitur? nempe Dei odio inflammatus, & inuidia exæſtuans, corrumpere inſigne illud Dei opificium. Quid autem Adamus & Heua? nempe Deum ipſum vt mendacem & inuidum ex ipſo Diuinitatis ſolio deturbare. Meritò igitur & ſerpens, & Adam & Heua puniuntur, qui ſic fuerunt Dei inſtrumēta, vt quantū in ſe erat, non ſint ei obſequuti, ſed in eum potius coniurarint, quanuis æterno ac iuſto illius conſilio viā patefecerint. Quærenda enim eſt vitij origo in inſtrumentorum ſpontaneo motu, quo fit vt Deus iuſtè decreuerit quod illi iniuſtè fecerunt, ſicut antè ex Auguſtino diximus. At enim dices, Non potuerunt reſiſtere Dei voluntati, id eſt decreto. Fateor. ſed ſicut non potuerunt, ita etiam noluerunt. Verùm non poterant aliter velle. Fateor, quo ad euentum & ἐνέργειαν, ſed voluntas tamen Adami coacta non fuit, imò non tantùm ſpontaneo, ſed etiam libero motu aſſenſa eſt peccato, quum eius δύναμις nondum eſſet peccati ſeruituti mancipata. Sed iſta, dices, nondum mihi ſatisfaciunt. Hoc quoque fateor: ſed quis tu es qui nullam in Deo iuſtitiam ac ſapientiam agnoſcas, niſi cuius rationem

percipias? Cur non potiùs quis ſis cogitas,& bonitatē Dei in Adamum lapſum ac corruptum admiraris? Lapſus eſt Adam voluntariè: quod Deus decernit iuſtum eſt: ſi duo iſta tibi non ſatisfaciunt, vt omnem in Adamo culpam lapſus ſtatuas, indignum eſſe re pronūtiat Apoſtolus quicum amplius diſputetur: quia neque quis ſit Deus, neque quis tu ſis noſti.

Sed agè, vela tandem colligamus. Oſtendi quam rationem ſequi debeamus in æſtimandis exemplis: illud quoque oſtendi, nullam hic eſſe blaſphemiam quam metuas. Supereſt vt demonſtrem ex quibus Chriſtianæ doctrinæ capitibus liquidò poſsit apparere verum eſſe quod affirmamus, nempe Adamum non eſſe lapſum vel caſu, vel ignorante Deo, vel otioſè id ita fieri ſinente, ac multò minus etiam inuito. Dico igitur hoc confirmari omnibus ijs Scripturæ locis quibus affirmatur in Deum non cadere temeritatem: Deum eſſe omnipotentem: Deum omnia non tantùm feciſſe, ſed etiam regere: Deum curare, ac ſemper curaſſe homines: Deum nihil latere: Deum non mutari, nec pœnitentia duci, quamuis interdum ſic loquatur Scriptura, vt nobiſcum veluti balbutiat. Hæc, inquam, omnia vel tibi ſunt refutanda vt falſa, vel confitendum quod affirmamus, & millies iam repetij, Adamum videlicet non modò præſciente, ſed etiam iuſtè ordinante ac decernente Deo fuiſſe lapſum. Nam ſi ante hominis opificium non deliberauit quorſum hominem conderet, temerè & imprudenter fecit. Si quid autem aliud decreuit quàm quod accidit, aut omnipotens non fuit, cuius conſilia infregerit Satan: aut inconſtans, qui conſilium mutarit. En igitur tibi Scripturæ teſtimonia apertiora, vt ſpero, & multò plura quàm expectaris. Sed illud penè incredibile eſt, tibi tā ſolicitè cogitanti quomodo Dei iuſtitiam, titubantem videlicet ac vacillantem, ſuſtineas, non ſaltem veniſſe in mentem quàm infirmum ſit illud quo niteris, etiam ſi tibi à nobis concederetur. Nam obſecro, (ſi ad humani iudicij regulam placet iſtam Diuinam ſapientiam exigere) qui erit Deus extra culpā, ſi homo ita relictus eſt ſuo arbitrio, & Satanæ fraudi expoſitus, vt opifex eū otioſus è cœlo labi proſpexerit, qui tamen ſolo nutu cadentē fulcire potuit, nec cauſam vllā habuit cur eū odiſſet? Vides, opinor, in quæ præcipitia neceſſe ſit ruere quicunque gigantū inſtar malunt viā in cælum tentare, quàm ſimplici Dei verbo acquieſcere: ex quo intelligimus, Deum in cælo eſſe, qui quæcunque vult faciat, & omnia rectè faciat, etiam ſi caro noſtra aliter ſtatuat. Nā quia Deus eſt, iniuſtus eſſe non poteſt: & ita iuſtus eſt, vt iuſtitia ipſius omnem noſtrā intelligentiam ſuperet.

Tertia calvmnia.

Peccata quæ committuntur, non ſolùm permiſſione, verùm etiam voluntate Dei committuntur. Nam friuolum eſt aſsignare diſcrimen inter permiſsionem & voluntatem Dei, quoad peccatum attinet. Qui hoc faciunt, Deum blanditijs & adulatione demereri.

Responsio.

Nvnc tandem ad illud peruenimus de quo ſoletis triumphare, quaſi nos videlicet Deum faciamus peccati authorē. Nam etiā ex duodecim articulis qui ſuperſunt, video decē ad hunc vnum ſcopum pertinere, quò videlicet videamini in re quantumuis abſurda, & per ſe penè incredibili, nihil tamen falſum comminiſci, ijs quidem hominibus quibus ad noſtra legenda non ſatis eſt otij aut voluntatis. Sed ita me reſponſurū confido, vt de noſtra innocentia nulla ex re magis quàm ex hac vna poſsit omnibus conſtare. Quū enim duo ſint hominū genera qui nobis hanc maculā inurunt: vnū eorum qui nos quidem confitentur hoc non dicere, ſed ea tamen ponere ex quibus id neceſſariò conficiatur: alterum autem eorū quos dicere ac ſcribere non pudet, hoc ipſum diſertè à nobis affirmari: illos quidem ſatis fuerit docere quod ignorant, iſtorum verò præfracta impudentia ſanè digna eſt quæ ſeuerius coerceatur. Dabo tamen operā vt omnes intelligant me potiùs quid nos, quàm quid te deceat ſpectaſſe. Quū igitur duo ſint omnino ex quibus homines poſſunt ab hominibus æſtimari, facta nimirum & dicta, ſub quibus etiam ſcripta comprehendo, oſtende quæſo, ſi potes, eiuſmodi eſſe vel Caluini vel cuiuſquam noſtrûm mores, vt vel minima in nos eiuſmodi blaſphemiæ ſuſpicio cadat. Neque enim leui alicui vitio, vel crimini affinē cum eſſe oportet,

tet, qui omne boni & mali, turpis & honeſti diſcrimen tollat: ſed omnibus ſemel ſceleribus deditum, & in omni flagitiorum genere, depoſito omni pudore, inſigniter exercitatum, adeò quidem vt ὑπόθεσις, quod aiunt Logici, in θέσιν tranſierit. Nos verò, vt ab illa perfectione quã ſomnias, infinito penè interuallo nos abeſſe libenter ac vltro fateamur, ita tamẽ in Eccleſia Dei ad hunc vſque diem viximus Dei beneficio, vt (quod ſinne vlla iactantiæ ſpecie dictum velim) nemo ſit adhuc inuentus, qui vitam noſtram ſibi reprehendendam putarit, à quo non omnes boni reprehendi potiùs quàm laudari malint. Neque certè cuiquam ſano homini, vt ſpero, perſuaſeris, fieri poſſe, vt ſi in ea opinione eſſemus, vt Deo authore nos impunè peccare poſſe exiſtimaremus, patria vltro relicta, & ijs contemptis quæ plerique homines ſola admirantur, neglectis denique ijs omnibus rebus quarum adiumenta requirunt qui ſeſe cogitarunt in voluptatum cœno volutare, mallemus in totius ferè mundi conſpectu quaſuis miſerias perferre, in quibus hanc ego vel præcipuam numero, quòd nobis cum tui ſimilibus monſtris aſſidua ſint certamina: mallemus, inquam, has omnes ærumnas tot annos pati, & omniũ in nos hominum ſæuitiam prouocare, quàm illis obſequi rebus, ad quas non ipſa modò nos natura, ſed ipſa quoque voluntas atque ſentẽtia pertraheret. Ad ſcripta verò Caluini quod attinet, quem vnum vobis arrodendum præ cæteris exiſtimaſtis, q̃ vereor, bone vir, ne hoc veſtro facto eam ipſam doctrinam quam oppugnatis optimè nobis confirmetis? Quem enim ſanum hominem eſſe exiſtimas qui vel ipſis librorum Caluini inſcriptionibus perlectis, poſtquam hanc illi calumniã à vobis impingi cognouerit, nõ ſtatim exiſtimet omnẽ & memoriam & rationẽ iuſto Dei iudicio vobis ereptam? Quis enim hic furor eſt, hanc hæreſim Caluino tribuere, quam vnus ipſe propè noſtra memoria à Libertinis renouatam, vobis minimè ignorantibus, imò etiam reipſo, Caſtellio, in eadem tum vrbe, ac fortaſſis etiam iiſdem ædibus verſante, tam grauiter, támque copioſè refutauit? Itaque, vt liquidò omnibus etiam cæcis conſtet quæ veſtra ſit audacia, vt hominibus & Angelis liqueat qua iniuria non tam Caluinum aut noſtras Eccleſias, quàm ipſam Dei veritatẽ afficiatis: vt denique quæ ſit noſtra de his rebus ſententia ſemel omnes intelligant, agè, audiamus quàm firmis, quàm veris, quàm ſolidis argumentis hanc Libertinorum blaſphemiam, eáque ipſa crimina quæ vos non pudet fideli ſeruo Dei obijcere, ille idẽ ante annos vndecim ſcripto & edito libro refutauit. Audi igitur, quàm verum ſit Caluinum facere Deum peccati authorem.

De opinione Libertinorum, qua ſentiunt vnicum Spiritum immortalem omnia efficere. Quæ peſtis lateat ſub hac ſententia.

Quatuor capita ex libr. Caluini aduerſus Libertinos, excerpta.

CAPVT XIII.

POSTEAQVAM vnicum Spiritum ſuo arbitratu finxerunt, deſtructis atque abolitis tum Angelorum, tum diabolorum, tum etiam animarum naturis, aiunt ſolum hunc Spiritũ efficere omnia: non vt id ſignificent quod docet Scriptura de eo loquẽs, omnes creaturas, vt in eo ſubſiſtunt, ſic ab ipſo gubernari, eius prouidentiæ ſubditas eſſe, atque ſingulas in ordine ſuo ſeruire ipſius voluntati: ſed quicquid in mundo fit, opus ipſius directò cenſendum eſſe. Ita nullam homini voluntatem tribuunt, acſi eſſet lapis: atque omne boni & mali diſcrimen tollunt: quòd nihil eorum iudicio perperam agi poſſit, quũ Deus ſit author omnium. Vt autem res apertius declaretur, exemplum aliquod ſermocinationis eorum adducam. Quum aliquando porcus ille Quintinus fortè in locum veniſſet vbi quidam interfectus iacebat, atque illic adeſſet aliquis vir pius, qui præ horrore diceret, Hei mihi, quis hoc ſcelus admiſit? Statim ille Picardico ſermone ſuo reſpondit, Ego, ſi ſcire vis, admiſi. Tum alter veluti attonitus, Túne, inquit, adeò ſceleſtus es? Excipit Quintinus, Is non ſum, ſed Deus. Quî, inquit alter, ſúntne imputanda Deo crimina quæ puniri iubet? Tum putidus ille venenum ſuum magis euomere cœpit, inquiens, Ita res habet: tu ipſe admiſiſti, ego admiſi, Deus admiſit. Quod enim ego aut tu facimus, Deus efficit. Quod etiam Deus facit, ipſi facimus: nam in nobis eſt. Hoc conceſſo, imputandum eſſet Deo peccatum: aut concludendum nullum in mundo peccatum fieri, quum nihil ſit quod non fiat à Deo. Sic omne boni & mali diſcrimen tollitur. Vnde ſequetur, nobis non licere aliquid vt malum vituperare, quum omnia ſint opera Dei: licebitque hominibus veluti laxis habenis quicquid in mentem venerit, peragere: non ſolùm quia ſumus extra periculum peccandi, ſed etiam quòd deſiderium aliquod cohibere, ſit impedire Deũ. Exẽpli gratia: Scortatus eſt aliquis? Vituperandus non eſt.

Epheſ. 1.

nam Deo irrogaretur blaſphemia. Concupiuit vxorem vicini ſui quiſpiam? Ea potiatur, ſi poteſt: certò enim ſcit ſe nihil à voluntate Dei alienum facere. Quod ad fortunas attinet, qui eas arripere poterit, aut vi, aut ſubtili aliqua ratione, audacter id faciat: nihil enim ſuſcipiet quod non probetur à Deo. Qui rapuit omnia quæ potuit, ne multum de ijs reſtituendis laboret: neque enim conueniens eſt vt Deus corrigatur. Poſtea quidam præclaras iſtas ſpeculationes in commodum ſuum vertunt. Nam quicquid ſit, nec ſe attingi volunt, nec Deum quem imaginantur, quicquam agere quod eis nocumento eſſe poſſit. Si quis autem detrimentum in ſe, aut bonorum iacturam tulit, rident, eáq; omnia optima eſſe aiunt: eos etiam litigare cum Deo, qui ſceleris authores accuſant. Sed ſi vel minimus eorum digitus attingatur, bellarum iſtarum rationum obliti, ſtatim in bilem prorumpunt, nec vlli ſtomachantur vehementius. Hiſtoriam iucundam hîc narrabo, qua oſtendam quid eis, quum maximè neceſſe eſt, proſint hæc deliria. Lutetiæ quidam cerdo huius ſectæ veneno ſic imbutus erat, vt iam nihil malum eſſe iudicaret. Accidit vt quum is aliquando Stephanum à Fabrica inuiſeret, cum quo aliquid vſus habebat, eúmque mœſtum reperiſſet propter famulũ, qui eo derelicto pecuniam aliquam ſecum abſtulerat. præcipua verò triſtitiæ cauſa erat, quòd verebatur ne alicubi abuteretur apud negotiatores ipſius nomine. Cerdo ille rogauit quid eum malè baberet. Ille tribus verbis reſpondit, vt erat vir paucorum verborum. Statim cerdo ſeſe attollens, quaſi expanſis alis ſupra nubes volaturus, Stephanum reprehendit quaſi blaſphemãtem Deum, quòd eius opus nequitiam vocaret: quúmque Deus faceret omnia, nihil cenſendum eſſe malum. Stephanus ſciens ſe nihil ratiocinando cum illo profecturum, vno verbo ſermonem eius abrupit. Aliquot poſtea diebus accidit, Dei voluntate, vt huic philoſophaſtro cerdoni famulus quidam furtum faceret, ille quaſi furore correptus hac & illac diſcurrens, aliquid de famulo audire ſatagebat. Quum non reperiret hominem, ad Stephani domum acceſſit, vt conquerendo ac eiulando animum alleuaret ſuum. Iam cœperat conuitiorum aceruos in furem illum iactare, atque vlterius progreſſurus erat, quũ Stephanus ſic eius ſermones interrupit: Quid? Siccine, ait, blaſphemandum eſt? An poſſumus accuſare Deũ? Si ipſe hoc fecerit, potiùs laudandus eſt. Phanaticus ille ſuis verbis, quibus antea vſus erat, victus & pudore ſuffuſus abijt, nec tamen propterea reſipuit. Hoc exemplo docemur, quomodo Dominus inſanos iſtos experientia ipſa confundat: neque tamen hoc eis proficit, quominus pertinaciter inhæreant demẽtiæ ſuæ: poſſidẽtur enim à diabolo, qui non ſinit ea quæ oculis eorum obiecta ſunt, cernere. Notandum eſt, ex hoc articulo tria admodum execranda conſequi. Quorum primum eſt, hoc conceſſo, nullum inter Deum & diabolum diſcrimen fore, vt etiam re vera, Deus quem nobis fabricant, idolum eſt diabolis ipſis deterius. Alterum, quòd homines nulla amplius ad vitandum malum conſcientia mouebuntur: ſed belluę, nullo rerum habito diſcrimine, ſequentur appetitum ſuum. Tertium, q̃ nemo iam audebit de re aliqua iudicare, ſed omnia probãda erunt: ſcortationes, homicidia, furta, & crimina omnium flagitioſiſſima pro laudandis facinoribus habenda erunt. Vt hic articulus melius expediatur, de his tribus ordine tractandum erit, quæ conſequentia eſſe oſtendi: eáque, dirutis fundamentis quibus abutuntur, refutanda.

QVOMODO *conſideranda ſit prouidentia Dei qua efficit omnia: quomodo Libertini de ea loquentes, omnia confundunt. quæ prima eſt ſuperioris articuli conſequentia.*

CAPVT XIIII.

NON negamus ipſi quin omnia fiant Dei voluntate. Atque adeò quum declaramus cur dicatur Omnipotens, poteſtatem in omnibus creaturis efficacem ei tribuimus: atque docemus, vt ſemel creauit orbem vniuerſum, ſic etiam ipſum regere, manúmque operi ſemper admotam habere, vt omnia in ſtatu ſuo cõſeruet, & arbitrio ſuo diſponat. Vt facilius exprimam quid hoc ſibi velit, aio nobis conſiderãdum eſſe, Deum in vniuerſi adminiſtratione tribus modis operari. Eſt enim primùm vniuerſalis operatio, qua dirigit omnes creaturas iuxta conditionem & proprietatem, quam ſingulis, dum eas formaret, dedit. Hæc gubernatio nihil aliud eſt quàm quod ordinem naturæ vocamus. Nã quum infideles nihil aliud in diſpoſitione mundi agnoſcant, quàm quod oculis intuentur, ideóque naturam veluti deam conſtituant, quæ omnibus præſit ac dominetur: hæc Dei voluntati laus tribuenda eſt, quòd ipſa ſola moderatur ac regit omnia. Quocirca

Gen. 4.

quum

quum ſolem, lunam, ſtellas, curſum ſuum conficere videmus, exiſtimemus ipſa obedi-
re Deo, ipſius iuſſa exequi: neque id tantùm, ſed Dei quoque manu gubernari, fieríque
omnia eius virtute. Sic quum rerum terrenarum curſum cernimus, tribuenda Deo o-
mnia, creaturæ verò cenſendæ veluti inſtrumenta in manu ipſius, quæ quomodo-
cunque libuerit, operi applicet. Vniuerſalem iſtam prouidentiam ſæpe attingit Scri-
ptura, vt diſcamus gloriam tribuere Deo in omnibus operibus ſuis. Ac præcipuè hanc
ſuam virtutem nobis Deus commendat, vt eam in nobis agnoſcamus, quò exuamur ar-
rogantia, quæ ſtatim in nobis exurgere ſolet, ſimulatque nos in ipſius manu eſſe obli-
uiſcimur. Huc pertinet quod Athenis dicebat Paulus, Ipſe eſt in quo viuimus, moue- Act.17.
mur & ſumus. Iis enim admonet, niſi nos ſuſtineat manu ſua, vel minimo temporis
momento ſtare non poſſe, quum in ipſo ſubſiſtamus: atque vt anima vim ſuam per vni
uerſum corpus effundens, membra agitat: ſic nos viuificari à Deo, à quo quicquid eſt
in nobis facultatis aut virium, obtinemus. Hæc tamen vniuerſalis operatio Dei non
prohibet quominus ſingulæ creaturæ tum in cælo, tum in terris, qualitatem & natu-
ram ſuam retineant, propriámque inclinationem ſequantur. Alter modus quo Deus
operatur in creaturis ſuis, eſt, quòd eas addicit in obſequium bonitatis ſuæ, iuſtitiæ,
& iudicii: prout nunc ſeruos ſuos adiuuare, nunc ſontes punire vult, nunc fidelium
patientiam probare, aut eos caſtigare paterno affectu. Sic quum frugum copiam
nobis vult largiri, dat pluuias ſuo tempore, calores per ſolem ſuum immittit, lu-
cidóſque & ſerenos dies: tum etiam naturalibus aliis medijs vtitur veluti inſtrumentis
benignitatis ſuæ. Quum verò manum ſuam ad ſe reuocat, cælum fit veluti æ-
neum, terra quaſi ferrea. Itaque, is eſt qui tonitrua, gelu, grandines, tempeſta-
tes efficit, & ſterilitatis cauſa eſt. Ideo quicquid Ethnici & ignari tribuunt fortunæ, nos
Diuinæ prouidentiæ aſſignare debemus: non tantùm vniuerſæ illi virtuti, de qua lo-
quuti ſumus, ſed ordinationi ſpeciali qua moderatur omnia, vt maximè expedire ac
conducere ipſi videtur. Idque docet, quum ait per Prophetas, ſe tenebras & lucem cre- Eſa.45
are, vitam & mortem immittere: nihil boni aut mali accidere niſi è manu ſua: adeò vt
dicat ſe etiam ſortes, & alia quæ fortuita videntur, moderari. Quòd ſi aliquis fortè occi- Prou.16
datur non ex induſtria, ſe cauſam eſſe mortis illius, atque ita conſtituiſſe: ne quicquam
fortuitò, ſed omnia ex conſilij ipſius definitione euenire putemus. Ac vehementer indi
gnatur, quum exiſtimamus quicquam aliunde proficiſci, neque in ipſum intuemur, vt
eum agnoſcamus non ſolùm vt præcipuam omnium cauſam, ſed etiam vt authorem,
hoc vel illo modo omnia conſilio ſuo ſtatuentem. Sic igitur concludamus, tam proſpe
ra quàm aduerſa, pluuias, ventos, grandines, gelu, ſerenitates, abundantiam, famem,
bellum, pacem, opera Dei eſſe: creaturas autem, quæ inferiores cauſæ ſunt, inſtrumen-
ta ſolùm eſſe quæ in vſu habet ad exequendam voluntatem ſuam: ideóque iis arbitrio
ſuo vti, quocunque libuerit ea conuertere, eóque adducere, vt omnino fiat quod con-
ſtituerit. Præterea notandum eſt, ipſum non ſolùm creaturis ſenſu carentibus hoc mo-
do vti, vt per eas operetur, & exequatur voluntatem ſuam, ſed & hominibus ipſis at-
que etiam diabolis. adeò vt & Satan & iniqui ſint exequutores Diuinæ voluntatis.
Quemadmodum Ægyptiis vſus eſt ad affligendum populum ſuum: aliquantò pòſt ſuſ-
citauit Aſſyrios, alióſque ſimiles, vt eius delicta vindicaret. Diabolo vſum eſſe cernimus
vt Saulem torqueret, vt deciperet Achab, & in omnes iniquos, quum neceſſe fuit, iudi-
cia ſua exerceret: aut è diuerſo ad probandam ſuorum conſtantiam: cuius rei Iob nobis Iob.1
eſt exemplum. Quæ quum Libertini audiunt, temerè atque incogitanter irruentes,
neque longius ſpectantes, concludunt, nihil amplius agere creaturas. Sic horribiliter
omnia permiſcent. Nec enim tantùm cælum cum terra, ſed Deum cum diabolo con-
fundunt. Idque ita accidit, quòd exceptiones duas valde neceſſarias minimè obſer-
uent. Prior eſt, Satanam & iniquos non ſic eſſe inſtrumenta Dei, quin ipſi etiam ſuas a-
gant partes. Nec enim imaginari oportet, Deum ſic per hominem iniquum vt per la
pidem aut truncum operari: ſed vt per creaturam rationis participem, ſecundùm natu-
ræ, quam ei dedit, qualitatem. Quum igitur dicimus Deum per creaturas operari, id
non prohibet quo minus etiam impii ſua ex parte operentur. Quod etiam Scriptura a- Eſa.5
pertiſſimè oſtendit. Vt enim pronuntiat Deum ſibilaturum & quaſi canturum tuba, vt
ad bellum educat infideles: induraturũ aut inflammaturum animos: ſic narrare non de-
ſinit proprium eorum conſilium, & qua fuerint volũtate: atque opus illis aſcribit, quod
Dei decreto exequuti ſunt. Altera exceptio, cuius infœlices iſti nullã habẽt rationem,

hæc eſt: Magnam eſſe differentiam inter opus Dei, & opus impij, quum eo Deus vice
inſtrumenti vtitur. Impius enim ſua auaritia aut ambitione, aut inuidia, aut crudelita-
te incitatur ad facinus ſuum, nec aliũ finem ſpectat. Ideo ex radice illa, id eſt, ex animi
affectione & fine quem ſpectat, opus qualitatem ſumit, & meritò malum iudicatur. Sed
Deus reſpectum omnino contrarium habet: nempe, vt iuſtitiam ſuam exerceat ad con-
ſeruandos bonos, gratia & bonitate ſua vtatur erga fideles, malè autem meritos caſti-
get. En quo pacto ſit inter Deum & homines diſcernendum, vt hinc in eodem opere iu-
ſtitiam, bonitatem ac iudicium eius contemplemur: illinc diaboli & infidelium mali-
tiam. Sumamus autem præclarum & perlucidum ſpeculum in quo iſta intueamur.
Iob.1 Quum Iobo affertur nuntium tantæ bonorum iacturæ, interitus filiorum, tot calami-
tatum quæ ipſi acciderunt: agnoſcit ſe viſitari à Deo, inquiens, Dominus hæc mihi o-
mnia dederat, eadẽ ipſe abſtulit. Et ſanè ſic res habebat. Sed interim, nónne ſciebat dia-
bolum eam ipſi cudiſſe fabam? Nónne intellexerat Chaldæos armẽta & pecora ſua ab-
egiſſe? An prædatores illos & latrones laudabat? an excuſabat diabolum, quòd à Deo
afflictio illa oriretur? Minimè. Magnam enim eſſe inter hæc differentiam intelligebat.
Itaque malum damnans, inquiebat, Sit nomen Domini benedictum. Similiter Dauid,
2 Sam.16 quum eum Semei perſequeretur, dicit ſe id recipere à Deo: ac videt impium illum eſſe
2 Reg.2 virgam, qua Deus eum caſtigat: ſed Deum laudans, non eò minus poſtea Semei conde-
mnat. De hoc autem adhuc alio in loco tractandum erit. Hoc nunc tenere ſufficiat,
Deum ſic per creaturas ſuas operari, iiſque vti ad prouidentiam ſuam, vt inſtrumentum
quo agit, malum eſſe non deſinat: quódque Satanæ & impiorum hominum malitiam
in bonum conuertit, non propterea excuſari ipſos aut expiari quò minus delinquant,
eorúmque opera iniqua & damnanda ſint: ſumunt enim omnia qualitatem à propoſito
& voluntate authoris. Qui igitur iſta non diſtinguunt, omnia tãquam porci roſtro ſuo
euertunt, & horribili confuſione perturbant quæ pulcherrimo ſunt ordine conſtituta.
Tales ſunt Libertini, qui non tantùm diabolum cum Deo ſocietate coniungunt, ſed e-
tiam in Deum ipſum transformant: laudabilia eius opera cenſentes hoc prætextu, quòd
nihil agat niſi à Deo conſtitutum. Hæc autem hæreſis, ſi antiquis doctoribus fidem ha-
bemus, originem cepit à Simone Mago. Nos cõtrà obſeruare debemus, creaturas in ſuo
gradu opera ſua in terris efficere, quæ prout effecta fuerint hoc vel illo fine, ſic aut bo-
na aut mala exiſtimanda ſunt. Interim omnia gubernat ac moderatur Deus, eáque ad
rectum finem dirigit: malum in bonum conuertit: aut ſaltem naturæ ſuæ bonitate a-
gens, ex eo quod malum eſt, boni aliquid elicit. Ita vtitur diabolo, vt ſe cum eo non ad-
miſceat, quò aliquid habeat cum ipſo commune, vel ſocietate mali cõiunctus implice-
tur, vel mali naturam deleat iuſtitia ſua. Sicut enim ſol in cadauer radios ſuos emittens,
& corruptionem quandam in eo generans, nihil aut corrupti aut impuri ad ſe trahit:
neque efficit puritate ſua, quominus cadauer putridum ac fœtidum ſit: ita Deus per
impios ſic operatur, vt iuſtitia quæ in ipſo eſt, eos non iuſtificet, nec ipſe eorum ne-
quitia & corruptione contaminetur. Tertia ſpecies operationis Diuinæ in guberna-
tione fidelium conſiſtit, in quibus viuit & regnat per Spiritum ſuum. Quatenus enim
corrupti ſumus peccato originali, terræ ſiccæ & ſterili perſimiles ſumus, boni fru-
ctus nihil omnino producenti. Nàm corruptum eſt iudicium noſtrum, voluntas no-
ſtra Deo rebellis, ad malũ procliuis & propenſa: denique tota natura noſtra vitioſa
eſt. Quod quum ita ſit, non ſolùm bonis rebus animum appellere non poſſumus, ve-
rùm, quod maius eſt, vnicæ boni cogitationi concipiendæ non ſumus idonei: ſed (vt in-
quit Paulus) ſi quid idonei ſumus, id ab ipſo proficiſci neceſſe eſt. Ideo is eſt qui ope-
ratur in nobis & velle & perficere: qui nos illuminat, vt ad ſui cognitionem addu-
Exod.36 cat: nos ad ſe trahit, format noua corda in nobis, duritiem noſtram emolliens. Idem
ipſe eſt qui nobis inſpirat precandi affectum: vim ac poteſtatem impertit reſiſtendi o-
mnibus tentationibus Satanæ: efficítque vt in præceptis ſuis ambulemus. Sed interim
notandum eſt, nos à natura electionem & voluntatem habere. Cæterùm, quia v-
traque peccato deprauata eſt, Dominus eas reformat, & è malis bonas facit. Quòd i-
gitur ad decernendum apti ſumus, quòd volumus, quòd hoc vel illud facimus, id na-
turale donum eſt. Quòd verò nihil aliud poſſumus eligere, expetere aut face-
re quàm malum, id ex corruptione peccati eſt. Quòd bene operari cupimus, at-
que exequendi poteſtate ſumus prædit, id à ſupernaturali gratia proficiſcitur, qua
in meliorem vitam, ac planè diuinam regenerati ſumus. En igitur quid Deus

in

in filijs ſuis efficiat: peruerſam nempe eorum naturam delens, eos Spiritu ſuo dirigit in obſequium ſuæ voluntatis. Temulenti verò iſti, à Deo fieri omnia perſtrepentes, eum mali authorem conſtituunt. Deinde quaſi immùtetur mali natura, quũ ſub hoc nominis Dei velo tegitur, bonum eſſe affirmãt. In quo atrociore & ſceleratiore contumelia Deum afficiunt, q̃ ſi poteſtatem aut iuſtitiam ipſius aliò transferrent. Quum enim Deo nihil magis proprium ſit quàm ſua bonitas, ipſum à ſe abnegari oporteret, & in diabolum tranſmutari, vt malum efficeret, quod ei ab iſtis tribuitur. Ac certè iſtorum Deus idolum eſt, quod nobis execrabilius eſſe debet omnibus Gentium idolis. Verùm ritè ablutas (vt aiunt) manus ſuas putant, quum reſpondent ſe affirmare omnia bona eſſe, quũ à Deo fiant. Quaſi in ipſorum poteſtate eſſet, nigrum in album commutare. Præclarè ſcilicet defuncti ſunt, ſi poſtquam Deum latronem, furem, ſcortatorem vocauerint, adijciant, nihil omnino his ineſſe mali. Verùm quis homicidium damnauit, ſcortationem, latrocinia, furta, niſi Deus? Sic eum profectò à nobis mendacij argui oporteret, vt opera ipſius excuſaremus. At Scriptura, inquiunt, in vniuerſum pronuntiat Deum omnia efficere in omnibus. Reſpondeo, ipſos perperam & falſò Scripturam ad id accommodare. Quum enim hac ſententia vtitur Paulus, tantùm loquitur de gratijs Spiritus ſancti. Idque locus ipſe ſatis demonſtrat, in quo admonet Corinthios, vt ijs bene vtantur, quum ſint dona Dei: quoniam, vt inquit, nemo poteſt vel vnicum verbũ in laudem Chriſti efferre, niſi per Spiritum ſanctum loquens, à quo bona omnia proficiſcuntur. Et certè quod ad bonum pertinet, id totum perlubenter tribui Deo ſinemus. Malum verò qui oſtendent à Deo naſci? Vbi demõſtrabunt Deum furari in fure, in latrone & ſicario interficere innocentes? Itaque hæc tegumenta non tantùm non purgant ipſorũ blaſphemias, ſed vehementer adaugent, & duplo grauiores reddunt. 1.Cor.12

De altera conſequentia quæ ex eo ſequitur, Deus efficit omnia: nempe, Neminẽ amplius vllius rei conſcientia moueri debere.

Capvt xv.

Svperivs diximus, ſi Deo tribuantur omnia, vt volunt Libertini, & homo nihil agere dicatur, fore vt nullius rei cõſcientia moueamur. Nec enim id eſſet cauere à peccato, ſed potiùs retrò agere opus Dei. Nec tantùm dico id poſſe ex ſuperiore eorum ſermone deduci, ne laboremus diſputando an talis ſit eorum ſenſus, necne: ſed idipſum aio quod ipſi confitentur. Atque adeò id præcipuè ſibi proponunt, vt ſopiant conſcientias, quò omni ſolicitudine vacui homines, quicquid ſeſe offeret, quicquid appetierint, perpetrent. Quaſi Deus fruſtra Legem ſuam dederit, qua bonum à malo diſcernatur. Hoc autem ab ipſis quæro, An non in Lege declarationem diuinæ voluntatis habemus? Ea autem pronuntiauit Deus ſcortationem, furtum, homicidium, &c, vt conſequens eſt, auaritiam, odium, inuidiam, ambitionem, cæteráque eiuſmodi ſibi diſplicere. Nunc ſi illa ipſi grata eſſe dicantur, nóne arguitur mendacij? Teſtatur Moſes datam eſſe Legem, vt ſeruire Deo, atque ipſi adhærere, voluntati eius parêre diſcamus, ne ipſius iram flagitijs noſtris in nos prouocemus. Infelices iſti hoc moliuntur, vt nobis tales cogitationes excutiant. Et ne quicquam perſpicere poſſimus, hac faſcia oculos noſtros obligant, nempe, fieri omnia voluntate Dei: proptereáque nihil ipſi diſplicere, acſi mutabilis eſſet Deus, ſibíque ipſe repugnaret: aut eſſet ſimulator, affirmans ſe id odiſſe ac deteſtari, quod tamen cupit ac probat. Propter hæc, inquit Paulus, venit in infideles ira Dei. Mœrore afficitis Spiritum Dei, inquit Iſaias. Moleſti mihi fuiſtis, inquit Dominus alio in loco. Item, Dominus vehementer iratus eſt: inflammata eſt ira ipſius aduerſus Iſrael. Scio quidem Deum humanis affectionibus minimè obnoxium eſſe: ſed omnes hæ loquutiones ſignificant ab ipſo improbari ac damnari malum: atque ideo peccatum, inimicitiarum inter nos & ipſum, cauſam eſſe: nec poſſe nobis, quandiu malè agimus, cum ipſo conuenire: expectandam eſſe potiùs punitionem ac vindictam, quòd iuſtus ſit iudex, à quo nulla poteſt iniquitas tolerari. Nihil aliud in vniuerſa ferè Scriptura legimus, præter iſtas exhortationes, Time Dominum: Vide ne ipſum offendas: Caue tibi à malo. Inſani verò iſti contrà vociferantur, ſtultum eſſe vereri ne ipſum offendamus, quum nihil agamus aut boni, aut mali, ſed omnia in nobis efficiat. Paulus admonet Gentes ipſas, & doctrina & Scripturis carentes, legem habere im- Rom.2

2.Reg.24

preſſam cordibus ſuis: nempe conſcientiam,qua ſeſe coram Deo vel accuſant, vel defendunt. Eam malè feriati iſti homines delere cupiunt, negantes quicquam eſſe cuius nos accuſemus, quum omnia fiant à Deo. Quî eos puderet Scripturas euertere, quum tantum audeant,vt perſuaſionem naturaliter animis noſtris infixam,atque inſculptam à Deo,euellere non dubitent? Si noſtri excuſandi cauſa ignorantiam allegare velimus, ad conſcientiam noſtram nos Deus amandat,quæ abundè aduerſum nos teſtificari poteſt. Phrenetici verò iſti,hoc teſtimonio ſuppreſſo, aiunt Deum oportere prius ſeipſum accuſare,ſi aduerſum nos accuſationem intẽdere velit, quum in nobis efficiat omnia. Deu.29.18 Moſes id vocat radicem fel & abſynthium germinantem, quum adulationibus conamur omnem ſyntereſin ſopire, nobíſque ita imponere vt malum putemus ludicrum eſſe. Ac reuera, quod in vniuerſo orbe venenum lethalius aut peſtilentius eſſe poteſt? Id etiam vocat ebrietatem ſiti adiungere:ac meritò: naturalis enim affectio noſtra inordinatus eſt appetitus,& veluti malè agendi ſitis. Ibid.19. Quum igitur nobis ipſi benedicimus (vt eo loco ait)atque nobis perſuademus nos pace potituros,quandiu nequiter & perditè viuimus:id perinde eſt, ac ſi quis vehementi ſiti accenſus,ſeſe inebriaret vino, ne vllo amplius tangeretur ſenſu,quum potius ſitim illam frænare & reſtinguere ſobrietate & abſtinentia debuiſſet. Præclarus ſanè locus noſtri commonefaciendi cauſa: vt intelligamus quid amaritudinis lateat ſub melle, quod inauſpicati iſti homines nobis propinant. Ad hanc nihilominus latebram ſe perpetuò recipiunt, nihil omnino fieri præter voluntatem Dei. Sed reſpondeo,quod attinet ad opera quæ nos facimus,conſiderandam à nobis voluntatem Dei,qualiter eam ipſe declarat. Vt, exempli gratia, quũ iubet ſuum cuique ſeruari:ne cui damnum aut iniuria inferatur:ibi volũtas eius perſpicua eſt. Quid igitur ei placeat amplius diſquiri non oportet. Scimus enim nos, ſi id facimus,eius volũtati obſequuturos:ſin minus, ei minimè gratos fore. Si quis ergo furetur, ac deinde dicat ſe nihil admiſiſſe præter voluntatem Dei,mentitur impudenter, quum tranſgreſſus ſit præceptũ Dei,quo de ipſa docebatur. Quæret quiſpiam an inuito Deo aliquid fieri poſſit. Fateor non poſſe. Sed cauendum omnino ne de eius prouidenia,quæ nobis occulta eſt,inquiramus:quũ ſciamus quid à nobis requirat,quid approbet aut cõdemnet. Prou.25 Non abs re Salomõ affirmat fore vt is obruatur gloria,qui maieſtatẽ ſcrutatur. Et certè ſic omnino accidere neceſſe eſt, atque hoc modo ſuperborum arrogantiã puniri. Quod in iſtis experimur,qui quum ſupra nubes aſcendere velint,vt voluntatẽ Dei inquirant,quũ reuelationi quæ de ea in Scripturis habetur,acquieſcere nolint, in deliria tam abſurda,támque belluina ruunt,vt horribile dictu & auditu ſit.

De tertia conſequentia quam Libertini trahunt ex hac propoſitione, Deus facit omnia: nempe, Non eſſe fas quicquam improbare.

Cap. XVI.

POSTEAQVAM ſic fræna laxarunt omnibus,vt ſinant vnumquenque viuere ſuo arbitratu, hoc prætextu, quòd ſe à Deo regi ſinant, ex eodẽ principio deducunt perperam fieri, ſi de re aliqua iudicetur. Nullam verò aptiorem doctrinam habere poſſunt, qua ſuis abominationibus aditum patefaciãt. Multum enim conſequuti ſunt, quum ſic obſtruxerunt,aut potiùs confixerunt oculos auditoribus ſuis, vt nemo amplius audeat iudicare an dicta eorum & facta,bona vel mala ſint. Atqui ſi hoc eis concedimus, quò ſpectabit hæc Dei ſententia, qua maledicit omnibus qui malum bonum eſſe dixerint? En Deus dira & infauſta omnia nobis denuntiat, ſi quod malum eſſe iudicat, pro iuſto habeamus. Hi contrà,nihil omnino condemnari patiuntur. Si ſuperiores ipſo Deo eſſent,vt pœnam quam edicit,poſſent remittere,eſſet fortaſſe deliberãdi locus: ſed quis volet condemnari à Deo,vt à Quintino abſoluatur? Quum articulum iſtum in medium proferre volunt,hiſce verbis vtuntur, Oportere Chriſtianum omnia in vtilitatem ſuam conuertere. Nam,vt ab initio dixi:nunquam ſimpliciter & apertè loquuntur, vt quod animo conceperint,liquidò exprimant, ſed obliquis flexibus rem implicant. Libenter quidem ipſis concedo, Chriſtianum debere quiduis (vt ille ait) reputare in lucro, ſed eo ſenſu quo docet Scriptura, nempe vt aduerſis rebus ſecum reputet quod Rom.8 Paulus ait,ideo affligi fideles,vt conformentur imagini Chriſti, ſicque afflictiones ipſis adiumento ſint ad ſalutẽ conſequendam:& eo ſolatio ſe ſuſtentet. Si fratrem ſuum labi

bi

bi,aut errare videat,hoc ei ſit vice ſpeculi,quo naturæ humanæ infirmitatẽ cognoſcẽs, maiore in timore ambulet. Quòd ſi ipſi labi contingat,eo moneatur imbecillitatis ſuæ, vt viribus ſuis diffidat,humilior reddatur,omnémq; arrogantiam ponat:ſitque ei veluti ſtimulus,quo ad Deum ardentioribus votis inuocandũ inſtigetur. En quomodo Chriſtiani omnia in vtilitatem ſuam conuertunt: non vt ſibi placeant in vitijs ſuis,aut claudant oculos,ne quod malum eſt,animaduertant: ſed potiùs vt mœſti ac triſtes,q; Deũ tum abs ſe,tum ab alijs offendi videant,ad pœnitentiam,humilitatem, & timorem Dei inſtruantur,ſintque ſoliciti vt ſibi in poſterum caueant. In hunc modum Dauid ex eo quod admiſerat delicto fructũ collegit:minimè quidem ſeſe iuſtificans, ſed condemnatione ſui audita,magis ac magis ſeſe confirmans in bonitate Dei, præcauens ne de cætero in tantam calamitatẽ recideret. Eadem etiam ratione Paulus nos monet vt ea peccata quæ filij Iſrael aduerſus Deum admiſerunt,in vtilitatem noſtram conuertamus:nẽpe vt dum punitiones quæ ſubſecutæ ſunt conſideramus, eorum exemplo doceamur. *1.Cor.10* En denique quorſum Scriptura recitat tum fidelium, tum contemptorum Dei peccata:non vt nos cæcos reddat,quò nihil certò definire aut pronuntiare poſſimus,atq; dubitemus an quod malum eſt,bonum ſit:ſed vt mali cognitione percepta, ipſum vitemus:vt etiam ipſa apertè pronuntiæt quid à nobis de quoque opere cenſendum ſit. Verùm allegant ſcriptum eſſe, ne iudicemus. Dominus quidem his verbis vtitur, Nolite iudicare. ſed quorſum? *Matth.7* Vt eorum temeritatem reprehendat qui authoritatem Dei vſurpant, de rebus ſibi ignotis iudicando. Idem argumentum tractatur à Paulo, decimoquarto ad Romanos: vbi reprehendit eos qui ob actionem indifferentem fratres condemnant: Vnum,inquit,iudicem habemus omnes: ei reddenda à nobis eſt ratio:ipſius eſt de eiuſmodi rebus definire. Ne igitur proximos opinioni noſtræ ſubijciamus. Præclara quidem & vtiliſſima doctrina eſt,quemadmodum vnicus eſt Legiſlator ſpiritualis,videlicet Deus: ſic ſolum eſſe ipſum idoneum iudicem animarum noſtrarum.interim verò,non ideo minus validum eſt iudicium quod iam tulit. Quum ergo ſcortationem,furtum,blaſphemiam,ebrietatem,ambitionem, flagitioſa eſſe vitia iudicamus,non proferimus ex nobis iudicium: ſed quod iam tulit Deus,id approbamus. Verùm è diuerſo impudentes iſti canes, fingentes ſe nolle iudicare, ſeipſos Deo ſuperiores iudices conſtituunt.Quæſo,ſi poſtquam ſupremus iudex ſententiam tulit, priuatus quiſpiam diceret rem in dubio relinquendam,acſi nihil omnino definitum eſſet, & rem iudicio damnatam pro mala habendam non eſſe, nónne is tanquam factioſus aut ſeditionis author,graui animaduerſione dignus meritò putaretur,quia vellet omnẽ iuris ordinem euertere? Impuri verò iſti canes,ſub hoc prætextu quòd non eſſe iudicandum aiunt,ſuprema ſummi Dei iudicia,quæ toti orbi publicauit,irrita eſſe volunt: merámque fruſtrationem eſſe quicquid pronuntiauit. Videmus itaque, ſicuti non vſque adeò nobis audendum eſt,vt ex libidine animi noſtri iudicia feramus:ita approbanda eſſe omnia,& aſſenſu noſtro veluti rata habenda quæ Deus iudicauit. Proinde,vt cũ bonum & æquum eſſe iudicem teſtemur,opera iniqua cum ipſo condemnemus: atque, *Matth 12* vt monet,arborem bonam aut malam ex fructibus iudicemus.

Poſtea ſententiam iſtam allegant:Hypocrita, erue prius trabem ex oculo tuo,deinde *Matth.7* feſtucam ex oculo fratris tui remouebis. Verùm,quid ex eo concludere volunt? Hæc reprehẽſio ad hypocritas pertinet,qui vitia ſua occultãtes,aliena tantũmodo obſeruãt. Veluti quum ijs qui adulterã accuſabãt,dixit,Qui veſtrûm peccato caret,primus in eã lapidem conijciat:non ideo vetat punire ſceleratos,ſed tantùm admonet, vt quum reprehendimus alios,initium faciamus à nobis ipſis: quum eos qui deliquerunt corrigimus,vacemus his criminibus,ob quæ animaduertimus in ipſos: vt oſtendamus nos vero iuſtitiæ zelo duci, malum tam in nobis,quàm in alijs odiſſe,ſine vlla acceptione perſonarum.Sed permagna inter iſta duo differentia eſt:nihil per hypocriſin iudicare, vel non iudicare omnino. *Leuit.19* Iubet Dominus vt ex veritate iudicemus:ne magis aduerſus proximos, quàm aduerſus noſipſos ſeueri ſimus. Canes verò iſti,hoc colore, iudicium omne,quantumuis rationi conſentaneum,excludi atque aboleri volunt. Quanquam ſi hypocrita ſeſe adulans,alium reprehenderit,non ſequitur eum qui deliquit, propterea excuſari:ſemper enim malum damnandum eſt.Sed hoc hypocritæ vitium eſt, quòd nõ eadem ſe metitur regula:& facilè ſibi ignoſcens, ſummo iure vtitur in alios. Verùm(vt initiò dixi)non fruſtra ganeones iſti hoc aſſequi nituntur. Præclarum enim ſibi ingreſſum patefacerent,ſi perſuaderent mundo,nihil omnino improbandum eſſe. Cæterùm,

» aſtutiam Satanæ hoc loco obſeruare,& quem in finem ſpectet optimum eſt. Nam præ-
» terquàm quòd proximorum delicta, & caſtigationes quibus Deus ea punit, ſatis nos
» monere debent,ne iram ipſius aduerſus nos prouocemus, aliud etiã à nobis requiritur:
» nempe animos noſtros dolore affici oportere, quòd Deus offenditur,quòd anima pec-
» catoris in exitium ruit. Tanto nos honoris Dei zelo flagare decet, vt cùm læditur, pre-
» mamur dolorum anguſtiis, quibus animus noſter aduratur. Tam propenſa animi affe-
» ctione proximos noſtros proſequi debemus,vt cùm imminere ipſis, præcipuéque eorũ
» animis exitium videmus,miſericordia commoueamur. Satan verò per nebulones iſtos
» vellet homines ſtupidos reddere,vt quamcunque videmus confuſionem,nulla omni-
» no cura tangamur,nec vllo modo afficiamur, ſi nomen Dei blaſphemiis proſcindi cer-
» namus,ſacroſancta eius pręcepta violari, perdi animas, graſſari omnia ſcelera & flagi-
» tia. Vt re vera iſti ſubſannatores,quicquid acciderit,rident,nulla cura tãguntur, ne for-
» tè eos enecet atra bilis,niſi cùm aliquid minus ipſis gratum admittitur:tunc enim lepi-
» das has omnes ſpeculationes de non iudicando obliti,cæteris longè acriores & rigidio-
» res fiunt. Atque etiam eos à quibus nutriuntur clàm irridẽt, & linguã poſt ipſorum ter-
» ga exerunt. Omnis enim eorum oblectatio & ſtudiũ in eo eſt,vt quieti & ſecuri genium
Prou.17 » ſuum bene & hilariter accipiant. Audierunt ſcilicet hanc Solomonis ſententiam, Tri-
» ſti ſpiritu oſſa deſiccari. Ita ne macie deterantur, hanc inuenerunt viam ſuauiter & pla
» cide deliciandi, excuſſa omni ſolicitudine, videlicet ea omnia probando quibus filios
» Dei angi, & animo torqueri neceſſe eſt: ne vllam amplius mœſtitiæ cauſam habe-
» rent. En quomodo in malis rebus,peræquè ac in bonis,ſeſe oblectantes, omnia in vtili-
Rom.1. » tatem ſuam conuertunt. Paulus verò ait,hunc nequitiæ cumulum eſſe, quum quis non
» ſolùm admittit mala, ſed etiam eis cum oblectatione aſſentitur. Quamobrem, ſi fides
» Paulo adhibenda eſt, iſtos pro deploratiſſimis omnium hominum habeamus, qui non
» eo contenti, quod indormiant malis ſuis, eò nequitiæ prorumpunt, vt etiam aliorum
» vitiis applaudant.

Iſtáne vero tibi nondum ſatisfaciunt,& ad alios Caluini libros prouocabis? Audi igitur quid iam olim de iiſdem rebus docuerit Inſtitut. Chriſt. lib. 2. cap. 4. ſect. 2. LON-
» GE alia eſt,inquit,ratio Diuinæ actionis:quæ vt certius nobis pateat, exẽplo ſit calami
» tas à Chaldæis ſancto Iob illata. Chaldæi interemptis eius paſtoribus gregem hoſtiliter
» deprædantur. Iam eorum improbum facinus pallàm extat. Neque in eo opere ceſſat Sa-
» tan,à quo totum id prouenire narrat hiſtoria. Ipſe autem Iob Domini opus in eo reco-
» gnoſcit,quem dicit ſibi abſtuliſſe, quæ erepta erant per Chaldæos. Quomodo idem o-
» pus ad Deum,ad Satanam, ad hominem authorem referamus,quin vel Satanam excu-
» ſemus Dei conſortio,vel Deum mali authorem prædicemus? Facilè, ſi finem agendi
» primùm inſpiciamus,deinde modum. Domini conſilium eſt, ſerui ſui patientiam cala-
» mitate exercere: Satan molitur eum ad deſperationem adigere: Chaldæi ex re aliena,
» præter ius & fas, lucrum quærere affectant. Tanta in conſiliis diuerſitas opus iam val-
» de diſtinguit. In modo non minus eſt diſcriminis. Satanæ affligendum ſeruum ſuum
» Dominus permittit:Chaldæos, quos ad id exequendum miniſtros deligit, illi permit-
» tit ac tradit impellendos: Satan alioqui prauos Chaldæorum animos venenatis ſuis a-
» culeis ad perpetrandum id flagitium inſtigat. Illi ad iniuſtitiam furioſè ruunt, omniá-
» que membra ſcelere obſtringunt ac contaminant. Propriè ergo agere dicitur Satan in
» reprobis:in quibus regnum ſuum,hoc eſt nequitiæ, exercet. Dicitur & Deus ſuo mo-
» do agere, quòd Satan ipſe (inſtrumentum quum ſit iræ eius) pro eius nutu ac imperio
» huc atque illuc ſe inflectit ad exequẽda eius iuſta iudicia. Omitto hîc vniuerſalem Dei
» motionem, vnde creaturæ omnes vt ſuſtinentur, ita efficaciam quiduis agendi ducunt.
» De illa ſpeciali actione tantùm loquor,quæ in vnoquoque facinore apparet. Idem ergo
» facinus Deo,Satanæ,homini aſſignari, videmus non eſſe abſurdum: ſed varietas in fi-
» ne & modo facit vt illic inculpata Dei iuſtitia reluceat, Satanæ, hominíſque nequitia
» cum ſuo opprobrio ſe prodat.

Quid amplius? audiamus etiam quid ſcribit libro de æterna Dei prædeſtinatione aduerſus Pighium, cuius impudentiam tibi ad imitandum propoſuiſti: PROSEQVI-
» TVR Pighius, Si Dei opus eſt, hominis apoſtaſia, falſum eſſe quod Scriptura tradit, O-
» mnia quæ fecit Deus, bona eſſe. Atqui ſanctè teſtari & ingenuè profiteri poſſum, mihi
» commentum illud nunquam veniſſe in mentem. Naturam hominis ideo rectam primò
» conditam fuiſſe vbique aſſero, ne prauitas quam ſibi defectione contraxit, Deo poſſit

adſcribi: mortem, cui ſe mancipauit qui antea compos erat vitæ, ſic profectam eſſe ab eius culpa, ne Deus author cenſeatur. Idem, eodem libro: Quicquid peccant homines, ſibi imputent. Quòd ſi quis ſubterfugiat, conſcientiæ vinculis arctius conſtringi dico, quàm vt ſe à iuſta damnatione expediat. Cauſetur Adam vt volet, ſe datæ à Deo vxoris illecebris fuiſſe deceptum: intus tamen mortiferum infidelitatis virus: intus peſſima conſultrix ambitio: intus diabolicum audaciæ flabellum reperietur. Multò igitur minus excuſabiles erunt qui ex profundis Dei adytis malorum ſuorum cauſam, quæ ſe ex vitioſo eorum corde profert, eruere tentabunt. Sua quiſque peccata accuſet, ſeipſum damnet, ſuámque culpam ex animo confeſſus, iudicem ſuum ſedulò deprecetur. Si quis obſtrepat, prompta eſt exceptio, Perditio tua ex te Iſrael. Idem eodem libro, teipſum appellans, Caſtellio, Turpi, inquit, & illiberali calumnia nos grauant qui Deum peccati authorem fieri obtendunt, ſi omnium quæ aguntur, cauſa eſt eius voluntas. Nam quod homo iniuſtè perpetrat, vel ambitione, vel auaritia, vel libidine, vel prauo quouis alio affectu incitatus, quum Deus iuſto, licet occulto, iudicio per manum eius faciat, non poteſt in eum quadrare Peccati nomen. Peccatum in homine facit perfidia, crudelitas, ſuperbia, intemperies, inuidia, cæcus ſui amor, praua aliqua cupiditas. In Deo nihil reperies tale. Et paulò pòſt, Talis eſt, inquit, Deo agendi ratio in hominum peccatis, vt quum ad eum ventum eſt, ſua puritate omnem maculam prorſus abſtergat.

Quid verò? iſta tibi non ſufficiunt explicandæ Caluini ſententiæ, & probandæ tuæ falſitati? Addamus ergo iſta quæ ſcripſit in eum locum vbi exprobrat Iudæis Petrus quòd Ieſum definito conſilio & præſcientia Dei traditum, per manus impias crucifixerint. QVIA, inquit, videtur Petrus innuere, impios paruiſſe Deo, hinc ſequitur ex duobus abſurdis alterutrum: vel Deum eſſe malorum authorem, vel homines quoduis ſcelus perpetrando, non peccare. Reſpondeo, impios, vtcunque exequantur quod Deus apud ſe ſtatuit, nihil tamen minus quàm Deo obedire. Nam obedientia ex voluntario affectu naſcitur. Scimus autem impiis longè aliud eſſe propoſitum. Deinde nemo obedit Deo niſi cui comperta eſt eius voluntas. Obedientia igitur ex notitia pendet Diuinæ voluntatis. Porrò Deus in Lege ſuam nobis voluntatem patefecit. Quare illi demum obediunt Deo, qui opera ſua exigunt ad Legis regulam: deinde eius imperio voluntarij ſeſe ſubiiciunt. Nihil tale in omnibus impiis cernimus, quos Deus huc vel illuc neſcientes impellit. Nemo igitur excuſabiles hoc prætextu eſſe dicet, quia pareãt Deo: quum & Dei voluntas in Lege nobis quærenda ſit, & illi quantum in ſe eſt repugnare Deo cupiãt. Quantum ad alterum attinet, nego Deum mali eſſe authorem, quia in hac voce certa eſt notatio praui affectus. Maleficium enim æſtimatur ex fine quò quiſque tendit. Homines quum vel furtum, vel homicidium perpetrant, ideo peccant quia fures ſunt, aut homicidæ. In furto autem & homicidio, ſceleratum conſilium. Deus qui illorum malitia vtitur, in ſuperiore gradu locandus eſt. Longè enim aliud ſpectat, quia vult alterum caſtigare, alterius exercere patientiam: atque ita nunquam à ſua natura, id eſt, à perfecta rectitudine deflectit. Ita quòd traditus fuit Chriſtus per manus impiorũ, quòd crucifixus, factum eſt Dei nutu & ordinatione. Proditio autem, quæ per ſe nefaria eſt, & cædes, quæ tantum ſcelus in ſe continet, Dei opus non debet cenſeri. Act.

Quid plura? Dies me certè deficeret eiuſmodi teſtimonia commemorantem. Itaque etiam ſi vel vnum duntaxat ex iſtis protuliſſem, puto neminem fore cui de veſtra ſumma & inaudita impudentia non ſatis poſſit conſtare. Sed tamen alia præterea ſuis locis accommodabo: & ne me conqueramini rem obſcuram obſcurare potius quàm declarare, paucis explicabo quæ noſtra ſit de ordinatione & actione Dei ſententia, in iis etiam quæ non quatenus à Deo, ſed quatenus ab inſtrumentis peraguntur, peccati nomen merentur: itémque de diſcrimine permiſſionis & voluntatis quid ex verbo Dei doceamus: deinde tuis argumentis ſigillatim reſpondebo. Placuit autem hæc breuibus & planis aphoriſmis explanare, vt de obſcuritate queri non poſſis.

DEVS ἐνεργεῖ, id eſt, efficaciter agit, ſeu efficit omnia ſecundùm conſilium voluntatis ſuæ. 1. Epheſ. 1. a

Conſilium hoc exequitur quidem Deus certis temporum momentis, ſed ipſum tamen æternum eſt, & omnia antegrediens non tantùm tempore, quum ſit ante omne tempus, ſed etiam ordine. Nam alioqui voluntas Dei non eſſet primaria regula conſi- II.

lij Dei:ſed potius qualitates rerum præuiſæ aut præſcitæ,& impellentes Deum ad hoc vel illud conſilium capiendum,ipſi Dei voluntati regulam præſcriberent.

III. Conſilium hoc ſeparari à Dei voluntate non poteſt,quin Deum ſua Diuinitate ſpoliemus.

IIII. Conſilium hoc non eſt tantùm poſitum in moderatione & directione euentus, ſicut Pallas fingitur apud Poëtam auertere Pandari telum à pectore Menelai ad inferiores partes balteo munitas:ſed actuoſam & effectricem vim habet in omnibus,quod Paulus declarauit verbo ἐνεργεῖν.

V. Hæc vis & efficacitas tribuitur Deo agenti, non autem dicitur eſſe à Deo. Itaque hoc vocabulo non declaratur naturalis facultas rebus quibuſdam indita à Deo creatore, vt hoc vel illud efficiant: ſed ipſa Dei virtus quam in ſeſe habet ad omnes res efficiendas.

VI. Vniuerſalis particula in hoc Pauli dicto, nulla prorſus quantulacunque exceptione reſtringi poteſt,quin Deus ea in parte conſtituatur otioſus ex Epicuri dogmate.Sin verò dicamus eo inuito quicquam geri,ſpoliabitur infinita ſua poteſtate.

VII. Stat ergo concluſio,Deum ipſum,prout ei libuit, ab æterno omnia futura decernere,ita quoque illa ſuo tempore ſua ipſius efficacitate peragere,ſicut vult.

VIII. Non tamen conſequitur ex iſtis vlla iſtarum blaſphemiarum, nempe, vel Deum eſſe authorem peccati, ſiue delectari iniquitate, aut etiam velle iniquitatem: vel Satanam aut homines malè agendo, obedire Deo,aut, quatenus malè agunt, facere quod Deus vult,ac proinde eſſe extra culpam. Abſint verò quàm longiſſimè omnes eiuſmodi blaſphemiæ non tantùm à linguis,ſed etiam à cogitationibus noſtris.

IX. Iſtas autem conſecutiones non valere, ſic demonſtrari poteſt. DEVS exequitur conſilia ſuæ voluntatis per cauſas ſecundas & media inſtrumenta, non tanquam illis deuinctus,vt Stoici exiſtimabant,ſed liberè & potenter illa fabricans, mouens, ac dirigens prout libuit.

X. Horum inſtrumentorum duæ ſunt ſummæ ſpecies. Nam alia ſunt animata, quæ videlicet interiore ac ſuo motu cientur: alia inanimata, quæ impulſu duntaxat externo agitantur. Animata verò ſunt in duplici differentia. Nam alia prædita ſunt ratione ac iudicio, alia verò ſunt rationis expertia,& cæco naturæ impetu feruntur.

XI. Inanimata, atque adeò quæ animata quidē ſunt, ſed rationis expertia, nec bene nec malè agere dicuntur,quoniam aguntur potius quàm agunt:ſed qui iis inſtrumentis vtuntur,vel bene vel malè agere dicuntur.

XII. Animata ratione ac iudicio prædita, ſunt vel Angeli vel homines, iique rurſus duarum ſpecierum. Nam Angeli quidem alij boni ſunt, alij mali: homines verò natura quidem omnes mali ſunt, gratia verò ita diſtincti ſunt, vt nonnulli prorſus ſint mali, nonnulli verò aliquatenus boni, quatenus videlicet Dei Spiritus eos ſanctificauit.

XIII. Quæ res ſunt huius generis,quum in actione quapiam cientur motu illo interiore ac ſuo, meritò dicuntur agere: ac proinde in hanc demum inſtrumentorum ſpeciem cadit bonæ vel malæ actionis diſcrimen. Nec propriè,hoc quidem reſpectu,dici poſſunt inſtrumenta,ſed cauſæ efficientes potius.

XIIII. Malam autem actionem appello,quæ reuelatam voluntatem Dei non habet pro ſcopo:bonam contrà,quæ illam reſpicit.

XV. Hæc eadem, etſi cauſæ ſunt quatenus interiore & ſuo motu agunt,tamen alio reſpectu dicuntur inſtrumenta, quoties videlicet & quatenus ab alio aguntur: vt quum carnifex iuſſu Magiſtratus hominem interficit, aut quum impulſu Satanæ alij alios lædunt: aut quum alicuius mandato ac nomine cuipiam benefacimus aut malefacimus.

XVI. In hac actionum ſpecie nemo non videt vnum & idem opus duobus tribui, nempe vni quidem velut impellenti, & per alium agenti tanquam per inſtrumētum:alteri verò & ipſi agenti. Sic enim eſt inſtrumentum, vt etiam ſuo interiore motu agat, non autem ſimpliciter,vt malleus vel ſecuris in fabri manu.

XVII. Imò propter geminum iſtum reſpectum videtur geminum quoque opus interdum edi, adeò quidem vt vnum ſit laudabile,alterum vitioſum: vt ſi Magiſtratus hominem nocentem carnifici tradat, nemo non id opus meritò laudet: ſin verò carnifex odio vel

auaritia,

auaritia, vel alia cupiditate praua impulſus potius quàm iudicis mandatum reſpiciens,
illum ipſum interficiat, homicidæ certè crimen effugere coram Deo non poteſt.

Iam igitur iſta ad Deum ipſum accommodemus, cuius efficacitatem antè probaui- XVIII.
mus in omnibus quæ fiunt interuenire ſine vlla exceptione: & ita quidem, vt per ea
quæ condidit, tanquam per inſtrumenta, exequatur ſuo tempore quicquid ab æteroo
decreuit.

Quicquid agit Deus, bonum eſt, quum à ſummo bono nihil mali poſſit proficiſci. XIX.
Omnia autem efficit. Omnia igitur bona ſunt, quatenus à Deo efficiuntur: & diſcrimen
illud boni & mali in inſtrumentis duntaxat locum habet, & iis quidem de quibus diximus
propoſitione 13.

Nam ſi hæc inſtrumenta booa ſuot, & reſpiciunt patefactam Dei voluntatem, bene XX.
agunt, & Deus quoque bene agit per illa: quo fit vt id opus omnibus modis ſit bonum:
vt quũ Angeli boni exequuntur quod Deus iubet, & ſancti homines vocantem Deum
ſequuntur.

Mala autem inſtrumeota, (mala, inquam, nõ ex creatione, ſed ex corruptione) qua- XXI.
tenus quidem agunt, malè ſemper agunt, ideóque iuſtè incurrunt in iram Dei: quate-
nus autem Deus agit per illa, bono Dei operi, vel iouita, vel per ignorantiam ſeruiuot.
Nam Deus, per quæcunque agat ioſtrumenta, bene ſemper agit.

Sic autem agit per illa inſtrumenta, vt non tantùm ſinat illa agere, nec tantùm mo- XXII.
detetur euẽtum, ſed etiam excitet, impellat, moueat, regat, atque adeò, quod omnium
eſt maximum, etiam creet, vt per illa agat quod conſtituit: quę omnia rectè facit Deus,
& ſine vlla ioiuſtitia.

Nam quoties malus in ſeipſum vel in alium itidem malum peccat, Deus abſque vllo XXIII.
peccato facit, vel vt malus ſeipſum vlciſcatur, vel mali malos meritis pœnis afficiant:
quod vtrunque Dei opus eſt iuſtiſſimum: & his iudiciorum ſuorum exemplis Deus
ſuos erigit ac conſolatur.

Quoties autem mali bonos lædunt, peccant quidem ipſi, & tandem meritas dant XXIIII.
pœnas, ſed per eos oihilominus caſtigat, erudit, confirmat ſuos Dominus, ac planè per
ipſos Eccleſiæ hoſtes Eccleſiam ſuam glorioſam teddit.

Mala tamen hæc inſtrumeota dici non poſſunt obedire Deo, quoniam quanuis XXV.
Deus opus ſuum per eos efficiat, ipſi tamen, quantum in ſe eſt, & quod ad eorum con-
ſilium ac voluotatem attinet, non faciunt opus Dei, ſed ſuum opus, propter quod me-
ritò puniuntur. Etſi enim booum eſt quicquid Deus agit per malos, tamen malum eſt
quicquid agunt mali.

Nec valet conſequutio, Deus omnia efficit, ergo peccata etiam facit. Nam peccati XXVI.
nomen non niſi vitioſæ qualitati conuenit, quæ tota eſt in agente inſtrumento.

Ratione autem vitioſæ huius qualitatis, opus, quod per ſe vnicũ eſt, duplex fit quo- XXVII.
dammodo ac geminum, adeò quidem vt vnum alteri, id eſt iuſtum Dei opus, iniuſto
hominis operi ex diametro aduerſetur.

Agit tamen Deus alitet per bona inſtrumenta, quàm per mala. Nam prætetquam XXVIII.
quòd agit per bona inſtrumenta ſuum opus, bona etiam inſtrumenta ſuum opus agunt
ea vi & efficacia quã Dominus illis ſuggerit: Dominus denique per illa ſuum opus agit,
in illis etiam operatur velle & perficere. Per malos autem veluti per Satanam, aut ho-
mines, quatenus regenerati non ſunt, quoties iuſta ſuæ voluntatis æternæ cooſilia ac
decreta Dominus exequitur, ſuam quidem vim & efficaciam io opere ſoo per illos, vel
neſcientes, vel inuitos exerit: ſed tamen quatenus ipſi ſuum opus agunt, Dominus in
iis minimè operatur, ſed Satanæ laxat habenas, quibus etiam impios mouendos & ex-
citandos iuſto ſuo iudicio tradit, vt ſuo & illius aibitrato ferantur.

Itaque permiſsionis ſiue cooceſſionis nomen non repudiamus, oeque voquam no- XXIX.
bis io mentem venit vt Deum diceremus agere in malis ita vt in bonis. Sed quo-
oiam voluntatis ac permiſſionis diſcrimen, quod Auguſtinus ex Græcis proculdu-
bio ſumpſit, Sophiſtæ ex Auguſtino hauſtum deprauaruot, idcirco nos illud planè
repudiamus.

Nam Sophiſtæ voluntatem opponuot permiſſioni: ex quo conſequitur Deum vel XXX.
inuitum, vel certè otioſum, & nihil ea corantem, permittere quæ permittit. Nos verò
contrà, ne vel Deo infinitam & immeoſam poteſtatem eripiamus, vel cum Epicureis
ſentiamus, dicimus quod res eſt, Deum nihil niſi voleotem vel agere per inſtrumenta,

vel permittere inſtrumentis vt agant, ita tamen vt iuſtiſſimè agat quicquid agit, & iuſtiſſimè permittat quod permittit.

XXXI. Agit autem ſui operis reſpectu: permittit verò eius operis reſpectu quod mala ipſa inſtrumenta ſponte peragunt, ſiue quatenus actiua ſunt, non paſſiua inſtrumenta, vt vſitata in ſcholis verba retineamus. Iuſtè tamen permittit quod iſta iniuſtè agunt, quoniam peccata, quatenus à Deo volente permittuntur, peccata non ſunt, ſed peccatorũ pœnæ. Iuſtum enim eſt coram Deo, peccata etiam peccatis vlciſci. Sed iſtæ eædem actiones, quatenus à Satana & malis per Satanam & propriam concupiſcentiam ſolicitatis proficiſcuntur, hactenus demum peccata ſunt, quæ Dominus iuſtè ſuo tempore vlciſcitur. Nunquam enim Dominus peccata, quatenus peccata ſunt, permittit, imò ſemper prohibet ac vetat.

XXXII. Nec conſequutio iſta valet, Deus omnia vult, ergo omnia probat. Multa enim vult, ideóque permittit, non quòd ea probet ſimpliciter, ſed κατά τι. Nam illa probat quatenus permittit, quoniam hactenus peccata non ſunt, vt modò diximus: improbat verò & vlciſcitur, quatenus vitioſa inſtrumenta reſpicit, quorum ſunt actiones.

XXXIII. Verba hæc ſunt Auguſtini, Enchiridio ad Laurentium, capite 100: » Magna opera Domini, exquiſita in omnes voluntates eius, vt miro & ineffabili modo non fiat præ» ter eius voluntatem quod fit contra eius voluntatem: quia non fieret ſi non fineret: nec » vtique nolens ſinit, ſed volens. Idem libro 5. contra Iulianum capite 3. vbi ex profeſſo diſputauit aduerſus eos qui otioſam præſcientiam aut permiſſionem ſtatuunt, tandem » in hæc verba erumpit, NOS certè (inquit) ſi eos in quos nobis eſt poteſtas, ante oculos » noſtros perpetrare ſcelera permittamus, rei cum ipſis erimus. Quàm verò innumera» bilia ille permittit fieri ante oculos ſuos, quæ vtique ſi noluiſſet, nulla ratione permit» teret? & tamen iuſtus & bonus eſt.

Cal. Inſtit. li. 1. ca. 18, ſect. 3.

XXXIIII. Teſtatur vniuerſa Scriptura, & communis ipſe ſenſus dictat, ſine voluntate Dei nihil fieri, ne eorum quidem quæ maximè fortuita videntur: vt Gen. 27. 20, dicitur Deus prædam ſtatim tradidiſſe in manus Iacobo. Et Exod. 21. 13, quoties ex improuiſo committitur homicidium, Dominus, inquit Moſes, fecit vt in manus tuas incideret. Idem traditur de ſortium exitu, Prouerb. 16. 33. de omnibus hominum conſiliis, Danielis 4. 32: de paſſerculorum caſu, Matthæi 10. 29: denique de rebus omnibus ſine exceptione, Epheſ. 1. 11.

XXXV. Dei verò voluntatem, & eam quidem efficaciſſimam, tum quoque interuenire quum per malos agit, ex ſingulis penè Scripturæ paginis liquidò apparet. Sic Ioſephum dicitur ipſe miſiſſe in Ægyptum, Geneſ. 45. 8. Sic Pharaonem excitauit vt in eo patefaceret ſuam potentiam, Exod. 4. 21. Sic tradit Dauidis vxores filio ipſius Abſalomo, 2 Sam. 12. 11. Sic incitat cor Dauidis ad numerandum populum, 2. Sam. 24. 1. Sic præcipit Semeo vt Dauidi maledicat, 2. Sam. 16. 10. Sic aduerſarios ſuos Dauid appellat gladium & manum Domini, Pſal. 17. 13. 14. Sic Medos & Perſas vocat ſanctificatos ſuos Dominus, & inſtrumenta iræ ſuæ, Iſa. 10. 5, & 13. 6. Sic defectionem decem tribuum vocat opus ſuum, 2. Paralipomenon. 11. 4. Sic inquit Iobus, Dominus dedit, Dominus abſtulit, Iob. 1. 21. Sic Babyloniorum rex ſecuri & ſerræ comparatur, quoniam videlicet per illum nihil tale cogitantem Dominus ſuum opus exequitur, Iſaiæ 10. 15. Sic affliguntur pij ex Dei voluntate ac prædeſtinatione, Rom. 8. 29. & 1. Pet. 3. 17. & 4. 19. Sic non eſt malum in vrbe quod Deus non fecerit, Amos 3. 6. & Ieremias Threnorum 3. 37. 38. Quis eſt, inquit, iſte qui dixit & factum eſt, & Deus non præcepit? Ergo ex ore Domini non egredientur mala & bona?

XXXVI. Agè verò, pro exemplo deligatur opus omniũ præſtantiſſimũ ſimul & ſceleratiſſimũ: præſtantiſſimũ quidẽ, ſi vel Patris infinitã tum iuſtitiam tum miſericordiã, vel Filij infinitam obedientiam ac charitatem ſpectemus: ſceleratiſſimum verò, ſi inſtrumenta ipſa, putà Satanam, Iudam, Iudæos, Pilatum, Herodem, conſideremus. Opus autem hoc eſt mors illa Filij Dei, crudelitatis & ignominiæ plena. In hoc facto ſi negemus æternum Dei conſilium interueniſſe, conuincemur infinitis Scripturæ teſtimoniis. Certum enim eſt nos in eo non niſi morituro, electos ante iacta mundi fundamenta, Epheſ. 1. 4, & 1. Petr. 1. 20: quamobrem etiam dicitur occiſus Agnus ab origine mundi, Apoc. 13. 8. nempe non tantùm ex præſcientia, ſed in primis ex definito Dei conſilio: adeò quidẽ vt Herodes & Pilatus, quamuis nihil tale cogitantes, tamen ideo conuenerint, vt exequerentur quæ manus Domini & conſilium definierat vt fierent, Act. 4. 28. Ideo non

potui

potuit niſi hora ſua capi, Iohan.7.30, & 8.29, & 12.27. Traditus enim eſt definito Dei conſilio & præeunte decreto, Act.2.23: & à Deo vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, Iſa.53.5. Deus enim is eſt qui Filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum, Roman.8.32. Itaque ſi vel hoc vnum extaret exemplum æternæ & minimè vnquam otioſæ Dei prouidentiæ, abundè ſanè ſufficeret omnibus iis conuincendis qui falſò clamitant Deum à nobis fieri peccati authorem, quum dicimus nihil niſi iuſta Dei voluntate fieri.

Neque enim propterea excuſamus, ſed potius vehementiſſimè accuſamus Satanam XXXVII.
agentem in filiis contumacibus (Epheſ.2.2.) tum quoque quum Dominus & per Satanam ipſum, & per Satanæ mancipia (2.Timoth.2.26.) opus ſuum efficaciſſimè & iuſtiſſimè peragit. Dei igitur bonitatem & iudicia vbique agnoſcimus & veneramur, etiam ſi ſæpe nobis non conſtet eorum ratio. Damnamus autem & ipſa inſtrumenta quæ mala ſunt, & ipſorum prauas ac ſceleratas actiones, putà Satanæ cõſilia & technas omnes: fratrum Ioſephi inuidiã & fratricidium: Pharaonis impietatem ac duritiem: Abſalomi particidioſum animum & execrandum inceſtum: Dauidis quoque ipſius incogitantiã: Semei improbitatem: aduerſariorũ Dauidis malitiam, & perfidiam: Ieroboami & decẽ tribuum ſacrilegam defectionem: Chaldæorum rapacitatem: Babyloniorum inexplebilem auaritiam, libidinem incredibilem, arrogantiam intolerabilem: omnium denique impiorum aduerſus Eccleſiam nefaria conſilia, & immaniſſimam crudelitatem.

Deum quoque peccatis vlciſci peccata, idque minimè otioſa, ſed verè efficaci & ἐνεργουμένῃ, XXXVIII.
ac nihilominus iuſtiſſima permiſſione, ex plurimis ac maximè perſpicuis Scripturæ teſtimoniis conſtat. Is enim eſt qui dat reges in ira ſua, Nehem.9.37, & Iob.34.30. Is eſt qui errare facit, Iſaiæ 63.17: quoniam miſcet ſpiritum erroris, Iſaiæ 19.14. Is eſt qui corda indurat, & vertit, qui oculos excæcat, qui vino vertiginis inebriat, Exod.4.21: & 7.3: & 9.12: & 10.1. & 11.10: & 14.4. Deut.2.29. Ioſ.11.20. & 1.Sam.2.25. & 2.Paral.22.7. Pſal.105.25. Is eſt qui ſui contemptũ vlciſcitur, tradens in reprobũ ſenſum, Rom.1.28: & mittens erroris efficaciam vt credatur mẽdacio, 2.Theſ.2.11. Is eſt qui Prophetas ſeducit, Ezech.14.9. Is eſt denique qui ſpiritus etiam malos immittit, addito nocẽdi præcepto, datáque adeò ad fallendum efficacitate, vt 1.Reg.22.22.23. & 2.Paralipom.18.21.22. Iob 1.12, & 2.6. Ite nunc, & ad rauim vſque, ſi libet, declamate nos Deum facere peccati authorem.

Sed agè, audiamus tamen quàm validis argumentis nos oppugnes.

I. ARGVMENT. CASTELLIONIS AD III. CALVMNIAM.

Contra *tertium de differentia voluntatis & permiſſionis hoc dicunt. Caluinus dicit ſe eſſe Prophetam Dei, & nos dicimus Caluinum eſſe Prophetam diaboli. Atqui neceſſe eſt vt alteri falſum dicant. Nam ſi eſt Propheta Dei, nos mentimur: ſin eſt propheta diaboli, ipſe mentitur, qui dicat ſe eſſe Prophetam Dei. Quod ſi ſit vtrunque volente Deo, hoc eſt, ſi vult Deus vt Caluinus dicat ſe eſſe Prophetam Dei, & nos dicamus eum eſſe prophetam diaboli, pugnantia vult: id quod eſt impoſſibile. Nam ſi Deus vult mendacium, non vult veritatem: aut ſi vult veritatem, non vult mendacium. Ex quo conſequitur, vt ſi vult vt alteri verum dicant, nolit vt alteri mentiantur. Atqui omnino alteri mentiuntur: ergo permittente, non volente Deo mentiuntur. Eſt ergo differentia etiam in Deo, inter permiſſionem & voluntatem.*

REFVTATIO.

Tuum argumentum eſt eiuſmodi: Deus contraria velle non poteſt: Mendacium & Veritas contraria ſunt: Vtrunque igitur velle non poteſt. ſed mendacium quidem permittit, veritatem autem vult: eſt ergo differentia inter voluntatem & permiſſionem. Audi nunc quid reſpondeam. Dico manifeſtum eſſe paralogiſmum in nomine Voluntatis. Interdum enim voluntas de iis tantùm rebus dicitur quas ſimpliciter & in ſeſe approbamus: interdum latius patet, & ad ea quoque pertinet quæ vt in ſeſe minimè probemus, propter alia tamen amplectimur, adeò quidem vt illa etiam ſuadeamus, &, ſi ita opus eſt, pro virili exequamur. cuius rei hoc exemplum eſto. Nemo eſt, niſi prorſus ſanguinarius, cui bellum ſimpliciter placeat, quum innumera ſecum mala trahat. Erit tamen is princeps patriæ hoſtis, qui, quoties alia ratione ſuos tueri non poterit, legitimum bellum non malet gerere, quàm ſuos permittere hoſtium libidini. Bonus igi-

tur & humanus princeps bellum ſimpliciter non vult, ſi bellum ipſum in ſeſe ſpectes:
vult tamen bellum iuſtis de cauſis: nec permittit illud ſuis, vt otioſus: ſed vltrò & vo-
lens, etiam cum vitæ ſuæ periculo, adminiſtrat. Magiſtratum verò quis putet, niſi prot-
ſus immanem, cuiuſquam ciuis dolore, nedum cæde delectari? Idem tamen, dolens li-
cet, & cædem ipſam minimè comprobans, quatenus cædes eſt, in facinoroſum ciuem
minimè certè otioſus aut inuitus, ſed ſummo ſtudio ac voluntate inquiret, & conui-
ctum tradet in carnificis manus, addito etiam mandato, vt hoc vel illo ſupplicio illum
afficiat. Atqui bellum & pax, ſeruare & interficere, contraria ſunt: quis tamen tam ine-
ptus eſt vt propterea neget vno & eodem tempore principē vtraque velle? Cedò verò
quánam ratione? dices: nempe quia bellum paci non aduerſatur, quatenus illud vult
princeps, imò paci ſubſeruit: nec interficere ciuem repugnat ciuium ſaluti quatenus
bonus princeps malum ciuem interficit, quum hunc iure interficiat vt bonos conſer-
uet. Vides igitur tandem, optimè inter ſe conſentire quæ tu pugnantia vocas? Quòd ſi
cogeris hoc diſcrimen in ipſis hominum actionibus agnoſcere, tu qui ex communi ſen-
ſu non dubitas omnia Dei opera metiri, tuam regulam hîc valere non patieris? Sed hęc,
agè, ad ipſius Diuini verbi præſcriptum & amuſſim exigamus. Quod inquit Dauid,
Pſal. 5. Non Deus volens iniquitatem tu es, perpetuò verum eſſe confitemur, & eum qui ſe-
cus ſentiat, pro impio & blaſphemo habemus. Sed quod tu colligis, nos nimirum, quum
ſine vlla exceptione dicimus nihil cogitari, dici, fieri, in quo Dei voluntas non interce-
dat, id etiam velle, Deum eſſe authorem omnium ſcelerum & flagitiorum: hoc verò ni-
hil aliud eſſe dicimus quàm calumniam nimis manifeſtam. Affirmamus enim boni &
mali diſcrimen cadere in Deum non poſſe, etiamſi, quatenus Deus eſt, ſuo peculiari &
proprio modo omnium ac ſingularum rerum cauſa eſt. Nam omnia, quatenus Dei a-
Epheſ. 1. 11 gentis decreto & voluntate fiunt (vt ait Apoſtolus) ſiue per bona, ſiue per mala inſtru-
menta opus ſuum exequatur, ſemper iuſta, bona, & ſancta ſunt: quatenus autem agunt
inſtrumenta, interdum bonæ ſunt eorum actiones, ac proinde Deo gratæ: interdum ve-
rò malæ, ac proinde Deo ingratæ, & iuſto ipſius iudicio obnoxiæ. Nam etſi omnia vult
& facit Deus quæ fiunt, non tamen omnia ita vult aut ita facit vt ipſa inſtrumenta vo-
lunt aut faciunt: eſt autem in ipſis inſtrumentis vitium, non in Deo. Sed videndum
nunc eſt quænam inſtrumentorum opera bona, quæ item mala ſint. Id verò vt commo-
dè explicetur, voluntatem Dei dicimus duplici modo vſurpari. Nam interdum ea dun-
taxat complectitur quæ Dominus ſimpliciter approbat, quoniam videlicet per ſe bo-
na eſt eorum qualitas: veluti quum dicit Dauid, Doce me facere voluntatem tuam: &
quum rogamus Patrem vt fiat eius voluntas in terra ſicut in cælo, id eſt, vt tota noſtra
vita ſit ad eius voluntatem accommodata. In his, inquam, locis & aliis innumerabili-
bus voluntas Dei nihil aliud declarat quàm quod Dominus ſibi gratum ac iucundum
eſſe in Verbo ſuo nobis patefecit: neque verò nos dicimus Satanam vel homines, qua-
tenus malè agunt, facere Dei voluntatem, ſed potius reſiſtere Dei voluntati, ac proin-
de iuſtas tandem ſcelerum ſuorum pœnas dare. Ac proinde mala eſſe definimus, quo-
rum ea eſt qualitas vt in ſeſe diſpliceant Deo: bona verò contrà, quæ Deus in ſeſe &
ſimpliciter probat. Sed interdum voluntas Dei complectitur etiam illa quæ ſimplici-
ter quidem non approbat, imò verò reiicit & vlciſcitur, quæ tamen ab eo decernun-
tur, & ei κατά τι, certóque reſpectu placent: quod tu quum non intelligas, ſtultè repre-
hendis. Quid enim? grauiſſimè illos peccare inficiaberis qui Eccleſiam affligunt? At-
1. Pet. 3. 17. & 4. 19 qui voluntate Dei affligi ſanctos ſi fortè tu negabis, ipſe te Petrus duobus locis refellet:
" Præſtat, inquit, vos bene agendo, ſi ita vult Dei voluntas, malis affici, quàm malè agen-
" do. Idem in eadem epiſtola, Qui, inquit, malis afficiuntur ex Dei voluntate, vt apud fi-
" delem conditorem animas ſuas deponant benefaciendo. Audis nomen θελήματος?
Rom. 8. 29 " Quid autem Paulus vbi hoc ipſum argumentum tractat? Quos, inquit, præcogno-
" uit, eos prædeſtinauit fieri conformes imagini Filij ſui. Iam ergo intelligimus præ-
deſtinationem ac voluntatem Dei interuenire in ſanctorum afflictionibus. Alibi au-
Act. 2. 23 tem Petrus de Chriſti cruce diſſerens (quem locum ſæpe iam citauimus) meminit
Act. 4. 28 ὡρισμένης βουλῆς καὶ προγνώσεως τοῦ θεοῦ. & alibi tota Eccleſia Hieroſolymitana ma-
num & conſilium Dei commemorat. Deus verò num iniquitatem iſtorum ap-
probat qui Eccleſiam perſequuntur? Minimè profectò: ſed impij quidem Eccle-
ſiam perſequuntur, & tandem meritas pœnas luunt: Deus verò eo ipſo quod in ho-
ſtibus ſuis iure vlciſcitur, Eccleſiam ſuam explorat, & quotidie perficit: & hoc
reſpe-

reſpectû non minus interuenir in iſtis actionibus volunras, conſilium, decretū ſtarum
ac definitum, actio denique ipſa Dei iuſtiſſimi & ſapientiſſimi, quàm quum ad res per
ſe optimas ac præſtantiſſimas ſelectis & ſanctis organis vtitur. Ac certè ſi hæc nobis cō-
ſolatio eripitur, vti profectò eripitur ſi tibi credimus, neſcio quam orioſam permiſſio-
nem extra Dei voluntatem ac decrerum in iſtiuſmodi rebus ſomniāri, qua tandem ra
tione firmi ac conſtantes permanebimus? Neque enim dicit omnia, qui exiſtimar e-
uentum duntaxat & exirum omnium iſtiuſmodi rerū à Deo gubernari. Sed hoc in pri-
mis perſuaſum eſſe debet, ne tantillum quidem aduerſum nos moliri poſſe Satanā, aut
Satanæ inſtrumenta, quod non abæterno bonus ille noſter Parens commodo noſtro
decreuerit, ac propoſuerit, vt plena ac ſolida ſit noſtra conſolatio.

At tu fortaſſis in hac ſpecie mali qua pii affliguntur, Petrum, Paulum, cæteróſque
ſacros ſcriptores negabis, quum de voluntate, conſilio, decreto, manu Dei meminerūt,
eos reſpicere qui hæc mala infligant Eccleſiæ, ſed illos porius qui hæc perperiuntur.
Atqui ſi hanc obiectionem diluero, vereorne quis exiſtimet vobis à me fieri iniuriā,
qui tam ineptas quæſtiones à vobis proponi poſſe exiſtimem. Soluam tamen hunc etiā
nodum, quoniam nihil tam per ſe planum, & ſine vlla difficulrate eſſe video, quod non
à vobis cupidè arripiarur, vt & vos ipſos & alios implicetis. Primùm omniū hæc ira in-
ter ſe mutua relatione cohærent, actio videlicet eorū qui ſanctos perſequuntur, & San
ctorum ab illis afflictorum perpeſſio, vt qui hanc dicat Deum velle, illam verò tantùm
permittere, cōmunis etiam ſenſus expers meritò videri poſſit. Sed ne videar rationibus
ex communi ſenſu duntaxat petitis tecum certare, (quam tamē certaminis legē vide-
ris ipſe nobis præſcripſiſſe) agē, Dei ipſius Spiritum loquentem audiamus, cuius authori-
tatem vtinam tandem aliquando poſſis inanibus & futilibus tuis commētis anteferre.
Iobus à Domino nullum ob ſuum peccatum, ſed tum ipſius, tum etiā noſtri pulcherri-
mo exemplo confirmandi cauſa traditus Satanæ in manū, Dominus, inquit, dedit, Do Iob. 1. 21.
minus abſtulit. Quid tu hic reſpōdeas? Num auferendi verbū ipſi Iobo cui res eripitur,
an verò ei porius cōuenit qui rem eripit? Neque tamen Iobus vel clamitat ſibi fieri in-
iuriam, vel larrones excuſat, ſed iuſtam Dei voluntatem tum in dādo, tum in auferen-
do, agnoſcit & adorat: Dei, inquam, voluntatem agnoſcit. Quis enim non videat Iobū
auferendi, ſicut etiam dandi verbo, non modò voluntatem & conſilium dandi & auſe
rendi, ſed etiam dationem ac ablationem ſignificaſſe? Vtitur enim Dominus, & in dā-
do, & in auferendo, quibuſcunque libuit inſtrumentis, idque minimè coactus, ſed vo-
lens. Itaque Dauid in ſimili argumento, ſicut ſuprà expoſuimus, aduerſarios ſuos quan- Pſal. 17. 13. 14.
tumuis ſceleratos, tamen Dei gladium & manum vocat. Et tu porrò negabis Dei, non
dico conſilium duntaxat aut voluntatem, ſed energiam quoque & manum interueni-
re in Sanctorum afflictionibus, etiam ipſorum perſequutorum reſpectu? Saltem audi
quid Paulus de acerbiſſima Filii Dei morte dicat: Non pepercit, inquit, Filio ſuo, ſed Rom. 8. 32.
pro nobis omnibus illum tradidit. Et tu nullum hic decretum, nullam Dei optimi ac
benigniſſimi noſtri parentis voluntatem agnoſces?

Veniamus nunc porrò ad eam malorum ſpeciem quibus Sanctos ſuos Dominus, li-
cet ſceleratorū manibus & opera vtens, iuſtè tamē caſtigat: & hic quoque Dei cōſiliū,
decretū, voluntatē, actionē denique interuenire demōſtremus. Quæ tandē ſæuitię, cru
delitatis, impietatis exempla Hieroſolymis & in tota Iudæa non ediderunt Chaldæi?
Quis ille eſt qui manū ſuam exeruit, qui percuſſit Iudam, qui vexillo prolato Gentes ad Iſa. 5. 26. & 7. 18. & 10. 5.
arma conuocauit, qui ſibilo excitauit remotiſſimos populos, qui maximas & violentiſſi-
mas aquas in Iudam inuexit? Audiamus reſpondentem Dominum ipſum apud Iſaiā, » Iſa. 8. 7.
O Aſſur virga furoris mei, & baculus in manu ipſorum in ira mea! Ad gentem ſimula- »
tricem mittam eum, & contra populum indignationis meæ præcipiam ei vt prædetur »
prædā, vt rapiat ſpolia, & ponat eum in conculcationem vt lutum platearum. Quid » Ier. 25. 9.
verò Dominus apud Ieremiam? Mittam, inquit, & aſſumā omnes nationes Aquilonis, »
& Nebuchadnezar ſeruum meum Regem Babylonis, & introducam eos ſuper terram »
iſtam, contra eius incolas, & contra omnes iſtas gentes per circuitum: & depopulabor »
eos. Apud Ezechielem verò, Væ ciuitati ſanguinum, inquit: etiam ego augebo incen- » Ezech. 24. 9. 10. 11.
diū, multiplicabo incendium, ſuccendendo ignem, concoquendo carnem, inſpergēdo »
pigmenta, vt & oſſa ipſa exurantur. Quid amplius? Sic dicit Dominus Deus, Ecce ego » Ezech. 24. 21.
prophano Sanctuarium meum, magnificentiam fortitudinis veſtræ, deſiderium oculo- »
rum veſtrorū, & miſerationē animæ veſtræ. Quæſo verò, nihilne agit, ſed deſerit dun- »

taxat,aut otioſus aliquid fieri ſinit,aut exitum rerum duntaxat moderatur, qui hoſtes i-
pſe concitat,conſcribit copias,ducit exercitum,& in ipſam vrbem introducit,præcipit
vt nulli parcatur,ignem accendit, & omnibus modis fouet, Templum denique ipſum
omnium auaritiæ & libidini proſtituit? Si hoc opus eſſe Dei negas,opus,inquam,Dei
non otioſè ſpectantis,ſed efficaciter hoc ipſum per Nebuchadnezarem agentis ,credã
tamen ipſi Domino potius quàm tibi.Sic enim Dominus de hac eadem re,id eſt, de vr
Iſa.10 12. » bis vaſtatione diſſerens : Poſtquam , inquit, Dominus perfecerit totum opus ſuum in
» monte Sion & Ieruſalem , viſitabo ſuper fructum elationis cordis regiſq; Aſſur. Itaque
quorſum ad permiſſionis illius inanis & otioſæ aſylum confugis? Nã certè perinde hoc
eſt,acſi Deum otioſum ac nolentem diceres operari:niſi forte audes ipſos Prophetas,i-
mò verò Dominum ipſum blaſphemiæ vel certè impudentiæ accuſare.Quid verò,quũ
2.Sa.16 10 » Dauid inceſſeretur maledictis à Semeo? Sic(inquit Dauid)mihi maledicit, quoniam
1.Reg.12.15. Dominus iuſſit eum Dauidi maledicere. Item,quum decem Tribus non tantùm à Ro
2.Par.10.15. boamo,ſed etiam ab ipſo Domino defeciſſent,cuius defectionis poſtea grauiſſimas pœ
nas dederunt,nónne teſtatur diſertè Scriptura factum fuiſſe à Domino vt Rex populo
non auſcultaret?Certè nihil hîc affingo,quum Spiritus ſanctus in eius hiſtoriæ narra-
tione vtatur vocabulis, סבה & נסבה, quibus non video quid dici poſſit ἐνεργητικώτερον:
1.Reg.12.24. quamobrem etiam Dominus ipſe de hac defectione agens,& Roboami exercitum cõ-
2.Par.11.4. » pellans per Semahiam Prophetam,Ne aſcendite,inquit,neque pugnate contra fratres
» veſtros filios Iſrael . reuertimini quiſq; domum ſuam:hæc enim res à me facta eſt.Sed
& quum Dauidis adulterium ſimilis atque adeò maioris ſceleris pœna, putà inceſtu,ſe
2.Sa.12.11. » ſe vlturum minaretur Dominus,agè,quibus vtitur verbis? Accipiã, inquit, vxores tuas
» te vidente,& dabo eas amiciſſimo tuo,qui dormiet cum vxoribus tuis in conſpectu ſolis
huius.Ecce ipſa Domini verba,bone vir.I nunc igitur,& Deum ipſum blaſphemiæ ac
cuſa. Quidni enim hoc audeas, quum ipſius ſeruos hæc eadem affirmantes, audeas
(ferreum os & impudens) vt impios & blaſphemos reprehendere? Sed hæc,inquies,a-
liqua indigent interpretatione. De hoc verò poſtea viderimus.

Nunc ad tertiam malorum ſpeciẽ veniamus,per quæ videlicet Dominus malos vel
per bonos vlciſcitur,vel inter ſe committit,vt quemadmodum malleus incudem,ita vi-
ciſſim alii alios atterant & conficiant.Hîc verò nos affirmamus non inanẽ illam & cõ
mentitiam permiſſionem,aut deſertionem,quã vos ſomniatis,ſed Dei conſiliũ, decre-
tum,voluntatem,actionem denique verè interuenire,eámque iuſtiſſimam ac ſanctiſſi
mam,tum quoque quum mala inſtrumenta malè agunt quod Deus iuſtiſſimè tum illis
concedit,tum per illa exequitur. Quid ergo? An bonos inficiaberis à Deo incitari in
malorum perniciem? Minimè opinor. De malis verò inter ſe commiſſis tum quoque
Iſa.13 3. quũ alii alios iniuria afficiunt,quid ſit exiſtimandũ,apparet vel ex illo Iſaiæ loco in quo
Dominus Perſas & Medos quos aduerſus Babylonios erat concitaturus, vocat Sancti-
Ioſ.11.20. » ficatos ſuos, & iræ ſuæ inſtrumenta. Sed & alibi vbi de iis regibus agitur qui ſeſe Ioſuæ
» oppoſuerant, Hoc fuit à Domino (inquit Spiritus ſanctus)qui obfirmarat cor illorũ vt
» bello reſiſterent Iſraeli,vtque illi eos internecioni darent,nec vlla eis miſericordia ex-
» hiberetur,ſed excinderentur,ſicut præceperat Dominus Moſi.Sed de induratione vi-
debimus ſuo loco. Nunc reſpõde quid ſit decipere pſeudoprophetam.Scio quid ſis re-
ſponſus,nempe quod ſoles de deſertione garrire : qua de re audiamus, ſi libet, Augu-
Lib. 5. contra Iulian. cap. 3. ſtini verba aduerſus Iulianũ quendã diſſerentis,& veſtrã illam ſeparationem permiſſio-
» nis à voluntate diſertè refellentis. QVID eſt(inquit Auguſtinus Iuliano)quod dicis,
» Quum deſideriis ſuis traditi dicuntur, relicti per Diuinam patiẽtiam intelligendi ſunt,
» non per potentiam in peccata cõpulſi? Quaſi non ſimul poſuerit hæc duo idem Apo-
Rom 9.22. » ſtolus,& patientiam & potentiam,vbi ait, Si autem volens Deus oſtẽdere iram,& de-
» monſtrare potentiam ſuam,tulit in multa patientia vaſa iræ quæ perfecta ſunt ad per-
Ezec.14.9. » ditionem.Quid horum tamen eſſe dicis quod ſcriptum eſt,Et Propheta ſi errauerit, &
» loquutus fuerit,ego Dominus ſeduxi Prophetam illũ:patientia eſt an potentia? Quod-
» libet eligas,vel vtrumque fatearis,vides tamen falſa prophetantis peccatum eſſe,& pœ
» nam peccati. An & hîc dicturus es,quod ait Dominus,Ego ſeduxi Prophetam illum,
» intelligendũ eſſe,Deſerui,vt pro eius meritis ſeductus erraret? Age vt vis,tamẽ eo modo
1.Reg. 22. » punitus eſt pro peccato,vt falſum prophetando peccaret. Sed illud intuere quod vidit
19.20.21.22 » Michæas Propheta, Dominũ ſedẽtem ſuper thronum ſuum,& omnis exercitus ſtabat

circa

circa eum à dextris eius & à ſiniſtris eius. Et dixit Dominus, Quis ſeducet Achab Regẽ »
Iſrael, & aſcẽdet, & cadet in Ramoth-Galaad? Et dixit iſte ſic, & iſte ſic. & exiit ſpiritus »
in conſpectu Domini, & dixit, Ego ſeducã eũ. Et dixit Dominus ad eũ, In quo? Et dixit, »
Exibo, & ero ſpiritus mẽdax in ore omnium prophetarũ eius. Et dixit, Seduces, & præ- »
ualebis, exi, & fac ſic. Quid ad iſta dicturus es? Nempe rex ipſe peccauit, falſis credendo »
prophetis. At hæc ipſa erat etiam pœna peccati, Deo iudicante, Deo mittente angelũ »
malum, vt apertius intelligeremus quomodo in Pſalmo dictum ſit, miſiſſe iram indi- Pſal. 78. 46.
gnationis ſuæ per angelos malos. Sed nunquid errando, nunquid iniuſtè quicquã vel »
temere iudicando, ſiue faciendo? Abſit. Sed non fruſtrà illi dictum eſt, Iudicia tua ſicut »
abyſſus multa. Non fruſtrà exclamat Apoſtolus, O Altitudo! Idem Auguſtinus eodem » Pſal. 149 81
loco, Quis ita, inquit, deſipiat, vt quum audierit quod in Pſalmo canitur, Ne tradas me »
Domine deſiderio meo peccatori: hoc dicat oraſſe hominem, ne Deus ſit patiens erga »
illum, ſi Deus non tradit vt mala fiant, niſi patientem bonitatem præbendo quum fiũt? »
Quid eſt autem quod quotidie dicimus, Ne nos inferas in tentationem, niſi vt non tra » Matth. 6. 13
damur concupiſcentiis noſtris? Vnuſquiſque enim tentatur à cõcupiſcentia ſua abſtra- » Iaco. 1. 14.
ctus & illectus. An fortè hoc petimus à Deo, vt nõ ſit erga nos patiens eius bonitas? Nõ »
ergo eius inuocamus miſericordiam, ſed potius iracundiã prouocamus. Quis iſta ſapiat »
ſanus, imò quis vel furioſus hoc dicat? Tradit ergo Deus in paſſiones ignominiæ, vt fiãt »
quæ non cõueniunt: ſed ipſe conuenienter tradit, & fiunt eadẽ peccata, & peccatorum »
ſupplicia præteritorum, & ſuppliciorum merita futurorũ. Sicut tradidit Achab in pſeu- » 3. Reg. 22. 22.
doprophetarum mendacium, ſicut tradidit Roboamum in falſum conſilium. Facit hæc » 3. Reg. 12. 14.
miris & ineffabilibus modis qui nouit iuſta ſua iudicia non ſolùm in corporibus homi- »
num, ſed & in ipſis cordibus operari. qui non facit voluntates malas, ſed vtitur eis vt vo »
luerit, quum aliquid iniquè velle non poſſit. Hæc Auguſtinus aduerſus veſtrum erro-
rem. Sed agè, vela tandem colligamus. Ex his igitur quæ à nobis ſunt tam multis verbis expoſita, tótque Scripturarum teſtimoniis confirmata, ſatis liquere dicimus, Voluntatis nomen ad ea etiam pertinere quæ licet vel ſuapte natura, vel propter malam inſtrumentorum voluntatem mala ſint, tamen certo reſpectu bona ſunt, quatenus videlicet Deus per illa bonos explorat vel caſtigat, & malos vlciſcitur. Itaque Deus ſibi contrarius non eſt, quoties vnum & idem opus vult & non vult, quum hoc diuerſo reſpectu fiat, neque pugnantia vult quoties videtur velle contraria: quoniam fieri poteſt vt quæ ſuapte natura inter ſe repugnant, certo tamẽ reſpectu inter ſe conſentiant. Idq́ue etiam libet in eadem illa hypotheſi tibi explicare quam ipſe nobis propoſuiſti. Fidelem & verum eſſe Dei Prophetam Caluinum apparet ex omnibus argumentis quibus hominum probitas poteſt hominibus approbari. Vult ergo Dominus, & gratum illi eſt Caluinum haberi qualis eſt, nempe pro eximio Eccleſiæ organo: & qui viro bono detrahunt, vt vos facitis, non dubium eſt quin opus faciant Deo ingratũ. Dixit enim; Qui vos recipit, me recipit: & qui vos ſpernit, me ſpernit. Quoniam tamen Chriſtus põſitus etiam eſt in ruinam multorum, qui proinde magis diligunt tenebras quàm lucem; ac propterea digni ſunt qui pereant, idcirco Dominus mundo iratus te pſeudoprophetam & alios tui ſimiles paſſim excitauit, quibus dedit efficaciam erroris vt ii per vos credant mendacio qui veritatem repudiarunt. Itaque ſicut olim Semeo, ita & nunc præcepit vobis vt hominem de Eccleſia Dei optimè meritum allatrare & mordere non deſinatis. Neque tamen vos, quantum in vobis eſt, Dei voluntati obſequimini, ſed Deo potius & veſtræ conſcientiæ reluctantes, integerrimum Dei ſeruum improbiſſimè calumniamini. Hactenus enim agitis veſtrum & illius ſpiritus opus qui vos iampridem totos poſſidet. At Deus nihilominus per veſtros iſtos latratus iuſtiſſimum opus exequitur, & quod à vobis fit improbiſſimè, quodq́ue minimè omnium vult aut approbat, quatenus à vobis manat, hoc ipſum iuſtiſſimè vult & approbat, contrario penitus reſpectu: quatenus ipſe videlicet hac ratione Eccleſiam ſuam explorat, & quotidie magis ac magis ſeruum ſuum, vel colaphis cædendo in modeſtia & humilitate continet: vel ad perſeuerantiam confirmat: mundum ingratum vlciſcitur, te denique cum tuis ad iuſtum ſuum iudicium adducit, niſi fortè tandem reſipiſcere malitis. Quòd ſi iſta compares cum eo quod diximus Deo per ſe gratum eſſe, nempe, vt qualis eſt ipſius ſeruus talis à bonis habeatur, comperies iſta inter ſe non magis pugnare, quàm quum vult ac iubet Dominus vno & eodem tempore Auſtrum nubes cogere quas diſſipet Aquilo, aut rupẽ in mari contrariis ventis infeſtari. Ecce igitur tibi,

vir amiciſſime, quod iis reſpondeas à quibus futile iſtud argumentum deſumpſiſti. Nūc ad alia pergamus.

II. ARGVMENT. CASTELL. AD III. CALVMNIAM.

Ezech. 20. ADDVCVNT *etiam perſpicua exempla multa de diſcrimine permiſſionis & voluntatis: nominatim ex Ezechiele, vbi Deus poſtquā multis verbis exprobrauit ſuo populo quod noluerit obedire ſuis præceptis, tandem ita concludit, Ite ſeruite ſuo quiſque ſtercoreo Deo, poſtquam mihi non obeditis. quaſi hoc dicat, Permitto vos veſtræ libidini, poſtquam meis præceptis obedire non vultis.*

REFVTATIO.

ECCE rurſus ad eundem lapidem impingis. Nam quia dicimus quod res eſt, Deum videlicet neque inuitum neque otioſè res humanas deſpicientem, ſed volentem, & iuſtè ſemper ac ſapienter decernentē agere quod agit, præcipere quod præcipit, permittere quod permittit, quoniam nulla inſtrumentorum contagio poteſt Dei iuſtitiam ac ſapientiam vllo modo inficere: ex eo ſtatim colligis nos velle, vt quicquid Deus volens permittit, etiam ſimpliciter & per ſe comprobet. Id verò quum tu, vt alia multa, vigilās ſomniaris, agè, aduerſus tua ſomnia ſi libet depugnato, modò hoc intelligant omnes, noſtrum hoc non eſſe commentum. Deum enim affirmamus nunquam velle iniquitatem, ne tum quidem quum occultis, licet tamen iuſtis ſemper de cauſis, habenas impiis laxat, aut illos Satanæ mancipat. Quod enim inſtrumentorum reſpectu iniquitas eſt, Dei reſpectu iudicium eſt: nec ſimpliciter ab eo, ſed κατά τι approbatur, ac proinde permittitur, quod alio reſpectu damnat, & in inſtrumentis odit ac meritò vlciſcitur. Iuſtum enim eſt coram Deo, vt peccata peccatis puniat: ſicut ex verbo Dei, itémque ex Auguſtino paulò antè copioſiſſimè demonſtrauimus. Ergo, etiam ſi Ezechielis locus iſte non aliter eſſet accipiendus quàm tu exiſtimas, non tamen aduerſum nos faceret. Neque enim dicimus idololatriam Deo gratam eſſe, quamuis iuſto ſuo iudicio velit ac etiam efficiat per Satanam & quæcunque libuit inſtrumenta, vt qui repudiarunt veritatem, amplectantur mendacium, ac tandem in fœdiſſima quæque prolabantur. Sed iſta omnia ad hunc locū minimè pertinent. Neque enim qui ita loquitur, vt Dominus hoc in loco, quicquam vel præcipit, vel concedit, ſed acerbiſſima potius ironia perfidiā & ingratum animum exprobrat, vt ſi fieri poteſt, pudore ſaltē in viam redeant qui obiurgantur. Simili dicendi genere vſus eſt Dominus, quum Iuda iam accedente, diſcipulis ſuis dormitantibus, & fruſtrà toties admonitis vt vigilarent & precarentur, Dormite, inquit, & requieſcite. Nam hac voce profectò tantū abeſt vt vel hortetur eos ad ſomnū, vel eis faciat dormiendi poteſtatem, vt eos cōtrà conſpectu præſentis periculi, de quo fruſtrà eos admonuerat, grauiſſimè obiurget, & acerrima reprehenſione expergefaciat. Itaque, quum hoc tuum argumentum expenderem, miratus ſum profectò fieri poſſe vt homo tam rudis, ad alios erudiendos accederes.

Rom. 1. 21. & deinceps.

III. ARGVMENT. CASTELL. AD. III. CALVMNIAM.

HOC *videtur idem eſſe quod paulo ante dixerat in eodem capite, Quoniam mea inſtituta repudiarunt, tradidi eis præcepta non bona. Atqui non tradidit Deus Iſraelitis præcepta nō bona: ſunt enim omnia Dei præcepta bona. Sed quia bona Dei præcepta repudiarūt, deſeruit eos: & illi à Deo deſerti, prolapſi ſunt in mala præcepta: ſicut deſertus à patre, vel potius deſerto patre, prodigus ille filius prolapſus eſt in luxuriā: & ſicut docet Paulus, quia homines non dilexerunt veritatem, miſit eis Deus ſpiritum errorũ, vt crederēt mendacio.*

REFVTATIO.

QVID eſt, quæſo, Mittere ſpiritum erroris? An hoc putas non aliud declarare quàm Habere pro derelicto? An qui mittit aliū certæ rei cauſa, vel inuitus mittit, vel nihil decernit? cui verò ſano homini hoc perſuaſeris? Sed de hoc dicemus in proximi argumenti refutatione. Quod aūt nugaris de filii prodigi deſertione, nihil eſt. Quid enim? an putas à patre inuito vel filium nihil curante deſertum? Si neutrum verum eſt, certe volens deſeruit, nec abiecit omnem de eo ſolicitudinem, ſed eum voluit ſuis tandē (quod aiūt) ſumptibus ſapere: ac tum maximè de eo cogitauit, quum viſus eſt eum deſeruiſſe. qua de re dicemus in ſexti argumenti depulſione. Itaque ne hoc quidem contra nos facit, ſed contra te qui permiſſionem à voluntate ſeparas. Verùm pudendam rurſum inſcitiam

tiam prodis in huius loci Ezechielis explicatione. Neque enim tradere præcepta non bona, declarat deſerere vt in mala præcepta prolabaris: ſed præcepta non bona Dominus appellat tributa, onera, leges, quicquid denique victores Chaldæi victis erant impoſiturι: acſi diceret Dominus, Vos patere noluiſtis ſanctiſſimis & æquiſſimis meis mādatis, at ego vos propter hanc veſtram perfidiam grauiſſimè vlciſcar, ſiquidem vos aliis regendos tradam, qui iniquiſſima & duriſſima, atque adeò peſſima quæque vobis præcipiant, & ad ea præſtanda vos adigant. Hanc expoſitionem ſi non ex Latinis interpretibus, at certè ex Hebræis diſcere potueras, niſi ſcriptores omnes contemnere & aſpernari ſoleres. An verò iſta traditio veſtra illam inertem deſertionem declarat? Certè nemini hoc perſuaſeris, qui vel à limine prophetas ſalutarit: nec id minus ineptum hoc eſt, quàm ſi facinoroſos homines dixeris conuictos & damnatos, non tradi carnifici à volente Magiſtratu, ſed tantùm deſeri.

IIII. ARGVMENT CASTELL. AD III. CALVMNIAM.

TALE *videtur eſſe & illud Amos, Ite Bethel & peccate, poſtquam ita facere amatis. Sic hodie, quia homines noluerunt obedire Deo, qui dicit ſe nolle peccatum, permiſit Deus exiſtere ſpiritus erroris qui doceant Deum velle peccatum: vt qui noluerunt obedire veritati, obediant mendacio.* Amo. 4.

REFVTATIO.

ITERVM dico te ineptè facere, qui acerbiſſimam increpationem ac exprobrationem accipias pro permiſſione, téque ad Grammaticos relego, vt ibi diſcas quæ ſit ironiæ vis, & quot eius ſpecies numerentur. Quod autem de ſpiritu erroris nugari non deſinis, quis tandem æquo animo ferat? Propheta ſi ſeductus loquutus fuerit verbum, ego Dominus ſeduxi prophetam illum, inquit Dominus apud Ezechielem. Alibi verò quid dicit Dominus ſpiritui mendaci? Perſuadebis, inquit, & vinces: egredere igitur, & ita facito. Quid autem teſtificatur Paulus? Pro eo, inquit, quòd amorem veritatis non receperunt, ad hoc vt ſalui fierent, propterea mittet illis Deus efficaciam erroris, vt credant mendacio. Enimuerò tecum diligenter etiam atque etiam cogita, an qui cum certis mandatis carnificem à ſe dimittit, vt iuſtis pœnis homines ſceleratos, conuictos, ac damnatos afficiat, dici poſſit illos duntaxat deſerere, ac non potius ipſe carnificis manū ad iuſtum illorum ſupplicium volens ac decernens armare. Nam hæc omnia, ſi neſcis, etiā ſi ſuapte natura peccata ſunt, quæ Deus odit & vlciſcitur, tamen quatenus decernūtur à Deo, nihil ſunt quàm peccatorum pœnæ. Si Auguſtino non credis, qui hoc ipſum argumentum copioſè ac luculenter aduerſus Iulianum tractat, at ſaltem ipſi Paulo crede, qui tribus locis Epiſtolæ ad Romanos diſertè hoc teſtatur. Quòd autem obliquè nos perſtringens, dicis exiſtere ſpiritus erroris qui doceant Deum velle peccatum, non multùm moramur, quoniam & ſcriptis & moribus noſtris, Dei beneficio, facilè conuinci potes. Vide autem è contrario quomodo ipſe te poſſis à manifeſta calumnia excuſare, qui exiſtimes peccata à Deo permitti quatenus ſunt peccata. Neque quū hoc dico, maledicta regero, ſed pro calumnia veram accuſationem repono.

Ezech. 14. 9.
3. Reg. 22. 22.
2. Theſſ. 2. 11.
Libro contra Iulian. 5. c. 4.
Rom. 1. 24. 26. 28.

V. CASTEL. ARGVMENT. AD III. CALVMNIAM

ADDVCVNT *præterea locum ex Zacharia, vbi dicit Deus ſe iraſci nationibus quietis, propterea quòd, quum ipſe leuiter ſuccenſeret Iſraelitis, illi adiuuere malum, id eſt grauius vexauerunt Iſraelitas, quàm ferret ira Dei. Ergo permittente, non volente Deo. Simile exemplum adducūt ex Propheta Obed qui Idumæos reprehendit, quòd Iudæos grauius afflixerunt quàm poſtulabat ira Domini.* Zach. 1. 15.

REFVTATIO.

SVSPICOR tuum iſtum Obed, eum eſſe quem Obadiam Hebræi, Abdiam Latini vocant. Sed hoc quidem excuſare non poſſum, quòd ex hoc Propheta cites quæ nuſquam apud illum inuenias. Lego enim apud Abdiam, grauiter puniendos Idumæos, quòd in cognatos per ſe iā omnibus modis vexatos crudeliſſimè ſæuierint: ſed quod tu ſcribis, hoc quidē apud illum nuſquā extat. Supereſt ergo locus Zachariæ, in cuius explicatione vide quib⁹ laqueis teipſū induas, vnde ipſe te extricare nō poſſis. Quæro enim à quo veluti pūcto permiſſionē iſtā tuā à volūtate ſecretā inchoes. Nēpe ex quo illæ gētes præſcriptos à Deo fines trāſilierūt? Fingamus moderatiores fuiſſe, certè cōſequetur

Iudæos ab illis fuiſſe hactenus, Deo ita volente, oppreſſos. Hactenus igitur non peccarint, ſi modù in tuis illis placitis acquieſcamus. Negas enim voluntatem Dei in vllis peccatis vllo modo interuenire. Verùm quis hoc tibi conceder, impios & ſceleratos homines nõ peccare in affligendo Dei populo, niſi addita hac exceptione, ſi modum à Deo præſcriptum tranſilierint? Adeóne ignoras quid ſit obedientia? Certè magis vis eſt veritatis quæ te inuitum cogat vel nobiſcũ apertè facere, vel à te ipſo diſſentire. Verùm, ne neſcias, ne pedem, ne digitum quidem mouere poteſt Satan, aut quiſquã impius, vt vel bonis vel malis noceat, ſiue Domini decretum cognouerit ſiue minus, quin grauiſſimè peccet. Arbor enim mala, malos ſemper fructus edit, etiam ſi optimus medicus illam ſeuerit & excoluerit, & eius venenis ad certa remedia vtatur. Sit autẽ hoc eius rei exemplum. Sit aliquis nefarius ciuis iudicatus patriæ hoſtis, ac eo nomine proſcriptus: is in alium æquè nefarium, aut etiam nocentiorem incurrit, qui proſcriptionis edictũ ignorans, hominẽ per latrocinium interimit, eo ipſo mortis genere quo pereundem illi fuerat ſi Reſpublica illum habuiſſet in poteſtate. An hic tibi Reipublicæ paruiſſe videbitur qui proſcriptum interemerit, an potius dignus qui tanquam prædo puniatur? Qui verò paruiſſe videri poteſt, qui proſcriptionis edictum ignorarit? Idem quoque de Chaldæis & aliis populi Dei hoſtibus iudicãdum, qui licet meritis pœnis Iudæos afflixerint & Dei iudicia obierint, Deo tamen paruiſſe videri non poſſunt, cuius ne nomen quidẽ reuerebantur, nedum vt illius mandatis obſequi cogitarent. Hoc tamen intereſt in iſto exemplo, quòd illum prædonem Reſpublica non comparauerit ad illum interficiendum, Dominus autem Chaldæos, quanuis ignorantes, ad exequenda ſua iudicia vocauerit, vt ipſe infinitis locis teſtatur, ac præſertim Ezechielis 23, quem ſanè locũ ſine horrore diuini iudicii legi non poſſe exiſtimo. Domini igitur opus propriè non fecerunt Chaldæi, ſed per illos neſcientes ac nihil tale cogitantes, Dominus iuſtũ ſuum opus eſt exequutus, & illos nihilominus poſtea iuſtiſſimè vltus eſt, ſicut teſtati fuerant Prophetæ.

Iſa.10.5. & 7.12

» Sic enim Dominus apud Iſaiam quũ dixiſſet, O Aſſur virga furoris mei, & baculus ipſorum in ira mea. Ad gentem ſimulatricem mittam eum, & contra populum indignationis meæ præcipiam ei vt prædetur prædam, & rapiat ſpolia, & ponat eum in conculcationem ſicut lutum platearum. Deinde ſubiicit, Atqui ipſe Aſſur non ſic arbitrabitur, nec cor eius ſic cogitabit: quia in corde eius erit ad extirpandum, & ſuccidendum gentes non paucas. Et mox. Sed accidet, quum perfecerit Dominus totũ opus ſuum in mõte Sion & Ieruſalem, viſitabo ſuper fructum magnificentiæ regis Aſſur, & ſuper gloriam elationis oculorum ipſius. Quæ deinde copioſius perſequitur idem propheta, capite decimo tertio. Sed & ponamus impios ipſos intelligere quod ſit Dei mandatum, eos tamen dico nihil aliud poſſe quàm peccare in eius mãdati exequutione. cuius rei ſit hoc exemplum. Tradit Magiſtratus carnifici facinoroſum quempiam legitimè conuictum ac damnatum. Carnifex hominem, qui alioqui erat inimicus, eo quidẽ ſupplicii genere afficit quod erat illi præſcriptum, ſed odio vel auaritia ductus, nec ſibi iudicis mãdatum, ſed hoc potius vnum proponit, vt animo ſuo morem gerat. An is tibi coram Domino, qui animi cogitationes cernit, videbitur innocẽs, ac nõ potius homicidii reus, imò etiam ſacrilegii, vt qui ſancto Magiſtratus iudicio ad explendam ſuam cupiditatem ſit abuſus? Eiuſmodi fuit Satanæ crimen, quum ad Iobum vexandum, itémque ad Achabum decipiendum, Dei non nuda permiſſione, vt tu vis, ſed expreſſo mandato mitteretur. Et veriſimile eſt non aliter feciſſe Idumæos qui ab Obadia reprehenduntur, quũ probabile ſit eos minimè ignoraſſe quæ aduerſus Iudæos prædicarant Prophetæ. Ergo vt tandem vela colligam, rectè quidem ſentis, quòd impios exiſtimas Deo volente aduerſus eos ferri quos Dominus per eos vult vlciſci: ſed dupliciter hîc falleris, & quidem nefario errore. Primùm, quòd eos exiſtimas non peccare, niſi fortè modum excedant: quod falſum eſſe probauimus. Deinde, quòd putes illos poſſe præſcriptos à Deo limites ac fines preterire: quem errorem nunc ſupereſt vt coarguam.

Dico igitur Dominum, quoties aliquid decernit (decernit autẽ in primis pœnas quibus peccata hominum caſtigat) ſolere etiã certis ac definitis locorum, tẽporum ac perſonarum quaſi limitibus omnia circũſcribere. Dico etiam ita firma ac ſtabilia eſſe quæcunque Deus decreuit, vt quum ipſe nunquam mutetur, euentum etiam conſequi oporteat omnium quæ conſtituit, & quidem penitus qualem cõſtituit. Neque verò nũc de cauſis ſecundariis diſſero, ne me fortè, tuo more, tanquam fati Stoici defenſorem accuſes. De regundis finibus diſputo, quos Deus ipſe definiit ac circunſcripſit. Eos termi-

nos

nôs tu quidem ſine nefario ſcelere amoueri non poſſe putas : ego duplicis blaſphemiæ
teneri te conuictum arbitror quum hoc dicis. Fateor enim, ſi amoueri poſſent, eum qui
hoc faceret, meritò vt ſacrilegum, ac læſæ Diuinæ maieſtatis reum videri : ſed permit-
tere Deum nego vt contra id quod decreuit quicquam fiat, quoniam à ſeipſo diſſenti-
ret. Deinde & hoc nego, in cuiuſquam eſſe poteſtate, ſemel poſitos ac circunſcriptos ar
cano Dei decreto fines tranſilire. Cuiuſmodi enim eſſe Deum exiſtimabimus, cuius
non ſit rata firmáque ſententia, aut cuius decretum ac nutus à cauſis ſecundariis pen-
deat? Nam quòd hæc incommoda effugere te poſſe arbitraris, quum dicis non poſſe trã
ſiliri fines à Deo præſcriptos, niſi eo permittẽte, non autem volente, nimirum ne ipſius
voluntas inconſtans inueniatur, planè nihil dicis. Nam ſi permiſit nolens, conſequitur
aliquid fieri quod Deus fieri noluit. Vbi ergo ipſius omnipotentia? Nam ſi excipias no-
luiſſe quidem fieri, ſed non impediuiſſe, ac proinde non periclitari ipſius omnipoten-
tiam, quæ potuerit quidem, ſed noluerit ſeſe opponere : ne hoc quidem te ſubleuabit,
ſed ex Sylla rues in Charybdin. Nam ita fiet vt permittere, idem declaret atque Non
impedire: veluti ſi quis torrentem quem coërcere poſſit, ferri præcipitem ſinat. Atqui
ſi quid non impedit Deus, idcirco non impedit vel quòd illud fieri velit, vel è contrario
quòd illud fieri nolit, vel demum quòd non curet ſiue ea res fiat, ſiue minus. Eli-
ge ex iſtis quod maximè placuerit. Si Deum fieri velle dicis quod permittit, nobiſcum
facis, aut cum ipſo Domino potius, qui teſtatur ne paſſerculos quidem cadere in ter-
tam abſque Patris cæleſtis volũtate: nec propterea periculum eſt ne facias Deũ pecca-
ti authorem, vt copioſè ſuprà declarauimus. Sin verò exiſtimas eum idcirco aliquid
permittere quòd id fieri nolit, quis non te credat communis ſenſus expertem? potius e-
nim id vetuerit quàm permiſerit. Et certè ſenſus ipſe communis dictat, ſicut vna Dei
voluntas ſatis ad hoc valet vt aliquid fiat, ita etiam vt ne aliquid fiat, ſufficere quòd id
Deus fieri nolit. Supereſt tertium, vt permittat aliquid euenire, quòd neque velit, neque
nolit id fieri, vtpote quòd non curet ſiue fiat, ſiue minus. Hoc verò dogma quis ne-
ſcit Epicureum eſſe? Præterea, quis tandem ignorat omnipotẽtiam Dei non in eo dun-
taxat ſitam eſſe, vt omnia poſſit quæ velit, ſed in eo quoque, quòd inferiorum omnium
cauſarum vis omnis ac poteſtas ab eo dependeat? Vnde verò hæc poteſtas niſi à Deo
volente? Nam neque ab inuito extorqueri potes, neque ex otioſi Dei manibus veluti
effluere & elabi, vt inferiores cauſæ non illius, ſed vno ſuo arbitrio ferantur. Nam ſuo
quidem arbitrio ferri non nego inſtrumenta quæ voluntate prædita ſunt, ſed ita vt ad
finem à Deo conſtitutum ferantur. Siquidem (vt pulcherrimè ac veriſſimè ſcripſit Au-
guſtinus) Dei voluntas eſt rerum neceſſitas, non illa Stoica quam falſò nobis expro-
bras, ſed quæ ſpontaneum voluntatis motum non tollit : vt idem ſcriptor pulchrè libris De Ciuit.
de Ciuitate Dei inſcriptis explicauit. Itaque quum tradis Deo nolente ſed permitten- Dei lib. 5 ca.
te, poſſe tranſiliri limites ab eo conſtitutos, illum ſanè vel omnipotentia ſua ſpolias, vel 8. 9. & 10.
leuem & inconſtantem, ſibi ipſi denique repugnantem facis. Hanc autem blaſphemiã
muta etiam omnia elementa clara voce reprehendunt; quæ tot ſeculis in ſua ſtatio-
ne permanſerunt, nec niſi illo disertè volente ac iubente vel tranſuerſam lineam ſe tran
ſilire poſſe confitentur. Non fallet fortitudo Iſraelis, inquit Samuel, neque pœnitudi- " 1. Sam. 15.
ne ducetur, quum non ſit homo, vt pœnitudine duci poſſit. Et Paulus, Non fieri po- " 35. Rom. 9. 6.
teſt, inquit, vt excidat verbum Dei. Atqui excidat oportet aliqua ex parte ſi quid vel
minimum fiat præter eius decretum, etiam eorum quæ ſimpliciter non approbat. Ve-
rùm quid hos teſtes adduco? Ipſe te Balaam conductitius ille pſeudopropheta redar- Num. 23. 19.
guit. Non eſt Deus homo vt mentiatur, inquit ille, aut filius hominis vt pœniteat. Nun- "
quid ipſe dicit, & non facit? aut loquitur, & ipſe non confirmat? Imò ipſe Satan, ſpiritus "
ille mendax & impurus, hoc dogma redarguit, cui quum non deſint mille nocendi ar- "
tes, & inſit tanta improbitas, quantam ne cogitare quidem poſſumus, vides tamẽ tam
durum illi iniectum eſſe frænum, vt ne hiſcere quidem poſſit, niſi Domino voce ſua
illum excitante, & tam arctos illi compedes impactos, vt ne digitum quidem, niſi ex
Domini præſcripto, mouere poſſit. Agnoſcit enim ſe niſi petita à Domino poteſtate,
ne tantillum quidem cuiquam nocere poſſe : & quidem quoties ſibi datum eſt vt no-
ceat (dat autem illi hanc poteſtatem Dominus pro bona ſua voluntate, vel vt impios " Iob. 1. 12. &
puniat, vel vt ſuos alliciat, reuocet, probet, caſtiget, ſicut ſuprà oſtendimus) toties ſe co 2. 6.
gi ſentit intra circunſcriptos limites manere, vt ex " Iobi & Achabi hiſtoria, & aliis te- 1 Reg. 22. 22. Apoc. 6. 4. 8.
ſtimoniis liquet. Itaque, vt tandem ad locum ipſum Zachariæ accedam: vt Iudæorum & 9. 3. 5. & 14

hoſtes acerbius illos vexarint quàm ira Dei ferret, non licuit tamen illis decretum Dei
vel lato vnguiculo tranſilire. Latius enim patet Dei decretum quàm ira ipſius: & ſigni-
ficatur his Prophetæ verbis, nõ eſſe quòd populus iram Dei metiretur ex magnitudine
calamitatum quibus affecti fuerant. Dominum enim magnam illarum partem ipſis im
miſiſſe, non vt eos tanquam iratus perderet, ſed contrà vt tãquam beneuolus pater eos
caſtigaret, vt ſeſe ad bonam frugem reciperent. Dominus itaque ſuo more veluti clemẽ
tiſſimus aliquis pater cum filiis ſuis balbutiens, teſtatur ſeſe petulãtia & crudelitate il-
lorum offendi, quibus filios corrigendos, non autem perdendos commiſerat: quòd ni-
mirum carnifices illi ſæuius cum illis egiſſent quàm ira ipſius ferret, quum eum popu-
lum, quantum in ſe erat, excidiſſent, quem tamen Dominus caſtigari duntaxat vole-
bat, id quod etiam euenit. Sunt autem hæc omnia non aliter explicãda per *ἀνθρωποπά-
θειαν* quàm quum Deũ iratum fuiſſe aut pœnituiſſe legimus, id quod mox plenius ex-
plicabo. Nam quòd alicubi nugaris, contra deſtinationem Dei fieri multa, quaſi pen-
deat exitus conſilii Dei à conditione adiecta, & ea quidem eiuſmodi vt poſita ſit in no-
ſtra poteſtate, totum hoc Baſilienſis Eccleſia ex verbo Dei vt ſacrilegam blaſphemiam
meritò iampridem eſt execrata. Atque adeò quoniam in hunc ſermonem ingreſſi ſu-
mus, libet verba tua ſubiicere ex impuro illo quaternione annotationum tuarum in E-
piſtolam Pauli ad Romanos, quem à Baſilienſi Eccleſia optimo iure damnatum, tui ta-
men per omnes Eccleſias ſpargere non deſtiterunt. Libet, inquam, ea recitare, atque e-
tiam tefellete, quia ad hunc locum pertinent.

Fieri (inquis) *multa contra deſtinationẽ quæ cum conditione coniuncta ſit, facile eſt o-
ſtendere. Deſtinauit figulus cretam vaſi culinario: ſed vas illud in fornace finditur contra
deſtinationẽ. Deſtinauerat Deus omnes Iſraelitas ex AEgypto eductos in Chananæam in-
troducere, ſicut ipſemet Moſi demonſtrat: ideóque omnes in Moſen loti fuerunt in nube: ſed
ipſi, quia Chananæos adoriri noluerunt, in ſyluis perierunt contra deſtinationem: quemad-
modum & Scribæ, qui Dei conſilium in ipſis reſciderunt, Luc. 7. Deſtinauerat Deus Regem
Ezechiam morti: ſed Ezechias precibus & pietate quindecim annos impetrauit contra
deſtinationem. Sexcenta poſſunt talia afferri.*

Agnoſcis tua verba, quibus ſanè vix quicquã impurius dici poſſe exiſtimo. Quis enim
eſt Deus noſter, ſi à nobis pendet ipſius conſilium? ſi contra ipſius voluntatem ac deſti
nationẽ (vt tu apertè eodem loco dicis) aliquid euenire poteſt? ſi hominũ inſtar muta-
tur? ſi conſilium eius poſſunt homines reſcindere? ſi quod hodie fore decreuit, cras eum
nõ pudebit abrogare? Obteſtor ego vos clariſſimæ vrbis ornatiſſimos Senatores, & vos
quoq; clariſſimos & eruditiſſimos Baſilienſis academiæ moderatores, quandiu hoc de-
decus in veſtro ſinu perferetis? Sed ad rem. Tria teſtimonia deprauas, vt tuum hoc do-
gma ſtabilias. Nam Iſraelitas quidẽ illos verum eſt non niſi ſua culpa prohibitos fuiſſe
ingreſſu Chananææ: ſed vnde intellexiſti aliud vnquam de illis conſiliũ cepiſſe Domi-
num? Num ex eo quòd omnes in nube fuerunt baptizati? Quaſi verò omnes ex Abra-
hamo ſecundùm carnẽ natos ac circũciſos, aut omnes qui in Eccleſia Chriſtiana bapti-
Num. 14. zantur, Dominus ad ſalutem deſtinatir. Quod autẽ dicit Dominus apud Moſen, Si vos
introieritis in terram propter quã leuaui manũ meam (id eſt iuraui) vt collocarem vos
in ea: hoc, inquam, ſi exiſtimas pro te facere, magnopere hallucinaris, & ex iis quæ pau-
lò antè ſcripta ſunt, facilè refelli potes. Quid enim Moſi pro populi ſalute deprecãti re-
ſpondet Dominus? Condonaui, inquit, huic populo ſecundum verbum tuum. Et mox
tamẽ cõſequitur fore vt duobus exceptis nemo viginti annis maior ingrediatur in Cha
nanæam. Quid ergo? nẽpe populo ſeſe peperciſſe dicit Dominus, cui interminatus erat
excidiũ. neque hoc eſt de ſingulis perſonis accipiendum. Iurarat igitur Dominus popu
lo fore vt eum collocaret in Chananæa, quod etiam fecit, quãuis ii non ſint ingreſſi qui
rebellarant: & partim quidẽ ita vltus eſt rebelles, vt tamen in eorũ poſteros vſus ſit mi-
ſericordia, & promiſſis ſteterit: partim verò ita ſeſe miſericordẽ iſtis præſtitit, vt illos iu-
ſtis pœnis affecerit, & nihilominus fidem ſuã liberarit: vt oſtenditur Ezechielis capite vi
ceſimo. Nullus interim vel mutationi conſilii, vel pœnitentiæ locus relinquitur. Nam
quòd aliquoties dicitur pœnituiſſe Dominum, figuratè dictũ eſſe nemo non intelligit.

In altero loco quẽ citas ex Luca, idẽ ingeniũ prodis. Tu ipſe tamẽ, quũ hũc locũ Lati-
nè peruerteres potius quàm cõuerteres, paulò pudẽtior fuiſti. Sic enim es interpretatus,
*Hoc audito, populus & publicani Deũ collaudarunt, Iohannis lotione loti. At Phariſæi &
legiſperiti Dei conſilium (quantum in ſe fuit) reſciderunt.* Cedò verò, quũ exceptionem
illam

illam adderes, *Quantum in ſe fuit*, nónne tibi denuntiabat conſcientia, ſtare hanc ſententiam ſine hac exceptione nō poſſe? Qui fit igitur, vt illa præterita hoc teſtimonium nunc auſis detorquere? Ac de tua quidem lotione nihil hîc dico: ſed quis te docuit εἰς ἑαυτοὺς interpretari, *Quantum in ſe fuit?* Dicendum enim potius fuiſſet, τὸ εἰς ἑαυτούς. Quum autem τὸ ἀθετεῖν varias habeat ſignificationes, cur eā potiſſimùm delegiſti quæ minimè omnium erat opportuna? Quis enim nō videat Publicanis doctrinam Dei amplexis, illos opponi ex diametro qui illam erant aſpernati, & à ſe repudiarāt? Hoc enim ſæpiſſime declarat verbum ἀθετεῖν: v Ioh.12.g.48, & 1.Theſſ.4,b.8: quo loco tu ipſe vſus es Repudiandi verbo. Vides igitur hoc teſtimonium nihil minus quàm tuum illud dogma confirmare?

Supereſt quod affers de Ezechia, cuiuſmodi exempla teſtaris multa potuiſſe à te afferri. Placet autem Caluini ipſius verbis te coarguere: quoniam (meo quidem iudicio) nec breuius, nec verius, nec planius de hac re dici quicquam poteſt. Sic igitur ille in aureo illo opere cuius vera inſcriptio eſt, Inſtitutio totius Chriſtianæ religionis, lib.1.cap.17.ſect.13 & 14. QVEMADMODVM quum audimus Deum iratum, imaginari non debemus aliquam in ipſo commotionem, ſed reputare potius loquutionem hāc à ſenſu noſtro ſumptam, quia faciem excandeſcētis iratique præ ſe ferat Deus, quoties iudiciū exercet: ita nec aliud debemus concipere ſub Pœnitentiæ vocabulo, quàm factorum mutationem: quia ſoleant homines, facta ſua murando, teſtari ſibi diſplicere. Quoniam ergo mutatio quælibet inter homines, correctio eſt eius quod diſplicet: correctio autem ex pœnitentia prouenit: ideo per Pœnitentiæ nomen ſignificatur quod Deus in operibus ſuis mutat. interim nec conſilium illi, nec voluntas inuertitur, nec affectus commutatur: ſed quod ab æterno prouiderat, probauerat, decreuerat, perpetuo tenore proſequitur, vtcunque appareat ſubita oculis hominū varietas. Nec Sacra hiſtoria, dum Niniuitis remiſſum narrat quod iam promulgatum fuerat excidium: & Ezechiæ vitam, denuntiata morte, prorogatam: abrogata fuiſſe Dei decreta oſtendit. Qui ſic ſentiunt, in denuntiationibus hallucinantur: quæ tametſi ſimpliciter affirmant, tacitam in ſe nihilominus conditionem illas cōtinere ex fine ipſo intelligetur. Cur enim ad Niniuitas Ionam Dominus mittebat, qui ruinam vrbis prædiceret? Cur per Iſaiam mortem indicebat Ezechiæ? Poterat enim & illos & hūc perdere, ſine cladis nuncio. Aliud ergo ſpectauit quàm vt mortis ſuæ præſcij, venientem illum eminus cernerent. Nimitum non perditos voluit, ſed ne perderentur emendatos. Quòd ergo Niniuem poſt quadraginta dies ruituram vaticinatur, ideo fit ne ruat. Quòd Ezechiæ ſpes vitæ longioris præciditur, ideo fit vt longiorem vitam impetret. Quis iam non videt Dominum eiuſmodi comminationibus voluiſſe ad reſipiſcentiam expergefacere quos terrebat, vt effugerent quod peccatis ſuis meriti erant iudicium? Id ſi conuenit, natura rerum eò nos ducit vt in ſimplici denuntiatione conditionem tacitam ſubaudiamus: quod etiam confirmatur ſimilibus exemplis. Abimelech regem corripiens Dominus, quòd Abrahæ ſuam vxorem ſuſtuliſſet, his verbis vtitur, Ecce tu morieris propter mulierem quam accepiſti: eſt enim viro iuncta. Poſtquam autem ille excuſauit, in hunc modum loquitur, Reſtitue vxorem viro: eſt enim Propheta, & orabit pro te vt viuas. ſin minus, ſcito quòd tu moriendo morieris, tu & omnia quæ habes. Vides vt primo edicto vehementius animum concutiat, quò ſatisfactioni reddat intentum: altero verò voluntatem ſuam liquidò explicet? Quando ſimilis eſt aliorum locorum ratio, ne ex illis inferas quicquā fuiſſe priori conſilio Domini derogatum: quia quod promulgauerit, irritum fecerit. Viam enim potius æternæ ſuæ ordinationi ſternit Dominus, quum pœnam denuntiando ad reſipiſcentiam mouet eos quibus vult parcere, quàm voluntate quicquam variet, ac ne ſermone quidem, niſi quòd ſyllabatim non exprimit quod intelligere tamen promptū eſt. Siquidem illud Iſaiæ manere verum oportet, Dominus exercituum deliberauit, & quis poterit diſſoluere? manus eius extenta, & quis auertet eam? Gen.20. Iſa.14.

Hæc Caluinus, quæ etiam ſi tibi non ſatisfacient, tamen ſunt eiuſmodi vt moderatis omnibus ingeniis ſatisfactura confidam. Neque enim pro te faciunt quæ de tacita cōditione commemorat, quum tu non, vt ille, ipſius decreti denuntiationi, ſed decreto ipſi conditionem appoſitam eſſe velis: idque quaſi ambigua & incerta ſint quæ Dominus decreuit, aut quaſi Domini voluntas pro vario conditionis exitu quæ in hominibus ſita ſit, modò in hanc, modò in illam partem flectatur, quæ quidem opinio tam eſt abſurda, támque aliena à Dei natura, vt cuiquam placere vnquam potuiſſe mirer.

VI. ARGVMENT. CASTELLIONIS AD III. CALVMNIAM.

ADDVCVNT *& huius quem iam attigi filij prodigi exemplum, quem ſi dixeris volente patre iuiſſe luxuriatum, erit abſurdiſsimum: iuit ergo permittente. Sic & ſontes, dicunt prodigos eſſe Dei filios, & Deo permittente, non volente, peccantes.*

REFVTATIO.

QVONIAM in explicatione parabolarũ aliquis eſt coniecturis locus, idcirco nuſquam exultant liberius quàm in parabolis curioſa & fanatica ingenia. Ego verò potius parabolarum ſcopum conſiderandum puto, nec ſingulas partes conſectandas ſubtilius, niſi fortè ab illarum explicatione ipſa interpretatio pendeat: quoniam alioqui neceſſe fuerit vt in abſurdiſſimas cogitationes incidamus. In hac porrò ſimilitudine fateor Dominum ſub patris alicuius clementiſſimi imagine bonitatem ſuam nobis repræſentare: itémque in filii prodigi perſona peccatores proponere, qui ſeſe aliquandiu velut à Dei conſpectu ſurripuerunt, vt vitiis ſuis indulgerent, quos tamen poſtea iuſtis ærumnis domitos, & ad bonam frugem ſe recipientes optimus pater in gratiam recipiat. Alteram parabolæ partem non attingo, quoniam ad noſtrum ſcopum non pertinet. Videamus autem quàm aptè ex hoc loco ratiocineris. Negas patre volente filium iuiſſe luxuriatum. Fateor filii luxuriam patri non probari, nec patrem, quum filium à ſe dimitteret, eò ſpectaſſe vt filius luxuriaretur. Sed tu quidem homo es peracutus, qui de Deo nõ aliud mente concipias quàm quod hominibus quadret, quoniam Deus in hac ſimilitudine ſeſe nobis ſub mortalis patris imagine propoſuit. Quaſi verò Deus idcirco ſignificet ſe non aliter agere cum ſuis vlla in re ſolere quàm homines ſoleant, ac non potius hoc vnum nobis duntaxat proponat hoc in loco, ſuam nimirum immenſam bonitatem in eos etiam qui quibuſuis flagitiis eum ad iram prouocarunt. Hos limites vbi prætergreſſus fueris, dico te à ſcopo aberrare. Sed hoc tibi condonemus. Si quis contumacem filium, quémque nulla ratione corrigere potuerit, cogitet à ſe dimiſſum in magnum aliquod periculum adducere, ex quo tamen poſſit illum quoties libuerit liberare, & illum eò expellat, quòd ſciat non meliore ratione poſſe in viam reuocari, quis abſurdum eſſe exiſtimet ſi quis dicat filium volente patre in illud periculum incurriſſe? aut quis non idcirco potius patrem vt prudentem laudet, quàm vt ſæuũ & crudelem reprehendat? Neque enim in hoc conſilio periculum filii, ſed emendationem potius ac ſalutem ſibi pro ſcopo ac fine propoſuit. Hoc ipſum verò electis filiis omnibus cogitandum eſt de Patre cæleſti, quamuis hic quidem in re non ſit par omnium conditio. Quoniam enim omnia ſine exceptione cedunt in commodum iis qui Deum diligunt, idcirco ambigi non poteſt quin Deus, quoties electis ſuis gratiam veluti ſubducit qua fulciebãtur, adeò vt in turpiſſima etiam peccata prolabantur, volens ac certo conſilio id permittat: minimè id quidem quaſi approbet illorum peccata, ſed quòd eos etiam velit hac ratione ſuæ imbecillitatis admonitos, vel ſibi nihil arrogare, vel ſibi diligentius ab aduerſario cauere quàm vnquam antea, vel, ſi iam aberrarint, in viam redire, aut etiam poſteris cauere. Ideo in Abrahamo, Moſe, Aarone, aliquos voluit næuos ineſſe. Ideo Dauidẽ non niſi volens paſſus eſt in maxima ſcelera prolabi: quod Dei conſilium ipſe quum po-

Pſal. 51.6. » ſtea agnouiſſet, Tibi, inquit, peccaui, & malum coram te feci, vt iuſtificeris, & vincas quum iudicaris. Nam quo indignior erat Dauid cui Dominus veniam daret, eo magis eluxit Dei fides ac conſtantia in ſeruandis promiſſis, quum Dauidi veniam dedit. Ali-

Pſal. 119. 67.71. » bi quoque idem agnoſcens quantum in ea tentatione profeciſſet. Antequam, inquit, in

» ærumnas incidiſſem, errabam: nunc autem eloquium tuum cuſtodio. Item, vtiliſſimum mihi fuit quòd in miſeriam deiectus ſim, vt diſcerem decreta tua. Sic proculdubio Petrum illa triplici abnegatione voluit ad modeſtiam aſſuefacere: & Paulum quoque idcirco ab angelo Satanæ cædi, ne inſolétius efferretur. Apage igitur tuam deſertionem, ſiue inuoluntariam permiſſionem, quaſi filium prodigum pater vel ad minimum tempus habeat pro derelicto, quum è contrario tum ſit maximè de filio ſolicitus, quum ei maximè videtur iratus.

VII. CASTELL. ARGVMENT. AD III. CALVMNIAM.

ADDVCVNT *etiam Chriſti dictum illud, Et vos num vultis abire? Certè nolebat vt abirent, ſed permittebat.*

REFV-

REFVTATIO.

IMO tantum abeſt vt hac voce iuberet eos abire, aut faceret eis abeũdi poteſtatem, quam ſi feciſſet, volens vtique feciſſet: vt è contrario his verbis eos apud ſe retinuerit, propoſita aliorum perfida defectione, & tacitè reuocatis in eorum memoriam tot beneficiis quæ ab eo acceperant. Eius verò imperitiam ſummam eſſe oportet, qui eiuſmodi genera dicendi è medio petita non poſſit explicare.

VIII. CASTELL. ARGVMENT. AD XII. CALVMNIAM.

DENIQVE *adducunt communem ſenſum, qui dicat diſcrimen eſſe voluntatis & permiſsionis, ſecundùm quem communẽ ſenſum Chriſtus ſolitus eſt docere res Diuinas, & quẽ ſi tollas, peribunt omnes Chriſti ſimilitudines, de quibus iudicamus ſenſu communi.*

REFVTATIO.

FATEOR quidem aliud eſſe præcipere ſeu iubere, aliud verò permittere vt hoc vel illud fiat: ſed communem ſenſum omnibus dictare dico, voluntatem indiuiduo nexu & cum præceptione & cum permiſſione cohærere, etiam ſi interdum homines neceſſitate aut importunitate victi præcipiãt aut permittãt quod alioqui fieri nollent. Hæc verò, quãdoquidem ſimilitudines requiris, agè, prolatis exemplis declaremus. Qui per alios negotia ſua procurant, neceſſe eſt vt iis faciant poteſtatem agendi quicquid ad eius negotii procurationem ſpectat, vt procurator agere poſſit ex mandato. Cui verò præter te vnum in mentem venit vt diceret hanc permiſſionem opponi voluntati, quũ ex mera voluntate potius, atque adeò ex delectu tota hæc permiſſio proficiſcatur? Atqui non alia eſt agendi ratio qua vtitur Dominus in iis omnibus per agẽdis quæ in ſingulos dies fiunt. Primùm enim ſingulis nõ tantùm ſpeciebus, ſed etiam indiuiduis vim illam & facultatem vniuerſalem indidit, quam licet multiplicem animaduertere. Deinde hanc eandem facultatem ad ſingulares & particulares actiones ſingulis momentis accõmodat, prout ex æterno & inuariabili ſuo conſilio res omnes non tantùm præſcit & moderatur, ſed vult etiam ac decernit. Vtitur autem, vt antea diximus, tũ bonis, tum etiam malis inſtrumentis, quæ diſtinctio nõ cœpit à creatione, ſed à corruptione: ſed ita vtitur, vt ſi quod eſt in inſtrumentis vitium, hæc contagio ad eum vſque nõ perueniat. Nam rectè decernit, vult, permittit, non eo modò quæ rectè volunt & faciunt inſtrumenta voluntaria, ſed etiam ea quæ malè volunt & faciunt mala inſtrumenta, vt copiuſè ſuprà oſtendimus. Atqui hæc omnia nõ niſi ex Dei volentis permiſſione agũt quod agunt. Quid enim vel in cælo vel in terra, ex ſeſe vel hanc habet poteſtatem, vel huius poteſtatis vſum, ſiue rectè ea vtatur ſiue minus? Itaque profiteor videre me non poſſe quis tandem ſenſus communis tibi dictarit permiſſionem à voluntate poſſe ſeparari, aut Deum poſſe nolentem aliquid permittere. Fateor tamen inter Deum, & homines hominum opera vtentes, permultum alioqui intereſſe. Nam (vt de hominum prauis conſiliis nihil dicamus,) quod homines plerunque faciunt neceſſitate adacti, quoniam nec ſuis nec alienis agẽdis rebus ſatisfacere poſſunt, hoc facit Deus libertima voluntate, quum alioqui per ſe ſit omnipotens in ſeſe & prorſus αὐτάρκης. Homines ſæpe aut vi aut metu, aut alia ratione coacti potius quàm impulſi, multa permittunt quæ infecta vellent: Deus verò ſolus liberrima voluntate decernens permittit quod permittit. Apollo apud Poëtas quoniam inconſideratè iurat, iuriſiurandi religione quodammodo cogitur Phaëtonti perituro currus concedere: volens tamen currus concedit, quoniam apud eum plus poteſt iuriſiurandi religio, quàm certum filii periculum. Iupiter apud Homerum conqueritur eum lachrymis quòd Sarpedonẽ filium præſenti morti eximere quum velit non poſſit. Herodes inconſideratè iurans, vbi audit Iohannis Baptiſtæ caput peti, triſtis apud ſe deliberat vtrum malit, reiectáne puella in periurii crimen incidere, an innocentiſſimum hominẽ crudeliter, indicta cauſa, interficere: & tandem, non tam, vt opinor, religione, quæ nulla erat, quàm gloria & ambitione ductus, ne videretur aut imprudens iuraſſe, aut in præſtando iureiurando inconſtans, nõ tantùm permittit, ſed etiam præcipit vt Iohannis caput præciſum puellæ tradatur in manus, ſicut diſertè loquitur Marcus. [Mat.14.19. Mar.6.27.] AEgrotus ſuæ vitæ timens, chirurgo ſeſe ſecandum præbet, minimè quidem inuitus, non tamen libera prorſus voluntate. Idem de mercatore ſtatuendum, qui in ſumma tempeſtate ſuas merces non tantùm abiici ſinit, ſed etiam

ipſe manibus ſuis abiicit. Ecce tibi multa permiſſionum exempla, in quibus tamen o-
mnibus voluntas à permiſſione ſecludi non poteſt. Abſit tamen vt de Deo quicquam
eiuſmodi concipiamus, quoniam nec incogitantia, nec ignoratio, nec pœnitentia in eũ
cadit, nec vlli neceſſitati ſubiicitur. Nam, (vt verè & eruditè ait Auguſtinus) vitam Dei
» & præſcientiam Dei ſub neceſſitate non ponimus, ſi dicamus, Neceſſe eſt Deum ſem-
» per viuere & cuncta præſcire: ſicut nec poteſtas eius minuitur, quum dicitur mori falli-
» que non poſſe. Sic enim hoc non poteſt, vt potius, ſi poſſet, minoris eſſet vtique poteſta
» tis. Rectè enim dicitur Omnipotens, qui tamen mori & falli non poteſt. Dicitur enim
» Omnipotens faciendo quod vult, non autem patiendo quod non vult. Ergo, vt ſemel
abſoluam, apageſis Anticyras cum tuo illo ſenſu communi, & ibi ſi potes, hauſto helle-
bori congio, tandem ſapere diſcito, & de communi ſenſu ita diſputare, vt aliquo ſenſu
præditum eſſe te intelligamus. Nam quòd ſolitum eſſe dicis Chriſtum docere res Di-
uinas ſecundùm communẽ ſenſum, quis tandem tibi concedet niſi prorſus omnis Chri
ſtianæ religionis expers? Vtitur, fateor, Chriſtus dicendi generibus è medio petitis, ſed
Diuina myſteria cum ſenſu noſtro communi prorſus conſentire, ac proinde ſecundùm
communem ſenſum doceri poſſe, vnde tandem cognouiſti? Clamat Paulùs hominem
ψυχικὸν non percipere quæ Dei ſunt: idem teſtatur τὸ τῆς σαρκὸς φρόνημα inimicitias eſ-
ſe aduerſus Deum: idem profitetur ſe annuntiare doctrinam quæ habeatur à Gentibus
pro ſtultitia: idem exclamat, O homo, tu quis es? &, O altitudo iudiciorũ Dei! Chriſtus
quoque Petri confeſſionem laudans, Caro & ſanguis, inquit, iſta non reuelauit tibi. At
tu contrà ad communem ſenſum tanquã ad ſupremum myſteriorum Dei iudicẽ pro-
uocas. Aperi igitur nobis, homo acutiſſime, quî tandiu Dominus diſtulerit Gentiũ vo-
cationem: quî potuerit Verbum fieri caro: quî Chriſtus natus ſit ex Virgine: quî nos vi-
uifica ſua carne paſcat in terra, qui in cælis eſt: quî velit Dominus quod tu ſtultè nega-
ſti, nonnullos ad miſeriam naſci vt in iis glorificetur, ſicut ex cæci illius nati exemplo,
& ipſius Chriſti verbis docuimus: quî multorum vocatio ad extremũ vſque vitæ tem-
pus differatur: quî fiat vt maxima pars hominũ de Chriſto nihil prorſus audiat: quî Do-
minus quum omnes vel ſolo nutu ſeruare poſſit, tamen paucos ſeruet, & cur ex duobus
inter ſe paribus, hunc potius quàm illum. Denique, vt in propoſito exẽplo permanea-
mus, (infinita enim ſunt eiuſmodi) quæſo vt ex communi tuo ſenſu nobis duplicẽ hunc
» nodũ explices quem nectit Auguſtinus: Magna, inquit, opera Domini, vt miro & ineffa
» bili modo non fiat præter eius voluntatem quod fit contra eius voluntatem: quia non
» fieret, ſi non ſineret: nec vtique ſinit nolens, ſed volens. Itẽ, Nos ſi eos in quos nobis eſt
» poteſtas, ante oculos noſtros perpetrare ſcelera permittamus, rei cum ipſis erimus.
» Quàm vero innumerabilia ille permittit fieri ante oculos ſuos, quæ vtique ſi noluiſſet,
» nulla ratione permitteret? & tamen iuſtus & bonus eſt.

Supereſt quod de ſimilitudinibus refers: quaſi nimirum Chriſtus perſpicuitatis cau-
ſa illas adhibuerit, ſicut in docendo ſolemus. At ego magnum eſſe diſcrimen dico inter
ſimilitudines quæ declarandæ rei cauſa ſolent à magiſtris vſurpari, & iſtas, quas vocãt,
parabolas, quas quidem rectius allegorias aut ænigmata quàm ſimilitudines vocaris.

QVARTA CALVMNIA.

Omnia quæ à quouis homine perpetrantur facinora, bona ſunt iuſtàque Dei opera.

ARGVMENTA CASTELLIONIS AD IIII. CALVMNIAM.

CONTRA *quartum exclamant illud Iſaiæ, Væ qui bonum malum, & malũ dicunt bo-
num. Si peccatum eſt bonũ, iuſtumq́ opus Dei, ſequitur vt iuſtitia ſit malũ iniuſtúmq́ opus
Dei: eſt enim iuſtitia omnino contraria peccato. Si peccatũ eſt iuſtum, ſequitur vt iniuſtitia
ſit iuſta. Nam peccatum eſt iniuſtitia. Si peccatum eſt opus Dei, ſequitur vt Deus faciat
peccatum: & ſi facit peccatum, ſeruus eſt peccati, ex ſententia Chriſti. Si peccatum eſt opus
Dei, & Chriſtus venit vt aboleret peccatum, venit vt aboleret opus Dei. Sin venit Chri-
ſtus vt aboleret opus diaboli, (ſicuti teſtatur Petrus) quænam ſunt opera diaboli? Si pecca-
tum eſt iuſtum opus Dei, Deus odit & punit iuſtum opus ſuũ, ergo iniuſtus eſt. Quòd ſi obiici
tur eis, peccatũ nõ eſſe Deo peccatũ, reſpõdẽt, Cuinã igitur eſt peccatũ, aut cur odit ipſe? aut
cur peccatũ, niſi quia eſt contra Legem nõ hominum, ſed Dei? Si peccatũ eſt opus Dei, Deus
facit*

facit peccatum: & ſi Deus facit peccatum, peccat: ſicut qui facit iuſtitiam, iuſtus eſt. Quòd ſi peccat Deus, cur alios peccare vetat? cur non potiùs peccare iubet, vt ſint homines eius imitatores? Patrem enim ſequi debet ſua proles. Eſtote ſancti, inquit, quia ego ſanctus ſum. Ergo eadem ratione dicendum erit, Operamini peccatum, quia operor peccatum.

REFVTATIO.

QVID eſt diabolum agere, ſi hoc nõ eſt? Verba Caluini quæ detorſiſti, hæc ſunt, VIDENDVM eſt, inquit, quomodo Dei voluntas rerum omnium quæ in mũdo geruntur, cauſa ſit, neque tamen malorum author ſit Deus. Non dicam cum Auguſtino (quod tamen vt verè ab eo dictum amplector) in peccato, ſiue in malo nihil eſſe poſitiuum. Eſt enim argutia, quæ multis non ſatisfaceret. Sed aliud mihi principium ſumo. Quæ perperam & iniuſtè ab hominibus fiunt, eadem recta & iuſta eſſe Dei opera. Hoc ſi prima ſpecie quibuſdam paradoxum videtur, ſaltem ne ſint ita faſtidioſi, quin pauliſper mecum ſuſtineant ex verbo Dei inquirere quid ſentiendum ſit. Hæc Caluinus. Deinde explicat ex Scripturis quomodo Deus conſilio ſuo dirigat quæ maximè videntur fortuita, quæ ſit neceſſitas Stoica, & quatenus contingentia non tollatur. Poſtea deſcendit ad eas actiones in quibus hominum conſilia & ſtudia interueniunt, docétque Deũ ita agere, vt per ipſos etiam impios, licet inſcios ac nolentes, quod diuinitus ordinatum fuerat compleatur. Docet in ſumma Caluinus, Deum etiam per mala inſtrumenta bene agere quoties libuit, nec tamen propterea vel ipſum eſſe vlli culpæ affinem, vel mala inſtrumenta non peccare. Si vel impiè, vel impropriè, vel nimium obſcurè loquitur, qui ſic loquitur, arguatur Spiritus ſanctus omnium iſtorum viciorum. Nec enim dubitat Dominus apud Iſaiam miſerabilem illam & omnium calamitatum atque adeò ſcelerum plenam Ieroſolymorum vaſtationem opus ſuum vocare, ſed contrario prorſus reſpectu. Sic non dubitat Petrus dicere definito conſilio & prænotione Dei traditum fuiſſe Chriſtum. Aſtipulatur Petro Eccleſia Ieroſolymitana, & aſperius etiam loquitur, ſi vlla eſt in his dicendi generibus aſperitas. Neque enim de Pontio Pilato & Herode aliter loquitur quàm de conſiliorum Dei adminiſtris. Paulus quoque apertè dicit Patrem non pepercisse Filio. Dicit Dauid pręmiſſum fuiſſe Ioſephum à Domino in Ægyptum. Idem vocat aduerſarios ſuos manum & gladium Domini. Dominus ipſe Nebuchadnezarem ſeruum ſuum appellat. Hoccine verò eſt cum Libertinis facere Deum authorem peccati, aut impiorum ſcelera cum ſanctis Dei operibus permiſcere? Sed de his copioſiſſimè dictum eſt in ſuperioris calumniæ depulſione.

Lib. de æterna Dei prædeſtin.

Iſa.10.a

Act.2.23

NON potuiſti verò locum vllum citare magis appoſitè quàm hunc Iſaiæ, vt qui tibi tuæque factioni prorſus conueniat. Quid enim aliud eſt dicere bonum malum, quàm facere quod facitis, id eſt, quæ ſanctè ac piè ſcripta ſunt, peſſimis calumniis inuertere? Itaque vide quàm candidè & ſimpliciter tecum agam. Quicquid his argumentis colligis, tibi verum eſſe aſſentior: ſed pluſculum etiam tibi concedo quàm fortaſſe velis, te nimirum aduerſus teipſum depugnare. Sed paucis tamen reſpondebo ad eam obiectionem quam nobis immeritò tribuis. Neque enim dicimus peccatum Deo peccatum non eſſe, ſed quum inter Dei & Satanæ vel malorum opus diſtinguimus, hoc dicere ſolemus, Dei agentis reſpectu bona & iuſta eſſe opera, quæ, ſi ſpectemus mala inſtrumenta, quatenus & ipſa agunt, mala & iniuſta ſunt opera, ac proinde iuſtis pœnis à Deo puniuntur. Hæc noſtra diſtinctio non eſt, quum Dominus apud Iſaiam manifeſtè illam ſtabiliat, & Petrus quoque cum tota Ieroſolymitana Eccleſia, vt paulò antè docuimus. Sic item Auguſtinus, QVVM, inquit, Pater tradiderit Filium, & Dominus corpus ſuum, & Iudas Dominum, cur in hac traditione Deus eſt iuſtus, & homo reus, niſi quia in re vna quam fecerunt, cauſa non vna eſt ob quam fecerunt? Quòd ſi etiam libet legere quod idem Auguſtinus & ſanctè & acutè ſuo more de his rebus ſcripſit in Enchiridio ad Laurentium, capite 100, multa intelliges quæ prius à te cognita oportuit quàm noſtra reprehenderes. Hæc igitur diſtinctio tibi vel concedenda vel oppugnanda eſt, non ea Chimæra quam tute tibi confinxiſti, quum hæc ad nos nihil pertineant, & iſta Libertinorum hæreſis à nullo ſit grauius aut copioſius confutata, quàm ab eo ipſo Caluino cuius teſtimonium antea protulimus.

Iſa.10.5.6.&c. Act.2.23.& 4.28.

Ep.48.ad Vincẽtium.

Qvinta calvmnia.

Nullum adulterium,furtum,homicidium committitur,quin Dei voluntas intercedat.Inſtit.lib.1.cap.17.ſect.5.

Responsio.

Si adiiceres quod eo loco Caluinus tractat ex profeſſo aduerſus eam ipſam hęreſin
quam nobis impingis,tum demum cõitaret verè & piè dictum eſſe quod tu calumnioſè
reprehẽdis. Neque enim ſimpliciter dicimus voluntatem Dei interuenire in iis quæ
mala ſunt,ſed duo adiicimus. Vnum,ita interuenire Dei volũtatem in his etiam rebus,
vt tamẽ eas minimè velit aut agat quatenus malæ ſunt, ſed quatenus ſunt aliorum malorum
pœnæ,aut per eas Dominus occulta quidem interdum, ſed tamen ſemper iuſta
ſua iudicia exequitur. Alterum,ſic Dominum vti,quoties libuit,malis etiam inſtrumẽtis
ad iuſta ſua opera peragenda,vt ipſa interim Dei voluntati minimè pareant,imò verò
ex diametro repugnent.De vtroque nimiùm multa iam à nobis dicta ſunt. Repetam
tamen paucis nonnulla,vt te tãdem expleam. Quum adulterium Dauidis vlturus eſſet
2.Sam.12. » Dominus, Ecce,inquit,ego ſuſcito ſuper te malum è domo tua, & tollam vxores tuas in
» oculis tuis,tradámq; proximo tuo, & dormiet cum vxoribus tuis in conſpectu ſolis hu-
» ius.Tu enim feciſti in abſcondito,ego verò faciam rem iſtam coram vniuerſo Iſraele,&
» coram ſole ipſo.Obſecro verò,an qui facit,(ſic autem hæc decernit Dominus, vt minimè
ſit inceſtus author, ſed adulterium & homicidium iuſtè puniat) an tibi videtur vo-
Iſa.33.1. » luntatem ſuam non interponere? Vbi ſpoliare deſieris,inquit Dominus,ſpoliaberis. Nõ
autem tibi videtur Deus prædatores in aliorum prædonum manus volens tradidiſſe? Si
hoc audes inficiari, Dominus te refellet apud eũdem Prophetam Iſaiam, his verbis cõ-
pellans Medos & Perſas, per quos decreuerat Babylonios Iudæorũ prædones prædari,
Iſa.13. » Ego præcepi ſanctificatis meis,adeóque vocaui fortes meos ad iram meã. An verò hæc
verba [illegible] & [illegible] illi putas conuenire qui voluntatem ſuã non interponat? Quid verò?
Iob 1. » quum Dominus Satanæ diceret,Ecce,quæcũque habet Iob,in poteſtate tua ſunt, nihil
decernebat? & paulò pòſt blaſphemus fuit Iobus,quum neglecto Satanæ & Chaldæorum
latrocinio diceret, Dominus dedit,Dominus abſtulit? Et quum dicit Dominus, fore
vt qui gladio cædit, gladio pereat, non tibi videtur agere de iis iudiciis quæ per aliorum
manus volens exequitur,etiam quum latro latronem interficit? Interuenit igitur
Dei voluntas,& quidem iuſta & ſancta, tum quoque quum homines malè agunt,
ac proinde meritas dant pœnas. Sed libet ipſa Caluini verba non mutila, vt tu feciſti,
ſed integra citare,vt & tuam impudentiam & ipſius integritatem omnibus ſpectãdam
proponam.
Cal.Inſt. lib.1.cap. 17.ſect.5. » Idem (inquit) præteriti temporis euentus perperam & incõſideratè ad nudã Dei
» prouidentiam trahunt.Nam quia ex ea pendent quæcunque cõtingunt, Ergo, inquiũt,
» nec furta,nec adulteria,nec homicidia perpetrãtur,quin Dei voluntas intercedat.Cur
» ergo,inquiunt,fur punietur,qui eum expilauit quem Dominus voluit paupertate caſti-
» gare? cur punietur homicida,qui eum interfecit cui vitam Dominus finierat? Si Dei vo-
» luntati ſeruiunt huiuſmodi omnes,cur punientur? Hactenus in Libertinorum perſona
loquutus eſt Caluinus:qua in re inauditam quandã improbitatem prodis, qui Caluino,
ipſi tribuas quod in Libertinorum perſona dictum eodem loco ſtatim his verbis refu-
» tat.Subiicit enim hæc:Sed enim eos Dei volũtati ſeruire nego. Nõ enim qui malo ani-
» mo fertur, præbere miniſterium Deo iubenti dicimus, quum malignæ cupiditati tan-
» tùm obſequatur.Paret ille Deo,qui de eius voluntate edoctus, eò contendit quò ab ea
» vocatur. Vnde autẽ edocemur,niſi ex eius Verbo? Proinde in rebus agendis ea nobis eſt
» perſpicienda eius voluntas quam Verbo ſuo declarat. Id vnum à nobis Deus requirit
» quod præcipit. Si quid aduerſus præceptum deſignamus,non obedientia eſt, ſed con-
» tumacia & tranſgreſſio. Subiicit deinde Caluinus alias Libertinorum obiectiones,
quas alio loco tuis argumentis opponam. An verò te nunc tui non pudet, quòd ea
ipſa Caluino obiicias quæ diluit? Perinde enim facis vt ſi quis hodie Epicureus Dauidem
Pſal.14.1. velit in ſuas partes pertrahere,quoniam apud eum ſcriptum eſt,Non eſt Deus.

Sexta

Sexta calvmnia.

Teſtatur apertè Scriptura, maleficia deſignari Deo non ſolùm volente, ſed authore.

Responsio.

Qvoties iam oſtendi mille teſtimoniis ex ipſo Caluino petitis, hoc ipſum quod ei obiicitis ab eo oppugnari? Non repetam igitur quod iam millies dixi. Sed tamen operæpretium eſt videre quam occaſionem arripueris conſuendæ iſtius calumniæ. Sic ſcripſit Caluinus aduerſus Pighium & Siculum, ex quorum lacunis imputas veſtras ſordes hauſiſtis. tenenda eſt, inquit, Auguſtini ſententia: Quum vult fieri Deus quod non niſi volentibus hominibus fieri oportet, eorum ſimul corda inclinare vt velint: ipſumque non tantùm auxiliando in cordibus agere, ſed etiam iudicando, vt impleant quibus tale nihil propoſitum eſt, quod manus eius & conſilium decreuit. [August. lib. de prædeſtinatione ſanctorũ, cap. 20.] Et mox, Hinc certè iam colligere promptum eſt quàm inane & fluxũ ſit illud Diuinæ iuſtitiæ patrocinium, quæ mala ſunt, non eius voluntate, ſed permiſſu duntaxat fieri. Equidem quatenus mala ſunt quæ malo animo perpetrant homines (vt ſtatim plenius exponam) Deo minimè placere fateor. Sed quod otioſum ea permittere fingunt quæ Scriptura nõ tantùm eo volente, ſed authore fieri pronuntiat, nimis friuolum eſt effugium. Hactenus Caluinus, quem nimirum tu tibi viſus es retibus tuis implicitum tenere, quum hæc legeres, ſed quàm ſtultè mox oſtendam. Volo enim tibi gratificari, & alium locum similẽ proferre, ex Caluini libello aduerſus Libertinos, cap. 14. Vehementer, inquit, indignatur Dominus, quum exiſtimamus quicquam aliunde proficiſci, neque in ipſum intuemur, [Suprà in reſp. ad tertiã cal. idẽ tractatur.] vt eum agnoſcamus, nõ ſolùm vt præcipuam omnium cauſam, ſed etiam vt authorem, hoc vel illo modo omnia conſilio ſuo ſtatuentem. Sic igitur cõcludamus, tam proſpera quàm aduerſa, pluuias, vẽtos, grandines, gelu, ſerenitates, abundantiã, famem, bellum, pacem, opera Dei eſſe: creaturas autẽ, quæ inferiores cauſæ ſunt, inſtrumẽta ſolùm eſſe quæ in vſu habet ad exequendam voluntatem ſuam, ideóque iis arbitrio ſuo vti, quocunque libuerit ea cõuertere, eóque adducere, vt omnino fiat quod conſtituerit. Hæc Caluini verba ſunt, quæ ſi tu ita accipis quaſi dicat Deum authorem eſſe maleficiorũ, aut velle peccatum, omnem certè impudẽtiam ſuperas, quum eam ipſam blaſphemiam Caluinus iis locis refellat. Quoniam autem nonnulli vt Libertinorum argumentũ ſoluant in aliũ errorem nõ multo minus reprehendendũ prolabuntur, vt qui otioſam Dei permiſſionem pro actione pleriſque in rebus ſubſtituãt, ideo primùm omnium putauit hunc errorem refutandum. Docet igitur Deum aliter quidem, ſed tamen nõ minus per mala inſtrumenta quàm per bona opus ſuum peragere: ac proinde, quũ ſemper agat vt αὐτοκράτωρ, nõ vt ſpectatorem otioſum, neque etiam duntaxat vt ſolius exitus moderatorem, ſed vt verè authorem interuenire: authorem, inquam, non operis quod malè agunt mala inſtrumenta (hoc enim de tuo adiecisti, Caſtellio) ſed eius operis quod iuſtiſſimè tum quoque facit Deus per illa, quum ipſa peſſimè agunt. Nõ docet igitur Caluinus maleficia patrari vel Deo volente, vel Deo authore: ſed docet quod veriſſimum eſt, etiam ſi peccet inſtrumentũ, quoniam agit vitioſa voluntate, Deum tamen nihil minus quàm peccare, quum per malum bene agit, & ſui huius operis ſanctiſſimi voluntarium eſſe authorem. Sic per Satanam & impios quotidie Eccleſiam ſuam exercet & confirmat. Sic impiorum manibus quoties libuit impios vlciſcitur. Sic per Aſſyrios populum ſuum caſtigauit. Sic per Abſalomum voluit Dauidis adulterium punire, ipſo tamen Dauide ſeruato. Sic per Ioſephi fratres præparauit hoſpitium Eccleſiæ ſuæ. Sic per Herodẽ & Pilatum redemit mundũ. Omnes tamen iſtos, vt impiè agentes, meritò vlciſcitur. Si hæc inficiaris, prouoco ad Scripturæ teſtimonia, quæ penè infinita citauimus in tertiæ Calumniæ depulſione, vt ea prætermittam quæ ex Auguſtino & Caluino in eam ſentẽtiam toties iam ad verbum deſcripſimus.

argvmenta Castell. ad v. et vi. calvmniam.

Contra *quintũ & ſextũ dicunt & alia multa, & hac in primis. Si Deus vult peccatum, authorq́ eſt peccati, Deus ipſe eſt puniendus. Nam omnino peccatũ animaduertendũ eſt in au-*

thorem. Si Deus vult peccatum, diabolus non vult peccatũ: eſt enim diabolus Deo omnibus in rebus contrarius. Si Deus vult peccatum, amat peccatum: & ſi amat peccatum, odit iuſtitiam. Si Deus vult peccatum, eſt peior multis hominibus: nam multi homines nolunt peccatũ: quin quo quiſque propius accedit ad naturam Dei, eo minus vult peccatum. Cur ergo dicit Paulus, Non quod volo bonum facio, ſed quod nolo malũ, hoc facio? Cur non vult Paulus quod vult Deus, aut cur vult Paulus quod non vult Deus? Poſtremò quærunt quanam Scriptura teſtetur maleficia deſignari Deo non ſolùm volente, ſed authore.

RESPONSIO.

QVID pluribus tecum contenderem, Caſtellio? Inſanis, quum nos tam ſtultos putas, vt nobis vel in mentem veniat, Deum velle aut amare peccatum, aut Deo authore maleficia deſignari. Quæcunque verò tu ineptè hoc in loco aduerſum nos torſiſti, iam oſtendi ex eo ipſo eſſe deprompta quem oppugnas, nedum vt ea inficiemur, vel vt contra nos faciant.

SEPTIMA CALVMNIA.

Quòd homines faciunt dum peccant, ex voluntate Dei faciunt: ſiquidem ſæpiſsime pugnat Dei voluntas cum præcepto.

RESPONSIO.

ETIAM ſi Satan & infideles ne tantillum quidem poſſint aduerſus pios vel impios, niſi Deo decernente & volente, ac proinde permittente, non tamen cõſequitur, quòd peccãt, hoc eos facere ex Dei voluntate. Nam etiam ſi vult Deus quod vult Satã & infideles, nõ tamen eo modo nec eo reſpectu vult quo Satã & infideles volunt. Iuſtè enim vult & iuſtè per eos facit Deus, quod iſti peſsimè & volunt & faciunt: quoniã ſic agũtur à Deo, vt etiam ſuas partes agant, cõſilio nimirum ac voluntate deprauatis. Magna eſt igitur interdum diſſenſio, vbi ſummus videtur cõſenſus: & è cõtrario magna conſenſio, vbi magna eſſe videtur diſcordia. Qua de re libet elegantiſſimum Auguſtini locum ſubiicere, vt tua calumnia melius appareat. Sic igitur ille ad Laurentiũ ſcribens, quẽ locum Caluinus appoſitè citauit & pulcherrimis exemplis illuſtrauit. ALIQVANDO, inquit, bona voluntate homo vult aliquid quod Deus nõ vult, etiam ipſe bona multò amplius multóq; certius voluntate: veluti ſi bonus filius patrem velit viuere, quem Deus bona voluntate velit mori. Et rurſus fieri poteſt vt velit homo volũtate mala, quod Deus vult bona: vt ſi malus filius velit mori patrem, velit hoc etiã Deus: nempe ille vult quod nõ vult Deus: iſte verò vult quod vult & Deus. Et tamen bonæ voluntati Dei, pietas illius potius cõſonat, quanuis aliud volentis, quàm huius idem volentis impietas. Tãtum intereſt quid velle homini, quid Deo cõgruat, & ad quem finem quiſque ſuã referat volũtatem, vt vel approbetur vel improbetur. Nam Deus quaſdam voluntates ſuas, vtique bonas, implet per malorum hominum volũtates malas: ſicut per Iudæos maleuolos bona voluntate Patris Chriſtus pro nobis occiſus eſt. quod tantum bonum fuit, vt Apoſtolus Petrus, quãdo id fieri nolebat, Satanas ab ipſo qui occidi voluerat, diceretur. Quàm bonæ apparebant voluntates piorum fidelium, qui nolebant Apoſtolum Paulum Ieruſalem pergere, ne ibi pateretur mala quæ Agabus Propheta prædixerat? Et tamen Deus hæc illum pati volebat pro annuntianda Chriſti fide exercẽs martyrem Chriſti: neque iſte bonam voluntatem ſuam impleuit per Chriſtianorum voluntates bonas, ſed per Iudæorum malas: & ad eum potius pertinebãt qui nolebant quod volebat, quàm illi per quos volentes factum eſt quod volebat: quia id ipſum quidem, ſed ipſe per eos bona, illi autem mala voluntate fecerũt. Sed quælibet ſint voluntates vel Angelorum, vel hominũ, vel bonorum, vel malorũ, vel illud quod Deus vel aliud volentes quàm Deus: Omnipotentis voluntas Dei ſemper inuicta eſt, quæ mala eſſe nunquam poteſt: quia etiam quum mala irrogat, iuſta eſt: & profectò quæ iuſta eſt, mala non eſt.

Enchiridio ad Laurẽtiũ ca. 101. Cal. Inſtit. lib. 1. cap. 18. ſect. 3.

Ecce tibi copioſè, verè, ac perſpicuè explicatam priorem calumniæ tuæ partem. Nunc ad alteram venio, in qua comminiſceris Caluinum tradere, voluntatem Dei ſæpiſſime pugnare cum pręcepto. Dicam autem primùm de re ipſa: deinde Caluini verba proferã, vt de tua in iis deprauandis audacia cuiuis cõſtare poſſit. Fatemur Dominũ in

Decalo-

Decalogo & eius explicatione plenè & integrè ſuã nobis voluntatem patefeciſſe, quod
ad vitam quidem attinet piè & innocentet tranſigendam. Dico tamen te inſanire ſi exi-
ſtimas omnem Dei voluntatem eſſe in ipſius Lege cõprehenſam. Quid enim? gratuita
per Chriſtum redẽptio ad eius voluntatem non pertinet? Nulla tamen in Lege mentio
huius beneficij. Pertinet enim huius volũtatis declaratio ad alteram verbi Diuini par-
tem, quæ Euangelium vocatur. Num verò, quum ſic loquimur, duas voluntates Deo tri-
buimus, & eas quidem ex diametro repugnantes? Contraria enim hæc ſunt, *Niſi feceris
hæc omnia, morieris:* &, *Etiam ſi non feceris, tamen, ſi credideris, viues.* Abſit tamen vt pro-
pterea duas voluntates Deo tribuamus, nedum contrarias, quum vna, eáque ſimpliciſ-
ſima, & ſui ſemper ſimilis ſit Dei voluntas. Legem enim Dominus nunquam dedit ea
voluntate vt per eam nos ſeruaret, ſed potius vt nos iniuſtitiæ per eam conuictos ad
Chriſtum adduceret. Neque Euangelium abolet iuſtitiam ex Lege, ſed quam in nobis
non inuenimus, eam docet nobis in Chriſto per fidem gratis imputari. Vides igitur nõ
ſtatim eſſe duas voluntates vbi duæ apparent, nec illic eſſe tepugnantiã vbi ſumma eſſe
videbatur. Pergam vlterius. Si putas tibi patefactum eſſe quicquid vult Deus, nec ali-
quam ſupereſſe occultam Dei voluntatem, dic quæſo, quid vel tibi vel mihi ctas ſit ex
Domini voluntate euẽturum. Diuina quandiu Dominus ſit paſſurus vt Eccleſiam Dei
vaſtes. Aut, ſi iſta non placet dicere, vaticinare ex tuis illis Sybillis, quas audio te ſolere
ipſis etiã ſanctiſſimis Prophetis, tanquam apertiores & clariores anteferre, vter ex duo-
bus regibus ſit victor futurus, Henricus an Philippus. Nam ſi hoc præſtiteris (præſta-
bis autem facilè, ſi nulla tibi ſupereſt occulta Dei voluntas) magna cura & ſolicitudine
miſeros multos mortales liberaris: & quod fruſtra iampridem miſerè captas, magnum
tibi nomen ſtatim quæſieris. Hodie manè pluit apud nos, reliquus dies ſatis ſerenus fuit.
Ponamus iiſdem è contrario momentis ſerenum fuiſſe cælum Lutetiæ quum hic plue-
ret, & pluiſſe quum hîc ſerenitas eſſet. Omnia hæc euenerunt Dei decreto & volũtate.
Num igitur duæ in eo & quidem contrariæ ſimul voluntates? An verò tandem agnoſci-
tis, quam inepta, quàm ſtulta, quàm ridicula ſint hæc veſtra? Quum enim dicimus quã-
dam eſſe Dei voluntatem nobis patefactam, quandam verò occultam, ſtatim magno
cum cachinno, graues ſcilicet homines, quæritis an duæ ſint in Deo volunrates, & vo-
luntatem iſtam occultam quomodo nouerimus. Quaſi verò quum ita loquimur, nõ ſit
ſatis perſpicuum nos non aliud dicere, quàm voluntatem Dei (id eſt, conſilia ipſius æ-
terna) partim nobis eſſe patefactam, quatenus videlicet ſalutis noſtræ intereſt, quomo-
do teſtatur Paulus ſe omne conſilium Dei Epheſiis annunciaſſe, vt omnem falſæ do- Act. 20. 27
ctrinæ viam præcluderet: partim verò occultam adhuc manere, quatenus videlicet pro
infinita ſua ſapientia & poteſtate multa decreuit, & quotidie exequitur, quæ ipſorum
etiam Angelorum nedum miſerorum homuncionum captum & intelligentiam o-
mnem ſuperent, atque adeò quæ religioſè potius adorare quàm curioſè ſcrutari opor-
teat. Hoc verò qui verum eſſe non agnoſcit, quid tandem nouit? Imò in ea ipſa do-
ctrina quam nobis patefecit, quàm multa ſunt de quibus minimè nobis eſt dubitãdum,
quorum tamen rationem inire ſi coneris, non minus inſanias quàm ſi Deum ipſum
velis comprehendere? Perſtringit autem hic ſplendor aciem oculorum noſtrorum,
cùm in multarum rerum contemplatione, tum verò maximè in hoc argumento quod
tractamus. Quum enim certum ſit Deum quos vult indurare, & huic voluntati reſi-
ſti non poſſe, ſi quæras qui non ſit igitur Deus in culpa, afferes quidem quod res eſt,
ſatis conuinci homines propriæ conſcientiæ teſtimonio: ſed quoniam ea ratio non po-
teſt humano iudicio ſatisfacere, neceſſe eſt vt cum Paulo dicas, O homo, tu quis es « Rom. 9. 20
qui ex aduerſo reſponſas Deo? Et vbi multa de his myſteriis Dei diſſerueris, neceſſe e- «
rit vt cum Paulo exclames, O profunditatem diuitiarum tum ſapientiæ, tum cogni- « Rom. 11. 33
tionis Dei! & cum Dauide, Iudicia tua Domine, abyſſus multa: & cum Iſaia, infini- « Pſal. 36. 5
tam eius omnipotentiam tacitus adores. Concidunt igitur veſtræ omnes argutiæ, Iſa. 40. 12. & deinceps.
aut futiles potius nugæ, quaſi Deum ſibiipſi contrarium ponamus. Nam etiam ſi
comprehendere non poteſt mens humana qua ratione præter Dei voluntatem fieri
ne id quidem poſſit quod eſt contra eius voluntatem, vt ait Auguſtinus: non tamen
conſequitur verum hoc non eſſe, quum plurima ac manifeſtiſſima Verbi teſtimonia ex-
tent, quibus id ita eſſe confirmetur, vt ſuprà oſtendimus. Nam otioſa illa permiſſio in a-
ctione malorum inſtrumentorum, & ſola illa moderatio euentus ac ſola conuerſio boni
in malum, præterquàm quòd manifeſtiſſimis ſacræ Scripturæ locis refellitur, prot-

ſus etiam eum Dei natura pugnat,cuius nulla eſſet in vindicādis ſceleribus actio. Affert
tamē Auguſtinus eam rationem quæ moderatis omnibus ingeniis ſemper ſatisfecit, vt
ſuprà oſtēdimus in tertiæ Calumniç depulſione. Quoties enim agit Dominus per ma-
la ac proinde peccantia inſtrumenta,actiones ipſę,quanuis ſuapte natura peccata ſint,
nō ſunt tamen agentis Dei reſpectu peccata,ſed peccatorum pœnæ,quibus Dominus
vel priora peccata vlciſcitur,vel ſuos etiam ad patientiam exercet, vel vtrunque ſimul
facit.Itaque Deus ne rum quidem quum peccata videtur velle quæ tamē in Lege pro-
hibuit,ſui diſſimilis videri poteſt,imò verò talem ſe præbet qualē Lex illum nobis pro-
ponit,ſeuerum videlicet ſcelerum vindicem & vltorem. Hoc verò nemo, meo iudicio,
planius explicauit Caluino , & quidem eo ipſo loco quē tibi reprehendendum putaſti.

Lib. cōtra Iulianū,5.cap 3.

» NON EST,inquit,quòd Deum in ſocietatem criminis quiſpiam arripiat,quoties inter
» arcanum eius cōſilium,& palàm vitioſas hominum cupiditates aliqua ſimilitudo ſe o-
» ſtendit.Et mox,CERTE,inquit,quum Paulus exclamat, O altitudo! aliud quoddam de
» Iudæis fuiſſe Dei iudicium apertè docet,quàm quod exprimitur Chriſti verbis , Ieruſa-
» lem quoties volui cōgregare filios tuos?Et quòd filios Heli patri morigeros eſſe noluit,
» voluntas illa à Legis præcepto differebat,quo iubet filium parentibus obſequentem eſ-
» ſe. Hic verò locus eſt ex quo calumniam tuam cōpegiſti. Tu enim pro Differre à Legis

De æterna prædeſtinat pag. penultima.

præcepto, ſubſtituiſti,Pugnare cum Legis præcepto, Atqui quæ inter ſe differunt, non
tamen neceſſariò repugnant:vt in hac ſpecie cōtumacia non pugnat cum obedientia,
quatenus quidem illam vult Deus. Neque enim vult Deus filios Heli rebelles eſſe patri,
quaſi hanc rebellionem in ſeſe ſpectans & approbans, ſed hac ratione potius iuſtis ſuis
iudiciis aditum patefaciens. Num verò hæc inter ſe repugnant , ac nō potius ſummè in-
ter ſe cōſentiunt,præcipere vt parentibus obediatur,& rebelles huic præcepto alia re-
bellione vlciſci, vt tandem meritas dent pœnas? Præterea ne tibi videar ad argutias tō-
fugere,audiamus quam huius dicti interpretationem ſubiiciat Caluinus, ne de obſcuri-
tate vel ambiguitate queri poſſis. Nam quid æquius eſt quàm vt ipſe ſit mentis ſuæ in-

Ibidē ad finē vſque.

» terpres? IN EO (inquit) falluntur multi,quod Deum iuſtè velle nō reputant,quę homines
» peccando faciunt. Quomodo?inquies. Adulteria inceſtóſque coitus abominatur. Quòd
» Abſalom patris cōcubinas coram populo conſtuprat, an fit Deo volente? Atqui hocſe
» facturum ipſe per ſeruum ſuum Nathan prędixerat. Tollam,inquit,vxores tuas in ocu-
» lis tuis,& dabo proximo tuo,qui cum illis dormiet in conſpectu ſolis huius. Tu feciſti
» occultè,ego autem coram toto populo,& coram ſole facturus ſum. Plena eſt talibus e-
» xemplis Scriptura . An ideo vel peccati culpam Deo imputabimus,vel duplicem in eo
» voluntatem fabricabimus,vt ſecum ipſe diſſideat? Minimè. Verùm ſicuti iam oſtendi i-
» dem eum velle cum ſceleratis ac improbis,ſed diuerſo modo:ita nunc tenendū eſt, quæ
» in ſpeciem diuerſa ſunt,eodem modo eum velle,vt in iſta quæ mentibus noſtris occur-
» rit varietate,optimè tēperata ſit ſymphonia. Quatenus immanis aduerſus patrem im-
» pietas,perfida coniugij violatio , fœda etiam ordinis naturæ prophanatio eſt Abſalomi
» facinus,diſplicere Deo certum eſt,cui placet honeſtas,pudicitia,fides,modeſtia:qui le-
» gitimum quem præſcripſit ordinem coli & integrum ſeruari vult inter homines. Quia
» tamē illi placet hoc modo adulterium Dauidis vlciſci:quæ diuerſa nobis videntur, eo-
» dem modo vult. Vna enim & ſimplex eſt volūtas,qua præcipit quid fieri debeat, & qua
» Legis ſuæ tranſgreſſiones vlciſcitur. Dictum alibi eſt, peccata eſſe pœnas quas Deus ſu-
» perioribus peccatis rependit. In talibus documentis duo nobis conſideranda ſunt:iuſtū
» Dei iudicium,quo ſe peccatum,cui pœnam irrogat,teſtatur odiſſe: & hominis malitia,
» quæ Dei voluntati palàm aduerſa eſt. Quòd ſi tam immenſus ſplendor mentis noſtræ
» aciem perſtringit,quid mirum? Ad ferendum ſolis intuitum corporei oculi nō ſufficiunt,
» an vel ingenio noſtro maior perſpicacia , vel Dei maieſtas ſolis fulgore inferior? Nos
» ergo nimis acutos eſſe non conuenit : modò ne interea quod Scriptura clarè docet, at
» experientia confirmat,vel negemus verum eſſe, vel tanquam Deo minus cōſentaneum
» carpere audeamus. Hactenus Caluinus. Tandem igitur vos pudeat hoc affirmare , Cal-
uinum dicere,Dei voluntatem ſæpiſſime cum præcepto pugnare, id eſt, Deum à ſeipſo
diſſidere:quod nemo niſi perditiſſimus dixerit.

Rom.1.23. 24.25.26. 27.28. 2.Theſ.2. 10 11.

I. ARGVMENT. CASTELL. AD VII. CALVMNIAM.

SVPER *ſeptimo quærunt, Si Dei voluntas ſæpe pugnat cum præcepto , quomodo cogneſci poſſit quando velit aut quando nolit quod iubet.*

RESV-

REFVTATIO.

TVVM eſt commentum, pugnare Dei voluntatem cum præcepto. Quod præcipit Dominus,hoc ei placere dicimus,& diſplicere quicquid vetat. Quòd ſiquid interdum videtur velle quod in Lege prohibuit,nulla tamen eſt in eo repugnantia:quoniam Dominus quæ natura repugnant,poteſt tamen eodem modo & eodem fine velle, vt paulò antè manifeſtis Scripturæ teſtimonijs oſtendimus.

II. ARGVMENT. CASTELL. AD VII. CALVMNIAM.

Si dicet Caluinus debere ſemper fieri quod iubet,ſiue id velit,ſiue nolit,ſequitur vt velit Deus vt ipſius voluntati aliquandò reſiſtatur.Si enim mihi præcipit vt non adulterē, & tamē vult vt adulterem,& tamen debeo non adulterare,debeo facere contra voluntatem eius.

REFVTATIO.

DEI voluntatem dicimus & affirmamus non alibi quærendam quàm in Dei verbo. Quod autem adijcis,ſiue id velit,ſiue nolit,adijcis de tuo ſicut ſycophantæ ſolent. Sed velle interdum de ijs demū dicitur quæ per ſe ac ſimpliciter approbamus,ſi boni ſumus, quoniam bona ſunt:ſin mali,quoniam mala.nam & boni bonis,& mali malis delectantur. Interdum verò velle id quoque dicimur,quod quum per ſe damnemus,tamen propter certum finē expetimus,nec tamen propterea vel ipſi à nobis diſſidemus, vel volumus vt noſtræ voluntati reſiſtatur:quoniam quæ ſuapte natura contraria ſunt, optimè tamen,quatenus ea volumus,inter ſe conſentiunt. Student paci boni principes, & volunt ciuium non vniuerſorum modò,ſed etiam ſingulorum vitam conſeruatam.Iidem tamen facinoroſos iubent occidi,& bella decernunt quæ ciuium ſanguine adminiſtrātur.Quid verò magis inter ſe repugnans quàm ſeruare in vita,& interficere?pax & bellū?Sed tamē vna & ſimplici voluntate,imò etiā eôdē reſpicientes boni Principes,vtrūq; interdū volunt.Dānat latrociniū Dominus: idē tamen vult Iobū latrocinio probare & exercere.Nulla hîc repugnantia in Dei voluntate.Nā latrociniū vetare, & ſerui ſui patientiā cōfirmare,quocunq; modo id fiat, diſſeiunt quidē, ſed cōtraria non ſunt. Tantùm repugnantiā eſt inter Satanæ & Dei voluntatē:quoniā malè vult Satan,quod bene vult Deus.Damnat Dominus adulteros,& inceſtuoſos ſeueris pœnis meritò ſubijcit,eidē placet Dauidis adulteriū vindicare Abſalomi inceſtu.Nulla hîc quoque repugnātia, imò ſummus conſenſus.Neque enim Abſalomi inceſtum vult Dominus vt inceſtum, ſed vt adulterij pœnā.Itaq; vbi videri poſſet Dominus Legem ipſe ſuā violare,tantum abeſt vt violet,vt etiam eius transgreſſionem vindicet.Sed rurſus Abſalomi mala voluntas bonæ Dei voluntati repugnat,quanuis idē in ſpecie velle vterque videatur.Vult enim Deus punire adulterium Dauidis,& ipſius quoque Abſalomi arrogantiam & perfidiam.Ipſe autem Abſalomus ſciens ac prudens facit quod nouit Diuinis & humanis legibus interdictum.Itaque in Deum,in naturam,in patrem,in ſeſe peccat.Vides argutias tuas ſponte concidere? Nam vt hæc tibi non ſatisfaciant, ſtat tamen firmum illud Auguſtini dictum, Miro & ineffabili modo non fieri præter Dei voluntatem quod fit contra eius voluntatem.Non capio,dices.Atqui ſol lucet,etiam ſi talpæ nihil vident. In Pſal.1.& Enchirid. ad Laur.c.100.

III. ARGVMENT. CASTELL. AD VII. CALVMNIAM.

Iam verò quum in vniuerſum præcipit Iſraelitis, Ne adulterato: vtrum vult vt omnes nō adulterent,an vt pars adulterēt,pars nō itē? Hîc petunt certum aliquod reſponſum,Caluine. Si dices cū velle vt pars adulterent,pars non itē,erit Deus ipſe ſibi cōtrarius in eodē præcepto.

RESVTATIO.

VBI ſenſus ille tuus communis?Si præceptum de nō adulterando ad partem Iſraelitarum duntaxat pertineret,& alteri parti præceptū eſſet adulteriū,cur ſibi eſſet Deus contrarius,ſi diuerſa aut etiam contraria diuerſis præciperet? Vult Leuitas Arcam geſtare,prohibet alijs ne attingant,aut etiam collapſuram erigant.An Deus propterea ſibi contrarius,quòd in alijs approbet quæ in alijs damnet? Sed audi planū & perſpicuū reſponſum.Deus neminem vult adulterare. Ergo,dices, falſum eſt Deo volente adulteria committi,ſiue Dei voluntatem in adulterijs interuenire. Concedo, quatenus a-

dulterium,adulterium eſt:nego,quatenus eſt adulterij,vel alterius criminis pœna,vt in Abſalomio apparet.Iuſta enim eſt hæc ἀντιμισθία coram Deo,vt loquitur Paulus.

IIII. ARGVMENT. CASTELL. AD VII. CALVMNIAM.

Item dicunt Deum eſſe hypocritam,ſi aliud præcipit,aliud vult:& in ore mel, in corde fel habere.

REFVTATIO.

TV verò hypocrita non es,qui tam apertè,tam impuro ſermone vtaris.Quod præcipit Deus,ſincerè ſemper præcipit:quod vetat,ſincerè vetat. At ſæpe,dices,exigit ab aliquo quod tamen non vult ab eo fieri,ſi vobis creditur.Cedò exemplum.Exigit à Pharaone vt Iſraelitas dimittat,neque tamen vult Pharaonem dimittere,quum volẽs eum induret.Mittit Iſaiam qui à populo exigat emendationem vitæ, & tamen populum excæcat vt videns non videat.Quotidie multos vocat, quos tamen ad ſe non trahit.Hæc, inquis,veſtra eſt doctrina.Concedo.Sic enim didicimus loqui ex Dei verbo,ſed Deum propterea ſimulatorem eſſe negamus. Nam præcipere & nolle contraria non ſunt : ſed hæc demum cõtraria ſunt,præcipere & prohibere,velle & nolle.Itaque tum eſſet Deus ſimulator,ſi Pharaonem iuberet dimittere Iſraelitas,& volẽtem parere Pharaonem impediret quominus pareret:aut ſi diceret incredulis, Volo vt reſipiſcatis,& interim non trahendo iuberet ſecuros eſſe de reſipiſcentia.Etſi autem verum eſt Deum velle,id eſt, approbare,& gratum habere quicquid præcipit,& ſincerè naturã ſuam patefacere tum præcipiendo,tum vetando:tamen nõ conſequitur eum ſemper facere hanc gratiam ijs quibus aliquid præcipit aut vetat,vt poſſint facere quod præcipit, aut abſtinere ab eo quod vetat.Dicit ergo Dominus Pharaoni per Moſen,Dimitte populum meum: nec tamen flectit animum eius,ſed indurat.Dicit Iſraelitis per Iſaiã,Reſipiſcite:& ipſe quoque Phariſæis,Reſipiſcite:& per Paulum,Credite Euangelio:& tamen pleroſque ex illis non trahit.Nego tamen propterea vllam hic eſſe ſimulationis ſpeciem. Seriò enim exigit Dominus quod exigit,ſeriò prohibet quod prohibet. Sed ſiquid hîc eſt in quo humana ratio obſtrepat,hoc illud eſt potiùs,quòd iniquè videatur Dominus vel præcipere quod præſtari non poſſe ſciat,vel prohibere quod non poſſe nõ fieri ſatis intelligat. Sed abſit vt in Deum cadat vlla iniquitas.Imò ſapientiſſimus eſt,qui eiuſmodi horrẽdis iudicijs illuſtret gloriam ſuam,patefaciat nobis quæ ſit humanæ mẽtis cæcitas & malitia, & quàm miſerabilis hominum cõditio abſque ſingulari ipſius gratia:impios vlciſcatur: ſuos doceat cum timore & tremore ſaluti ſuæ ſtudere,& Deum revereri. Iniquus autẽ eſſe non poteſt,etiam ſi exigit quod præſtari, & prohibet quod vitari non poſſit. Nam neque cuiquam eſt obſtrictus, neque quicquam repetit, niſi quod ei optimo iure debetur.Quòd autẽ homo ſoluendo non eſt,ſeipſum accuſet,qui facultates quas à Deo ampliſſimas acceperat,prodigus effudit.

V. ARGVMENT. CASTELL. AD VII. CALVMNIAM.

Si eis obijcitur Deum habere duas voluntates inter ſeſe contrarias, vnam apertam videlicet in præceptis: alteram occultam: quærunt quis illam occultam patefecerit Caluino. Nam ſi eam nouit Caluinus,& ſui,non eſt occulta:ſin ignorant,cur de re ignota affirmant?

REFVTATIO.

DEVM habere duas voluntates,nedum contrarias, ne Manichæi quidem dixerint. vt qui maluerint duo principia conſtituere quàm iſtam blaſphemiam euomere. Deum infinita quotidie voluntariè facere,quæ ne ſuſpicari quidem vllus potuiſſet, nemo negat niſi prorſus inſanus. In ijs verò quæ nobis patefecit,quàm multa ſunt quorũ ratio ita eſt occulta in Deo,vt Angelorum etiam captum ſuperet? Hæc eſt occulta & incomprehenſibilis Dei voluntas,quam affirmamus,partim experientia cõuicti, partim omnium Prophetarum & Apoſtolorum verbis edocti, qui incomprehenſibilia eſſe Dei iudicia, & imperueſtigabiles vias ſingulis penè librorum paginis clamant. Ad hanc voluntatem vbi peruentum eſt,taciti illam adoramus,cuius τὸ διότι percipere nos nullo modo poſſe confitemur. Nobis igitur minimè ignotum eſt aliquã eſſe Dei occultam & imperueſtigabilem voluntatem:neque qui ita loquitur,occulta ſcrutatur. Tibi verò qui poſſit nulla Dei voluntas eſſe occulta,qui ne teipſum quidem noris?

VI. AR-

VI. ARGVMENT. CASTELL. AD VII. CALVMNIAM.

Item dicunt,duo contraria non poſſe eſſe ſimul & ſemel in eodem ſubiecto. Atqui eandem rem ſimul velle & non velle,contraria ſunt.

REFVTATIO.

SATIS ſupérque hanc calumniam paulò antè refutauimus.

VII. ARGVMENT. CASTELL. AD VII. CALVMNIAM.

Si Deus habet duas voluntates inter ſeſe contrarias,credibile eſt etiam Caluinũ(Dei nimirum imitatorem)habere duas voluntates,& aliud dicere,aliud cogitare atque velle. Itaque nolumus ei credere,quippe homini bilingui,bicordi,biuolenti.

REFVTATIO.

AGNOSCO, Sebaſtiane Caſtellio,tuam in vocabulis nouandis audaciam,agnoſco futilem tuam ſcurrilitatem. Tua verò iſta conuiтia quid attinet regerere, quæ nemini poſſis perſuadere,niſi qui tui ſit ſimilis?Ad rem ipſam verò ſatis ſupérque reſpõdimus.

VIII. ARGVMENT. CASTELL. AD VII. CALVMNIAM.

Item, Si Deus iubens iuſtitiam,velit iniuſtitiam:ſequitur vt diabolus iubens iniuſtitiam, velit iuſtitiam. Et,Si deus aliud volens aliud dicens,tamen non peccat,ſequitur vt ſiquis homo eum in hoc imitetur,non peccet:nam Deum imitàri certè vitioſum non eſt. Itaque licebit ſic hominibus præcipere,Mentimini, & aliud dicite,aliud in pectore gerite, vt ſimiles ſitis patri veſtro,qui aliud dicit,aliud vult.

REFVTATIO.

DEVM velle iniuſtitiam ſine blaſphemia dici non poteſt, neque vnquam diximus:imò qui hæc dicentes conuinceret penè vnus noſtra memoria repertus is eſt per cuius latus veritatem transfodis.Cõſequutio quam ſubijcis neceſſaria non eſt, etiam ſi antecedens(quod abſit)concederemus.Cæterùm quod Deus dicit & quod cogitat nunquã repugnant,quamuis non quicquid decernit ſemper explicet,quoniam non ſemper expedit. Hanc Dei ſapientiam qui, quatenus eam aſſequi poſſumus,imitatur,minimè eſt hypocrita vel duplici corde:nedum vt ſimulatoribus liceat exemplum Dei prætexere. quæ omnia ſunt à me pluribus explicata.

IX. ARGVMENT. CASTELL. AD VII. CALVMNIAM.

Quærunt vtra voluntate loquatur Dominus dum iubet ſuos orare, Fiat voluntas tua: &, Qui facit voluntatem Patris mei qui eſt in cælis,is meus frater eſt. Item Paulus, Tu Iudæus vocaris,& in Lege acquieſcis,Deúmque iactas,& eius voluntatem noſti, & excellentia approbas,Legémque didiciſti.Certè hic Dei voluntas dicitur quod in Lege præcipitur, quæ voluntas ſi bona eſt(vt certè eſt)neceſſe eſt vt ſi qua huic contraria eſt,mala ſit. Quicquid enim bono contrarium eſt,malum eſt.

REFVTATIO.

RESPONDEO hæc omnia dici de ea voluntate quæ te maximè cõdemnat. Nã qui innocentem calumniatur contra conſcientiam, totam Dei Legem violat, & diabolus eſt. Quod autem ad rem ipſam attinet,pudet repetere quod toties inculcaui, Deũ ſui ſemper eſſe ſimilem,& eodem modo velle quæ ſuapte natura pugnant. Teſtimonia ex Scripturis plura citauimus quàm vt eorum multitudinem ſuſtinere, planiora quàm vt ea obſcurare poſſis.

X. ARGVMENT. CASTELL. AD VII. CALVMNIAM.

Item illud Chriſti, Quoties volui congregare filios tuos, & noluiſti?Certè loquitur Chriſtus de aperta voluntate,quippe quam tot modis aperuerat. Quòd ſi habebat aliam illi cõtrariam,tota eius vita fuit mera hypocriſis:id quod vel cogitatu horrendum eſt.

REFVTATIO.

HÆC ſanè vox,de aperta voluntate Chriſti intelligenda eſt.Imò etiam amplius aliquid tibi largior quàm petas.Dico enim eo in loco Chriſtum loqui non de ſuo duntaxat,ſed etiam de omnium Prophetarum miniſterio,qui in Ieruſalem annũciarunt verbum Domini,quum omnes Prophetæ fuerint Chriſti organa, vnici nimirum illius Pro-

Deut.18.15 2.Pet.1.21 phetæ,quē Dominus apud Moſen Iſraelitis promittit.Sed opetæptetium eſt cognoſce-
re quatenus Dominus pet miniſtros voluntatem ſuā patefaciat.Chriſtum enim hic cō-
ſideramus vt miniſtri officio fungētem, tum per os Prophetarum, tum etiā per ſeipſum,
Act.20.27 quum miniſter eſſet Circuncisionis.Teſtatut Paulus ſe annuntiaſſe Epheſijs omne Dei
conſilium.Norat igitut Paulus omne Dei conſilium.Neque enim loquutus eſt vt furio-
ſus,aut,velut tuæ illæ Sibyllæ, quæ non intelligeret, ſed quæ ex ipſo Deo cognouerat,
& fide amplexus erat. Atqui quum idem vellet annuntiate verbum Dei in Aſia & Bi-
thynia,prohibitus fuit à Spiritu ſancto.Aliquod igitur conſilium Dei ignorabat Paulus,
Act.16.6.7 quod ſi antea cognouiſſet,non tentaſſet ite in Bithyniā. Adde q raptus in tertium cæ-
lum ſe vidiſſe arcana prædicat,quæ fas non ſit effari. Quomodo inter ſe conuenient
hæc duo:nihil celaſſe qui tamen ex reuelatione didicerat quæ docete non licuit,niſi qa
apud Deum multa latent,quotum ad pietatem ædificandā nōdum vtilis vel matura eſt
cognitio? An vetò vlla hîc repugnātia eſt intet Paulum & Dei Spiritum? Imò in ſpecie
diſcordiæ ſummus conſenſus.Nam quod bene vult Paulus,meliote voluntate non vult
Dominus,quanuis occulta ſit eius ratio,voluntatis autem Pauli manifeſta. Quum autē
vttaque hæc voluntas bona ſit,(nam & Deus gloriæ ſuæ proſpicit ſicut nouit expedire,
& Paulus gloriæ Dei ſtudet,ſicut Apoſtolicum munus poſtulabat) duæ iſtæ voluntates
differte quidem poſſunt,pugnare inter ſeſe non poſſunt. Bonum enim quatenus bonū
eſt,à quodam bono poteſt differte:bono repugnare,non item. Ita nihil omiſit quod in
piorum vſum & ſalutem conduceret,quin patefaceret totum conſilium Dei:neq; tamē
Deut.29 deprompſit quæ teſtatut Moſes apud Deum abſcondita manere.Quid igitur?vnde illa
diſſidij ſpecies? nempe ex eo q licet Dominus doctrinā ſalutis patefaciat ſuis miniſtris
pet quos Eccleſiam ſuam erudiat,tamen nō eis patefacit quid de vnoquoque decreue-
rit.Mittit eos igitut vt vniuerſæ alicui genti prædicent Euangelium ſalutis,ſibi verò in
arcanis ſuis reſeruat in quibus efficacem eſſe velit prædicationē Euangelij, & quo mo-
mento,& rurſus quos cōſtituetit ea ipſa prædicatione excæcare & indurare. Quod eſt
igitur miniſtrotum munus?nēpe promiſcuè omnes inuitare ad ſalutem,omnibus bene-
facere,omnes voce & beneficijs allicere.Deo enim arcana ſua iudicia relinquūt,donec
illa patefaciat. Hinc illa ſpecies diſſidij inter Deum & miniſtros,quum ſæpe volūt eos
aggregare quos neſciunt ad Domini gregem non pertinete. Hinc quotidianæ illæ mi-
niſtrorum querelæ & expoſtulationes,quum eos vident reluctari quos minimè oportue
Marc.1.30 tat:ex quo genere etiam eſt iſta Chriſti conqueſtio quā affers. Sed in hac tamen diſſidij
ſpecie nullam eſſe tepugnantiam ſuprà oſtendimus.Quòd ſi etiā libet hanc vocē Chri-
ſto tanquam Deo tribuere,nō tanquam Dei miniſtro, (qua ratione certum eſt aliquam
etiam ignorantiam,quanuis omnis peccati expertem,in eum cadete) an neſcis Domi-
num,vt ſua benignitate filios ſuos alliciat,humanos affectus induendo,nobiſcum inter-
Iſaiæ 5.2.4 dum balbutite?Queritut ſe deluſum fuiſſe à vinea in qua pro ſuauibus bottis labruſcas
inuenetit.An hinc colliges Deum falli poſſe?Dicit alibi,deliberās de filio ad agricolas
Luc.20.13 mittendo poſt ſeruos interfectos,Fortaſſis filium meum reuetebuntur.An hinc colliges
eum,vt homines ſolent,ancipitem animi fuiſſe, & cōtra eius expectationem factum vt
filius ab agricolis occideretur, quum alibi dicatut ipſe filium tradidiſſe Iudæis crucifi-
gendum,& Filio non pepetciſſe?Itaq; quum ex hoc etiam loco colligis vel Deū à ſeipſo
Act.2.23 Rom.8.32 diſſidete,vel Ierosolymitanos conſilium ac voluntatē Dei reſcindere potuiſſe (vt alibi
dicere auſus es)vel eos Deo nolēte periſſe,quid aliud quàm tuā ſummā inſcitiā prodis?

XI. ARGVMENT. CASTELL. AD VII. CALVMNIAM.

Denique dicūt,Si Deus aliud præcipit quàm vult,nō eſſe duas voluntates,ſed mendacium: nā qui ſe velle dicit quod nō vult,mētitur: & verbis tātùm præcipere,nō eſt velle,ſed mētiri.

REFVTATIO.

QVONIAM hîc quoque ponis hypotheſin quæ nunquam nobis venit in mentem, nihil aliud reſpondeo quàm te in inſania tua perſeuerare.

OCTAVA CALVMNIA.

Induratio Pharaonis, atque adeò pertinacia animi & rebellio, opus Dei fuit,

vel

vel Moſis teſtimonio, qui totam Pharaonis rebellionem Deo adſcribit.

RESPONSIO.

ALICVBI definis Indurare nihil aliud declarare quàm Non emollire. Eam definitionem dico falſam & ridiculam eſſe. Quum enim omnes (vt tu ipſe fateri cogeris, quãuis paulò pòſt à te diſſideas) lapidea corda geſtemus, Indurare non declarat Nõ emollire, ſed ex duro durius aliquid efficere. Quum autem natiua ſit in nobis hæc durities, eã que non ex creatione, ſed ex corruptione in nos propagata, ac proinde meritò eã exerceat Deus, ac etiam iuſto iudicio duplicet, qui fit vt horreſcatis indurationem fateri iuſtum eſſe Dei vindicis & vltoris opus? Certè inficiari non potes Spiritum ſanctũ non aliter loqui. Quot enim locis dicitur Deus indurare, excæcare, aures obturare, cor incraſſare, cor tenere, cor vertere, tradere in reprobum ſenſum, mittere efficaciã erroris, & ſimilia multa quoties occurrunt? Permiſſionis verò in his rebus ne tenuiſſima quidẽ eſt mentio in ſacris libris, quantum quidem poſſum memoria repetere, niſi vnico loco duntaxat, vbi dicitur Dominus ſiuiſſe præteritis ſeculis gentes ingredi vijs ſuis. Sed neque hic locus, neque alij ſimiles, ſi qui tibi fortaſſis occurrent, quicquam te ſubleuant, quum in permiſſione neceſſariò includatur voluntas, nedũ vt hæc inter ſeſe repugnẽt, ſicut ſuo loco demonſtrauimus. Sed operæpretium eſt ipſa Caluini verba proferre. Hæc ipſa igitur Caluini verba ſunt, OBDVRATVM à Deo cor pharaonis dicit Moſes. Fruſtra hic ad permiſſionem confugitur: quaſi Deus feciſſe dicatur quod fieri tantùm paſſus eſt. Clarè enim duritiem illam opus fuiſſe Dei Moſes affirmat. Hæc Caluinus. Ar tu ſcribis ex Caluini ſententia totam Pharaonis rebellionem adſcribi Deo. Quaſi vero nõ poſſit hoc tuum mendacium ex ea ipſa calumnia conuinci quam mox ſubieciſti.

Caſtellio annot. in Rõ. 9.

Act. 14. d.

Lib. de æterna prædeſtin. ferè in fine.

NONA CALVMNIA.

Voluntas Dei ſumma eſt indurationis hominum cauſa.

RESPONSIO.

QVOS vult indurat, inquit Apoſtolus. Quòd ſi etiam aliquid ſuperius volũtate Dei quæris, liceat tibi ſanè extra Deum peregrinari: nos in hac meta libenter cõquieſcimus cum Apoſtolo. Qui porrò voluntatem Dei dicit ſummam, ſiue ſupremam eſſe indurationis hominum cauſam, an is poteſt totam Pharaonis rebellionem Deo adſcribere? Nam ſi vnica eſt cauſa, cur ſuprema dicitur? Mendacem memorem eſſe oportet. Debuiſti igitur non ſummam, ſed vnicam cauſam dicere, vt à teipſo non diſſentires. Sed ne videar ſubterfugia quærere, ſit ſanè ſumma. Iuſta tamen eſt. Tota autem culpa in ſecundis cauſis ineſt, quæ iuſtè quidem mouentur à ſumma cauſa, ſic Pharaonem & Ægyptum punienre: ſeſe verò iniuſtè mouent, quia malæ & iniuſtæ ſunt.

ARGVMENTA CASTELL. AD VIII. & IX. CALVMNIAM.

In octauo & nono articulis quærunt quid igitur ſibi velit Moſes dum ſcribit, Et indurauit Pharao cor ſuũ. An ita interpretandũ eſt, Indurauit Pharao cor ſuũ, hoc eſt, Indurauit Deus cor Pharaonis? Id quidẽ longè violentius erit, quàm ſi dicas, Indurauit Deus cor Pharaonis, hoc eſt, Sicut Deus Pharaonẽ in cordis ſui duritate naturali, quoniam ei Pharao obedire recuſaſſet. Deinde de illo quærũt, Hodie ſi vocẽ eius audieritis, nolite indurare corda veſtra. Quod ſi ita interpretère, Nolite Deus indurare corda veſtra, erit abſurdiſſimũ: præciperet enim hominibus quod eſſet Dei. Nã ſi Dei eſt indurare corda, non poteſt hominibus præcipi vt corda ſua vel indurent vel nõ indurent, non magis quàm vt ſtaturæ ſuæ addant aut detrahãt cubitum vnum.

REFVTATIO.

HOC verò fundamẽtum eſt ac baſis egregiæ illius tuæ diſputationis de Prædeſtinatione, quam inſeruiſti, Caſtellio, tuis annotationibus in nonum caput Epiſtolæ ad Romanos: quod quàm firmum ſit videamus. Quæſo igitur, quis vnquam adhuc tam fuit vecors, vt poſita ſumma cauſa exiſtimaret inferiores tolli, ac non potiùs conſtitui? Facite vobis cor nouum, & ſpiritum nouum, inquit Dominus. An inde colliges Deum non

Ezech.

eſſe qui det cor nouum,& cor mundũ creet? qui tollat cor lapideum, & tribuat cor car-
1.Tim.4.16 neum? Hæc ſi facias, inquit Paulus ſcribens ad Timotheum, teipſum ſeruabis. An hinc
colliges nõ ſeruari nos à Deo per Chriſtum? Patresfamiliàs dicuntur familiã paſcere: &
qui ſuo labore viuit, dicitur ſeipſum alere: panis quoque & cibi dicũtur nos nutrire. An
nos Deus propterea non paſcit? Imò optimè hæc omnia tanquam ὑπάλληλα cohærent.
Nam à Deo conuerſi, nos cõuertimus: à Deo acti, agimus. & benedicẽte nobis Deo, in-
duſtria noſtra viuimus. Vides inepta eſſe & ridicula quæcunque excogitaras vt verita-
tem oppugnares? Induratio igitur iuſtum Dei opus eſt, qui indurat quos libuit, nec ta-
men niſi meritò exoſos, quum ſint corrupti. Induratio eſt etiam Satanæ opus, per quem
1.Sa.16.14 nimirũ agit Dominus in cordibus infidelium: ſicut ſcriptum eſt, Spiritus Domini diſ-
ceſſerat à Saule, & ſpiritus malus eum turbabat à Domino. Eſt etiam opus pſeudopro-
phetarum, quos & ipſos seducit Dominus per Satanã, vt alij alios in iuſtam perniciẽ im-
Ezech.14.9 pellant: ſicut ſcriptum eſt, Si propheta ſeductus loquutus fuerit verbum, ego Dominus
ſeduxi prophetam illum. ſicut etiam apparuit in magis Aegyptijs, & in Sedecia pſeu-
1.Reg.22.23 dopropheta. Induratio deniq; eſt eorũ ipſorũ opus qui indurantur: quoniã natiua mali-
tia acti ſeipſos ex Satanæ, & pſeudoprophetarum, & ſua libidine indurãt. Itaq; certo &
indiuiduo nexu cohærent quæ tu abſurdè inter ſe pugnare exiſtimabas. Subijciã autem
Lib De æterna Dei prædeſtin. ipſius Caluini verba, vt melius appareat tuus iſte ſtupor. Non obſtat, inquit, quòd dici-
tur alibi Pharao ipſe cor ſuũ aggrauaſſe: quãdo neque extrinſeco motu impelli fingi-
mus hominum animos, vt violenter ferantur: neque in Deum transferimus induratio-
nis cauſam, ac ſi non ſponte, propriáque malitia duri & immites, ſeipſos ad peruicaciã
acuerent: ſed quod peruerſè homines faciunt, non niſi Deo iuſtè ordinante fieri Scri-
ptura docet: quemadmodum alibi dicitur, q; omnes, præter incolas Gibeon, ſeſe Iſraeli
oppoſuerint, à Domino fuiſſe, qui obſtinauit cor eorũ. Hæc Caluinus, eo ipſo loco quẽ
calumniari auſus es, tanquam Deo omnem Pharaonis rebellionem adſcribat.

Calvmnia x.

Satan mendax eſt ex imperio Dei.

Responsio.

Verba Caluini hæc ſunt, quæ tu, tuo more, mutila citaſti, vt perſuaderes Caluino
placere, Deum eſſe mendacij authorem, atque adeò præcipere mendacium. Sic contrà
Lib de æterna Dei prædeſt. in frà in refut. calũ. 12. eadẽ prolixè recẽſentur. Caluinus: Devs ipſe nunc impijs ad punienda hominum peccata, tanquam flagellis
vtitur: nunc, quaſi obtorto collo eos traheret, beneficẽtiæ ſuæ miniſtros eſſe cogit. Hæc
Caluinus, qui poſtquam perſpicuis teſtimonijs vtrunq; mẽbrum probauit, tandem ſub-
ijcit, Idem in ſceleſtum omnium principe, & impiorum capite Satana perſpicere eſt.
1.Reg.22.22 Eum Deus ad decipiendum Achab cum hoc mandato dimittit, vt ſit ſpiritus mendax
in ore omnium prophetarum. Ita ſpiritus impoſtor, iræ Dei miniſter eſt ad excæcandos
impios qui veritati obtemperare noluerant. Quod igitur dicis, verum eſt: ſed adijcere
debuiſti, mendaciũ non præcipi à Deo, quatenus eſt mendaciũ (hactenus enim nõ præ-
cipit nec approbat Deus mendacium, ſed prohibet & vlciſcitur) ſed quatenus iuſta eſt
2.Theſſ.2.10.11 eorum pœna qui veritati prætulerunt mendacium: ſicut explicat Paulus.

I. argvment. Castell. ad x. calvmniam.

*Contra decimum articulum ſic argumentantur: Si Satan mendax eſt ex imperio Dei, mẽda-
cẽ eſſe iuſtũ eſt, & Satan iuſtus eſt. Nã ſi imperare mendacium, iuſtũ eſt (vt certè eſt, ſi vera di-
cit Caluinus) etiam obedire mendacio iuſtum eſt: nam obediẽtiæ iuſtitia cenſetur à iuſtitia præ-
cepti. Atque vt obedire iniuſto præcepto iniuſtum eſt, ſic & iuſto præcepto obedire iuſtum eſt.*

Refvtatio.

Nec mendacium nec peccatum vllum præcipitur à Deo quatenus eſt peccatum,
ſed quatenus eſt peccati pœna. Iuſtum eſt autem coram Deo peccata vlciſci peccatis,
vt copioſè ſuo loco demonſtrauimus. Deinde vt obedientia dici poſſit iuſta, non ſatis
eſt vt præceptũ ſit iuſtũ: ſed illud quoque requiritur, vt quod iuſtè præcipitur, iuſtè fiat.
Itaque Satan ne tum quidem obedit, imò ex diametro repugnat Deo, quum facit quod
Deus præcipit. Eſt enim in ea ſpecie cõſenſus ſumma diſſenſio, quoniã iuſtè vult & præ-
cipit

cipit Deus pœnam peccati, Satan verò ita hoc exequitur, vt peccatum non vlciſcatur, ſed faciat, quantum in ſe eſt.

II. ARGVMENT. CASTELL. AD X. CALVMN.

Si dicet Caluinus Satanam non obedienter eſſe mendacem, hoc eſt, non vt obediat Deo, reſpondebimus ex ſententia Caluini, iſtud quoque fieri imperio Dei, vt non obedienter ſit mēdax, & in eo quoque obedientem eſſe Satanam quod non obedienter eſt mendax, quoniā iuſſit eum Dominus non obedienter eſſe mendacem.

REFVTATIO.

VT te velut anguillam in omnes partes conuoluas, captus tamen teneris. Nā vt tibi concedam Satanam ex Dei mādato eſſe non obedienter mendacē, non tamē conſequetur huius præcepti reſpectu vllam eſſe in Deo iniuſtitiam, vel vllam in Satana obedientiam. Hanc enim contumaciam Deus iuſtè quoque inflixit Satanæ, non quatenus contumacia eſt, ſed quatenus Dominus illum priuans obedientiæ dono, iuſtè vult vt quotidie impurus ſpiritus ſeipſo deterior fiat, donec impleta menſura æternis pœnis eum adiudicet. Num autem tibi videtur Dominus vel otioſus, vel inuitus, ac non potiùs iuſtè volēs ac decernens, iudicis partes aduerſus ipſum etiā Satanam obire? Ipſe verò Satan, vt eum iuſtè iuſſerit Dominus, peccata ipſius vlciſcens peccatis, non obediēter eſſe mēdacem, tamen ne in eo quidem obedit quòd nō obedit, vt qui aduerſus Deum murmuret, & inuitus ſibi iudicium accerſat.

CALVMNIA XI.

Deus velle dat operantibus mala, etiam ſuggerit prauos affectus & inhoneſtos, non ſolùm permiſsiuè, ſed efficaciter, idque propter ſuam gloriam.

RESPONSIO.

MALAM voluntatem aut prauos turpéſue vllos affectus à Deo vel dari, vel permitti, vel effici abſit vt quiſquam noſtrûm ita dixerit aut ſcripſerit vt ſcribis, quum noſtra etiam cogitatio ab iſtiuſmodi blaſphemijs prorſus abhorreat. Hoc quidem non dubitamus affirmare, Deum excitare & impellere etiam eos qui mali ſunt, & qui malè agunt, ſed ita vt tota motus & actionis prauitas in ipſis hæreat, nec vlla vel minima contagio ad Deum vſque perueniat. Dicimus enim quod veriſſimum eſt, Deum ſic eſſe primum rerum omnium motorem, vt non tantùm cōmunem illum influxum rebus omnibus indiderit, quē nunc quoque ſuppeditat, ſed etiā ſicut ab æterno ſingula decreuit, ita cauſas quoque ſecundas prout ei placet inflectat & tēperet, vt ad deſtinatos quoſque fines moueat dirigat, perducat: nec res vlla vel minima effectrici ac moderatrici ipſius prouidentiæ eximatur. Nam ne paſſer quidem, inquit Chriſtus, ad terram cadit ſine voluntate Patris. neque quiſquam vnquam ſanus homo exiſtimauit Deum vel ſimilē eſſe architecti alicuius, qui extructam nauē relinquat alijs gubernandā: vel cōmuni quadā naturæ vi rebus omnibus indita, ſeſe in cælum recepiſſe, vt pro ſuo ingenio vel arbitrio ſingulæ mundi partes agantur: vel generali tantùm influxu mundū gubernare. Has omnes opiniones didicimus ex verbo Dei execrari, nec pluribus hoc loco nobis refutādas arbitramur. Sed & illud dicimus, Deum ſic eſſe primum rerum omnium motorē, vt tamē ſingulæ à ſuis principijs etiā moueātur: quæ ſi pura fuerint, puri motus conſequātur: ſin verò impura, impuri. Quoniam igitur in ijs quæ non tantùm appetitione, ſed etiā intelligentia ac voluntate prædita ſunt, motus ab ijs principijs proficiſcuntur, non mirū eſt ſi ex diuerſorū principiorum ratione, & motus, & actiones ipſas diuerſè æſtimamus. Cuius diſtinctionis ſit hoc exēplum: Dominus manu latronis vult alium latronem punire. Ita enim ſæpe cōſueuit malos cum malis cōmittere: vt ex Madianitarū exemplo liquet. Iud. 7. 22
Excitat igitur malam latronis voluntatem ad aliū interficiendum: nec eo cōtentus, etiā dirigit eius manum ac telum vt is interficiatur quem iuſtæ cædi deſtinauit. Quatenus ergo ab hoc principio, id eſt à Deo, latronis voluntatem, quanuis malā, iuſtè impellente, ac manum telúmque latronis dirigente, cædes iſta oritur: tamen nec malus eſt impulſus, nec malum opus, ſed iuſtum ac ſanctum commiſſum eſt à Deo, qui latronem meritis pœnis affecit. Nec enim Deus vel latronem coegit, vel malitiam ei indidit, ſed voluntatem latronis, quæ mala iam erat, ad bonum & ſanctum opus bene ac iuſtè incitauit. Quatenus autem cædes iſta ab alio principio oritur, nempe à voluntate latronis quæ ſic impulſa eſt, non vt lapis aut truncus, ſed vt voluntas, quæ & ipſa ſic agitur vt agat, & ſic mouetur vt ſeſe moueat interiore motu ac ſuo, hactenus inquam, & motus

iſte à malo principio naſcens malus eſt,& in malam actionem, putà homicidium, deſinit: quod tantum abeſt vt Deo placeat, vt contrà non poſſit non illud vindicare. Agè verò, ponamus etiam hoc exemplum ex quo diuerſitas iſta principiorum poſſit intelligi. Ponamus claudum aſinum ab agaſone agi in piſtrinum. Actio iſta quatenus ab agaſone eſt, reprehendi nō poteſt, ſi modò ſit moderata: ſed claudicatio ab aſino eſt. Vis vt planius loquar, vt de obſcuritate queri non poſſis? Naturæ ſponte quadam calumniaris quæ vel non intelligis, vel diſſimulas à te intelligi. Hæc tamen κακοήθεια non tam natura eſt quàm naturæ deprauatio. Non eſt igitur eius cauſa efficiens, ſed deficiens potiùs quærenda (vt inquit Auguſtinus) nec eſt cur Deum rerum ipſarum, non autem vitiorū authorem, accuſemus. Sed an propterea ꝙ corruptus eſt homo, idcirco Dominus quod ad illum attinet, imperio ſuo, quo ſingula ſine exceptione ad deſtinatos fines impellit, ac dirigit, ſeſe abdicauit? Minimè verò. Vtitur ergo peccantibus etiā inſtrumētis, eáq; ad deſtinatum à ſe finem perducit. Et ita quidem, vt nihil peccet neque in mouendo, neque in dirigendo inſtrumento. Actio enim ipſius eſt, defectus verò eſt inſtrumenti, quod & ipſum interiore motu, ſemetipſum agit, quúmque corruptum ſit, motus habet deprauatos. Te igitur naturæ vitio inuidum & calumniatorē quum Deus in his regionibus vnum præcipuè ex omnibus delegerit per quē partim ſuos exerceat, partim eos puniat qui oblatam Euangelij veritatem aſpernati mendacium & calumnias ſectantur, in hac tua deprauata natura motus illos quoties ei viſum eſt ſenſim excitat, tum Satanæ, tum aliorum miniſterio, tum etiam tua ipſius improbitate vtens: qui motus poſtea paulatim erumpunt in eas blaſphemias & ea conuitia in quibus refellendis nunc laboramus Hæc autem quum ſuperioribus annis redargueremus, & quum nunc quoque redarguimus, quid aliud agimus quàm ꝙ quotidie magis ac magis te incitamus, vt calumniari & blaſphemias comminiſci pergas? Abſit tamen vt quum dicimus te à Deo moueri & impelli, Deo cauſam vllam tuorum factorum adſcribamus. Abſit etiam vt meritò poſſit in nos culpa transferri, ꝙ ſcriptis noſtris prouocatus quotidie deterior fias. Quòd tua maledicentia exercetur noſtra diligentia: ꝙ hac ratione multorum hypocriſis quotidie patefit: ꝙ tuis calumnijs excitatur in nobis ſtudium veritatis cognoſcēdæ ac defendendæ: quòd iuſtum Dei iudicium in eos qui veritatem mendacio præpoſuerunt, aut Euangelij cognitione ſunt abuſi, ita nobis tanquam in limpidiſſimo ſpeculo contemplandum proponitur in iſta tua mendacij & erroris efficacia: hoc debere nos Deo profitemur, qui ad hos vſus improbitatem tuam moueat ac dirigat. Quòd autem tuæ fraudes à multis iam perſpiciuntur quorum alioqui ſimplicitatem fefelliſſes: ꝙ ἀκαταληψία tua multis iam eſt exoſa: quòd iam patent omnibus ſæua illa conſilia quæ ad opprimēdam Dei veritatem ceperas, quum humanitatis reſpectu tolerari hæreticos velles: quòd aliqua iam ex parte omnes cognoſcunt quæ tua ſit audacia in verbo Dei peruertēdo. hoc quoque Deo ſe debere pij homines agnoſcūt, & aliquam in ea re noſtram diligentiam fuiſſe grato animo profitentur: tantum abeſt vt culpam aliquam ſuſtineamus, quòd noſtris ſcriptis offenſus in deterius ruas, vitio quidem tuo, non autem vlla noſtra culpa, qui te potiùs emendari vellemus. Quòd infirmi multi per te offenduntur: quòd Euangelij curſus à te retardatur: quòd veritas Dei tuis mendacijs polluitur: quòd per te blaſphematur Dei nomen: quòd immeritò læditur fidelium ſeruorum Dei exiſtimatio: quòd denique tibi ipſi & alijs quos ad te pertrahis exitium accerſis, hæc demum & Satanæ, cuius furijs agitaris, & tuæ improbitati & audaciæ omnes boni tribuunt. Ecce verò tibi ſatis, vt opinor, manifeſtum ac perſpicuum exemplum, ex quo intelligas Deum ita ſuggerere voluntatem & affectus ipſis etiam improbis, vt tamen omnes iſti motus, quatenus ab eo ſuggeruntur, & iuſti ſint, & honeſti, ſicuti ad bonum & iuſtum opus pertinent. Nam cauſa peccati à nobis eſt & intra nos: quo autem tempore & in quem debeat erumpere, in poteſtate Dei eſt, qui nouam malitiam non infundit, ſed eam quæ hominibus innata eſt, pro infinita ſua ſapientia, quando & quomodo libuit, mouet, gubernat, flectit, regit denique ac moderatur ad ſui nominis gloriam, inſcijs etiam impijs atque adeò contrarium prorſus conſilium apud ſe ineuntibus. Hæc noſtra eſt de prouidentia Dei ſententia in hoc quod tractamus argumento, quam ſupereſt vt verbi Dei & Patrum etiam authoritate rurſum confirmemus, quoniam nos cogis actum toties agere.

Aug. de Ciu. Dei lib. 12. c. 9

Huc ergo dicimus pertinere quòd Dominus toties in Scripturis dicitur Pharaonis, Schonis, Chananæorum, Ægyptiorum animos induraſſe, aggrauaſſe, tenuiſſe, atque adeò

deò in odium populi ſui vertiſſe. Denique quòd Scriptura manifeſtè vocat impios, vir- Pſal.105.25
gam, malleũ, ſerram, ſecurim, quæ manu Dei deſtinetur & impingatur, minimè id quidẽ
vt homines eximantur culpæ, aut quaſi homines in truncos aut ſtipites degenerarint,
ſed vt Dei prouidentiam minimè otioſam eſſe intelligamus. Alioqui cur Dominus Ne-
buchadnezarem ſeruum ſuum vocaret, & eo etiam nomine caſtigaret, ꝙ euerſionem
vrbis Ieruſalem ſuum opus eſſe diceret? Quid verò? Quum dicitur cor Regis eſſe in ma- Prou.21.1
nu Domini, vt quocunque viſum fuerit, ipſum inclinet, an nõ manifeſtè comprobatur
quod dicimus, Deum prauos etiam affectus, non quatenus praui ſunt, ſed quatenus eis
bene vti conſtituit, excitare, & prout libuit inclinare, ne fiat niſi quod decreuit? Id verò
etiam ex Dauidis exemplo liquet, quem manifeſtè dicitur Dominus incitaſſe vt popu-
lum numeraret. Si hæc blaſphemia eſt, agè, in ipſum etiam Spiritum ſanctum inſurge,
& blaſphemiæ crimen illi impingito. Atenim, dices, alio in loco idipſum tribuitur dia- 1.Par.21.1
bolo, itaque diaboli nomen in altero loco ſupplendum eſt vbi non exprimitur. Atqui
verba ipſa cõtextus ſic habent, Et adiecit iraſci furor Domini contra Iſraelẽ, & incita- 2.Sam.24.1
uit Dauidem in eos, vt diceret, Vade, & numera Iſrael & Iudam. Quis autem non videat
Domini nomen eſſe repetendum ἀπὸ τοῦ κοινοῦ, & ita confirmari quod poſtea ſcripſit
Salomon, Cor regis inclinari à Domino quocunque libuerit: minimè id quidem quaſi
nouam infundat malitiam, ſed ꝙ eam quam inuenit, excitet vel ad punienda peccata,
vel ad alia ſua conſilia perficiẽda, vt vir quidam doctiſſimus rectiſſimè dixit? Etiamſi ve-
rò idem motus alio loco tribuitur Satanæ, an propterea Domini nullæ ſunt partes, quũ
ſatis conſtet Satanam eſſe furoris Domini adminiſtrum? Quid enim dicitur de Saule?
Deſeruit Saulem Spiritus Domini, & inuaſit eum ſpiritus malus à Domino. Cedò verò 1.Sa.16.14
cur hæc verba, A DOMINO, adijciuntur? An vt otioſa permiſſio ſignificetur, ac non po-
tiùs vt hac in re Satanam nouerimus inſtrumentum Dei fuiſſe, iuſtum ſuum iudicium
exercentis? Neq; id duntaxat, vt rectè & verè Caluinus ſcripſit, ꝙ Satan iubente Deo a-
nimos ſolicitet ad eas cupiditates quæ & ipſius Satanæ & malorũ reſpectu malæ ſunt,
ſed quia Satan efficaciter trahit. Neque enim Dominus ſpiritui illi mendaci ſcribitur
dixiſſe, Permitto tibi vt Achabum decipias, ſi potes: ſed, Perſuadebis & vinces. vade igi-
tur, & ita facito. Nec ſcribit Paulus Dominum duntaxat facere poteſtatem aliquã fal-
lendi, ſed dare erroris efficaciam, vt credatur mendacio.

Ac ne exiſtimes nos primos ita in Eccleſia ex verbo Dei docuiſſe, audi quid de his
ſcripſerit Auguſtinus. Iulianus Pelagianus (vt apparet ex Auguſtino) ſenſit hoc ipſum Aug. aduerſ. Iulianum, lib. 5. cap. 3.
quod tu ſentis, nempe, quum dicitur Dominus excæcare, aut indurare, aut tradere in
reprobum ſenſum, nihil aliud ſignificari quàm Dominũ deſerere, & permittere. Augu-
ſtinus verò oſtendit Deum non modò deſerere, ſed etiam iram ſuam ac potentiam decla-
rare. Iulianus ait has loquutiones eſſe hyperbolicas: Auguſtinus vult eſſe proprias. Iulia-
nus ait, Laborabant antea deſiderijs ſuis, quid opus erat vt illis traderentur? At Auguſti-
nus, An idem, inquit, eſſe putas habere deſideria, & illis tradi? Traduntur enim deſide-
rijs non tantùm vt ea habeant, ſed etiam vt ab illis prorſus poſſideantur. Itaque, quem-
admodum Deus agit in corporibus impiorum ea affligendo, ita etiam agit in illorum a-
nimis eos in peccata impellẽdo. Atque eo loco tractat Auguſtinus hiſtoriam de Semei.
Dominus, inquit Dauid, iuſſit vt mihi malediceret. Voluntatẽ, inquit Auguſtinus, ſuo
vitio malam Deus iuſtè inclinauit, vt Dauidem inceſſeret cõuitijs. Et additur cauſa, Re-
tribuet mihi Dominus pro hoc maledicto, bona. Idẽ Auguſtinus alibi: Quũ vult, inquit, Lib. de prædeſt. Sanctorum, ca. 20.
fieri Deus quod non niſi volentibus hominibus fieri oportet, eorum ſimul corda incli-
nat vt velint: nec tantùm auxiliando agit in cordibus, ſed etiam iudicando, vt impleant
quibus nihil tale propoſitum eſt, quod manus & conſilium eius decreuit. Idem alibi,
SCRIPTVRA, inquit, ſi diligenter inſpicitur, oſtendit nõ ſolùm bonas hominum volũ- De gratia & libero arbitrio, ad Valēt. c. 20.
tates quas ipſe facit ex malis, & bonas à ſe factas in actus bonos & in æternam dirigit
vitam, verùm etiam illas quæ conſeruant ſeculi creaturam, ita eſſe in Dei poteſtate, vt
eas quando voluerit & quò voluerit, faciat inclinari, vel ad beneficia quibuſdam præ-
ſtanda, vel ad pœnas quibuſdam ingerendas. Et mox, QVIS non, inquit, ad iſta iudicia
contremiſcat quibus agit Deus etiam in cordibus malorum quicquid vult, reddens eis
tamen ſecundũ eorum merita? Iterum, SCRIPTVRÆ, inquit, teſtimonijs ſatis eſt ma-
nifeſtum, operari Deum in cordibus hominum ad inclinandas eorum voluntates quo-
cunque voluerit, ſiue ad bona pro ſua miſericordia, ſiue ad mala pro meritis eorum: iu-
dicio vtique ſuo, quandoque occulto, quandoque aperto: ſemper autem iuſto. Fixum

» enim in cordibus veſtris eſſe debet, quòd non ſit iniquitas apud Deum.

Audis nunc, quomodo iuſtè etiam agat Dominus in impiorum cordibus, aut, vt magis propriè loquar, per impiorum corda? Hæc autem quum copioſiſſimè poſt Auguſtinum explicarit Caluinus, cuius fuit improbitatis, præteritis iſtis diſtinctionibus quæ manifeſto Dei verbo nitũtur, falſas & in cerebro tuo excogitatas cõſequutiones nectere, quarum facias eos ipſos authores à quibus illæ tam accuratè támque diligenter refelluntur? Sed tempus eſt vt hîc quoque argumenta tua audiamus.

I. ARGVMENT. CASTELL. AD XI. CALVMNIAM.

Tribuit Deo Caluinus quod eſt diaboli, vt paßim teſtantur Scripturæ.

REFVTATIO.

TV verò facis quod eſt diaboli, quum falſò Caluinum accuſas eius blaſphemiæ quã accuratè ac diligenter, ſi quiſquam alius, refutauit. Deus contra Iſraelitas iuſto furore accenſus, Dauidem miniſterio Satanæ ſtimulat, vt ex populi recenſione iuſtis ſuis iudicijs aditum patefaciat. Quid hîc reprehendis? Satan Dauidem ad hoc incitat, non vt Deo obſequatur: ſed vt Deus offendatur, &, ſi fieri poteſt, Dauid cum vniuerſo populo peſſundetur. Dauid ipſe contra Dei mandatum, ſuperbia vel ambitione fortaſſis incitatus, populum iubet recenſeri. Diabolum igitur & Satanam reprehende. An verò hoc eſt Deo tribuere quod eſt diaboli? An non tu potiùs blaſphemus es, qui Dei prouidentiam maxima ex parte tollas?

II. & III. ARGVMENT. CASTELL. AD XI. CALVMNIAM.

Si Deus ſuggerit prauos affectus & inhoneſtos, & tamẽ iubet nos reſiſtere prauis affectibus, iubet reſiſtere ſibi, éſtq; ipſe ſibi contrarius. Omne bonum donum deſurſum eſt, deſcẽdens à Patre luminum. An etiam praui affectus ſunt bonum donum? an deſcendunt tenebræ (nam praui affectus certè tenebræ ſunt) à Patre luminum?

REFVTATIO.

Prauitatem affectuũ nõ ad primã cauſam, quæ iuſtiſſimè ſemper agit, ſed ad ea principia vnde ꝓficiſcũtur, nẽpe ad Satanã & hominis corruptionẽ meritò referimus. Itaq; nullos affectus, quatenus praui ſunt, à Deo ſuggeri dicimus. Tu verò quum eos dicis à Domino ꝑmitti, verè Deo tribuis quod eſt ab eius natura maximè alienũ, etiã ſi otioſam hãc permiſſionẽ eſſe tibi cõcederemus. Cuiuſmodi enim eſt Dei iuſtitia, ſi peccata, quatenus peccata ſunt, aut affectus quatenus praui ſunt, vllo modo permittit? Tu igitur, miſer, teipſum gladio tuo iugulas: & quum iſta verè colligas, verè ſanè teipſum coarguis.

IIII. ARGVMENT. CASTELL. AD XI. CALVMNIAM.

Scribit apertè Iacobus, neminem tentari à Deo, ſed à ſua quenque cupiditate.

REFVTATIO.

TENTANDI verbum neceſſe eſt, velis nolis, vt πολύσημον eſſe cõfiteatis. Nã apertè
Tentare. ſcriptũ eſt in Deuteronomio de malo propheta, Tentat vos Dominus: & in eodẽ libro Dominus dicit ſe tentaſſe populũ in deſerto annis quadraginta: & alibi, Deus tentat Abrahamum. Imò homines quoq; dicuntur Deum tentare: & monet Paulus vt nos ipſos tentemus. Negat tamen Iacobus quenquam à Deo tentari, ſed à ſua potiùs cupiditate, nempe ea ratione qua Satan nos tentat, aut ab alijs hominibus, aut à nobis ipſis tentamur. Dominus. n. tentare nos dicitur ſuo modo, id eſt explorare, vt obiecta patefaciendi animi noſtri occaſione vel ipſi intelligamus qui ſimus, ne nobis placentes nos ipſos fallamus, ſed vt potiùs agnita noſtra imbecillitate incipiamus reſipiſcere: vel vt alijs patefiat noſtra ſimulatio. Hinc factũ vt nomine Tẽtationis ſæpiſſimè intelligatur afflictio,
2.Cor.13.5 quoniã fides noſtra ſic ꝓbatur. Sic monet Paulus vt nos ipſos tentemus, id eſt exploremus diligenter an ſimus in fide, ſicut ipſe diſertè interpretatur. Sic ꝓhibemur Deũ tentare, id eſt explorare eius animũ quaſi de ipſius fide dubitemus, atq; hac ratione patientiã eius ad irã ꝓuocare. Tentat quoq; Satan, idcirco dictus tentator. Tentamus etiã alij alios, & tentare nos dicitur cõcupiſcentia. Iſta verò quũ dicũtur, Tẽtationis nomẽ Deo non cõuenit, quum nihil aliud declaret q̃ ſolicitationem ad malum, quæ cadere in Deo nullomodo poteſt. Dicitur tamen Deus in tentationem inducere, nempe quũ Satanæ aut aliorum opera vtitur vt cõſilium ſuum perficiat. Num igitur tentat? Minimé. Nam ne tum quidẽ author eſt mali, niſi fortè cenſendus eſt malus quũ iuſta ſua iudicia exercet, aut noſtris etiam lapſibus ad nos erigendos, & deinde confirmandos, & totam erudiendã Eccleſiam vtitur. Sic nõ ſine Dei ordinatione tẽtatus eſt Adamus à Satana, atq; adeò ſuperatus, ſed vt eo lapſu vteretur tum ad bonitatis ſuæ diuitias in redemptione

multò

multò apertius quàm in ipſa creatione explicandas, tum etiã vt iuſtis ſuis iudicijs aditũ patefaceret. Sic plurimi ex ſanctis iam olim Dei ipſius mãdato ac voluntate inciderũt, ac quotidie incidunt in gruiſſimas tentationes: ſed magno cum ipſorum bono, & nulla Dei culpa, vt ſancti ipſi cõfitentur. Sic Saulẽ exagitat ſpiritus malus à Domino: nec dubium eſt quin ſpiritus iſte Saulem in horrenda illa ſcelera præcipitarit. Num igitur Dominus Saulem tentauit, id eſt ſolicitauit ad malum? Minimè: ſed Saulẽ iuſtis pœnis exercuit. Malum enim proficiſcitur ex prauis inſtrumẽtorum principijs: bonum autẽ quod ex ipſo malo elicitur, totum Deo debetur. In ſumma igitur, vt doctiſſimus quidam ſcriptor annotauit, Deus non tentat, ea videlicet ratione qua diabolus & homines mali tentare ſolent. Et ratio eſt, quia Deus non tentatur à malis. Nam qui alium tentat ad malũ, ipſe prius tentatus ac ſuperatus eſt à malo. Diabolus igitur & mali homines tentant, id eſt, malè cogitantes & malo fine ſibi propoſito malitiam acuunt, & ad malum impellũt. Deus verò alium in finem nos tentat, vt infirmitates aut vires noſtras exploratas habeamus, vt in aliquam grauem calamitatem incidamus, atque ita incipiamus reſipiſcere: vt denique quum opus eſt, peccata peccatis ac iuſtis alijs pœnis puniat. Hoc qui dicit an Deo tribuit quod noſtræ eſt concupiſcentiæ?

Sed ſupereſt quæſtio, Cur prætерito Satana dicat Iacobus nos à noſtra concupiſcentia tentari. Nimirum, quia etſi nos ſolicitat Satã, & alij alios incitamus, tamẽ hæc omnia eò pertinent, vt cõcupiſcentia quæ in nobis eſt, accendatur. Eſt autem interior iſte motus verum ac proprium noſtrarum affectionum ac proinde actionũ principium. Quum igitur Adam ſeipſum, quanuis ſuggerente diabolo, tamen ſponte ac propriè initiò deprauauerit, & homines ex eo prognati hac praua cõcupiſcentia propriè itidem ac ſponte ſeſe moueant, & quotidie ſeipſis fiant deteriores, cur in Deum vllam culpam reijciant, quum ne Satanam quidem aut alium quenquam, etſi eorundem ſcelerum ſocios, propriè tamen poſſint vt ſui exitij cauſas accuſare?

Sed quorſum hæc omnia? Audiamus Caluinum ipſum loquentem. Is igitur explicãs verba illa ſolẽnia, ET NE NOS INDVCAS IN TENTATIONEM, Nomen *Tẽtationis*, inquit, ſæpe generaliter ſumitur pro quacunque probatione: quo ſenſu dicitur tentatus à Deo fuiſſe Abrahã, quum explorata fuit eius fides. Sic tam aduerſis rebus quàm proſperis tentamur, quia hac occaſione in lucem emergunt affectus qui prius latebant. Sed hîc notatur interior tentatio, quæ diaboli flabellum aptè vocari poteſt ad incitandam noſtram cõcupiſcentiam. Abſurdum enim eſſet à Deo petere vt nos ab omnibus fidei documentis immunes reddat. Ergo praui omnes motus qui nos ad peccandum ſolicitant, ſub tentationis nomine comprehenduntur. Quanquam autem fieri nõ poteſt quin tales in animis punctiones ſentiamus, quia toto vitæ curſu continua eſt nobis cum carne militia: petimus tamen à Domino ne tentationibus nos ſubijciat, vel obrui patiatur. Ac quò melius exprimeret Chriſtus nos ad aſſiduos caſus & ruinas procliues pẽdere niſi nos Deus manu ſua ſuſtineat, hac loquendi forma vſus eſt, Ne nos inducas in tentationem: vel, vt alij vertunt, Ne nos inferas. Certum quidem eſt vnumquenque tentari à ꝓpria cõcupiſcentia, quemadmodum docet Iacobus: ſed quia Deus non modò Satanæ libidini nos permittit, vt ignem cõcupiſcentiæ accendat, ſed eo vtitur iræ ſuæ miniſtro, quoties vult homines in exitium præcipites agere, ipſe quoque ſuo modo in tentationem inducit. Hoc ſenſu dicitur ſpiritus Dei malus arripuiſſe Saulem, & eòdem tendunt complures Scripturæ loci. Neque tamen propterea Deum vocabimus malorũ authorem: quoniam homines mittendo in ſenſum reprobum, non exercet cõfuſam tyrannidem, ſed iuſta ſua iudicia, licet arcana, exequitur. Agnoſcis, Caſtellio, teretem illam & rotundam Caluini breuitatem? Minimè, opinor, qui omnium ſcripta præ tuis ſoleas aſpernari. Certè ſi hæc legeras, nimium fuiſti improbus, quum hæc argumenta in Caluinum torqueres: ſin verò non legeras, quod exiſtimare malo, quæ hæc tua eſt conſcientia, tantam blaſphemiam ei impingere cuius ſententiam non intelligas?

Cal. in Harm. Euangelica. Matth. 6.

V. ARGVMENT. CASTELL. AD XI. CALVMNIAM.

QVOD *tu addis, id Deũ facere propter ſuã gloriã, dicunt eſſe ridiculũ: gloria n. nõ ſolet tribui ex mẽdacio. Vt Nabuchodnoſor expertus Dei iuſtitiã & potẽtiã in eo ꝙ ipſe propter ſuã ſupbiã fuiſſet mutatus in brutã naturã, tribuit ei gloriã, nimirũ ꝓſpiciẽs & indicãs eũ eſſe iuſtum.*

REFVTATIO.

NVLLVM à Deo mendacium proficiſcitur, ne tum quidem quum ſpiritus mendaces mittit cum erroris efficacia. Nam in mendacio, ſicut in cæteris vitijs & criminibus,

notatio eſt praui affectus,qui in Deum cadere nullo modo poteſt. Quòd autem ſpiritus mendax,& homines natura mendaces mentiuntur, hoc omne tribuẽdum eſt ipſorum principijs,non ex creatione,ſed ex voluntaria corruptione deprauatis: Dei verò reſpectu iuſtum iudicium cenſeri debet quod ipſius Satanæ & hominum reſpectu mendaciũ eſt. Ex hominum verò mendacijs Deum vberem quoque gloriæ meſſem colligere ſi negas,primùm omniũ poſſum tuo ipſius exemplo confirmare quod negas. Tua enim mendacia quantum putas noſtris Eccleſijs profuiſſe,dum illa ſtudioſè cum Dei veritate cõparamus? Profectò niſi tibi diuerſum prorſus conſilium fuiſſet,multum nos tibi tuæque factioni debere hoc nomine fateremur, q occaſionem nobis præbueritis ea diligentius perueſtigandi ex quorum cognitione incredibilem certè fructum percipimus. Ita verò cohæret Eccleſiæ incrementum cum Dei gloria,vt ſecerni planè non poſſint. Mendacio Satanæ victus eſt Adam. Ex hoc facto quæ ad nos cõmoda,quæ ad Deum gloria rediję?
Rom. 1.16 Multò certè maior quàm ex ipſa mundi creatione. Patefit ira Dei aduerſus omnes homines,q veritatem Dei in iniuſtitia retineant. Hæc ira nihil aliud quàm iuſtum Dei iudicium eſt. An verò non putas Dei gloriam amplificari quum iuſtitiam ſuam exerit?
Iſa. 29.14 Luc. 10.21 Quid verò? Quum prudentiam prudentum aufert, quum ſapientiam ſuam abſcõditam ſapientibus,reuelat paruulis,quid aliud miſeris illis ſupereſt quàm mendacium? nec tamen inficiari potes quin ea res iuſtitiam Dei ac ſapientiam magnopere recommendet. Ergo,dices,mendacium nobis laudas? Minimè verò: ſed infinitam Dei ſapientiam admiror,qui ad congruum finem,id eſt ad gloriam ſuam illa etiam perducat in quibus cõtumeliam ſibi illatam punit, & ex hominum etiam ſceleribus eliciat gloriæ ſuæ materiam.
Rom. 3.7.8 Si hoc tibi non ſatisfacit,& pergis reſponſare,Si veritas Dei per meum mendaciũ redundauit in gloriam ipſius,cur amplius ego condemnor vt peccator, ac cur non potiùs faciamus mala vt veniant bona? ſi pergis,inquam,ita reſponſare,hoc vnum excipiã cum Paulo,te vnum eſſe ex ijs quorum iuſta eſt condemnatio.

In eo verò quod affers de Nebuchadnezare, quid aliud quàm idem ingenium prodis? Nebuchadnezar,quum pœnas ſuperbiæ ſuæ dediſſet,tribuit Deo iuſtitiæ laudem. Ex eo quid aliud potes colligere quàm Dei gloriã illuſtrari iuſtis ipſius iudicijs? Iam verò quũ inter iuſtiſſima ipſius iudicia numerentur efficacia erroris, excæcatio, induratio, nõ vides te ijs ipſis retibus implicitum teneri quæ nobis nexueras?

VI. ARGVMENT. CASTELL. AD XI. CALVMNIAM.

VVLT *Deus ſe laudari ab omnibus gentibus. Laudate Dominũ omnes gẽtes. Oportet ergo vt ea faciat quæ cognoſcere & porrò laudare poſſint omnes gẽtes. Atqui nulla gẽs vnquam agnoſcet iuſtum eſſe vt puniatur homo propter ea quæ Deus ipſi ſuggeſſerit. Quærimus enim, Si Deus puniret nos quia habemus barbam,nónne faceret nobis iniuriã, quum ipſe nobis barbam ſuggeſſerit,neque ſit barba arbitrij noſtri? Quis barbatus eum vnquam laudare poſſet?*

REFVTATIO.

OBSECRO verò quàm ridicula,quàm etiam prophana eſt iſta cõſequutio, Quum Deus velit ab omnibus gentibus laudari,nullum ei laudis argumẽtum relinqui, niſi ex ijs rebus quæ communi omnium gentium iudicio poſſint approbari? Atqui dicit Pau-
1. Cor. 1.23 lus ſe prædicare Euangelium,quod ſit offendiculo Iudæis,à reliquis autem gentibus pro ſtultitia ducatur. Cui enim temerè perſuadeas expectandã eſſe ſalutẽ ab eo qui omniũ
Act. 17.32 hominum fuerit miſerrimus? Nõ audis quomodo fuerit Athenis excepta Pauli oratio?
1. Cor. 2.14 non audis vociferãtem Paulum,hominem ψυχικὸν non capere quæ Dei ſunt? Nẽpe ita ſe res habet. Cõmunicauit Euangelij beneficium Dominus cũ omnibus populis, quos idcirco Propheta meritò compellat ad Dei laudes celebrandas. Neque enim Deus à
Pſal. 33.1 » quibuſuis ſuſtinet laudari,ſed à ſanctis duntaxat, ſicut ſcriptũ eſt, Exultate iuſti in Do-
Pſal. 50.16 » mino,rectos decet collaudatio. Et alibi,Peccatori dixit Deus, Quare tu commemoras ritus meos? cur ore tuo fœdus meum iactas? Neceſſe eſt igitur vt à fide proficiſcatur ea collaudatio quæ Deo grata ſit ac iucunda,quum ſine fide nihil poſſit Deo placere. Fides autem Deum comprehendit, non qualem illum ſenſu noſtro communi concipimus,
Ioan. 1.5 2. Pet. 1.19 (nam, vt inquit Ioannes, tenebræ lucem non comprehendunt) ſed qualem ſeſe nobis, quorum cordibus illuxit lucifer,ſpectandum ac contemplandum in Verbo ſuo propoſuit. Iam verò quum ex infinitis penè teſtimonijs vtriuſque Teſtamenti tam manifeſtè probauerimus,ex prouidentia & æterno Dei decreto non vniuerſa modò in genere,ſed etiam ſingula adminiſtrari,adeò vt iuſtè velit Deus,& iuſtè faciat etiam illa quæ

tum

tum Satanas tum homines iniuſtè volunt, & iniuſtè faciũt, nec vlla motuũ vel actionũ contagio ad primam cauſam peruadat, ſed quoniam ex prauis inſtrumentorum principiis proficiſcitur, illic etiam conſiſtat: denique quum manifeſtè demõſtrauerimus nihil prorſus geri quod in Dei gloriam non redundet, adeò quidem vt noſtro etiam mendacio [Rom.3.] veritas Dei illuſtretur, quid ſupereſt, niſi vt cum hoc tuo falſiſſimo argumento procul faceſſas? Quod autem de barba & barbato garris, an non manifeſtè probat quem animum attuleris ad hæc arcana Dei tractanda? Quid enim barbæ aut barbato cõmune eſt cum regno Dei? Imò quis hæc tam inepta non putet potius ab infante puero, quàm à viro barbato profecta? Paucis tamen tibi volo reſpõdere, ne queratis eludi à nobis argumenta quæ ſeriò confutare non poſſimus. Barba eſt à merè naturali motu: peccatum à voluntario motu, eóque corrupto, quoniam corrupta eſt voluntas, corruptum iudicium, corrupta intelligentia, corrupta appetitio, homo denique totus peccato eſt mancipatus. Ea res tamen non efficit, ſicut prolatis Scripturæ teſtimoniis demonſtrauimus, vt Dominus effectricis illius prouidentię imperio ſeſe abdicarit: vnde fir vt malas etiam voluntates non minus iuſtè & rectè inclinet, flectat, dirigat quocunque ei libuit, quàm ſi corruptæ non eſſent. Tu verò videris cuius ſit iudicij, res tam diſſimiles tanquam penitus ſimiles, id eſt, quod merè naturale eſt cum voluntario comparare.

VII. ARGVMENT. CASTELL. AD XI. CALVMNIAM.

SI DICET Caluinus hoc eſſe occultum Dei iudicium, & nobis ignotum, reſpõdebimus eſſe quidem Dei arcana nobis ignota: ſed quod ad iuſtitiam attinet, ea nobis nota eſt, & in Euangelio patefacta: ſecundùm quod patefactum Euangelium (vt docet Paulus) & non ſecundùm illud occultum Caluini iudicium, iudicabit Deus mundum: atque ita conſequetur ab omnibus, tum pijs tum impijs: quippe omnes tum pij tum impij videbunt æquum eſſe, vt qui veritati, non occultæ (qualis eſt Caluini) ſed apertæ (qualis eſt Euangelij) non obediuerint, puniantur: & qui obediuerint, mercedem accipiant.

REFVTATIO.

DEEST aliquid in hoc tuo ſcripto, ſed culpa eſt eius cui librum tuum deſcribẽdum commiſiſti. Nam alioqui bona certè fide omnia excuſa ſunt ex illo ipſo exemplari quod Lutetiam miſeras vt furtim illic excuderetur. Sed ad rem. Quorſum igitur hæc, quæſo, cõmemoras? An nos enim aliam boni & mali, iuſti & iniuſti regulam eſſe dicimus quàm Legem Dei? An aliam ſalutis viam oſtendimus quàm Euangelium de Filio Dei, ita vt perſcriptum extat? An fore dicimus vt Deus ex alio præſcripto quàm ex Verbo ſuo iudicet mundum? An non potius ij ſumus qui non modò aduerſus Papiſtas, ſed etiam aduerſus teipſum abhinc triennium authoritatem verbi Dei pro virili aſſeruimus, quum tu nouas reuelationes expectari iubeas, quòd verbum Dei quale nobis traditũ eſt per Prophetas & Apoſtolos, decidendis Eccleſiarum cõtrouerſiis non ſufficiat? Tu verò an non is ipſe es qui tuis in priorem ad Corinthios Epiſtolam commentariis affirmas Paulum nobis in ſuis Epiſtolis religionis duntaxat rudimenta tradidiſſe, & perfectiorem aliam doctrinam habuiſſe quam cum perfectis quibuſdam ſuis diſcipulis communicarit? Quî fit ergo vt repentè mutatus contra nos inſurgas tanquam in vno Dei veibo nõ acquieſcentes? Nos enim certè ij ſumus qui fuimus, nec vſquam vnquam niſi in vno Dei verbo requieſcere didicimus. Iudicabit Deus mundum ex Euangelio, id eſt, quoſcunque comperiet Chriſtum fide amplexos, quod quidem ex fructibus apparebit, abſoluet, & Chriſti cohæredes declarabit: reliquos meritò condemnatos flammis perpetuis excruciandos tradet. Ex hac, inquam, Patris cæleſtis voluntate Chriſtus viuos & mortuos iudicabit. Verùm quînam poſſis ex eo colligere, patefacta nobis eſſe omnia Dei conſilia, ſeu iudicia, ſiue omnem iuſtitiam ac voluntatem, id eſt, nobis patere quicquid quotidie facit, & quicquid in ſingulis ac de ſingulis facere ab æterno conſtituit? an verò tu is es qui nobis explicare poſſis omnium Dei conſiliorum, ſiue etiam eius iuſtitiæ rationes qua vſus eſt tum erga pios, tum erga impios, à iactis mundi fundamentis, & deinceps etiam vtetur? túne, inquam, arcana illa æternæ Dei prouidentiæ noſti? Imò, dices, fateor quædam eſſe Dei arcana nobis ignota, ſed totam eius iuſtitiam dico nobis eſſe patefactam. Arqui paulò antè vllam eſſe occultam Dei voluntatem pernegaſti. Num verò arcana Dei vel ad volũtatem vel ad iuſtitiam eius non pertinent? Itaque tecum prius delibera quid tibi velis, quàm rectè & couſtanter ab aliis tradita oppugnes. Nos verò extra verbum Dei non peregrinari, neque vel tranſuerſum vnguem deflectere, quum dicimus Deum per eos etiam agere, & quanuis interdũ occulta, tamẽ ſemper iuſta ſua

iudicia exercere in quos vt rebelles meritò animaduertit,ac præter Dei voluntatem ne ea quidem fieri quæ ſunt cōtra ipſius voluntatē: nos, inquā,quum occultas atque adeò imperuestigabiles eſſe vias Domini cum Prophetis & Apoſtolis clamamus, nihil dicere quod Deus in Verbo ſuo non diſertè patefecerit,ſatis ſupérque probauimus. Nam hoc quoque nobis patefecit Dominus, infinita eſſe in ea rerum diſpenſatione qua vtitur, quæ ſi quis velit ſcrutari,hoc vnum conſequatur,vt quò propius ad Dei lucem accedit, eò magis caliget,donec tandem Diuinæ lucis maieſtate abſorptus pereat.

VIII. ARGVMENT. CASTELL. AD XI. CALVMNIAM.

EXERITVR *ira Dei, inquit Paulus, in omnem impietatem & iniuſtitiam hominum, veritatem in iniuſtitia detinentium. Atqui ſi vera eſt Caluini ſententia, exeritur ira Dei in omnes inſontes. Si enim ſuggerit prauos affectus,iraſcitur,& odit eos ante prauos affectus. Nā ſuggerere prauos affectus,eſt odij: odit ergo inſontes: nā ante prauos affectus ſunt inſontes, ſiquidem peccatum eſt à prauis affectibus,vel potius peccatum eſt prauus affectus.*

REFVTATIO.

PRIMVM omnium locus Pauli quem citas,manifeſtè à te torquetur: neque enim ad aliquam duntaxat hominum partem ſpectat,ſed ſingulos pariter homines, ne vno quidem excepto,Paulus hoc dicto iniuſtitiæ condemnat. Omnes enim, quatenus filij ſunt Adami & extra Chriſtū,(hoc autē reſpectu à Paulo cōſiderantur hoc in loco) tenentur eius criminis conuicti de quo diſſerit Paulus: quoniā ne vnus quidem eſt qui vel Deum colat,vel proximū iuuet ex eius notitiæ præſcripto quā Deus partim omniū animis inſculpſit,partim per rerū conditarū contemplationē omnibus proponit. Hęc eſt germana Pauli verborū explicatio, vt ex totius diſputationis ſerie & cōcluſione liquet. Quorſum autē hoc ad id de quo agimus? An enim propterea non offenditur Dominus hominum iniuſtitia,quoniam ea bene vtitur tum ad cōſolandos pios,tum ad caſtigandos impios? Præterea quod de prauorum affectuū ſuggeſtione garris , quorſum in nos torques, qui nihil aliud docemus quàm Deum malas etiam voluntates iuſtè ac ſapienter mouere,inclinare,regere & ad deſtinatum à ſe finem perducere? Nā (quod millies iam dixi) prauitatem & defectum affectuum & actionum in prauis & deficientibus principiis totam,ſicut par eſt,reponimus. Itaque non aduerſum nos, ſed aduerſus vmbram tuam litigas. Iam verò cuiuſmodi ſunt quæ ſubiicis? Primùm enim ponis homines eſſe inſontes ante prauos affectus: *quoniam* (inquis) *peccatum eſt à prauis affectibus*. Hæc verò quum dicis,an non es manifeſtè Pelagianus? Cedò enim qui naſcimur iræ filij, imò qui concipimur in iniquitate,qui remiſſione peccatorum & regenerationis teſſera , id eſt Baptiſmo indigemus iam inde ab ipſo exortu,ſi peccatum nullum eſt niſi à prauis affectibus,neque ſontes & iræ filii ſumus antequàm prauis affectibus laboremus? Quòd ſi hæc vera ſunt (ſunt autem falſiſſima) vnde tandem vitioſi affectus emergent? nempe ex peruerſa educatione , ex imitatione, denique ex merè libera voluntate , quæ tum primùm ſeſe in ſingulis hominibus peccato mancipet quum incipiunt malis affectibus laborarē. Itaque regenerante gratia non egerent homines, quum peccatū non ſit ex propagatione,ſi naturam ſequi vellent. Neque te pudet de Chriſtiana religione diſſerere, qui rancida iſta Pelagij venena iterum nobis reponas? Vides autem hoc euerſo fundamento corruere quicquid ſuperſtruxeras. *Si vera eſt* (inquis) *Caluini ſententia, exeritur ira Dei in omnes inſontes.* Imò tantùm abeſt vt huic blaſphemiæ ſit affinis Caluinus , vt contrà ne iis quidem aſſentiatur qui naturam hominis læſam duntaxat & vulneratam fuiſſe volunt , quíque concupiſcentiam in ipſis etiam regeneratis peccatum eſſe negant: vt qui totum hominem quantus quantus eſt , iam inde ab ipſo conceptu nihil aliud quàm Satanæ mancipium , & iuſtæ iræ Dei obnoxium eſſe ex verbo Dei demonſtret. Quum autem hanc doctrinam aduerſus Pighium & omnes Sophiſtas, Caluinus, ſi quiſquam alius noſtra memoria,ſolidiſſimè ac eruditiſſimè aſſeruerit, qua tandē fronte ſcribere auſus es,Si vera eſt Caluini doctrina , cōſequi vt Deus iram in omnes inſontes exerat , quum Caluinus neminem vel ab ipſo exortu inſontem eſſe ſingulis penè librorum ſuorum paginis vociferetur? At enim , dices , quomodo igitur veſtra doctrina cohæret? Optimè profectò cohæret. Neque enim dicimus Deum feciſſe aut facere malas voluntates , vel malitiam indere , vel prauos affectus ſuggerere , vel ad malum ſolicitare: ſed hoc dicimus , Deum innatam quoque hominum malitiam bene mouere , & quocunque libuit inclinare, flectere, regere : vt rectiſſimè Gregorium ſcripſiſſe palàm ſit,malos,etiā quū Dei voluntatē mutare volūt,facere Dei voluntatē, & reſiſtēdo cōſilio

lio

lio Dei, obſequi. Pręterea, ſi tibi cōcederemus quod ſubiicis, Suggerere prauos affectus, eſſe odij, num ex eo efficeretur Deū odiſſe inſontes? Minimè verò. Dicimus enim quod veriſſimum eſt, omnes naſci ſontes, ac proinde iuſtis Domini iudiciis obnoxios, niſi per Chriſtum liberentur. Sed ne illud quidem quod dicis ſemper ac ſimpliciter verum eſt, Deum videlicet eos odiſſe quorum prauos affectus moueat. Paulum enim Dominus ab æterno dilexit, & tamen rabiem eius ac crudelitatem quādiu libuit per Satanā incitauit & exacuit, donec eius miſereretur, & in ſuā perniciem ruēti æternā illā ſuā voluntatem qua ab vtero matris eum ſegregarat, beneuolus declararet. Sic Dominus Dauidem quanuis electum & chariſſimum ſibi regē ac Prophetam, tamen per Satanam incitat vt populum recenſeat. Etſi enim omnem iniquitatem odit Dominus, nō tamen omnes odit in quibus eſt iniquitas, & quorum etiam iniquitate bene vtitur, quoties, quomodo, & quandocunque libuit. Alioqui, quem tandem cōplecteretur? Itaque quocunque te conuertas, falſa & inepta ſunt quæcunque in nos, aut in Dei veritatem potius effutis.

CALVMNIA XII.

Impij in impietate potius opus Dei quàm ſuum faciunt.

I. ARGVMENT. CASTELL. AD XII. CALVMN.

Si ita eſt, Deus iraſcitur bono. Nam ſi impietas eſt opus Dei, impietas eſt bonū: omnia enim opera Dei ſunt bona. Et ſi impietas eſt bonum, ergo pietas eſt malum: quippe quæ ſit impietati contraria. Ergo quum dicunt Sacræ literæ, Oderis malum, amato bonum: iubent nos amare impietatem, & odiſſe pietatem. Dicunt præterea iſtum articulum ſapere neſcio quid Libertinum, & mirantur te tam infenſum eſſe Libertinis.

REFVTATIO.

Hoc Auguſtini dictum omnibus tuis calūniis oppono. Quòd mali peccant, inquit, eorum eſt: ꝙ peccando hoc vel illud agant, ex virtute Dei eſt, tenebras, prout viſum eſt, diuidentis. Vides quàm leui impulſu collabantur quæcunque nobis oppoſuiſti? Falſa enim ſunt hæc omnia quę nobis tribuis: & hîc quoque aduerſus vmbrā tuam litigas. Sed, agè, Caluinum ipſum loquentem audiamus, vt de hac tua calumnia vel ipſi pueri iudicare poſſint. Caluini certè hæc verba ſunt: QVIN perpetuò gubernet Deus hominum [Lib. de æterna Dei prædeſt.] manus, nunc ligatas teneat, nunc flectat huc & illuc ad exequendum quod ſtatuit, quicunque mediocriter in Scriptura exercitati ſunt, nō vocabunt in cōtrouerſiam. Imò cōmuni ferè omnium ſenſu receptum eſt, quicquid moliantur homines, euentum in manu Dei eſſe. Sed quia in tam denſa humanę mentis caligine perquàm tenuis & euanida eſt illa cognitio, Scriptura altiorem nobis ſpeculam ædificat, è qua Deum contemplemur omnia hominum opera ſic moderantem, vt in finem à ſe deſtinatum applicet. Sūma autem huc redit. Quanuis homines vt indomitæ beſtiæ, nulliſque vinculis coërcitę laſciuiant, arcano tamen fræno gubernati, vt ne digitum quidem mouere queāt, niſi ad exequēdum Dei magis quàm ſuum opus. Hoc Caluini poſtremum dictum arripuiſti, vt hominibus perſuaderes, vel à Caluino tolli omne boni & mali diſcrimen, vel Deum cōſtitui ſcelerum authorem. Sed quàm impudenter hæc colligas, ex iis apparet quæ præcedentibus attexuit Caluinus: tu verò quoniam pudorem omnem iampridem amiſiſti, ſecurus prætermiſiſti. NAM (inquit Caluinus) fideles qui ſpontaneum illi obſequium impendunt, non ſecus atque Angeli, manus eius cenſendi ſunt. Quare eos potiſſimùm hîc commemoro, quibus nihil minus propoſitum eſt quàm quicquam habere vel conſilio Dei affine, vel conſentaneum eius voluntati. Ac ſibi quidem quaſi votorum compotes, plaudunt impij. Sed res tandem comprobat, per ipſos, licet impios & nolentes, quod diuinitus ordinatum fuerat eſſe impletum. Porrò Deus ipſe nunc impiis ad puniendа hominum peccata tanquam flagellis vtitur: nunc quaſi obtorto collo eos trahe- [Sup. à in Calum. 10.] ret, beneficentiæ ſuæ miniſtros eſſe cogit. Prioris membri exempla colligere, immenſi operis foret. Pauca tantùm attingere præſtiterit. Poſtquam Deus Aſſyrium ad bellan- [Iſa. 10.] dum incitans, virgam furoris ſui vocauit, nec alio quàm iræ ſuæ baculo armatū eſſe docuit: poſtea in eius ſuperbiam inuehitur, ꝙ ſe non agnoſceret veluti ſecurim vel ſerram aliunde agitatam. Hac ratione & ſanctificati à Deo, & conductitij eius milites dicūtur, [Iſa. 13. & alibi paſſim apud Prophetas.] & operā illi nauare. quos ambitio alioqui ſua, & crudelitas, & auaritia impellit: & Dominus viciſſim ſibilo vel claſſico ſe eos ad arma vocare teſtatur. Diuinæ autē beneficentiæ viam parari hominum quoque maleficiis, vel vnus Moſis locus ſatis clarè demonſtrat. Pluſquàm ſcelerata, perfida, & crudelis fuerat cōſpiratio fratrum Ioſeph, quū eum venderent. Atqui in Deum trāſcribit Ioſeph, ſed alio reſpectu, vēditionis huius cauſam. [Gen. 45.] Non vos eſtis, inquit, ſed Dominus qui me præmiſit, vt vos alerem. Conſtat ergo quum

Supràin reſp. ad Calum.10. 2.Reg.22.

impiè agerent,per eos tamen operatum eſſe Deum,vt vitam in morte inuenirent.Quãtum in ipſis erat,occiderant fratrem.Inde illis vita affulget. Idem in ſcelerum omnium principe,& impiorum capite Satana perſpicere eſt.Eum Deus ad decipiendum Achab cum hoc mandato dimittit,vt ſit ſpiritus mendax in ore omnium prophetarum.Ita ſpiritus impoſtor, iræ Dei miniſter eſt ad excæcandos impios qui veritati obtemperare noluerant. Contrà verò Paulus, ne magnitudine reuelationum ſuperbiat, datum ſibi carnis ſtimulum memorat,nuntium Satanæ,à quo cædatur colaphis.Hic Satanæ venenum ad curandam ſuperbiam antidotum eſt. Qualis,obſecro,medicus,Satan,qui nihil quàm perdere & occidere didicit?Verùm Deus,qui ſemel iuſſit è tenebris lucem ſplendere,ex inferis ipſis,quoties ita viſum eſt,ſalutem mirabiliter educit,atque ita tenebras conuertit in lucem.Cæterùm quod operatur Satan,Scriptura Dei opus eſſe alio reſpectu affirmat: quatenus videlicet ipſum Deus ſuæ prouidentiæ obſequio illigatum tenens,quò viſum eſt flectit,vt eius operam ad vſus ſuos applicet.Hactenus Caluinus, cuius verba vbi perlegeris,fortaſſis futurum eſt vt te iſtarum calumniarum pudeat.

CALVMNIA XIII.

Neceſſariò peccamus ex ſenſu Dei,quum ex noſtro,ſiue fortuitò peccamus.

CALVMNIA XIIII.

Quæ praua ſua voluntate perpetrãt homines,illa etiã procedũt à volũtate Dei.

RESPONSIO.

NOS verò nuſquã diximus,vel hominem ex Dei ſenſu peccare,ſicut tu quidẽ interpretaris,id eſt,ita vt illi placeat peccatum:vel fortuitò peccari,quo nihil dici poteſt abſurdius.Tua ſunt igitur hæc portenta. Peccata verò à voluntate Dei procedere quatenus peccata ſunt,ſi vel in mentẽ nobis veniſſet vt diceremus, aut ſcriberemus, nos eſſe omnibus ſuppliciis digniſſimos fateremur.Cæterùm de neceſſitate quæ fuerit Auguſtini ſentẽtia,quã nos ſanè libẽter,vt verbo Dei maximè cõſentaneam,amplectimur,ſatis

Lib.6.De Gen.ad literã cap. 15.&16.

ſuperq; ex multis locis apparet.DEI volũtas,inquit,eſt rerũ neceſſitas.Et iterũ,SIC cauſas inferiores cõdidit Deus,vt ex illis eſſe illud cuius cauſæ ſunt,poſſit,ſed nõ neceſſe ſit: altiores autẽ & remotas ſic in ſe abſcõderit,vt ex iis eſſe neceſſe ſit,quod ex illis fecit vt eſſe poſſit. Hac autẽ neceſſitate nõ impediri ſpõtaneũ volũtatis motũ, ſic docet idẽ Au-

Lib.5.De Ciuit.Dei, cap.9.

guſtinus: OMNIA,inquit,fato fieri nõ dicimus,imò nulla fieri fato dicimus: quoniã Fati nomẽ vbi ſolet à loquentibus poni,id eſt in cõſtitutione ſyderum qua quiſque cõceptus aut natus eſt,quoniã res ipſa inaniter aſſeritur,nihil valere mõſtramus.Ordinẽ autẽ cauſarũ vbi voluntas Dei plurimum poteſt neq; negamus,neq; Fati vocabulo nũcupamus, niſi fortè vt fatum à Fãdo dictũ intelligamus,id eſt à loquẽdo. Nõ enim abnuere poſſumus,eſſe ſcriptũ literis Sãctis,Semel loquutus eſt Deus.Quod enim dictũ eſt,Semel loquutus eſt,intelligitur immobiliter,hoc eſt, incommutabiliter eſt loquutus,ſic vt nouit incõmutabiliter omnia quæ futura ſunt,& quæ ipſe facturus eſt.Hac itaque ratione poſſemus à Fando Fatum appellare,niſi hoc nome iã in alia re ſoleret intelligi, quò corda hominũ nolumus inclinari.Nõ eſt autẽ cõſequens,vt ſi Deo certus eſt omniũ ordo cauſarũ,ideo nihil ſit in noſtræ volũtatis arbitrio.Et ipſæ quippe noſtræ volũtates in cauſatum ordine ſunt,qui certus eſt Deo,ciuſq; præſcientia cõtinetur,quoniã & humanæ voluntates,humanorũ operũ cauſæ ſunt.Itẽ eodẽ loco,VOLVNTATES noſtræ tantum valent quãtum Deus eas valere voluit ac præſciuit:& ideo quicquid valent,certiſſimè valent,& quod facturæ ſunt ipſæ, omnino facturæ ſunt,quia valituras ac facturas ille præ-

Ib.ca.10.

ſciuit,cuius præſciẽtia falli nõ poteſt.Et iterũ,SI definitur illa eſſe neceſſitas,ſecũdum quã dicimus neceſſe eſſe vt ita ſit aliquid vel ita fiat,neſcio cur eam timeamus ne nobis libertatem auferat voluntatis.Hactenus Auguſtini verba recenſui.Quid autem ſentiat Caluinus de Neceſſitate & Cõtingentia, perſpicuè liquet ex ipſius verbis. Quum enim docuiſſet ex Dei verbo Deum cõſilio ſuo dirigere quæ maximè videntur fortuita, & ſi-

Aug.lib.ad Bonif.2.c.5. Cal. Inſtit. Chriſt.lib. 1.cap 16. ſe.9.

cut olim Auguſtinum,ita etiã ſe immeritò grauari Stoici fati calũnia oſtẽdiſſet, tãdem hæc ſubiicit,VALEANT,inquit,Stoici cũ ſuo fato:nobis libera Dei volũtas omnium ſit moderatrix.Sed cõtingentiam tolli ex mundo,videtur abſurdũ.Omitto quæ in ſcholis vſitatę ſunt diſtinctiones.Quod afferam,ſimplex,meo iudicio,& minimè coactum erit, deinde ad vitæ vſum accommodatum. Sic euenire neceſſe eſt quod ſtatuit Deus, vt tamen neque præciſè, neque ſuapte natura neceſſarium ſit. Exemplum in Chriſti oſſibus familiare habeo. Chriſtum corpus induiſſe prorſus noſtro ſimile, Scriptura teſtatur: quare fragilia illi oſſa fuiſſe,fateri ſanus nemo dubitabit. Sed alia mihi videtur ac ſepa-

rata

rata quæſtio: An vllũ os eius frãgi potuerit. Nã integra omnia & illæſa manere, quia fixo Dei decreto ita ſtatutum erat, neceſſariò oportuit. Nec verò q à receptis loquendi formis de neceſſitate ſecundũ quid & abſoluta, itẽ cõſequẽtis & cõſequentiæ abhorreã, ita loquor: ſed ne qua lectores argutia impediat, quin agnoſcat vel rudiſſimus quiſq; verũ eſſe quod dico. Ergo ſi in Chriſti oſſibus naturam cõſideres, fragilia erant: ſin verò illud Dei decretum quod ſuo tẽpore manifeſtatum fuit, nihilo magis fracturæ obnoxia erant quàm humanis ærumnis Angeli. Iã verò quia diuinitus poſitum naturæ ordinẽ intueri nos decet, cõtingentiam, quoad ſenſum noſtrum, minimè reiicio. Hęc Caluinus, ita profectò planè ac perſpicuè, vt qui de his ambigat, nodum in ſcirpo quærat. Verùm ne de noſtra obſcuritate queri vllo modo poſſis, quoniam vix vlla eſt calumnia quam frequentius habeant in ore, & quam nobis audacius obiiciãt homines præſertim imperiti, quàm hæc de Stoici fati neceſſitate, volo ſemel copioſè ac perſpicuè explicatum eſſe quid de his rebus ſentiamus, idque non meis verbis, ſed doctiſſimi & omnibus modis præſtantiſſimi viri P. Martyris: qui etſi hæc nondum edidit quæ ſum deſcripturus ex ipſius prælectionibus excerpta, tamen hoc quoque, vt ſpero, non inuitus Bezæ ſuo concedet, vt eius præſidio vndecunque comparato ad opprimendum mendacium vtatur. Sic igitur docuit P. Martyr quum primum Samuelis librum in clariſſima Tigurina Eccleſia præſentibus & approbantibus multis verè piis ac doctis hominibus interpretaretur.

QVÆSTIO eſt, inquit, num Dei prouidẽtia ſit immutabilis. Quidni? Eſt enim regula omnium rerum quæ aguntur. Ego ſum Dominus, inquit, & non mutor, apud quem non eſt mutatio vel viciſſitudinis obumbratio. Et Prou. 19, Multæ cogitationes in corde hominis, cõſilium autẽ Domini manet. Iſa. 46, Ego dico, & cõſilium meũ manet, & oĩa quæ volo facio. Nam quum prouidentia ſit voluntas & notitia Dei, illa autẽ ad Dei eſſentiã pertineant, nõ poteſt mutari, niſi Deus ipſe mutetur. Secundæ quidem cauſę quum ſint diuerſæ, ſæpe ſeipſas impediunt: quod in fluxibus cæli videmus vſu venire, vt aliæ impediantur ab aliis. Dei verò voluntas nulla vi impediri poteſt. At olim voluit Iudaicas ceremonias: eas poſtea voluit abrogari. Quomodo igitur Dei prouidentia nõ eſt mutabilis? Reſpõdeo, Omnino in Deo eãdem & vnam eſſe voluntatem: verùm eum ab æterno pręuidiſſe quid diuerſis temporibus cõueniret. Auguſtinus ad Marcellinum ait, Agricolã alio tẽpore ſerere, alio metere, alio ſtercorare ſolum: nõ tamen idcirco artem ruſticã eſſe mutabilem. Vindicianus, ait, quidã medicus dedit homini ægroto pharmacũ, cúmq; ſanauit. Ille poſt multos annos relapſus in eundẽ morbum, incõſulto medico cepit idẽ pharmacum. Sed quum deterius haberet, venit ad medicum, rẽ indicauit, ac cœpit queri de pharmaco. Tum Vindicianus, Nihil mirum, inquit, nam illud ego tibi non dedi. Hic quum alij mirarentur, & putarent ipſum adhibere ſolere vim aliquã magicam, Nihil (inquit ille) eſt eiuſmodi: alia eſt ætate, atque alios habet humores, quàm quum ego illud ei pharmacũ primùm darem. Sed an ea cauſa cõſtans nõ erit ars medica? Ita prorſus Deus quamuis omnia præuideat, tamen non omnia decreuit eſſe facienda eodem tempore.

Nunc veniamus ad rem ipſam, Si certa ſit Dei prouidentia, an aliquã patiatur cõtingentiã. Hic primùm vtar duabus diſtinctionibus, deinde reſpõdebo. Neceſſitas alia ſimplex eſt: alia ex hypotheſi. Nã quum dicimus, Deũ eſſe, Deum ſapientẽ aut iuſtum eſſe, intelligimus id eſſe ſimpliciter & abſolutè neceſſariũ. Alia ſunt neceſſaria ex hypotheſi, vt quod iactatur in ſcholis, Id quod eſt, in quãtum eſt, neceſſarium eſt. Chriſtus & Prophetæ prædicunt vrbem Ieruſalem eſſe euertendam: ergo euerteretur neceſſariò: nõ q ea neceſſitas ſit in natura vrbis, ſed q Chriſtus & Prophetæ id prædixerint, qui falli nõ potuerunt. Oportet hæreſes eſſe, inquit Paulus. Et Chriſtus, Neceſſe eſt vt ſcãdala veniant. Nã poſitis his cauſis, corruptis videlicet hominũ ingeniis, & odio diaboli erga humanũ genus, poſito etiam fine, vt electi probentur, ex hypotheſi neceſſe eſt vt iſta eueniãt. Res etiã dupliciter ſpectari poſſunt, vel vt latẽt in cauſis, vel vt exiſtunt actu: atq; ita rationẽ habẽt neceſſitatis. Nõ enim ſunt amplius indefinitæ, vt ſcribere, aut nõ ſcribere, cõtingens eſt. At ſi iã actu ſcribas, nõ amplius cõtingens eſt, ſed neceſſariũ. Itaq; dicimus ſenſuũ notitiã certã eſſe, quia res ipſæ nõ poſſunt aliter ſe habere. Sed & cõſiderari res poſſunt, vt latent in ſuis cauſis. Quoniã autẽ cauſę interdum poſſunt, interdum nõ poſſunt producere effecta, idcirco nulla eſt in illis efficiẽdi vis neceſſaria. At ſi res illæ referantur ad Deum, longè alia ratio eſt. Ille enim vocat ea quæ non ſunt, tanquam ſint. Quoniam enim ambit omne tempus, & neque initium habet, nec finem, omnia etiam infinito pòſt tempore futura, tamen illi ſunt præſentia. Huc etiam accedit voluntas Dei.

Nõ enim nuda in eo notitia ponẽda eſt, ſed πρακτική. Atque hoc pacto dico res ipſas rationẽ habere neceſſitatis. Aug. in Gen. ad Lit. lib. 6. c. 15, Multi modi ſunt quibus homo & alia fieri potuiſſent à Deo: & illi modi habebãt aliquid poſſibilitatis, non neceſſitatis. Hoc autem eſt ex volũtate Dei, cuius voluntas eſt rerum neceſſitas. Quãuis autem eiuſmodi res ad eũ relatæ ſint neceſſariæ, nobis tamẽ ex interioribus & propriis cauſis æſtimãdæ ſunt, & dicẽdæ cõtingentes. Nõ enim neceſſe eſt vt qualis ſit efficiens cauſa, talis etiã ſit effectus. Si quæras, Cur hæc duo genera cauſarum ſint in rerũ natura, vt aliæ terminatæ ſint ac neceſſarię, aliæ indefinitæ ſint & cõtingẽtes, nihil aliud reſpõderi poteſt, quàm Deũ iſtos modos rebus omnibus impoſuiſſe. Producit aũt Deus, & definit, ac terminat omnia, nõ tamẽ vt turbet & diſſipet naturã rerũ. Boëtius in Topicis ait εἱμαρμένην dictã παρὰ τὸ εἴρειν καὶ χωρεῖν ἀκολούθως. Nã trahit quidẽ Deus res omnes, ſed ita quodãmodo cedit, vt nihil turbet. Ita res quãuis natura ſua æquè propẽdeant in vtrãque partem, tamen à Deo magis in alterã inclinantur. Voluntas Saulis natura ſua nõ magis terminata erat ad eundũ, quàm ad manendũ. Sed quũ Deus vellet eũ mittere ad Samuelẽ, volũtas eius inclinare cœpit in alterã partẽ. Itaque Deus proponit intellectui eius voluntatem patris, facitq; vt illa mẽtem eius impellat & feriat efficaciter, vt aliæ omnes cupiditates otij atque ignauiæ, ſi quæ erãt quæ illum retinere potuiſſent, ſuccũberent. Itaq; factum eſt vt voluntas Saulis obſequeretur prouidentiæ Dei. Interim tamen rei natura nũ violatur, quin Saulis voluntas æquè libera fuerit in vtranque partem. Hinc apparet quàm neceſſaria nobis ſit gratia Dei. Volũtas enim noſtra, vt eſt omnibus modis deprauata, omnia cũuertit in deteriorẽ partem. Multa etiã ſunt quæ intellectũ noſtrum hebetent, & occæcent, vt voluntas non facilè ſequatur. Deus itaque intellectui noſtro proponit bonum: deinde accendit fidem, & hebetudinem excitat, vt efficaciter velimus.

Verùm cur dicitur aliquid cõtingens, inquies, quũ à Deo iam determinatũ ſit in alterã partẽ, atq; ita factũ ſit neceſſariũ? Reſpõdeo, Ex propriis & ſuis principijs res quęq; eſt cõtingens: prouidẽtia aũt quę neceſſitatẽ affert, cauſa eſt externa, à qua nomẽ rebus imponi nõ debeat. Scio multos eſſe qui ſtatuant ea quæ humanis viribus nõ poſſunt eò adduci à Deo, vt volũtas noſtra poſſit ea vel eligere, vel reſpuere: ibi autẽ prouidentiã Dei ſiſtere, neq; longius progredi, ac quũ Deus pręuideat quid quiſq; eligere velit, quid reſpuere, nihil impediri eius pręſcientiã. Verùm iſta nõ ſatis cõueniunt cũ Diuinis literis. Illæ enim docent nõ ita Deũ rebus cõſulere, vt eas deſerat: ſed, vti diximus, vt omnia ad ſuos fines adducat. Fines aũt illi ſeruiũt prouidẽtię Dei. Sic enim Paulus ait, Deũ omnia feciſſe ſecundùm propoſitum volũtatis ſuæ. Sic Deus ipſe apud Iſaiã, Omnia quæ volo, facio. Et Chriſtus ait, Ne paſſerculũ quidẽ cadere ad terrã ſine voluntate Patris noſtri. Scio ego Origenẽ, Cyrillũ, Chryſoſtomũ, & alios, quũ premũtur locis apertiſſimis Scripturarũ, quales ſunt, Oportebat Chriſtũ pati: &, Oportebat impleri Scripturas: ita iſta interpretari, nõ idcirco cõtigiſſe, quòd Deus ea præuiderit: ſed ideo Deũ ea præuidiſſe, ꝙ ea eſſent euentura. Hæc ſententia, ſi loqueretur de ſimplici notitia, non ita multum poſſet reprehendi. Nõ enim quia ego video aliquẽ ſcribentẽ, ille ſcribit: ſed quia ille ſcribit, ego video ſcribentẽ. Sed in Deo nõ poſſumus ſtatuere nudã ſcientiã: addenda eſt etiam volũtas quæ omnia dirigit & ordinat. Verũ tamẽ erit quod dicũt, ſi intelligatur ex effecto, aut, vt loquũtur, à poſteriore. Nos enim ex eo ꝙ aliquid factum eſt, intelligimus fuiſſe Dei conſilium vt ita fieret. Alioqui Scripturæ perſpicuè loquũtur, Oportuit mori Chriſtum: Oportuit impleri Scripturas. Quomodo autẽ impleri oportuit? ex hypotheſi, quia Deus ita præuiderat, non ꝙ ea neceſſitas fuerit in natura rei. Sed dices fortaſſe, idcirco cauſas in natura rei ipſius eſſe infinitas, ꝙ ego cauſas plenas & integras non accipiã. oportuiſſe enim addere prouidentiã Dei. Reſpũdeo, Ego accipio cauſas tãtùm interiores & proprias cuiuſque rei, quarum effecta quia ab illis produci & nõ produci potuerunt, ſunt cõtingentia: prouidentiam autẽ nõ addo, ꝙ ea cauſa ſit extrinſeca. quæ ſi addatur, euitari nõ poteſt quin ex hypotheſi neceſſitas aliqua cõſequatur. Exempli cauſa, Saul occurrit pueris portãtibus hœdos, panes, & vinũ. Voluntas illorũ natura ſua erat infinita, vt vel darẽt illi aliquid, vel nõ darent. Sed eã voluntatẽ Deus prouidẽtia ſua in alterã partẽ terminauit. Ibãt ad Bethel vt ſacrũ facerẽt: occurrebãt Sauli laſſo de via & preſſo fame: humanũ videbatur illũ reficere. Iſta Deus illorũ mẽtibus obtulit, & ſi qua erãt quæ eorũ voluntatẽ impedire poſſent, ea frænauit. Atq; hæc de hominũ tantùm voluntatibus diſputamus. Nã alioqui in aliis rebus cõtingentibus ſcio infinitos eſſe modos quibus Deus vti ſoleat. Aliud huius rei exemplum habemus ex 21. Ezech. Nebuchad-

nezar

nezat mouet in Syriam, & quū eſſet in biuio, cœpit deliberare, in Iudæóſne potius du- »
ceret, an in Rabath regem Ammonitarū. Idem permittit ſortibus: eas Deus gubernat; »
eumque adducit Ieroſolymam. Natura rei ipſius contingens erat: ſed ea à Deo defini- »
ta, facta eſt neceſſaria. Ioſephus ita vēditus eſt & ablatus in Ægyptum, vt quod attinet »
ad naturam rei, potuerit aut ſemper ſeruire ſeruitutē, aut aliquando liberari. Sed Deus »
immittit piſtori & pocillatori ſomnia, & Ioſephus ea interpretatur: poſtea viſum obii- »
citur Pharaoni: quumq; illud à nullo diuino poſſet exponi, pocillator ſummonuit eum »
de Ioſepho, atque ita factum eſt vt Ioſephus educeretur è carcere. Poſitū ergo ſit quod »
ſæpe iam diximus, res omnes, ſi referantur ad Dei prouidentiam, eſſe neceſſarias: ex na- »
tura autem ſua eſſe contingentes. Sed effecta, inquies, ſimpliciterne appellabuntur con »
tingentia, an potius neceſſaria? Sunt qui propter dignitatem prouidentiæ ea appellare »
velint neceſſaria. Ego verò appellarim potius ex ipſorum natura contingentia. Quan- »
quam nihil pugno, modò ea neceſſitas tantùm intelligatur ex hypotheſi. Græci igitur »
prouidentiam rectè appellarunt πεπρωμένην, παρὰ τὸ πεπερατῶσθαι, quòd per omnia »
tranſeat: alii ἀδράστειαν, quòd eam nihil effugiat. »

Hactenus Petrus Martyr, cuius exactum iudicium ſi tibi non ſatisfacit, teipſum ſanè accuſes oportet: ac nos quidem nunquam pœnitebit, vt veritatem ſequamur, à te diſſentire. Sed agè, quæ tua ſint argumenta, audiamus.

1. ARGVMENT. CASTELL. AD XIII. & XIIII. CALVMNIAM.

SI *peccamus neceſſario, fruſtrà ſunt omnes admonitiones, fruſtrà dicitur populo apud Ieremiam, Ego vitæ mortiſque viam vobis propono. Qui in iſta vrbe manſerit, is ferro, fame, peſte morietur: qui verò ad Chaldæos transfugerit, viuet. Fruſtrà hæc, inquam, dicuntur, ſi ad Chaldæos transfugere tam erat illis impoſſibile, quàm montem deglutire.*

REFVTATIO.

IAM verò mihi cum Pelagio negotium eſt. Itaque ad Auguſtini ſcholam te relego:
eſſet enim nimiùm prolixa hæc diſputatio. Cæterùm, ſi neceſſariò non peccamus, cer-
tè poſſumus non peccare, ac proinde non velle peccare. Atqui Paulus clamat ſe ne ad 2.Cor.3.5.
cogitandum quidem bonum ſufficere. & alibi, ſeipſum extra gratiam conſiderans, Ego Rom.7.14.
inquit, ſum carnalis, venditus ſub peccatum. Imò nondum plenè ſe manumiſſum eſſe
magnis eiulatibus cōqueritur. Vbi autem manumiſſio, ſi nulla præceſſit ſeruitus? vbi no
uus homo, ſi vetus non anteceſſit? At tu fortaſſis à Pelagio ad Papiſticos Sophiſtas ſe-
mi-pelagianos, transfugies, & aliquam ſeruitutem peccati eſſe confiteberis: ſed quæ na
turam duntaxat læſerit, & in partibus tantùm inferioribus hæſerit. Quid autem Dauid?
Non eſt, inquit intelligens, ne vnus quidem. Quid Paulus? Homo ψυχικὸς non perci- Pſal.14.
pit quæ Dei ſunt. τὸ τῆς σαρκὸς φρόνημα inimicitia eſt apud Deum. Et alibi, Deus, inquit, 1.Cor.2.14. Rom.8.7.
& Pater gloriæ det vobis Spiritū ſapientiæ & reuelationis, & illuminatos mētis veſtræ Eph.1.17.
oculos. Itē, Renouamini, inquit, ſpiritu mentis veſtræ. Item, Quum ſerui eſſetis peccati & 4.23.
liberi eratis iuſtitiæ. Quòd ſi nulla eſt peccādi neceſſitas, quomodo introiit peccatū in Rom.6.20.
mundū? Nēpe ex imitatione, non aūt ex propagatione. Atqui ſi ita eſt, quomodo regna
uit mors etiā in eos qui ad ſimilitudinē Adæ nō peccarūt? & infantes quorſum baptizat Rom.5.14.
Eccleſia, ſi nō naſcimur iræ filii? Da igitur gloriā Deo, &, ſi potes, gratiā Dei tandē agno
ſce, non qua creati ſumus vt homines eſſemus, ſed eā qua iuſtificati ſumus vt homines
iuſti eſſemus. Deus enim is eſt qui per gratiam in ſolidum operatur in nobis velle & per
ficere. Nodū aūt quē nectis quid attinet pluribus explicare, quum Auguſtinus hac ipſa Phil.2.13.
de re tam copioſè támque luculenter ad Valentinum ſcripſerit de correptione & gra-
tia? & poſt Auguſtinum quoque tum inſignis ille Chriſti ſeruus Martinus Lutherus ad-
uerſus Eraſmum, tum Caluinus ille, velis nolis, fidelis Chriſtianæ veritatis aſſertor ad-
uerſus Pighium, hæc omnia expedierint? Paucis tamen dicā quod tibi ſatisfaciat, ſi ve-
ritatē amas. Admonitionū vſus multiplex eſt: quod videris non ſatis cognouiſſe. Admo
nentur pii, vt quoties opus eſt, redarguantur, vt diſcuſſo torpore ſeipſos excitent: vt pu-
dore ſaltem conuicti, ſiquando aberrarint, in viam redeāt: vt imbecillitate ſua cognita,
ſibi melius caueāt. *At de iſtis*, inquis, *nō laboramus. Iſtis enim datū eſt vt velint & faciāt.*
Veniamus ergo ad exteros. Horū duo ſunt genera. Alii enim quāuis nōdū vocati, tamē
ad regnū Dei pertinēt ex arcana Dei electione. Alii iuſto ſunt exitio deſtinati. Hoc di-
ſcrimen tu quidem negas, ſed ſuo loco probauimus ex Dei verbo, & experiētia ipſa ve-

rum eſſe conuincit. Etſi verò ſunt iidem ſolis radii, tamen ceram liquefacit, lutum indu
tat. Ita hîc quoque accidit. Iis enim qui electi ſunt, ideo proponuntur admonitiones, vt
agnita miſerabili ſua conditione, ad eum accurrãt à quo vno ſanati poſſunt. Non veni,
Mat.9.13. » inquit Chriſtus, vt vocem iuſtos, ſed peccatores ad reſipiſcentiam. Item, Veni vt ſerua-
Luc.19.10. Mat.11.28. » rem quod perierat. Item, Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, & ego refi-
Rom.7. ciam vos. Sic dicit Paulus ex Lege eſſe agnitionem, atque adeò incrementum peccati,
ſed κατὰ συμβεβηκὸς: minimè id tamẽ vt abſorbeatur peccator, ſed vt tanto ardẽtius à Do-
mino petat quod etiam obtinebit. Eſt enim, quod ad iſtos attinet, coniuncta Spiritus ef
Ezec.20.& 36 ficacia cum externa Verbi prædicatione. Ideo ſicut dicit Dominus, Dedi eis præcepta:
» alibi etiam dicit, Ego faciam vt in præceptis meis ambuletis. & Dabo eis ſpiritum nouũ,
» & auferam cor lapideum ex carne eorum, & tribuam eis cor carneum. Ad cæteros autẽ
quod attinet, etſi non deſtinatur Verbum in eorum correctionem, tamen fruſtrà illis
non prædicatur, quo & in præſens vrgentur teſtimonio conſcientiæ, & in diem iudicii
magis redduntur inexcuſabiles. Neque enim neceſſitas, vt mox dicam, voluntatem tol-
lit, aut impiorum noxam eleuat. Sic mittitur Moſes ad Pharaonem & Ægyptios ſua i-
pſorum improbitate, quanuis neceſſaria, tamen voluntaria, indurandos. Sic mittitur I-
ſaias vt cor populi induret, vt aures obturet, vt oculos excæcet, nulla quidem vel ſua,
vel Verbi, ſed ipſorum propriè culpa, vt qui inuiti non trahantur, ſed quanuis neceſſa-
riò, ſponte tamen veritati reſiſtant. Vnde autem hæc neceſſitas? certè non à creatione,
ſed à corruptione, in qua etiam ſi relicti ſunt, nihil tamẽ habẽt quòd Deum accuſent.
Tu verò quoniam vnum duntaxat admonitionis vſum eſſe putas, nempe vt qui admo-
nentur, in viam redeant: idcirco falſam concluſionem nectis. At hoc ipſum, dices, ini-
quum eſt. Quaſi verò non omnes digni ſimus quos Dominus quibuſuis modis vlciſca-
tur. Quibus igitur cor lapideũ tollit, & carneũ tradit, miſericordiam Dei adorent: quo-
rum autem lapidea corda indurat, & quos magis ac magis reos conſtringit, iuſto ipſius
iudicio conuicti ſileant.

II. ARGVMENT. CASTELL. AD XIII. & XIIII. CALVMNIAM.

SI *dicet Caluinus præcepta ideo proponi vt ſint homines inexcuſabiles, reſpondebimus hoc inane eſſe. Nam ſi filio tuo præceperis vt rupẽ comedat, & ille id non fecerit, non magis erit inexcuſabilis poſt iſtud præceptũ quàm ante. Similiter ſi Deus mihi dicit, Ne furator: & ego neceſſariò furor, nec magis poſſum à furando abſtinere, quàm rupem comedere, non magis ſum inexcuſabilis poſt præceptum quàm ante, nec magis excuſabilis quàm poſt.*

REFVTATIO.

SI naſcimur iræ filii, an nõ, obſecro, ſumus ante præceptum inexcuſabiles? Non pro
Ioh.17.9. mundo rogo, inquit Chriſtus. Túne verò mũdi appellatione eos demum intelligis qui
Mat.15.14. quum credere poſſint Euangelio, nihilominus nolint? Si cæcus cæcum ducit, ambo in
foueam cadent: an verò nullos putas cæcos naſci, quũ contrà nihil aliud ſit homo quàm
obſcuriſſima caligo? Hominem teſtatur Apoſtolus ita mãcipatum eſſe peccato, vt ne i-
2.Cor.3.5. doneus quidem ſit ad cogitandũ quicquam boni: tibi verò eſt excuſabilis, niſi ex ſe po-
teſt non modò velle, ſed etiam facere. At tu fortaſſis excipies, natura quidem omnes na
ſci aliquatenus cæcos, ſed Deum omnibus hanc facere gratiã, vt aperire poſſint oculos
Rom.5.14. ſi velint. Hoc verò quis tibi concedet? Vbi regnat mors, regnat certè peccatũ: regnat au-
tem mors etiã in ipſos infantes. Vbi igitur eſt tua illa cõmunis gratia? Quaſi verò nõ na-
ſcantur homines ſuapte natura ſatis inexcuſabiles in Adamo, niſi etiam accedat noua
gratiæ repudiatio. Deinde, an vllam extra Chriſtũ gratiam, quæ quidem ad ſalutẽ pro-
priè pertineat, in homines deriuari putas? Quomodo verò gratiam vllam per Chriſtum
obtineant, qui nec ſunt in fœdere cõprehenſi, nec quicquã vnquã de Chriſto audierũt,
Rom.10.17. tantum abeſt vt eũ per fidẽ ſint amplexi? Fides enim eſt ex auditu. Tales aũt innumera-
biles ſemper in mundo extitiſſe ſi neges, ipſa te veritas omnibus perſpecta ſatis cõuin-
cit. Quorſum aũt hoc? nẽpe vt oẽs fateantur ſe ſuapte natura naſci inexcuſabiles, etiam
ſi ſub peccati neceſſitate concluſi naſcantur. Neceſſitas enim voluntarẽ non tollit, vtpo
te quæ, quanuis neceſſariò, tamen non coactè, ſed vltro ac ſponte, non inuita trahatur,
ſed ſciens ac prudens ad malũ feratur. Atenim, dices, nemo tam eſt miſer vt malũ appe-
tat. Imò verò planè in eo miſerabilis eſt ſeruitus hominis non liberati à peccati iugo,
quòd nec eius intelligentia poſſit quod Dei eſt, ac proinde quod bonum eſt, percipere:
nec

nec voluntas approbare, nec ſenſus appetere, ſed totus homo ſpecie boni deceptus, præceps in malum ruat, & ſibi exitium accerſat. Ad hoc autē malum accidit etiam aliud, quod & ipſum ignoras. Nam qui ante præceptum iam erat inexcuſabilis, poſt præceptum multò magis eſt inexcuſabilis quàm antea. Teſtis eſt eius rei Paulus, qui teſtatur [Rom. 1. 20.] lucem illam, quantulacunque præditi ſunt homines, idcirco eis relictam, vt fierēt inexcuſabiles. Hanc enim lucem quum improbitas innata mox opprimat & extinguat, quis non videt culpam hoc modo duplicari? Quòd ſi etiam accedat clara illa Legis Diuinæ explicatio, tum verò planè cupiditas efferueſcit, & in vetitū effuſis habenis fertur. Quid ſi verò etiam prædicatio Euangelii? tum verò cupiditas in manifeſtum furorem erumpit, vt omnium ætatum ac temporum exempla probant, in iis videlicet in quorum cordibus Dominus Spiritus ſui lucem non accendit. Sed iniquū eſt, dices, præcipere quod præſtari non poſſe ſcias, perinde acſi quis pater filio præcipiat vt rupem comedat. Miram verò argutiam. Nunquā ita creati ſunt homines, vt poſſint rupes vorare. Iniquum igitur fuerit ab eis flagitare vt rupem vorent. Iſta verò peccandi neceſſitas, iſta impotētia, quæ facit vt ne idonei quidem ad bona cogitanda ſimus, num à prima illa creatione proficiſcitur? imò à vitioſitate. Vnde autem hæc vitioſitas, niſi quòd is ſpōte defecit à ſuo opifice, ex quo peccādi neceſſitas in omnes inuaſit? Huius defectionis ſi meritò rei [Inſti. lib. 2. c. 5. ſect. 1. Ibid. ſect. 5.] tenentur vniuerſi homines, inquit Caluinus, ne ſe neceſſitate excuſatos putent, in qua ipſa luculentiſſimam habent damnationis ſuæ cauſam. Item alibi, QVID faciat miſer homuncio, inquit, quando cordis mollities, quæ ad obedientiam neceſſaria erat, illi denegatur? Imò quid tergiuerſatur, quum duritiem nulli niſi ſibiipſi poſſit imputare? Denique vt ſemel tecum tranſigam, audi (ſiquid audire potes) quàm breuiter & quàm appoſitè omnem hanc controuerſiam decidat Caluinus ille per cuius latus veritatem oppugnas. [Inſt. Chriſtian. lib. 2. c. 8. ſect. 2.] PRAETENDFRE, inquit, excuſationem non licet quòd facultas deſit, & velut exhauſti debitores, ſoluendo non ſimus. Non enim cōuenit vt Dei gloriam metiamur ex noſtra facultate. Qualeſcunque enim ſimus, manet ille ſui ſimilis ſemper, amicus iuſtitiæ, iniquitati infenſus. Quicquid à nobis exigat (quia non poteſt niſi rectum exigere) ex naturæ obligatione obſequendi neceſſitas manet. Quòd autem obſequi non poſſumus, id vitii noſtri eſt. A propria enim cupiditate in qua peccatum regnat, ſi vincti tenemur, ne ſoluti ſimus in Patris noſtri obſequium, non eſt cur neceſſitatem pro defenſione cauſemur, cuius malum & intra nos eſt, & nobis imputandum.

III. ARGVMENT. CASTELL. AD XIII. & XIIII. CALVMNIAM.

SI vera eſt Caluini ſententia, homo eſt inexcuſabilis ante præceptum: quo fit vt nihil ſit opus præcepto ad efficiendam iſtam inexcuſabilitatem. Si enim reprobatus eſt impius antequam ſit impius, hoc eſt antequā ſit, videlicet ab æterno, ideoq́ neceſſariò peccat, iam eſt inexcuſabilis & damnatus ante præceptum, idq́ contra leges omnes Diuinas & humanas. Omnes enim leges damnant hominem poſt facinus & propter facinus: at iſte Caluini Deus damnauit & reprobauit impios anteqnam eſſent, nedū antequam impij eſſent aut peccaſſent: & quia eos ante peccatum damnauit, peccare cogit, videlicet vt iuſtè damnaſſe videatur.

REFVTATIO.

HOMINES etiā ante præceptū, id eſt ante præcepti cognitionē, inexcuſabiles eſſe vt qui filii iræ naſcantur, abundè probauimus. Quòd tu hinc colligis nō opus eſſe præcepto ad iſtam excuſabilitatē, ineptè dicitur. Cur enim mala cōditio non poſſit deterior fieri? Et magnoperè erras, ſi nos putas exiſtimare omnes homines pariter eſſe inexcuſabiles, quum nonnullos eſſe teſtetur Dominus qui grauiore iudicio ſint puniendi, & pluribus plagis vapulaturi. [Marc. 12. 40. Luc. 12. 48.] Quòd reprobatos dicis impios, id eſt reprobationi deſtinatos, antequam ſint, id eſt ab æterno, noſtra doctrina non eſt, ſed Apoſtoli, qui teſtatur exoſum fuiſſe Eſau (id eſt odio deſtinatum, vt ſuo loco expoſuimus) antequā natus eſſet, & mali quicquā feciſſet, & Deū tanquā figulum vaſa contumeliæ cōpingere. Vera eſt, inquam, hæc doctrina, ſi reprobationē in propoſito Dei conſideras: ſin aūt eam cōſideras quatenus iā reipſa in actum prodiit (vt loquuntur) ſiue quatenus ſuū propoſitum iā incipit Dominus reipſa exequi, aut exequutionē eius præſcit, falſum eſt quod dicis. Nullos enim reprobat Deus reipſa, niſi in Adamo corruptos, ac proinde quib⁹ eſt meritò infenſus. Quòd dicis reprobos neceſſariò peccare, veriſſimum eſt. Quid enim aliud agāt qni ſerui ſunt peccati? Sed quòd tradis ideo peccare, quoniam ſunt reprobati, non verè à te dicitur. Nec enim reprobationis propoſitum eſt germaña eius neceſſitatis cauſa, ſed

Adami peccatum quod in omnes homines peruaſit. Quòd dicis reprobos damnari ante præceptum, falſum eſt omnibus modis: nemo enim damnatur niſi propter peccatum. Vbi autem lex non eſt, ibi non eſt transgreſſio. Lex autem Adamo data, & ab eo violata, omnes iræ Dei, ac proinde iuſtæ damnationi obnoxios reddit. Quòd Deum dicis ante facinus damnare homines, ex noſtra doctrina, falſiſſimum eſt commentum. Deſtinauit Dominus ſaluti ab æterno quoſcunque illi libuit, non tamen illos ſeruat niſi in Chriſto iuſtificatos, alioqui iniuſtus futurus. Sic quoque deſtinauit exitio quoſcunque voluit ab æterno: non tamen addicit exitio niſi in Adamo corruptos, ad quam corruptionem etiam accedunt reliqui corruptionis & contumaciæ fructus. Deſtinauit enim Deus exitio, ſed iuſto, ideóque quanuis non propter corruptionem & corruptionis fructus deſtinet exitio, ſed quia ſic illi viſum eſt, cuius voluntas, quanuis occulta, ſemper tamen eſt iuſta: tamen non niſi propter corruptionem & corruptionis fructus damnat, quoniam has cauſas executioni æterni ſui propoſiti ſubſtrauit. Quæ hæc eſt igitur inſcitia, damnationē cum reprobandi propoſito permiſcere, ac quodam etiam loco damnationem reprobandi propoſito, id eſt exitū principio anteponere? Denique, quòd ex noſtra doctrina colligi dicis, homines à Deo cogi ad peccandum, quid aliud quàm tuam illam incredibilem impudentiam coarguit? Neceſſariò peccare homines, donec ſint à ſeruitute peccati manumiſſi, liberè profitemur ex Dei verbo. At tibi neceſſitas non aliud quàm coactionem declarat. Ita fiet vt quia omnes neceſſariò moriuntur, dicas etiam omnes coactos mori: quum tamen Chriſtus volēs ſeſe obrulerit morti, & multi quotidie Martyres pro Chriſto voluntarii moriantur. Quid amplius? Etiam apud te diabolus nec ſponte malus erit, nec volens, ſed coactus & inuitus peccabit. Qui ſic loquitur, an videri poteſt vel tantillum communis illius ſenſus habere, ad cuius normam & regulam flagitas vt Diuinam ſapientiam exigamus? & tamen audes de veri & falſi Dei natura diſſerere. Sed quàm dextrè hoc facias, agè conſideremus.

Natvra falsi dei ex falsa Castell. hypothesi.

FALSVS *Deus eſt tardus ad miſericordiam, propenſus ad irā, qui maximam mundi partem creauit ad perniciem, eóſq́; nō ſolùm ad damnationem, ſed etiam ad cauſam damnationis prædeſtinauit. Itaq; decreuit ab æterno, & vult, efficitq́; vt peccent neceſſariò, ita vt nec furta, nec adulteria, nec homicidia committantur niſi eius voluntate atq; impulſu. Suggerit enim eis prauos affectus & inhoneſtos, nō ſolùm permiſſiuè. ſed efficaciter, eóſque indurat: ita vt dum impiè viuunt, Dei opus potius quàm ſuum faciant, neque aliter poſſunt. Satanā facis eſſe mendacem, ita vt non iam Satan, ſed Deus Caluini ſit pater mēdacij, quippe qui ſæpe aliud in ore, aliud in pectore gerat.*

Natvra dei veri ex Castell. opinione.

AT *Deus is quem & natura atq; ratio, & Sacræ literæ docent, eſt illi planè contrarius. eſt enim ad miſericordiam propenſus, ad iram tardus, qui hominem, à quo omnes homines orti ſunt, creauit ad imaginem ſuam, ſui ſimilem, vt eum in paradiſo collocaret, & vita beata donaret. Hic Deus vult vt omnes homines ſalui fiant, neque quiſquam pereat: ideóque miſit Filium ſuum in terras, cuius iuſtitia ſuperabundaret vbicunque abundauit peccatum: cuius iuſtitia lux illuminat omnem hominem venientem in hunc mundū, clamátque, Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos. Hic ſuggerit bonos affectus & honeſtos, & homines à peccandi neceſſitate (in quam ipſi ſeipſos ſua inobedientia præcipitauerant) liberat, ſanátque omnem langorem morbúmque in populo, adeò vt nemini vnquam petenti beneficium denegauerit. Atq; hic Deus venit vt deſtrueret illius Caluiniani Dei opera, illúmq; foras eiiciat. Atque hi duo Dij, vt ſunt natura inter ſe contrarij, ſic gignunt etiam filios inter ſeſe contrarios: videlicet ille immiſericordes, ſuperbos, immites, inuidos, ſanguinarios, calumniatores, fictos, aliud in corde aliud in ore gerentes, impatientes, malitioſos, ſeditioſos, cōtentioſos, ambitioſos, auaros, voluptatis magis quàm Dei amātes: denique omnibus prauis & inhoneſtis affectibus plenos, quos eis ipſorū pater ſuggerit. At alter Deus homines gignit miſericordes, modeſtos, mites, beneuolos, beneficos, à ſanguine abhorrentes, apertos, veritatē ex cordis abundantia dicentes, patientes, benignos, pacatos, pacificos, à iurgiis & litibus abhorrentes, honoris contemptores, liberales, Dei magis quàm voluptatum amantes: deniq; omnibus honeſtis affectibus plenos, quos eis ipſorū pater ſuggerit.*

Refvtatio.

QVIS tibi & tuæ factioni ſit Deus, poſtea viderimus. Primùm enim veſtras calumnias refellam: deinde vobis idolum veſtrum depingam. Deum tardum eſſe ad miſericordiam,

ricordiam, propenſum ad iram, nuſquam diximus, qui contrarium quotidie cernimus, tum in nobiſipſis, tum etiam in inſenſiſſimis Eccleſiæ hoſtibus, vt pluribus docuimus in refutatione tertii, itémque decimi tui argumenti ad Calumniam primam. Deum creaſſe maximan mundi partem ad perniciem, quomodo ſit accipiendum, & quænam in ea te ſit veſtra verſutia, expoſuimus in ipſius primæ Calumniæ depulſione. Quod ſubiicis, Deũ non tantùmm ad damnationem, ſed etiam ad cauſas damnationis prædeſtinaſſe quoſcunque libuit, verum quidem eſſe agnoſcimus cum Paulo, qui vaſa commemorat ad interitum compacta, ſed eum quidem iuſtum, quoniam iuſtas ad exitium ferentes cauſas eodem decreto ſubordinauit. Imò etiam ſi ne vnum quidem hominem ad ſalutem condidiſſet Deus, quis tu es vt propterea crudelem illum voces, quum omnes in Adamo naſcantur iræ filii? Quòd autem ſubiungis, Deum, ex noſtra doctrina, decreuiſſe ab æterno, & velle ac efficere vt peccetur neceſſariò, falſiſſimũ eſt, vt ſingulis penè paginis demonſtrauimus: niſi addas peccata quatenus peccata ſunt, nõ à Deo, ſed à Satana, & mala hominis voluntate, tanquam germanis peccati cauſis, proficiſci: quatenus autem ſunt vel peccatorum pœnæ, vel iuſtorum exercitationes, ſanctè & iuſtè ordinari à Deo. Simile eſt quod ſubiicis, Dei noſtri voluntate & impulſu ſcelera committi, quum vbique teſtemur Deo placere non poſſe iniquitatem, quam iuſtis pœnis vindicet, ſed iuſta Dei prouidentia impiorum quoque motus regi. Commentum igitur de prauorum affectuum ſuggeſtione, totum tuum eſt, vt ſuo loco probauimus. Deus enim iuſtè etiam mouet impiorum corda, vt Dei voluntati malè reſiſtendo, faciant iuſtam Dei voluntatem: vnde fit vt Deus, quanuis per eos opus ſuum faciat, iuſtè tamen eos tanquam rebelles ac contumaces puniat. Non facit Deus Satanam mendacem, nec pater eſt mendacii, ſed Satana, quanuis mendace & mendacii patre, tum ad exercendos ſuos, tum ad flagellandos impios iuſtè vtitur prout libuit. Deum autem aliud in ore, aliud in pectore gerere qui dixit, anathema eſto. Negamus tamen Dominum omnia ſua conſilia patefacere, ſed quatenus duntaxat expedit: vt in ciuili bello apparuit aduerſus Beniamitas geſto. Sed & diſtinguimus ea quæ dicit Dominus experiundi, increpandi, comminandi gratia, ab iis quæ ſimpliciter fieri iubet: quæ omnia quoniam tu non intelligis, idcirco falſiſſimas cõſequutiones nectis, ac planè teipſum illaqueas, quum nos cupis irretire. Iud.20.23.

Agè verò, nunc idolum tuum contemplemur. Ac primùm quidem cuiuſmodi, quæſo, Deum nobis depingere conſtituiſti? qualem videlicet natura & ratio docet. Atqui omnem idololatriam huic tuæ naturæ & rationi debemus, ſicut teſtatur Paulus, ídque de quibuſuis differens, ſed de omnium hominũ ſapientiſſimis. Idem clamat τὸ τῆς σαρκὸς φρόνημα nihil aliud eſſe quàm Dei odium: ἀθέους eſſe qui non ſint cõprehenſi in Dei fœdere: mundum non cognouiſſe Deum per ſapientiam: Euangelium eſſe Iudæis offendiculum, Gentibus ſtultitiã: hominem ψυχικὸν non percipere quæ Dei ſunt: nos ne idoneos quidem eſſe ad cogitandũ quicquam boni. Christus vbique noſtras tenebras damnat, regeneratione, abnegationem noſtri inculcãs. Denique illi ipſi quibuſcum Deus familiariſſimè colloquutus eſt, clamant infinitam eſſe Dei altitudinem ac profunditatem, & vias eius perueſtigari non poſſe. Quid plura? Philoſophi ingenuè profitentur ſe, quum ad Deum ventum eſt, cæcutire. Tu verò contrà, non alios præceptores ad conſequendam Dei cognitionem requiris quàm naturam & rationem: quòd certè quum facis, perinde facis ac ſi iudiciũ de colotibns non aliis quàm cæcis permitteres. Addis tamẽ tertio loco Sacras literas, à quibus videlicet natura & ratio adiuuentur, vt olim quoque tuus Pelagius loquebatur. At ego quæro qui fieri poſſit vt lucem cum tenebris copules: quaſi verò non prius ſtulteſcere nos oporteat quàm poſſimus ſapientiam Dei guſtare. Hæc enim (inquit Chriſtus) occultaſti ſapientibus, & patuulis reuelaſti: & de Scribis & Phariſæis differens hoc ipſo morbo laborantibus, Si cæci eſſetis, inquit, id eſt, ſi vos cæcos eſſe intelligeretis, vtiq; videretis. Vides cuiuſmodi ſint theologiæ tuæ principia? Sed agè, audiamus quid in hac ſchola didiceris, & quibus coloribus tenebræ lucem depingant. Deum igitur eſſe dicis ad miſericordiam propenſum, tardum ad iram. Rectè profectò auſpicaris, quũ hæc hauſeris ex verbo Dei, & facilè admittat ratio quod illam non videatur perterrefacere. Sed hanc quoque Dei veritatem à te peruerti mox conſtabit, quum ventum erit ad huius miſericordiæ diſpenſationem. Subiicis igitur Deum creaſſe hominem à quo omnes homines orti ſunt, ad imaginem ſuam, ſui ſimilem, vt eum in Paradiſo collocaret, & vita beata donaret. Quod affers de creatione hominis cõcedo, &

Rom.1.22. Rom.8.7. Ephes.2.12. 1.Cor.1.21.23. Ibid.2.14. 2.Cor.3.5. Luc.10.21. Ioh.9.41.

natura etiam ac ratio tibi hoc potuit aliquatenus dictare. Libenter enim ſeſe laudari &
ornari patitur. Sed in fine hominis à te diſſentio, quum præſertim Adamum nõ vt indi
uiduũ aliquod ſingulare conſideres, ſed tanquam hominis ſpeciẽ, quòd in eo omnes homi-
nes eſſent cõprehenſi. Vt autem omittã futile illud ſomniũ de Paradiſo, quod naturæ &
mentis tuæ vanitas te docuit, & ſuo loco refutauimus, vnde tamen didiciſti de conſilio
Dei in homine cõdendo ita iudicare? nam in Sacris literis nihil eiuſmodi cõperies, ſed
hoc comperies, Deũ oĩa condidiſſe gloriæ ſuæ cauſa, ipſúmque adeò impiũ ad diẽ exi-
tii. Tua igitur ratio & intelligentia tibi hoc cõmentũ dictauit. Nã, inquis, crudelis alio-
qui Deus eſſet, & quouis lupo deterior, ſi quos cõdidiſſet ad miſeriã. Quid ſi crudelẽ eſ-
ſe negẽ illũ qui iuſtis de cauſis aliquid ſtatuit, quantũuis ſit durũ & acerbũ, modò acer-
bitas non ſuperet iuſtitiæ modũ? An hoc inficiaberis? Minimè, opinor. Quid ſi ſubiiciam,
Dei voluntatẽ eſſe iuſtitiæ regulã, non contrà? Aſſentiêris, opinor. Qui fit igitur vt quũ
apertè teſtentur Sacræ literæ, Deũ gloriæ ſuæ cauſa cõdidiſſe etiã impiũ ad diẽ iuſti exi-
Prou.16.4. tii, tu contrà exiſtimes Deum omnes in Adamo condidiſſe vt eos vita beata donaret?
An quia tibi non conſtat quibus cauſis adductus Deus meritò deſtinaret ad iuſtè infli-
gendam miſeriam eos qui nondum ſint nati? Nempe hoc tibi dictat ratio, ſed quàm
ineptè? Aſſumis enim quod ineptiſſimũ eſt, & ipſi naturæ Dei prorſus repugnans, nem-
pe nullam Deo conſtare conſiliorũ ſuorũ rationẽ, quoties eam cõprehendere homines
non poſſunt. Verùm quantò rectius feciſſes, ſi naturam & rationem cogeres intra ſuos
fines ſeſe continere, & frænum illi iniiceres quoties aduerſus Spiritum ſanctũ audet re-
calcitrare? Sed porrò etiam videamus quomodo vana illa hominis ratio ſeipſam confi-
ciat. An non enim eadem illa quæ paulò antè nos cogebat de fine hominis aliter iudi-
care quàm verbum Dei patiatur, ineptiſſimũ eſſe iudicat, non licere Deo opifici in con-
dendis quibuſcunque rebus, quod figulo in vaſis ſuis condendis omnes concedunt? Nã
certè longè magis præſtat Deus ipſis etiam Angelis, quàm ſuo luto figulus. Sed hoc etiã
ex te quæro, ecquid tibi videtur Deus ſui ſemper ſimilis, & omnipotens? Sanè, opinor.
Quî fit ergo vt id placitum admittas quo poſito nec ſui ſemper ſimilis, nec omnipotens
eſſe poſſit? Nam ſi omnes homines condidit eo conſilio vt omnes ſeruaret, cur non ſer-
uat? An quòd nunc nolit ſeruare quos initiò condiderat? ergo voluntatem mutauit, ac
verè pœnituit eum ſui conſilii. An quòd non poſſit ſeruare? ergo omnipotens non erit.
Cuiuſmodi autem eſt hoc Numen, quod nec ſui ſemper eſt ſimile, nec quicquid vult po
teſt? Illud autem quod excipere poſſes, nempe cauſam cur non omnes ſeruentur, in ipſis
hominibus hærere, tibi ſanè concedo. Sed, vt antea pluribus expoſui, nihil hoc te ſuble-
uat: quoniam ita à cauſis ſecundis ſuſpenditur diuini conſilii effectus, quod non mi-
nus abſurdum eſt quàm ſi diceres Dominũ alios ſibi imperaturos Dominos condidiſſe
à quorũ voluntate pendeat ipſius decretorum euentus. Poſtremò, vide quomodo poſte
riora primis reſpondeant. Dixiſti Deum natura propenſum eſſe ad miſericordiam, tardũ
ad iram. Atqui, ſi firmum fuiſſet hoc ipſius conſilium, quod tu tradis, nullus, quod ad ho-
mines attinet, huic ipſius naturæ locus fuiſſet relictus. Pugnant igitur in Deo natura &
voluntas. Natura enim eius eſt vt vtatur & miſericordia & ira, quod eum facere non ſi-
uiſſet voluntas. Quis enim fuiſſet miſericordiæ vel iræ locus, ſi omnes homines in Ada-
mo vita æterna donaſſet? Veritas igitur ita ſe habet. Quandoquidem illuſtrat gloriam
ſuam Dominus declaranda ſua tum ira, tum miſericordia, talem quoque condidit ho-
minẽ vt in eo præcipuè animante & hanc & illam patefaceret. Condidit ergo iuſtum.
quî enim aliter faceret, qui totus bonus eſt? nec poſſet alioqui malum iure cõdẽnare, ſi
mali eſſet author: ſed ea conditione, vt mox homo ſua ſponte (erat enim voluntate præ-
ditus) ac proinde ſua ipſius culpa deficeret à ſuo opifice, atq; in idẽ præcipitiũ omnes
eos qui in ipſo erant incluſi, abriperet. Quorſum hoc? vt quibuſdã ſeruandis miſeris, mi-
ſericordiam: quibuſdam meritò condemnandis, iram iuſtiſſimam, ac proinde ſuã illam
naturã totam in homine pateſaceret. Sed agè, pergamus idolum veſtrũ contemplari.
Hunc Deum velle dicis vt omnes homines ſalui fiant. Vides aũt iterum in quæ præci-
pitia feraris, quoniam verbum Dei rationi ſubiicis, quũ è contrario rationẽ oportuerit
verbo Dei ſubiectam? Videamus aũt quàm bellè tua hæc ratio argumẽtetur: Deus non
eſſet ſui ſimilis, niſi quemadmodum initio voluit, ſic etiam poſt Adami peccatũ omnes
ſeruaret. Atqui ponis quod neceſſariò falſum eſſe oſtendimus, ex ipſius etiam rationis
iudicio. Vitare igitur ſtudes incommodum quod nuſquam eſt. Deus, inquis, eſſet cru-
delis, niſi vellet omnes ſaluos fieri. At ego dico crudelem videri ne rationi quidem poſ-

ſe,

ſe,etiam ſi ne vnum quidem ſeruaret ex Adami poſteris, quum omnes digni ſint qui pereant. Ergo nec inconſtans, nec crudelis Deus eſt, etiam ſi non omnes ſeruet. Imò, ſi omnes ſeruaret, diſſentiret à ſeipſo, vt pote qui neceſſariò (ita videlicet flagitante ipſius natura) decreuerit ab initio non tantùm miſericordiam, ſed etiam iram ſuam in homine patefacere gloriæ ſuæ illuſtrandæ cauſa, ac proinde non omnes, ſed quoſdam tantùm ſeruare. Denique ſi hoc tibi concedam, iiſdem te retibus inuoluam quibus paulò antè. Nam certè ſi vult omnes ſaluos fieri, nec ſeruat quo tempore ſeruandi ſunt, id eò fit vel quòd ſententiam mutarit, vel quòd non poſſit. Neutrum verò cum Dei natura conſentire tua etiam illa dux & magiſtra docet. His autem poſitis, quorſum iſte præpoſterus metus, ne Deus crudelis videatur, ſi quem nolit ſaluum fieri, quum potius mirari Dei bonitatem oportuerit, qui vel vnum ex Adami poſteris velit ſeruatum? Sed operæpretium eſt videre quibus Scripturæ teſtimoniis ad hunc errorem ſtabiliendum abutaris.

Primùm affers eum Pauli locum in quo dicitur Deus velle vt omnes ſalui fiant. Ve- [1.Tim.2.4.] tus hæc fuit Pelagianorum obiectio, ne tibi primò in mentem veniſſe putes. Quaſi verò Omnes idem declaret atque Singulos, ac non potius pro Quoſuis accipiatur, vt tollatur omnis προσωποληψία, ſicut idem alibi dicit, In Chriſto neq; maſculum neque fœ- [Gal.3.28] minam eſſe, neque Iudæum, neque Græcum, neque liberum, neq; ſeruũ. Præcipit Apo- [Mar.16.15.] ſtolis Dominus vt prædicẽt Euangelium πάσῃ τῇ κτίσει, quod non negabis (opinor) pro omnibus hominibus accipiendum. Num igitur Apoſtoli vel officium non fecerunt, vel ſingulis hominibus Euangelium annuntiarunt? Dicitur apud Matthæum Dominus o- [Mat.4.23.] mnem languorem & omnem morbũ ſanaſſe in Galilæa: an verò exiſtimas nullos ægrotos ſuperfuiſſe, ac nõ potius quoduis lãguoris ac morbi genus ſignificari à Chriſto fuiſſe ſanatum? Quòd igitur hic locus & ſimiles alii, à quibuſdam tui longè diſſimilibus citatur, eò non pertinet vt ſtatuere velint ad ſingulos pertinere Dei regnum, ſed huc potius, vt quicunque in particularis electionis tentatione verſantur, norint indefinitam eſſe vocationem, id eſt, quoſuis homines & quantumuis magnorũ ſcelerũ reos, & quauis ætate à Deo vocari, ne ſuorum vitiorum conſcientia deterriti deſperẽt, aut electionis ſuæ declarationem in ſummo gradu, id eſt in Dei propoſito, extra Chriſtum & vocem illam Euangelii in Eccleſia perſonantem, quærant. Nam contrario prorſus cauſarum ordine doctrina hæc certiſſima de electione æterna, ad vſum noſtrum applicanda eſt: ita videlicet vt ab effectis ſenſim ad primariam illam noſtræ ſalutis cauſam perueniamus, vbi demum firmo ac ſolido aduerſus omnes tempeſtates inuento remedio tanquam in portu conquieſcamus. Alioqui ſi doctiſſimorum hominum, quorum doctrinam non intelligis, ea eſſet ſententia, vt vellent hominem dum in electionis ſuæ tẽtatione verſatur, hoc Pauli dictum & ſimiles locos perinde accipere ac ſi vellet Dominus ſingulos ſeruare, afferrent potius argumentum quo ſeſe quiuis in omni ſcelere ac improbitate confirmaret, ſiquidem ſtatueret in ſua fore poteſtate vt reſipiſcat quum volet, quòd Deus velit ſingulos ſeruare: nec ſanè poſſent conſcientias pacare, quibus hæc doctrina velut ipſius Dei digito eſt inſculpta, aliquos eſſe ab æterno electos, ac proinde etiam aliquos reprobatos. Contrà verò, quum doceant eiuſmodi vniuerſales propoſitiones opponendas eſſe cogitationibus præſertim præteritorum peccatorum, & noſtræ indignitatis, quæ poſſent conſcientias perterrefacere, quis non videat non alio ſenſu ab illis accipi quàm vt homines ſibi perſuadeant quoſuis à Deo eligi, modò oblatas promiſſiones fide apprehendant? Inter nos igitur & quoſdam alios qui vniuerſalẽ eſſe Dei gratiam docent, id eſt promiſcuè quibuſuis offerri abſque προσωποληψία, nullum eſt in reipſa diſcrimen. Sed nos quidem doctrinam ſeorſim, deinde illius vſum docemus. Illi verò vnà cum doctrina vſum ipſius in docendo coniungunt. At tu quum neq; quæ hæc ſit doctrina, neque quis illius vſus intelligas, nec etiam eorum ſcripta ſatis attentè legeris quorum nomen & authoritatem blaſphemiis tuis prætexis, quid aliud quàm ignorãtiam tuam cum magna improbitate coniunctam prodis?

Cæterùm ille locus Petri quem citas, in quo dicitur Deus neminem velle perire, a- [2.Pet.3.9.] bundè à nobis eſt explicatus in refutatione noni argumenti ad primam Calumniã. Itaque ad tertium teſtimonium venio. Nam, inquis, Deus miſit Filium in terras, cuius iu- [Rom.5.20.] ſtitia ſuperabundaret vbicunque abundauit peccatum. Hîc verò nõ poſſum audaciam tuam ſatis mirari. Neque enim apud Paulum lego, Vbicunque abundauit peccatũ: ſed, Vbi abundauit peccatum, abundaſſe gratiam. His verò verbis non eſt certè propoſitum

Apoſtolo explicare quàm latè pateat Chriſti beneficium, id eſt, num ad ſingulos, an verò duntaxat ad quoſdam pertineat: ſed hoc vnum potius oſtendere, Legem Moſis ideo non ſuperueniſſe naturæ Legi, vt quiſquam ea iuſtificaretur, ſed è contrario, vt homines magis etiam rei ac conuicti tenerentur: ſed quum homines in ea miſera cōditione verſarētur, apparuiſſe gratiam Euangelii quæ ſupra peccatum redundaret, ac tanto quidem maius beneficium afferret hominibus, quanto maior erat peccati ſeruitus, quæ per Legem creuerat. Quis igitur non miretur fieri potuiſſe vt quiſquam hæc eò detorqueret vt probaret Deum velle vt ſinguli homines ſeruentur?

Ioh.1.9. Iam accedo ad Iohannis locum, in quo dici exiſtimas iuſtitiæ Chriſti lucem illuminare omnem venientem in hunc mundum. Sed quis hoc tibi cōcedet? Nam lucis quidem nomine fateor Chriſtum ibi ſignificari: ſed creationis non redemptionis reſpectu. Deſcribit enim Iohannes æterni Sermonis excellentiam, cuius vi ac bonitate quū cōdita ſint omnia, & ipſi præſertim homines intelligentiæ lumine præditi viuant, tamen quoniam hæc Lux cæcis lucet, cæci lucem non agnouerunt. Hoc quum dixiſſet Iohannes initio capitis, poſtea interiecta Iohannis Baptiſtæ mentione, idem inculcat duobus eiuſdem capitis verſiculis, nempe nono & decimo. Deinde ad Chriſti ἐνσάρκωσιν accedit ab vndecimi verſiculi initio. Hanc germanam eſſe huius loci ſententiam mihi conceſſuros ſpero quicunque omnia quæ ibi dicuntur accuratè expenderint. Præterquàm enim quòd hæc eſt orationis ſeries, dic quæſo, qua tandem ratione omnes eos qui naſcuntur probaris à Chriſto illuminari? An quòd omnes fiant gratiæ Chriſti participes? Atqui ſubiicit Iohannes, Chriſtum non fuiſſe receptum à ſuis, niſi à quibuſdā, qui quoniam ex Deo nati ſunt, idcirco crediderunt. Præterea inficiari nō potes vna fide bene-
Philip 1.29. 2.Thes 3.2. ficiū Chriſti percipi. At fides eſt à gratia, nō à natura, nec omnibus datur. Non omnes igitur à Chriſto illuminantur, id eſt gratiæ Euangelii participes fiunt. An verò ad vniuerſalem illam Euangelii prædicationem confugies, & Chriſti lucem dices omnibus offerri, quamuis plerique oblatam repudient? Atqui ne hoc quidem de ſingulis hominibus dici vnquam potuit. Cedò enim, ante Chriſti aduentum quàm multa ſecula præterierūt, quibus, vt loquitur Paulus, ſiuit Dominus Gentes viis ſuis ambulare? Vbi tum illud venturi Chriſti lumen inter Gentes? Fateor tamen omnes interea tantum lucis habuiſſe, quantum ſatis eſt vt ſint ἀναπολόγητοι, quum illis fuerit conſcientia pro lege, & ipſa rerum aſpectabilium contemplatione potuerint ac debuerint ab idololatria reuocari. Sed de Euangelii luce quærimus, qua tu vis omnem hominem, id eſt ſingulos homines, foris ſaltem illuminari. Ego verò affirmo ante Chriſti aduentum maximam mūdi partem nec intus nec extrà huius lucis radiis fuiſſe illuminatam. Poſt Chriſti autem aduentum fateor quidem in omnes terras diffuſam fuiſſe lucem Euangelii: ſed túne exiſtimas ſingulorum hominum hoc beneficium fuiſſe, ac non potius quorumuis, id eſt ex omnibus populis ſelectorum? Reſpice nunc ſaltem quæ ſit mundi facies, & agnoſce quàm multi quotidie per vniuerſum terrarum orbem prius moriantur, quàm vel tenuiſſimam Euangelicæ doctrinæ famam audierint. Num verò propterea crudelis Dominus? Vobis quidem, vt video: quum quidam etiam ex tuis familiaribus, edito ſuperioribus annis libello de miſericordiæ Dei amplitudine, defendere maluerit, eos quibus non fuerit prædicatum Euangelium ſeruari nihilominus per Chriſtum, quàm exiſtimare tot homines æternis pœnis eſſe addictos. Nos verò nec ſalutem alibi quàm in Chriſto, nec Chriſtum alibi quàm in fidelibus & fidelium domo collocare didicimus: tantum abeſt vt Deum propterea vllius crudelitatis accuſemus, vt contrà ne ſi quidem omnes ad vnum vſque reiiceret, crudelem eum fore dicamus, quum omnes natura ſimus iræ filii. Progrediamur etiam longius. Nam etiam ſi non naſceremur iræ filii, tamen ſi hæc eſſet Dei voluntas vt omnes homines ad exitiū crearet poteſtatis & iræ ſuæ declarandæ cauſa, in ea voluntate tanquam ſumma & vnica iuſtitiæ regula taciti, ſicut par eſt, acquieſceremus. Quid enim iuſtius eſt, quàm homines id demum verè bonum & iuſtum arbitrari quod Deus faciat, etiam ſi non poſſint eius iudicia comprehēdere? Neque verò ſi plures damnet quàm ſeruet, idcirco nobis videtur magis ad iram quàm ad miſericordiam propenſus: quoniam miſericordia Dei per Chriſtum tanta eſt, vt etiam ſi ad vnum duntaxat hominem pertineret, tamen infinitis partibus, quod ad nos quidem attinet, maior ſit futura hæc Dei bonitas, quàm iuſta ipſius in reliquos omnes iracundia. Quòd enim iraſcitur peccatis, hoc videtur quodammodo facere neceſſariò: quoniam iuſtus eſt, & hoc merentur peccata: quòd autem vel vnius hominis ſeruandi

cauſa ſeipſum fecerit hominem, id verò demum ipſa quodammodo infinitate magis
videtur infinitum.

Supereſt nobis conſideranda vox illa Chriſti ſuauiſſima, Venite ad me omnes qui la- Matth. 11. 28.
boratis. Eam tu exiſtimas ad ſingulos pertinere, acſi ſingulos Chriſtus ad ſe inuitaret.
Ego verò multa excipio. Primùm enim dico Chriſtum vt miniſtrum loqui. Eſt autem
hoc Miniſtri officium, vt quoniam arcana Dei conſilia non nouit, omnes ſuæ curæ com
miſſos promiſcuè doceat, & ad Dominum inuitet, atque adeò, quãtum in ſe eſt, ſerua-
tos velit. Quòd ſi ex eo colligas, omnes ad Dei gregem pertinere, vel omnibus pariter
primam illam gratiam dari, vehementer falleris. Multis enim cæcis, multis ſurdis, multis
contumacibus annuntiari vult Euangelium Dominus, vt magis ac magis excæcentur,
obſurdeſcant, indurentur: nec propterea Deus eſt hypocrita, vt ſuo loco demonſtraui-
mus. Deinde ſi vox hæc Chriſti ad ſingulos ſine exceptione pertinet, quorſum Chriſtus
illam ſolennem precationem concipiens, quam vt æternus Pontifex paulò ante carnis Ioh. 17. 9.
ſuæ ſacrificium obtulit, diſertè teſtatur ſe non precari pro mundo, ſed pro iis duntaxat
quos ei dedit Pater? An quòd Mundi appellatione eos intelligat qui quum credere poſ-
ſint, nolint? Minimè profectò, quum ad Filium veniat quicquid dedit ei Pater: ex quo Ioh. 6. 37. 45.
conſequitur eos ne poſſe quidem credere, quos Pater Filio non dedit, & eos qui ad Fi- Ioh. 12. 37. 38. 39. 40.
lium veniunt, non idcirco dari Filio, quia credant: ſed contrà, idcirco credere, quoniam Ioh. 6. 44.
dati ſunt Filio, in quo videlicet electi ſunt ante iacta mundi fundamenta: eos denique Ephe. 1. 4. 5.
qui Filio dantur non poſſe non credere, quod tamen ἀδύνατον non eſt ab eorum na-
tura, ſed à virtute Diuinitus collata pendet. Eſt enim efficax Spiritus ſancti virtus in Ioh. 6. 37. 44. 41.
iis quos Dominus trahit, vt non modò credendi facultas, ſed ipſe etiam facultatis effe-
ctus, id eſt fides, donetur. Quæ quum ita ſe habeant, quî fit vt particulam non tam vni-
uerſalem quàm indefinitam ad ſingulos pertinere, & Chriſtum à ſeipſo diſſidere velis?
Nam ſi mundus (vt eos quoque comprehendas quibus vel non annuntiatur, vel fru-
ſtrà annuntiatur Euangelium) his verbis inuitatur à Chriſto, quî fit vt alibi teſtetur ſe
pro mundo nõ precari? Verùm quid attinet tam multis iſta perſequi? Non omnes ſim-
pliciter ad ſe inuitat Chriſtus, ſed quoſuis fatigatos & oneratos, id eſt qui ſub onere pec
catorum gemunt, & velut oppreſſi ſuccumbunt, ſiue (vt loquitur Dauid) qui corde ſunt
contrito & demiſſo. Tales eſſe ſingulos homines oſtende, aut hanc Chriſti vocem con
fitere ad errorem tuum ſtabiliendum nihil pertinere.

Sed agè, ad cætera veniamus. Quòd Deum dicis ſuggerere bonos & honeſtos affe-
ctus, veriſſimum eſſe experientia ſentimus, vt qui ſatis experiamur, ne ad cogitandum
quidem bonum nos eſſe ex nobis idoneos, ſed hoc proprium eſſe dicimus filiis Dei: nã
hi ſoli aguntur Dei Spiritu. Quod à reliquis proficiſcitur, coram Deo peccatum eſſe Rom. 8. 9. 14.
dicimus, quanuis hominum iudicio boni ſpeciem habeat. Quod demum ſubiicis, Deũ Ioh. 4. 9.
liberare homines à peccandi neceſſitate, in quam ipſi ſeipſos ſua inobedientia præcipi Rom. 14. 23.
tarant, hoc, inquam, ita probo, vt mihi nõ ſatisfaciat. Ac primùm quidem quod dicis de Heb. 11. 6.
peccandi neceſſitate, ſanè non poſſum ſatis mirari tibi excidiſſe, qui toties eo nomine
nos argueris, quòd homines dicamus, quanuis ſponte, tamen neceſſariò peccare. Sed
hæc eſt nimirum vis veritatis, vt mendaces etiam ſæpe cogat à ſeipſis diſſentire. Ve-
rùm duo ſunt quæ hîc requiro. Cuperem enim à te expreſſum quomodo nos Deus ab
hac neceſſitate peccandi liberet: nimirum per Filium, idque ex mera gratia. Neque e-
nim temerè ſuſpicor, ne, quanuis fortaſſe nunquam inquiſieris nec quid Pelagius ſenſe-
rit, nec quid Pelagianis Auguſtinus præſertim reſponderit, tamen iidem te furores im-
pellant quibus olim exagitatus Pelagius Occidentem miſerè vexauit. Deinde quod de
hominum inobedientia ſubiicis, mihi certè non ſatisfacit: quoniam multa iam dilui-
mus argumenta, ex quibus facilè colligi poteſt, peccatum originis, ſiue peccati propa-
gationem, vel penitus à te haberi pro fabula, vel certè ita eleuari vt quod propagatio-
nis eſt, imitationi potius tribuendum putes. Apoſtolus certè, quum de his rebus agit, id Rom. 5. 12.
eſt de prima noſtræ ſeruitutis origine, vnius hominis contumaciæ tribuit quod tu vi-
deris ſingulorum rebellioni acceptũ ferre: quaſi videlicet vnuſquiſque ſeſe in huius ne-
ceſſitatis compedes imitatione & aſſuefactione longa coniiciat, ac non potius omnes
ab ipſo vſque conceptu ſerui naſcamur. Itaque ne hoc quidem admitto, niſi planius ſen
tentiam in ea re tuam exponas

Denique quòd adiungis Deũ nemini vnquam petenti beneficiũ denegaſſe, agnoſci-
mus pro vero, ſed adhibita explicatione. Neque enim omnes petunt, ſed ii ſolùm qui

Mr. 20.22. inopiæ ſuæ ſenſu tanguntur: & multi etiam petunt quod neſciunt, aut non petunt ex fi-
Rom.8.26.27 Iac.4.3. de, ac proinde nihil accipiunt. Quoniam igitur nemo petit, aut ſi petit, non ritè petit,
Rom.8.4. niſi qui Spiritu Dei agitur, ac proinde qui filius Dei eſt, idcirco non ad ſingulos homi-
nes, vt tu vis, ſed ad quoſuis duntaxat electos hoc Dei beneficium pertinere affirmo: quorum etiam peculiaris hæc eſt teſſera, quòd ſoli ritè Patrem inuocant, ac proinde ſoli exaudiuntur.

Poſtremò quòd attexuiſti de Caluiniano Deo quid attinet pluribus refutare, niſi actum agere velimus? Sed hoc tamen aditum mihi pateſaciet ad tuos illos deorum filius paulò propius conſiderandos. Ego vnum eſſe me profiteor ex iis quos Dominus in hac vera & ſancta Euangelii ſui doctriua per fidelem ſeruum ſuum Iohannem Caluinum erudiit: huius diſcipulum me profiteri nunquam certè pudebit, & vnum ex multis hominum millibus quos ille Chriſto lucrifecit. Ac quidem cur nos huius rei pœniteat, quum hoc potiſſimùm præceptore (Dei gratia) didicerimus, Papiſtarum, Libertinorũ, Anabaptiſtarum, Schuenſeldianorum, Seruetiſtarum, tuos denique ex pleriſque tancidis illis hæreſibus conflatos errores, non tantùm deprehendere & deteſtari, ſed etiam voce & firmis argumentis refellere? Noſtra quidem vitia, quæ & magna & multa ſunt, tu magis deteſtari non potes quàm nos ipſi. Quanquam hoc nobis in genere ſine arrogantia dicere, plurimis idoneis teſtibus, licebit, vitam noſtram eſſe eiuſmodi, vt quæ nobis obiicis, non ita difficulter, Dei beneficio, refelli poſſint. Tuas verò tuorúmque virtutes, quarum longum catalogum contexis, vobis certè non inuidemus. Ac te quidem oportet, ſi veſtris virtutibus idem vſuueniat quod pecuniæ, vt qui eas poſſidet quò magis eſt illarum parcus, eò ſit domi locupletior, te, inquam, ſi ita eſt, multis virtutibus abundare oportet, qui, quod ad nos quidem attinet, tam parcè illis vtare. Cuius enim, obſecro, modeſtiæ eſt, aut cuius etiam conſcientiæ ac pudoris, Caluinum, ſi nihil aliud, certè Libertinorum hoſtem vnum omnium acerrimum, & noſtras omnes Eccleſias vnam & eandem doctrinam profitentes, impietatis accuſare, quaſi nos Deum faciamus mali authorem? cuius miſericordiæ, manſuetudinis, clementiæ eſt, quum Serueto, id eſt ipſi impietati, & quibuſcunque hæreticis parci velis, innocentiſſimum hominem, &, velis nolis, integerrimum, ac de Eccleſia Dei omnibus modis ita meritum vt pretioſiſſima ſit apud poſteros futura ipſius memoria, tot calumniis ac conuitiis inuiſum omnibus reddi, & ſemel oppreſſum velle? cuius eſt beneficentiæ ac beneuolentiæ, eum à quo tot beneficia acceperis, tot ſcurrilibus conuitiis proſcindere? cuius veritatis & integritatis, tam maleuolum animum ſacroſancto amicitiæ & familiaritatis nomine obtegere? modò ſeſe Bellium, modò Theophilum dicere, modò nullum nomen adſcribere, & puerilibus iſtis ineptiis ad fallendos homines abuti? libellos clàm ſpargere, & furtim per tuos emiſſarios in exteras regiones excudendos mittere? Longinquas amicitias eorum hominum quærere quibus te ignotum eſſe ſcias, quorum emendicatis literis ac teſtimoniis ad ſimplices fallendos abutare: domi verò à doctiſſimis hominibus diſſidere, & conciones quidem religioſè in ſpeciem audire, priuatim verò nouam doctrinã proponere, diſcipulos cogere, homines in hoſpitiis veluti conductos habere qui aduentantes hoſpites captent, & imprudentum ſimplicitati inſidientur? Sed de his plus ſatis. Qualeſcunque ſimus, Deus nos iudicat, ad cuius tribunal non dubitamus aduerſum tuas calumnias prouocare. Deum verum, & Patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti à nobis ex ipſius verbo coli in ſpiritu & veritate, non autem falſum illud idolum quod & nobis obtrudis, & tibiipſi quoque confingis, plura & certiora teſtimonia nobis præſtò ſunt pro ſingulari ipſius erga nos miſericordia, quàm vt vel ipſi poſſimus vacillare, vel ſani iudicii, ac quantulæcunque eruditionis homines tuis futilibus commentis à noſtris Eccleſiis alienari poſſe exiſtimemus.

Peroratio calvmniarvm. Caſtellionis.

Haec *ſunt, Caluine, quæ aduerſarij tui de doctrina tua perhibent, admonéntq; homines vt de doctrina iſta ex fructu iudicent. Dicunt autẽ te & tuos diſcipulos ferre multos fructus Dei tui: eſſe enim pleroſque litigatores, vindictæ cupidos, iniuriæ tenaces & memores, cæteriſque vitiis quæ Deus tuus ſuggerit præditos. Quòd ſi quis eis reſpondet, non eſſe doctrinæ vitium, quippe quæ ſana ſit, nec tales homines gignat: reſpondent eam gignere tales homines, idque ex eo perſpicuum fieri, quòd multi poſtquam in doctrinam iſtam conceſſerunt, tales efficiuntur, quum antea minus mali fuiſſent. Iam verò doctrina*

Chriſti

Chriſti qui credebant, reddebantur meliores: ſed tua doctrina aiunt homines manifeſtè fieri deteriores. Præterea, quum dicitis vos habere ſanam doctrinam, reſpondent non eſſe vobis credendum. Si enim Deus veſter ſæpiſsime aliud dicit, aliud cogitat & vult, metuẽdum eſſe ne vos Deum veſtrum imitantes, idem faciatis, atque homines decipiatis.

Equidẽ faui ego aliquando doctrinæ tuæ, Caluine, eamq́ue, quanuis non ſatis mihi perſpicuam, defendi, quod tantum tribuebam authoritati tuæ, vt vel contrà cogitare putarẽ nefas: ſed nunc auditis aduerſariorũ argumentis, non habeo quod reſpondeã. Conãtur quidem diſcipuli tui reſpondere, & inter ſuos quos habent fauentes, veritatẽ audacter iactãt: verùm vbi ad aduerſarios ventum eſt, vacillant, & præſidium ex libris tuis petũt, ſed debile. Nam tuæ rationes ſunt obſcuræ, & ferè eiuſmodi, vt ſtatim depoſito de manu libro excidant ex memoria, neq; aduerſarios cõuincant. At aduerſariorũ argumẽta ſunt aperta, acria, & quæ facilè memoriæ mandentur, & ab illiteratis (quales ferè erant qui Chriſtũ ſectabãtur) percipiãtur. Hinc fit vt tui diſcipuli ferè magis authoritate tua nitãtur, quàm ratione. Et quũ aduerſarios vincere nõ poſſunt, habẽt eos pro hæreticis & pertinacibus, & ab eorũ cõſortio abſtinẽt, & oẽs vbiq; monẽt vt abſtineãt. Ego verò qui nõ quis dicat, ſed quid dicatur, attendendũ cenſeo, oẽs audiẽdos, omniaq́ probanda iudico, & quod bonũ eſt tenendũ. Quare, Caluine, ſiqua vera, aperta, firmaq́ argumẽta habes, quib⁹ refelli poſsint aduerſarij, quæſo te vt ea in mediũ adferas, quò veritatis patrocineris. Seu quod ſcriptũ ſit, Dabitur vobis os & ſapientia, cui reſiſtere nemo poterit. Ego vbicunq; veritatẽ deprehendere potero, paratus ſum ſequi, & alios ad eandẽ adhortari. Sin fortè errasti (homines.n. ſumus) quæſo te, Caluine, vt Deo gloriã tribuas. Erit id tibi glorioſius, quàm in errore perſeuerare. Mihi verò ne ob hanc epiſtolã ſuccenſeas, ſi iuſtus & verax es, non videtur metuendũ. Primùm, quia è re tua eſt te de iis admoneri: deinde, quia ſi ſentis (vt dicis) omnia neceſſariò fieri, credes hanc quoque epiſtolam à me ſcriptam neceſſariò. Vale.

REFVTATIO.

HAEC ſunt viciſſim, Caſtellio, quæ fidelis & conſtantis ſerui Dei Iohannis Caluini in Chriſti ſchola diſcipulus aduerſus prophana & impia tua commenta ex verbo Dei depromit, admonetque homines vt à tua nõ iam ſimulata, ſed aperta doctrina, quæ ex Papiſtarum, Anabaptiſtarum, Serueti, Pelagii, tuis denique monſtris ac portentis conflata eſt, ſibi etiam atque etiam caueant. Quòd verò nos ſub Caluino proficientes laceſſis, in eo ſanè tibi iraſci non poſſum: quanquam vnum eſſe me ex eorum numero non modò libens profiteor, ſed quotidie etiam Deo gratias ago. Miſeret me tui potius, qui duorum ſis oblitus, quorum ſaltem alterum vtinam tibi in mentem veniſſet. Nam vt plurimos omittam omnium ordinum homines, qui docentem Caluinum hæc eadem quæ docet, & in Gallia, & in Germania, magno cum fructu audierunt, quíque etiamnum hodie gratam huius beneficii memoriam conſeruant: vt innumerabilem turbam doctiſſimorum hominum quæ hodie à docentis ore pendet, prætermittam, quem hodie in orbe Chriſtiano angulum eſſe putas, in quo non plurimi extent qui legendis tãti Theologi ſcriptis non ſe profeciſſe ſentiant? Quid tibi igitur miſero fiet, ſi ex tanto numero vel milleſimus quiſque tua deliria oppugnanda ſuſceperit? Nempe magnus tibi campus exercendæ tuæ patientiæ aperitur: ac fortaſſis ita fiet, vt qui iam pridem inter tuos illos perficiendos, iocans (vt opinor) dicebas te duobus tantùm paſſuum millibus à perfectionis meta diſtare, ipſam etiam metam præteruehatis. Sed tibi ignoſco. Mirum enim ni intelligendis & deſcribendis aduerſariorum noſtrorũ argumentis ita fuiſti occupatus, vt teipſum imprudens in hoc periculum conieceris: immemor videlicet tibi negotium eſſe cum hominibus ſuperbis, ſanguinariis, calumniatoribus, fictis, impatientibus, iniuriæ verò tenacibus in primis, & maledicis, vt ſuum magiſtrum referant. Illud verò quî tibi potuit non venire in mentem, Caluini quoque te fuiſſe diſcipulum, & nulli plura quàm ei vni debere, vt tu quoque antehac ſæpiſſime, ſed tuo more, id eſt candidè & ſimpliciter, vt res oſtendit, declaraſti? Cæterùm quòd olim ſola nominis Caluini authoritate adductus, ita faueris eius doctrinæ, vt vel contrà cogitare nefas eſſe exiſtimares, id verò neſcimus qua ratione poſſis apud aduerſarios illos noſtros, tam acres præſertim diſputatores, excuſare. Dicent enim vel natura leuem ac futilem, vel fortaſſe Chriſtianæ religionis non ſatis ſeriò ſtudioſum eſſe oportere hominem, qui in Pontificiorum ſuperſtitione educatus, prius tranſeat in Euãgeliſtarum partes, quàm quid doceant Euangeliſtæ ſatis perſpicuè cognouerit. Sed hoc nimirum homini Academico noſtri illi aduerſarii non ita difficiliter ignoſcent.

Venio ad reliqua de quibus es ſolicitus. Quòd de noſtrarum rationum obſcuritate quereris, & aduerſariorum argumenta dicis facilè mandari memoriæ, & ab illiteratis percipi, nos non magnopere perturbat. Dicimus enim ex Paulo, hominem ψυχικὸν non percipere quæ Dei ſunt: & magnopere falleris, ſi illiteratum eſſe, aliquid conferre putas ad percipiendam Dei veritatem. Illiterati ferè erant qui Chriſtum ſequebãtur, ſed non ideo ſequebantur quòd illiterati erant, vt ſatis oſtendit celebris illa cõcio quæ Iohannis ſexto cõmemoratur. Tibi ſit igitur μηδὲν εἰδέναι ἥδιστος βίος. At nos ſicut neminem aſpernamur, reipſa nimirum experti Spiritum Dei quoſcunque libuit afflare, tamen bonas artes ac diſciplinas pro viribus excolere didicimus, nec tuos iſtos idiotas, inter quos tibi places, magnopere reformidamus. Neque verò magnopere neceſſe fuit nos doceri hæc argumenta ab eiuſmodi hominibus eſſe profecta, quum res ipſa clamitet tales nugas ab aliis proficiſci non potuiſſe. Vnũ tamen nos fefellerat, quòd canes eſſe putauimus, quos tu aſinos eſſe ſcribis. Si seriò dicis te paratum eſſe ſequi veritatem, habes, vt ſpero, vbi deprehendas, ſi modò in animum induxeris, aliorum, ac præſertim Caluini ſcripta non aſpernari. Sicubi nos erraſſe deprehenderis, non mõdò gloriam dabimus Deo, ſed tibi quoque gratiam habebimus. Tuas calumnias partim non ſine ſtomacho ac dolore, propter impias blaſphemias paſſim aſperſas: partim etiam non ſine riſu, propter infinitas ineptias, legimus. Si paulò acerbius reſpondimus quàm volebas, teipſum accuſes oportet, cui tacere per nos licebat. Feres tamen hæc omnia patienter, vt ſpero, pro modeſtia ſingulari tua, præſertim ſi hãc tibi legem dici patiare quam nobis præſcribis, videlicet vt quod neceſſariò factum eſt, feramus. Nam nobis quidem certè magis neceſſe fuit exiſtimationem noſtram cum veræ doctrinæ defenſione coniunctam tueri, quàm tibi per innocentiſſimi & integerrimi hominis latus, veritatem confodere.

RESPONSIO

T H. B.

RESPONSIO

Ad defenſiones & reprehenſiones

SEBASTIANI CASTELLIONIS, quibus ſuam Noui Teſtamenti interpretationem defendere aduerſus Bezam, & eius verſionem viciſſim reprehendere conatus eſt.

THEODORVS BEZA FIDELIBVS CHRISTI SERVIS, BASILIENSIS ECCLESIÆ PASTORIBVS, *fratribus ac ſymmyſtis plurimùm obſeruandis, Gratiam & pacem à Domino.*

TRANSLATIONEM noui Teſtamenti tum Latinam tum Gallicam à Sebaſtiano Caſtellione iſtic ſcriptam & excuſam, optimo iure reprehenſam fuiſſe in meis annotationibus, nō ſolùm vt indoctam, ſed etiam vt multis locis impiam & à ſancti Spiritus ſententia prorſus diſcrepantem, vobis vt exiſtimo, nō conſtabat, obſeruandi fratres, quum edendæ ſuæ defenſionis poteſtatem illi faceretis: ſed nunc tandem (vt ſpero) perſpicuè cognoſcetis. Affero enim reſponſionem ad ipſius defenſionem, quam vocat, quum reuera ſit accuſatio, & ea quidem grauiſſima. Ad quam tamen profiteor me reſponſurum non fuiſſe ſi duntaxat de vocum ſignificatione, aut ſecundum fidei analogiam de quorundam locorum genuina expoſitione diſſeruiſſet. Nam iſtam quidem συζήτησιν non modò non damnandam, ſed etiam magnopere commendandam puto: & quis ſum ego qui vel imperioſè alios velim reprehendere, aut in mea inquiri nolim? At iſte nihil niſi nugas profert, adeò quidem vt me poſiti in ea ſcriptione laboris pœniteat. Verùm quum huius defenſionis prætextu viderē grauiſſimos de firmitate diuinorum decretorum, de libero arbitrio, de peccato originis, de verbo Dei, de Spiritu, de iuſtificatione errores ſpargi (quod ego quidē ſcio contra veſtram voluntatem factum) hoc verò ferre nullo modo nec potui, nec etiā (vt opinor) debui. An verò quum hæc dico, vllam ipſi iniuriam faciam, partim liber ipſe declarabit, partim nunc vobis manifeſtiſſimo teſtimonio patefacere volui. Notum eſt piis omnibus quanti ſit momenti certamen de originis peccato: de quo cōtendit olim Eccleſia cum Pelagianis, nunc verò cum Semipelagianis certamus. Negāt enim iſti concupiſcentiam quæ in ſanctis ſupereſt, eſſe peccatum, & Apoſtolos, ſuóſque, quos vocant, ſanctos, faciunt ἀναμαρτήτους. Nos contrà ſupereſſe in ſanctiſſimis etiam hominibus peccati reliquias affirmamus, & morbum illum in quoquam vnquam homine (Chriſtum ſemper excipio, in quo peccatū nullum fuit) fuiſſe niſi morte extinctum, negamus: ac proinde iuſtitiam, qua ſola nitimur in Chriſto Ieſu nobis per ſolam fidem imputata, peccatorum remiſſione definimus. Id autem tum infinitis aliis Scripturæ teſtimoniis probamus, tum verò maximè cap. Epiſtolæ ad Romanos ſeptimo, in quo regenerati hominis lucta graphicè prorſus à Paulo in ſua ipſius perſona deſcribitur, & illis eiuſdem Apoſtoli verbis quæ ſcribuntur in Epiſt. ad Galatas 5. cap. de Spiritus & carnis pugna. Quid autem de his ſentiat Caſtellio, agè ex ipſius verbis expendamus. Ego quidem in locum illum ſcribens, apertè affirmaui Paulum ibi in ſua perſona loqui,

& eos qui contrà ſentiunt, grauiter ſicut debui reprehendi. Præterea in 2.Cor.12.v 7. de aculeo illo qui Paulo datus erat, hæc ſcripſi, *Sic Paulus trāſlatitiè vocat τὴν ἐπιθυμίαν, qua videlicet, teli inſtar, carni penitus infixa eſt, vt eam quaſi lethalē quandam arundinē (vt ait Poëta) ſaucij circunferamus: cuius nimirū vulnus cogebat Apoſtolū, quatenus caro cum eo quoque luctabatur, exclamare, Non facio bonum, &c. &, Miſerum me, &c.* Quid autē Caſtellio? *Hæc tua verba ſunt*, inquit, *in quibus quid Paulo tribuas, manifeſtum eſt, nimirum cupiditatem, & omiſſionem officij, & actiones prauas, quippe qui non faceret bonum quod vellet, ſed faceret malū quod nollet. Nam certè Faciendi verbum de actione dicitur.* Hæc ille: quæ qui auditis, puto vos eius calumniæ totidem penè verbis à Pelagianis aduerſus Auguſtinu & orthodoxos conceptæ, recordari. Reſpondeat igitur ille meo nomine, quādoquidem in Caſtellione reuixit Iulianus. Sic enim ille ad duas Pelagianorū epiſtolas reſpōdens, lib.1.cap.8, Pelagianos inducit de orthodoxis loquentes, *Apoſtolum etiam Paulum & omnes Apoſtolos dicunt ſemper immoderata libidine fuiſſe pollutos.* Deinde ſic reſpondet, *Quis hoc vel profanus audeat dicere? Sed nimirum iſti propterea ſic calumniantur, quia contendunt de hoc quod dixit Apoſtolus, Scio quia non habitat in me, &c. non eū dixiſſe de ſeipſo, ſed neſcio cuius alterius qui illa pateretur, induxiſſe perſonam.* Et eiuſdē libri cap.11, *Apoſtolos, quia homines erant, & corpus quod corrumpitur, & aggrauat animā, in huius vitæ mortalitate portabant, abſit vt dicamus (ſicut iſte calumniatur) ſemper immoderata libidine fuiſſe pollutos: ſed dicimus à conſenſione prauarū libidinum liberos, de concupiſcentia tamē carnis, quā moderando frænabant, tanta humilitate & pietate gemuiſſe, vt optarent eā non habere potius quàm domare.* Hæc ille, Pelagianorū calumniæ nunc a Caſtellione renouatæ ex profeſſo reſpōdens. Placet autem audire quid iſtum impulerit vt in Pelagianorū partes trāſiret: *Quoniā*, inquit, *video multos huius loci præſidio ſuis peccatis patrocinari, dicentes, nō mirum eſſe ſi praua faciant, quum etiam diuus Paulus faceret malū quod nollet.* Quaſi verò qui hoſtes dicit ingruere, homines ad certandum nō excitet, ac non cōtrà, qui debellatum eſſe dicit, ad otium & quietē homines traducat. Subiicit poſtea Caſtellio, *Quæro quid voces ἐπιθυμίαν. vtrum animi facultatem qua aliquid ſiue bonum ſiue malum auertere poteſt homo, an potius eius facultatis motum ſiue actionem vitioſam. Facultatem dicere non potes. Eſt enim ea facultas bona, naturalis, & à Deo cōdita, fuitq́; in homine ante peccatū: atque eadē ſanctus vir vtens, vxorem ſuam auet ad prolem procreandam, & libidinoſus abutēs, vxorem alterius ad explendā voluptatem. quemadmodū eadē oculorum facultate & ſanctus vir vtens, pauperē inſpicit, ad eū liberalitate ſua adiuuandū: & libidinoſus abutēs, vxorem alterius ad ſtuprandū. Itaque quemadmodū videndi, ſic neque cupiendi facultatē poſſis appellare peccatū.* Hæc ille rurſus, merè Pelagianus, nec minus inſciētet quàm falſo. Quę enim hæc inſcitia eſt, corruptionē facultatis nō poſſe à natura diſtinguere? & quæ hæc blaſphemia eſt in Dei gratiā, vitium in motibus dūtaxat, nō autem in ipſa cōcupiſcendi facultate ponere? quæ ſi corrupta nō eſt, vnde tandem vitioſi motus? Reſpōdeo igitur, me cōcupiſcētiæ nomine ipſam in primis facultatem, nō cōditoris, ſed cōditi hominis vitio, neque natura, ſed voluntariæ defectionis cōtagione infectā, intelligere. deinde verò motus ab ea facultate promanantes, qui & ipſi vitioſi ſunt, quatenus ſunt arboris vitioſæ fructus. Addit præterea Caſtellio, *Sin eius facultatis vitioſam actionē appellas cupiditatem, (ſicut omnino ex verbis tuis videris) vide qualē nobis Apoſtolū facias. Si enim vxorē cupiebat alterius, aut domū, aut ſeruū, aut eius generis aliud quippiā (de talibus enim diſertè loquitur Lex) adulterat aut fur in corde ſuo: & porrò Legi, Legiſq́; execrationi (hoc eſt pœnis) obnoxius, vel ſeipſo iudice, q docuerit tales nō eſſe regnū Dei poſſeſſuros.* Reſpōdet pro me Auguſtinus, *Facere ſe dixit Apoſtolus, & operari, nō affectu cōſentiendi & implendi, ſed ipſo motu cōcupiſcendi.* Et eiuſdē libri capite 14. *Nullus in Eccleſia rectè poſſet ordinari miniſter, ſi dixiſſet Apoſtolus, Siquis ſine peccato, vbi ait, Siquis ſine crimine eſt: aut ſi dixiſſet, Nullum peccatū habentes, vbi ait, Nullum crimen habentes. Multi quippe baptizati fideles ſunt ſine crimine: ſine peccato autem in hac vita neminem dixerim, quantalibet Pelagiani, quia hæc dicimus, aduerſum nos tollentur & dirumpantur inſania. non quia aliquid peccati remaneat, quod in baptiſmate nō remittatur, ſed quia in nobis in huius vitæ infirmitate manētibus quotidie fieri nō quieſcūt quæ fideliter orantibus & miſericorditer operantibus quotidie remittuntur. Hæc eſt fides catholica ſanitas, quam ſanctus vbique ſeminat Spiritus, nō prauitatis hæreticæ vanitas, & præſumptio ſpiritus.* Et alibi, *Concupiſcentiā* (inquit) *quis ambigat in hac vita poſſe minui, cōſumi non poſſe?* Et quæſo quid alia teſtimonia requirimus? Annon hoc dictat ipſe conſcientiæ ſenſus, nullos in nobis eſſe omni ex parte puros animi motus, ne tum quidem quū optimè

vel

vel cogitamus, vel concupiſcimus, vel agimus? Certè qui hoc non ſentit, tantũ abeſt vt eum penitus viuificatum eſſe dicam, vt contrà penitus in peccatis eſſe mortuum nõ dubitẽ pronuntiare. Neque enim in hac vita certius viuificãtis Spiritus teſtimoniũ in cordibus noſtris habemus quàm repugnantẽ carnis luctã aduerſus Spiritũ, cuius plena victoria, plenúmque teſtimoniũ in futurũ ſæculum differtur. Sed audiamus præterea quouſque Caſtellio progrediatur. *Qui*(inquit)*talia dicit, Ego ſum carnalis & mancipatus peccato, & non quod volo, facio bonũ, ſed quod nolo malũ, teſtatur ſe malũ non ſolùm cupere, verumetiã reuera exequi, vel*(*vt verius dicã*)*teſtatur ſe malum non cupere aut velle, ſed odiſſe, & tamẽ facere.* Hæc ille. Cùm autẽ malum cupere & exequi longè aliud ſit quàm nolle & tamen facere, qua tandem fronte res tam diuerſas ex eiſdẽ Pauli verbis eliciet? Itaq; in altero(id eſt in priore)falſum dicit: alterũ autẽ(id eſt poſterius)verum eſt, & eius dogma manifeſtè coarguit. Nam velle peccatũ & facere, eorum demum eſt qui ſunt in peccato mortui, id eſt omnium qui non ſunt renati: nolle autẽ malum, & tamen facere, ſanctorum eſt qui luctantur: nec velle verò malũ nec facere, eius demum victoriæ donũ eſt quã in altero ſæculo ſperamus. Ac ne quis exiſtimet extraneã aliquã coactionẽ à Paulo ſignificari, quum dicit ſe malum facere quod non vult, teſtatur poſtea ſe vtrunque hominem intra ſe poſſidere: nouum videlicet certa ſpe victoriæ luctãtem, qui bonum vult & malum non vult, & reliquias veteris illius ſenſim corrumpendi, qui non facit bonum quod ille vult, & facit malum quod ille non vult. Itaque dicit peccatum illud adhuc in ſeſe(id eſt in carne ſua)habitare, ſed ab eo ſe ſegregat, vt tandẽ alterius ſit totus. Rectè enim Ambroſius, citante Auguſtino lib. contra Iulianum ſecundo, *Caſtigat*, inquit, *Paulus, quod ipſius eſt, non quod ipſe eſt* Addit præterea Caſtellio, *Si Paulus talis erat, quæro quódnam malum exequeretur. Nimirum carnale aliquid.* Et mox, *Si talis erat Paulus; nõ erat paſſus in carne, nec erat eius vitioſitas abolita, nec mortuus vetus homo, nec abluta naturalis labes ac macula.* Longè aliter Hilarius, eodem citante Auguſtino: *Ipſis*, inquit, *Apoſtolis verbo licet fidei iam emendatis ac ſanctificatis, non deeſſe tamen malitiã per cõditionem communis nobis originis, docuit, dicens, Si vos, quum ſitis mali, noſtis bona dare filiis veſtris, &c.* Et quis iſti aſſentiatur de rebus factis iſta pronuntianti, quum nondum didicerit veterem hominem paulatim corrumpi, & nouum paulatim creſcere? *Hærebat ergo*, inquit, *in Paulo cupiditas, id eſt, radix & fons peccatorum, qua in eo ederet fructus mortis.* Deus bone, quid hoc eſt? Ignorat Caſtellio, actu manẽte cõcupiſcentia quæ paulatim moritur, reatũ ſemel tolli. *Ergo*, inquit, *Paulus nihilo erat Galatis aut Corinthiis ſãctior. Quónã igitur iure eos ceu carnales obiurgat?* Et paulò antè, *Sunt autẽ carnalia illa quæ Apoſtolus ad Galatas enumerat, quæ qui faciũt, inquit, diuinũ regnũ nõ poſsidebũt.* Iã verò Auguſtinus pro me reſpõdeat, aut ipſa potius veritas. *Ingeris*, inquit, *Apoſtoli teſtimoniũ, vbi ait, Nolite errare. neque fornicarij, neq; ſimulachris ſeruiẽtes, & cætera, quibus cõmemoratis, concludit quòd Regnũ Dei non poſſidebunt. Sed agũt talia qui concupiſcẽtiæ quã laudas, motibus ad mala & turpia quæque cõſentiunt. Quod ergo ait, Et hæc quidẽ fuiſtis, ſed abluti eſtis, ſed ſãctificati eſtis, mutatos eos dixit in melius, nõ vt ea carerẽt*(*quod in hac vita fieri nõ poteſt*)*ſed vt ei nõ obedirẽt, quod in bona vita fieri poteſt: atq; vt ab eo quo erãt vinculo eius obnoxij, liberos ſe eſſe cognoſcerẽt. quod niſi regeneratione fieri nõ poteſt. Tu autẽ, qui putas quod ſi malũ eſſet cõcupiſcẽtia, careret ea qui baptizatur, multum erras: Omni.n. peccato caret, nõ omni malo. Quod planius ita dicitur, Omni reatu oĩm malorũ caret, nõ omnib⁹ malis.* Diſcat igitur tãdẽ Caſtellio, quoſdã eſſe carnales, qui niſi reſipiſcãt, in regnũ Dei nõ introibũt: quoniã qui in carne ſunt, Deo placere nõ poſſunt: quoſdam etiã eſſe ſpirituales, aut potius fore, in illa videlicet pace conſtitutos, in qua mors abſorbebitur in victoriã, quũ videlicet quod terreſtre ſatũ eſt & animale, cæleſte & ſpirituale reſurrexerit: quoſdã denique eſſe ſimul & ſpirituales, quatenus perficiuntur, & carnales, quatenus quotidie mortificãtur, nec tamẽ eſſe in eis mortiferos carnis fructus, quoniam credentibus peccata non imputantur. Quod vt melius intelligat, moneo vt reſipiſcat, & ſaltẽ Cypriano & Aug. credat. Sic enim Aug. Cypriani verba citat(velut aduerſus iſtas ipſas Caſtellionis ineptias diſputãs)ex Epiſtola de mortalitate: *Cũ auaritia nobis*, inquit, *cũ impudicitia, cũ ira, cũ ambitione cõgreſsio eſt, cũ carnalibus vitiis, cũ illecebris ſæcularibus aſſidua & moleſta luctatio eſt. Obſeſſa mẽs hominis & vndiq; diaboli infeſtatiõe vallata, vix occurrit ſingulis, vix reſiſtit. Si auaritia proſtrata eſt, exurgit libido: ſi libido cõpreſſa eſt, ſuccedit ambitio. Si ambitio cõtẽpta eſt, ira exaſperat, inſtat ſuperbia, vinolẽtia inuitat, inuidia concordiã rumpit, amicitiã zelus abſcindit. Cogẽris maledicere, quod diuina Lex*

probibet: cõpelleris iurare, quod nõ licet. Tot perſecutiones animus quotidie patitur, tot periculis pectus vrgetur: & delectat hic iter diaboli gladios diu ſtare, quũ magis cõcupiſcẽdũ ſit & optãdũ, ad Chriſtũ ſubueniẽte velocius morte properare. Abſit autẽ, ĩquit Auguſtinus, *vt ſãctũ Cyprianũ aut auarũ exiſtimemus fuiſſe, quia cũ auaritia: aut ĩpudicũ, quia cũ impudicitia: aut ira ſubditũ, quia cũ ira: aut ãbitioſũ, quia cũ ãbitione: aut carnalẽ, quia cũ carnalibus vitiis: aut ſaculi huius amatorẽ, quia cũ illecebris ſacularibus: aut libidinoſũ, quia cũ libidine: aut ſuperbũ, quia cũ ſuperbia: aut vinolẽtũ, quia cum vinolẽtia: aut ĩuidũ, quia cũ ĩuidia cõfligebat. Imò verò ideo nihil eorũ erat, quia his malis motibus partĩ de origine, partĩ de cõſuetudine veniẽtibus fortiter reſiſtebat, nõ acquieſcẽs eſſe quod eũ eſſe cogebãt. Nec ideo tamẽ in tã periculoſo laborioſoq́ certamine nullo telo feriebatur hoſtili, quum dicat in Epiſtola ſua de eleemoſynis, Ne quiſquã ſic ſibi de puro atq́ ĩmaculato pectore blãdiatur, vt ĩnocẽtia ſua fretus, meditinã nõ putet adhibẽdã eſſe vulneribus, quũ ſcriptũ ſit, Quis gloriabitur caſtũ ſe habere cor? Aut quis gloriabitur mũdũ ſe eſſe à peccatis? Et iterũ in Epiſtola ſua Iohãnes ponat & dicat, Si dixerimus quia peccatũ nõ habemus, nos ipſos decipimus, & veritas in nobis nõ eſt. Si autẽ nemo eſſe ſine peccato poteſt, & quiſquis ſe inculpatũ eſſe dixerit, aut ſuperb⁹, aut ſtultus eſt, quàm neceſſaria, q̃ benigna eſt diuina clemẽtia, quæ quũ ſciat nõ deeſſe ſanatis quædã poſtmodum vulnera, dedit curãdis denuò ſanãdiſq́ vulneribus remedia ſalutaria?* Simile eſt quòd Corinthios inducit Caſtellio, Paulo obiiciẽtes, ſi qua in eo cõcupiſcẽtia supereſt quæ cogat eũ exclamare ſe facere malũ quod nõ vult, eum parũ cautè dicere ſe Chriſti eſſe imitatorẽ. *Ille enim,* inquit Caſtellio, in Corinthiorũ perſona, *nõ malũ quod nolebat, ſed bonũ quod volebat, faciebat: neq́ à tentatione vincebatur, vt tu vinceris, dũ malũ facis.* Et hîc cogor exclamare, Quid eſt aduerſus ipſum Dei Spiritũ inſurgere, ſi hoc nõ eſt? Nã ſi Chriſtum nemo imitatur niſi qui archetypõ prorſus exprimit, quid tãdẽ fiet omnibus ſanctis, quorũ virtus in infirmitate perficitur? Et, ſi non licet eos qui ſunt tardiores, perinde ac ſi nũquã currere incepiſſẽt, idcirco accuſare, vt eo prõptius currant, quid obſtat quo minus & Prophetica & Apoſtolica ſcripta ſemel aboleantur? Et illud axioma cuiuſmodi tandem in Eccleſia Dei cenſebitur, eos ſine exceptione, qui malum faciunt, à tentatione vinci? Et tamen adeò eſt iſte confidens, vt ſe nondum videre poſſe dicat quid illis Corinthiis, ſi Paulum ſic alloqui poſſint, reſponderi poſſit. Quid plura? Iocus etiam & ludus iſta ſunt præ iis quæ ſequuntur. Notus eſt & noſtris & ipſis etiam Papiſtis locus ille Pauli Galat. 5, de carnis & ſpiritus lucta, quem operæpretium eſt in primis vos Baſilienſis Eccleſiæ paſtores (quorum patientiam iſte tam impudenter deridet) intelligere quomodo iſte deprauarit, & ita quidem audacter vt nihil ſuprà. *Proponit,* inquit, *Apoſtolus Galatis hominũ inter ſeſe contrariorũ duo genera, videlicet carnaliũ, & ſpiritualiũ, & vtrorũq́ fructus enumerat, nimirũ vt ſeipſos explorẽt, & ex ſuis fructibus agnoſcant in vtro ſint numero.* Itaque ſi Caſtellioni credimus (quẽ ego dico & vociſetor oĩm hac in re inſcitiã ſuperaſſe) hæc ſentẽtia, *Spiritus aduerſus carnẽ concupiſcit,* idẽ declarabit atque, *ſpirituales homines contrarij ſunt carnalibus,* vt ſecũ expẽdant Galatæ vtros velint ſequi. Et quis tandem hoc portentum ferat? Eſt enim hoc abſurdius quàm vt vlla refutatione indigeat, & intolerabilius quàm vt ferri poſſit. Et tamen, vt nemo dubitaret eum ſeriò loqui, non puduit eum, vt de iis triumpharet quos adeò flagitioſè feſellit, quum iſtud profaniſſimun ſcriptum in lucem emitteret, hæc etiã adiicere: *Hanc eſſe Pauli ſententiã,* inquit, *facilè videbit ſi quis nõ ſuã ad Pauli verba ſententiã afferet, ſed à Pauli verbis ſententiã petet.* Ego ipſe, inquit Apoſtolus, mente ſeruio legi Dei, carne verò legi peccati. Quem igitur alium ſuipſius interpretem meliorem requiremus? imò eo ipſo loco Paulus, Hæc, inquit, inter ſe contraria ſunt, vt non faciatis quicquid vultis. Sed audiamus etiam quomodo Caſtellio octaui capitis initium explicet. *Igitur,* inquit, *nulli ſunt damnationi obnoxij* (apud iſtũ autẽ obſeruandum eſt damnationem & peccatum eſſe ſynonyma, ſicut loqui Pelagianum decet) *qui in Chriſto Ieſu, nõ carnis ſed Spiritus arbitrio parẽt. quaſi hoc dicat, Qui in Chriſto ſũt, Lege ſoluti ſunt, faciuntq́ vi Spiritus bonũ quod volũt, nõ malũ quod nolunt.* Hæc ſunt eius verba, in quibus ecquis tandẽ nõ videt quàm multa ſint perperã ſcripta? Lege enim ſolutum eſſe qui Spiritu Dei ſit ſanctificatus, nemo vnquam dixit niſi Manichæus & Antinomus. Neque enim Spiritus Dei ſic in nobis agit vt Lege non egeamus, quum è contrario per Legem nos erudiat, nec vllus ſit Legis capax, niſi qui Spiritu Dei eſt in Chriſto ſanctificatus. Ex hoc enim (inquit Iohannes) cognoſcimus eum eſſe in nobis, & nos in eo, ſi mandata eius obſeruamus. Sed & illud falſiſſimum eſt, eos

non

non regi à Dei Spiritu qui nolũt malũ quod faciũt. Nolle enim malũ nõ eſt naturæ (vt iſte Pelagianus exiſtimat) ſed gratiæ: quæ quoniã adhuc luctatur, idcirco efficere nondũ poteſt quod tandẽ in nobis in futuro illo ſæculo perficiet, nẽpe vt nullũ malũ nec velimus nec faciamus. Rurſus ergo intolerabilis eſt error quẽ iſte ſubiicit, his verbis, *Nã qui malũ quod nolunt, faciũt, in carne ſunt: qui ſunt autẽ in carne, Deo placere nõ poſſunt.* Nam ſi hoc verũ eſt, vnde tandẽ iſtud NOLLE MALVM? nõnne à natura, ſi nõ à gratia? Et, ſi nemo Deo placet niſi qui amplius non luctatur, quid ſupereſt niſi vt & Chriſto & fidei & toti Euãgelio valedicamus, & omnes ſanctos qui ad extremũ vſque ſpiritũ peccatorum remiſſionẽ ſunt deprecati, & in ea ſola acquieuerũt, cõdemnemus? Imò verò potius vos fratres circunſpicite quam infamiã iſte pio veſtro Senatui & Chriſtianæ ciuitati vobis cõmiſſæ cõciliet. Denique nõ puduit eum hæc quoque adiicere: *Cæterùm vtrũ Paulus hic in Iudæi an potius in inchoati Chriſtiani perſona & adhuc ex parte ſub Lege gementis loquatur, nihil in præſentia pronũtio: de alterutro quidẽ eum loqui hinc perſpici poteſt, quòd omnino de eo loquitur qui eſt ſub Lege.* Huic igitur idẽ eſt ſub Lege & in carne eſſe, ac proinde Deo non placere. Quod quũ ipſe dicit, an negare audebit ſe neq; lethalis noſtri morbi magnitudinẽ, neque beneficij Chriſti immenſitatẽ noſſe? Sed de his nimiùm ſanè multa. Adiiciã tamen Auguſtini verba his ipſis de rebus aduerſus Pelagianos ſcripta, vt ſemel omnes iſtius in hoc argumento errores refellãtur. Is igitur cap. 11, lib. 6, cõtra Iulianum, ſic ſcribit, *Quòd verba Apoſtolica, vbi dicit, Scio quia nõ habitat in me, hoc eſt in carne mea, bonũ, & cætera, vſque ad illud vbi ait, Miſer ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? me affirmas aliter intelligere quam eorum ipſum caput debet intelligi, neſciens mihi plurimũ tribuis. Nõ enim ego ſolus aut primus ſic iſtum locũ intellexi, quo euertitur hæreſis veſtra, quemadmodũ verè intelligẽdus eſt. Imo verò ego prius eum aliter intellexerã, vel potius nõ intellexerã: quod mea quædã illius temporis etiã ſcripta teſtantur. Nõ mihi enim videbatur Apoſtolus & de ſeipſo dicere potuiſſe, Ego autẽ carnalis ſum, quũ eſſet ſpiritualis, & quòd captiuus duceretur ſub lege peccati, quæ in mẽbris erat eius. Ego enim putabã dici iſta nõ poſſe niſi de iis quos ita haberet carnis cõcupiſcentia ſubiugatos vt facerent quicquid illa compelleret. quod de Apoſtolo dementis eſt credere, quũ etiã innumerabilis multitudo ſanctorũ, ne cõcupiſcẽtia carnis perficiat, cõtra carnẽ ſpiritu cõcupiſcat. Sed poſtea melioribus & intelligẽtioribus ceſſi, vel potius ipſi (quod fatendũ eſt) veritati, vt viderẽ in illis Apoſtoli vocibus gemitum eſſe ſanctorũ contra carnales cõcupiſcentias dimicantiũ. Qui quum mente ſint ſpirituales, adhuc tamen iſto corruptibili corpore, quod aggrauat animam, rectè intelliguntur eſſe carnales, quia erũt & corpore ſpirituales, quãdo ſeminatũ fuerit corpus animale, & reſurget corpus ſpirituale. & rectè adhuc intelligũtur ea parte captiui ſub lege peccati, qua deſideriorũ quibus nõ cõſentiunt, motibus ſubiacet. Hinc factum eſt vt ſic iſta intelligerem quẽadmodum intellexit Hilarius, Gregorius, Ambroſius, & cæteri Eccleſiæ ſancti notiq́ doctores, qui & ipſum Apoſtolum aduerſus carnales concupiſcentias quas habere nolebat, & tamen habebat, ſtrenuè confli xiſſe, eundemq́ conflictum ſuum illis ſuis verbis conteſtatũ fuiſſe ſenſerunt.* Hæc Auguſtinus cum omnibus veteribus orthodoxis. Sed habet viciſſim Caſtellio quos ſequatur. Quoſnã verò? Origenem, inquit, Ambroſium, Hieronymum, Eraſmum, & Ochinum. Atqui magnã Ambroſio iniuriam facit, & ego hac in parte fateor me nimiùm Eraſmo credulum fuiſſe. Origene verò (ſi veros eius commẽtarios habemus) nihil impurius fieri poſſe nemo negabit qui ſaltem inſpexerit. Commentarios autem in Epiſtolam ad Romanos qui Hieronymo tribuuntur, fuiſſe ab indoctiſſimo aliquo Pelagiano ſcriptos, ſingulæ paginæ declarant. Reliquos autem duos nihil moror. Et hæc quidem hactenus. Vos autem, obſeruandi fratres, quid facto ſit opus conſiderabitis: nec (vt ſpero) iniquo animo feretis q̃ vos nominatim appellarim. Nã præterquam quòd iniuria Dei veritati facta omnes ſimul Eccleſias attingit, illud certè priuatim ad vos pertinet, quòd facultate ſibi à vobis facta, vt (quod æquiſſimum & iuſtiſſimũ eſt) exiſtimationẽ ſuam, aut potius ſuæ interpretationis veritatẽ honeſtis rationibus tueretur, ad præcipua Chriſtianæ, quã quotidie docetis, religionis fundamenta conuellenda tam impudẽter ſit abuſus. Quod autem ad me priuatim attinet, dummodò Eccleſiæ conſulatur, nullã mei rationem haberi poſtulo, tum quia graue vulnus eſſe non poteſt quod iſte infligit, tum verò maximè quòd priuatas iniurias, ſub Chriſtiani præſertim zeli prætextu, perſequi prorſus nefariũ eſſe putem. Miſereatur ergo noſtri Dominus, & publicis priuatiſque offendiculis medeatur. Bene valete plurimùm obſeruandi fratres. Dominus Ieſus vos ſeruet, & veſtris laboribus magis ac magis benedicat. Geneuæ, v III. Calendas Septemb.

TH. B.

AD

SEBASTIANI CASTELLIONIS

defenſiones & reprehenſiones.

ITA EST omnino verũ dicis, Sebaſtiane: multa de re & grauia iampridem & ſermonibus & ſcriptis multorũ ſparſa ſunt, quæ vtinam tam falſa eſſent quàm tu eſſe vis. Ita enim & tu magna infamia careres, & Eccleſia Dei maiore tranquillitate frueretur. Sed poſtquam tibi conſtiturum eſt veritatem adeò pertinaciter oppugnare, nos viciſſim eam nõ minus fortiter (vt ſpero) tuebimur. Ac cætera quidẽ omittam quæ tibi obiecta ſunt, & hoc vnum agam de quo nunc quęritur, iuréne an iniuria dixerim & ſcripſerim ſacras literas à te & in Latinũ & in Gallicum ſermonem peſſimè eſſe conuerſas. Dico igitur oportuiſſe te, vt eas fideliter interpretari poſſes, quatuor minimùm linguarũ bene peritũ eſſe, Hebraicę videlicet & Gręcæ (quibus linguis loquuti ſunt Prophetæ & Apoſtoli) itémque Latinæ & Gallicæ, quibus ad illos interpretandos vti cõſtitueras. Dico etiã oportuiſſe te in iis ita eſſe verſatũ vt eorum mentem & ſententiam ad vnguem teneres. Iam verò, quod ad Hebræam linguam attinet, hoc tibi affirmo, ex hominum eius linguæ peritiſſimorum ſententia, nullã eſſe tuæ tranſlationis paginam in qua ſummam eius inſcitiam non prodas. Quod etiam nõnulli iampridem multis modis oſtendiſſent, niſi tuam illã veteris Teſtamenti tranſlationem iudicaſſent vna potius litura quàm correctionibus indigere. De Græcis autẽ quid ſit exiſtimandum malo fieri ex re præſenti iudicium quàm ipſe ſtatuere, ne quod tibi non tribuo videar ipſe mihi arrogare. Cæterùm de Latino ſermone quantum ipſe tibi placeas nemo non videt: neque etiam ignoro quibuſdam, qui (vt inquit Auguſtinus, de hac ipſa re loquens) eo ſunt infirmiores, quo doctiores videri volunt, nõ rerum ſcientia qua ædificamur, ſed ſignorum, qua non inflari difficile eſt, tuos quoſdam ſonitus ſuauiter tinnire. Ego verò vnum eſſe me ex illis non inuitus profiteor, qui totam hanc rationem ſacros libros interpretandi non modò parum vtilem, ſed etiam perniciosam eſſe exiſtimem. Arbitror enim intolerandam eſſe audaciam ſiquis ab illa nuda quidem & ſimplici, ſed verè tamen diuina & plena maſculæ maieſtatis eloquutione diſcedens, Prophetici & Apoſtolici ſermonis puritatem quaſi ſuco quodam orationis inficiat: imò etiam eouſque me in hac re quodammodo ſuperſtitioſum haberi patiar, vt vel ipſas (ſi fieri poſſet) ſyllabas appendi & numerari velim, nedum vt ſine neceſſaria ratione vocabula illa rebus theologicis conſecrata, & formulas quaſdam Hebræas (quibus nihil vlla lingua ἐμφατικώτερον dici poteſt) innouari debere cenſeam. tanti apud me eſt non modò res ipſa, ſed etiam diuina illa Spiritus ſancti eloquutio. Hæc (inquam) non tam mea quàm ſummorum & Orientis & Occidentis Theologorum ſententia eſt, qui etiam quum volunt politè & ornatè & ſuo quodam modo de rebus ſacris diſſerere, tamen quoties Scripturam citant, neque verba innouant (ſicut tu facis, multo audacius quàm vlli profanorum etiam librorum interpretes) neque ſermonis (vt tu diſertiſſimus homo incultiſſimè loqueris) incultum & obſcuritatem ita horreſcunt, vt propterea profana ſacris permiſcuerint. Sed de Gallico ſermone loquar paulo audacius: quem quum tu neque ex nutrice, neque vſu, vel ex libris rectè loqui, ac ne ſcribere quidem didiceris, fateor me ſæpiſſimè miratum, eouſque te amentiæ deueniſſe vt Biblia Gallicè etiam interpretanda ſuſciperes. Quem enim non putas indignari, quum te audiat Latinæ quidem linguæ lautitias ita ſectari vt vetera omnia faſtidias, Gallicè verò ita de induſtria balbutire, vt ne Pictones quidem ipſi (quorum idioma inter Gallos ruſticiſſimum habetur) barbariem tuam ferre poſſe videantur? Cuius

tei teſtimonia ſi quis requirat,profiteor me,quum libebit,integras paginas iſtis tuis dicendi virtutibus impleturum. Sed iſta quidem ridicula eſſent, ſi quis eſſet in re tãti momenti ridendi locus. Illud verò quis ferat,dum Gallicarum formularũ vim ignoras,Sacras literas ludibrijs quorumuis exponi? Nam (vt pauca ex infinitis commemorẽ) quis ex naſutis illis tua hæc verba legens, Act.3.v.13, *Et luy de ſauter, & ſe tenir debout*,plenis buccis non rideat? Et illa quæ paulò pòſt ſequuntur, *Ils furent ſi esbahis de ſon cas,qu'ils ne ſcauoyent où ils en eſtoyent*.Et verò quis librũ non abijciat ſi hæc tua legerit,Rom.2.25. *Si tu viens à treſpaſſer la Loy,ton rognemẽt deuiẽt auãtpeau: que ſi vn empellé garde les ordonnãces de la Loy,certes ſon auantpeau luy ſera cõpté pour rognemẽt. Et celuy qui de nature eſt empellé & garde la Loy,te cõdãnera,toy qui as la lettre & rognemẽt,& ſi treſpaſſes la Loy.* Quid ſi quis etiã incidat in illũ locũ Iacobi,2.13, *Miſericorde faict la figue au iugemẽt*, ánnõ impatientiſſimè ferret impura hac formula è medio vſq; ganeo petita,ſacroſanctũ Dei verbũ à te conſpurcari? Et miraris hanc tuam audaciam nobis intolerabilem videri?

Sed agè,linguas & verba omittamus,& ad res ipſas veniamus. Hic verò ego non iam tecto,(vt antea) ſed prolato (quãdo ita vis) tuo nomine,Caſtellio,palàm vociferor,te de præcipuis Chriſtianæ religionis capitibus,id eſt,de ſacræ Scripturæ vſu & authoritate, de æterna Dei prædeſtinatione, de libero arbitrio, ac proinde de fide ac iuſtificatione, itémq; de ciuilis Magiſtratus in hæreticos iure ac poteſtate, peſſimè ſentire, ſcribere & loqui:niſi fortè aliter ſcribis & loqueris quàm ſentis. Hoc ego (inquam) affirmo,&,ſi inficiaberis,probaturum me,non ex Belliana illa farragine, neque ex Germanica, quam vocas,theologia (quos libros neſcio qua conſcientia eiuraris) ſed partim ex ipſius Academiæ iudicio in qua tu verſaris,partim ex tuis ipſius ſcriptis, polliceor. Omnes enim norunt,quum in diſputatione publica de prædeſtinatione tibi os occluſum eſſet,adeò vt quod hiſceres non haberes,niſi illud vnum tui ſimilibus ſolenne,te ſcilicet iſta myſtetia non capere,tibi (inquam) tum,& aliàs aliquoties,ab Academiæ præfectis edictũ fuiſſe vt in tuæ profeſſionis finibus manens, à theologicis rebus abſtineres. Quòd illi certè nũquam feciſſent,niſi te (vt nihil grauius dicam) eiuſmodi rerum imperitũ iudicaſſent. Sed quàm ſanctè præſtiteris quod tunc promiſiſti,res ipſa declarat:ea nimirum fide qua iam antea vſus es, quum tuas in nouum caput Epiſtolæ ad Romanos annotationes,ab ijſdem Theologis optimo iure damnatas,non modò diſtrahi,ſed etiam Gallicè conuerſas iſtic proſtare & vænire patereris. Quæ quum ita ſe habeant,cui tandem perſuaſeris te bona fide ſacros libros conuertiſſe,quos partim non intelligas,partim etiam ad ſtabiliendos tuos errores deprauare tot iam annis conſueueris? Sed agè,cominus etiam congrediamur,quando huc me adigis,& mihi,nunc primùm ex Gallicis tumultibus domũ reuerſo,aliquid ad ſcribendum otij conceditur. Sequar autem eum ordinem quem tu ipſe præſcripſiſti,& primo loco tuas defenſiones expẽdam, deinde ad tuas accuſationes reſpondebo:& quanuis integra tua verba non adſcribam (eſſet enim hoc magni & inutilis laboris) tamen ita me geram vt quicquam à me vel prætermiſſum,vel adiectũ, vel mutatum fuiſſe,conqueri meritò non poſſis.

AD DEFENSIONEM CASTELL. DE HEBRAISMIS.

DIXI me multos Hebraiſmos & in ſingulis verbis & in formulis loquendi libenter retinuiſſe, tum quia in quibuſdam maxima ſit emphaſis, quæ nullo alio idiomate poſſit ſatis commodè explicari, tum etiam quoniam ipſi Apoſtoli Græcè ſcribentes,& doctiſſimi quique eorum interpretes ijs tanquam gemmis quibuſdam ſcripta ſua exornarunt. Ad hæc primùm reſpõdes,alijs etiam linguis ſuas eſſe (vt ipſe loqueris) efficacitates,& Græcam linguam qua ſcripſerunt Apoſtoli, longè eſſe in vniuerſum & copioſiorem & feliciorem ad quiduis exprimendum quàm Hebræam. Eſto verò quod dicis:nego tamen propterea expungendos eſſe quoſuis Hebraiſmos,niſi præterea nobis oſtenderis (quod nunquã certè facies) nullum eſſe Hebraiſmum qui non poſſit pari aut etiã maiori efficacitate vel Græcè vel Latinè exprimi. Id aũt fieri nõ poſſe dico, partim quoniam nulla lingua eſt quæ alteri prorſus reſpõdeat,partim etiam quia ſicut in vnica Hebræorum gente diu conſeruata fuit veræ religionis puritas,ita etiam eorum idioma in ſacris rebus explicandis habet peculiare & natiuum quiddam,quod ab Hebræis neceſſe eſt cæteras linguas ſæpiſſimè mutuari. Deinde ne tum quidem quum par vtrinque occurrit in loquendo commoditas, Hebræum ſermonem ſtatim abijciendum puto,quia non temerè nos admonet Paulus vt *κενοφωνίας* vitemus. Eſt enim con-

ſuetudini plurimum tribuendum in ſermone, non modò ne quis nouitate offendatur, ſed etiam vt perſpicuitatis ratio habeatur. Conſtat enim noua vocabula minus quàm vetera & vſitata intelligi. Itaque, etiam ſi nullum eſſet in rebus ipſis diſcrimen, malim certè *Baptiſmum* quàm *lotionẽ*, *Angelum* quàm *genium*, *Fidem* quàm *confidentiam*, *Eccleſiã* q̃ *rempublicam*, *Synagogã* quàm *collegiũ* dicere, quãuis illa Græca ſint, non Hebrea. Prætetea quum ſæpe multiplex ſit ratio Hebraiſmos explicandi, quis non videt rectius & religioſius eos facere qui intactos illos & integros ſinũt, quàm qui ſuam opinionem ſequuti, nullum coniecturæ aut priuati iudicij locum lectoribus relinquunt? Itaque Ioann.1, malim interpretari, *Sermo factus eſt caro*, quàm, vt tu facis, *Sermo fuit corporatus*: quoniã carnis nomẽ multò melius quàm corporis declarat illam exinanitionem cuius meminit Paulus Philip.2.v.7. Dicam etiam, 1. Ioann.4.v.2, *Chriſtũ veniſſe in carne*, potiùs quàm *veniſſe corporatum*, quoniã Hebraizare malo quàm temerè explicato Hebraiſmo, aditum patefacere falſæ eorum opinioni qui Chriſtum putant corpus aliquod cæleſte vel æthereum in Virginis vterum intuliſſe. Quod tu verò de Græcæ linguæ copia & felicitate dicis, in genere quidem verum eſt: ſed tamen cogitare debuiſti, Baſilium, Naziãzenum, Chryſoſtomum, Euſebium, & cæteros Græcos theologos, eloquentiſſimos homines, & patriæ linguæ ſcientiſſimos, non temerè maluiſſe plurimos Hebraiſmos retinere quàm nullo cum fructu, vel etiam cum Eccleſiæ offendiculo nouare: ídque nõ modò quum ipſa Prophetarum vel Apoſtolorum verba citant, ſed etiam quum res ſacras ſuis explicationibus illuſtrant.

Sed agè, audiamus etiã quibus de cauſis Apoſtoli Hebraizarint, ſi tibi credimus. Dicis Spiritum ſanctum rem quidem dictaſſe Apoſtolis, ſed verba & linguam loquentibus & ſcribentibus liberam permiſiſſe: illos autem ſuo arbitratu dictata Spiritus enunciaſſe, & quum eſſent Græcæ linguæ non vſque adeò periti, facilè & ſine vlla neceſſitate in patriam linguã deflexiſſe: *ſicuti* (inquis) *videmus hodie quoſdam Germanos ſcriptores, dũ Latinè ſcribunt, tamẽ Germanizare. Quemadmodũ igitur ſi ſcriptoris in Latina lingua Germanizãtis librũ cõuertas de Latino in Gallicũ ſermonẽ, nõ erit neceſſe vt eius Germaniſmos retineas, ita mihi hebraizantiũ in Græca lingua Apoſtolorũ Hebraiſmos retinere nõ fuit neceſſe.* Agnoſcis tua verba, opinor: quæ bona fide deſcripſi, quanuis non omnia repetierim. Ego verò profiteor me ab hac tua ſententia prorſus diſſentire. Video enim omnes pios & eruditos Theologos ſemper exiſtimaſſe, Spiritũ ſanctum non animum duntaxat, (vt tu vis) ſed etiam linguam & calamum gubernaſſe, adeò vt περὶ τὴν τοῦ Θεοῦ μεγαλείαν nõ modò nihil verius aut ſanctius, ſed etiam nihil tam grauiter támque propriè dici à quoquam mortali poſſit. Itaque vehementer falleris, atque adeò (audi quid dicam, Caſtellio) impietatis viam ingrederis quum de Apoſtolorum ſcriptis ita ſentis & loqueris. Et eos ego iudico optimos Sacrarum literarum interpretes qui hæc duo ſimul præſtiterint, nempe vt & commodè poſſint intelligi, & ab Hebræis & Græcis quàm minimum deflexerint: tu cõtrà opinaris. Iudicet Eccleſia vter noſtrûm religioſius & melius de his rebus ſentiat.

Quod autem addis, par vtrobique periculum eſſe, ſiue quis Hebraiſmos in annotationibus explicet, ſiue in ipſo contextu eos interpretetur, omnino falſum eſt. Nam qui Hebraiſmum ex contextu eijcit, nullum diſquiſitioni locum relinquit: qui verò ſeorſim illum explicat ex animi ſui ſententia, nulli coniecturæ præiudicium affert.

Placet autẽ in illa quoque exempla quæ tu profers, inquirere. Locũ hunc Matth.10. v.31, *Multis paſſerculis vos præſtatis*, maluiſti interpretari, *Vos paſſeribus multò eſtis præſtantiores*. Ego verò diſſentio, quoniã quũ duorum paſſerculorũ facta eſſet mẽtio, nõ temerè puto poſtea ſingulos Chriſti diſcipulos cum multis paſſerculis comparari. Itaque opinor hæc dicta eſſe κατ' ἐλάττωσιν, cuius interdum maximam vim eſſe rectè annotarunt Grammatici. Perinde enim eſt acſi dixiſſet Chriſtus, Videtis tam viles eſſe paſſeres vt duo non amplius quàm aſſario veneant, (quid autem ſit aſſarius, ne nũc quidem intelligis) qui tamen nonniſi ex eius arbitrio & voluntate intereunt qui veſter Pater eſt: q̃d igitur timetis? nam hac ratione multos certè paſſeres coniungi oportuerit vt vos pretio ſuperent. Hoc autem multò plenius dictum eſt quàm ſi Chriſtus (vt tu vis) ſimpliciter & in genere dixiſſet, diſcipulos paſſeribus eſſe præſtantiores: quanuis hoc ipſum dicere voluerit.

Præterea ne in eo quidẽ tibi aſſentior q. locũ illũ Rom.6.17. *Gratia aũt ſit Deo q̃ fuiſtis quidem ſerui peccati: ſed ex corde obediſtis ei doctrinæ formæ in quam traditi eſtis*, tu po-

tiùs

tius ita conuertendum putas, *Grates autem Deo, quòd quum fuiſſetis ſerui peccati, obediſtis*, &c. Dicis enim Paulum alioqui videri Deo gratias agere duabus de rebus, primùm quòd ſerui fuerint peccati: deinde quòd obedierint: quum tamen ſit abſurdiſſimum agi Deo gratias de ſeruitute peccati. Sed quorſum hanc abſurditatem confingis? Neque enim duo ſunt huius enuntiationis cõiuncta membra, ſed deiuncta: quũ Apoſtolus non dixerit, καὶ ὑπηκούσατε, *& obediſtis*, ſed ὑπηκούσατε δὲ, *obediſtis autem*, vel, *ſed obediſtis*, vt manifeſtè appareat in oppoſito membro ſubaudiri particulam μὲν, *quidem*, ab Eraſmo & à me rectè expreſſam, quæ συνδετικὴ non eſt, ſed διαιρετική. & tamen, ſi tuam interpretationem ſequamur, nouo quodam & à te vno excogitato Hebraiſmo, redundabit. Deinde dicendũ non eſſet, *quum fuiſſetis*, ſed, *quum eſſetis*, vt tu ipſe antea in tua interpretatione ſcripſeras. Poſtremò illud, εἰς ὃν παρεδόθητε, quàm rectè per hypallagen ſis interpretatus, *quæ nobis tradita eſt*, tu videris. Adhuc enim maneo in ſentẽtia quã in annotatione ſcripſi: vbi tamen duplex eſt error operarum typographi, quæ excuderunt *in quem*, pro, *in quam*, & *innitantur*, pro, *immittantur*.

Sed & Hebraiſmus ille, Mat 24. v. 22. *non ſeruaretur omnis caro*, pro quo tu dicis, *nemo prorſus euaderet*, non tam eſt obſcurus quàm tu putas, & ego quoque aliquando exiſtimaui. Neque enim particula negans, NON, cohæret cũ ſigno vniuerſali OMNIS, ſed cũ verbo ἐσώθη. Eſt autem οὐ σωθῆναι, idem atque perire. Perinde eſt igitur acſi ſcriptum eſſet, *omnis caro periret*: quod nullo modo eſt obſcurum.

Poſtremò quòd dicis te nihil morari Latinitatẽ, dummodò ſermo intelligatur, in eo certè mecũ facis, ſi ex animo loqueris. Ac proinde etiam miror te vetera & omnibus trita vocabula expunxiſſe, vt noua & pleriſque obſcura ſubſtitueres. Munditiem autem linguæ ſicuti nemo ſano iudicio præditus reprehendit, ita etiam abſit vt æſtimem ex eorũ ſenſu quos tu mũdanos vocas. Et tu ſanè non rectè feciſti, quum in eorum gratiam, idioma non hominum, ſed Spiritus ſancti, profanaſti. Imò etiam ſcito non deeſſe qui tuam orationem nec mundam nec Latinam in multis eſſe arbitrentur, vt quum ſcribis, *adeò præſtantior, incultus orationis, Hebræi natu, dicere republica, conſuetudinem habere cum aliquo internè, detrimenta*, pro, *offendicula*, & alia (vt ipſi dicunt) multa. Reprehendunt etiam in te, præter illam in nouandis vocabulis audaciã, peruerſitatem quandam iudicii quæ facit vt rariſſima quædam & obſoleta nonnulla ineptè affectes, vt illa, *publicare Euangelium, congenulare, defetiſci, pollucere paſcha, polluctурus, contentius, expetere in aliquem, ſeptiduum*, & eiuſmodi alia, de quibus tu cogitabis quomodo illis ipſis mundanis reſpondeas quibus placere voluiſti. Nam quod ad me attinet, facilè feram me à te & ab illis in iſtis reprehendi, dummodò mihi obiicere meritò non poſſint, ſententiam à me eſſe deprauatam.

AD DEFENSIONEM II, IN MATTHAEVM. Εὐαγγέλιον κατὰ Ματθαῖον, *Euangelium authore Matthæo.*

HANC interpretationem ſcripſi, molliſſimo vocabulo, mihi duriuſculam videri, & magis propriè dici Deum huius Euangelii authorem, ſcriptorem Matthæũ. Hoc conuicium ſcilicet, ita te offendit, vt (quemadmodum mox apparebit) non contentus ſentẽtiam tuam defendere (quod cuiuis licet) volueris etiam me quàm grauiſſimè pungere. Sed bene habet quòd fucus nullum habet aculeum quem relinquat. Sed ad rem. Grammatica non eſt hæc contentio, ſed maioris momenti quàm initiò quiſquam ſuſpicetur. Nota enim eſt plus ſatis illa Epicureorum blaſphemia, Moſen, & Prophetas, & Apoſtolos, homines fuiſſe, qui ſcripſerint quod ipſis placuit. Notæ ſunt etiam noſtrorũ aduerſariorum furiæ, qui Patrum ſcripta ſacris illis libris interdum exæquant, interdum etiam anteponunt. Oportet igitur Eccleſiam Dei intelligere, diſtinguendos eſſe ſcriptores ſacrorum librorum (quos Canonis nomine nuncupamus) ab ipſis etiam eorum interpretibus, ea ratione quam tradit Petrus, quum inquit, Prophetiam non eſſe allatã hominis voluntate, ſed à Spiritu ſancto impulſos, loquutos eſſe ſanctos Dei homines. Itaque ſi ſingulorum librorum veteris Teſtamenti inſcriptiones diligenter inſpiciamus, cõperiemus ſcriptoris nomen vel prorſus ſupprimi, vel ita inſcribi vt ſtatim appareret eos fuiſſe duntaxat Dei interpretes. Quod autem attinet ad nouum Teſtamentum, inſcripta quidem ſunt ſingulis libris ſcriptorum nomina, (ſi Epiſtolam ad Hebræos exceperis) ſed ita vt facilè agnoſcas Spiritum ſanctum eadem cautione nos præmunire voluiſſe. Neque enim legimus, *Euangelium Matthæi, Marci, Lucæ, vel Iohannis: ſed, Euan-*

gelium Ieſu Chriſti(vt habẽt omnes Latini codices)*ſecundum Matthæum, Marcum, Lucam & Iohannem*. Et Apoſtoli quũ ſuos libros appellarent Epiſtolas (ſi modò ipſi ita inſcripſerunt) ſignificare voluerunt ſe eius doctrinæ quam Eccleſiis tradunt, non authores, ſed duntaxat ſcriptores eſſe, & quidem à Chriſto cõſtitutos, ſicut vbique præfari ſolent. Hæc igitur cauſa eſt cur iſtam interpretationem, *Authore Matthæo*, (quæ etiã Græcis verbis κατὰ Ματθαῖον non reſpondet) noluerim approbare. Sed tamen (inquis) oraculum Eſaiæ appellant ſacræ literæ, & Paulus Euangelium ſuum. Reſpondeo, falſum eſſe quod priore loco dicis. Neque enim HAZON declarat oraculũ, ſed viſionem, id eſt illud quod Deo illi patefaciente vidit Eſaias: ſicut initio Amos Prophetæ nomen illud optimè explicatur. Et iſtius Prophetiæ nemo (quod ſciam) conſueuit Eſaiam authorem dicere. Quod autem affers de Pauli Euangelio, nihil te iuuat: niſi fortè probaris nos dici poſſe earum rerum authores quæ noſtræ fidei & curæ ſunt commiſſæ, ſiue etiam quas ex alterius mandato geramus. Neque enim cuiquam dubium eſſe poteſt quin Paulus eo loco per Euangelium non tam rem ipſam quàm eius promulgationem ſibi commiſſam declaret: ſicut etiam idem vocabulum accipitur, *1.* Corinth. 8. v. *18*, & alibi aliquoties. At enim pro ſcriptore authorem quoque appellari, vulgò notiſſimum eſt. Fateor, ſed in hoc quidem dicendi genere nonniſi καταχρηστικῶς: vt ſi Salluſtium appelles belli Iugurthini & coniurationis Catilinæ authorem. Itaque rectiùs fecit Horatius quum Homerum Troianni belli ſcriptorem, non authorem (is enim fuit Paris ἀρχέκακος) vocaret. Sit ergo etiam hoc modo Matthæus Euangelii author, id eſt huius libri de Chriſti doctrina ſcripti (ſi modò libeat Euangelii nomen hoc loco ita interpretari:) quod tamen mihi non probatur. Sed illud tamen manet quod ſcripſi, Euangeliſtas magis propriè dici iſtorum librorum ſcriptores quàm authores.

Denique te facetum oſtendiſti, Caſtellio, quum ad extremum adiiceres, oportuiſſe me, ſi rectè hîc te reprehendo, in ipſo ſtatim titulo meipſum inſcribere ſcriptorem libelli de puniendis hæreticis, potius quàm authorẽ, *ſi modò* (inquis) *Deus ſit author illius ſententiæ*. Vides, lector, quæ ſit iſtius hominis modeſtia, & quàm appoſitè hoc citarit. Me verò haud pœnitet non eius ſententiæ, ſed eius libelli authorem fuiſſe in quo veram de puniendis à Magiſtratu ciuili hæreticis ſententiam ita ex verbo Dei aſſerui, vt ne nunc quidem vel tu, Caſtellio, vel tui ſimiles eam refellere poſſitis.

AD DEFENSIONEM III, IN MATTH. I. V. 19.
ſuper verbo παραδειγματίσαι.

HOc verbum tu quidem ad capitalem adulterii pœnam refers: ego verò ad probrum & ſiniſtram famam, quam videbatur Maria vitare non potuiſſe, ſi deſponſæ Ioſephus palàm & conſciis omnibus libellum repudii dediſſet. Habes ſententiæ tuæ aſtipulatores multos ex veteribus & recentioribus ſcriptoribus: ego quid mihi videatur ſimpliciter expoſui, neque in te quicquam hoc loco: ſed quando tibi libuit noſtri calumniandi occaſionem hinc quoque arripere, ſpero me ita reſponſurum vt te ſaltem appareat hanc cauſam peſſimè defendiſſe.

Primùm igitur oſtendi hoc verbum apud idoneos ſcriptores de quauis nominis infamia vſurpari, etiam quæ iudicis decreto non infligatur. Quod quum ita ſit, cur, obſecro, mihi non liceat ad leniorem interpretationem deflectere?

Dixi præterea mihi videri, Ioſephum, cuius probitas hoc loco commendatur, facturum non fuiſſe boni ciuis officium, ſi de induſtria celato hoc publico crimine, totũ Iſraelem iræ Dei obieciſſet. Hanc rationem quoniam tibi modis omnibus oppugnandam putaſti, ex aduerſo clamitas, iuſtiorem eſſe maritum qui vxori veniam dans, eam nõ accuſat, quàm qui accuſat: nec propterea Iſraelem reddere iræ Dei obnoxium, quippe qui non ſit Magiſtratus. Alioquin, inquis, ſi iuberet Lex accuſare ſontes, quónam res tandem euaderet? an mihi, ſiquis me oculo priuauerit, non licebit dare veniam? Hanc igitur defenſionem, agè, expendamus. Si iuſtior eſt maritus non accuſans quàm qui accuſat, certè tua confeſſione iuſtus etiam erit qui accuſat: ſed ille longè iuſtiſſimus erit qui non modò non accuſabit, ſed etiam (celato prorſus crimine, quod alioqui capitali pœna vindicaretur,) cum adultera redibit in gratiam. Itaque, ſi tibi credimus, Ioſephus in medio gradu iuſtitiæ conſiſtet, quem tamen apparet ab inſigni quadam probitate commendari. Ineptum autem eſſe quod tu dicis, Ioſephum videlicet, quia non eſſet in

Magiſtra-

Magiſtratu, non potuiſſe, celato Mariæ adulterio, Iſraelem reddere iræ Dei obnoxium, vel ex eo appatet ꝙ inde conſequeretur ſolius Magiſtratus in exercendis iudicijs peccata in populum redũdare. Id autem falſum eſſe quum ex plurimis teſtimonijs liqueat, vnam tantùm hiſtoriam proferemus. Achan, priuatus homo, nemine (niſi fortè quopiã ex ſuis) conſcio, ſacrilegium committit: nemo eſt qui eum ad Magiſtratum deferat. Magiſtratus ergo non eſt in culpa. Et tamen ira Dei propter neglectũ hoc ſcelus in vniuerſum Iſraelem exarſit. Quid ſi quos igitur habuiſſet ſceleris ſui celandi conſcios? & fortaſſis hæc vera cauſa eſt cur vnà cum eo tota ipſius familia ſacrilegij pœnas luit. Quæris poſtea quónam tandem res ſit euaſura ſi Lex iubeat ſontes accuſare. At ego quæro quę ſit futura reſpublica, quis domi ſuæ tutus futurus, ſi obtineat tuum dogma, iuſtiores eſſe qui in rempublicam peccantes non accuſent quàm qui accuſent. Quid verò quum ꝓpoſitis præmijs indices criminum euocantur à Magiſtratu, an eos exiſtimabimus ad violandum boni viri officium ſolicitari? Non omnes certè à Magiſtratu ἐπ' αὐτοφώρῳ deprehenduntur, & ad peragendos reos, indicibus, accuſatoribus, teſtibus opus eſt: quas partes obire ipſi iudices nec poſſunt, nec debent. Neque tamen quum hæc dico, volo accuſationibus feruere iudicum tribunalia, vel πολυπράγμονας, aut συκοφάντας, delatores, aut vllam animi acerbitatem probo: ſed eos vt bonos ciues & Dei timẽtes laudo, qui ad publica aliorum crimina non conoiueant. Quanquam neceſſe non eſt vt in hac vna criminis ſpecie maneamus, quum quod tu hoc loco de adulterio dicis, de homicidio etiam affirmes ſeptima in Matthæum reprehenſione: de qua ſuo loco dicemus.

Quæris præterea, *Si quis me oculo priuauerit, an mihi non licebit dare veniã?* Ridiculè profectò: Neque enim dubium eſt quin, quod ad priuatas iniurias attinet, remittere potiùs de noſtro iure teneamur quàm iniuriam vlciſci, aut cum Eccleſiæ offendiculo perſequi: ſed hîc de eo quæritur quod bonus ciuis ſuæ ciuitati, bona etiam conſcientia, debet. Sed & illud extra còntrouerſiam eſt, charitatẽ Chriſtianam omnia, quoad eius fieri poteſt, in bonam partem interpretari. Idque à Ioſepho ſumma cum æquitate & animi moderatione factum eſſe multis modis oſtendi poteſt, ſi noſtram explicatiooem ſequamur. Poterat enim Ioſephus Mariam exiſtimare ex adulterio concepiſſe, ac proinde capitaliter accuſare. Poterar quoque, ſi eam iudicabat potiùs ante ſponſalia cooſtupratã, priuatam hanc iniuriam, quòd poſtea fuiſſet ipſi deſponſa, coram iudice perſequi: poterat præterea, ſimulatis nuptijs, eam ex legibus curare capitis ſupplicio damnandam, quòd ipſam virginem non inueniſſet. Et tamen omnibus illis conſilijs repudiatis, arbitratus potiùs ante ſponſalia quàm ex adulterio grauidatam, conſtituit quidem illam dimittere, ne alienam vxorem retineret, ſed clanculum, ne, ſi cauſa eſſet diuulgata, dedecus aliquod Mariæ conciliaret: quod eſt profectò ſingulare probitaris exemplum. Nam facilè dilui poteſt falſi crimen quod tu mihi impingis, ꝙ dixerim Mariam, ſi ante ſponſalia fuiſſet ſtuprata, rradendam fuiſſe ſtupratori: hoc, inquam, facilè dilui poteſt, & tua inſcitia redargui, quum arbitraris fuiſſe potiùs ante patris domum lapidandam. Nã hæc ſunt legis verba, quibus nitor, *Si vir inuenerit puellam virginẽ nondũ deſponſam, & ea apprehenſa dormierit cũ ea, & deprehenſi fuerint*, (id eſt, facinoris cõuicti: quod fieri etiã poteſt ſi alteri poſtea fuerit deſpõſa) *dabit vir ille qui cũ ea cõcubuerit quinquaginta argẽteos patri puellæ, habebítq; eã vxorẽ.* Iſta igitur lex eſt, Caſtellio, quã nemo oon videt, opinor, appoſitè à me citatam fuiſſe. Nam aliud eiuſdem legis caput quod tu profers, nõ ſimpliciter ad ſponſas, ſed ad ouptas pertinet, quæ non ſunt virgioes inuentæ: neque ad hoc argumentum ſpectat, quum teſtetur Matthæus hæc deliberaſſe Ioſephum poſt ſponſalia quidem, ſed antequam cum Maria nuptias contraxiſſet.

Supereſt quiddam in quo tibi mirificè places. Quæris enim, ſi verũ eſt quod dixi de boni ciuis officio, cur Dauid Saul tyrannũ & homicidã non accuſabat. At ego quæro, apud quos iudices accuſaſſet. Nẽpe apud vnius Dei tribunal: quod etiã ſedulò fecit. *Verùm* (inquis) *cur eũ potiùs ipſemet quũ poſſet non occidit, quũ eſſet ipſe Dauid rex inunctus, & diuino Spiritu præditus, & Saulẽ Deus in manus eius cõcluſiſſet?* Hæc tua ſunt verba, quibus hæc quoque declamatorio quodã more ſubijcis. *Enimuerò* (inquis) *ſi fuiſſent Dauidi à cõſilijs ij qui tam libẽter alios accuſant, & Dauidis comites quàm Dauidẽ ipſum imitari malũt, bone Deus quot modis, qua arte dicẽdi, quàm multis & inexpugnabilibus argumẽtis Dauidem potuiſſent ad Saulis necẽ incitare?* At enim, vnde tandẽ iſtæ calumniæ? Noſtrum enim hoc non eſt, ſed eorum potiùs à quibus tute noſti non deeſſe qui te, quanuis fortaſſis iniuria, noo prorſus alienum eſſe dicant. Sed noui quid te offendat. Velles (quæ tua eſt clemen-

tia) hæreticos, fures, homicidas, ab accuſatoribus & iudicibus tutos præſtare. Itaque indignaris quòd Magiſtratus hortemur in tāta mundi corruptione, vt quam poteſtatem à Deo acceperunt, eam in primis pro aſſerendo Dei cultu & tuenda Eccleſiæ diſciplina, ſicut ab ipſo Chriſto & eius Apoſtolis conſtituta eſt, aduerſus religioſæ pacis perturbatores, deinde etiam pro ciuili pace aduerſus legum violatores exerceāt. Hoc, inquiunt, tibi dolet, ac proinde nos vt ſanguinarios, & accuſatorio quodā ſpiritu præditos nō deſinis iampridē calumniari: ſed nihilominus inanes iſti latratus nunquam efficient vt ab officio deſiſtamus. Certè ſi Dauidi fuiſſemus à conſiliis, nihil aliud ſuaſiſſemus quàm qđ ipſe fecit, nempe vt fide, ſpe, & patientia in primis armatus, promiſſum regnū à Deo expectaret, neque ipſius dextram aduerſus Chriſtum Domini armauiſſemus. Erat enim Dauid à Samuele pro ſucceſſore quidem Saulis deſignatus, ſed tum demum futurus ſucceſſor quum Saul eſſet ex ipſo ſolio deturbatus. Neque iuſſus erat Dauid eum regno, nedū vita ſpoliare: ſicut poſtea Iehu & alij ſimilia mandata à Deo acceperūt. Fuit igitur prior illa Dauidis vnctio, ſimplex quædam inauguratio, quæ etſi eum à priuatis diſtinguebat, vt iure poſſet armis vim iniuſtam repellere, tamen non erat plena illa in regnū introductio, quæ poſtea in Hebron eſt conſequuta. Sed etiam ſi tibi daremus quod falsò opinaris, vide quò te iſta tua intemperies abripiat. Nam hoc argumentum, niſi falſum ipſius fundamentum eſſet, ita potius extruere debueras: Quum Dauid rex homicidā & tyrannum, quem in poteſtate habebat, inultum ſemper dimiſerit: multo rectius facere Magiſtratus qui ſontes facinorum conuictos, precibus & lachrymis, exemplo Dauidis, ſemper deliniāt, quàm qui gladium ſibi à Deo traditum in eos ſtringant. Quā doctrinā ſi defendis, vides nimirum te non procul ab Anabaptiſtarum deliriis abeſſe. Sed malo tamē arbitrari te, odio noſtri perturbatum, nec quid dicas nec quid ſcribas intelligere.

Ad defensionem IIII, in Matth. I. v. 20, Ne metve *aſciſcere Mariam vxorem tuam.* Μὴ φοβηθῇς παραλαβεῖν Μαριὰμ τὴν γυναῖκά σου.

Hunc locum ſic erā interpretatus, *Ne timueris accipere Mariam pro vxore tua:* id eſt, vt ſit vxor tua. & annotaui eos vehementer falli qui hæc verba ſic accipiunt, quaſi iam antea Maria vxor eſſet Ioſephi, à qua tamē ex voto abſtineret. Dixi præterea hoc dicendi genus Græcis eſſe familiare, vt παραλαμβάνειν γυναῖκα id ſit quod Latini dicunt Accipere vxorem, ſiue Ducere in matrimonium. Reſpondes, me potius in eo falli quòd ſponſam nō putem dici vxorem, quum ea, & quidem virgo, vxor dicatur, Deut. 22. v. 24. Quaſi verò Moſes eo loco nō vtatur nomine אשת, quod de quauis muliere dici quis tādem ignorat? Itaque eo loco *mulierem proximi tui*, id eſt, *proximo tuo deſtinatam*, non minus rectè quàm *vxorem* cōuerteris. Deinde, vt demus vxoris nomē illic neceſſariò ponēdum, (quod facilè concedo) quis tam eſt fatuus vt aliud eſſe ſponſam, aliud vxorem, nō videat, & tamē ſponſam interdum vxorē dici, quoniam ex pacto ſit vxor futura? Et hæc ſanè cauſa eſt cur nō minus ſeuerè damnetur qui pactā quàm qui traditam vxorē violat.

Subiicis poſtea, me *falli, vel fallere velle*, quòd in exemplis quæ adhibeo, diſſimulem articulum & pronomen nō apponi, quum tamen hîc ſcriptum nō ſit παραλαβεῖν Μαριὰμ γυναῖκα, ſed, παραλαβεῖν Μαριὰμ τὴν γυναῖκά σου. Reſpondeo, me nihil humani à me alienū putare, ſed tamen (Dei gratia) non tam eſſe ſtolidum vt quenquam in re tam manifeſta falli potuiſſe crediderim. Quid igitur? nempe verbis aliquatenus differt exemplum quod citaui, ſed reipſa prorſus conuenit. Quemadmodum enim illud Iſocratis, τὸν δὲ τὸν λόγον ἀπέσταλκά σοι δῶρον, nō poſſis commodius explicare quàm ſi ἐσόμενον, vel ὥστε εἶναι ſubaudias, vt ſi ſcriptum eſſet ἐσόμενόν σοι δῶρον: ſic etiam hoc loco interpretor τὴν γυναῖκά σου pro ἐσομένην, vel ὥστε εἶναι τὴν γυναῖκά σου, *vt ſit vxor tua.* Nec tu quicquam habes quod in hac explicatione reprehendas. Sic enim multò præſtat vxoris nomen propriè quàm pro ſponſa interpretari: & eos iterum falli dico qui Mariā eo tempore nuptam fuiſſe exiſtimant, quum ipſius Angeli verbis manifeſtè refellantur, quia verbum παραλαβεῖν nefarium eſt de thori congreſſu intelligere. Quòd ſi cui noſtra illa explicatio non placebit, manebit tamen quod dixi, vxorem dici quæ propriè vxor non erat, vt videri nullo modo poſſim ſententiam corrupiſſe. Mutaui tamen in ea editione quæ nunc eſt ſub prælo, *pro vxore tua*, in, *vxorem tuam.*

AD DEFENSIONEM V, IN MATTH, 2. V. 16, *ἀποστείλας ἀνεῖλε, miſit interfectum.*

Ergo conuerti, *miſsis carnificibus ſuſtulit*, &c. Et illud, *miſit interfectũ*, dixi non cõuenire, quia amplius aliquid ſignificat per aliũ interficere, q̃ *mittere qui aliũ interficiat:* quoniã videlicet fieri poteſt vt qui miſſus eſt, tamen non interficiat. Reſpondes hunc Hebraiſmum eſſe frequentiſſimum, vt Gen. 27. 42. Miſit Rebecca & accerſiuit Iacobum, id eſt, per alium accerſiuit. Sed ego quæro, ſi ita eſt, cur nõ igitur illud ἀποστείλας ἀνεῖλεν, ſis interpretatus, *curauit interficiendos*. Sic enim multò rectius poteras, quandoquidem conſtitueras à verbis Euangeliſtæ diſcedere. Sed hoc planè ridiculum eſt, q hunc quem ſomnias Hebraiſmum putas iſto Ioſephi exẽplo confirmari, Ἀντώνιος ἐκπέμψας ὁπλίτας, πολλοὺς μὲν ἀπέκτεινε, πολλοὺς δὲ ἔτρωσεν. Obſecro enim, quæ hîc eſt Hebraiſmi ſpecies, imò quid non omnibus linguis vſitatum? quid denique huic Matthęi locò ſimile? Nam ſi qua hîc erat Hebraiſmi ſpecies, in eo erat, q verbum πέμπειν abſolutè ponitur: quam tamen eclipſin oſtendi ex Herodoto, Græcis ſcriptoribus ſatis eſſe familiarem.

AD DEFENSIONEM VI, IN MATTH. 3. V. 6, *ſuper verbo Baptizo.*

Hoc loco præfatus me ab inani λογομαχίᾳ toto pectore abhorrere, audaciam tuam acriter, ſicut debui, reprehendi, q *baptizandi, baptiſmi, Angelorum, Mediatoris*, & ſiqua ſunt eiuſmodi vocabula ſolennia & omnibus perſpicua, expunxeris, vt prophana quædam & in ijs etiam nonnulla pleriſque ignota ſubſtitueres. Et meæ reprehenſionis cauſas attuli, quoniã videlicet hæc mutatio, præterquam q nec vtilis eſt nec neceſſaria, non poterat non offendere multorum animos. Iniquum etiam eſſet Theologis nõ licere quod aliis artium magiſtris, vt quæ longo vſu & optima fide poſſederunt, tanquã ſua retineant. Poſtremò, timendum & illud eſt, ne vocabulis amiſſis, tãdem ipſarum etiam rerum poſſeſſione depelleremur. Nunc ſingula audiamus quæ tu reſpondes.

Dicis nihil aliud eſſe hanc quæſtionem quàm pugnam verborum. Atqui non omnis quæſtio de verbis, eſt λογομαχία, quũ ſit quædam etiam κενοφωνία, quam Paulus (1. Tim. 3. 20.) diſertè reprehendit: qua de re multa præclarè Auguſtinus libro de doctrina Chriſtiana ſecundo. Etſi enim Chriſtiana religio ſita non eſt in literis & ſyllabis, tamẽ nemo non videt quantopere ad rerum cognitionem interſit quid quibus verbis dicatur: adeò quidem vt multæ grauiſſimis de rebus controuerſiæ ſæpe vnius vocabuli explicatione dirimãtur. Quod ſi tu nec vides nec ſentis, planè te ferreum atque adeò chalybeum eſſe oportet. Quid fiet igitur ſi temerè non tantùm verba, ſed etiam loquendi formulas, atque adeò ſenſus quoſdam integros noſtro arbitratu innouemus?

Nũquam (inquis) *negaui Theologis fas eſſe cõceſsis verbis vti, quinimò ipſemet Theologorum verbis ſæpe vtor.* Atenim rogo, ſi ita ſentis, cur contrariũ facis? aut ſaltẽ nobis oſtẽde cur alia retinueris, alia prorſus expunxeris. *Quid refert*, inquis, *quo verbo res dicatur, dũmodo ſit eadẽ?* Plurimum certè refert, quum noua ab omnibus non intelligantur, & ſæpe vel ambigua vel diuerſa ſint quæ pro certis & ijſdem obtruduntur. Denique quid pluribus opus eſt? Quum de re conſtat, & vocabula longiſſimo vſu trita ſunt omnibus, vnde tandem hoc nouandi ſtudium, niſi ex ſtulto & ambitioſo ingenio?

Atenim Latinæ linguæ ſtudioſi (inquis) *parũ Latinis magis offendũtur: & peregrinis verbis imperiti facilius decipiuntur.* Atqui nõ erat iſtorũ diſertulorum moroſitati couſq; indulgendũ, vt propterea tot hominum millia offenderes, atque adeò ſacras literas tã fœdè profanares. Imò ne hoc quidem perpetuò verum eſt quod ſcribis. Quem enim, obſecro, commonſtrabis qui baptizandi vel baptiſmi, vel Angelorum, vel Eccleſiæ nomine offendatur? Quis verò ſani iudicij homo nõ cohorruit quum beatos illos Angelos audiret in *Genios* eſſe trãsformatos? Eſt enim hoc vocabulũ nõ modò multiplicis & incertæ apud ipſos veteres idololatras ſignificationis, ſed prorſus etiã profanum atque adeò ex media vſque fœdiſſimæ ſuperſtitionis cloaca repetitũ. Et te quidem ſatis oſtendis hoc vidiſſe vel inuitum, quũ ab iis deflectens quæ ſciebas à te defendi nõ poſſe, tranſires ad aliud vocabulũ in quo tui ſcilicet iudicij acumẽ proderes. *Nã*, inquis, *ſi Gallicè dicas, Chriſtũ ſublatũ fuiſſe en vn gibet, aut Germanicè, an galgen, aut ſi dicas, Siquis vult me ſequi tollat ſes fourches, aut ſeinen galgen, nõ ferent imperiti: at ſi Latina voce Croix aut krutz vtare,*

*admittent.Cur?niſi quia peregrina voce falluntur,putántq́; vocabula fourches & galg turpiora eſſe quàm crucis?*Hæc tua ſunt μυςήρια. Nũc audi,ſi liber,quid reſpõdeam. σταυρὸν Græcis & Crucem Latinis quum arbitraris idẽ eſſe atque Latinis patibulum, inſcitiã tuam prodis:quod mihi fortaſſe condonaretur,cui ſatis eſt ita loqui theologicè vt à quibuſuis intelligar:tibi verò non item,cui noſtra barbaries ſordet. Dico igitur,ſi patibulum generali ſignificatione accipis pro eo quod Gallicè vocamus *vn gibet*,te,quũ exiſtimas Crucem quam vocant ſacræ literæ,eandem eſſe atque patibulũ,non minus ineptire, quàm ſi diceres Animal & Hominem idem declarare. Sin verò anguſtiore ſignificatione patibulum accipis,dico rurſum te in eo decipi,quoniam aliud fuiſſe patibula,aliud cruces, illud Taciti exẽplũ cõuincit,quod vel ex ipſis dictionarijs depromere potueras. *Cædes,* inquit Tacitus,*patibula,ignes,cruces feſtinabant*. Fuit enim Crux certa quædã machinæ forma quæ literam T,repræſentabat,vt pingit Lucianus in Dialogo cui nomen eſt δίκη φωνηέντων. Fuitque Iudæis hoc ſupplicij genus,atque adeò vrbi Romanæ ante Imperatorũ tempora publicè ignotum, (niſi fortè in canis illius Capitolini pompa) quãuis paſſim in prouincijs vſurparetur. A Latinis autem cœpiſſe hunc morem vt quum alioqui generali nomine Crux vocaretur quicquid nos excruciat,propriè poſtea de illo ſupplicij genere diceretur, non tantùm declarat ipſa verbi notatio,ſed illud quoque, quòd non temerè alibi tam in Euangelio quàm Apoſtolicis ſcriptis σταυρὸν Græcè pro omni,quam vocant,afflictione poſitum inuenias. Itaque veriſimile eſt hoc dicẽdi genus vel circiter Chriſti ætatem,ſicut alia multa Romana,in Iudæam tranſijſſe: vel potiùs (quod mihi fit veriſimile,quoniam σταυρὸν in ea ſignificatione nuſquã niſi apud ſacros ſcriptores inuenio) hoc nomen iam tum à Chriſto fuiſſe vſurpatum,& ſignificandis ſanctorum ærumnis conſecratum,vt mutuam illam capitis & membrorum συμμόρφωσιν declararet: quò etiam referenda eſt illa carnis & veteris hominis,& mundi crucifixio,toties apud Paulum repetita. Sed ad illa omnia hoc etiam addo, ex quo noſtræ redemptionis pretium in cruce pepẽdit,illud ipſum CRVCIS vocabulũ antea ignominioſiſſimũ, nobis Chriſtianis factum eſſe honorificentiſsimum:adeò quidem vt quanuis nefandam illam σταυρολατρείας toto pectore deteſter (quam etiam eo tempore quo tu domi in hypocauſto ſedens iſta in me excudebas,ego cũ ſummo vitæ periculo palàm inter ſæuiſſimos veritatis hoſtes,in regum & principum conſpectu, Dei gratia fretus, oppugnabam) tamen nefarium eſſe exiſtimẽ,vel crucis ſupplicium hodie in vſum reuocare,vel (quod ipſe facis)cum turpibus & fœdis illis nominibus,& impropriè & profanè loquendo cõfundere. Sed de cruce hactenus.

Dicis poſtea me non ſemel facere quod in te reprehendam : quod crimen quomodo probes,agè diſpiciamus. Pro Mediatore internuncium dixi,Galat.3.v.10. Fateor:ſed cur rationem non addis quam in annotatione expreſſi:nempe id feciſſe me non vt aliquid, tuo more,innouarem,ſed vt Moſen à Chriſto diſtinguerem? *Atenim*, inquis, *idem eſt in Græcis vocabulum*. Fateor,ſed obtinuit Eccleſiæ Chriſtianæ conſuetudo,vt qui abſolutè loquitur de Mediatore,de Chriſto loqui intelligatur. Quid vetat igitur, receptũ morẽ ſequendo,perſpicuitati ſtudere? Sed tamen in ſecunda editione, quæ nunc eſt ſub prælo,Mediatorem eo ipſo loco repoſui,ne præiudicium afferam grauiſsimorum ſcriptorũ ſententiæ,qui de Chriſto malunt illud Pauli dictum interpretari.

Adijcis me Matth.3.9 dixiſſe ἐν ὑμῖν potiùs cõuertendum eſſe *apud vos*,vel *inter vos* quàm *intra vos*,quod non modò nõ eſt Latinum,ſed etiam obſcurum. Et poſtea, *En*, inquis, *Latinitatẽ in alijs deſiderat,quã in meo ſequeſtre repudiat*. Argutè profectò,vt cætera omnia. Si Latinitatẽ vocas illam audaciam quiduis nouandi ſine vlla neceſſitate,imò etiam cum magno Eccleſiæ detrimento,fateor me iſtius Latinitatis capitalem inimicũ eſſe. Sin verò Latinæ linguæ puritatem ſic vocas,quatenus quidem ei cum ſacris rebus & Eccleſiæ conſuetudine conuenit, profiteor vnum eſſe me ex ijs qui quod ipſi aſſequi non poſſunt,in alijs laudant & admirantur. Sed quorſum tandem iſtud profers? Neque enim vllum hîc erat offendiculi periculum,ſed indicanda potiùs erat Marci ſententia, quam neſcio an ij perceperint quos ibi meritò reprehendo. Neque ego verò dicere volui *intra vos* Latinè dici nunquã poſſe,quod nimium eſſet abſurdum,ſed pro eo quod ibi ſignificare voluit Marcus,nẽpe pro *apud vos* vel *inter vos*. Nõ erat igitur cur mihi obijceres,meipſum poſtea ſic locutũ eſſe in annotatione quadã Rom.7 6. Neque.n. hîc quæritur quõo ſim locutus in annot. ſed de ipſius cõtextus interpretatione. Itaq; extra oleas vagaris. Et tamẽ quod ibi annotaui,optima ratione feci. Dixi enim Apoſtolũ potius eo

loco

loco dixiſſe ἐν ᾧ quàm ὑφ᾽ ᾧ κατεχόμεθα, vt declararet, vim illam peccatricẽ de qua ibi diſſeritur, intra nos, atque adeò in ipſis viſceribus inſidere. Itaque quum iſta mihi obiicis, facis vt me tui commiſeratio capiat potiùs quàm vt tibi iraſci poſſim.

Sed illud ſanè mihi riſum mouit quod te adſcribere non puduit. Dixeram eos reprehendendos qui pueros exiſtimant non ritè eſſe baptizatos niſi prorſus immergerẽtur. Ad hanc vocem exclamas imperitos à me decipi diuerſarum linguarum confuſione. Perinde enim id eſſe acſi dixiſſem, *non putãt ritè immerſos, niſi prorſus immergantur*, quũ baptizari nihil aliud ſit quàm immergi, vt ego ipſe interpretor. Atqui etiãſi ſcripſiſſem τὸ βαπτίζειν non aliud eſſe quàm immergere, quod tamen nuſquam ſcripſi: tamen non eſſet ineptum quod dico, quia immergi, & prorſus immergi, aliquatenus differunt. Abſit enim vt quanuis non fuerim prorſus immerſus, tamen non ritè fuerim baptizatus. Quod autem ad rem ipſam attinet, non dixi generaliter, ſed eo Marci loco βαπτισμὸν de toto corpore intelligi, quoniam ibi à manuum lotione diſtinguitur. Tu verò nunquã oſtendes τὸ βαπτίζειν ſignificare τὸ λούειν, niſi à conſequẽti, vt loquuntur. Itaque ſi quid hic eſſet nouandum, vterer potius Tingendi verbo, quoniam βαπτίζειν à βάπτειν deducitur, & propriè declarat, tingendi cauſa immergere. Ita que quid eſt συκοφαντεῖν ſi nõ eſt hoc facere quod facis?

Obijcis præterea me eo ipſo Marci loco *baptizare & baptiſmum, lauare & lotionem* interpretari, ac proinde immeritò tibi denegare quod ipſe faciam, etiamſi de ſolenni illa ablutione illic non agatur. Marcum enim & veterem quoque interpretem ibi eodẽ verbo vſos eſſe, quod etiam in veteri Teſtamento aliquoties tum in Græco tum in Latino ponitur. Ego fateor me ita locum illum Marci conuertiſſe vt tu ſcribis, ſed nego me facere quod tu facis. Neque enim baptizandi & baptiſmi vocabula idcirco retinui quoniam ijs vſi ſunt Euangeliſtæ: (nam alioqui Græcè nobis perpetuò loquendum eſſet) ſed idcirco potiùs quòd Latina Eccleſia illis vocabulis peregrinis vti maluerit quàm ſua vſurpare, idque in hac ſacra cæremonia duntaxat, in alijs autem ablutionibus non item. Cur igitur ſacrum illud vocabulum vel tuo more vbique mutarem, vel in re diuerſa cõtra Eccleſiæ conſuetudinem vſurparem, qui à conſuetudine Eccleſiæ, ſine maxima cauſa, ne tantillum quidem diſcedere volui? Quod autem de vetere Teſtamento dicis, falſum eſt, niſi eo nomine, vt lectoribus fucum facias, Apocryphos libros, Iudith & Eccleſiaſticum intelligis: quod etiam ipſum contra Eccleſiæ morem facis.

Sed alicubi rempublicã Iſraelis dixi. Quidni verò? ſic enim conuertere oportuit, τὴν πολιτείαν τοῦ Ἰσραήλ. Itaque cum Paulo ipſo contendas, ſi libet. Nec tamen hinc probabis pro *dicere Eccleſiæ*, te rectè interpretatũ fuiſſe, *dicere reipublicæ*. Nec illud etiã excuſare vnquam poteris, quòd *ſynagogam* Latinè *collegium*, Gallicè *colleges* ſis interpretatus. Putaſti nimirum collegia à colligendo dici, ſicut ſynagoga παρὰ τὸ συνάγειν deducitur: quã inſcitiam magiſtri in ludo flagris etiam caſtigarent. Gallicum autem vocabulum *colleges*, nihil aliud prorſus quàm ludos literarios, & eos quidem priuatos, vel canonicorum cœtũ declarat. Et quod ad μεσίτην attinet, quum eo nomine non tantùm Chriſti officium, ſed etiam vtraque natura ſignificetur, (ſicut diſertè obſeruat inter veteres Auguſtinus) nemo non videt illum ſequeſtrem, quanuis alicubi à Tertulliano ferreo ſcriptore vſurpatum, nullo modo Græcum illud declarare.

Sed hoc magis te offendit quòd te ſcripſerim veritũ eſſe ne illoto ſermone vtereris, ſi Baptiſmum dixiſſes. Hóccine verò negas? &, ſi negas, quum Latinitatis cauſa te id feciſſe confitetis, ánnon teipſum redarguis? Sed hoc arbitraris de tuo potiùs animo me dixiſſe, quaſi Baptiſmum non multò pluris facias quàm cæteras ablutiones, quòd eum cõmuni nomine appelles. Ego verò ſimpliciter & verè dicam quod ſentio, me nolle quidẽ (ſicut aiunt nonnullos iampridem feciſſe) Catabaptiſmum tibi obijcere: nec etiam impiam illam Bellij præfationem (quam aiunt abs te eſſe eiuratam) tibi exprobrare, in qua tamen quæſtio de pœdobaptiſmo manifeſtè irridetur: ſed non poſſe tamen arbitrari, ſi tantum ſacroſancto Baptiſmo tribueres quantum tribuendum eſt, tam temerè fuiſſe baptizandi & baptiſmi vocabula ex noui Teſtamenti tabulis, his præſertim temporibus, deleturum. Itaque factum tuum laudo quòd illa repoſueris, & genios illos tuos eieceris: (præſtat enim ſerò ſapere quàm nunquam) ſed quod ais re hoc tribuiſſe duntaxat quorundam offenſioni, & tuam iſtam audaciam pergis excuſare, id verò non laudo. Præſtaret enim te, vt id reipſa præſtares quod polliceris, errorẽ hic quoque agnoſcere, & ab Eccleſia deprecari.

Poſtremò, vt ne id quidem prætermittam quod vltimo loco mihi obijcis, me quoq; in meo libro De occidẽdis hæreticis Eccleſiæ Chriſtianæ reſpub. ſiue cœtus vocare, rogo te, lector, etiam atque etiam vt conſideres quouſque implacabile iſtud in hanc Eccleſiam odium hominem iſtum abducat. Nullum enim librum De occidendis hæreticis ſcripſi, ſed, De hæreticis à ciuili magiſtratu puniendis: nec quoſuis hæreticos occidẽdos vnquam cẽſuit hæc Eccleſia, quam ego aduerſum iſtum & ipſius ſectarores in eo libello defendi. Itaq; quoties iſte illũ librum De occidendis hęreticis profert, toties in manifeſto mendacio deprehenditur. Res autẽ ita ſe habet, Quum Seruetus, monſtrum ex meris execrandis blaſphemijs conflatum, in hac ciuitate, mitioribus omnibus remedijs fruſtra tentatis, pœna affectus eſſet, nec quibuſdam ſatisfacere videretur Ioannis Caluini liber de toto illo negotio piè, doctè, & accuratè ſcriptus: ego quoque iſtorũ clamoribus excitatus, idem argumentum alio libello tractaui, aduerſus blaſphemiarũ plauſtra, quæ iſte falſo nomine, Martini Bellij farraginem vocabat. In eo igitur libro ex Dei verbo, & ſecundum præcipuarum tum Heluetiæ tum etiam Germaniæ Eccleſiarum iudiciũ (quę libris quoque editis præclarum huius ciuitatis factum laudant) probaui ciuilem Magiſtratum primæ quoque Tabulæ cuſtodem & vindicem eſſe oportere. Quoniam autem alicubi ciuilia cum Eccleſiaſticis comparans, dixi vnicam eſſe in orbe terrarum Eccleſiam, tanquam Chriſtianam quandam ciuitatem, quæ ex diuerſis ciuium ſocietatibus conſtet, quas poſtea voco reipublicæ Chriſtianæ ſiue Eccleſiæ (vtrunque enim nomen appoſui) ſocietates: idcirco iſte me in eiuſdem criminis ſocietatem vocat, quaſi & ego, dum ſic loquor, Eccleſiam cum republica confuderim, & ipſius more res ſacras profanarim. Sed iſtud tam eſt ineptum vt ne defenſione quidem indigeat. Neque ſanè hæc ſcripſiſſem, niſi ſemel aperire voluiſſem quibus de cauſis homo iſte modeſtus tantopere in nos excanduerit. Quòd autem dixi me non dubitare quin iſti etiam Trinitatis nomẽ tandem expungant, vtinam falſò dixerim. Et quod optaui, rurſus nunc opto, vel vt iſtorũ audacia authoritate Ciuili aut Eccleſiaſtica breui coerceatur: vel hoc ſaltem nobis tribuat Dominus, vt intra verba conſiſtat.

AD DEFENSIONEM VII, IN ILLVD MATTH, 4. V. 23, τὸ εὐαγγέλιον τῆς βασιλείας, *Euangelium regium.*

Ego ad verbum ſum interpretatus, *Euangeliũ regni*, & illud *Euangelium regiũ* vt obſcurum & parũ appoſitum notaui. Neque enim Euangeliſta dixit *τοῦ βασιλέως*, ſed *τῆς βασιλείας*, & regium ꝓpriè non dicitur quòd ad regnum, ſed quod ad regem ſpectat. Nec quenquam eſſe puto ſani iudicij hominem, qui nuncium regium audiẽs, aliud quàm nuncium à rege vel ad regem miſſum intelligat. Satis autem liquet Euãgeliſtam nihil aliud dicere voluiſſe quàm huius doctrinæ prædicatione homines ad regnum illud Dei vocari: ſicut ipſe Marcus optimus Matthæi interpres expoſuit, Marci 1. verſ. 14. Quid tu verò? *Ergo*, inquis, *tua quoque tranſlatio eſt obſcura, qui verteris, Euangeliũ regni. de quo enim regno dicas ex tranſlatione non apparet.* Argutè dictum profectò. Litiges igitur cum Euangeliſta, cuius verba fideliter ſum interpretatus. Sed regium Euangelium nuſquam certè niſi apud Caſtellionem inuenias, quum paſſim cuiuſmodi ſit hoc regnũ explicetur.

Obijcis præterea ꝙ in eodem (vt ipſe putas) dicendi genere, regnum cælorum ſim interpretatus regnum cæleſte. At ego ne hoc quidem ſum auſus facere in ipſo contextu. Quòd ſi veram (vt arbitror) explicationem annotaui, an tibi propterea licebit regnum in regem transformare?

Addis poſtremò Hebraiſmum eſſe, *qualem*, inquis, *habent Galli quum ligneam menſam dicunt menſam ligni, vne table de bois.* Itaque ſi tibi credimus, cælum erit regni cælorum materia, & quum regnum Galliæ dicimus, Hebraiſmus etiam erit.

AD DEFENSIONEM VIII, IN MATTH. 4, V. 24, δαιμονιζομένους, *Furioſos.*

Hanc interpretationem meritò reprehendi, non modò quia nimium eſt generale *Furioſi* nomen, ſed etiam quia videri poſſet eorum errorem confirmare qui dæmonium nihil aliud eſſe putant quàm *φρενῖτιν*, aut *μανίαν*, naturalem videlicet morbum,

bum,qui à medicis curatur. Tu verò, quum hunc etiam errorem debetes emendare, reſpondes,furioſos propriè dici à furiis illis poeticis,quas Latini olim putarunt reddere homines furioſos,quales à dæmonijs reddi tradunt Sacræ literæ. *Quòd ſiquãdo*(inquis) *furioſus alia notione dicatur,id fit figuratè , nec debet propter figuratum verbum repudiari proprium.* At ego dico contra quàm tu opinaris, furioſos propriè non à furijs illis quas Græci Erinnyas & Eumenidas vocarunt,ſed à verbo *furere*,aut *furoris* ſiue *furiæ* nomine dici,qui ad omnia mentis cæcitate laborant,vt Cicero declarat. Neque enim veteres ita ſtulti fuerunt vt arbitrati ſint illam mentis cæcitatem ſemper à furijs illis oriri, ſed furorem,à quo furioſi vocantur homines,naturalem eſſe morbum in primis cognouerũt, cui etiam remedia potiùs quàm expiationes adhibuerunt. Imò ipſum quoque furoris nomen pro externo quodam eóque diuino afflatu ſæpe apud illos in laude ponitur: de quo ſic ſcribit idem Cicero: *Eſt*(inquit ille)*præſagitio quædam extrinſecus iniecta,& incluſa diuinitus. Ea ſi exarſit acrius,furor appellatur,quum à corpore animus abſtractus, diuinitus concitatur.* Sed iſtos furores extrinſecus iniectos non potuerunt profani homines diſtinguere. Alij autem ſunt diuini,& à Spiritu ſancto veros Prophetas impellente,vt declaratur 1. Petri 2.v.21: alij verò diabolici:iique rurſus duplices, nempe vel ex occulto afflatu,vel corpore ab ipſis impuris ſpiritibus obſeſſo: quorum exempla paſſim in varijs pſeudoprophetis demonſtrant Sacræ literæ,partim etiam teſtantur veterum oraculorum hiſtoriæ. Et hi quidem poſtremi ſunt quos Euangeliſtæ vocant δαιμονιζομένους. Quæ quum ita ſint,ſatis(vt arbitror)apparet nõ immeritò fuiſſe te à me reprehenſum. Nam ſi tuas illas furias vrgeas,quid tandem obtinebis,niſi propriè dici furioſos qui conſcientiæ terroribus ad inſaniã adiguntur? Veteres enim illos Latinos poetas(quos tu pro authoribus citas,quum tamen ipſi à Græcis hoc figmentum acceperint,vt & ipſa earum nomina declarant)nihil aliud per furias intellexiſſe quàm conſcientiæ terrores,cui tandẽ Latino homini potiùs quàm Ciceroni credemus? Vtinam igitur ita deinceps te geras,vt non ſis ipſe ex tua definitione propriè furioſus. Nos autem iuſta Dei iudicia reuereri & illum precari diſcamus vt Satanæ rabiem compeſcat, potiùs quàm tempus in minutis iſtis conſectandis cõſumamus. Sed tamen, quando me cogis, hoc quoque expendamus: Quum dico periculoſum eſſe pro dæmoniacis furioſos interpretari, propter eos quibus dæmonium nihil aliud eſt quàm μανία,dicis te à me per imprudentiam excuſari. *Nã ſi ita eſt*,inquis,*non minus eſt periculum in dæmonij quàm in furiæ vocabulo.* Quaſi verò qui furioſum pro dæmoniaco nuſquam in re ſimili vſurpatum ſupponit,non confirmet eorum errorem qui quamuis dæmonium pro furore accipiant,tamẽ vel ipſo dæmonij nomine ſatis refelluntur.

Supereſt arcanum quoddam diabolicum cuius tu me admones, nempe *diabolũ à dæmonijs ſic differre*(hæc enim tua verba ſunt)*ſicut Deum ab Angelis. Itaque ſemper in ſingulari numero dicitur diabolus,dæmonia nõ itẽ. Et dæmoniorum princeps dicitur Beelzebub; ſicut Angelorum princeps dicitur Michael.* Ego verò didici quidẽ diabolo ſubijci angelos ipſius,& in illo tenebrarum regno lego etiam principatus & poteſtates: ſed in iſtiuſmodi præſertim rebus placuit ſemper mihi ſobrietas. Itaque dæmonum ſiue dæmoniorum nomen vniuerſale eſſe exiſtimo in Sacris literis,vtpote quod omnibus illis impuris ſpiritibus tribuatur:& dictũ illud Petri, diabolum tanquã leonem rugientem circuire,ego collectiuè de ipſo principe & omnibus eius angelis accipio. Michaelẽ verò nuſquã obſeruaui principem Angelorum,ſed vnum ex Angelorum principibus vocari.

Subijcis tandem pro auctario,tibi fieri veriſimile,Gallis,qui alioqui diaboli & diabolorum nomina confundant,nomen aliud fuiſſe. Vnde verò id conijcis? *Quoniam*,inquis, *Sabaudi aliquibus in locis ſiue dæmonium,ſiue diabolum,putà foura,deducto à furia vocabulo appellant,quaſi tu fœdã furiã dicas.* Nempe quia probabile eſt (quod fortaſſis ex auia tua didiciſti)veterem Gallicum ſermonem penes Sabaudos manſiſſe. At ego totam iſtã diabolicam ſpeculationem tibi libens relinquo.

AD DEFENSIONEM IX. IN MATTH. 8. V. 12,
οἱ ἢ υἱοὶ τῆς βασιλείας, *Regij.*

QVos tu *Regios* vocas,ego *filios regni* ſum interpretatus,id eſt,quibus regnũ hæreditatio quodam iure deſtinatum videbatur. Dico autẽ quum Regios interpretateris,bis te peccaſſe. Primùm,quia filiorũ nomẽ expunxiſti, cuius tamen vocabuli certũ

eſt maximam eſſe emphaſin, quia non eſt dubium quin ad pattem illum Abrahamum & gratuitam in Chriſto adoptionem reſpiciāt iſta Chriſti verba (quem grauiſſimum tuū errorem imprudens, vt alios multos, prætetieram, quum primas annotationes meas ſcriberē.) Deinde, quoniam Euangeliſta non ſcripſit τοῦ βασιλέως, ſed τῆς βασιλείας: quāuis in hoc argumento non alij ſint regni participes quàm regis filij, tamen proprietas locutionis non fuit negligenda. Nam ſic ſumus filij Dei & cohæredes Chriſti, vt tamen Chriſtus vnus propriè ſit filius & hæres, & nobis propriè, vt dominus ſubiectis, imperet, quanuis pro ſua benignitate ſit primogenitus inter multos fratres. Deinde (ſi loquendi formā conſideres) aliud eſt regni filium eſſe, id eſt regno deſtinatum, quàm regis filium: quoniam multa ſunt regna quæ ipſo iure non tranſeunt ad hæredes, & vbi hæreditaria ſunt regna, tamen non ſemper ſolent inter omnes regios liberos diuidi. Meritò igitur retinui Euangeliſtæ verba, & annotaui quod planius nunc explico, filios ex Hebræorum idiotiſmo dici quicunque ſunt alicui rei deſtinati: ſiue teuera, vt quum Iudas dicitur filius perditionis, id eſt exitio deſtinatus: ſiue ſpecie tenus, veluti ſi filiū mortis dixerim hominem qui ſit mortem commeritus, qui tamen poſtea vel principis voluntate, vel aliquo caſu morti eripiatur, vt 1. Sam. *26.16*. Sicut è contrario filij regni vocantur omnes Abrahami filij ſecundum carnem, habita generalis fœderis ratione: quum tamen reipſa non omnes ſint filij regni, ſed ij demū qui ſunt filij ꝓmiſſionis, vt explicat Paulus Rom. 9.8. Et hæc quidem de mea interpretatione hactenus. Tu verò primùm omnium, quaſi præclaram triumphi materiam nactus, me in eo multis verbis reprehēdis, ꝙ in mea annotatione filios thalami interpreter eos qui ad nuptias ſunt inuitati, quum potiùs dicere debuerim, eos qui nuptias celebrant. Quaſi verò non liqueat quum ſic loquor, inuitatos opponi τοῖς ἀκλήτοις, quoniam videlicet vocantur ſponſi amici & familiares: quaſi denique res ipſa non clamet, non alios à me dici inuitatos quàm qui ſponſi rogatu nuptijs interſint, atque adeò in ipſo ſponſi thalamo verſentur. Quorſum enim alioqui illa ſimilitudinis verba, QVANDIV CVM EIS EST SPONSVS?

Sed quod ſubijcis, videtur magis appoſitè dici. Putas enim me, quia dixi filios regni vocari quibus regnum eſt deſtinatum, & poſtea Petri verbis eos vocaui regnum ſacerdotale, contraria ſcripſiſſe, quoniam hoc ſit eſſe in regno, vnde etiam eijci non poſſunt, niſi qui intus ſunt. Poſtea ſic ratiocinaris, Si ſunt regnum ſacerdotale, fuiſſe antea ad id regnum deſtinatos, & inde tamen eijci: ac proinde me debuiſſe regni filios interpretari, non qui videantur & non ſint regno deſtinati, ſed qui iam ſint in ipſo regno, cui fuerāt deſtinati. Ego verò non miror ſic loqui de his rebus hominem qui æternum Dei conſilium ſiue deſtinationem faciat variam ac mutabilem, ſiue qui eam à conditione ſuſpendat, cuius exitus ſit in hominis arbitrio. Is enim certè exiſtimet neceſſe eſt Deū vel falli poſſe, vel in ancipitem euentum futura decernere: quod nihil aliud eſt quàm Dei prouidentiam verbo affirmare, reipſa verò tollere. Ergo vt ad rem veniā, cuiuſmodi, quæſo, regnum illud eſt de quo nunc quærimus? æternum videlicet, idque nō modò ſui ipſius, ſed noſtri etiam reſpectu, quoniam nimirum ſicut nullus eſt eius finis, ita etiam qui ſunt ei deſtinati, ac proinde ſuo tempore glorificantur, nunquam eo poſſunt excidere, Rom. 8.v.30. Sed ceceptio in Eccleſiam, iter eſt ad illud æternum Dei regnum: qui verò in Eccleſia cenſentur duplici ſunt conditione. Nam alij etiamſi in ea ſunt nati, & in ipſius ſinu verſantur, tamen reipſa ex Eccleſia non ſunt: idque ſua culpa, ideóque tādem in locū ſuūm abeunt: ſicut disertè ſcribitur 1. Ioann. 2.19. & hi ſunt quos Chiiſtus inquit ex hoc regno eſſe eijciendos. Alij verò ſunt in Eccleſia, ac proinde nunquam eijciuntur foras, Ioann. *6*.v. 37. Sed de hoc plus ſatis, quum totum hoc argumentum ſit à nobis alibi aduerſus iſtiuſmodi calumnias abundè explicatum.

Cæterùm ꝙ etiam addis *filios regni* non minus rectè dici quàm *regnum ſacerdotale*, pro regno ſacerdotij, quòd hoc non poſſit aliter Hebræo ſermone dici, in eo etiā peccas. Nam ſi ſuſtinuiſſes ipſum ſaltem Moſen inſpicere, comperiſſes non eſſe ſcriptum ממלכת כהונה, ſed ממלכת כהנים, hoc eſt, regnum ſacerdotum: quæ verba Petrus venuſtè inuertens, vocat filios Dei βασίλειον ἱεράτευμα, vt ſi dicas, collegium ex regibus ſacerdotibus conſtans. Itaque ne hoc quidem te iuuat.

Poſtremò, vt planè ſycophantam ageres, quod ego dixi in genere de illa loquēdi formula, *Filij regij*, non omnes videlicet filios alicuius regis ſuccedere in regnum, tu ad hoc Dei regnum transfers, quaſi aliquos Dei filios à cæli hæreditate excludam: quod tātum abeſt vt mihi in mētem venerit, vt è contrario paulò antè contra te defenderim, & mox

iterum

iterum pluribus ſim defenſurus, Dei verbum, ſiue conſilium, ſiue deſtinationem, excidere non poſſe.

AD DEFENSIONEM X, IN MATTH. 11. V. 19,
Ἐδικαιώθη ἡ σοφία ἀπὸ τῶν τέκνων αὐτῆς, *Eſtq́ue ſuis aliena ſapientia.*

EGo ad verbum interpretor, Iuſtificata eſt ſapientia à filiis ſuis. Tu verò vt tuam peruerſionē tuearis, ad tuas annotationes nos relegas. Inſpiciat igitur cui otium erit, & iudicet.

AD DEFENSIONEM XI, IN MATT. 12. V. 32,
Οὔτε ἐν τῷ μέλλοντι, *Neque in futuro.*

HIc rurſum falſò mihi tribuis librum De occidendis hæreticis, qui nuſquam eſt. Sed in libro De hæreticis à ciuili Magiſtratu puniendis (pro quibus tu vt pro aris & focis pugnas) fateor me tibi obieciſſe quod habes in tuis annotationibus, te videlicet quid ſit futurum ſeculum ignorare. Ad hoc verò ſic tu nunc reſpondes vt dicas vnam voculam ID callidè à me eſſe detractam, quum ſcripſeris te quid ſit id futurũ ſeculum ignorare, de quo videlicet diſſeruit Chriſtus, quum diceret, peccatum nec præſenti nec futuro ſeculo remitti. Ego verò nec callidè, nec ſophiſticè, ſed verè ac ſincerè ſum loquutus. Quòd ſi tu intelligebas quod nunc prætexis, debuiſti profectò planè ac perſpicuè dicere te quid eo loco ſeculum futurum vocetur ignorare, potius quàm nimiùm obſcurè & ambiguè, te quid ſit id futurum ſeculum neſcire. Deinde quod mihi obiicis me quoque quid ſit id futurum ſeculum in mea annotatione dubitare, falſum eſt, quum ibi apertè definiam id eſſe de futura vita intelligendum, ſed cuius initium dupliciter poſſit conſiderari.

AD DEFENSIONEM XII, IN MATTH. DE VERBO
προφητεύειν, *vaticinari.*

TV quidem pro *prophetare* dicere ſoles *vaticinari*, quam nouitatē dixi mihi diſplicere, & me vſurum potius fuiſſe *prædicēdi* verbo, ſiquid hic nouandũ iudicaſſem, vel ob hāc cauſam quòd *vaticinari* potius opponatur τῷ μαντεύεσθαι. Tu verò reſpōſas, Græcos veteris fœderis interpretes, quos ſequuti ſint Apoſtoli, non admodum propriè fuiſſe loquutos, quum Hebræam vocem NAVI (nō vt tu perperam legis & ſcribis, NABI) προφήτην potius quàm μάντιν interpretarētur. Et verbum *prædicere* repudias, quoniam de rebus tantùm futuris dicitur: Prophetæ verò etiam de futuris & præſentibus diuinitus loquuntur. Atqui *prædicere* Latinum non eſt ſanè durius quàm Græcũ προφητεύειν: & nemo neſcit in omnibus linguis hunc morem obtinuiſſe, vt quædam à digniore ſui parte, vel ab iis quæ vt plurimum fiunt, denominentur. Sic aurificem vocamus qui etiam argentũ & æs cudat. ſic argentarius dicebatur qui nō tantùm argenteos nummos, ſed etiam aureos & æneos aſſes numerabat. & Senatus vocatur in quo interdum omnes iuuenes ſedent. Prophetas autem rebus futuris prædicendis fuiſſe propriè & maxima ex parte intentos nullus eſt qui ignoret, ac proinde ab iſta propheticæ functionis parte ſic fuiſſe nuncupatos. Quòd autem dicere audes, Apoſtolos impropriè ſic fuiſſe loquutos, & profanè & falſò dictum eſt. Ecquis enim eſt Græcæ linguæ tam rudis qui ignoret προφητεύειν, προφητίζειν, προφήτης, προφῆτις, paſſim apud idoneos quoſuis ſcriptores Græcos ea ipſa notione inueniri? Itaque tantum ab eo abſum vt tecum audeam Apoſtolis τὸ ἄκυρον obiicere, vt contrà non dubitem quin de induſtria noluerint μάντεις, à furore ſic vocatos, appellare homines à Spiritu ſancto impulſos: & Latinos quoque propterea Græca illa vocabula ab Apoſtolis veluti conſecrata, ſuis illis profanis antepoſuiſſe. Sed agè, refutatis iſtis defenſionibus, ad ea tandem veniamus quæ in mea Euangelij ſecundum Matthæum interpretatione reprehendis.

AD REPREHENSIONEM I, IN MATTH. I, V. I,
γενέσεως, *Generationis.*

INITIO Matthæi dixi me retinuiſſe Generationis vocabulum, quòd optimè videatur Chriſti ἐνσάρκωσιν exprimere. *Hoc ego* (inquis) *videre nequeo.* Quid tũ verò? an quia meridie nihil vidēt cæci, idcirco nox eſt? *Hebræum*, inquis, *vocabulum* תולדות, *non à Carne, ſed à naſcendo deductum eſt, & Latinum*

Generationis vocabulum nihil habet cum ἐνσαρκώσει cõmercij, quia tam de omnibus animantibus quàm de ipſo Chriſto dicitur. Itaque clamitas me & in ipſo veſtibulo (ſicut principiò in *autoris* vocabulo oſtẽdiſti) & in limine (vt hîc apparet) impegiſſe. At ego adhuc ſto, Dei gratia, & ſicut iam oſtendi te bis in veſtibulo, quanuis tempeſtiuè admonitum, impegiſſe, ita nunc faxo vt in ipſo limine corruas. Dixi Generationis nomẽ optimè exprimere Chriſti ἐνσάρκωσιν, iſto loco videlicet vbi deſcribitur quomodo ex Dauide & Abrahamo fuerit generatus. Neq; enim vel nominari poteſt ipſa generatio, quin ſtatim veniat in mentem illud Iohannis dictum, *Et ſermo ille factus eſt Caro.* Itaque quum reſpondes, Hebræum illud & Græcum aliud nomen non à Carne, ſed à naſcendo deduci, quid aliud quàm meam ſententiam cõfirmas? Naſci enim ex hominibus non potuit niſi homo factus. Idem reſpondeo ad id quod dicis, Generationis nomén cæteris etiam animantibus tribui. Quid enim? an metuebas ne Chriſtum inter beſtias numerarem?

AD REPREHENSIONEM II, IBIDEM, V. 18, γὰρ, *enimuero.*

DICIS hoc ineptũ eſſe, & eruditi cuiuſuis aures pro iudicibus appellas. At ego ad Grammaticorum ferulam prouoco, à quibus diſcas Terentianum illud, *Enimuero Daue.* Et illud, *Nam quum is exceſsit ex ephebis.*

AD REPREHENSIONEM III, IN MATTH. 2. V. 12. χρηματισθέντες, *Diuinitus admoniti.*

SCRIPSI in annotatione, me refugere Oraculi vocabulum, velut idolorũ ſuperſtitione contaminatum. Quæris cur non etiam Dei, Templi, & Prophetæ nomina repudiarim. Reſpondeo me id facere Apoſtolorum exemplo, apud quos iſta lego: χρησμοὺς autem & χρησμῳδοὺς, & alia eiuſmodi nuſquam in eorum ſcriptis inuenio. Vſus ſum tamen Oraculi nomine, ἁμαρτήματι μνημονικῷ, pro λόγια, non tantùm Roman. 3. v. 2. (quod tu obſeruaſti) ſed vno præterea & altero loco: quod in altera editione correxi.

AD REPREHENSIONEM IIII. IBIDEM, V. 16, ἀπὸ διετοῦς καὶ κατωτέρω, *à bimulis & inferioribus.*

MALE' *hoc tranſtuliſti,* inquis. *Neque enim interfecit Herodes pueros qui eſſent infra inferiores bimulis, quippe qui nulli eſſent.* Sed, obſecro, vnde tandem cõmentus es iſtos infra inferiores bimulis? Nempe quia non ſcriptum eſt κάτω, ſed κατωτέρω: neque enim aliam rationẽ coniicere potui. Sed præterquàm quod annotauimus in quibuſdam codicibus ſcriptum eſſe κάτω, quis ignorat dici aliquo inferius quicquid infra illud eſt, etiam ſi nullum medium intercedat? vt in illo Ouidij de Phaëthõtis caſu. *Inferiúſque ſuis fraternos currere luna Admiratur equos.* Tu verò hanc ſententiã manifeſtiſſimè corrupiſti, quum interpretareris, *interfectos eſſe ab Herode pueros qui erant infra bimatũ:* perinde acſi bimulos ipſos nõ interfeciſſet Herodes, ac præterea etiam eos qui infra bimatum etãt. Sed tu fortaſſis bimulos intelligis qui ſecundum annum agebant. Oportuiſſet enim admodum exactos eſſe ſupputatores, qui præciſè occurrerent eo ipſo die quo puer aliquis biennium expleuiſſet. Sed quorſum hæc ſolertia? Conſtat enim de ſententia, nempe interfectos fuiſſe ab Herode non duntaxat qui infra (vt tu interpretaris,) ſed omnes qui intra bimatum erant, vt loquitur Macrobius libro Saturnaliorum 2. cap. 4. ita videlicet vt ipſos bimulos in eo numero comprehenſos intelligamus: quod tamen planius dixit noſter Euangeliſta, ſigillatim & hos & illos nominans. Et dubium non eſt crudeliſſimum tyrannum nõ ita præciſè dies numeraſſe, quin pro bimulis habuerit tum eos qui nõ procul aberant à bimatu, tum etiã qui aliquanto erant maiores: Euãgeliſtam autem idcirco addidiſſe καὶ κατωτέρω, vt indicaret tyrannum nulli infra bimatum ætati peperciſſe. Malebat enim proculdubio, inita Magorum ſupputatione, plures quàm par eſſet interfici, potius quàm, nonnullis parcendo, regnum ſuum (vt ipſe quidẽ arbitrabatur) in vltimũ diſcrimen adduci. At tu hîc quoque Hebraiſmos ſomnias vt tua ſomnia confirmes, quæ non poſſum melius quàm tuis ipſius verbis explicare. *Hebraiſmus eſt,* inquis, *quẽ in noſtris annotationibus explicauimus.* Sic autẽ habet tua annotatio, *Hebraiſmus eſt, qualis* 2. Reg. 20. v. 4. (ſic enim mauis duos illos priores libros, potius quàm ex Hebræorum

tum more, Samuelis libros vocare) *legitur, his verbis, Si puero dixero, ſagittæ ſunt à te & citra, cape eas & veni, &c. Et mox, Sin ita adoleſcenti dixero, Sagittæ ſunt à te, & vltra, &c. vbi* A TE ET CITRA *nihil aliud eſt quàm* CITRA A TE: & A TE ET VLTRA, *quàm* VLTRA TE. *Itē Leuit. 22. v. 27. Ab octauo die & vltra litabit. Id eſt, quum octauū diem exceſſerit.* Hæc tu, quæ vel ſola oſtendunt quod iudicium ad Sacras literas interpretandas attuleris. Hebraiſmus enim iſte neque Moſi neque cuiquā fortaſſis alij præter te vnū in mentem venit. Itaque ex tribus teſtimoniis Moſis quæ profers nullum eſt quod nō corruperis. Nam illud ET CITRA, pro quo ad verbum legimus, ET HVC, id eſt, ET HVC VERSVS: & illud, ET VLTRA, nō addūtur poſt A TE, vt nihil aliud ſignificetur quàm CITRA TE, vel VLTRA TE, ſed idcirco potius quòd puerum ſagittas colligentem oportebat incipere ab eo ſpatio in quo cōſiſtebat, & ab eo poſtea vel regredi vel progredi. Tertium denique locum perperam exponis, quaſi animalium fœtus offerri non potuerint niſi poſtquàm octauum diem exceſſiſſent, quum tamen & contextus ipſe oſtendat & Hebræorū interpretes teſtentur octauo ipſo die offerri potuiſſe. Ac ne diutius in iſtis immoremur, vnicum caput Leuit. 27, plurima huius dicendi generis exempla ſuppeditabit, vbi tu rurſus alium etiam locum huic ſimilem deprauaſti, verſ. 7.

AD REPREHENSIONEM V, IN MATTH. 5. V. 13.
ὑπὸ τῶν ἀνθρώπων, A quibuſuis.

HVNC etiam locum dicis non bene fuiſſe à me conuerſum, quoniam, AB HOMINIBVS, ſit illud Gallicum, *des gens,* quod ego quoque annotaui. Doceas ergo iſtum Gallicismum potuiſſe Latinè melius exprimi quàm fecerim. Quòd autem Matth. 23. v. 5, maluerim conuertere *ab hominibus* quàm *à quibuſuis*, cauſam iuſtiſſimam habui, quoniam hoc dicendi genus eo loco nihil aliud declarat quàm palàm, ſiue in hominum oculis. Hîc verò aliud ſpectauit Chriſtus. perinde enim eſt acſi diceret, fore vt iſti, à quibus oportuit omnes pendere, quibuſuis etiam viliſſimis hominibus, quos Græci *τοὺς τυχόντας*, quaſi paſſim obuios, vocant, ſint deſpicatiſſimi, vtpote omnium hominum deterrimi.

AD REPREHENSIONEM VI, IBIDEM,
verſ. 18. ἀμὴν, amen.

NON placet tibi quòd Hebræa quædā vocabula iſto loco & ſimilibus retinuerim: mihi verò magis diſplicet tua audacia.

AD REPREHENSIONEM VII, IBIDEM, VERS. 21.
ἔνοχος ἔσαι, tenebitur iudicio.

ANNOTAVI in hunc locum neque veterem interpretem neque Eraſmum mihi ſatisfacere: quorū ille, *reus erit iudicio*, iſte, *obnoxius erit iudicio*, interpretatur. Nam multi ſunt rei, & multi iudicio obnoxij, qui tamen iure damnari nec poſſunt nec debēt: hîc verò non videtur dari ſimpliciter actio aduerſus homicidam, ſed præcipi vt ad iudicem rapiatur, dāmnandus potius quàm audiendus. Tu verò in iſta explicatione id primùm reprehendis quòd futurum modi Indicandi ἔσαι verterim Imperandi modo ἔσω. Atqui, ne longius abeam, quum hoc eodem verſu dicitur *μὴ φονεύσεις*, Nō occīdes, perinde eſt acſi dictum eſſet *μὴ φόνευε*, & tu ipſe cōuertiſti, Ne occidito. Et ne cauſeris id factum propter particulam *μὴ*, nemo eſt tam rudis Hebrææ linguæ qui neſciat Hebræos ſæpius etiam futurum modi Indicandi quàm ipſum Imperandi modum vſurpare.

Deinde grauiter me increpas, quòd hæc verba Chriſto tribuerim: quod (inquis) perinde eſt acſi eidē illa quoque tribuerim, *Oculum pro oculo*, &, *Odio habebis inimicum tuū.* Sed tu potius dignus es ſummæ negligentiæ damnari, qui nō animaduerteris Chriſtum proximè ſequenti verſiculo hæc eadem in ſua (vt aiunt) perſona ſancire.

Poſtremò, *etiāſi eſſent*, inquis, *illa Chriſti verba*, (nos autē à Chriſto poſtea repeti & ſanciri oſtendimus) *nō tamen idcirco iuberet homicidā ad iudiciū trahi.* Ego verò fateor quod tu fortaſſis non vidiſti, Chriſtum de ciuilibus iudiciis leges non condere, ſed potius de cæleſti tribunali loquentem, accōmodare totum hunc ſermonem ad ciuilium iudiciorum morem, qui vel tunc, vel paulò antè in Iſraele obtinebat. Sed ſi legis ipſius verba expendamus, (ſicuti neceſſariò faciendum eſt) inficiari non potes, verbum ἐνέχεσθαι non

ad actionem,ſed ad pœnam,nō ad accuſatorem,ſed ad iudicis ſentētiam referri. Quòd ſi iſta non ſatisfaciunt, agè etiam expendamus Legis diuinæ verba, ex qua fuit hæc appendix deſumpta,Qui fuderit,inquit,ſanguinem hominis, per hominem fundetur ſanguis eius. An hoc verò non eſt præcipere vt conuicti homicidæ ad iudices non tam audiendi quàm damnandi trahantur?Sed tu ſcilicet, ſublatis accuſatoribus, iudicia ſtare poſſe putas.

AD REPREHENSIONEM VIII, IBIDEM, V.25,
μήποτε, nequando.

NON probas quòd *μήποτε* ita interpreter, quoniam putas vel *ποτὲ* redundare, vel potius vertendum, *Ne fortè*. Ego pleonaſmum illum perpetuum eſſe nego, & illud *fortè* libenter repudio,niſi vbi eſt dubitationi locus.

AD REPREHENSIONEM IX, IN MATTH.6.V.2,
δοξασθῶσιν, magni exiſtimentur.

TYPOGRAPHVS omiſſa particula MAGNI, perperam impreſſit exiſtimentur, quod tu alioqui vt barbarum meritò reprehendis.Tu tamen profectò vim Græci vocabuli non expreſſiſti *collaudandi* verbo. Nam amplius aliquid eſt *δόξα* quàm *ἔπαινος*, & *δοξάζεσθαι* quàm *ἐπαινεῖσθαι*. Quòd ſi mihi non credis typographi erratum eſſe, opto vt meum *αὐτόγραφον* inſpicias.

AD REPREHENSIONEM X, IBIDEM, *ἀπέχουσι τὸν μισθὸν αὐτῶν.*

Ἀπέχουσι expono ἀποφέρουσι,ſiue ἀπολαμβάνουσι,id eſt *referunt*,ſiue *recipiunt*:nec tu potes hanc expoſitionem reprehendere,ſed malles me dixiſſe,Iam habent, vel,Iam receperunt,addito aduerbio ἤδη. Nam tibi nulla religio eſt,quicquid libuit, etiā quum neceſſe non eſt,addere vel detrahere.Neque tamen inficior ſenſum horum verborum ita exprimi poſſe vt tu dicis: ſed non video cur præſenti tempori locus eſſe non poſſit, quum de eo agatur quod quotidie vſuuenire ſolet:ſicut,iis qui credunt, non minus rectè dixerim remitti quàm remiſſa eſſe peccata. Itaque totum hoc puerile & nugatoriū eſt.Locum autem Plutarchi à me citatum & denuo abs te conuerſum videamus quanto rectius conuerteris quàm ego, quoniam dicis me non ſatis bene eſſe interpretatum. Γάμον ego conuerti *nuptias*,tu *matrimonium*: δῆλός ἐστιν, *declarat*,tu, *oſtēdit*: *μισθὸν ἀπέχει*, *mercedem refert*,quod ad ſequentia refero,tu, *iam mercedem ſuam recipit*, quod ad præcedentia,id eſt ad voluptatem, refers, *παῤῥησίαν πρὸς τοὺς γενομένους*,ego plenius & magis perſpicuè,*ius eos conueniendi qui ex eo concubitu nati ſunt*,tu breuius, *ius natos appellandi*. *οἷς αὐτὸ τὸ γενέσθαι πεποίηκεν ὄνειδος*,ego rurſum pluribus & clarius, *vt qui effecerit vt ne naſci quidē ſine dedecore potuerint:* tu breuiter & aridè,*quippe quibus ipſum naſci probroſum effecerit*.Vter ſit melior interpres non magnopere laboro: ipſam autem Plutarchi ſententiam rectè à me expreſſam fuiſſe adhuc arbitror.

AD REPREHENSIONEM XI, IBIDEM, VERS.14.
τοῖς ἀνθρώποις, hominibus.

ANNOTAVI mihi videri in hac voce HOMINIBVS aliquam emphaſin ſubeſſe, quòd videlicet noſtræ conditionis hoc vocabulo admoneamur, vt quum tales eos eſſe meminerimus qui nos offenderūt quales & nos ſumus,eo ſimus ad mutuas iniurias condonandas promptiores. Sed hoc tibi nō placet, nec putas HOMINIBVS aliud hic declarare quàm *alijs*. Fruaris ergo tuo ſenſu,dummodo viciſſim nobis liberam ſententiam noſtram relinquas.

AD REPREHENSIONEM XII, IBIDEM, VERS.23,
ὀφθαλμὸς πονηρὸς, oculus malus.

OCVLVM malum generaliter primùm declaraui ſignificare ex Hebræorū idiotiſmo,animum aliqua vitioſa cupiditate laborātem: cui opponitur oculus ſimplex, id eſt purus. Deinde hunc locum comparans cum Deut.15.v.9,dixi mihi videri referenda hæc eſſe ad huius capitis initium, vbi de Chriſtiana liberalitate diſſerit, ac proinde oculum malum ſignificare, animum illiberalem. Quid tu verò? clamitas me diſcedere

à me-

à meipſo, quòd quum dixiſſem vitioſam cupiditatem ita ſignificari, poſtea nominem illiberalitatem, quæ non ſit cupiditas. At ego te adhuc credideram prima ſaltem philoſophiæ de moribus rudiméta percepiſſe, ac proinde didiciſſe, liberalitatem & vtrinque circunſtantia vitia in ea parte animi collocari quam ἐπιθυμητικὴν vocât: ac proinde neceſſarium eſſe vt illiberalitas, quæ poſita eſt ἐν ἐλλείψει, ab auaritia & ſimilibus aliis cupiditatibus emanet. Itaque nec peccaui, nec à meipſo diſſenſi quum dicerem illiberalem animum vitioſa cupiditate laborare. Tu verò quum in hoc me reprehendis, certè tuum morem ſeruaſti. Poteras autem optimo iure alteram meæ expoſitionis partem reprehendere, quia non de ſola illiberalitate, ſed de vitiis omnibus quibus lux mentis & rationis extinguitur, debet hic Matthęi locus intelligi, ſicut elegãter & eruditè à doctiſſimo interprete fuit explicatus. Quòd enim multis verbis in hunc locum garris de vitanda victus ſolicitudine, ineptiſſimè abs te dicitur.

Ad reprehenſionem XIII, in Matth. 7. v. 17.
σαπρὸν δένδρον, putris arbor.

SIc malui ad verbum quàm malam arborem interpretari. Tu verò mauis dici malam, *quoniam*, inquis, *illi opponitur τὸ ἀγαθόν*. Quaſi verò corrupta & putris arbor, mala non ſit, quanuis non omnis arbor mala, ſit putris. *Atenim*, inquis, *putres etiam arbores bonos fructus ferunt*. Certè non quatenus ſunt putres: niſi tibi fortaſſis quicquid putre eſt, ſapit.

Ad reprehenſionem XIIII, Ibidem, v. 23. οἱ ἐργαζόμενοι τὴν ἀνομίαν, *qui operamini iniquitatem.*

HOc loco annotaui operarios iniquitatis à Chriſto dici nõ qui per imbecillitatem hoc vel illud peccatum committant, cui malo ſanctiſſimi etiam quique ſunt obnoxij: ſed eos qui toti dediti ſunt ſceleribus, ac præſertim qui donis à Deo acceptis ad quæuis mala abutuntur. Tu verò ſic mea verba detorques, quaſi ſentiam ſolos ſceleratiſſimos à Chriſto reiici. Sed vnde tandem hanc calumniam hauſiſti? Neque enim ignoras hãc Eccleſiam (in qua nemo me toleraret ſi ita ſentirem, aut ſcriberem) tantum abeſſe ab hoc dogmate quod hominum peccata extenuat, vt è contrario non alio nomine apud te & tui ſimiles malè audiat quàm quòd nimiùm ſeuerè (vt vos dicitis) & vitia reprehendamus, & in vitioſos animaduertamus. Sed vt ad rem veniam, negare ne ipſe quidem poſſis, Chriſtum tonare hoc in loco non aduerſus quoſuis peccatores, (quos alioqui paſſim ad reſipiſcentiam inuitat) ſed aduerſus eos demum qui de cognitione Dei & præclaris aliis donis gloriantur, quum ſint tamen omnium hominum teterrimi. Itaque explicatio mea optimè conuenit: tu verò vide etiam atque etiam ne ſis vnus ex eorum numero. Nam de fidelibus Dei ſeruis, & de tota Dei Eccleſia, velis nolis, optimè meritis, ita ſentire, ſcribere & loqui vt tu facis, magnum eſt ſcelus. Quòd ſi velis ipſe hæc eadem in me retorquere, Eccleſiam ego tibi iudicem fero, & Deum precor vt inter te & me iudicet.

Ad reprehenſionem XV, in Matth. 10. v. 28.
ἀπὸ τῶν ἀποκτεινόντων, *ab ijs qui trucidant.*

T*Rucidare*, inquis, *eſt ictibus occidere. Græcum verò ἀποκτείνειν latius patet, & Chriſtus de quauis occiſione loquitur.* Ego verò *trucidare* (ſicut ipſa verbi notatio declarat) de quauis immani & truculenta cæde exponendum arbitror, etiamſi quis vno ictu occidatur. Et Græcum ἀποκτείνειν, imò etiam ipſum ſimplex κτείνειν aliquid amplius ſignificare dicò quàm φονεύειν, quanuis non vbique ſeruetur hoc diſcrimen. Vſus ſum igitur Trucidandi verbo hoc in loco, non modò vt, quoad eius fieri poſſet, ſingula Latina ſingulis Gręcis opponerẽ, ſed etiã eam ob cauſam quã tu nõ modò nõ animaduertiſti, ſed etiam (vt ſolẽt deprauati iudicij homines) ſtuduiſti obſcurare. Nã certum quidẽ eſt Chriſtũ de quauis cæde loqui, ſed illud quoque certum eſt, quæ ſuiſſe duriſſimum vocabulum quo ſignificaretur ſumma hoſtium ipſius truculẽtia: quoniam alioqui pondus iſtius ſententiæ paruum erit. Perinde enim accipienda eſt acſi diceret Chriſtus non eſſe timendũ ab iſtis qui non modò occidunt, ſed etiam cum ſumma ſæuitia occidunt. Et additur dulciſſima conſolatio, iſtos quantumlibet immanes & velut infinitos cruciatus, morte tamen

vnius corporis terminari,quam æterna vita cõſequatur. Subiicitur poſtea terribilis aduerſus apoſtatas comminatio,totam iſtam crudelitatem ludum ac iocum eſſe præ ea ſeueritate quã iuſtus gloriæ ſuæ vindex Deus in eos exercebit, corpore & anima addictis ſupplicio omnibus modis infinito. Hæc eſt germana huius loci ſententia, quæ maxima ex parte ſublata eſt, ſi ἀποκτείνειν ſimpliciter interpreteris *occidere*. & tu rectè feciſti quũ Interficiendi verbo potius vterere: quãuis ne hoc quidem ſatis ſit robuſtum vocabulũ, & reſpondeat potius τῷ διαχρῆσθαι. Sed quod tu adiicis, ἀποκτείνειν illud eſſe quod Galli dicunt *aſſommer*, planè ridiculum eſt, neque etiam in Gallica tua interpretatione tibi placuit Nã *aſſommer* ſignificat impacto lethali ictu, abſque vulnere, veluti ſopire: quod non eſt à re explicatum. & tu videris quomodo illi Græco reſpondeat, quod certum eſt multo eſſe generalius. Itaque, quod ad Gallicam interpretationem attinet, nec tu nec ego ſatis rectè vſi ſumus verbo *tuer*, ſed dicendum fuit potius *meurtrir, ou maſſacrer*.

Et hactenus quidem de Matthæo. Nunc igitur ad Lucam tranſiliamus, quandoquidem vel vt mihi ſiue tibi parceres, vel quòd tam multis meis erroribus colligendis, aut tuis potius defendendis par eſſe non poteras, reliqua Matthæi & Marcum integrum prætermiſti.

In Lucam.

AD DEFENSIONEM I. CASTELLIONIS IN LVC. I. V. 6. καὶ δικαιώμασι, *& inſtitutis.*

SIc tibi placuit δικαιώματα interpretari, quod ego reprehendi, quoniam Latini inſtituta vocant conſuetudinem non ſcriptam, ſiue mores qui vſu potius quàm legibus obtinuerunt: hoc autẽ loco certum eſt, ſicut & alibi freq́uẽtiſſimè, nomine τῶν δικαιωμάτων ſignificari ſacrorũ ritus à Deo traditos, & poſtea diligenter perſcriptos, adeò quidem vt vel tantillum iis addere vel detrahere nefas eſſet. Tu contrà contendis inſtituta etiam dici de rebus perſcriptis, quod duplici Ciceronis teſtimonio putas probari poſſe. Nam illud ex initio librorũ De officiis, *inſtitutiſq́ philoſophiæ*, interpretaris, à philoſophia præſcriptis. Atqui non de præſcribendo, (quod verbum de quibuſuis præceptionibus dicitur) ſed de perſcribendo hîc à nobis quæritur: & Ciceronem ſatis apparet eo loco per philoſophiæ inſtituta nihil aliud intellexiſſe quàm doctrinam qua philoſophi diſcipulos ſuos voce & diſputationibus quotidianis inſtituebãt, vt tu ſaltem diſcere potueras ex his verbis præcedentibus: ANNVM IAM AVDIENTEM CRATIPPVM, &c. Doctrinam autem hanc, quatenus erat philoſophorum duntaxat libris comprehenſa, nec Cicero nec quiſquam alius, niſi fallor, inſtituta philoſophiæ vocauit. Alterum autem locum Ciceronis quem citas ex lib. 1. Acad. ſi dignatus eſſes ſaltem inſpicere, certè non adeò manifeſtæ negligentiæ poſſes redargui. Hæc enim ſunt Ciceronis verba, *Illi autem qui Platonis inſtituto in Academia, quod eſt alterum gymnaſium, cœtus erant & ſermones habere ſoliti, ex loci vocabulo nomen habuerunt.* Quum igitur inſtitutum Platonis hîc interpretaris quod à Platone ſcriptũ eſt, quis tam eſt hebes qui non craſſiſſimum errorem animaduertat? Quis enim ibi non videt PLATONIS INSTITVTVM dici, morem conueniendi & diſputandi in gymnaſio, quod Academiã vocabant, cuius conſuetudinis author fuerat Plato? Sed & in explicatione Hebraicæ vocis חקים nihilo te doctiorem Grammaticum oſtendis, quum ſatis cõſtet nomen illud ab חקק deduci, & propriè dici de decretis in publicas tabulas relatis.

AD DEFENSIONEM II, IBIDEM, VERS. 15, καὶ οἶνον καὶ σίκερα οὐ μὴ πίῃ, *nec vinum nec temetum bibet.*

PRo vino & ſicera tu *vinum & temetum* dixiſti, quum res eadem vtroque hoc nomine ſignificetur, ac proinde iſtud nõ ſit minus ineptum quàm ſi quis diceret Iohannem nec vinum nec vinum bibiſſe. Itaque meritò poſſem in te retorquere quod tu falſò de me ſcripſiſti, te videlicet diuerſarum linguarum confuſione facilius imponere imperitis. Etſi enim *temetum* Latinum eſt, tamen ita eſt iampridem obſoletum, vt Donatus in Terentium ſcribens, tanquã pleriſque incognitum interpretetur. Sed verũ eſt quod alibi dixi, te videlicet, vt ſolent deprauati iudicij homines, dum perſpicuitatis laudem captas, de induſtria tamen vetuſtis quibuſdam tum vocabulis, tum etiam formulis

dicendi fuiſſe delectatum, vt imperitis oculos perſtringeres. Nam quòd dicis te minus proprio vſum fuiſſe, quoniam proprium non habebas, ſicut ego ἀμφίβληστρον, quod certam ſpeciem retis declarat, generali nomine retis ſum interpretatus, quàm ineptè dicas, res ipſa declarat.

AD DEFENSIONEM III, IBIDEM, V. 16. ἐπιστρέψει, *reconciliabit.*

CONFITERIS te meritò fuiſſe à me reprehenſum quòd ἐπιστρέψει verteris *reconciliabit*. Sed cauſam meæ reprehenſionis, nempe quòd non ſit hominis opus Deo nos reconciliare, tu minimè probas. Dicis enim conuerſionem cordis nihilo magis eſſe in hominũ manu: & profers locum vbi ſcribit Paulus ſe laborare vt aliquos ſeruet, quũ tamen ſeruare ſit ſolius Chriſti. Ego verò reſpondeo, in hominibus ad pœnitentiam & fidem, ac proinde ad ſalutem adducendis, aliquas etiam eſſe hominum, tanquam miniſtrorum, partes, tum in plantando, tum in rigando: quamobrem etiam vocantur τοῦ θεοῦ συνεργοί. Sed ipſius reconciliationis opus ſibi ſolus Chriſtus in ſolidum vendicat. Denique (vt tuam ſemel audaciam compeſcam) nuſquam Spiritus ſanctus ita loquitur, cuius non tantùm doctrinam, ſed etiam linguã nobis quàm religioſiſſimè ſequendam credo.

AD DEFENSIONEM IIII, IBIDEM, ἐπελεύσεται, *inuadet.*

INVADENDI verbum dixi mihi non probari, quoniam plerunque in vitio ponitur, nec ſatis exprimit diſcrimẽ inter ἐπέρχεσθαι & εἰσέρχεσθαι. Tu reſpondes nullũ eſſe in ambiguitate periculum. Quaſi verò in his præſertim myſteriis non debeamus modis omnibus perſpicuitati ſtudere. Quòd autem obiicis me eidem hoc verbum variè fuiſſe interpretatum, ſuis locis defendam.

AD DEFENSIONEM V, IBIDEM. V. 68, ὅτι ἐπεσκέψατο καὶ ἐποίησε λύτρωσιν τῷ λαῷ αὐτοῦ, *qui populi ſui liberationem procuret.*

HVNC locum dixi frigidè & ambiguè fuiſſe abs te conuerſum, quũ diceres Deum procuraſſe populi ſui liberationẽ: quoniã magna eſt ἔμφασις verbi ἐπισκέπτεσθαι, & magnum diſcrimen inter ſalutis authorem & procuratorem. Tu verò non contentus errorem tuũ inficiari, grauiter etiã me accuſas. Dicis enim verbũ Hebræum פקד & Græcum ἐπισκέπτεσθαι, cum alio verbo coniunctũ, non eſſe *inuiſere*, ſed *curare*, ſiue *procurare*, ſicut Latinè dicimus *videre* pro *conſiderare*. At ego reſpondeo, vt in omnes formas te conuertas, & quiduis excogites, fieri nõ poſſe vt Hebræum פקד & Græcũ ἐπισκέπτεσθαι ſignificet curare ſeu procurare, niſi ex conſequenti, (vt loquuntur) quoniam videlicet in id quod nobis curæ eſt, reſpicere nos oportet. Vnde etiã factum eſt vt פקד Hebræis pro *præfectum eſſe & recenſere* accipiatur. Sed conſiderandũ eſt quid ferat cuiuſque loci circunſtantia. Hic verò quũ ſatis conſtet Zachariã agere de Chriſti promiſſi exhibitione, nemo niſi corruptiſſimi iudicii homo, negarit ipſius ad nos aduẽtum vocabulo illo Inuiſendi (pro quo vulgò *viſitare* dicunt) ὡς ἐμφαντικώτατα declarari, ſicut in annotationibus expoſui. Tu verò quoniam vel hoc non intelligis, vel te pudet fateri quod res eſt; elabi te poſſe putas ſi me potius accuſaris. *Sic*, inquis, *loquitur Lucas, Inuiſit & fecit liberationem populo ſuo. Atqui non inuiſit liberationem (quis enim poſſet eſſe ſenſus horũ verborum?) ſed faciendum curauit. Hoc quoniam non videbat iſte, vocabulo populi vſus eſt in accuſatiuo, vt cum verbo inuiſit cohæreret: quam conſtructionem repudiant Græca verba.* Quis verò tã eſt Grãmatices imperitus vt non videat nomen λύτρωσιν (quod tu non ſatis bene *liberationem* interpretatis) non aliò quàm ad proximũ verbum ἐποίησε referri, & τῷ λαῷ αὐτοῦ, per ſyllepſin in priore membro, quarto caſu, eſſe repetendum? Nam è contrario interdum in hoc ipſo verbo, priori membro ſubiicitur caſus, qui ſit in poſteriore; ſimili prorſus ſyllepſi repetendus, & mutandus: vt Ier. 3. v. 16. ולא יזכרו בו ולא יפקדו, id eſt, *Nec recordabũtur eius, nec viſent*, eã videlicet. Obſecro igitur quid eſt quod tu in mea interpretatione reprehẽdas, niſi hoc fortaſſe quòd ἐποίησε λύτρωσιν, id eſt, periphraſin verbi ἐλύτρωσεν, interpretatus ſum vno Redimẽdi verbo, & Latinæ conſtructionis habui rationẽ? Iſta verò quæ tandẽ impudentia eſt, in eo me reprehendere quòd τῷ λαῷ αὐτοῦ cõuerterim quarto caſu *populũ ſuũ*, quũ ipſe interea ita diſceſſeris ab Euãgeliſtæ verbis vt ne vnũ quidẽ retinueris? Nã ὅς ἐπεσκέψατο interpretatus es *qui procuret*, καὶ ἐποίησε λύτρωσιν, *liberationẽ*, τῷ λαῷ αὐτοῦ, *populi ſui*. Neque ego verò verba numerarem, niſi aduerſum te ita facto opus eſſet, qui quum de eo ipſo glorieris quòd Euangeliſtarum verbis non ſis addictus, audes tamen mihi neceſſariam vnius caſus mutationem exprobrare.

Sed audiamus etiam aliquid amplius. Grauiter me reprehendis quòd præteritũ tempus retinuerim. *Nondum enim*, (inquis) *cõfecta res erat, ſed tũ demũ fiebat: tametſi Græ-*

ca verba præteriti ſunt temporis. Sed Hebraiſmus eſt, quem quũ alibi ſæpe animaduerterũ hic homo, mirum eſt hoc loco non animaduertiſſe: præſertim quũ & tranſlationẽ meã obculos haberet, & multũ referat ad ſententiã, vtrum hæc per præteritum an per præſens verbum dicantur. Permultum ſcilicet intereſt pręterito tempore an præſenti hæc dicantur: ideóque præterito potius quàm præſenti vſus eſt Zacharias, quanuis de re nondũ perfecta, ſed duntaxat cœpta loqueretur. Quidni enim hoc faceret, quũ alios Prophetas videret de rebus tanto pòſt tempore futuris diſſerentes, præterito tamen vti de induſtria vt certò ſtatuamus, quæ Deus promiſit, tã certa eſſe acſi reipſa iam eſſent nobis præſtita? Puer (inquit Iſaias, *9.v.6*) nobis natus eſt, qui tamẽ tanto pòſt tẽpore naſciturus erat. Quem etiã locum cõtra omnẽ Hebrææ linguæ vſum tu corrupiſti quũ pręſenti tẽpore verteres, *naſcitur.* Dicit Paulus Epheſios eſſe ſeruatos, quum tamẽ iter ſalutis duntaxat eſſent ingreſſi. Idem dicit nos eſſe in cælis collocatos cum Chriſto Ieſu, & tamen adhuc humi repimus. Denique quid eſt iſta enallage frequentius? Rurſum igitur cogor te, Caſtellio, ad Grammaticorum ferulam relegare, vt ibi diſcas cum aliquo iudicio ſcribere & loqui. quod vbi feceris, tum non fortaſſis tuam interpretationem inſpicere ac diligẽtius conſiderare non pigebit. Falleris enim ſi nobis eſſe tantũ otii putas vt in purgando Augiæ ſtabulo tempus aliquod poſſimus conſumere. Scito potius, quæ aliquot locis obſeruaui, obiter occurriſſe. inter quæ etiã illud fuiſſe memini, quòd λύτρωσιν (quæ certa eſt liberationis ſpecies magnopere nobis obſeruanda) non ſatis bene generali liberationis nomine ſis interpretatus. Sed indignũ hoc fuit ſcilicet quod excuſares. Mauis ergo me tanquam ſophiſtam accuſare, quòd dixerim magnum eſſe diſcrimen inter ſalutis authorem & procuratorẽ. *Procurator enim (quo nomine,* inquis, *non ſum vſus) eſt aliena rei adminiſtrator. At procurare latius patet. eſt enim rem aliquam ſiue ſuam ſiue alienam curare. Inde procuratio quam Cicero etiam diis tribuit, quum diceret deos habere humanarum rerum procurationem.* Ergo in ſumma, ſi tibi credimus, Chriſtus noſtram ſalutem procurauit, id eſt, eius curam habuit: & Zacharias nihil aliud dixit quàm quod ne ipſi quidẽ profani homines prorſus ignorarunt, ſalutem noſtram Deo eſſe curæ.

Ad defensionem vi, Lvc. 2.v.34, Ἰδοὺ οὗτος κεῖται εἰς πτῶσιν καὶ ἀνάστασιν πολλῶν ἐν τῷ Ἰσραήλ, *Scito hunc multorum vel caſui vel reſurrectioni in Iſraelitis deſtinatum eſſe.*

HOc loco non potui nec (vt opinor) debui me continere quin dicerem quod res eſt: te videlicet ſacrilega quadam audacia quiduis in ſacris libris Latinè & Gallicè interpretandis non modò detraxiſſe aut addidiſſe, ſed etiam immutaſſe. At tu permodeſtè reſpondes te vereri ne quoſdam offendas ſi dixeris me calumniari. Alibi verò tuæ modeſtiæ oblitus, clamitas me non ſolùm in verbis, ſed etiam in rebus grauiſſimis errare, & ſæpe ſacrorum authorum non ſolùm ſententias, ſed etiã verba errori meo torquendo ſeruire cogere: quæ accuſatio longè certè grauior & aſperior eſt quàm ſi me calumniari dixiſſes. Verùm hæc omittamus. Iubes vt planum faciam crimen quod tibi impingo. Ego ſæpiſſimè id à me probatum fuiſſe dico, & hoc ipſo loco rurſus planum faciam. Siquid ego addidi, non feci tuo exemplo. Nam & in ipſo contextu diuerſis characteribus ſcripta ſunt quæ interdum ſuppleui, vt perſpicuitati ſermonis inſeruirẽ: & præterea in rebus etiam minutiſſimis facti mei rationem expoſui, vt ſuum cuique iudicium ſeruetur. Apicem verò ne vnum quidem ſciens prudens aut detraxi, aut mutaui. quod ſi tu à me factum oſtenderis, imò niſi penè vltra modum comperiat fuiſſe in hoc negotio religioſus, nõ recuſo quin pro mendaci & impoſtore habear. Cæterùm quod addis, ſicuti in authorum mente explicanda erraſti, id potius ignorantiæ tribuendum eſſe quàm ſacrilegæ audaciæ, ego affirmare audeo falſò dictum eſſe. Neque quum ita iudico, temerè iudico: ſed ita ſit mihi Deus propitius vt te ſcio (quia nemo tam cæcus eſt quin hoc, ſi velit, ex omnibus tuis ſcriptis animaduertat) ſemper in ſomniis tuis ita tibi placuiſſe vt rariſſimè dignatus ſis legere doctorum & piorum hominũ ſcripta per quos noſtra ætate viſum eſt Deo rurſus nouam veluti lucem cõdere: & ſiqua legiſti eam ingenii ambitionem ad eorum lectionẽ attuliſſe vt in eorum ſcriptis nõ potueris promouere. Hoc autẽ ingenium, ſuperbiæ & vaniſſimæ ambitionis plenum, minimè mirum eſt Deum vltum eſſe ſumma iudicii peruerſitate, vt quod omnes rectũ cenſuerint, tu ſponte quadam naturæ prauum eſſe ſuſpiceris. & quum nihil magis ambire videaris quàm vt ſimplex eſſe videaris, nunquam tamen in aliorum iudicio acquieſcas. Itaque quum

eſſes

eſſes in hac ciuitate (vt omnes narrant) nullus dies præteribat quin prodigioſum quiddam in medium proferres, adeò vt de ipſo ſacrorum librorum Canone nō modò ambigeres, ſed etiam pertinaciſſimè & arrogantiſſimè diceres Canticum cāticorū inter profanas cantiones numerandum. Alebas præterea iam tum in animo peculiares quaſdam opiniones, quas friuolis quibuſdam argutiis (tuo quodam more) clanculum cōfirmabas: inter quas hæc etiam erat, quòd lege Iſraelis politica ſentiebas omnes gentes teneri: ideóque grauiſſimè in eos inuehebaris tū qui capitali pœna in fures animaduertunt, acſi præſtaret antiquas ſeruitutes in vſum reuocari, tum etiam qui facinoroſorum cadauera paterentur in patibulis permanere. Has autem cogitationes, poſtquam ex hac Eccleſia aliò migraſſes, non puduit etiam te ſcriptis mandare, ſub Moſis Latini nomine excoſis, quæ quicunque tum legit ſani iudicii homo, non dubitauit quin iam tum monſtrum illud aleres quod tandem hodie conſpicimus. Quieuiſti tamen aliquandiu, id eſt apud te continuiſti quod poſtea euomeres, donec cuiuſdam impudentia magnum in his regionibus inter homines imperitos certamen de æterna Dei prædeſtinatione excitares: & Seruetus eodem penè tempore in hac ciuitate ſuarum blaſphemiarum pœnas daret. Hic tu verò, ſiue coniuratorum quorundam, qui paulò pòſt ex hac rep. eiecti ſunt, ſiue tuis ipſius furiis agitatus, apertè furere & bacchari cœpiſti, & nos partim vt crudeles & ſanguinarios, partim vt in Deum blaſphemos, (quem dicebas à nobis fieri omnium malorum authorem) atque adeò vt in humanum genus ingratos (quòd homines libero arbitrio ſpoliaremus) & ſermonibus & literis criminari, ita tamē vt libris qui de ea re, te, ſi non authore, tamen non ignaro, fictis & ſcriptoris & vrbis & typographi nominibus, edebantur, nomen tuum non inſcriberes. Hinc illa blaſphemiarum farrago cuidā Bellio inſcripta, Latinè primùm edita vbi omnes ſatis norunt, & poſtea Gallicè conuerſa, & Lugdunum à tuo fratre allata, & ibidem excuſa. Sequuta eſt etiam Theologia Germanica, (quam falsò vocant) ſub Theophili nomine impreſſa. Miſſi ſunt etiā à neſcio quo Lutetiam excudendi articuli aduerſus Iohannem Caluinum, qui tamen maturè ad nos peruenerunt. Miſſi quoque aliquot libelli Antuerpiam eiuſdem argumenti, & ibidem excuſi. Horum aliquibus reſpondimus: alios verò (ſicuti par erat) cōtempſimus. Tu verò de his rebus appellatus coram Baſilienſis Eccleſiæ miniſtris, Bellii farraginem & articulos illos falsò eiuraſti. Sed quod tu ipſe tuo nomine appoſito excudendum curaſti, id eſt annotationem in nonum caput Epiſtolæ ad Romanos, ipſe certè non inficiaberis, vt qui etiam de ea glorieris. Fiat ergo ex ea iudicium, vt intelligi poſſit an ſim Caſtellionem calumniatus.

Duo ſunt quæ tibi nunc obiicio: vnum, quòd tribuas homini liberū arbitrium, à cuius voluntate pendeat diuini conſilii conſtantia: alterum, quòd in vnius copulæ locum duas particulas diſiunctionis ſubſtituens, ſententiam Euangeliſtæ prorſus deprauaris. Illud ergo crimen tu quidem inficiaris, ego verò probo quum ex tota illa annotatione, quam alius celebris eiuſdem Baſilienſis academiæ profeſſor, & verbis teipſo diſputante, & ſcriptis in Pentateuchum commentariis, disertè refutauit: tum verò præſertim ex iſtis tuis verbis, quę bona fide deſcripſi: *Qui vitæ deſtinati ſunt* (inquis) *perire poſſunt, ſi volunt, vt Iudas: & qui morti deſtinati ſunt, ſeruari poſſunt, vt Ezechias, ſi modo maturè reſipiſcunt.* En quomodo decretum Dei non modò eſt incertum, ſed etiam fallax, & ab hominis voluntate pendens. En etiam duo falſiſſimè affirmata, Iudam fuiſſe vitę deſtinatum, Ezechiam verò morti. En præterea tertium errorem craſſiſſimum, poſſe aliquē intempeſtiuè reſipiſcere, quoniam (vt es prorſus iſtarum rerum imperitus, & tamen audaciſſimus iudex) neſcis quid inter pœnitere interſit & reſipiſcere, ſiue cōuerti. Sed audiamus etiam quas arbitrii vires tribuas homini ψυχικῷ. *Si quando*, inquis, *eò venit homo* (id eſt quiſpiam) *conſuetudine peccandi vt ſe à peccando continere non poſſit aut à Deo derelinquatur, eam peccandi neceſſitatem ipſe ſibi ſua voluntate creauit, dum volens primùm peccauit: quemadmodum ſi quis ſeipſum det præcipitem, deinde caſum reuocare nequeat.* En quomodo peccādi neceſſitatē nō naturæ corruptioni vniuerſali, ſed cōſuetudini inueteratæ tribuas. Quod dogma, Pelagianū, Papiſticū, & blaſphemū eſſe dico in Dei gratiā ac miſericordiā: quia quātum tribuitur hominis nō regenerati arbitrio in iis quæ ſalutis noſtræ ſunt, tantundem neceſſariò de miſericordia Dei detrahitur. Et rurſus alio loco, *Contra deſtinationem Dei, quæ cum conditione coniuncta ſit, multa fieri facile eſt oſtendere. Deſtinauit figulus cretam vaſi culinario, ſed vas illud finditur in fornace contra deſtinationem.* Ergo, ſi tibi præclaro doctori credimus, Deus vult omnes (id eſt ſingulos) hō

nines ſeruari,ſiue ſingulos homines vitæ deſtinauit, ſed ſub cōditione,ſi crediderit. Iſta verò conditio eſt in omniū hominū poteſtate,quia alioqui fruſtra apponeretur. Ex quo efficitur,eos qui pereūt,contra Dei deſtinationē & voluntatē perire. Hoc vero annon eſt liberum arbitrium in vtranuis partem hominibus tribuere,& Dei conſilium à voluntate hominum ſuſpendere? Quid nos autem in contrariam partem ex verbo Dei doceamus,non pigebit paucis explicare.

I. Deo inuito vel non curante dicere quicquam fieri vel euenire, nobis ſumma blaſphemia eſt.

II. Deum dicere mutare conſilium,ſiue Dei verbum excidere,ſiue contra Dei deſtinationem & voluntatem quicquam in mundo fieri,nedum vt homines contra Dei deſtinationem vel ſeruentur vel pereant,eadem nobis blaſphemia eſt.

III. Deum tamen vllius mali authorem eſſe vel approbatorem negamus.

IIII. Nam quatenus ad ipſum attinet,quibuſcunque inſtrumentis vtatur,ſemper bene agit.Inſtrumenta verò mala,putà diaboli & homines,Satanico ſpiritu & ingenita prauitate impulſi,ſemper malè agunt,ac proinde iuſtè puniuntur.

V. Malarum autem actionum vitium in ipſis inſtrumentis totum inhæret, quoniā prauitas illorum etſi neceſſaria,tamen voluntaria eſt,non coacta:neque à Deo vel propriè à natura,ſed à corruptione naturæ eſt,quæ & ipſa voluntaria fuit, non coacta. Et inter neceſſitatem conſequentis & conſequentiæ diſtinguimus.

VI. Certos didicimus eſſe ab æterno electos,& additam eorum ſaluti conditionē,ſi crediderint.Sed huius conditionis impletionem, id eſt fidem, & perſeuerantiam, ſemper eis ſuo tempore donari,ac proinde tam certā electorum ſalutē eſſe affirmamus quàm certum eſt Dei decretum falli non poſſe, eámque totam Dei gratiæ & miſericordiæ in ſolidum tribuimus.

VII. Huius electionis teſtimonia non in illo Dei arcano,ſed in vno Chriſto quærenda eſſe docemus:ac primùm quidem in generali vocatione per miniſterium prædicati Euangelii:deinde in effectis Spiritus ſancti in nobis.

VIII. Certum etiam ab æterno eſſe didicimus damnandorum numerum, & additam eſſe eorum exitio conditionem,ſi in peccatis ad extremum perſeuerarint.Hæc autem conditio non poteſt non in iis impleri qui quum ſint arbores malæ,fructus bonos edere nō poſſunt.

IX. Sed qnoniam hæc peccandi neceſſitas voluntaria eſt, & eius origo nō eſt à Deo profecta,nec à natura, ſed à ſpontaneo eius lapſu qui ſua vnius culpa reus factus & corruptus,reos & corruptos filios genuit:idcirco dānationis cauſa non in æterno Dei decreto,ſed in damnandorum corruptione & vitiis quærenda eſt. Sic enim Deus eſt in illo æterno ſuo decreto terribilis,vt ſit in ipſius exequutione iuſtus iudex futurus, etiam eorum confeſſione in quorum condemnatione non minus fulgebit ipſius iuſtum iudiciū quàm paterna in electorum ſalute miſericordia.

X. Deus ergo etiamſi omnes perderet,quum omnes ſint natura filii iræ, nulli iniuriam faceret,ſed quos vult electos ſeruando,quia nulli debitor eſt,ſummæ bonitatis laudem meretur: & cæteros nonniſi propter corruptionem & corruptionis fructus damnando, ſe verè Deum eſſe,id eſt omnis vitii hoſtem & vindicem,oſtendit.

XI. Huius autem futuræ reiectionis teſtimonia etſi in nonnullis ſeſe certis gradibus produnt,tamen temerè non ſunt arripienda,ſed occultis illis iudiciis Deo optimo maximo relictis,omnes ad reſipiſcentiam & ſalutem in Chriſto adipiſcendam ſunt vocandi.

HAEC ſunt quæ de his rebus ſedulò & bona conſcientia docemus ex Dei verbo in noſtris Eccleſiis,nec veſtras vel quorumuis aliorum calumnias moramur. Nunc iudicet Eccleſia an tibi iniuriam fecerim.

Accedo iam ad alterū huius accuſationis caput,de iſtius loci deprauatione. Dico igitur hanc eſſe Simeonis ſententiam, Chriſtum poſitum eſſe, ſiue deſtinatum multorum caſui & multorū reſurrectioni. Eſt enim repetēdum nomen MVLTORVM ἀπὸ τοῦ κοινοῦ: quod tu quoque nunc fateris,ſed peruerſiſſimè explicas, quum dicis rite poſſe hunc locum verti: *Erit multis partim caſui, partim reſurrectioni*, id eſt, *quibuſdam caſui, quibuſdam reſurrectioni*. Quis enim vnquam præter te vnum putarit,iſtis duabus enuntiationibus idem ſignificari,Chriſtus erit multis partim caſui partim reſurrectioni, Chriſtus erit quibuſdam caſui,quibuſdam reſurrectioni? Nam priore illa nihil aliud intelligi poteſt quàm fore vt multi per Chriſtum aliquatenus cadant, & aliquatenus reſurgant:

quæ

quæ ſententia eſt abſurdiſſima. Poſterior aūt enuntiatio vera quidē eſt, ſed tamen ſententiam Simeonis non ſatis exprimit, vt qui nō vſus ſit verbo εἶ *eſſe*, vel, ἔσεσθαι *fore*, ſed verbo κεῖσθαι, quo declaratur æternū Dei decretum, acſi dicas, *deſtinatū eſſe*, vt tu quoque in contextu es interpretatus. Quæ verò citas ex Platonis Gorgia, ἆρα ἐστί τις πίστις ψευδὴς καὶ ἀληθής; Et, τί δ' ἐπιστήμη ἐστὶ ψευδὴς καὶ ἀληθής; prorſus pro me faciunt, quoniā πίστις & ἐπιστήμη ſunt ſigillatim applicāda duobus diſtributionis mēbris. Itaq; rectè ſunt abs te his verbis conuerſa, *Eſtne aliqua fides vera, aliqua falſa?* &, *Quid? ſcientia eſtne alia vera, alia falſa?* Sed quorſum hæc ſubterfugia? Neque enim vſus es hoc in loco interpretando vel *partim*, vel *quidā*, vel alia huiuſmodi particula diſtributiua, ſed diſiunctiua particula *vel* repetita, *Scito hunc* (inquis) *deſtinatū eſſe multorū vel caſui vel reſurrectioni*: quā enuntiationē ruſus dico & falſiſſimam & ineptiſſimā eſſe. Neque enim quiſquā eſt tam rudis dialecticarū præceptionū, vt ignoret deiunctis iſtis enuntiationibus neutram partem certò poni, ſed alteram tantùm, eámque vtranuis ſtatui, vt altera negetur. Cæterùm an hoc feceris ignorantia, an potius certa malitia, vt tuā illam de diuina deſtinatione ſententiam deprauatione iſtius loci cōfirmares, facilè & verè poteſt tum ex iis quæ diximus, tum etiam ex iis quæ mox dicemus, æſtimari. Quum enim perſpicuè ſcripſerim κεῖσθαι non referri ad ſolum euentum, ſed potius æternam Dei deſtinationem declarare, primùm ſimulas te non intelligere quorſum hoc dicam: & poſtea, *Nunquam*, inquis, *mihi venit in mentem vt diſiungerem quæ Lucas verbis non diſiungit. nec enim vſus ſum duobus verbis, ſed vno verbo deſtinandi, quod certè ad vtrunque, id eſt ad caſum & ad reſurrectionem, refertur*. At egò certè non ſum obſcurè loquutus, quum te dicerem pro vna copula duas particulas diſiunctiuas (quas vocant) ſubſtituiſſe, vt tuum illud impium & blaſphemum dogma de Dei deſtinatione in vtranuis partem ancipiti ſtabilires. Sed tamen Deo ſit gratia quòd veritas hoc abs te extorſit vt fatereris deſtinationē tam ad caſum quàm reſurrectionem pertinere: vt non aliunde melius quàm tuis verbis conuinci poſſit quanta ſit tua impudentia. Sic enim paulò pòſt ſcribis totidem verbis, *Verba Lucæ*, inquis, *ſic explano, Quòd Chriſtus quibuſdam ruina eſt, non eſt eius finis & deſtinatio, neque enim venit ad perdendum. Quòd vero aliis ſaluti eſt & reſurrectioni, eſt eius proprius finis & deſtinatio. venit enim ad ſeruandum*. Hæc verò ſi ex animi ſententia ſcripſiſti, quis te non animaduertit mendacem fuiſſe, quum te diceres Deſtinādi verbum tam ad caſum quàm ad reſurrectionem referre? Neque enim contradicentia poſſunt ſimul eſſe vera. Sed in hac expoſitione dixiſti te meam ſententiā ſequi. nempe vt ſemel omnes verecundiæ fines tranſilites. Citas enim quandam annotationem meam in Luc. 1. v. 17, in hæc verba, *Vt conuertat corda patrū*, &c. quæ ſic habet, *Cæterùm quia quod hîc dicitur de Ioannis munere, cū eo videtur prorſus pugnare quod Chriſtus de ſe dicit infrà cap. 12, ſe videlicet non veniſſe vt pacem in terrā afferret: ſciendum eſt hîc agi de vero & proprio Euangelij fine, illic autem Chriſtum diſſerere de Euangelicæ prædicationis euentu, quæ longè maximā mundi partē offendit. Sed hoc tribui Euangelio non poteſt, niſi* κατὰ συμβεβηκός, *quum ſit per ſe doctrina veræ concordiæ ac pacis*. Hæc ego verò libens pro meis agnoſco. Neque enim vel Chriſtus vel Euangeliū mortē gignunt, ſed eam ſibi ſua ipſorum culpa accerſunt qui Chriſtū in Euangelio repudiant. Vita igitur illud eſt quò tendit Euangeliū, atq; adeò quod ex Euangelio quaſi ex limpidiſſimo fonte in nos exundat. Mors autē non aliunde quàm ex corruptione humani ingenii oritur, vnde naſcitur Chriſti & Euangelii contemptus: quē finē & exitum dico eſſe συμβεβηκότα, quoniam nō ab ipſius Euangelii natura, ſed ab homine emanat. Quidni igitur iſta diſtinguerem? Sed quod tu inde colligis, contra Dei deſtinationem cadere qui ad hunc lapidē impingunt, id ego verò pernego, & ineptiſſimè ex meis ſcriptis colligi affirmo. Vide igitur quàm grauiter pecces. grauiſſimus enim error eſt quòd proprium Euangelii finem, id eſt id quod propriè ſiue ex ſeſe profert Euangeliū (nimirū potentia illa Dei in ſalutem cuiuis credēti) tu cum deſtinatione Dei confundis: quum iſta longè ſit generalior, quoniam Deus ſicut ab æterno decreuit, ita etiam quibuſcunque rebus libuit, ad quæuis ſua exequenda conſilia vtitur. Satan Iobum Dei conceſſu perſequitur vt eum ad blaſphemiam abducat, & iis vtitur quorū proprius eſt finis homines ad deſperationem penè cogere. Sed alia eſt Dei deſtinatio, qui Satanā ſuo ipſius gladio iugulat, efficitque (quod ſolet in exercendis ſuis militibus quotidie) vt afflictiones, contra naturam, pro deſperatione patientiam gignant: ſicut docet Apoſt. ad Rom. 5. v. 3. Nam vt idē ſcribit ad Rom. 8. v. 28. eos qui Deū diligunt, oīa iuuant in bonū: & huius dicti ratio ibidem ab Apoſtolo affertur;

quoniã huc ſunt prædeſtinati vt fiant conformes imagini Filii dei. Eadem etiã ratio eſt in contrariã partẽ. Fit enim ſecundũ iuſtã Dei deſtinationẽ, vt quod ſuapte natura benedictio eſt, (ſicut valetudo, opes, & præclaræ tũ animi tũ corporis dotes, ipſaque adeò Euangelii auditio) reprobis in maledictionem & exitiũ cedat. At enim dices, Id fit malorum culpa. Fateor ſanè, & ideo proprium rerum finem, id eſt, (ad quem ſuapte natura feruntur) ab illis tam triſtibus euentibus meritò diſtinxi. Sed tu grauiſſimè in eo quoque falleris, quòd vbi deſtinationem Dei audis, putas homines culpa carere niſi illam vt ambiguam & ancipitem ab hominum arbitrio in vtranuis partem libero ſuſpendas: quoniã videlicet non cogitas quandam etiam eſſe voluntariam neceſſitatem, quæ efficiat vt tota exitii culpa in hominibus reſideat, etiamſi quod Deus decreuit, neceſſariò eueniat oportet. Ergo (vt paucis concludam) quoniam de hac re tota peſſimè ſentis, peſſime etiam hunc locum corrupiſti, neque te criminum iſtorum accuſando vllam tibi iniuriã feci. Vtinam verò tu potius reſipiſcere quàm reus peragi malis.

Ad defenſionem vii, in Lvc. 7. v. 30, *τὴν βουλὴν τοῦ θεοῦ ἠθέτησαν εἰς ἑαυτούς, Dei conſilium (quantum in ſe fuit) reſciderunt.*

HANC interpretationem dico iuſtius etiam à me reprehẽſam eſſe quàm ſuperiorem. Nam ſi blaſphemia eſt ſcribere, contra Dei deſtinationem aliquid euenire, atque adeò, quod tu totidem verbis ſcribis, Iudam fuiſſe in libro vitæ ſcriptum, qui tamẽ poſtea periit, magis etiam impium eſt dicere, conſilium Dei ab hominibus reſcindi: quo verbo nihil imperioſius dici poteſt. Verbum autem Græcum *ἀθετεῖν* longè eſt mollius, quoniam idem declarat atque *amouere*: ideóque generaliter etiam pro reiicere & aſpernari accipitur, dicitú. que tum de rebus, tũ de perſonis, vt paſſim annotauimus. Sed prudentis eſt interpretis ſpectare quid cui loco conueniat. Itaque duo reprehẽdi in hac tua interpretatione: vnum, quòd quum verbum Dei excidere, ac proinde conſilium ipſius reſcindi non poſſit, tu tamẽ *τὸ ἀθετεῖν* interpreteris *reſcindere*: alterum, quòd *εἰς ἑαυτούς* verteris *quantum in ſe fuit*. Tu verò primùm reſpõdes me loqui pugnantia. Idem enim eſſe conſilium Dei quod Dei verbum & præceptum: me verò Marc. 7. v. 9. interpretatũ eſſe *ἀθετεῖτε τὴν ἐντολὴν τοῦ θεοῦ*, irritum facitis mãdatum Dei. Ex quibus vis effici, verbũ Dei poſſe, ex mea ipſius interpretatione, reſcindi, quum Reſcindere nõ ſit aliud quàm irritum facere. Ego verò te ſanè demiror in iſtis puerilibus paralogiſmis argutari. Verbũ Dei, id eſt quod ſemel dixit Dominus ſe facturũ vel non facturũ, non poteſt excidere, quoniã firmũ maneat oportet quod inuariabili & omnipotẽte Dei voluntate nititur. Idem etiam de ipſius cõſilio (id eſt de eo quod ſemel apud ſe conſtituit vt eſſet vel non eſſet) neceſſe eſt ſtatuamus: quoniam quod ipſius reſpectu & quaſi in ipſo Deo conſilium eſt, nobis poſtea fit Verbum, quando videlicet nobis à Deo patefit. Ita igitur accipienda ſunt conſilii & verbi Dei nomina, quum de iſtis rebus agimus. Sed aliæ ſunt præterea iſtorum vocabulorum notiones. Neque enim quoties nobiſcum loquitur Dominus, toties nobis denũtiat quid facere vel nõ facere decreuerit: & ſua etiam decreta interdum generaliter, interdum ſpecialiter declarat, prout viſum eſt æternę ipſius ſapientiæ. Narrat Moſes Deũ condidiſſe cælũ & terram. Hiſtoriæ tum ſanctorũ tum impiorũ hominũ in vtroque fœdere perſcriptæ ſunt. Hæc omnia appellatione verbi Dei cõprehenduntur, & quoniam in vſum Eccleſiæ ſcripta ſunt, conſilia Dei meritò dici poſſunt. Sed hoc certè nihil ad illud de quo nũc agimus. Dicam etiam aliquid amplius. Quum Dominus denunciat Ezechiæ per Iſaiam vt de domo ſua diſponat, quoniam moriturus erat, hoc Dei verbum erat, non tamen decretum. Nam ſi decretum hoc fuiſſet, neceſſe fuiſſet Ezechiam mori: quia nec mutabile nec irritum eſt quod Deus decreuit. Quid ergo? comminatio erat qua Dominus conſtituerat Ezechiam ad peccati agnitionem adducere. Idem quoque de prædicatione Ionæ & cæteris huiuſmodi locis dicẽdum eſt. Itaque diuerſum eſt interdum Dei decretum ab aliquo Dei verbo, nec tamen propterea ſimulator eſt Deus. Eſt enim in iſtis comminationibus tacita incluſa conditio, NISI RESIPVERIS, quæ ex euentu apparet, etiamſi verbo non fuit expreſſa. Imò verò ne tum quidem quum Deus aliquid præcipit, ſemper declarat quid fieri decreuerit. Præcipit Abrahæ vt filium mactet, nec tamen hoc eſt eius conſilium ſeu decretum, neque hæc eius voluntas vt Iſaacus à patre immoletur: ſed id duntaxat fecit vt Abrahami fidẽ probaret, ſicut disertè inquit Moſes. Interdum ergo conſtat præcepta Dei ab ipſius voluntate & conſilio diſtingui. Eadem etiam ratio eſt vniuerſalium præceptionum. Neque e-

nim,

nim, etiamſi dicit Dominus omnibus, *Honora patrem tuum*, idcirco decreuit omnes parentibus ſuis obſequentes futuros, ſed è cõtrario, multis hoc præceptum vult inculcari, vt iuſtius iudicium ſibi acceerſant. ſicut de filiis Heli teſtatur Scriptura. Ergo (vt tandem concludam) planè te imperitum eſſe prodis, quum putas me loqui pugnantia. Nam præcepta Dei poſſunt propoſitis contrariis legibus vel falſa interpretatione violari, corrũpi, abrogari, & aliquatenus irrita fieri ab impiis principibus & pſeudoprophetis, quãuis penitus deleri non poſſint. Sed conſilium Dei, id eſt quod ſemel conſtituit ac decreuit fore vel non fore, nemo poteſt vel tantillum remorari, nedum reſcindere: quoniam omnipotens eſt Deus & ſui ſemper ſimilis. Hoc autem loco conſilium Dei non dicitur quod priuatim & in ſuo arcano Deus de iſtis ſua ipſorum incredulitate perdendis decreuerat: ſed beneficium Dei quibuſuis in vniuerſum oblatum per Iohannis miniſterium: nec tamen ſingulis auditoribus ſeruandis deſtinatum, ac proinde ab iis ſolis receptum qui erant præordinati ad vitam, (ſicut alibi loquitur idem noſter Lucas,) ab aliis autem qui hoc loco reprehenduntur vltro & ſponte repudiatum. Sed hoc tamen Dei beneficium de hominibus per Iohannem ad Chriſtum adducendis, reſcindere iſtos potuiſſe nego: quia Dei in ſuos beneficentiam non poteſt incredulorum contumacia impedire. Quod ergo dicis, conſilium Dei fuiſſe vt Phariſæi à Iohanne baptizarentur, ac proinde non eueniſſe quod Dei conſilii erat: & nihil referre vtrum dicas, *reiecerunt* (vt ego) an (vt tu vertis) *irritum fecerunt* (ſic enim ſcribis.) inanis eſt garritus. Et in iſto etiã falſi potes redargui, quum non ſis interpretatus *irritum fecerunt*, ſed *reſciderunt*. Eſt autem illud aliquo modo tolerabile, quoniam increduli ſua contumacia gratiam Dei reddunt ſibiipſis infructuoſam: ſed reſcindi certè conſilium Dei nulla ratione poteſt.

Sequitur alterum reprehenſionis caput, quòd *εἰς ἑαυτούς* interpretaris, *quantum in ſe fuit*. Ad hoc reſpondes, te accipere *εἰς* pro *ἐν*, quòd ego ipſe annotaui. Agè igitur, gratificemur tibi, ne clamites nos nimiùm ſeueros eſſe accuſatores. Scripſerit Euangeliſta, *ἐν ἑαυτοῖς*. Oſtende nunc vbi tandem didiceris, *ἐν ἑαυτοῖς* Latinè ſignificare *quantum in ſe fuit*.

In Iohannem.

Ad defenſionem I, in Iohann. 9. v. 3. *ἀλλ' ἵνα φανερωθῇ, &c. ſed vt in eo pateſiant, &c.*

QVÆRVNT ex Chriſto diſcipuli hoc loco quis peccarit, iſte, an eius parentes, vt cæcus naſceretur: cuius interrogationis ſententia plana eſt ac perſpicua. Putaſti tamen te poſſe clarius loqui, ideóque tuo more Hebraiſmũ neſcio quem commentus, hunc locum interpretatus es, *Vtrum quia peccauerit hic, an quia eius parentes, cæcus natus eſt?* Et fateor ita expreſſam fuiſſe ſententiam, ſed cauſam fuiſſe nego cur ab Euangeliſtæ verbis diſcederes. quam audaciã millies iam dixi mihi probari non poſſe. Reſpondet Chriſtus, *Neque iſte peccauit, neque parentes eius, ſed cæcus natus eſt vt opera Dei manifeſta fiant in eo*. Nam illud, *cæcus natus eſt*, ſuppleui ex Nonno paraphraſte, vt cohæreret conſtructio particulæ *ἵνα*, quæ neceſſariò præcedens aliquod verbum aut expreſſum aut ſubauditum requirit. Quòd autem dicit Chriſtus neque iſtum neque parentes eius peccaſſe, quum ad totam quæſtionem propoſitã ſit accommodandum, obſcurum eſſe non poteſt. Neque enim quæſierant diſcipuli ſimpliciter an ipſe peccaſſet, vel eius parentes, ſed adiecerant, *vt cæcus naſceretur*. Itaque in mea interpretatione quam recèns recognoui, malui illud ipſum repetere quàm quod ex Nonno ſuppleueram, nec volui tuã audaciam imitari, qui ſic conuertiſti, *Neque quia ipſe, neque quia eius parentes peccauerint, ſed vt in eo diuina opera pateſiant*.

Sed illud præterea reprehenderam quod tu annotaſti 2. Corinth. 8. v. 13, nempe *ἵνα* pro *δεῖ* poni ſolere, id eſt *vt* pro *oportet*. Nam, obſecro, lector, cui tãdem niſi peruerſiſſimi iudicii homini tam inſolens & omnibus ſeculis inaudita iſta enallage venire in mentem potuit? Itaque Iohann. decimotertio, verſu 18. *ἀλλ' ἵνα πληρωθῇ* conuerti, *oportet vt impleatur*. Rectè quidem, inquis, ſed ita vt malè annotarim ſupplẽdum eſſe verbum oportet. *Neque enim, inquis, conueniet hæc conſtructio, δεῖ ἵνα πληρωθῇ, quum dicendũ ſit δεῖ πληρωθῆναι*. At ego primùm ex te quæro qui minus rectè dicatur *δεῖ ἵνα πληρωθῇ*, q̃

συμφέρει ἵνα ἀπόληται, Mat.5.v.29,& 30,& *συμφέρει ἵνα κρεμασθῇ*, Mat.18.v.6. Deinde, vt tua hæc enallage, *ἵνα* pro *δεῖ*, obtineat, quæro ex te ex quo tandem grammatico didiceris Græcam eſſe conſtructionem, *δεῖ πληρωθῇ*.

Reprehendis etiam quòd Epheſ.5.verſ.33. *ἡ δὲ γυνὴ ἵνα φοβῆται τὸν ἄνδρα*, interpretatus ſum, *Vxor autem videat vt revereatur virum*. vbi rurſus affirmas *ἵνα* pro *δεῖ* poſitum eſſe, neque verbum *videat* ſupplendum. Sed quæ tandem hæc inſcitia eſt? Si te pudet ex me diſcere quæ ne pueri quidem ipſi nunc ignorant, diſce ſaltem ex doctiſſimi Budæi commentariis hanc eſſe eclipſin Atticam, quam triginta minimùm exemplis probat. Sed agè tibi largiamur quod petis. Quis tamen ita loquitur, *ἡ δὲ γυνὴ δεῖ φοβῆται τὸν ἄνδρα*. Dicere igitur etiam illud debuiſti, *ἡ γυνὴ* poni pro *τὴν γυναῖκα*, & *φοβῆται* pro *φοβεῖσθαι*.

AD I. REPREHENSIONEM CASTELLIONIS IN IOHAN.I.V.12. *ἐξουσίαν, hanc dignitatem.*

HOc loco, vt modeſtiſſimum hominem decuit, trium atrociſſimorum criminum me accuſas. Ais enim me propter meam quandam ſententiam pulcherrimum hunc locum depravaſſe. Et poſtea, me hanc à Chriſto poteſtatem qua poſſunt eſſe filii Dei, Chriſtianis invidere. Ac tandem etiam addis me Chriſti beneficium deprimere. Hæc tu igitur de me, homo iniuriarũ patientiſſime, in quibus omnibus niſi probaro te, tuo more, calumniatum, non recuſo quin graviſſimas pœnas luam. Pro *poteſtatem* dixi *dignitatem*. Hoc, eſſe beneficium Chriſti Chriſtianis invidere, vel deprimere, nemo vnquam dicet niſi qui dignitatem putarit minus aliquid quàm poteſtatem declarare, quod nemo faciet niſi inſaniat. Dicamus tamẽ de re ipſa. Tu dicis *ἐξουσίαν* eſſe poteſtatem, nuſquam dignitatem, aut iubes me citare locum. Ego verò quæro ex te ánnon poteſtas illud ſit quod *δύναμιν* Græci vocãt. Quòd ſi ita eſt, (vt eſt omnino) neceſſe eſt fatearis vbi iſta duo coniunguntur. (ſicut non vno loco Paulus hæc quatuor, *ἀρχὴν, ἐξουσίαν, δύναμιν, κυριότητα*, ſimul collocat) amplius aliquid illo quàm iſto nomine declarari. Sed & illud conſtat, paſſim apud Græcos ſcriptores (quod etiam doctiſſimus Budæus annotavit) *τὰς ἐπ' ἀξιώσεως*, & *τὰς ἐπ' ἐξουσίας*, eodem ſenſu dici. Itaque quod ad ipſum vocabulum attinet, non eſt quòd neges ſic poſſe converti vt ego feci. Sed quæritur an hoc loco debuerit: qua de re ſic ſcripſi in annotatione: *Hoc totum nihil aliud declarat quàm gratiam υἱοθεσίας, quam meritò vocat ἐξουσίαν, id eſt, ἀξίωσιν, quum hac ratione ſimus Dei hæredes, cohæredes autem Chriſti. Itaque qui ἐξουσίαν interpretantur eligendi poteſtatem, & hoc loco abutuntur vt liberum ſuum arbitriũ ſtabiliant (quod & ipſum dicũt à gratia non penitus præſtari, ſed præveniri duntaxat & adiuvari) ij nunquam intellexerũt quid beneficij per Chriſtũ fide cõſequamur: nempe vt non modo filij Dei eſſe poſſimus, ſi velimus, ſed etiã velimus & poſſimus.* Et mox, *Quũ alibi ſæpe ἐξουσίαν cõverterimus poteſtatẽ & authoritatẽ, vtrunq; tamẽ hoc loco repudiamus, quia non agitur de poteſtate quã habemus in alios inferiores, ſed de eo dignitatis gradu quẽ obtinem⁹ apud eũ qui eſt ſupra omnia.* Hęc igitur mea ſententia eſt, quæ & firmis rationibus nititur, & Cyrilli omniúmque interpretum authoritate confirmatur, qui gratiã Dei adverſus ætatis noſtræ Pelagianos defenderunt. Tu verò quid ſentis? Chriſtum videlicet hanc poteſtatẽ (id eſt has vires ſive hanc facultatẽ) hominibus cõtuliſſe, vt libero arbitrio poſſint fieri vel non fieri filii Dei. *Eſt enim*, inquis, *maius Chriſti beneficiũ, & Dei filiis dignius, habere liberam poteſtatem, quàm ſecus. quemadmodum maius eſt Dei in homines beneficium, quòd liberè loqui aut tacere poſſunt, quàm ſi ſine libera poteſtate loquerentur, vt aſina Balaami*. Hæc tu totidem verbis: quæ etiamſi verè abs te dicerentur, tamen contra me non facerent. Quid enim peccavi, ſi hoc ipſum beneficium quo tu dicis nos à Chriſto affectos, *dignitatem*, auguſtiore nimirum nomine, prius quàm *poteſtatem* vocavi? Sed res ipſa longè aliter ſe habet. Nam profectò vel ipſa Balaami aſina te redargueret, ſi viveret & fari poſſet. Quis enim hic ſtupor eſt, exiſtimare homines privari libera voluntate niſi ſit in vtramuis partem flexibilis? Nam ſi hoc verùm eſt, conſequetur nec Deum nec beatos illos Angelos liberam habere voluntatem, quum neque ille aliud poſſit quàm bonum velle, neque iſtis aliud quàm Dei voluntas placere. Imò & illud abſurdum conſequetur, nos cum vita illa beata quam expectamus, arbitrii libertatem amiſſuros. Vides igitur quouſque te profanum iſtud ingenium tuum abripiat? Res autem ita ſe habet:

1. Homo ante lapſum potuit bene velle, ac proinde non peccare & non mori, quod ad voluntatem ipſius attinet quæ recta erat: potuit etiã peccare & mori, ſicut res ipſa oſtẽdit,

dit, quia ſic erat recta ipſius voluntas, vt etiam eſſet mutabilis.

Idem homo poſt lapſum penitus peccato addictus, non poteſt non malè velle, nō po- II.
teſt non peccare, non poteſt non mori, niſi per Filium Dei liberetur ipſius voluntas, quæ etſi peccato ſeruit, tamen voluntas eſſe non deſinit, quoniam ſpontaneo motu mala ad malum fertur.

Regeneratus autem homo, quandiu quidem hîc hæret, id eſt, tantiſper dum plenè III.
in cælo glorificatus, nec peccare nec mori amplius poſſit, partim liber eſt, partim ſeruus, ſiue partim caro, partim ſpiritus. Itaque quatenus quidem caro eſt, peccat, nec tamen ad mortem, quia credentibus non imputantur peccata: quatenus verò ſpiritus eſt, non dico iam vt tu, poſſe eum bene velle, vel malè: ſed hoc dico, eum reipſa bene velle, & reipſa odiſſe peccatum, quoniam non eſt in media quadam conditione (ſicut tu vis) vt poſſit filius Dei eſſe, vel non eſſe: ſed reuera hunc dignitatis gradum eſt adeptus vt ſit filius Dei per adoptionis ſpiritum.

Neque enim per Chriſtum ſumus duntaxat reſtituti in integrum, ſed potius multo IIII.
plura adepti per gratiam ex altero Adamo, quàm in illo priore per naturā amiſerimus.

Quòd ſi mihi nondum credis, agè ſumamus Petrum pro exemplo. neque enim inficiari potes Petrum habuiſſe iſtam *ἐξουσίαν* de qua hîc agitur. Quæro igitur an exiſtimes Petrum hactenus fuiſſe confirmatum Chriſti precibus, vt quamuis à fide non prorſus defecerit, potuerit tamen deficere ſi vellet, & ab adoptione excidere quæ à Iohanne deſcribitur hoc in loco. Si ita exiſtimas, oppono tibi Auguſtinum, (ne tibi mecum negotium eſſe putes) qui ſic ſcribit ad Valentinū illum cuius veſtigiis inſiſtis: *An audebis,* inquit, *dicere, etiam rogante Chriſto ne deficeret fides Petri, defecturam fuiſſe ſi Petrus eam vellet deficere? Quaſi aliud vellet Petrus vllo modo quàm pro illo rogaſſet Chriſtus vt vellet.* Et alibi in eodem tractatu, *Iſtam,* inquit, *gratiam non habuit homo primus, qua nūquam vellet eſſe malus, ſed habuit in qua ſi permanere vellet nunquam malus eſſet.* Et mox, *Sed hæc gratia potentior eſt in ſecundo Adam. prima enim eſt qua fit vt homo habeat iuſtitiam ſi velit. ſecunda plus poteſt, qua etiā fit vt velit, & tantopere velit, tantoq́ ardore diligat vt carnis voluntatem contraria concupiſcentē, voluntatem Spiritus vincat. Nec illa quidem parua erat: ſed hæc tanto maior, vt parum ſit homini per illam reparare perditā libertatem: parum ſit denique non poſſe ſine illa vel apprehendere bonum, vel permanere in bono, ſi velit, niſi etiam fiat vt velit.* Hæc ille: ac meritò quidem, quia nō dixit Chriſtus, *Omnis qui audiuit à Patre & didicit, poteſt venire ad me,* ſed, *Omnis qui audiuit à Patre & didicit, venit ad me.* Itaque, (vt ſemel abſoluam) nimiùm ieiunum eſt Poteſtatis nomen hoc in loco, nec melius aliunde prodere tuum Pelagianiſmum potuiſti. Iudicet igitur Eccleſia vter Chriſti beneficium deprimat, & Chriſtianis inuideat.

Ad II. reprehensionem in Iohan. 1. v. 14.
καὶ ἐσκήνωσεν, & commoratus eſt.

Cur maluerim *cōmoratus eſt* interpretari quàm *habitauit*, pluribus dixi in annotationibus: nempe vt intelligamus temporariam fuiſſe in terris corporalem Chriſti manſionem. Hoc tu quidem fateris, ſed negas propterea mutandum fuiſſe vocabulum. At ego malo proprietati verborum inhærere, quoties præſertim (niſi id obſerues) periculum eſt ne falſa interpretatione ſententia corrumpatur. Tu igitur vel oſtende nō fuiſſe à nobis propriè expreſſum Græcum vocabulum *σκηνοῦν*, vel moleſtus eſſe deſine. Sed obiicis quòd Apocalypſ. vigeſimoprimo, v. 3, *σκηνώσει* verterim *habitabit*. nempe quia de perpetua inhabitatione ibi diſſeritur. Quis enim neſcit vocabula nō ſemper propria ſignificatione accipi? quanquam ibi certum eſt alluſionem eſſe ad legale tabernaculum, ſicut totus ille liber ſcatet eiuſmodi dicendi generibus. Obiicis præterea quòd 2. Corinth. duodecimo, verſ. 9. *ἵνα κατασκηνώσῃ*, interpreter, *vt inhabitet.* Sed cauſam huius interpretationis in annotationibus expreſſi, quam ſi non probas, refellere debuiſti. Denique dicis Chriſti moram in Capernaum fuiſſe temporariam, & tamen Chriſtum dici ibi *κατοικῆσαι*, Matth. 4. v. 13. Eſto. Etſi enim Chriſtus in hoc mundo quaſi in diuerſorio commoratus eſt (quam etiam ob cauſam Petrus huius noſtræ vitæ curriculum *παροικίαν* appellat) tamen hoc non impedit quo minus, ſi loca in quibus verſatus eſt, inter ſe compares, alicubi propriè dicatur habitaſſe, vt primùm in vrbe Nazareth, deinde in vrbe Capernaum, vbi videlicet domicilium habebat: alibi verò duntaxat commoratus fuiſſe, vt in hoſpitiis ſolent viatores.

AD III. REPREHENSIONEM IN IOHAN.6.V.29.

τοῦτό ἐστι τὸ ἔργον τοῦ θεοῦ, hoc illud eſt Dei opus,&c.

EGO in hunc locum ita ſcripſi, *Dei opera dicuntur quæ Deus exigit à nobis, ſiue quæ ſunt Deo grata. Nam quia operũ dimentio facta erat, & vita æternæ, ideo iſti (vt homines ſolent) ſtatim cogitant vitã æternã ab implendæ legis conditione pendere. Neſciunt enim quæ ſit Dei iuſtitia, dum ſuam volunt ſtabilire: neque Chriſtum habent pro Mediatore, ſed pro inſigni aliquo legiſlatore, aut legis interprete. Itaque Chriſtus eos ad fidem & ad Mediatoris officiũ, id eſt gratuitam reconciliationẽ, reuocat, de qua Paulus Rom.30.v.20, & 21. Nam quòd in proximo verſiculo fidẽ vocat opus Dei, ego quidẽ non accipio paſſiue pro opere quod à Deo efficiatur in nobis, (quamuis vera ac pia ſit hæc doctrina, quia fides donum Dei eſt, vt ait Apoſtolus 1.Theſſ.3.v.2, & Epheſ.2.v.8.) ſed potius per μίμησιν explicandum puto. Eſt enim hoc quoq; dicendi genus petitũ e medio, vt ſi quis ad medicũ accedens, ab eo peteret quanta accepta pecunia velit ſibi remediũ afferre, & medicus his verbis reſpõdeat, Omnis pecunia quã à te peto, hæc eſt, vt mihi cõfidas, & tibi perſuadeas me nihil aliud quàm ſalutẽ tuã quærere. Si medicus, inquã, ita reſpondeat, quis ex hoc reſponſo eliciat, pecuniam eſſe iſtam confidentiã quã medicus ab ægroto flagitat, vt ſanus conſiliis obſequatur? Sunt igitur planè ridiculi (vt alios paralogiſmos omittam) qui ex hoc loco eliciunt fidẽ eſſe opus, & nos per opera iuſtificari.* Hęc eſt mea explicatio: quæ quũ tibi manifeſtè Pelagiano diſplicerer, carpere quidem integram non auſus es, ſed ſimilitudinem à me propoſitam reprehendiſti. *Neque enim*, inquis, *petunt Iudæi quódnam præmium Chriſto medico ſoluere, aut quid ei præſtare debeant, ſed quid ipſi facere debeant ad conſequendam vitam æternam.* Quaſi verò peccatores, qui putant ſeſe ſuis operibus poſſe vitam æternam promereri, non perinde faciant acſi quis ægrotus velit cum medico paciſci. Quorſum enim alioqui operum & ſatisfactionis & meriti nomina toties à Sophiſtis repetita? Dico igitur ſtare hanc ſimilitudinẽ, & optimè huic argumento conuenire, quamuis à me nõ fuerit initiò propoſita vt rem ipſam explicarẽ, ſed ſimpliciter vt genus ipſum loquendi è medio petitum eſſe oſtenderem: quẽ tropũ Donatus *ἰδιωτισμὸν* vocat. Quid ſi igitur Deum compararẽ cum iudice qui nec Deũ nec homines timeat, vel Chriſtum cum fure? quos clamores excitares? & tamen hoc facerẽ Chriſti ipſius, & Pauli & Petri exemplo, Luc. 18.v.2, & 1.Theſſ.5.v.2, & 2.Petr.3.v.10. Iniquum enim eſt ſingula vrgere in comparationum ſimilitudine, ſed ſcopus duntaxat conſiderandus eſt. Tu verò quam ſimilitudinem afferas, agè audiamus. *Perinde eſt*, inquis, *acſi quis medico dicat. Quódnam opus mihi faciendum eſt vt ſanitatem recuperem? cui medicus reſpondeat, Sanatorium opus eſt* (ſic enim tu Latinitatis ſtudioſus loqueris) *vt in me credas, & credẽdo, te mihi ſanandũ præbeas, qua ratione ſanari poteſt ægrotus: videlicet per fidem meæ voluntati obſequẽdo, & ab iis abſtinendo & iis veſcendo quæ ego præſcripſero. Debet enim non ſolùm medicus, ſed & ægrotus officio fungi. Hanc eſſe Chriſti ſententiam apparet ex ſequentibus, vbi docet ad ſe veniendũ, & ſuam carnem comedendam, ſanguinémque bibendum ei qui velit eſſe ſaluus. Quæ certè ſunt opera Dei, nec tamen ſunt fides, ſed fide fiunt, & ad ſalutem neceſſaria docet Chriſtus.* Hæc tua ſunt, Caſtellio, ſanè falſiſſimè & ineptiſſimè ſcripta. Quãuis enim quoties de vera illa fide agitur, fructus cum radice cohærere intelligantur, tamen quum fidei tribuitur iuſtificatio & vita, obſeruãda eſt excluſiua particula SINE OPERIBVS. Fateor igitur etiam requiri ægroti officium, ſed quod ipſe nonniſi quatenus iam ſanus eſt præſtare poſſit, atque adeò quod inter cauſas propriè ſanitatis efficientes non poſſit recenſeri. Fides eſt ex auditu: audiendum eſt igitur verbum Dei. Fateor, ſed neceſſe eſt vt prius qui nos audire iubet, aures nobis tribuat ad audiendum. Veniendũ eſt ad Chriſtum, quia nobis in eo vno promittitur ſalus: ſed gratia, nõ natura, hos pedes nobis largitur. Oportet nos vnum cum eo fieri, vt vitam ex eo hauriamus: ſed huius coalitionis vinculum eſt fides, quæ eſt donum Dei. Hæc vera ſunt igitur, ſed à te neque rectè explicãtur, neque appoſitè dicuntur. Nam quod hîc dicit Chriſtus de fide, etſi de viua fide intelligitur, tamen de SOLA fide dicitur, ſicut ex Iudæorum interrogatione liquet. Quærunt enim quibus operibus poſſint vitam æternam conſequi. Chriſtus ergo quum ad fidem eos reuocat, omnia opera excludit. Quod ſi tu non fateris, ab Eccleſia Dei diſcedito, & ad Papiſtas manifeſtè deſciſcito.

Dicis poſtea Paulum ſimiliter loqui, dum *fidẽ* vocat religionem Chriſtianam, quæ cõtinet omnia officiorum genera. Sed hoc rurſus & falſiſſimè & ineptiſſimè dicitur. Nã illi metonymiæ, ſiue (vt aliis placet) ſynecdochæ, qua fides pro tota doctrina Chriſtiana accipitur, nullum hîc locum eſſe paulò antè oſtendimus. Addis poſtea, ſimili etiam

ratione pórtas accipi pro vrbibus: quod ſi verè dicitur, cõſequetur valere Origenis ſynecdochen, qui exiſtimat illo Pauli dicto, Fide iuſtificamur, contineri omnes virtutes quæ cum fide neceſſariò cohærent, quia videlicet non animaduertit fidem, quũ ei tribuitur iuſtificandi effectus, non conſiderari quatenus eſt qualitas inhærens, ſed relatiuè, ſiue quatenus eſt inſtrumentum, quo vno Chriſtum, iuſtitiam & vitam noſtram, apprehendimus. Atque vtinam in eodem luto non hæreas. Dicis poſtea Matthæi 19. ſimili ratione *παλιγγενεσίαν* accipi pro ſtatu renatorũ, quod falſum eſt: & *ἀδικεῖν* pro ſontem eſſe, quod nuſquam inuenies: & *φεύγειν* pro profugum eſſe, quod propriè & ſine tropo dicitur. Itaque te rurſus ad Grammaticorum ludum ablego.

AD IIII. REPREHENSIONEM IN IOHAN. 15. V. 22.
ἁμαρτίαν οὐκ εἶχον, peccatum non haberent.

HOc Chriſti dictum annotaui mihi videri per conceſſionem, ſeu potius *μιμητικῶς* explicandum, vt ſi de fure deprehenſo ac conuicto dicas, Niſi iſte conuictus teneretur, eſſet omnium innocentiſſimus, id eſt, clamitaret ſe omnium innocentiſſimum eſſe. At tu mauis Chriſtum non loqui de quouis peccato, ſed de peccato repudiati Chriſti: quam expoſitionem quum ſis ab iis mutuatus quorum iudicium (ſicuti debeo) plurimi facio, ne ipſe quidem repudio. Sed in ea tamen explicatione quam attuli, nihil abſurdi continetur.

In Acta Apoſtolorum.

RESP. AD DEFENSIONEM I, ACT. I. verſ. 4.
καὶ συναλιζόμενος, & eos frequentando.

SI *συναλίζεσθαι* (inquis) *eſt congregari, vt eſt, non incommodè hoc loco conuerti, Frequentando, & ſe ad eos congregando.* Atqui, *frequentare* Latinis non ſignificat *frequenter conuenire*, ſed *efficere vt aliquid ſit frequens.* dicitúrque tum de rebus, tũ de perſonis. Itaq; de vno quopiã, niſi qui fortè multos ſecum trahat, vix, ac ne vix quidem, opinor, apud idoneos Scriptores illud inuenies: quãuis in Latino lexico illa ſignificatio annotetur quam tu ſequutus es, ſed perperã vt alia multa. Neque tamen ego hoc annotaui propter Latinitatem, de qua propriè non laboro: ſed idcirco quòd vbi plana & vulgata vocabula occurrunt, obſcura & ignota deligi non placeat. Sed & res ipſa oſtendit, quanuis id diſſimules, te ſequutum eſſe veteris interpretis veſtigia, qui vel *conueſcens* interpretatur, vel *conuerſans*, vt in quibuſdam codicibus legitur. Cæterùm quòd meam etiam interpretationẽ reprehendis, videamus quo iure facias. Primùm requiris vt probem *συναλιζόμενος* eſſe verbum medium. Atqui ſatis eſt mihi quòd non repugnet verbi forma: quoniam alioqui difficillimum eſſet omnium mediorum verborum exempla proferre. Deinde quòd exiſtimas Lucam potius ſcribere debuiſſe *συναλισάμενος*, ſi verbum medium eſſet, non rectè exiſtimas. Neque enim ſenſus hic eſt, Chriſtum eos congregaſſe, & eis poſtea præcepiſſe ne diſcederent ex vrbe: ſed hic potius, Chriſtum, prout his & illis diſperſis apparebat, (ſicut ex hiſtoria conſtat) præcepiſſe eis vt in vrbe manerent, vt eos diſperſos rurſus in vnum veluti corpus colligeret. Ideóque ſubiicit Lucas, *οἱ μὲν οὖν συνελθόντες, poſtquam igitur conueniſſent*, in vrbe videlicet, ex Domini mandato. Sed etiamſi ſententiam tuam ſequamur, eiuſmodi enallagen ſingulis penè paginis occurrere non ignoras, cuius ſaltem exemplum inuenire potuiſti Heb. 2. v. 16.

AD DEFENSIONEM II, ACT. I. V. 7,
ἐπελθόντος εἰς ὑμᾶς, qui vos inuadet.

DIXI Inuadendi verbum non conuenire, quoniã inuadere alium non dicitur qui iuuandi cauſa accedit. Tu verò citas Virgilianũ illud *Inuadere viã: in quo verbo,* inquis, *mihi videtur quadã eſſe vehementia qua impetũ illũ Spiritus ſancti exprimat, qui ſuos tanquã ventus aggrediatur.* At ego dico, poeticum illud eſſe, *καὶ ἅπαξ λεγόμενον*: & verbũ *ἐπέρχεσθαι* nihil eiuſmodi declarare, ſed id potius quod in mea annotatione explicaui, nimirũ cælitus illabi, quod verbo Superueniendi optimè declaratur. Et quũ tu dicis hunc locũ ſic quoque vertere tibi licuiſſe, *Vim Spiritus ſancti vos aggreſſi*, errorẽ duplicas. Dixi etiã aliquid de tempore à te neglecto, quoniã *ἐπελθόντος* vertiſti *qui inuadet*. Tu verò quum reſpondes, in huiuſmodi loquutionibus ineſſe præterito participio

vim futuri temporis, dicis quidem aliquid, ſed non ſatis rectè. Neque enim hæc mixta vtroque illo tempore ſignificatio, Latinè declaratur futuro Indicandi modo, ſed Subiũctiuo, & Futurũ exactũ à Grammaticis Latinis dicitur. Itaque ſi tibi adeò placebat Inuadendi verbum, potius interpretari debueras, *poſtquã inuaſerit*: pro quo dicere malui, *poſtquam ſuperuenerit*. nec aliam interpretandi rationem ſequutus ſum in iis locis quos tu ipſe protuliſti. Itaque te rurſus in Grammaticorum ludum dimitto.

AD DEFENSIONEM III, ACT. 8. v. 23, εἰς χολὴν πικρίας ὁρῶ σε ὄντα, *acerbam tibi bilem imminere video.*

ETIAMSI ſententiam rectè expreſſiſſes, tamen hoc eſt paraphraſten potius agere quàm ſimplicem interpretem: quod tibi ferè perpetuum eſt. Rectè igitur feciſti quòd hunc locum emendaris, & rectius etiam feceris ſi cætera eiuſmodi, quæ infinita ſunt, correxeris. Porrò quòd dicis me ſine iudicio ſcripſiſſe, fel amaritudinis Deo tribui non poſſe, vide ne tu potius ſine iudicio reprehenderis. Nam ne iis quidem locis quos citas, inuenio dici fel Deo ineſſe. quod tamen vt tibi concedam, nihilominus firmum erit quod dixi, fel amaritudinis Deo tribui non poſſe, quoniam illud epitheton nuſquam niſi in vitio ponitur. Sed & illud vide, quo iudicio Apocal. 19. v. 15, & aliis plurimis locis, malueris ſæuitiam quàm furorem Deo tribuere. Nam ſæuitiæ nomen præterquàm quòd inſolenter Deo tribuitur, multo etiam eſt durius, nec Hebræo nomini אף reſpondet.

AD DEFENSIONEM IIII, πρὸ προσώπου τῆς εἰσόδου αὐτοῦ, *ante cuius ingreſſum.*

DIXI te non ſatis expreſſe hæc Græca conuertiſſe, quoniam id cæteris etiam Prophetis, quantumuis à Chriſti aduentu remotis, tribui poſſit. Tu reſpondes πρὸ προσώπου Hebr. more poni pro *ante*, & in his loquutionibus proximum tempus ſignificari, vt *Ante feſtum Paſchæ* dixit Iohãnes de tempore quod proximè antecedit Paſcha. Reſpondeo, vt hoc verum ſit, tamen non eſſe perpetuum, & hoc loco quum Iohannes vt Chriſti πρόδρομος deſcribatur, exprimendam fuiſſe propriam vocabulorum ſignificationem.

AD REPREHENSIONEM I. CASTELLIONIS IN ACT. 2. v. 27, τὴν ψυχήν μου, *cadauer meum*. εἰς ᾅδου, *in ſepulchro.*

ANimam meã in cõtextu ſum interpretatus *cadauer meũ*: in annotatione verò, *vitã meã*, quæ videlicet, corporis reſpectu, videtur quodãmodo ſepulchro, non minus quàm corpus, obrui, quanuis fons ipſius vitæ in anima reſideat. Sed & poſſumus *animã meã* loco pronominis ME accipere, pro quo dicimus in vernaculo ſermone *ma perſonne*. Quæ explicatio ſimpliciſſima eſt, & confirmatur eo quod dicitur altero membro, SANCTVM TVVM. Animæ verò vocabulum etiam corpori defuncto tribui miror te potuiſſe negare, quum id manifeſtiſſimis exemplis probetur. Leuit. 21. v. 1. ſic legitur, *Super anima non contaminetur*, לנפש. pro quo habet Chaldæa paraphraſis על מית, & Aben-Eſra exponit המת. Reſpondes, animam poni pro homine, & funus innui non Animæ, ſed Contaminationis nomine. Illud ſi concedam, pro me omnino faciet. Dico enim ſimili ratione HOMINEM atque ANIMAM de homine mortuo, id eſt cadauere, dici. Nam quòd dicis funus contaminationis nomine ſignificari, ineptum eſt, quum ſuper homine viuo poſſet etiam in Lege quiſpiam multis modis contaminari. Sed alius eſt locus eodem capite, v. 11. vbi legitur על נפשת מת, id eſt, *ſuper animas mortui*. Ibi certè negare nõ potes *animas* pro corporibus eſſe accipiendas. Quòd autẽ annotaui ex vetere verſione, *animam meam*, natum eſſe errorem, non temerè feci, quum hunc præcipuè locum à Papiſtis torqueri ad ſuum Lymbum conſtituendum videamus, & veteres etiam inde deſcenſum illũ animæ Chriſti ad inferos excogitarint. *Atenim Lucas ipſe*, inquis, *eſſet quoque corrigendus, qui Græco verbo vſus fuerit, quod nunquã cadauer ſignificat*. Reſpõdeo, de Græco vocabulo ψυχὴ, quo vſus eſt Græcus interpres, idem eſſe conſtituendũ quod

de Hebræa voce שאול: nec quicquam vetare quominus in interpretãdis ſacris literis ſpectemus ſignificationem multarum vocum potius quàm voces ipſas, quoties videlicet videmus aliquos fuiſſe ambiguitate deceptos. Quod autem addis, periculum etiam eſſe nequis putet animam Chriſti nihil aliud fuiſſe quàm cadauer, quoniam animã Chriſti in cadauer mutaui, futilius eſt quàm vt refutatione indigeat. Fateor tamen cadaueris nomen ne mortuo quidem Chriſti corpori ſatis conuenire: ac proinde in altera editione hoc mutaui: ſed eandem ſententiam ſemper retineo. Hîc enim agi de corpore & de ſepulchro nemo dubitare poteſt niſi qui velit meridie cæcutire. Nam quòd dicis te nunquam reperiſſe שאול pro ſepulchro, non minorem arguit Hebrææ linguæ inſcitiam quàm ſi diceres te nunquam reperiſſe יהוה pro Deo. Locus autẽ quem citas de Babylonio rege Iſa.14.v.19, non probat regem illum caruiſſe omni ſepultura, ſed cum regibus, ſiue regio ſepulchro non fuiſſe ſepultum. Neque enim ſcriptum eſt generaliter מקבר, ſed מקברך, è ſepulchro tuo. quod etiam apparet ex verſ.14, vbi ponitur nomen בור: quo ſignificatur fouea, itémq; ex initio verſ.20. Quos omnes locos corrupiſti, vt tuum Orcum, Titanes, & Erebum ſupponeres, id eſt, vt ſacras literas in fabulas poeticas transformares. Dicis poſtea te nunquam ſcriptum inueniſſe, aliquem deueniſſe, aut portatum fuiſſe *in Orcum*, pro *in ſepulchrum*, reſpiciens proculdubio ad diuitis illius epulonis hiſtoriam. quaſi verò ſingulæ illius ſimilitudinis partes ſpectandæ ſint, ac non potius ipſe Chriſti ſcopus. Ita alioqui nobis etiam quærendum erit quomodo loquantur mortui, & an habeant oculos, linguam & digitos in illo tuo Erebo. Sufficit ergo intelligere, Chriſtum nobis ſub illis figuris quaſi tabulam depinxiſſe, quæ futuræ vitæ ſtatum nobis pro modulo noſtro repræſentet: atque ideo nobis ipſum diuitis ſepulchrum quaſi in mediis flammis conſtituere, veluti ſi in eo non ſit mortuum cadauer, ſed viuus homo. Addis præterea aliud argumentum, quòd in Symbolo, in articulo deſcenſus ad inferos, apertè diſtinguantur inferi à ſepulchro. Hoc ego concedo, neque etiam nego inferorum nomine aliquid etiam aliud interdum ſignificari quàm ſepulchrum: quanuis non temerè factum ſit vt illud DESCENDIT AD INFEROS, in aliis ſymbolis non inueniatur. Sed, vtcunque ſit, non propterea conſequitur veram eſſe de animæ Chriſti ad Limbum deſcenſu fabulam: & hunc locum quomodo arbitrer intelligendum alibi dictum eſt. Porrò ὅσιον verti *Sanctum*, & in annotatione obſeruaui חסיד propriè ſignificare benignum & liberalẽ: quod eſt veriſſimum, quanuis ad omne beneficæ probitatis genus accommodetur. Tu verò mauis ſignificare pium & religioſum: quod ſi verum eſt, tranſigas cum omnibus Hebræis Grammaticis, & declares etiam nobis quomodo ſummo ipſi numini tribuatur.

AD REPREHENSIONEM II, IN ACT.19.V.3. *de Baptiſmate Ioannis.*

IN huius loci explicatione aſſentior iis qui Baptiſmi nomine intelligunt doctrinam Ioannis cuius teſſera fuerit baptiſmus, & multas affero rationes quibus hæc ſententia mihi videtur optimè confirmari. Tu verò mauis ſimpliciter hoc accipere, vt Baptiſmus Ioannis quo ipſe Chriſtus baptizatus eſt, diuerſus fuerit à Chriſti Baptiſmo, ac proinde Epheſij illi fuerint rebaptizati. Nec eo errore contentus, omnes eos qui aliter hunc locum explicant, hac afficis contumelia vt dicãs eos nolle à ſacris authoribus doceri, ſed potius ſententiam ſuam in ſacros (vt loqueris) authores intrudere. Magnus certè Ariſtarchus, cuius Anabaptiſtico ſpiritu moueamur.

In Epiſt. ad Romanos.

AD DEFENSIONEM I, IN ROM.2.V.15. *συμμαρτυρούσης αὐτῶν τῆς συνειδήσεως, id quod teſtabitur eorum conſcientia.*

PRÆTERQVAM quòd tuo more paraphraſten agis hoc loco potius quàm ſimplicem interpretẽ, duo etiã in te reprehendi. Vnũ, quòd hæc participia præſentis tẽporis per futurũ tẽpus cõuerteris, *συμμαρτυρούσης teſtabitur, κατηγορούντων accuſabũt*, & *ἀπολογουμένων defendẽt*. Alterũ q̃ hæc cõnectas cũ verſ. 16. *ἐν ἡμέρᾳ, in die*, &c. Ad prius reſpondes, poni interdũ præſens pro futuro: quod probas

exemplo parum appoſito. Et fateor interdum eiuſmodi enallagen occurrere, ſed cui nullus hîc ſit locus. Conſtat enim Apoſtolum totum in eo eſſe vt doceat, Gentilibus eſſe pro Lege ſuam ipſorum cõſcientiam, vtpote quæ leges pepererit quibus præcipiũtur bona, prohibentur mala, adeò vt ſeipſos abundè poſſint tum ſontes accuſare, tum inſontes defendere. Itaque futurum eſſe vt extremo illo die, & qui cõtra Legem Moſis fecerint, ex Lege Moſis: & qui non à Moſe, ſed à cõſcientia dictatã legem trãgreſſi fuerint, iuſto Dei iudicio damnati pereant. Has eſſe dixi & adhuc dico huius diſputationis partes, ita vt verſus 15. cum 12. cohæreat, & tres medij verſiculi per parẽtheſin includãtur. Ad poſterius autem reſpondes, obtuſiorem eſſe conſcientiæ ſenſum, dum peccant homines, quàm vt verè dici poſſit eos tum à ſuis accuſationibus accuſari. Atqui ſatis eſt ſi homines euicerit Paulus habere aliquã conſcientiam ex qua per ſe intelligant ſe benè vel malè agere. Et hoc ſublato, inciditur neruus totius argumentationis Pauli, quantumuis coneris id effugere. Nihilominus tamen agnoſco verſ. 16. cuius initium eſt ἐν ἡμέρᾳ, poſſe etiam cum proximis connecti, nempe ſi poſitum dicatur pro εἰς ἡμέραν, *in diem*, ſicut ſuprà, v. 5. vt ſit hæc ſententia, Iſtiuſmodi teſtimonia nõ eſſe euanida, ſed vigere ad eum vſque diem quo Dominus iudex ſedebit.

Ad defenſionem II, in Rom. 2. v. 27. σὲ τὸν διὰ γράμματος καὶ περιτομῆς παραβάτην νόμου, *te qui literas & circunciſionem habens, contra Legem facis.*

SI mihi placuiſſet nouitas, γράμμα maluiſſem alio quouis modo quàm *literas* interpretari. Sed aliud prætereà reprehendi in hac tua interpretatione, nempe quòd τὸν διὰ περιτομῆς, verteris, *qui circunciſionem habens*, id eſt, (vt ipſemet explicas) τὸν ἐν περιτομῇ ὄντα, καὶ παραβάτην, vt διὰ pro ἐν ponatur. *Nam*, inquis, *non conſtaret elegãtiſsima illa oppoſitio præputiati Legem exequentis, & circunciſi facientis contra Legem*. Ego verò nõ nego quidem διὰ pro ἐν vſurpari: (quod etiã annotaui Rom. 4. v. 11) ſed primùm reſpõdeo, ineptam eſſe illã eclipſin participij ὄντα, & linguæ Græcæ inuſitatam, propter articulum τὸν adiunctũ: itaque τὸν διὰ περιτομῆς παραβάτην rectius explicares, ὃς ἐν περιτομῇ παραβαίνεις. Sed quod ad rem ipſam attinet, cuiuis æſtimandum relinquo, vtra ſit oppoſitio vehementior, ſi præputiatus & Legem obſeruans opponatur ei qui circunciſus quidẽ ſit, ſed Legem tranſgrediatur: an verò ſi ei opponatur qui dicatur ita ſe gerere Legem tranſgrediendo, vt quum ſit circunciſus, videatur non ob aliam cauſam eſſe circunciſus quàm vt circunciſionis tranſgreſſor inueniatur. Vt ſi dicam hodie, fore vt Turcæ, qui à ſimulachrorum cultu abhorrent, condemnent coram Deo Chriſtianos, qui etſi Chriſtiani ſunt nomine, tamen ſunt ſimulachrorum cultores: certè non ita grauiter & expreſſè loquutus fuerim quàm ſi dicam, fore vt Turcæ illi condemnent Chriſtianos, qui non aliam ob cauſam videantur Chriſti nomen vſurpare quàm vt ſimulachra colendo illud cõtaminent. Hoc eſt igitur quod exiſtimo, Paulum hoc genere dicendi, τὸν διὰ περιτομῆς παραβάτην νόμου, ſignificare voluiſſe. Videris ergo quo iure in me transferas quod tibi optimo iure impegeram, quòd videlicet tua interpretatione de Pauli ſententiæ grauitate multum detraxeris. Nam quum inquis me non bene exponere quid ſit *facere cõtra Legem*, quum dico eos per ipſam circunciſionem profanare ſacroſanctum ſymbolũ, quaſi omiſſis eorum vitæ ſceleribus, damnationem tribuam ſoli circunciſionis abuſui, indignum eſt etiam quod refutem. Vnde enim abuſus iſte circunciſionis, niſi ex illis vitæ ſceleribus? Optarem igitur vt ad me reprehendendum aliquod ſaltem iudiciũ afferres, vt poſſem vel in accipiendis vel refutandis tuis reprehenſionibus proficere.

Ad defenſionem III, in Rom. 4. v. 9, ἢ καὶ ἐπὶ τὴν ἀκροβυστίαν, *an potius in præputium.*

PVTAS te hoc loco reperiſſe optimam occaſionem in me regerendi quod antea optimo iure tibi obieci: quòd videlicet quiduis in ſacris libris non modò detraxeris, aut addideris, ſed etiam immutaris. Dicis enim me arbitrio meo detraxiſſe articulum τοῖς, verſ. 12, & adiecisse vocem *Solùm*, verſ. 9, & *Demũ* verſ. 14: & verba mutaſſe, quoniam *ex Lege eſſe* aliter interpreter v. 14 quàm verſ. 16. At ego te reprehenderam quòd ἢ καὶ interpreteris *an potius*, quum καὶ non poſſit ſignificare μᾶλλον. Reſpõdes ergo

particulam

particulam καὶ eſſe ſuperuacaneam,& ἢ poni pro *an potius*,& vtrunque conaris aliquot exemplis probare:ſed quàm rectè,penes lectores eſto iudicium. Nam etiamſi ita eſſet, dico tamen hoc loco Apoſtolum non quærere an iſtius beatitatis teſtimonium circuncisis, an verò incircuncisis conueniat. Eſſet enim ineptum dicere, Apoſtolum rogare vtri conueniat quod mox affirmat vtriſque competere. Apoſtolus ergo poſtquam Abrahami hypotheſin expoſuit, eam ab hoc verſiculo incipit applicare quæſtioni propoſitæ ſuperiori capite, verſ.30.& idcirco quæſtionem ipſam repetit, Num videlicet circuncisi ſolùm, an verò etiam incircuncisi ſint iſtius beatitatis participes, idque nonniſi per fidem, patris Abrahami exemplo. Sed agè, totam tractationem in ſuas partes ſigillatim diſtribuamus.

Verſ.9. Ὁ μακαρισμὸς οὖν. Repetitio quæſtionis ſiue theſeos, ad quam applicanda eſt hypotheſis. Et ſubaudienda eſt reſponſio, affirmans propoſitionem, iſtam beatitatem ex fide non minus ad incircunciſos quàm ad circunciſos pertinere. Λέγομεν γάρ. Breuis repetitio hypotheſeos.

Verſ.10. Πῶς οὖν. Colligit pertinere hanc beatitatẽ ad incircunciſos, quæ erat pars altera propoſitionis. De circunciſis autem, id eſt de altera parte, nihil dicit, quoniam extra controuerſiam erat. Sic autem colligit, Abraham in præputio iuſtificatus eſt, ergo ad præputiatos etiam ſpectat hæc iuſtificatio. Imò ne ad circunciſos quidem pertinet ratione Circunciſionis, tantum abeſt vt propter præputium excludantur incircunciſi.

Verſ.11. Καὶ σημεῖον. Occurrit obiectioni, Cur igitur Abrahamus fuerit circunciſus ſi iam erat iuſtificatus? Vt, inquit, obſignaretur iuſtitia quam iam erat ex fide conſequutus in præputio. Εἰς τὸ εἶ). Applicatio hypotheſis ad incircunciſos credentes, quorum etiam patrem facit Abrahamum.

Verſ.12. Καὶ πατέρα. Applicatio hypotheſis ad circunciſos, quorum ſit quidem pater Abraham, ſed nonniſi ex fide.

Verſ.13. Οὐ γὰρ διὰ νόμου. Propoſitio, Ex fide æſtimandum eſſe Abrahami ſemen: quod probat, quia Abraham ipſe credendo ſit factus eius promiſſionis particeps qua factus eſt omnium gentium pater.

Verſ.14. Duplex confirmatio iſtius rationis. Nam promiſſio ex Lege apprehendi non poteſt, ac proinde fruſtra fieret, & fruſtra conditio fidei adiungeretur promiſſioni ex operibus apprehendendæ.

Verſ.15. Ὁ γὰρ νόμος. Ratio prioris confirmationis, quia Lex non conciliat nobis Deũ, ſed iram eius potius nobis denuntiat. Οὗ γάρ. Quia ex Legis tranſgreſſione patefit peccatum, quum vbi Lex non eſt, tranſgreſſio nulla ſit.

Verſ. 16. Διὰ τοῦτο. Concluſio, Ex fide apprehendente promiſſionem Abrahamo factam, & quam primus ipſe Abrahamus apprehendit, proficiſci felicitatem totius poſteritatis Abrahami. Οὐ τῷ ἐκ τοῦ νόμου. Id eſt, non tantùm eorum qui credunt, & ſimul ex Lege circunciſi ſunt. Ἀλλὰ καὶ τῷ. Sed etiam incircunciſorum, qui abſque Circunciſione & ſolius fidei reſpectu cenſentur in Abrahami filiis.

Hanc argumẽtorum ſeriem ſi quis cum iis comparet quæ in hac tua defenſione ſcripſiſti, mihi (vt ſpero) aſſentietur, & te mirabitur tam acutum eſſe dialecticũ vt ſyllogiſmos ex quinque vel ſex etiam terminis (quos vocãt) noueris cõſtituere. Iam accedamus ad tuas reprehẽſiones. Dicis me v.9, adieciſſe particulam *Solùm:* quod falſum eſt. Nam in eo ſequutus ſum veſtigia Origenis, Ambroſij, veteris interpretis, & Eraſmi: vt ſiquid hic peccatum eſt, non poſſit tamen hoc mihi propriè tribui. Sed rectè id factum eſſe tota diſputationis ſeries, & particula καὶ minimè redundans, prorſus oſtendit. Et hanc eclipſin idoneis Græcis ſcriptoribus ignotam non fuiſſe intelligi poteſt vel ex iſto Luciani exemplo, quod alibi citaui, ex Δίκη φωνηέντων, Δίκαιον οὖν οὐχ ὑμᾶς, οἳ δικάζετε νῦν, ἀλλὰ καὶ τὰ λοιπὰ γράμματα τῆς στάσεως ἔχειν τινὰ φυλακήν.

Poſtea mihi obiicis quòd addiderim vocem *demum* verſ.14. quod rurſus falſum eſt. Nam in contextu ne apicem quidem addidi, ſed in mea explicatione tum hanc vocem tum etiam alias vſurpaui, vt ſententiam Apoſtoli exponerem, idque ſine cuiuſquã præiudicio. Itaque hîc quoque, Caſtellio, falſarius deprehenderis. Denique dicis me mutaſſe verba, quoniam hanc formulam *ex Lege eſſe*, aliter exponam verſ.14 quàm verſ.16. Atqui hoc non eſt mutare verba, quæ prorſus integra ſeruaui, etiamſi non vno modo ea exponenda cẽſeam. Quid ſupereſt igitur, Caſtellio, niſi vt, ſi valet lex talionis, quam iactas, vel culpam depreceris, vel triplicatæ calumniæ pœnam luas?

AD DEFENS. IIII, IN ROM.7.V.5. *τὰ διὰ τοῦ νόμου, à lege orientes.*

APOSTOLVS nõ ſcripſit, *τὰ ὑπὸ τοῦ νόμου*, vel *τὰ ἐκ τοῦ νόμου*, quæ à Lege prodeũt, ſed *τὰ διὰ τοῦ νόμου*, quæ per Legem exiſtũt. Neque enim iſti motus à Lege, ſed à noſtra corruptione, ſiue à peccato nobis inſito proficiſcuntur: ſed per Legem exiſtunt, quatenus videlicet peccatum per Legem irritatur, non Legis, ſed ſuo vnius vitio. Itaque tuam interpretationem meritò reprehendi, vt quæ manifeſtè faueat Manichæis, in Legem Dei blaſphemis. Excipis *διὰ* ſæpe accipi pro *ἐξ*. Eſto. At nõ ſequitur quibuſuis locis iſta permutari. Profers poſtea ſimiles (vt tu quidè putas) loquutiones, quòd videlicet dicat Paulus hoc ipſo capite, *præceptum ſibi cõpertum eſſe mortiferum*: & alibi, *literam occidere*: &, *Legem eſſe miniſterium mortis. Nempe*, inquis, *per peccatum. nam peccati ſtipendiũ mors.* Hæc omnia tibi concedo, ſed quum ita colligis, Si mors à Lege infligitur, ſiue, ſi à Lege mors eſt, idcirco à Lege etiã eſſe peccatũ, mortis videlicet cauſam, nõ minus ineptè colligis quàm ſi diceres, quoniam ſcelerati legum prohibitionibus fiũt deteriores, & leges occidunt ſceleratos, idcirco à legibus furta, adulteria, & cætera id genus flagitia oriri.

AD DEFENSIONEM V, IN ROM 7.V.6. *ἀποθανόντες ἐν ᾧ κατειχόμεθα, ei mortui à qua detinebamur.*

ANNOTAVI, potius *in quo* quàm *à quo*, dicendum fuiſſe, quoniam nõ temerè ſcripſit Apoſtolus *ἐν ᾧ* potius quàm *ὑφ' οὗ*: quia videlicet agitur de peccato quod intra nos hæret. Nam in priore matrimonio allegorico quod hîc deſcribitur à Paulo, pro marito accipio Peccatum peccans, quod Originis appellãt: pro vxore, Carnem, id eſt nos ipſos quales naſcimur: pro ſobole, Peccata, ex quibus mors oritur. In altero verò, pro marito, Spiritũ, id eſt gratiam renouationis: pro vxore, nos ipſos, quatenus ſumus renouati: pro ſobole, fructus Spiritus, à quibus ad vitam tranſitur. Alij verò, quorũ ſententiæ accedis, in priore matrimonio Legẽ accipiunt pro marito. quam opinionẽ ſcio defendi poſſe, & abſit vt ſimpliciter reiiciam: ſed quid mihi magis probaretur oſtendi. Certè Græci interpretes illud *Quo detinemur*, interpretãtur *Peccatũ*. & videor adhuc mihi eas attuliſſe rationes quæ maximi ſunt momẽti, ſiue legamus *ἀποθανόντες*, ſiue *ἀποθανόντος*, quod poſterius mihi magis probatur. Placuit tamen tibi nõ omnes, ſed pleraſque meas rationes refutare. Quod quàm rectè feceris agè conſideremus. Dixi Legis nomine intelligi Decalogum, quod res ipſa oſtendit: Legem autem Decalogi nec poſſe nec debere dici nobis mortuam: quamuis dicantur Legi mortui in quibus non inuenit vim illam peccatricẽ regnantẽ, quæ à Lege irritata, gignit in nobis prauos illos motus ad mortẽ. Ad hoc reſpondes, Legem etiam eſſe mortuam Chriſtiano: quod dictum ego valde improbo. *Lex*, inquis, *non eſt iuſto poſita, ſed Legis contemptoribus*. Concedo, ſed certo reſpectu: quatenus videlicet Lex pœnas minatur trãſgreſſoribus: quo imperio nõ egent qui ſua ſponte prompti ſunt ad Dei obſequiũ. Sed, obſecro, quibus tandem Lex eſt mortua? Illis certè qui ſeſe eius præſcripto non ſubiiciunt: ſicut maritus, adulteræ vxori non eſt maritus. Sed tamen quatenus Lex trãſgreſſores pro ſuo iure caſtigat, in iis demum vim ſuam exerit, ac proinde hoc reſpectu iis ſolis poſita dicitur. Sic etiam tantum abeſt vt maritus qui ſua ſponte obedientem vxorem leniſſimè tractat, propterea non ſit ei maritus, vt contrà potiſſimùm eius maritus idcirco cenſeatur quòd ipſius vxor non viuat niſi ex eius præſcripto: ac proinde non ſit ei maritus, quod attinet ad illam poteſtatem & duritiem qua in rebelles vxores vti ſuo iure poſſunt mariti. Itaque (vt tãdem finiam) certo quidem reſpectu dicuntur Legi mortui quibus nihil eſt cum Legis terroribus cõmercij: ſed Legem nuſquam inuenio dici mortuam, ſiue de impiis ſiue de piis agatur. Nam illos minis coërcet, & iuſtis tandem pœnis caſtigat: apud iſtos verò benigniſſimi magiſtri & fideliſſimi ducis munere fungitur. Denique, quẽ habebimus meliorem ſuæ ſententiæ interpretem quàm Paulum? Is verò Rom.3.v.2. diſertè dicit, Legem non fieri irritam per fidem, ſed ſtabiliri. Abſit ergo vt tibi aſſentiar, qui Legem dicis iis eſſe mortuam quibus maximè viuit, id eſt quos habet maximè obſequentes. Neque enim Lex apud vllos magis regnat quàm apud eos qui ipſius edictis ſponte & vltro parent. Sed hoc te fefellit, quòd Legem putaſti ea tantùm parte Legem eſſe qua tranſgreſſoribus minatur. Dixi præterea, toties liquere ex Paulo, Legem pro marito accipi non debere, quoties dicit nos peccato eſſe mortuos, quatenus videlicet ſuſtinemus mariti perſonam. Reſpondes, Paulum alibi quidem dicere nos mortuos eſſe peccato, ſed in hac ſimilitudine nuſquam. Quaſi verò hæc ſimilitudo non referatur etiam ad ſuperius caput, in quo toties illud reperitur, & explicatur. Denique quid pluribus opus eſt?

Cui tribuuntur generandi partes? Certè marito. Atqui non Legem, ſed peccatum per Legem, (id eſt occaſione ſumpta ex Lege) in nobis mortem gignere, ſexies in hoc vno cap. dicitur, nēpe verſu 5.8.11.13.17, & 20. Sed excipis, nos diſertè dici Legi mortuos. Fateor. Sed non dicit Apoſtolus Legem eſſe nobis mortuam. quod tamen omnino dicendum erat: & ſanè (vt mihi videtur) dictum fuiſſet ab Apoſtolo, ſi Legē pro marito acciperet. Quòd ſi quis rurſus excipiat, ne hoc quidem dicere Apoſtolum, peccatū eſſe nobis mortuum, ſed nos potius eſſe mortuos peccato, facilis eſt reſponſio. Quoniam enim vnus & idem homo ſuſtinet tum mariti tum vxoris perſonam (quoniam videlicet maritum etiam gerit in viſceribus) idcirco permutantur hæc duo, *mortuum eſſe nobis peccatū*, &, *nos eſſe mortuos peccato*. Sed Apoſtolus iſto poſteriore libentius vtitur, vt ſciamus peccatum non eſſe quippiam externum, quod videlicet nos foris aggrediatur. De Lege verò aliud conſtituendum eſt, quæ quum ſit extra nos, poteſt in nobis eſſe efficax, (quatenus videlicet volentes ei obſequimur) ac proinde non eſſe nobis mortua: quanuis ei ſimus alio reſpectu mortui, quatenus videlicet ab ipſius maledictione liberi ſumus. Itaque propter ἀμφιβολίαν idem non valent, *Legem eſſe nobis mortuam*, &, *nos eſſe Legi mortuos*. Et quoniā illud generaliter dictum, falſiſſimum eſt, ſiue de piis ſiue de impiis dicatur, vt paulò antè oſtendimus: ideo nunquam (quod ſciam) apud ſacros ſcriptores illud inuenias, quanuis vtrunque confundas, eadem qua ſoles audacia. Sed hallucinaris in eo quòd idē eſſe tradis, *Mundus mihi crucifixus eſt*, &, *ego crucifixus ſum mundo*. Cur enim iſta ταυτολογίᾳ vteretur Apoſtolus ad Galatas, capite ſexto, verſu 14. Crucifixi ſunt igitur mundo, in quibus domitæ ſunt mundanæ cupiditates: & mundus crucifixus eſt iis quos mundus negligit, nec vllo honore dignatur? Quàm ſint autem hæc diuerſa, ex eo conſtat quòd ſæpe nulli minus ſunt crucifixi mundo, id eſt huius mundi cupiditatibus magis dediti, quàm qui ſunt nihilominus coram mundo omnium abiectiſſimi. Vtrūque autem de ſe dicit Apoſtolus, ſeſe videlicet, ſicut à mūdo deſpicitur propter Euāgelium, ita ſúſque déque ferre totum hunc contemptum: & ſicut abiicitur à mundo, ſe quoque mundum abiicere. Sed ad rem redeo. Tria præterea in mea prioris matrimonij deſcriptione reprehendis: primum, quòd Lex in ea nullum locum habeat, de qua nominatim & manifeſtè diſputat Paulus. Ego ad hoc reſpondeo, te, tuo more, manifeſtè falſarium eſſe. Nam prioris matrimonij maritum his ipſis verbis in meis annotationibus deſcripſi, *Maritus eſt peccatum, ſiue vis illa natiua ciens in nobis affectiones peccatorum, occaſione per Legem arrepta, à qua videlicet irritatur, alioqui veluti mortuum.* Hæc mea ſunt verba, ex quibus nemo non videt te ſycophātam eſſe, quum dicis Legem in hac deſcriptione eſſe prætermiſſam. Alterum vitium meæ deſcriptionis eſſe putas, quòd Deus ſit author matrimonij, ac proinde rectè dici non poſſit, hominem à Deo traditum eſſe peccato in matrimonium, ſed potius in carnificinam & mortem. Quaſi verò vel de vero matrimonio ac non potius allegorico hîc agatur, vel Deus dicatur prioris iſtius veluti matrimonij author: quaſi denique mariti nomen minus commodè peccato tribuatur quàm prolis nomen (quæ fructus nomine ſignificatur) peccatis. Quaſi denique in allegoriis & ſimilitudinibus ſingula conueniant, ac non potius ſcopum ipſum intueri ſufficiat. Quis ſit autem ſcopus Apoſtoli ſatis liquet, oſtendere videlicet, peccatum ante regenerationem, quaſi maritum quendam, ſummum ius in nos obtinere, & prauos omnes motus ex nobis velut ex coniuge gignere. Tertium vitium obſeruas, quòd nō aptè faciam ſuccedere Spiritum nouum maritum peccato veteri marito: quum ex Pauli doctrina, non peccato ſed literæ ſuccedat Spiritus, peccato verò iuſtitia. Quaſi verò in tota hac diſputatione, Spiritus carni: Lex Dei, legi membrorum: lex Spiritus, legi peccati: Intelligentia carnis, intelligentiæ Spiritus non opponatur. Quæ certè omnia nihil aliud declarant quàm ſimplex iſta peccati, id eſt corruptionis naturalis, & Spiritus, id eſt regenerationis, oppoſitio. En quo iure clamitas nos in grauiſſimis rebus errare, & Chriſti beneficium deprimere.

AD DEFENS. VI, IN ROM. 8. v. 10. *διὰ δικαιοσύνην, per iuſtitiam.*

QVIA noſtræ ætatis Semipelagiani cupidè arripiunt huiuſmodi teſtimonia vt operum iuſtitiam ſtabiliant, quæ ex diametro repugnat Dei gratiæ, idcirco in meis annotationibus admonui, hoc in loco Apoſtolum non quærere de mortis & vitæ cauſis (quanuis peccatū omnibus modis ſit mortis propria cauſa:) ſed ex quibus teſtimoniis

poſſimus intelligere an ſimus in morte, an verò in vita: ac proinde neque *δι' ἁμαρτίας* rectè hîc conuerti *per peccatum*, propter ſequentem antitheſin: neque *διὰ δικαιοσύνην*, *per iuſtitiam*, ſed dicendum eſſe potius, *propter peccatum*, & *propter iuſtitiam*: quoniam videlicet hîc agitur de iuſtitia inhærente, ſiue inchoata in nobis, quæ non eſt vitæ cauſa, ſed teſtimonium. Nam ſola iuſtitia Chriſti nobis imputata viuimus: ſed hanc eſſe nobis imputatam, ac proinde nos in Chriſto viuere, teſtantur effecta Spiritus Chriſti in nobis, id eſt ſanctificationis vitæ fructus. Verùm hæc doctrina tibi non poteſt ſatisfacere. Dicis enim, ſicut ſtipendium peccati mors eſt, ita ſtipēdium iuſtitiæ eſſe vitam. Atqui nō ſcriptum eſt iuſtum viuere ex operibus, ſed ex fide: neque dicit Paulus, vitam æternam eſſe ſtipendium iuſtitię, ſed donum Dei. Sed operæpretium eſt etiam videre quomodo hunc Pauli locum deprauaris. Primùm definis iuſtitiā ex Rom. 2. v. 6 *Deus*, inquis, *ſuis cuique factis digna ſoluet. hoc eſt, ijs qui in rectè factis perſeuerātes, gloriam, honorémque & immortalitatem quærunt, vitam æternam: cōtentioſis autem, &c. imminet ſæuitia* (ſic enim de Deo ſoles profanè loqui) *& pœna*. Hæc eſt igitur definitio iuſtitiæ a qua pendet vita æterna, ſi tibi credimus: & ita quidem, vt ſicut ſtipendium peccati mors eſt, ſic etiam ſtipēdium huius noſtræ iuſtitiæ ſit vita æterna. Sed poſtea vt videaris gratiam Dei ſtabilire, ſubiicis, hanc iuſtitiam eſſe donum Dei: quod quum intelligi non poſſit de iuſtitia Chriſti nobis imputata, ſed de iuſtitia inhærente, vt ſibi conſtet peccati & iuſtitiæ, ſiue noſtrorum vitiorum & noſtrarum virtutum antitheſis: nemo non videt quæ ſit tua ſententia de iuſtificatione: eadem nempe quæ concilij Tridentini, & Scholaſticorum, qui fatentur quidem nos per fidem in Chriſto iuſtificari, ſed quatenus præueniens illa gratia nobis donatur, vt poſtea bonis noſtris operibus perſoluatur debitum vitæ æternæ ſtipendium. Denique exiſtimant Meritum non opponi directè gratiæ Dei, ſi dixerint promerendi facultatem à Deo nobis concedi propter naturæ noſtræ imbecillitatem. Itaque audi quid dicam. Quum contra verbum Dei ſcribas, ſtipendium iuſtitiæ eſſe vitam æternam, & hanc iuſtitiam noſtris bonis operibus definias, quantumuis hanc noſtrorum bonorum iuſtitiam dicas donum Dei eſſe, dico, affirmo, vociferor, te impurum eſſe Papiſtam, blaſphemum in Dei gratiam, & niſi reſipueris, indignum quem Chriſtiana Eccleſia in ſuis viſceribus foueat.

AD DEFENSIONEM VII, IN ROM. II. V. 29, *ἀμεταμέλητα, irreuocabilia.*

HANC interpretationem nō reprehendi vt falſam, ſed dixi, quod iterum dico, mihi magis placere vt à vocabulis Apoſtoli quamminimùm diſcedamus. Itaq; prætuli Eraſmi periphraſin, *vt eorum pœnitere non poſſit.*

AD DEFENSIONEM VIII, IN ROM. 14. V. 1. *προσλαμβάνεσθε, opitulemini. & Rom. 15. v. 7. προσελάβετο, opitulatus eſt.*

EGO malui interpretari *aſſumite*, id eſt adiungite vobis, ad eum videlicet confirmandum: tantum abeſt vt infirmorum imbecillitate offenſi, debeamus iſtos, quaſi nobis graues, faſtidire & procul repellere. Nam ſic quoque dignatus eſt ipſe Chriſtus ad nos accedens, nos aſciſcere, quos faceret gloriæ Dei participes. Tu verò mauis τὸ προσλαμβάνεσθε confundere cum ἀντιλαμβάνεσθε, & vtrunque vno Opitulandi verbo interpretari. Atque ita etiam pulcherrimum & maximi momēti locū deprauaſti Heb. 2. v. 16. Sed hanc enallagen videamus quibus argumentis probes. *Solet*, inquis, *vbi infirmitatis fit mentio, verbum adhiberi quod opem declaret, vt ἀντέχεσθαι, 1. Theſſ. 5. v. 4,* & *ἀντιλαμβάνεσθαι, Act. 20. v. 35.* Hæc concedo: ſed inde confici nego, hæc omnia verba ſimiliter interpretanda, quamuis eòdem ſpectent: atque etiam nego vllum iſtorum reſpōdere Latino verbo *Opitulari*. Nam *ἀντέχεσθαι* ſignificat quaſi labantem retinere: & *ἀντιλαμβάνεσθαι* manu prehendere, ſubleuandi & fulciendi cauſa. Eodem planè iudicio ſcripſiſti *ἀφίστασθαι* idem ſignificare atque τὸ *σκανδαλίζεσθαι*, quòd Matthęus iſto, & Lucas illo verbo ſit vſus in eadem parabola. Quaſi verò Euangeliſtæ vbique ſynonymis vſi ſint in iiſdem rebus narrādis. Profers etiam illud ex Gal. 6. v. 2, *Alij aliorum onera portate.* ſed quorſum? Nam quod dixi, aſciſcendos eſſe nobis fratres, iſti ſententiæ nō repugnat. neque *opitulari* idem eſt atque *alterius onus portare*, quum illud multo latius pateat.

AD EANDEM DEFENS. IN EVNDEM LOCVM, *μὴ εἰς διακρίσεις διαλογισμῶν, nulla cum animi dubitatione.*

CERTVM eſt infirmos hîc ab Apoſtolo vocari, qui in cognitione beneficij Chriſti nõn ita promouerunt vt penitus ſciant quid ſibi liceat vel minus. Monet itaque Apoſtolus eos qui ſunt eruditiores, vt iſtorum infirmam conſcientiam non faſtidientes eos ſibi adiungant: ſed ita vt ſeſe ad eorum captum tota vita accommodent, (in rebus medijs videlicet) neque varijs & perplexis quæſtionibus eos fatigent, quibus illi deterreantur potiùs quàm proficiant. Tu verò maluiſti interpretari, *nulla cũ animi dubitatione opitulemini*. id eſt (vt ipſemet exponis) nolite dubitare an ſit eis ſubueniẽdum. Iudicet lector vtra interpretatio ſit vberior, & huic diſputationi accommodatior.

AD REPREHENSIONEM I, ROM. I. V. 4, *κατὰ πνεῦμα, ſecundum Spiritum.*

SCRIPSI in annotationibus, me nõ reperiſſe *κατὰ πνεῦμα*, pro *πνεύματι*, ſiue *διὰ τοῦ πνεύματος*. Tu verò profers exemplũ ex cap. 2. v. 5, vbi *κατὰ τὴν σκληρότητα* putas poni pro *τῇ σκληρότητι*, vel *διὰ τῆς σκληρότητος*: ſed malé. Nã *κατὰ* eo loco id declarat quod Latinis *pro* in iſtis loquutionibus, *pro tua humanitate, pro tua contumacia*, & ſimilibus. Melius ergo conueniret exemplũ ex Marc. 1. 27. vbi *κατ' ἐξουσίαν* videtur efficientẽ cauſam declarare. Sed (vtcunque ſit) dixi in annotationibus cur malim *κατὰ* ſignificare hoc loco relationem, ſiue quem vocant reſpectum, ſicut in oppoſito membro, *κατὰ σάρκα*.

AD REPREHENSIONEM II, IN ROM. 6. verſu 5, *εἰ σύμφυτοι γεγόναμεν τῷ ὁμοιώματι τοῦ θανάτου αὐτοῦ.*

ERASMVM reprehendi quòd *σύμφυτοι* verterit *inſititij*: minimè id quidem quòd negẽ nos oportere Chriſto inſeri (ſicut expreſſè dixi, quod tu tamẽ diſſimulas) ſed quia proprietatem vocabuli Græci malui retinere. Conatus ſum igitur vtcunque hoc explicare, ſumpta ſimilitudine à muſco, fungis, viſco, & cæteris quæ ita adhærent arboribus vt earum ſucco viuant. Hanc autem comparationem duobus argumentis improbas. Primùm, quia illa quæ dixi, quum ſint extra arborũ corticem, arboris ſucco non viuunt, ſed quodã potiùs excremento: idque etiã interdum arbore iam emortua. Arqui quod ad viſcum attinet, certum eſt ipſi arborum cortici implantari, & vitalem inde ſuccum haurire, atque adeò areſacta penitus arbore interire. Alia verò etſi exteriori cortici adhærent, fibris tamen implantata cohæreſcunt: & ſiue ſucco vitali, ſiue ſolo humoris excremento viuunt, hoc quicquid eſt nutrimenti ab ipſa arbore exugunt. Alterum tuum argumentum eſt, quòd fungis cum arboribus nulla ſit mortis & vitæ communitas. Neque ego verò hæc exempla citaui quaſi omni ex parte reſpondeant, ſed in eum finem duntaxat vt appareret omnem vitam à Chriſto in nos quaſi cum ipſius corpore coaleſcentes defluere. Quòd ſi magis accommodata ſimilitudo quæritur, ſumantur quæ inſitione coaluerunt. Nam vtcunque ſit, *σύμφυτον γεγονέναι*, & *ἐγκεντρισθῆναι*, res diuerſas declarãt, quanuis quæ inſita ſunt, arctiſſimè poſtea coaleſcant.

IBIDEM, *τῷ ὁμοιώματι, conformatione.*

ID eſt, Eo quòd communicatione mortis ipſius fiamus ipſi conformes: quia ſicut ipſe mortuus eſt peccato, ita & nos eum eo & per eum ſumus peccato mortui, & ſic in morte cum eo conuenientiam habemus. Nam *ὁμοίωμα* eſt effectum ipſius *ὁμοιώσεως*, ideóque, ſi licuiſſet, conformitatem libenter eſſem interpretatus. Eraſmus autem ſimilitudinem interpretatus eſt, & tu quoque. quod ego ideo repudiaui quoniam Pelagiani facilius poſſint ex eo ſtabilire ſuum illud de imitatione commentum, quàm ſiquis conformationem dicat. Nam hoc verbale nomen (cuiuſmodi etiam eſt Græcum *ὁμοίωμα*) includit verbi actionem, vt quum audimus conformationem mortis Chriſti, ſimul intelligamus à morte Chriſti tanquam cauſa iſtam noſtri cum Chriſto conuenientiam effici, non autem à noſtra imitatione, vtpote quæ ſit iſtius conuenientiæ non cauſa efficiens, ſed effectus ac teſtimonium. Præterea ſimilitudo mortis Chriſti videri poſſet veræ Chriſti morti opponi. vnde nemo non videt quàm multæ abſurdæ opiniones naſci poſſent. Deinde certum eſt *ὁμοίωμα* & *ὁμοιότητα*, quæ perperam confundis, non minus inter ſe differre quàm effigiem à ſimilitudine. Itaque non temerè (vt tu putas) cõforma-

tionem malui quàm ſimilitudinem interpretari, quanuis ne illud quidem mihi ſatisfaciat.

Ibidem, v.6. *ἵνα καταργηθῇ, vt eneruetur.*

Hic tibi viſum eſt (homini ſanè modeſto,) pro eo zelo quo ferues, vehementius in me tonare, quòd ſumma licentia vtar, & Chriſti beneficium planè eneruē, ſicut multis aliis in locis obſeruaſti. Sed profectò, ſiue hæc ſuperbia eſt, ſiue iudicii error, quo magis video me tibi & tui ſimilibus diſplicere, eo magis mihi videor nonnihil in ſeria Euangelii cognitione profeciſſe. Quid eſt igitur quod tuū zelum, alioqui moderatiſſimum, vſque adeò coegit ebullire? Quia *καταργεῖσθαι* ſum interpretatus eneruari. Atqui tu ipſe teſtaris me alibi in eodē argumento vſum eſſe Abolēdi verbo, nēpe 1. Pet. 4. v.1. & Iohan. 1. v.29. Obſecro igitur quid amplius requiris, quàm quod tute à me ſcriptū cōfiteris? *Atenim*, inquis, *veterē interpretē reprehēdis qui verterit Deſtruatur, & porrò me, qui Aboleatur.* Verùm (vt ſemel tibi ſit de his reſponſum) vocabula ſæpe reprehēdo quibus alii interpretes vſi ſunt, quanuis ſententiā eorum non improbē, ideóq; ſoleo verba Græca adiicere, ex quibus intelligantur, etiāſi ſententiam expreſſerint, tamē proprietatē vocabulorū non ſeruaſſe: ſicut hoc in loco admonui *deſtrui* verbū potius reſpōdere τῷ καταλύεσθαι, & *aboleri* τῷ ἀπόλλυσθαι. Cur autem Eneruandi vocabulum vſurparē, primùm eam cauſam habui, quòd ſtudui propriā verbi ſignificationem exprimere, quā expoſui Rom. 3. v.31, & ſcholiaſtes Græcus 1. Corinth. 15. v.24. interpretatur ἀνενέργητον ποιεῖν, vbi tamen ſum vſus Abolendi verbo. Deinde (vt mihi quidē videtur) impropriè diceretur aboleri corpus peccati, id eſt, homo cui ineſt vitioſa illa qualitas quā peccatum vocat. Nam homo per ſe manet ſuperſtes, atque adeò non tam vires ei adimuntur quàm tollitur vitium, quum redditur ad non peccandum idoneus. Eò verò reſpexiſſe Apoſtolum apparet etiā ex eo quod ſubiicitur, *vt non ſeruiamus amplius peccato.* Hinc enim conſequitur, non eſſe hoc propoſitum Paulo vt ſimpliciter dicat, nos quibus peccatum ineſt aboleri, ſed tantùm reſpectu peccati καταργεῖσθαι, id eſt, in eum ſtatum redigi vt illa vitioſitate ſublata peccare amplius nō poſſimus. Deſcribit enim Apoſtolus noſtram ſanctificationem, non qualis nunc eſt (vtcunque videlicet inchoata) ſed qualis tādem erit in altero ſeculo. quod declarat Chryſoſtomus his verbis ταύτῃ γὰρ βούλομαι τὸ σῶμα εἶναι νεκρόν, οὐχ ὥστε ἀφανισθῆναι καὶ ἀποθανεῖν, ἀλλ᾽ ὥστε μὴ ἁμαρτάνειν. Deſine igitur calumniari, ſi potes. Nā qui omnes ſalutis noſtræ partes vni gratiæ Dei in Chriſto ſola fide apprehēſo, in ſolidū acceptas refert, & ſanctificationē Spiritus ab eadē gratia manātē, dicit à iuſtificatione ſeparari nunquā poſſe: is certè Chriſti beneficiū non eneruat. Sed ſcire vis quinam Chriſti beneficium eneruent? Qui vitam æternam faciunt noſtræ iuſtitiæ ſtipendium, ſicut mors eſt ſtipendium noſtrorum peccatorum: qui denique dubitāt an illæ voces, *Non facio bonum quod volo*, &, *Delectat me Lex Dei ſecundum internum hominem*, & *Mente ſeruio Legi Dei*, ſint hominis ψυχικοῦ, an verò regenerati: qua de re diximus in præfatione.

Ad reprehensionem IIII, in Rom. 7. v.14.
Ego verò carnalis ſum.

De hoc Pelagianiſmo vide huius reſponſionis præfationem.

Ad reprehensionem V. in Rom. 9. v.6. οὐχ οἷον δὲ ὅτι ἐκπέπτωκεν ὁ λόγος τοῦ Θεοῦ, *fieri tamen non poteſt, vt exciderit ſermo Dei.*

Hanc interpretationem reprehendis, primùm quia οἷον, dum pro οἷόν τε (hoc eſt δυνατόν) ponitur, aliter conſtruitur: deinde quòd non cohæreat ſententia. De cōſtructione, fateor potius vſurpari ſolere infinitum modum: ſed quis non animaduertit Hebræam periphraſin, ὅτι ἐκπέπτωκεν, pro ἐκπεπτωκέναι? Sic enim hanc ſentētiam exprimerent Hebræi אין אשר כי נפל רבר ארוני ארצה. Sed operæpretiū eſt audire quàm ingenioſè hunc locum explicaris. Dixerat Paulus ſe tantopere affici fratrum & cognatorum ſuorum exitio, vt optarit etiam, ſi fieri poſſet, eos ſua ipſius damnatione redimere. Addiderat etiam luculentam narrationem eorum beneficiorum quibus illa gens fuerat olim affecta, vt oſtenderet tanto acerbiorem eſſe tantam rerum omnium mutationē. Hinc arripit futuræ diſputationis proœmium: & quoniam hoc primum omniū occurrebat, qui fieri poſſet vt gens à Deo ad ſalutem electa, eſſet tamē iſtius beneficii expers: negat

negat propterea verbum Dei,(id eſt quod ſemel Deus decreuit) excidiſſe,& quomodo explicanda ſit promiſſio, declarat. Hanc verò ſententiam quum negas cohærere, quid aliud, obſecro, probas quàm te prorſus inſanire? Videbor nimirum quibuſdam acerbius loqui: ſed iterum dicam, Nō recuſo inſanus haberi, niſi vel hic vnus locus te probet vel prorſus amentem eſſe, vel in deprauandis ſacris literis inſigniter peruerſum: ſiquidem pati non potes vt dicamus, quod ſemel Deus ſanciuit irritum fieri non poſſe: quā eſſe verā huius loci ſententiā omnes interpretes confirmant, & res ipſa clamat. Nunc ergo audiamus qua paraphraſi hunc locū explices in Pauli perſona. *Quòd tātùm Iſraelitis ſecūdum carnē tribuo,* (atqui eos potius ad imos vſque inferos detruſerat, quū detracta illis ornamenta recenſens, diceret eos eſſe anathema) *poſſet aliquis obijcere me immemorē videri diuini oraculi, quo traditur veros Iſraelitas eſſe, non eos qui ſecundum carnē, ſed qui ex promiſſione nati ſunt.* (atqui hæc nō ſunt Dei, ſed Pauli verba, hanc concluſionē elicientis ex illo Dei dicto; In Iſaac vocabitur tibi ſemen: neq; hæc obiiciūtur Apoſtolo, ſed ab eo reſpondētur ad obiectionē vt probaret Dei verbū nō excidiſſe, etiāſi carnales Iſraelitæ eſſent reiecti.) *Ad quod ego Paulus reſpondeo, mihi dictū illud nō excidiſſe. Scio & memini ita eſſe.* En quo iudicio ſacras literas interpreteris. ἐκπίπτειν, pro quo Hebræi dicunt נפל ארצה, id eſt in terram cadere, vt 2. Reg. 10. v. 10. cui opponitur עמד & קום, id eſt perſtare Eſa. 40. v. 8. tu interpretaris, *excidere è memoria.* atque ita pulcherrimā & dulciſſimā ſententiam de verbi Dei conſtantia huc detorques, vt Paulus dicat ſe obliuioſum non eſſe, quū tamē idē verbum rectè ſis interpretatus *intercidi*, 1, Corinth. 13. v. 8. Addis præterea pronomen *mihi*, quod totam ſententiam deprauat. Denique ex reſponſione Pauli facis alterius cuiuſpiā obiectionē, quaſi Apoſtolus Iudæos nimiùm extulerit: quū tamen eos non potuerit magis deprimere, ideóque tam accurata præfatione ſit vſus, ne gentilium ſuorū odio incenſus videretur. Itaque (vt ſemel finiam) tam abſurda támque monſtroſa explicatio nulli niſi peruerſiſsimi iudicii homini potuit in mentem venire.

Ad reprehenſionem VI, in Rom. 13. v. 11
ἢ ὅτε ἐπιστεύσαμεν, quàm tum quum nos credidimus.

HOc loco (vt alibi ſæpe) non interpretationem ſed explicationem meam reprehendis. Dixi enim hoc mihi videri referendum ad tempus quod Romanorum fidem anteceſsit: tu verò referri mauis ad initium temporis quo Romani fuerant in Chriſtum aſciti, quæ explicatio mihi quoque non diſplicet. Interea tamen nihil eſt quod in mea interpretatione reprehendas. Quòd ſi non placet expoſitio quam in annotationibus attuli, fruaris ſanè tuo ſenſu. Quum enim integer maneat contextus, nullius ſententiæ præiudicium feci.

In priorem ad Corinthios.

Ad defenſ. I, in I. Cor. 4. v. 19, *καὶ γνώσομαι οὐ τὸν λόγον τῶν πεφυσιωμένων, ἀλλὰ τὴν δύναμιν, cognoſcam non orationem iſtorum inflatorum, ſed vires.*

SEnsvs iſtius loci perſpicuus eſt. Videbo (inquit Apoſtolus) quales iſti ſint, nes eos æſtimabo ex lingua, id eſt fucata illa eloquentia quam iſti iactabāt, ſed ex illis Spiritus ſancti donis efficaciſſimis, nempe fide, zelo, charitate, & cæteris eiuſmodi, quibus domita eſt tota mundi facundia & ſapientia. Itaq; λόγον conuerti *loquutionem* potius quàm *ſermonem.* quoniam æſtimare aliquem ex ſermone, ambiguè dicitur tum de eo quod aliquis dicat, tum de ea ratione & forma loquendi qua vtatur. Nā hæc ambiguitas totā hanc ſentētiam depravaret, ſiquis videlicet ad ipſam ſermonis materiem hoc dictum Apoſtoli referret, quod de forma intelligendum eſt. At tu mauis *orationem* interpetari: quod vocabulum dixi magis etiam eſſe ambiguum, quum apud Theologos præſertim plura etiam ſignificet quàm ſermo. Tu verù hanc ambiguitatem non vides. Verùm an ideo cæcutio quoniam tu nihil vides? Dicis præterea non minus ambiguum eſſe nomen τοῦ λόγου, quo vtitur Apoſtolus. Fateor: ſed ſi de ſententia conſtet, & λόγος etiam ipſam loquendi rationem declarat, cur Latinè non licebit proprium & minimè anceps vocabulum vſurpare? Δύναμιν autem cur noluerim ſimpliciter *virtutem*, ſed addito epitheto, *ſpiritualem virtutē*, inter-

pretari, in Annotationibus oſtendi: quoniam videlicet illud epitheton alibi additur ab Apoſtolo, qui optimus eſt ſuiipſius interpres, quum alioqui Virtutis nomen τὴν ἀρετὴν declaret. Tu verò maluiſti *vires* cõuertere: ſed ἀκύρως (vt mihi quidẽ videtur) quum ſint etiam inanis eloquentiæ vires maximæ, ac proinde iſta opponi ſatis cõmodè nõ poſſint vt Apoſtoli ſententia exprimatur. *At ego ipſe* (inquis) *agendi virtutẽ expoſui, 2. Cor. 10. v. 12.* Fateor, & potui etiã in contextu nulla ambiguitate ſic interpretari, niſi maluiſſem Apoſtoli veſtigijs penitus inſiſtere.

Ad defenſionem II, in 1. Cor. 6. v. 4, μὲν οὖν, *ergóne.* ἐὰν ἔχητε, *ſi habetis.* καθίζετε, *ad eorum iudicium refertis.*

Vlta hîc reptehendo. Nam præterquam quòd verba non ſunt rectè conuerſa, tota ſententia penitus eſt deprauata. Primùm igitur peto an tibi licuerit periodũ contra omnium exemplarium fidẽ ex indefinita facere interrogantem. Nam ne ij quidem hoc fecerunt qui, perinde vt tu, τοὺς ἐξουθενημένους putarunt infideles vocari. Scio tamen virum doctiſſimum Ioachimum Camerarium (quẽ honoris cauſa nomino) in ſuis annotationibus, quæ ſerò ad me peruenerunt, διερώτησιν in his verbis cõſtituere. Sed exemplarium conſenſum requiro, & prorſus aliud eſt ſententiam ſuã aliqua annotatione explicare, quàm ſuo arbitrio (ſicut tu feciſti) cõtextum ipſum mutare. Quæro poſtea cur ἐὰν ἔχητε conuertas, *ſi habetis.* Nam quòd dicis me, quum hoc in te ſcriberem, fuiſſe meiipſius oblitum, nõ rectè dicis. Verũ enim eſt quod obſeruaui Ioann. 14. v. 3, & 1. Ioan. 3. v. 2. ἐὰν pro ὅταν ſeu ἐπειδὰν poni. Sed quorſum hoc? Nam illa de futuro exacto dicuntur, vt ἐὰν πορευθῶ, *poſtquã abiero,* & ἐὰν φανερωθῇ, *poſtquam patefactus fuerit*: hîc verò nihil eſt ſimile, niſi ἐὰν ἔχητε cõuertas, *ſi habueritis.* ſed ne hoc quidẽ quadrat tuæ interpretationi. Poſtremò, quod attinet ad verbũ καθίζετε, in meis annotationib⁹ omiſſum fuit nomẽ *indicatiui.* Sic enim nõnulli pro *Conſtituite* imperandi modo, interpretãtur *Cõſtituitis*: quod etiamſi probarem, tamen non poſſem non reprehendere tuam audaciam. Neque enim τὸ καθίζειν declarat, aliquid referre ad eius iudicium qui iã antea iudicis nomine fungeretur, ſed eum qui antea iudex nõ eſſet, iudicẽ facere. quod omnino arguit hunc locum de ordinarijs illis Corinthijs iudicibus infidelibus intelligi non poſſe. *Sed niſi ita ſit,* inquis, *parũ aptè cõcludet Paulus, præcipiẽdo per* μὲν οὖν, *quaſi iã antè demõſtrauerit quid facere debeãt.* Imò nulla particula concluſionibus eſt aptior, nec quicquã prohibet concluſiones quibuſuis modis enuntiare. Sed tamen ſciendum eſt non verã eſſe concluſionem in his verbis, ſed eſſe conceſſionis ſpeciem, quæ pars eſt grauiſſimæ obiurgationis: acſi diceret Apoſtolus, *Ergo, ſi cõſtitutum vobis eſt de tãtulis rebus litigare, potiùs quàm voſmetipſos hoc dedecore afficiatis, vt qui Angelos ipſos iudicatis, ſubeatis impiorum iudicia, ex vobis cõtemptiſſimos quoſque cõſtituite veſtrarũ controuerſiarũ iudices.* Iã verò quoniã hoc abſurdũ omnino videbatur, quòd eiuſmodi homines, nulla nec rerũ peritia nec authoritate, ineptiſſimi ſint ad controuerſias diiudicãdas, ſubijcit Paulus, πρὸς ἐντροπὴν ὑμῖν λέγω. Id eſt, *Quod dico, idcirco dico vt cogã vos ad ruborem. Nã, obſecro, pro eo quod oportuit vos ita profeciſſe vt infimi etiã quique ex vobis iſtis litibus compeſcẽdis pares eſſe poſſent, an adeò eſtis peritis & ſapientibus arbitris deſtituti, vt ad extraneos iudices cõfugere vos oporteat?* Hæc eſt, opinor, huius loci maximè cohærẽs ſententia. Tu, ſi libet, aliter exiſtimato, modò ne Apoſtoli verba depraues.

Ad defens. III. in 1. Cor. 7. v. 15, τί γὰρ οἶδας; *quî ſcis autem?*

Particvla *Quî* non aliud declarat quàm quo modo, ſiue *qua ratione.* Itaque huius ſententiæ, *Quî nanque ſcis, &c.* non alius eſt ſenſus quàm, *Vnde tandem poſſis intelligere, mulier, an ſis virum ſeruatura?* qua oratione certè nõ vteretur qui vxorem piã vellet in mariti impij conſortio retinere, ſed è contrario qui vellet coniugiũ eiuſmodi diſſoluere. Nam ſi (vt tibi placet) hæc vna cauſa eſt non diſſoluendi imparis matrimonii, quòd fieri poſſit vt pia perſona impiam Domino lucrifaciat, pios in ea ſpe confirmare oportuit. quod certè non facit qui quærit ex qua tandẽ coniectura id ita futurũ eſſe colligãt. Apoſtolus igitur non dixit, πῶς γὰρ οἶδας, neq; πόθεν, ſed τί γὰρ οἶδας, id eſt, *Ecquid ſcis enim?* &c. iubens nimirũ piũ de impio lucrifaciẽdo optimè ſperare. Hæc eſt igitur cauſa cur illas interpretationes reprehẽderim, quæ præter quàm quod Græcis non reſpõdent, totam etiam Apoſtoli ſententiã euertunt. Tibi tamen placet illas defendere,

ſed

ſed ita vt præcipuam illam de qua modò dixi rationem ſecurus prætereas. Reprehenderam quòd, *ἐν δὲ εἰρήνῃ*, ex ſuperiori verſiculo, interpretatus ſis, *quin ad pacem*: & ita quidem vt cum proximè præcedentibus connecteres. Puto enim generalem hanc ſententiam potiùs ad id pertinere quod dixerat, pio non eſſe diſcedēdum ab impio, quoniam videlicet Dominus huc nos vocauit vt pacificè, quoad fieri poteſt, mutuam coniunctionem & ſocietatem colamus. Quæ ſententia generalis proximo verſiculo confirmatur ratione peculiari, & ad id de quo agitur accommodata. Tu verò quid reſpondes? me videlicet hîc quoque meiipſius oblitum eſſe, quum ego ipſe illa annectam præcedētibus. Sed teipſum potiùs falſarium eſſe iudicabit quiſquis meas annotationes inſpiciet, in quibus eos diſertè reprehendo qui ſententiam illam cum proximè conſequentibus coniungunt, quoniam non cohæreret cauſalis particula γὰρ, quæ proximè ſequitur. Itaque feciſti tuo more, quum vt ſententiam tuam quoquo modo ſtabilires, γὰρ conuertiſti *autem*. quam deprauationem vt excuſes, obijcis me eiuſdem Epiſt. cap. 5. verſu 3, μὲν γὰρ, interpretari *enimuerò*, & Galat. 3. v. 10, neſcio quid de hac τοῦ γὰρ notione ſcripſiſſe. Sed illud quidem nihil ad rem: iſtud verò etiam falſum eſt. Neque enim γὰρ ſcripſi pro δὲ poni, ſed interdū tacitæ anthypophoræ ſubijci: quod nihil prorſus te iuuat. Et de hoc quidem hactenus.

Sed quod ſupereſt in hac tua defenſione quis tandem ferat? Apoſtolus, vt pios confirmet bona conſcientia poſſe ac debere cum impijs coniugibus, niſi priores iſti diſcedant, perſtare, dicit ſanctificari impium maritum in ſancta vxore, & impiam vxorem in ſancto marito. Hoc autem, obſecro, lector, vt mecum conſideres quàm inſcitè & quàm impudenter iſte deprauet, quum ſic ſcribit, *Sanctus enim fit vir infidens per vxorem. Hoc eſt, fit aliquando vt vir ab vxore Chriſtianus efficiatur.* Hæc ille. Vult enim idē poſtea repeti, quū dicit Apoſtolus, *Qui ſcis enim*, &c. quā ταυτολογίαν nemo non videt ineptiſſimā eſſe. Subijci enim poſſet, non eſſe facienda mala vt bona eueniant, niſi prius oſtenſum fuiſſet piū bona cōſcientia poſſe cū impio condeſcere: quod ſicut præcipuū eſt in hac quæſtione, ita etiam in primis ab Apoſtolo explicatur. Sed quibus tandem argumentis adductus es vt hanc ſanctificationem ita interpretareris? *Quoniā*, inquis, *ſi ſanctū appellaret Paulus virum* (vt tu loqueris) *infidentē, quia fidentis vxoris maritus eſſet, pugnantia loqueretur: ſiquidē ſanctū eſſe, & infidentē eſſe, cōtraria ſunt.* Adijcis præterea abſurdum eſſe, ſanctitatem homini fide carenti tribuere, & quidem ab alterius fide pendentē, quū tamē ſine fide nemo poſſit Deo placere, & iuſtus ſua non aliena fide viuat. Sed quorſum hæc? Ignoſce mihi, mi homo: putabā te ſaltē hactenus eruditū eſſe in Dialecticis, vt ſcires contraria diuerſis reſpectibus eidē etiā ſubiecto attribui. Itaque quod vel in ſeſe vel alteri pollutū eſt & contaminatum, mihi tamen ſanctificari poteſt. Apoſtolus autē impium maritum nō dicit in ſeſe, ſed in vxore (id eſt ſanctæ vxoris reſpectu, ſiue p vxorem) ſanctum fieri, hactenus videlicet vt purus ſit ipſius vſus. Nā polluta illius conſcientia ſanctā vxorem non cōtaminat in vſu coniugali: ſed iſtius potiùs puritas arcet illius contagionem, quoniam omnia ſunt munda mundis, nec poteſt ſancta conſcientia pollui alterius impuritate. Sed tamen quatenus hoc ſit accipiendum, & ad id de quo hîc agitur accommodandum, pluribus explicant doctiſſimi interpretes, quorū ſcripta niſi tu perpetuò aſpernatus eſſes, non ita certè in media luce cæcutires.

Ad defens. IIII. in 1. Cor. 7. v. 25, *πιστὸς εἶναι*, *fidum eſſe*.

CAVSA nulla eſt cur me excuſes quòd eandem ſententiam Apoſtoli bis ſum interpretatus. Nam poſterior interpretatio non eſt mea, ſed Eraſmi, quam quū deleuiſſem, typographus tamen, operarum incuria, iterum excudit. Neque eſt cur me clamites ad typographos cōfugere vt errata excuſem, quum res ipſa ex codicum collatione, atque adeò ex mea annotatione ſatis deprehendi poſſit, in qua illam ipſam Eraſmicam interpretationem reprehendo. Cæterùm *πιστὸς εἶναι*, expono *fidum eſſe*, id eſt dignum cui fides adhibeatur, & hanc expoſitionem multis ſimilibus exemplis in meis annotationibus confirmo. Mauis tamen interpretari *fidentem eſſe*, id eſt, ex credentium numero. *Ita enim*, inquis, *neruoſior eſt Pauli ſententia: quia Fidus continet vnā virtutē: at Fidens ſiue Chriſtianus, omnes, & in ijs etiam hanc.* Ego verò concedo nullā abſque fide verā virtutem inueniri: ſed tu profectò valde falleris ſi exiſtimas quoſuis fideles omnibus virtutibus eſſe præditos. Sunt enim varia Spiritus dona pro diuerſa vocationis ratione. Ita-

que tuam defenſionem euerſo fundamento corruere neceſſe eſt. Sed tamen aliud reſpondeo. Etiam ſiquis eſt ex credentium numero, non conſequitur tamen credendum eſſe omnibus eius ſermonibus, ſiue de dogmatibus agitur, ſiue de morũ regula. Cognoſcimus enim omnes ex parte: neque omnes ſunt ad docendũ alios vocati, & pauci ſunt ita inſtructi vt quaſuis propoſitas quæſtiones poſſint ex verbo Dei expedire, quum alioqui ſint viri boni & verè religioſi. Paulus itaque, vt de ipſius reſponſo dubitari nõ poſſit, vtitur hac præfatione, ſe hoc eſſe per miſericordiam Dei conſequutum, vt ipſius dictis meritò fidem adhiberi oporteat.

Ad defens. v, in 1. Cor. 9. v. 12,
τῆς ἐξουσίας ὑμῶν, *veſtras facultates.*

De tua huius loci interpretatione dicam, poſtquam meam defendero, quæ eſt eiuſmodi, εἰ ἄλλοι τῆς ἐξουσίας ὑμῶν μετέχουσι, *ſi alij (ſui) apud vos iuris ſunt participes.* Tu igitur tria in pauciſſimis iſtis verbis peccata animaduertis, quæ ſanè ſi viderẽ, libẽs corrigerẽ. Primùm hoc tibi diſplicet q; *ſui* addiderim de meo. Atqui ſi verum eſt nomine τῆς ἐξουσίας ſignificari ius & poteſtatem viuendi Eccleſiarũ ſumptu, hæc adiunctio ne tantillum quidẽ addit ſententiæ: & me bona fide hoc adieciſſe vel illud declarat, q; quæcũque ad explendam ſententiam addere ſoleo, (quod tamen nunquam niſi neceſſariò facere ſtudui) diuerſis characteribus excudenda curaui, vt ſine difficultate poſſent internoſci. Poſtea reprehendis q; ὑμῶν verterim *apud vos.* At ego omnes quos quidẽ inſpicere licuit huius Epiſtolæ interpretes tum Græcos tum Latinos, habeo huius interpretationis authores, vt qui vno ore dicant ὑμῶν paſſiuè accipiendum eſſe: quod & ipſa ſententia conuincit. veluti ſi Latinè dicas, poteſtatem veſtri, pro, poteſtate quæ in vos eſt alicui attributa. Sed & prorſus eiuſmodi loquutionẽ obſeruaui Matth. 10. v. 1, & Marc. 6. 7. vbi ἐξουσίαν τῶν πνευμάτων, ſimili penitus ratione & eclipſi ſcriptum eſt. Poſtremò, *participẽ eſſe aliquẽ ſui iuris*, inquis propriè non dici, & dicendũ potiùs, *uti iure ſuo*, ſicut mox loquitur Paulus. Atqui inficiari nõ potes τὸ μετέχειν à me fideliter eſſe expreſſum. Nec dubium eſt quin *cõpos* & *particeps* ſæpe vt ſynonyma vſurpentur. Deniq; hoc eodẽ cap. v. 10, dicitur qui triturat τῆς ἐλπίδος αὐτοῦ μετέχειν, quod ipſemet vertiſti, *participare quod ſperat*: ego autẽ poſt Eraſmũ ad verbũ *ſpei ſuæ particeps eſſe.* Sic ergo tibi reſponſum eſto. At ipſe nunc nobis reſpondeas, vnde hæc didiceris, vel τὴν ἐξουσίαν idẽ declarare atque τὴν οὐσίαν, vel corruptũ eſſe hunc locum: & qua tandẽ fronte nomen ἐξουσίας quinquies minimùm in hoc argumento repetitum, hoc vno loco *facultates* interpreteris.

Ad defens. vi, in 1. Cor. 15. v. 22,
ζωοποιηθήσονται, *reuiuiſcent.*

Ego malui interpretari, *viuificabũtur*, & admonui obſeruandũ eſſe verbum paſſiuum, quo ſignificatur mortuos nõ ſua ſed alterius vi reſurgere. Tu reſpõdes, Neutra ſic poſita vſurpari pro Paſſiuis. Sed hoc mihi nõ ſatisfacit, quoniã manet quæſtio, An ſponte quadam naturæ, an verò extrinſeca alterius vi reuiuiſcant. *At enim*, inquis, *ſatis hoc explicat quod additur, per Chriſtũ.* Hoc verò aliquid eſt: ſed multò tamen expreſſius loquitur qui Apoſtoli veſtigijs prorſus inſiſtit. Obijcis poſtea q; hoc eodẽ cap. v. 36. ζωοποιεῖται verterim, *viuiſcit.* Fateor, ſed in re diſſimili, quum in ſeminum germinatione & incrementis naturalis vis non excludatur. Et hæc propria eſt natura verborũ quæ Grammatici ἰδιοπαθῆ vocant: quod diſcrimen etiam in annotationibus obſeruaui.

Ad defensionem vii, in 1. Cor. 15. v. 45,
οὕτω καὶ γέγραπται, *quúmque ita ſcriptum ſit.*

Scio verba iſta non referri ad totum illud quod ſequitur, ſed ad priorem partem duntaxat. quod omnes etiam interpretes annotarunt. Sed nego propterea diſcedendum fuiſſe ab Apoſtoli verbis, quoniam alioqui futurum video vt dum quiſque ſibi placet, temerè quiduis innouetur.

Ad reprehensionem Castell. in 1. Cor. 3. v. 9,
συνεργοὶ, *adminiſtri.*

Certum eſt συνεργὸν dici (vt ipſa nominis notatio declarat) eum qui communem cum aliquo operam conferat: neque etiam dubium eſt quin hoc longè auguſtiſſimo

mo nomine volueris Spiritus ſanctus, Eccleſiaſticos miniſtros ornare aduerſus mundi contemptum, ita tamen vt nihil ſibi tribuant: ſicut in annotationibus abundè expoſui. De re igitur conſtat: ſed quomodo Latinè explicandum ſit hoc nomen quæritur. Eraſmus vocat *cooperarios*, Vetus autem interpres (quem tu ſequeris, Caſtellio) *adiutores*. Illud mihi multo minus quàm hoc diſplicet, quoniam ad Græcum nomẽ quàm proximè accedit: ſed præterquàm quòd prorſus eſt barbarum, non putaui quærendum eſſe nouum vocabulum, quum vetus optimum habeamus, de quo mox dicam. Tu igitur maluiſti *adiutores* dicere: quam interpretationem iampridem optimo (vt mihi videtur) iure reprehendit Stapulenſis. Nam certè quoquo modo accipias, durum eſt dicere, Deum à quoquam in exequendis ſuis operibus adiuuari, neque quicquam eiuſmodi in ſacris literis inuenias. Durius etiam eſt quod comminiſceris, Eccleſiam eſſe vxorem, & porrò adiumentum Chriſti, quoniam apud Moſen vxor vocatur adiumentum viri. Ego verò profiteor animum meum ab iſta profana audacia prorſus abhorrere, & quoties de his rebus mihi vel cogitandum vel dicendum eſt aliquid, hoc vnum præcipuè petere à Domino, vt verbum Domini, ſicut ſcriptum eſt à Prophetis & Apoſtolis, & animo meo præluceat, & linguæ meæ præeat. Fruaris ergo tuis commentis. Ego verò quem ſuperbum & maledicũ vocas, intra verbi Dei limites libens meipſum contineo. Malui igitur *adminiſtros* interpretari: quo nomine exiſtimo vocabulum Græcum *συνεργὸς* prorſus exprimi, quoniam eum declarat cuius opera ſic vtatur aliquis, vt ipſe per alium tanquam organon & inſtrumentum agat. Negas hoc, ſed fruſtra, quoniam à triuialibus etiam Grammaticis redargueris.

In II. ad Corinthios.

Ad defenſionem I, in 2. Cor. I. v. II.

διὰ πολλῶν, ingentes.

Διὰ πολλῶν accepiſti neutro genere, vt quum Latinè dicimus, multis agere cum aliquo, ſic etiam dicantur multis agi gratiæ, quum ingentes gratiæ aguntur. Ego verò etſi legeram διὰ πολλῶν à quibuſdam nõ referri, maſculino genere, ad eos qui gratias agerent, neque inficior hanc locutionem eſſe Græcis familiarem: tamen fateor me non potuiſſe diuinare διὰ πολλῶν εὐχαριστεῖν ſignificare ingentes gratias agere. Quomodo autem hunc locum intelligam, in annotationibus dixi, ita videlicet vt quod beneficiũ multorum precibus Paulus erat à Domino conſequutus, multorũ etiã laude celebretur.

Ad defenſionem II, in 2. Corinth. I. v. 23,

ἐπὶ τὴν ἐμὴν ψυχὴν, animi mei teſtem.

Deum inuocare in animam ſuam, ex Hebræorum idiotiſmo, nihil aliud declarat quàm ſeipſum ſubiicere Dei iudicio perdendum, ni ita ſit vt aliquid eſſe dicitur. Tu verò ſic interpretaris illud dicendi genus, acſi quis Deum aduocaret ſui animi teſtem. Quod ego rurſus dico præ altera expoſitione frigidum atque adeò falſum etiam eſſe, ex omnium Hebrææ linguæ peritorum iudicio.

Ad defenſionem III, in 2 Cor. I. v. 24, οὐχ ὅτι κυριεύομεν

ὑμῶν τῆς πίστεως, ἀλλὰ συνεργοί ἐσμεν τῆς χαρᾶς ὑμῶν, non quòd vobis fiduciam derogemus, ſed confidimus veſtro gaudio.

Hoc loco in meis annotationibus in hanc vocem erupi, quam iterum hîc repeto, Quid eſt, ſumma impudẽtia quiduis audere in interpretãdo, ſi hoc non eſt? Quid tu verò? an agnoſcis hunc errorem? Minimè: ſed ad tuas annotationes nos remittis, in quibus dicis, *κυριεύειν τῆς πίστεως* ſignificare, dominum ſe facere fiduciæ alterius, hoc eſt, alteri fiduciã & robur detrahere, & eſſe negare. Quid verò? *συνεργὸν εἶναι τῆς χαρᾶς*, quod paulò antè conuertiſti *adiutorem eſſe*, quid tandẽ hoc loco declarabit? *conſulere alicuius gaudio.* Iterum igitur dico, Quid eſt quiduis audere, ſi hoc non eſt?

AD DEFENSIONEM IIII, IN 2.COR.2.V.5. εἰ δέ τις λελύπηκεν, οὐκ ἐμὲ λελύπηκεν, ἀλλ' ἀπὸ μέρους, ἵνα μὴ ἐπιβαρῶ πάντας ὑμᾶς, *quòd ſi quis contriſtauit, non me contriſtauit, niſi aliquatenus, ne vos omnes onerem.*

In hac tua interpretatione primùm reprehendi quòd ἀλλὰ conuertas *niſi*, deinde quòd ἐπιβαρῶ cum πάντας ὑμᾶς copules, & ita quidem vt redũdet præpoſitio. Reſpondes, ἀλλὰ interdum poni pro εἰ μὴ, *niſi*. quod tamen ego nuſquam legere memini, ſed ἀλλ' ἢ frequenter. Locus autem quẽ citas ex Matth. *20.v.23.* nihil minus probat. Neque enim ibi dicit Chriſtus (ſicut tu putas) ſuum non eſſe alios ad Patris dextram collocare quàm quibus ea dignitas à Patre deſtinata eſt: ſed ſuo more potius docet ſe aliã ob cauſam miſſum eſſe à Patre, ad quem illos Zebedæi filios remittit. Sed & alius locus Marc. 9. v. 8, quẽ tu in tuis annotationibus profers, nihil te iuuat. Nam illa verba οὐδένα ἄλλον, ad Moſen & Eliam referuntur, & ibi quoque prępoſitio ἀλλὰ natiuam ſuam ſignificationem ſeruat. Tertius autem locus ibidem abs te citatus ex 2. Corinth. 2. nuſquam eſt. Reſpondes præterea, ἐπιβαρῶ etiam interdum iungi cum quarto caſu (quod ex me didiciſti) & præpoſitionem ἐπὶ interdum redundare: quæ etſi vera ſunt, nego tamen propterea ſpectandum non eſſe quid cui loco conueniat. Ea verò interpretatio quam ſequutus ſum, nulli vocabulo vim affert, & Chryſoſtomi authoritate nititur, eo tantùm excepto quòd ipſe ſupplendam putat particulam μόνον. Video tamen meam translationem non vnam ob cauſam à te reprehendi. Primùm quidem quòd negem Paulum doluiſſe. Atqui hoc ego non nego, ſed Paulum dico, quum ſe non doluiſſe ſcribit, perinde facere ac ſiquis ex periculoſiſſimo morbo liberatus, vt ſignificaret nullas prorſus morbi reliquias ſupereſſe, negaret ſe vnquam ęgrotaſſe: cuiuſmodi hyperbole omnibus linguis eſt vſitata. Sic ergo Paulus negat ſe ab illo inceſtuoſo moleſtiam vllam accepiſſe, non quòd ita eſſet reuera: ſed vt oſtenderet ſe ſuperiorum penitus oblitum, ex animo illi omnia condonaſſe. Deinde illud etiam carpis, quòd Corinthios dicam propemodum doluiſſe, qui tamen acerbiſſimè doluerint. Sed in hoc quoque mihi iniuriam facis. Nam ἀπὸ μέρους, quod interpretor *quadamtenus*, ſeu *propemodum*, ſiue *quodammodo*, ad particulam πάντας refertur: quam tu inſciẽter vel malitioſè prætermittis, vt ſignificetur, nullum ferè Corinthi fuiſſe illius triſtitiæ expertem. Cur autem ſic loqui maluerit Apoſtolus, quàm ſine vlla exceptione dicere, ſingulos Corinthios ab illo fuiſſe offẽſos, ipſemet exponit, quum dicit ἵνα μὴ ἐπιβαρῶ, id eſt, vt ipſi parcam potius quàm eum iam penè mœrore conſumptum, amplius etiã grauem. Itaque nec redundat præpoſitio ἐπὶ, neque temerè ſuppleui pronomen αὐτὸν *illum*, aſſentiente mihi Chryſoſtomo, & optimo quoque huius Epiſtolæ enarratore.

AD DEFENSIONEM V, IN 2.COR.5.V.3, εἴγε καὶ ἐνδυσάμενοι οὐ γυμνοὶ εὑρεθησόμεθα, *ſi modò induti, non nudi reperiemur.*

Hic locus ſic explicari ſolet, vt εἴγε καὶ ſit cõditionalis particula, & ſit hæc ſententia, fore vt ſuperno illo domicilio ſuperinduamur, ſi modò coram Chriſti tribunali non reperiamur nudi, ſed induti, illius videlicet iuſtitia & puritate. Neque ego ſanè velim iſtam interpretationem, quam ego & ſimplicem & perſpicuam eſſe video, repudiare. Sed tamen cauſas habui cur aliam quoque in meis annotationibus afferrem, quæ eſt huiuſmodi. Conſtituit Apoſtolus futuræ noſtræ conditionis expectatione animos noſtros conſolari, vt intentis in cælum oculis, afflictiones quibus perficimur, æquo animo toleremus. Comparat igitur hoc noſtrum corpus, præſentis conditionis reſpectu, tabernaculo minimè firmo: habita autem ratione futuræ illius glorioſæ immortalitatis, firmiſſimo & nunquam corruituro domicilio: quod cæleſte vocat, quoniam videlicet cum cæleſti gloria coniunctum erit. Dicit ergo nos interea ſuſpirare, dum tempus illud expectamus quo ſuperinduemur æterno illo domicilio. Nam, inquit, tempus erit quo non modò non deprehendamur nudi (id eſt, illo corpore ſpoliati quod morte abieceramus) ſed præterea etiam reperiamur longè alio pretioſiore amictu induti, cæleſti videlicet gloria. Hoc enim eſt quod dicit Apoſtolus, fore vt etiam induti inueniamur (poſt noſtram glorificationem videlicet) nedum vt comperiamur nudi, corpore videlicet per mortem amiſſo. Hæc eſt altera explicatio: in qua tantam difficultatem inueniſti, vt dicas à te intelligi non poſſe, ac multo minus etiam approbari. Qui volet igitur mirificas argutias audire, legat quę hoc loco in me ſcripſiſti. Dixeram fore vt non

ma-

maneamus corpore expoliati. *Ergo*, inquis, *reperiemur nudi, non induti. nẽpe quũ nos Dominus ad reſurrectionẽ vocabit.* Sed quorſum hoc? Neq; enim tempus illud reſpicit Apoſtolus, ſed quales poſt noſtram glurificationem futuri ſimus oſtendit. nec ego etiã aliud dixi in mea explicatione quàm nos non modò non manſuros in ea conditione in quã morte conijcimur, corporibus videlicet ſpoliatos, ſed etiã præterea nouo amictu (id eſt gloria cæleſti) eſſe ſuperinduendos. Quod autem ſubijcis, obſecro, cuiuſmodi eſt? *Si non manere ſpoliatũ*, inquis, *eſt idẽ quod corpore, quo fueris ſpoliatus, indui: erit igitur, reperiemur induti, hoc eſt induemur. Sunt autẽ hæc pugnantia. Induitur enim nõ qui indutus. ſed qui nudus reperitur.* Atqui vt reperiamur induti, oportet nos prius fuiſſe indutos, & prius fuiſſe nudos quàm indueremur. Et hoc eſt quod dixi, fore vt tandem (poſt noſtram videlicet glorificationem) comperiamur corpus illud quod videbatur morte conſumptũ, nõ modò non amiſiſſe, ſed etiam longè ornatius recepiſſe. Quæris poſtea, quoniam dixi fore vt corpus noſtrum in cælo induatur immortalitatis gluria, *vbínam induamur ipſo corpore? Si in cælo*, inquis, *ergo nudi in cælo inueniemur. Verùm quis portauerit corpora noſtra in cælũ ante nos? Sin in terra, ergo in terra nudi, nõ induti inueniemur.* En tuum acumẽ. Reperiemur certè nudi, id eſt, animæ quidem ſuorum corporum expertes, corpora verò ſuarum animarum expertia, antequam Deus nos iubeat reſurgere: reſurgentes autem rurſus erimus corporibus induti: & hanc reſurrectionem conſequetur demum glorificatio ſempiterna, qua ſuperinduti tandem inueniemur. Sed quorſum illa? Nã quæ ſit Apoſtoli ſententia millies iam dixi. Pergis tamen & negas indutionem hanc intelligendam eſſe de gloria, quuniam non reſponderet corporis ſpoliationi. Ego verò ſpoliationem quidem ad corporis priuationem refero: indutionem autem ad ipſius corporis reſtitutionem, ſed conditione multo meliure, quæ veluti erit altera indutio: quamobrem etiam Apoſtolus aliquoties vtitur verbo ἐπενδύσασθαι. Sed quando tales inueniemur? nempe puſt glorificationẽ. Poſtremò audiamus inexplicabile tuum argumentum. *Quæro*, inquis, *quanam re induti reperiemur?* At ego quæro de quo tempore tu quæras. Nam ante reſurrectionem prorſus nudi inueniemur: poſt reſurrectionem autem, & corpore & gloria induti, ſicut hîc dicit Apoſtolus. Habes reſponſum quale minimè expectabas: quia vbi ſemel aliquid arripuiſti, omnia ſtatim ad ſententiam tuam detorques, & quò longius progrederis, eo magis à ſcopo aberras. Placet tamen audire quid ſis meditatus, quoniam hoc loco putaſti te palmarium inueniſſe. *Gloriáne*, inquis, *an corpore?* Vtroque, inquam, quoniam vtrunque nobis conceſſerit Dominus. *Si gloria*, inquis, *falſum eſt. non enim indutos reperiet Chriſtus gloria, ſed induet.* Sanè ita eſt. Sed quoniam quos penitus nudos inueniet, eos & corpore veſtiet & gloria, idcirco non nudi, ſed vtroque per ipſius miſericordiã induti inueniemur. *Sin corpore*, inquis, *quæro, vtrũ omnes an aliqui?* Omnes certè credentes, quia q; in Chriſtũ credit, etiamſi mortuus fuerit, viuet. Quid tu verò? *Si omnes, eſt ſibi Paulus cõtrarius, qui (vt antè oſtendimus) docuit nos non omnes obdormituros.* Sed ineptiſſimè colligis. Nã ibidem dicit Paulus fore vt omnes immutẽtur. Hæc autem immutatio, illud ipſum eſt de quo hîc agitur: quod tamen tibi nunquam in mẽtem venit. *Sin aliqui*, inquis, *repugnant verba Pauli, ſi dicit, Induti reperiemur, quum hæc ſit loquutio generalis. Itaque quocunq; te vertas, omnia reclamant.* Tu quidẽ ita cõcludis, at ego dico neminem tam imperitum iſtarum rerum eſſe qui nõ his perlectis miretur fieri potuiſſe vt in ſcirpo tot nodos quæreres. Idque melius etiã ex tua explicatione intelligetur ſicui tantum ſit otij vt eam conſideret: *Scribit*, inquis, *Paulus apertè, 1. Corinth. 15. Omnes quidem non obdormiemus, ſed omnes mutabimur vno temporis puncto.* Concedo. Sed quorſum hoc, quũ de hac re ne γρῦ quidẽ Apoſtolus hoc in loco? *Hinc apparet*, inquis, *futurũ vt Dominus in aduentu ſuo alios nudos inueniat; hoc eſt, iam corporis tabernaculo ſpoliatos, videlicet mortuos: alios verò corpore veſtitos (id eſt viuos) reperiat: & vtroſq;, videlicet hos mutãdo, illos in vitã reuocãdo, reddat immortales.* Ergo, ſi tibi creditur, immutatio ad ſolos viuos ſpectabit. Nos verò aliud ex Apoſtolo didicimus, fore videlicet vt omnes immutentur, quãuis nõ omnes dormient: Erit autẽ ſubita iſta mutatio, quædã ſpoliationis & indutionis ſpecies ijs qui viui deprehẽdentur. Denique, vis vno verbo abſoluã? omnia iſta tua οὐδὲν πρὸς ἔπος. Et hoc in primis abſurdũ eſt q; illa verba, *vt abſorbeatur mortalitas à vita*. i. dulciſſimã de futura immortalitate ſententiã, ad eos ſolos reſtringis, quos Chriſtus ſupſtites deprehẽdet. Sed & illud quoq; q̃ ineptũ eſt, q; οὐ θέλομεν interpretaris *nollemus? Id eſt*, inquis, *vellemus, ſi fieri poſſet, nõ mori, & ita eorũ eſſe* (ſic. n. loqueris) *q; in aduẽtu Domini adhuc corpore veſtiti reperientur, vt ita ſine mortis obdormitione redderemur*

immortales. Hęc tu quidem, Caſtellio. Sed quid dicit Paulus? Cupio diſſolui, & eſſe cum Chriſto. Et naturalē illā cogitationē de fugiēda morte quorſum Paulus cōmemoraret?

AD DEFENSIONEM VI, IN 2. COR. 6. v. 12, οὐ στενοχωρεῖσθε ἐν ἡμῖν, στενοχωρεῖσθε δὲ ἐν τοῖς σπλάγχνοις ὑμῶν, *nō eſtis anguſti erga nos, ſed eſtis anguſti erga hominem qui eſtis intimi.*

EGo ſic interpretatus ſum hunc locū, *Non habitatis anguſtè in nobis: ſed anguſti eſtis in viſceribus veſtris. Id eſt, Vos in animo meo quaſi quodā domicilio eſtis, eoq; minimè anguſto. Totū enim cor meū vobis pateſeci, atque adeo, veluti accipiēdi veſtri cauſa, dilataui. At vos intus mihi eſtis anguſti: cui videlicet locus nō ſit apud vos, quorū tamē viſcera oportuerat mihi quoque patere, ac me viciſſim capere, vt par pari referretis.* Tu verò ſic explicas, *Ego vobis largè meū animū aperio, officiúmque praſto q ſi vos veſtrū officiū anguſtè & parce praſtatis, id nō mihi, id eſt nō Paulo, facitis, ſed ei cui vos eſtis viſcera, hoc eſt, cui vos eſtis chariſſimi.* Iudica nunc, lector, vtrius explicatio ſit ſimplicior & magis appoſita: deinde an ſicuerit in interpretatione contextus tā ꝓcul à verbis Apoſtoli, ſententiæ ſuæ ſtabiliēdę cauſa, diſcedere. Quòd autem dicis vnicā eſſe notionem verbi στενοχωρεῖσθαι, quā tamē ego duplicem feci, nullius eſt momenti. Nam reuera vna eſt notio, ſed propter duplicem reſpectū eſt à me diſtincta. Nam anguſtè premi dicitur tum qui in arcto loco verſatur, tum qui ſeipſum cōſtringit. quod Gallico verbo *eſtre enſerré* optimè exprimitur: ſed in Latino ſermone (quod ſciam) non tam perſpicuè vno verbo dici poteſt.

AD DEFENS. VII, IN 2. COR. 8. v. 10, οὐ μόνον τὸ ποιῆσαι, ἀλλὰ καὶ τὸ θέλειν, *non modò facere, ſed etiam velle.*

QVOMODO accipiatur τὸ θέλειν hoc in loco, tu quidem nolis ex me diſcere: ſed forcaſſis aliorum authoritatē pluris facies. Sic ergo Græcus ſcholiaſtes: οἱ πνες, φησὶν, οὐ μόνον ἀρχὴν ἔχεται πρὸς τὸ ποιεῖν, ἀλλὰ καὶ πρὸς τὸ θέλειν, τουτέστι πρὸς τὸ ἑκουσίως ποιεῖν καὶ μηδενὸς προτρεψαμένου. Sic quoq; VVolfangus Muſculus, quē honoris cauſa nomino, & quē vnum ex recentioribus tibi opponere placuit. *An prius eſt*, inquit, *facere quàm velle? Legitimo quidē ordine prius eſt velle quàm facere: verùm frequenter accidit vt faciamus quod nolumus, quódq; nō delectat, vbi volūtas nec præcedit factū, nec ſequitur.* Et mox, *Corinthij nō modò cōtribuere cœperāt anno ſuperiore, ſed & velle. Hoc eſt, cōtribuerāt nō inuiti, ſed volētes, atque ita factū ſuū voluntate approbarant.* Hæc ille: nec ille ſolùm, ſed etiā quotquot mihi cōtigit inſpicere huius Epiſtolæ interpretes. Quid tu veró? placet tibi potiùs τὸ θέλειν hoc etiā loco minus ſignificare quàm τὸ ποιῆσαι: & quoniam aliter tueri ſententiam tuam non potes, vis perinde eſſe acſi Paulus ſcripſiſſet, cœpiſſe Corinthios & velle & facere. Et rurſus, quum eos alibi reprehendit Apoſtolus qui non modò malè agunt, ſed etiam approbant eos qui malè agunt, id eſt qui non errore tantùm aut conſuetudine, aut vt alijs obſequantur, malè quippiam perpetrant, ſed etiam ijs fauent qui malè agunt, & ex malis voluptatē capiunt: tibi tamen videtur plus eſſe τὸ πράττειν quàm συνευδοκεῖν, quaſi ſcripſerit Apoſtolus, *& faciunt & cōſentiunt.* Sed cui tandē niſi corruptiſſimi iudicij homini perſuaſeris, in his verbis, *nō ſolùm facere, ſed etiā velle*, hæc duo, *facere & velle*, inter ſe nō comparari, & ita quidem vt iſtud in hac collatione maius eſſe cenſeatur? Itaque quum hoc pernegas, iterum dico te errorem errore cumulare. Cur autem nobis Latinè non liceat verbū *velle* eadem notione accipere qua τὸ θέλειν à Paulo vſurpatur, profiteor me videre non poſſe.

AD DEFENS. VIII, IN 2. COR. 9. v. 5, ὥσπερ πλεονεξίαν, *vt profuſio.*

DIxi me non intelligere quomodo πλεονεξία ſignificare poſſit *profuſionem*, quum prorſus contrarium declaret. Reſpondes te vnà cum Chryſoſtomo πλεονεξίαν intelligere non reſpectu largientium, ſed reſpectu accipientium: qui ſi tantum accipiunt vt plus habeant quàm ipſi largitores, eſt in ipſis πλεονεξία, (hoc eſt πλέον ἔχουσι) quam antè vocauerat laxitatem. Atqui totum hoc non rectè dicitur. Nam quod tu πλεονεξίαν appellas, Græci potiùs πλεονέκτημα vocant, adeò vt rariſſimè aliter loquantur. Et quum hic opponatur εὐλογία, id eſt prompta & voluntaria libertas, τῇ πλεονεξίᾳ, nemo non videt tenacitatem eo nomine notari. Verùm, vt hoc tibi cōcedam quod petis, vtrius, quęſo, reſpectu, dantis an accipientis, πλεονεξία fuerit profuſio? Sed in eo planè impudenter

facis quòd Chryſoſtomi (quem fortaſſe nunquam inſpexiſti) authoritate abuteris, vt tuũ cõmentum ꝓbabilius reddas. Nã quum ille accipientiũ meminit, nõ eos intelligit quibus cedebant eleemoſynæ (ſicut tu putas) ſed fratres qui à Paulo miſſi erãt vt acceptas eleemoſynas ꝑferrent: quod tu nõ intellexiſti. Quòd autem obijcis me ſimili ratione *εἰς καταβολὴν σπέρματος* interpretatum eſſe, *ad concipiendũ ſemẽ*, Hebr. 11. v. 11, quàm appoſitè dicas, facilè intelliget qui locum volet conſulere, & annotationem meam inſpicere. Profers præterea quædam ex 1. Petri 3. quæ nos in ſuum locum reiecimus.

AD DEFENSIONEM IX. IN 2. COR. 11. V. 8,
οὐ κατενάρκησα οὐδενός, neminem exuxi.

NΑρκεῖν, inquis, *eſt torpefacere: & quæ exucta ſunt, torpẽt.* Concedo vtrunque, ſed quęcũque torpẽt nõ ſunt exucta, ac proinde torpefacere ꝓ exugere accipi nec poteſt nec debet, quum hoc ex illo neceſſariò non conſequatur. Ego igitur vt neutrum abſolutum interpretatus ſum, *non obtorpui*, & propter particulam κατὰ cohærentem cum οὐδενὸς, addidi *cum cuiuſquã damno* ſiue *incõmodo*. Nam propria eſt illa huius verbi ſignificatio, & Græcus ſcholiaſtes explicat, *οὐκ ἠπόνησα οὐδὲ ἐξέλυσα τὴν ὑπομονήν*: &, *οὐδὲ ἠμέλησα, ἢ ῥαθυμότερος πρὸς τὸ κήρυγμα γέγονα.* Nec aliter ſanè explicari debet hic locus. Illud enim quod ſequitur, *nam quod mihi deerat*, non refertur ad proximum, vt tu putaſti, ſed ad illud potius quod dixerat, *alias Eccleſias ſpoliaui*, &c.

IBIDEM, V, 12, *ἵνα ἐν ᾧ καυχῶνται, εὑρεθῶσι καθὼς καὶ ἡμεῖς,*
quò ſibi in quo glorientur ſuppetat, quemadmodum & nobis.

HVNC etiam locum obſecro lector vt intueare, & quã iſte ſibi in Sacris literis interpretandis licentiam attribuat, mecum conſideres, atque adeò quò tãdem hæc audacia ſit euaſura, ſi cuiuis liceat pro ſimplici interpretatione ſuam paraphraſin obtrudere. In eo præcipuè peccauit, ꝙ vt ſuam ſententiam ſtabiliret, *εὑρεθῶσι* interpretatus eſt pro *εὑρίσκωσι*, vel *εὕρωσι*. quam enallagen neque mihi neque cuiquam alij Græcæ linguæ vel mediocriter perito facilè probauerit.

IBIDEM, V. 21, *ὡς ὅτι ἡμεῖς ἠσθενήσαμεν, quaſi*
verò nos nequeamus.

CETERVM dico me non videre quid te impulerit vt hunc locum ſic interpretareris. Nam *τὸ ἀσθενεῖν* nõ ſignificat *μὴ δύνασθαι*, quocunque modo accipias. Hoc autẽ loco ſignificat vilẽ & abiectum eſſe, ac ſi diceret Apoſtolus, *Nihil eſt tã durũ, tãmq; ignominioſum (quod cum veſtra infamia dico) quod, quũ iſtis libuit, nõ vltro feratis. Me verò ferre non poteſtis: nempe quoniam ſum homo nihili. atqui (quandoquidem me ſtultè loqui cogitis) nulla in re iſtis cedo.* Sed præciſa eſt oratio, ſicut vulgò loqui ſolent.

AD DEFENS. X, IN 2. COR. 12. V. 18,
τῷ αὐτῷ πνεύματι, eodem animo.

EGo Spiritus nomẽ hîc retinendũ fuiſſe dixi, quoniã ſimpliciter ſignificare noluit Apoſtolus, ſe non alio animo fuiſſe quàm Titum. Quid ſi enim excepiſſent Corinthij inter illos, ſicut inter impoſtores ſolet, conueniſſe? Voluit ergò aliquid longè grauius exprimere, ſeſe videlicet & Titum, eodem Spiritu, nẽpe diuino, fuiſſe gubernatos: cuius rei teſtes ipſos Corinthios facit. Quod autẽ mihi obijcis, ꝓrſus ineptũ eſt. Fateor me *πνεῦμα* explicare pro animo, 1. Cor. 5. v. 3, & 7. v. 34, nempe quoniam in ijs locis manifeſta eſt corporis & animi collatio. Hîc autem quid eſt ſimile?

AD REPREHENSIONEM I, IN 2. COR. 3. V. 16, *ἡνίκα δ' ἂν ἐπιστρέψῃ, quandocunque autem reuertitur ad Dominum.*

VERBVM *ἐπιστρέψῃ* alij ad Iſraelitas referũt, vt Vetus interpres, qui interpretatur, *quũ cõuerſi fuerint* Alij ad *καρδίαν*, quod proximè præcedit: quorum ſententiã ſequor. Alij deniq; ad Moſen, ſiue Legẽ, quæ dicatur cõuerti ad Dominũ quãdo ad Chriſtũ dirigitur: quã interpretationẽ doctiſs. interpres, & meus in Chriſto parẽs, Ioann. Caluinus ſequitur: nec ego reprehẽdi, ſed tãtùm hanc loquẽdi formã mihi nouã videri dixi.

Quid tu verò? *Lex*,inquis,*ad Dominum reuertitur quãdo ſecundũ Spiritũ intelligitur.* Fruaris igitur ipſe tuo ſenſu. *Atenim*,inquis nos deridens, *filio haud honeſtum eſt a patre benè ſentiente diſsidere.* Verùm quid iſtis hominibus facias? Quũ meo parenti aſſentiur,quod ſemper in doctrina feci,&(vt ſpero) faciam,tum iſti Caluinum in neſcio quẽ tyrannum, Dictatutem,atque adeò Papam transformant: ſin autem alicubi quippiam diuerſum in medium affero,quod aliquoties,illo minimè pro ſua ſingulari modeſtia improbante,in aliquorum locorum explicatione candidè & liberè feci, tum inter patrem & filios eſſe diſſidium comminiſcuntur. Verùm(clametis licet & crepetis inuidi) ego fidelẽ Dei ſeruum qua decet pietate ſemper colam & obſeruabo,& ille me viciſſim(vt ſpero)tanquã filium diliget & erudiet: neque hæc ſancta & ſimplex in varijs Scripturæ locis explicandis libertas,abſque vlla prorſus in placitis religionis diſſenſione,mutuæ noſtræ in Chriſti doctrina coniunctionis vinculum vnquam abrumpet.

Ad reprehensionem ii, in 2 Cor. 5. v. 9,
καὶ ἐνδημοῦντες, καὶ ἐκδημοῦντες, ſiue adſumus, ſiue abſumus.

ID *eſt*,inquis,*in hac vita,in qua à Domino peregrè abſentes,adſumus in corpore.* Atqui ſi hæc vera eſſet expoſitio,inane eſſet duorum iſtorum alterũ, quum vtrunuis ad hanc vitam declarandam ſufficeret. Deinde quum modò dicat Paulus, ἐνδημεῖν ἐν τῷ σώματι,modò ἐνδημεῖν πρὸς Κύριον: itémque ἐκδημεῖν ἀπὸ τοῦ Κυρίου,& ἐκδημεῖν ἐκ τοῦ σώματος,nihil certè videt qui nõ videt hæc duo verba inter ſe oppoſita,cum ἐν & ἀπὸ præpoſitionibus quietem,vt aiunt Grãmatici: cum πρὸς,motum ad locum: & quum ἐκ,motum à loco ſignificare. Eſt autem in hoc nono verſiculo ἐν σώματι repetendum poſt ἐνδημοῦντες: & ἐκ τοῦ σώματος poſt ἐκδημοῦντες,vt ſibi conſtet omnium membrorum connexio & oppoſitio,hoc modo,

		Connexa		
Opposita	ἐνδημεῖν ἐν τῷ σώματι, aduenã eſſe in corpore,		ἐκδημεῖν ἀπὸ Κυρίου, peregrè abeſſe à Dño.	Opposita
		Connexa		
	ἐκδημεῖν ἐκ τοῦ σώματος, migrare ex corpore,		ἐνδημεῖν πρὸς Κύριον, ire ad Dominũ habitatũ.	

Nos autẽ, inquit Apoſtolus,& dum in hoc corpore ſumus incolæ,& dum migrãdum eſt ad Dominum,(id eſt,& in vita & in morte)contendimus Deo eſſe accepti.

Ad reprehensionem iii, Ibidem, v. 10.
τὰ διὰ τοῦ σώματος, ea quæ fiunt per corpus.

ID eſt,præmium eorum quæ per corpus fecerit. Sic enim neceſſe eſt illam Eraſmi interpretationem explicare: à qua tu quoque nonnihil diſceſſiſti quum interpretareris, *præmiũ eius quod in corpore fecerit*,omittens etiã totũ illud πρὸς ὃ ἔπραξεν. Cæterùm illam Eraſmi verſionem ego non ita vt tu vis,reprehendi: ſed tantùm dixi mihi non videri admodum conuenire, id eſt non tam eſſe appoſitam ad ea quæ cohærent quàm alteram à me eodem loco explicatam: quanuis nunc,re diligentius perpenſa, Eraſmicã illam approbem. Quanquam autem conſtet hanc ſiue gloriam, ſiue ignominiam totius eſſe hominis, Apoſtolum tamen eam in corpore propriè hoc loco reſpicere,ex initio capitis præcipuè apparet,vbi terreſtre tabernaculum cum cæleſti domicilio comparat.

Ad reprehensionem iiii, in 2. Cor. 7. v. 8,
εἰ καὶ μετεμελόμην, etiam ſi pœnituiſſet.

HAnc Eraſmi interpretationem non ideo tantùm reprehendi quod particula εἰ non addatur (quam ego ipſe annotaui interdum ſubaudiri) ſed multo magis quod potiùs exiſtimem Apoſtolum dicere,ſe aliquando doluiſſe quod illos contriſtaſſet (vt ſolent videlicet patres quodam dolore affici etiam quum filios meritò & certo animi iudicio caſtigarunt) ſed nunc tamen non dolere, quoniam illam triſtitiam illis vtiliſſimam fuiſſe videbat. Nam mihi quidem abſurda videtur hæc ſententia, *etiãſi me pœnituiſſet, nũc me non pœnitet*, quum potiùs fuerit dicturus Apoſtolus, *etiãſi me pœnituiſſet, nunc me non pœniteret*, ſi illam ſententiam quæ Chryſoſtomo ante Eraſmum placuit,exprimere voluiſſet. Neque tamen de hac re cum quoquam magnopere contenderim.

Ad reprehens. v, in 2. Corinth. 9. v. 11. *πλουτιζόμενοι, vt circunfluatis.*

REPETII in mea interpretatione *ἵνα περισσεύητε* ex v. 9, ſententia optimè cohæren te, & ſimilis hyperbati alia exempla ibidem annotaui. Tu verò, vt prolato exemplo oſtenderes te paulò antè optimo iure omnem eloquentiam Paulo detraxiſſe, mauis ei ſolœciſmum adſcribere. Sed falleris ſi putas id à me repetitum eſſe vt ſolœciſmū excuſarem, quem ego eodem capite & aliis aliquot locis annotaui, & quomodo ſit explicandus docui. Sed & iterum falleris ſi propterea barbarum & elinguem fuiſſe Paulum credis, quum ſimiles prorſus ſolœciſmos, ex communi videlicet vſu loquendi petitos, oſtenderim in Homero, Sophocle, Euripide, atque adeò in ipſo quoque *ἀττικωτάτῳ* Thucydide inueniri.

Ad reprehensionem vi, in 2. Cor. 11. v. 6. *εἰ δὲ καὶ ἰδιώτης τῷ λόγῳ, ſi oratione ſum imperitus.*

DIXI hoc in loco, Paulo non defuiſſe maſculæ eloquentiæ ornamenta, ſed eum fucatæ illius rhetorices pigmentis vti noluiſſe, vt vi Spiritus, hominum animos ad Chriſtum raperet, non autem ſermonum blanditiis, adulatorum more, alliceret. Quòd ſi quis totius orationis indolem conſideret, nullam eſſe, quoties ei libuit Dei myſteria detonare, ſimilem in Platone grandiloquentiam: nullam in Demoſthene parem *δεινότητα*, quoties animos vel metu iudicij Dei parterrefacere, vel commonefacere, vel ad contemplandam Dei bonitatem allicere, vel ad pietatis ac miſericordiæ officia conſtituit adhortari: nullam denique extare vel in ipſo Ariſtotele & Galeno, præſtantiſſimis artificibus, magis exactam methodum. Hæc ego de Pauli oratione ſcripſi, parcè quidem ac ieiunè, ſiquis Chryſoſtomi eloquentiſſimi hominis hac de re ſcripta cum noſtris comparet. At ego tibi videor pictores imitari, qui Chriſti matrem dum honorare volunt, regio veſtitu pingunt, & eidem tamen (cogente hiſtoria) præſepe appingunt, nobili ſanè (vt perurbanè dicis) ſolœciſmo. *Sic*, inquis, *Paulo gloria eſt ſermonis imperitia, & iſti eam etiam arte comunt.* Sed loquere, quæſo, apertius. *Oratione Pauli*, inquis, *nihil ab omni arte remotius, nihil abiectius, ſi ſpiritum ei detraxeris.* Atqui non ita de Paulo iudicarunt Iconienſes, à quibus Mercurius dicebatur: nec Feſtus quoque, quum ei multas literas tribuit. Expectabam autem perſpicuum aliquid, ſed incertior ſum quàm dudum. Dic enim, quæſo, critice, quid illud ſit quod ſpiritum vocas. Nam tua *μυστήρια* non percipio, ac ne tu quidem fortaſſis. Tu igitur quum voles, commentarios nobis in iſtum tuum ſpiritum ſcribes. Ego certè ſacram & planè diuinam Paulinæ eloquutionis vim ab humana eloquentia perſpicuè diſtinxi: ſed quæ ei tribuo, ac quidem in primis ſummam in tractandis quæſtionibus methodum, qui in ipſius Epiſtolis non agnoſcit, eum dico nec ſatis quid ſit methodus intellexiſſe, nec vllam fortaſſis Dialectices partē vnquam deguſtaſſe.

In Epiſt. ad Galatas.

Ad defenſionem i, in Gal. 2. v. 4. *παρεισάκτους, emiſſarios.*

HOC nomen iterum affirmo ſignificare non poſſe emiſſarium, niſi ex conſequenti. Cur autem actiuè ſim interpretatus, duas habui optimas (ni fallor) rationes. Nam ab aliis ſubornatos fuiſſe non video cur neceſſe ſit exiſtimare, quum ſua ipſorum malitia ſatis eos incitaret, quanuis dubium non ſit quin mutuò inter ſe operas præſtarēt. Deinde videtur Paulus optimus ſuiipſius interpres, vt qui exponens quos vocaret *παρεισάκτους*, addit *οἵτινες παρεισῆλθον*, id eſt *qui irrepſerant.* Quanquam nolim quidem ego de hac re cum quoquam contendere, etiamſi emiſſarios appelles. Et fateor me non bene interpretatum eſſe *ſubreptitios:* ideo *irreptitios* dicere malui, quanuis nouo vocabulo.

Ad defens. ii, in Gal. 4. v. 12. *γίνεσθε ὡς ἐγώ, eſtote mei ſimiles.*

SENSVM huius loci quem affers, non improbo, ſed quid magis probem in annotationibus dixi: & præſtiterat à verbis Pauli non diſcedere, vt ſuum cuique iudicium liberum relinquatur.

AD DEFENSIONEM III, IN GAL.6.V.4, *δοκιμαζέτω, exploret.*

IN ea meæ interpretationis editione quæ nunc eſt ſub prelo, repoſui verbum *probet*, cuius ſignificatio ad omnes expoſitiones poteſt accommodari. Sed quod ad huius loci ſententiam attinet, adhuc exiſtimo δοκιμάζειν accipi pro approbare, id eſt, efficere vt quod quis facit, rectum meritò iudicetur. Neque enim quicunque ſuam vitam explorat, inuenit in ſeipſo laudis argumentũ, ſed is demum qui ita ſe gerit vt meritò poſſit cõmendari. Itaque ſi de ſui exploratione hîc ageret Apoſtolus, videtur potius fuiſſe ſcripturus καύχημα ἐχέτω, *gloriationẽ habeat*, hortãdi modo, quàm καύχημα ἕξει, *gloriationẽ habebit*, quũ hoc ex illo (vt dixi) neceſſariò nõ ſequatur. Sic autẽ cohæret ſententia, *Dandã eſſe nobis operam vt alij alios iuuemus, nedum vt alios præ nobis deſpiciamus. Sæpiſſimè enim fieri vt qui ſe aliquid præ alijs eſſe putant, nihil ſint. Sic ergo vitam inſtituamus vt in nos ipſos potius quàm in alios reſpicientes, nos verè ſanctos eſſe cõprobemus: quod ſi fecerimus, tum demum nos ſolida in Domino gloriationis argumentum, non ex aliorum collatione, (quaſi præ alijs ſimus aliquid) ſed ex noſtra ipſorum vita habituros. Neque enim in extremo illo die cenſura de nobis fiet ex noſtri cum alijs comparatione, ſed ex ijs quæ vnuſquiſque geſſerit.*

Eandem verbi δοκιμάζειν notionem eſſe puto 2. Corinth. 8. verſ. 8 quũ aperte teſtetur Apoſtolus ſe de Corinthiorum liberali & prompta voluntate adeò nõ dubitare vt eos etiam aliis pro exemplo proponat. *At enim*, inquis, *nouerat etiam Deus promptum animum Abrahami, at non idcirco eum nõ explorauit iubendo vt filium immolaret.* Quaſi verò Deus ſui ac non potius noſtri cauſa nos experiri dicatur.

AD REPREHENSIONEM IN GAL.6.V.9. μὴ ἐκλυόμενοι, *non defatigandi.*

CVM interpretarer, *ſi nõ elãguerimus*, nihil aliud ſignificare volui quàm hoc eſſe cõditionaliter explicandum, pro ἐὰν μὴ ἐκλυώμεθα, & his verbis meſſem nõ promitti niſi conſtanter ſuſtinentibus ferendi laborem. Itaque etiamſi conuertas, *ſi nõ elangueſcamus*, eadem erit ſententia: ac proinde ridiculus es quum dicis ſcribendum fuiſſe μὴ ἐκλελυμένοι, vt mea ſententia conſtaret. Ego verò multo rectius dicerem Paulum ſcripturum fuiſſe μὴ ἐκλυθησόμενοι, ſi voluiſſet ſignificare quod tu putas. Sic enim explicas, *Non defatigabimur metentes*: ac proinde ἐκλυόμενοι ad tempus futurũ refers. Scio tamen ſtare poſſe ſententiam quam tu aliunde es mutuatus, quanuis eam peſsimè explices.

In Epiſt. ad Epheſios.

AD DEFENSIONEM I, IN EPHES.1.V.3, ἐν τοῖς ἐπουρανίοις Χριστῷ, *in rebus Chriſti cæleſtibus.*

EGo ſum interpretatus, *benedixit nobis in cælis in Chriſto*, & eius interpretationis idoneos authores laudaui. Tu tuam tueri mauis. Fruatis ergo tuo iudicio, dummodò & ipſe nobis noſtrum relinquas.

AD DEFENSIONEM II, IN EPHES.1.V.12, εἰς ἔπαινον τῆς δόξης αὐτοῦ, *laudi & gloriæ ipſius.*

SI interpretatus eſſes, *Glorioſæ laudi ipſius*, tolerabilis verſio fuiſſet, quoniam ſententiam Apoſtoli multo melius expreſſiſſes quàm quum ab eius verbis diſcedẽs, *laudem & gloriam* pro laude gloriæ dixiſti. Cæterùm quæ tu citas, nihil te iuuant: non modò propter adiunctum articulum τῆς, ſed multò magis propter additum pronomen αὐτοῦ quod neceſſariò cohæret cum τῆς δόξης: vt conſtet verum eſſe quod dixi, gloriam ipſius ſic dici ſicut SVAM MAIESTATEM vulgò, pro CAESARE MAIESTATE PRAEDITO dicimus.

AD REPREHENSIONEM IN EPHES.3.V.17. *ἐν ἀγάπῃ, in charitate.*

HOc in loco non interpretationem ſed explicationem meam reprehendis. Quoniã enim hîc fit mentio fundamẽti & radicis, malui hæc interpretari de Dei erga

nos

nos dilectione in Chriſto, quàm de noſtra in eum & proximos charitate. Neque enim iuſtitia in nobis inchoata, eſt noſtræ ſalutis radix, ſed fructus potius ex quo agnoſcitur arbor in Chriſto plantata. Et Apoſtolus ipſe, iiſdem penè verbis vtens, hoc ita explicat Coloſ.2.v.7. Scio tamen hæc poſſe cōmodè quoque ad charitatem,qua Deum & proximū diligimus,referri:ita tamen vt Apoſtolus non agat de ſalutis noſtræ fundamento & radice,ſed duntaxat veram charitatē (quæ videlicet altas in Chriſto radices egerit, nec facilè conuelli poſſit) à ficta & ſuperficiaria diſcernat. Quid tu verò? vis nimirum (tuo more) iuſtitiam in nobis inchoatam,eſſe ſolidā illam petram qua innitamur. Sed ne videaris aliquid falſi iſti tribuere, *Hæc noſtra*,inquis,*charitas donum Dei eſt, & à Dei in nos charitate manat.* Itaque, ſi tibi credimus, Iuſtificari ex fide, ſignificabit, regenerari,ſiue nouo habitu indui, vt ex operibus fidem cōſequentibus iuſti ſimus coram Deo, qui putidiſſimus & perniciosiſſimus error quum ſatis ſupérque à doctiſſimis ætatis noſtræ theologis ſit refutatus,nunc à nobis pluribus verbis non redarguetur.

In Epiſt. ad Philippenſes.

Ad defensionem I, in Philipp.1.v.22.

εἰ δέ μοι,quòd ſi mihi.

NIHIL dico de eo quòd καρπὸν vertiſti προκοπὴν,*profectum*, quū καρπὸς ἔργου illud planè ſit quod Latinis *operæpretium* dicitur. Sed quod annotaram, videlicet hiare ſententiam ſi εἰ δὲ cōuertas,*quòd ſi*, tu ſic excuſas vt dicas particulam καὶ in hoc locutionis genere ſæpe redundare. Sed quàm bene hoc probes,& quàm ſit neceſſaria hæc eclipſis,lectoribus æſtimandum relinquo.

Ad defensionem II, in Philipp.2. vers.25.

λειτουργὸν τῆς χρείας μου,mei muneris vicarium.

SIGNIFICAT Apoſtolus Epaphroditum eum eſſe per cuius manus acceperat ſubſidium vitæ à Philippenſibus miſſum,vt expreſſè narrat cap.4.v.18. & quidem ſemel atque iterum vſurpans χρείας nomen, quod tu etiam ineptiſſimè *calamitatem* conuertiſti. Fuerat ergo Epaphroditus hac in re Philippenſium λειτουργός. Quæ ſententia quum planiſſima ſit, tamen maluiſti neſcio quos Apoſtolorum vicarios ſomniare, & χρείας interpretari munus:quod planè abſurdum eſt & inuſitatum. Nam ne eo quidem loco quem citas Act.6.v.3.χρεία,*munus*, ſiue (vt tu interpretatus es) *prouinciā* declarat, ſed id quod tum facto opus erat,vrgente videlicet neceſſitate.

In Epiſt.ad Coloſſenſes.

Ad defensionem I, in Coloss.1.v.19,κατοικῆσαι πᾶν τὸ πλήρωμα,

Omnem rerum vniuerſitatem habitare.

HANC interpretationē,qua nihil abſurdius(meo quidē iudicio)fingi poteſt, tu ſic explicas,vt Pater dicatur habitare rerum vniuerſitatē, id eſt Eccleſiā, vt ſit omnia in omnibus. *Nā*, inquis,*quū Eccleſia ſit nouus mundus,tribuūtur illi eadem nomina quæ mundo.*Sed quomodo hoc probas? *Quia Euangeliū dicitur regnum cælorum,& per Chriſtum dicitur Deus reconciliaſſe terreſtria & cæleſtia: & Euangelium dicitur prædicatum in omni creatura cælo ſubiecta.* Mirifica ſanè argumenta, & non minus appoſita quàm quū colligunt Pontificij Romanā ſedem eſſe baſin Eccleſiç, quia dixit Dominus,Super hanc petram fundabo Eccleſiā meam. Sed quid te offendit quo minus in recepta interpretatione acquieſceres? Quia nimirum verbum εὐδόκησε ſic conſtrui ſolet cum infinito modo,vt vtrūque verbum ad eandē perſonam referatur, vt εὐδόκησεν ὁ θεὸς σῶσαι τοὺς πιστεύοντας,*viſum eſt Deo ſeruare credentes.* Itaq; hoc in loco verbum κατοικῆσαι tranſitiuè accipiendum eſſet pro *collocauit*,quç notio huius verbi nō inuenitur.Sin autē κατοικῆσαι abſolutè ponatur,ita vt ipſa plenitudo dicatur in Chriſto habitaſſe,non videbitur cohærere ſequens verbū ἀποκαταλλάξαι,quod ad Patrem refertur: atque etiam videbitur abſurdiſſimè dici plenitudo recōciliaſſe ſibi omnia. Ego verò primùm omnium reſpōdeo,τὸ κατοικεῖν poſſe etiam tranſitiuè accipi pro κατοικίζειν,quod

manifeſtè conſtat ex paſſiuo κατῴκημαι & participio κατῳκημένοι, quæ paſſim & apud Thucydidē & apud Herodotū occurrūt. Thucyd. lib. 10, τοὺς ἐν πόρῳ κατῳκημένους. & Herodot. in Terpſich. τοὺς ἐν τῇ λίμνῃ κατοικημένους. Sic ergo non abſurdè dici poteſt Patrem omnē illā plenitudinē in Filio tanquā in domicilio collocaſſe. Sed (vt mihi videtur) nihil opus eſt eò cōfugere. Quid enim prohibet quo minus εὐδοκεῖν ſic cōſtruatur, vt dicatur Deo placuiſſe vt omnis plenitudo in Chriſto habitaret, quū nulla ſit neque in verborū cōſtructione, neque in ſentētia abſurditas? Et rurſus quid vetat τὸ καταλλάξαι tranſitiuū ad cōmune verbū εὐδόκησε referri? *Quoniā* (inquis) *videretur dici ipſa plenitudo oīa ſibi recōciliaſſe.* Quid ſi verò dicā, Placuit Deo peccatū ingredi in mūdum, & poſtea ſibi per Chriſti mortē homines recōciliare? quid tandē erit in hac conſtructione reprehendendum? Hoc videlicet (ſi tibi credimus) quòd videri poſſet peccatū dici ſibi homines recōciliaſſe. Quaſi verò quiſquam ſit tam ineptus vt nō animaduertat, Dei, non autē plenitudinis vel peccati nomen, eſſe ἀπὸ τοῦ κοινοῦ in illis loquutionibus repetendum.

AD DEFENSIONEM II, IN COLOSS. 2. V. 22.
ἅ ἐστι πάντα, *quæ omnia, &c.*

LOCVS integer ſic habet, ἅ ἐστι πάντα εἰς φθορὰν τῇ ἀποχρήσει, κατὰ τὰ ἐντάλματα καὶ διδασκαλίας τῶν ἀνθρώπων, ἅτινά ἐστι λόγον μὲν ἔχοντα σοφίας ἐν ἐθελοθρησκείᾳ καὶ ταπεινοφροσύνῃ καὶ ἀφειδίᾳ σώματος, οὐκ ἐν τιμῇ τινι, πρὸς πλησμονὴν τῆς σαρκός. quæ ſic ego interpretor, Quæ omnia ipſo vſu pereunt, (præſcripta) ex mandatis & doctrinis hominum: quæ ſpeciem quidem habent ſapientiæ in cultu volontario, & ſummiſſione animi, & in eo quòd non parcant corpori: nec (tamen) ſunt vllius pretij (quum) ad ea (ſpectent) quibus farcitur caro. In his ergo videamus quid tu reprehendas, deinde tuam quoque interpretationem expendamus. Quæris quænam illa eſſe velim quæ ipſo vſu pereant. Cibi, inquam. *Atenim*, inquis, *præceptíne an vetiti?* Nam ſi præceptos dicam, abſurdè me loquutum dicis de quadrageſima, in qua non præcipitur piſcium eſus, ſed carnis vſus prohibetur: nec etiam hoc reſpondere illis Pauli verbis, *ne attigeris, ne guſtaris*, quæ nō ſunt de cibis comedendis, ſed de cibis non comedendis, ac proinde nō debuiſſe addere PRÆSCRIPTA. Sin autem de cibis vetitis hoc accipiam, ne ſic quidem quadrare ſententiā. *Non enim* (inquis) *pereunt vſu vetiti cibi, id eſt à quibus abſtinetur, ſed potius pereunt ſine vſu. Ita fit vt quocunque me vertam, non poſſit τῇ ἀποχρήσει cohærere cum τὰ ἐντάλματα.* Hę ſunt illæ furiliſſimæ argutiæ, Caſtellio, quæ te miſerum perdunt. Nam vide quæſo quàm totum hoc ſit inane. Primùm omnium non ignoras præcepti nomen non minus eſſe generale quàm legis, ac proinde tū ἀπαγορευτικὰ tum προστακτικὰ complecti, ſicut Chryſippus & ex Chryſippo Cicero legem rectè deſcribunt. Iam ergo concidit quod firmiſſimum putabas. Reliqua verò cuiuſmodi tandem ſunt? Dicit Apoſtolus, illas præceptiones de cibis non attingendis, pertinere ad res caducas & quæ ipſo vſu conſumuntur, id eſt ad eſcam & potum: in quibus alibi dicit regnum Dei ſitum non eſſe. Tu verò diſcedens ab Apoſtoli ſcopo, non ipſam illarum rerum naturam ſpectas, ſed neſcio quid de comedendo vel non comedendo garriens, nihil aliod profectò quàm ingenij tui vanitatem prodis. Reprehendis poſtea illud quoque, quòd poſtrema illa, οὐκ ἐν τιμῇ τινι πρὸς πλησμονὴν τῆς σαρκός, referam ad ea hominum præcepta quæ ad ea ſpectent quibus farcitur caro, quum cōtrà ad ea ſpectent quibus caro maceratur, vt oſtendit verbum illud ἀφειδία σώματος, id eſt ſeuera corporis vexatio. Atqui ne tu qoidem iſtam explicationē ſequeris, quum hæc connectas cum τῇ ἀποχρήσει, vt mox apparebit. Quòd ſi meam annotationem legiſti, inueniſti me ita amplexum eſſe aliam ſentētiam, vt iſti tamen præiudicium afferre nolim. Quæris poſtea vbi ſit in contextu, PRÆSCRIPTA, & TAMEN, & QVVM SPECTENT. Ego reſpondeo nihil à me adiectum fuiſſe cuius rationem in annotationibus non reddiderim: & idem etiam dico de aliis locis, quos falſò dicis à me ſimilibus adiectionibus fuiſſe deprauatos.

Iam autem ad tuam interpretationem accedamus: cuius ſumma & incredibilis abſurditas vt clarius perſpici poſſit, primùm ex te quæro quo exēplo & qua ratione Pauli verba ita turpiter diuulſeris vt caput cum pedibus connectens, hyperbaton fabricaris cuiuſmodi in nullo ſiue ſacro, ſiue profano ſcriptore, non dico nuſquam occurrit, ſed ne occurrere quidem poſſit: adeò eſt deforme & modis omnibus monſtroſum. Sic enim contextū ordinas, ἅ ἐστι πάντα εἰς φθορὰν τῇ ἀποχρήσει, πρὸς πλησμονὴν τῆς σαρκός, οὐκ

ἐν τι-

ἐν τιμῇ τινι: quam audaciam ego dico & vociferor intolerabilem eſſe. Deinde videamus quomodo quædam interpreteris, & Græca etiam cum Latinis ſigillatim comparemus.

Ἅ ἐστι πάντα εἰς φθορὰν τῇ ἀποχρήσει, quorum omnium is vſus eſt vt vſu pereant.

Πρὸς πλησμονὴν τῆς σαρκὸς, *& ad corporis expletionem pertineăt* Et nouam periodum poſtea ſic inchoas,

Κατὰ τὰ ἐντάλματα καὶ διδασκαλίας τῶν ἀνθρώπων, Iſta verò placita ſunt ex hominum præceptis & doctrinis.

Ἅτινά ἐστι λόγον μὲν ἔχοντα τῆς σοφίας, quæ quidem ſunt eiuſmodi vt habeant orationem ſapientiæ.

Ἐν ἐθελοθρησκείᾳ, ob religionis ſpeciem. Καὶ ταπεινοφροσύνῃ, & modeſtiam. Καὶ ἀφειδίᾳ σώματος, & corporis vexationem ſeueram.

Hæc ego lectores obteſtor vt conſiderent, & poſtea iudicent vtrum hoc ſit ſacra conuertere, an verò potius ſumma & intollerabili audacia peruertere.

In II. ad Theſſalonicenſes.

AD DEFENSIONEM I, IN 2. THESS. I. V. II. *καὶ πληρώσῃ πᾶσαν εὐδοκίαν ἀγαθωσύνης, καὶ ἔργον πίστεως ἐν δυνάμει, perficiátque vt bonitatem & fidei opus & libentiſſimè & fortiter perſequamini, atque abſoluatis.*

REPREHENDI in mea annotatione tuam iſtam peruerſionem in eo duntaxat quòd quæ Dei ſunt, ad homines transferres: quod ſacrilegiū longè duriorem reprehenſionem merebatur. Tu verò ſaltem coniecturam aliquam afferres cuius probabilitate fueris deceptus: ſed contrà quid aliud quàm rides? ἔργον πίστεως, inquis, *ſuperiore Epiſtola interpretatus ſum efficacē fidem.* Fateor, quoniam præter additum pronomen *ὑμῶν*, ea etiam quæ cohærent non ferunt vt áliter intelligamus. Sed quid tandem hîc eſt ſimile? quod vt clarius etiam perſpiciatur, iterum (vt paulò antè fecimus) Græca cum tuis Latinis comparabimus.

Καὶ πληρώσῃ, videlicet ὁ Θεὸς, perficiátque vt perſequamini & abſoluatis. Quid hoc eſt Caſtellio? an aliquid de ſuo adiicere? an aliquid mutare? an potius omnia peruertere?

Πᾶσαν εὐδοκίαν ἀγαθωσύνης, bonitatem. Et hîc rurſus quæ tua eſt audacia in hoc dulciſſimo diuinæ illius in nos benignitatis teſtimonio deprauando? Scio tamen quid ſis reſponſurus, te videlicet in illo verbo *abſoluatis* includere particulā *πᾶσαν*, & in eo quod poſtea ſubiicis *libentiſſimè*, exprimere *εὐδοκίαν*. Sed iterum dico, (& vtinā toties dicam, vt ſerò religioſus eſſe diſcas) quid eſt ſacras literas peruertere, ſi hoc non eſt?

Καὶ ἔργον πίστεως, ἐν δυνάμει, & opus fidei, fortiter. Hæc verò tu rectè, niſi præcedentia ſententiam quoque iſtorum deprauarent.

In priorem ad Timotheum.

AD DEFENSIONEM I, IN I. TIM. 2. V. 6. *τὸ μαρτύριον καιροῖς ἰδίοις· εἰς ὃ ἐτέθην ἐγὼ κήρυξ, quam ad rem ſuis temporibus teſtandam ego præco ſum conſtitutus.*

QVO ſenſu exiſtimem Chriſto tribui nomen *μαρτυρίου*, dixi in Annotationibus, nec diſſimulaui mihi potius videri legendum *μυστήριον*, quam lectionē in vno tantùm vetuſto codice reperi. Sed & illud quod nunc affers in hunc locum, mihi non diſplicet: verùm quoquo modo accipias, in priore illa interpretatione, eadem qua alibi ſæpiſſimè licentia vſus es, Apoſtoli verbis ad tuam ſententiam manifeſtè detortis.

AD DEFENSIONEM II, IN I. TIM. 3. V. I, & 2. *καλοῦ ἔργου, rem bonam. δεῖ οὖν, oportet autem.*

EGO *καλὸν* conuerti *præclarum*, & *ἔργον opus*. Significat enim Apoſtolus, perarduū opus eum aggredi qui ad miniſterium Verbi adſpiret, ſicut habet prouerbium vetus, *δύσκολα τὰ καλά*. Itaque ſubiicit, *δεῖ οὖν*, oportet igitur, & ſummas virtutes recenſet quæ ad eam rem præſtandam requiruntur. At tu, *καλοῦ ἔργου*, *rem bonam*, id eſt *ἀγαθοῦ πράγματος*, interpretaris, neutro vocabulo fideliter explicato, & ſententia prorſus de-

prauata. Neque enim iſtam functionem temerè Apoſtolus ἔργον vocauit, vt oſtenderet Epiſcopos ſiue paſtores non ad aliquam dignitatem cum otio & ſplendore coniunctã, ſed ad operandum vocati, vt ſit onus potius quàm honos: & adiuncto illo epitheto, non quàm id opus eſſet bonum & ſanctum, vel quàm omnibus vtile, ſed potius quàm arduũ, nec temerè cuiquam aggrediendum eſſet, ſignificauit. Reſpondes ἔργον etiam poni pro munere: quod vt concedam, conſequetur tua ipſius confeſſione te grauiter hîc peccaſſe, quum pro MVNVS, REM diceres. *At enim Epiſcopatus*, inquis, *non eſt opus, ſed munus*. Eſto: qui tamen Epiſcopatum ritè appetit, neceſſe eſt dicatur id opus appetere cui Epiſcopos incumbere oportet: ſicut qui paſtor fieri vult, paſcendi laborem ſibi proponit. Illam autem particulam οὖν, quæ eſt illatiua, & alteram enthymematis partem declarat, fœdè ſanè corrupiſti, quum pro δὲ, id eſt *autem*, interpretareris.

AD DEFENSIONEM III, IN I. TIM. 3. V. 16.

ἐφανερώθη, extitit.

RVRSVS dico, neque Exiſtendi neque apparendi verbum, in re tanti momenti, ſatis conuenire, quum præſertim Apoſtolus neque ἐγένετο dixerit, neque ἐφάνη, quæ Marcion fatebatur, quum phantaſma fuiſſe Chriſti carnem diceret: ſed ἐφανερώθη, quo verbo naturam carnis verè corpoream, & in ſenſus externos incurrentem ſignificauit, in qua ſeſe Deus ſpectandum & contrectandum verè exhibuit, vt explicatur 1. Ioh. 1, in initio.

AD DEFENSIONEM IIII, IN I. TIM. 4. V. 14.

τὸ πρεσβυτέριον, ſenatus.

SCIO quidem Senatum à ſenio Latinis dici, ſicut Græcis Presbyterium, & Presbyteri à prouecta ætate primùm dici cœperunt: ſed tamen Senatus & Senatorũ nomen in ſacris literis interpretandis libenter refugi, maiorum veſtigia ſecutus, qui Presbyteros & Seniores potius quàm Senatores, & Presbyterium quàm Senatum dicere maluerunt: vt & ipſi Græci potius πρεσβυτέριον quàm βουλευτήριον, aut βουλὴν, aut γερουσίαν, & πρεσβυτέρους potius quàm βουλευτάς. idcirco fortaſſis vt apud prophanas gentes Eccleſiaſtica diſciplina à ciuili poteſtate ipſis etiam nominibus diſtingueretur, & Chriſtianorum aduerſariis eriperetur occaſio religionem noſtram, quaſi Romano imperio inſidiantem, apud Cæſares & eorum Magiſtratus calumniandi.

AD DEFENSIONEM V, IN I. TIMOTH. 6. V. 20.

κενοφωνίας, profanarum vocum vanitate.

QVRENE an iniuria hoc vitium tibi obiecerim, quod in me regeris, ex iis cognoſci poterit quæ partim plurimis locis, partim verò præcipuè de Hebraiſmis huius reſponſionis initio, & ad defenſionem ſextam in Matthæum, ſcripſimus.

AD REPREHENSIONEM I, IN I. TIM. 2. V. 2. *πάντων τῶν ἐν ὑπεροχῇ ὄντων, quibuſuis in eminentia (idcirco) conſtitutis.*

QVONIAM hoc in loco (ſicut debui) acriter te pupugi, quòd Magiſtratus ab omni cura religionis arcendo, præcipua & ſanctiſſima dignitatis parte ſpolies, idcirco ſtudioſè quæſiuiſti quid in hac mea interpretatione reprehenderes. Itaque in his quatuor verbis quatuor peccata reperiſti, ad quæ ſigillatim reſpondebo. Primũ eſt quòd pro OMNIBVS verterim QVIBVSVIS. At ego te moneo primùm vt diſcas Dialecticen, quam nunquam deguſtaſti, & quidem in primis quod ſit inter vniuerſales & indefinitas enuntiationes diſcrimen: deinde vt exempla tum ex ſacris literis tum ex ipſo Cicerone petita, quibus interpretationem meam confirmaui, refellas ſi potes: denique, vt quum hæc feceris, tum demum cur in hoc peccauerim oſtendas. Alterum eſt, quòd voculam IDCIRCO Pauli verbis addiderim. At ego rurſum cur id fecerim, in Annotationibus dixi, quas refuta, ſi potes: & iam præmonui nihil à me inſeri ipſi ſacro contextui quod internoſci ex minutioribus characteribus non poſſit. Tertiò, me reprehendis quòd ὄντων verterim CONSTITVTVS, quaſi ESSE ſit idem quod CONSTITVTVM ESSE. Magnum certè erratum, quaſi diuerſa ſint, *in imperio eſſe, & in imperio eſſe conſtitutum.*

ſtitutum. Quartum eſt, inquis, (cuius cauſa cætera commiſi) quòd Pauli ſentẽtiam peruerterim, vt meam ſtabilirem. De hoc igitur videamus. Ego quidem ita ſtatuo, non ſignificare ſimpliciter Apoſtolum, ideo eſſe concipiendas preces pro regibus vt illi arceant à nobis iniurias, & ita nobis liceat pietatem colere, & honeſtè vitam degere: ſed altius potius Paulum conſcendere, & cauſas adferre cur pro illis precari omnino debeamus: quia nimirum reges & principes Dominus duarum rerum cauſa cõſtituit: primùm quidem conſeruandi diuini cultus, deinde ſocietatis humanæ honeſtè conſeruandæ gratia. Quum ergo Magiſtratus ſint publicæ perſonæ & Dei organa ad vſus tam præclaros támque neceſſarios comparata, debemus ſedulò Deum precari vt eos nobis vtiles efficiat. id eſt, vt eos ſi boni ſunt, conſeruet, & magis ac magis ſuis donis locupletet: ſin verò mali, immutet, & ex impiis religioſos, ex vitioſis moderatos & honeſtos reddat, vt officio ſuo ſatisfaciant. Ego igitur Paulum ſic interpretor, & particulam *ἵνα* cum participio *ὄντων* cõnecto: quamobrem etiam voculam IDCIRCO adieci, vt Apoſtoli ſenſus illuſtraretur, ſed ita vt quum & alio charactere vocula illa IDCIRCO ſit excuſa, & in annotatione ſit expreſſum qua ratione id fecerim, nemini præiudicium attulerim. Tu verò quid ſentis? *Si mercatores*, inquis, *ſic loquantur, Oremus Deum pro principibus noſtris, vt quietè mercimonia exerceamus, non erit hæc eorũ mens vt cupiant à principibus curari aut inſtitui mercaturam (quippe quũ ipſi mercatores eam artem longè melius quam illi teneãt & exerceant) ſed latrocinia cohiberi. Ita hoc loco non eſt ea mens Pauli vt cupiat à principibus procurari negotium religionis: (huic enim rei perfectè proſpexerat Chriſtus ſine principibus, vel potius inuitis principibus) ſed vt fiant ipſi religioſi.*

Hîc ego verò peto vt quædã ex te quæri æquo animo patiaris. Dic primùm, obſecro, an nullo modo vis religionem procurari à ciuili Magiſtratu? Tu quid ſis reſponſurus cogita. Nam ex tuo Bellio (quem tu manifeſtè hîc tueris) & ex tota iſta reprehẽnſione nõ aliud poſſum colligere quàm te in ea eſſe opinione vt nolis Magiſtratus ſeſe vllo modo negotiis religionis immiſcere. Quòd ſi aliter ſentis, an quæſo putas Paulum id quod præcipuum erat, hoc loco omittere voluiſſe?

SED agè, maneamus in ea quam adfers ſimilitudine. An putas mercatores illos quos ita inducis, valde præpoſterè (id eſt ſui non regis cauſa precantes) nihil aliud ſpectare niſi vt rex latrocinia coerceat? imò an non etiam exiſtimas id cupere vt principes æquis legibus efficiant vt non modò tutò, ſed etiam certo ordine poſſint mercaturam exercere, ac proinde vt eius ordinis perturbatores coerceant? Tu verò quum ad Apoſtoli ſcopum tuam ſimilitudinem applicas, quid ſimile dicis? Dicis enim Apoſtolum cupere principes fieri religioſos, non autem vt religionis negotium procurent. Quis ergo nõ videt te non alio modo principes quàm priuatos quoſuis, religioſos eſſe velle, ſiquidem religionis procuratio ad eorum munus non ſpectat? Hoc illud eſt igitur quod ego intolerabile eſſe iudico. Scio quidem interea quid obiicere ſoleant nonnulli, ſic videlicet confundi quæ Deus diſtinxit. Sed ad eiuſmodi calumnias à doctiſſimis ætatis noſtræ theologis, ac præſertim à magno illo Philippo Melanchthone ſatis ſupérque reſponſum exiſtimo. Neque enim vel miniſtros Verbi inuehimus in regum ſolium, vel Magiſtratus in Miniſtrorum cathedram introducimus, etiãſi religionis procurationem ad Magiſtratus (quatenus ſunt tanquã primæ præcipuè Tabulæ cuſtodes ac vindices) maximè pertinere arbitramur. Cæterùm cur hunc locum ſic interpretarer, ea maximè ratione ſum adductus, quòd alioqui ſi alteram explicationem ſequamur, perperam colligere videbitur Apoſtolus. Sic enim argumentaretur, *Ex principum incolumitate pendet pax noſtra: Ergo pro principum incolumitate precandum eſt.* Poterat autem aliquis contrà excipere, pacem Eccleſiæ cum illorum exitio fuiſſe eo tempore coniunctam, vt qui Eccleſiã perſequerentur, ac proinde contra illos potius concipiendas eſſe preces: quod etiam poſtea fecit contra Iulianum apoſtatam vetus Eccleſia. Sed ſi ita diſponas argumentum vt nos fecimus, tum demum firma erit concluſio, à fine conſtituti Magiſtratus ſumpta, hoc modo: *Idcirco conſtituti ſunt Magiſtratus à Deo, vt ſint organa pietati & honeſtati inter homines conſeruandæ conſtituta: Ergo rogandus eſt Deus pro illis, videlicet vt officium ſuum faciant.* Quum hoc igitur ſcripſiſſem, debuiſti vel meam rationem conuellere, vel meam ſententiam amplecti. Sed contrà nihil aliud reſpondes quàm me pugnantia docere: quoniam videlicet obiectionem quam in aliorum perſona explicaui, & ego ipſe poſtea dilui, mihi ipſi tribuis. quod & ineptè & impudenter facis.

T.

AD REPREHENSIONEM II, IN 1. TIMOTH. 5. V. 23, *ὑδροποτεῖν, abſtemium eſſe.*

DIxi (quod veriſſimum eſt) ὑδροποτεῖν hoc in loco non eſſe *aquam bibere*, ſed *abſtemium eſſe*. Neque enim Timotheũ vetat Apoſtolus vllam aquam bibere, ſed vult eum duntaxat aliquid etiam vini interdum ſumere, vt ventriculum iuuet. id eſt a vino prorſus non abſtinere. *Atenim*, inquis, *abſtemius eſt qui non bibit vinum, quicquid tandem aliud bibat*. Appoſitè profectò: quaſi non præſcribat Apoſtolus Timotheo quomodo velit non eſſe abſtemium, quum eum iubet modico vino vti: aut quaſi Timotheus eſſet Maſſageta quiſpiam γαλακτοπότης.

In II. ad Timotheum.

AD DEFENSIONEM I, IN 2. TIMOTH. 1. V. 7, *καὶ σωφρονισμοῦ, & ſanitatis animi.*

TV *frugalitatẽ* interpretaris, quod, ita vt eſt, ineptũ eſſe dixi. primùm enim σωφρονισμὸς aliud eſt quàm σωφροσύνη, quũ illud ſit iſtius effectũ: quod ne pueri quidem in ſcholis ignorant. Deinde σωφροσύνη quãdo a Cicerone dicitur frugalitas, virtus eſt quæ τῇ ἀκολασίᾳ opponitur, cuius hîc nulla eſt mẽtio: quando verò illud declarat à quo pendet animi ſanitas, opponitur τῇ μανίᾳ, quæ inſanos animos efficit. Hoc eſt igitur quod Paulus ſignificat, ex Scripturæ more, quæ nos docet Spiritu Dei verè moderatos & compoſitos animi motus efficere, & huic veræ animi ſanitati intemperiem fanaticorum & vertiginoſorum hominum opponit.

AD DEFENSIONEM II, IN 2. TIMOTH. 2. V. 7, *Σύνεσιν, intelligentiam.*

Σύνεσιν certum eſt opponi τῇ ἀγνοίᾳ in rebus agendis, ſicut σοφία potius in cõtemplatione poſita eſt. Itaque induſtriã niſi μετωνυμικῶς ſignificare non poteſt, quoniam videlicet intelligẽtia eſt induſtriæ (id eſt ſagacitatis & habilitatis ad aliquid agẽdum) mater. Hîc autem accipi pro intelligentia, quæ ſit totius vitæ regula tum ex iis quæ præcedunt, tum etiam ex iis quæ ſequuntur facilè animaduerti poteſt.

AD DEFENSIONEM III, IN 2. TIMOTH. 3. V. 16, *πᾶσα γραφὴ, omnis ſcriptura.*

HOc loco duo tibi obieci quæ maximi ſunt momenti, ac proinde niſi à me probentur, æquum eſt vt calumniæ dem pœnas: quod ſanè non recuſo. Primùm, quòd ſcripſeris Paulũ habuiſſe reconditiorem aliquam doctrinam, quam non ſcripſerit, ſed ſolos quoſdam perfectos docuerit. Alterum, quòd & illud ſcripſeris VERBVM decidendis religionis controuerſiis non ſufficere, quocunque modo explicetur, ſed ampliorem aliquam reuelationem eſſe expectandam. Ad prius illud tu ita reſpondes, vt hanc ſententiam non tuam, ſed Pauli eſſe dicas, 1. Cor. 2. v. 7. vbi ſcribit ſe ſapientiã loqui inter perfectos. Hoc ego verò pernego, & iterum impiam & blaſphemam eſſe hanc ſententiã dico, quoniam non poteſt compendioſiore via ſtabiliri omnis impietas quàm ſi à Scriptura ad aliam aliquam doctrinam reconditiorem transferamur. Et quiſquis exiſtimat aliam vnquam è cælo allatam eſſe doctrinam ſalutis præter eam ipſam quæ plenè & integrè à Prophetis & Apoſtolis & ore tradita eſt, & poſtea libris explicata, eum ego dico Eccleſiæ fundamentum conuellere, tantum abeſt vt hoc vnquam Paulus ſcripſerit. Itaque tuam ſententiam tueri, non meam oppugnare, debuiſti, niſi callidè maluiſſes accuſationem ficta ἀντικατηγορίᾳ declinare, quàm vel tua defendere, vel culpam fateri. Proferam ergo tua verba, vt omnes iudicent an iure te accuſarim. *Sapientiam*, inquis, *vocat reconditiorem doctrinam & de rebus magis arduis: perfectos autem, Chriſtianos in doctrina prouectiores, & arcanorum capaces: quaſi hoc dicat, Quòd vos ſimpliciter Chriſtum, eúmque crucifixum docui, id non ideo feci quòd non haberem perfectiora & longè maiora quæ docerem: ſed quum vos in Chriſti doctrina infantes, neque*

maiorum

maiorum capaces eſſetis, docui rudimẽta, & lacte vos (vt ita dicã) paui. Et mox, *Dicet quis, Quid? inter imperfectos & rudes Chriſtianos nõ loquitur ſapientiã? Nõ loquitur. ſapientiã enim vocat, perfectiorẽ & magis arduã ac difficilẽ doctrinã.* Et poſtea, *Loquimur nõ humana neque vulgaria: ſed quæ nec oculus vidit, &c. ſcilicet quũ ſumus inter perfectos & horum arcanorũ capaces.* Et mox, *Neq; eſt quod abhorreat ab hac Pauli ſententia, quaſi nihil maius aut abſtruſius ſolitus ſit apud perfectos loqui quàm ea ſũt quæ extãt in eius ſcriptis. Nã ſi Paulo (qui perfectus erat) maiora oſtendit Deus, quid vetat Paulũ ea declaraſſe perfectis? an indigniores erãt illi audire quàm Paulus videre? Cur ergo ea nõ retulit in literas? quoniã literas pleriq; legũt imperfecti, qui tã arduũ capere non magis poſſunt quàm puer abecedarius intelligere quæ ſunt in Dialecticis difficillima.* Hæc eſt quã nobis profers Pauli ſententiam, quam ego vt impiam repudio, téque tuam blaſphemiam iubeo agnoſcere. Aliquid enim magis arduum, magis reconditum, magis pretioſum, magis diuinũ, imò aliud vſquam magis diuinum & cæleſte inter homines vnquam extitiſſe nego & pernego, quàm Chriſtum & eum crucifixum. Item quum dicis Paulum aliquid magis arduum ſuos quoſdam perfectos docuiſſe quàm ea quæ ſcripſit, peſſimè te de Eccleſia Dei mereri, & dignũ eſſe qui vel hoc dogma publicè deteſteris & corrigas, vel ad tuos ſomniatores ablegẽris, credo, dico, vociferor. Et quibus argumentis, obſecro, ad illã non iã dico blaſphemã, ſed pluſquàm ineptã & ridiculã explicationẽ tuã ſtabiliendã, vteris? Primùm profers oraculum velut ex tripode: *Hæc ſentẽtia*, inquis, *ita aperta eſt vt nihil apertius: neq; ego de ea verbũ feciſſem, niſi viderẽ in ea quoſdã ita hallucinari, vt in luce videãtur oculos claudere & ſuos & aliorũ.* Bona verba, modeſtiſſime hominum. Humanũ eſt cæcutire, ſed aliorũ oculos claudere velle, diabolicũ eſt. Illud ſæpius quàm vellẽ nobis euenit quotidie: iſtud à nobis Deus auertat, quos paſcẽdo ſuo gregi hoc in loco præfecit, & qui quamplurimis prodeſſe bona cõſcientia optamus. Tu verò teipſum intuere, obſecro, & iſta poſtea, ſi potes ac debes, nobis obiicito. Sed ad rem. Libet enim tuas illas tam apertas demonſtrationes cõſiderare. *Putãt*, inquis, *hoc loco dici Chriſtianos, quoſuis quibus Euangelium ſit ſapientia.* Nos verò non ſic loquimur. Multos enim eſſe nouimus titulo tenus Chriſtianos, qui Euangeliũ rideant: multos etiã adeò rudes vt nec quid probent nec qui improbẽt norint, nec etiam iſta magnopere curent. Sed ſi Chriſtianos vocas quibus Dominus aures perforauit, quique in ſchola Chriſti hactenus ſaltẽ profecerunt, vt animũ docilẽ & Dei timore imbutum afferant, illos eſſe dico quibus ſolis & Prophetæ & Apoſtoli ſapientiã loquantur, quæ à cæteris hominibus vanis & ambitioſis vel deridetur vel etiã cum iracũdia explauditur. Et hi ſunt paruuli quibus hanc ſapientiam Pater cæleſtis patefacit, quam illis ſtultiſſimis ſapiẽtibus occultat. Iam igitur vides te in limine impegiſſe, quoniam neſcio quos perfectos, id eſt ideas Platonis, in Eccleſia comminiſceris, de quibus alius erit in hoc ipſo libro dicẽdi locus. Nũc tecum progrediamur paulò longius.

Non dixit, inquis, *Paulus, σοφίαν λαλοῦμεν τὴν ἐν τοῖς τελείοις, vt ἐν τοῖς τελείοις referatur ad σοφίαν: ſed, σοφίαν λαλοῦμεν ἐν τοῖς τελείοις, vt ad λαλοῦμεν referatur.* Rectè profectò. Nã ſi ea eſſet ſententia quã tu cõminiſceris, omnino Paulũ illo modo loqui oportuiſſet, vt qui eã loqueretur ſapientiã quã ſoli perfecti intelligerent. Sed ſi bene de Muſica loquẽs inter homines prorſus *ἀμούσους*, & tamen ſuo iudicio ſapientiſſimos, dicam me, qui iſtis ſtultus videar, inter Muſices ſtudioſos bene & ſapienter loqui, ánnon dicã quod res eſt, ſiue ſumma Muſices arcana explicẽ, ſiue minus? Nã hoc ſanè loco Apoſtolus nondũ cõparat inter ſe diuerſas docendæ theologiæ rationes: quarum vna rudibus, altera prouectioribus cõueniat: ſed verã potius doctrinã quantumuis ſimpliciter traditã (quę nõnullis ſordebat) cũ vanæ illius philoſophiæ phaleris cõparat, & illã quã nõnulli pro ſtultitia habebant, verã eſſe Dei ſapientiam docet, quæ vt mũdo ſit inſipida, adoratur tamen ab iis quos alii ſtultos, ipſe verò cõtrario prorſus nomine perfectos vocat, q; perfectã ſapiẽtiã ſectẽtur, ſtultos illos videlicet de pleniore quadã eruditione gloriãtes irridẽs. Subiicis poſtea, *nomẽ σοφίας ſolere de ardua & perfectiore aliqua doctrina dici, qualis eſt in Apocalypſi quæſtio & ænigma de beſtia numero.* Sed, obſecro, mi homo, ánnon quũ ita loqueris, meã cauſam agis? Sit ſanè *σοφία* id quod dicis. Vbi magis eã elucere putas, an in Chriſto crucifixo, an in alia aliqua re magis recõdita? Et quænam ea erit, obſecro, etiãſi oĩa Dei arcana nobis patefacta ſcruteris? Et tibi Chriſtus crucifixus inter rudia elementa numerabitur, vt numerũ beſtiæ pro perfectiore aliqua doctrina eẽſeamus? Hanc blaſphemiã ferat qui volet: ego certè vindicaturum Deum arbitror, etiamſi homines negligant.

Sumis poſtea locum illum Iſaiæ, *Quæ oculus non vidit, &c.* pro tuæ reconditioris doctrinæ deſcriptione, quum reuera Apoſtolus poſt Iſaiam nihil aliud illis tam magnificis verbis intelligat quàm Chriſtum crucifixum, qui nos ad illam immortalem & inexplicabilem gloriam vocat. Sed fortaſſis exiſtimas Paulum de Angelorũ ordinibus & eiuſmodi Platonicis intelligẽtiis, inſtar illius Dionyſii, quem tu nimirũ inter illos perfectos Pauli diſcipulos coryphæum facis, aliquid ἄῤῥητον ſeorſim patefeciſſe. Fruaris ergo tua perfectione: mihi ſatis eſt Chriſtus, & is quidem crucifixus. Quod autẽ poſtea ſubiicis de geminato articulo ὁ, quod altero loco expungimus, falſum eſſe, in Annotationibus oſtendi. Delaberis poſtea ad tuas argutias. *Non poteſt*, inquis, *Apoſtolus vocare perfectos Corinthios, quos poſtea vocat σαρκικοὺς καὶ νηπίους, id eſt carnales & infantes.* Quaſi verò Paulus, quũ dicit ſe perfectis ſapere, non ſatis apertè reprehendat Corinthios, vt qui minimè omnium id eſſent quod videri volebant. Non dubito tamen quin inter eos multi eſſent ad quos ea obiurgatio nõ pertineret, & quibꝰ reuera Paulus ſaperet potius quàm vani & futiles illi tum doctores tum auditores. Sed eos nihilominus Paulus hac generali reprehenſione inuoluit, & vt illis ſit ſtultus, culpã eius rei, nec in ſe, nec in doctrina hærere teſtatur: quoniã quod ipſis eſt ſtultitia, perfectis (quales illi ſeſe eſſe exiſtimabãt) ſapit. Sequitur alia tua nõ minus futilis argutia. *Si perfecti*, inquis, *dicerentur quicunque Chriſtiani, imperfecti dici poſſent qui nõ ſunt Chriſtiani. quod abſurdũ eſt, quũ imperfectus dici non poſſit niſi qui eſt inchoatus.* At ego iam antea tibi reſpondi, perfectos dici homines ſinceros & integri iudicii, etiãſi plurima in eis requirerẽtur. Hoc enim declarat Hebræis nomen TAMIM. Ac proinde nulla hîc eſt perfectorũ & imperfectorũ oppoſitio, ſed cõparatio potius hominũ ſtultorum & vanitati deditorum (etiamſi ſapientiſſimi ſibi videantur) cum hominibus verã ſapientiam ſectantibus, & à Spiritu ſancto renouatis.

Supereſt duplex argumentum, quo probare niteris abſurdum non eſſe ſiquis Paulum dicat perfectiora quoſdam docuiſſe quàm ſcripſerit: quod dogma iam oſtẽdi longè pernicioſiſſimum eſſe, quoniam homines à Scripturis ad Anabaptiſticas & fanaticas quaſuis reuelationes abducit. *Si*, inquis, *Paulo, qui perfectus erat, maiora oſtendit Deus: quid vetat Paulum ea declaraſſe perfectis? An indigniores illi erant audire quàm Paulus videre?* Scilicet aliter ſe geſſit Paulus, quædã ἀπόῤῥητα perfectos ſuos docens, quàm Chriſtus, qui teſtatur ſe palàm omnia eſſe loquutum. Vis tibi paucis reſpondeã? Vidit, fateor, Paulus inenarrabilia quum aliquid futuræ gloriæ deguſtaret: ſed hæc non ſunt huius ſeculi. neque eum in illis tradendis fuiſſe occupatum inuenio, vel ſuis diſcipulis, qualeſcunque fuerint, aliam reconditiorem doctrina proponere aut voluiſſe aut potuiſſe credo, quàm Chriſtum, qualem nobis in ſuis diuiniſſimis Epiſtolis depingit, in quo videlicet reconditi ſunt omnes ſapientiæ theſauri. Tu, ſiquid fortè magis arduum aut ſomniaſti, aut ab aliis ſomniatum audiuiſti, profer in medium, vt tuam ſapiẽtiam rideamus. Sed quod poſtremo loco addidiſti, Paulum videlicet maiora illa idcirco in literas nõ retuliſſe, quoniã plerique imperfecti literas legunt, qui tamen non intelligunt, id ſaltem vide quo iudicio ſcripſeris. Nam ſi quædam viderat ἄῤῥητα (vt ab ipſo vocantur,) id eſt quæ dici vel non poſſunt vel non debent, an putas eum tam fuiſſe amentem vt quæ dici nõ poſſent, dicere conaretur? aut tã irreligioſum, vt quæ prohibitus fuiſſet enunciare, illa cuiquã renunciaret? Sed quid pluribus opus eſt? nemo eſt qui quorſum hæc tendant facilè non animaduertat. Hæc enim eſt ſchola ex qua Manichæi, Mõtaniſtæ, Anabaptiſtæ, Papiſtæ, omnis denique Eccleſiarum corruptela prodiit: dum perfectiora quæruntur iis quæ Scripturis traduntur. Et hactenus quidem de priore huius accuſationis capite, cuius probationem à me requirebas. Supererat igitur reſponſio ad alterum caput, niſi nos aliò raperes. Meam enim interpretationem reprehendi facilius quàm tuã defendi poſſe exiſtimaſti.

Dixi 1. Cor. 3. v. 1. *paſtoris munus eſſe ſeſe ad eorum captum accommodare quos alendos ſuſcepit, ita tamen vt pro lacte nunquã porrigat venenum. Lac enim & ſolidus cibus re quidem eadem ſunt ſed tradendi modo & forma differunt.* Item Hebr. ſexto capite, primo verſu. *Tradebantur*, inquam, *illa Catechiſmi initio breuibus & paucis, tanquam præcipua religionis noſtræ capita, vti ſanè ſunt: ſed accedebat poſtea Scripturarum luculenta tractatio, cum quotidianis exhortationibus: denique eadem quidem illa, ſed multis arcanis copioſius explicatis tradebantur.* Hæc ſunt quæ tu non modò vt falſa reprehendis, ſed etiam vt inepta derides. Requiris igitur à me probationem. Accipio conditionem, & Chriſtum ſumo pro Pauli interprete. Dicit Dominus diſcipulis ſuis, Iohan. 16. v.

16.v.12. *Multa adhuc habeo quæ vobis dicam,ſed ea nunc ferre non poteſtis.* Quæro igitur ex te,Caſtellio,ánnon diſcipuli hoc loco ſuſtineāt infantium perſonam,qui lacte non cibo adhuc egerent. Quid ergo illis promittit Dominus? alia profectò quorum nondū erant capaces,ideſt ſolidum cibum. Iam ergo videamus an cibum poſtea reipſa aut potius ſolo tradendi modo à lacte differentem,eis ſit pollicitus,ac tandem etiam exhibuerit. *Spiritus veritatis*(inquis)*deducet vos in omnem veritatem,& quæ futura ſunt annunciabit vobis.* En(ſtatim exclamabis)quod dicebam, Res alias & magis arduas diſcipulis pollicetur.Sed mane pauliſper,& cætera mecum expende. Iam antea dixerat iiſdē diſcipulis,(Ioh.14.v.26.)*Spiritus ille vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia quæ dixi vobis.* Vides ad ea ipſa remitti diſcipulos quæ antea audierant?& nequid præterea reipſa diuerſum expectarēt, eoſdem diſcipulos eadem cōcione poſtea compellans, Ioh.15. v.15,*Omnia*,inquit,*quæ audiui à Patre meo, nota feci vobis.* Quid ergo? Nempe ex his efficitur Apoſtolis poſtea copioſiſſimo illo Dei Spiritu imbutis,patefactū fuiſſe plenius mortis Chriſti,reſurrectionis,aſcenſionis,glorificationis,totius denique regni cœlorum myſterium:ſicut Petro ſigillatim demonſtratum fuit myſteriū vocationis Gentiū quod alii Apoſtoli poſtea ex eo cognouerunt. Sed hæc omnia certè non reipſa,ſed perfectiore explicatione differunt ab iis quæ generaliter ex Chriſto præſente audierant, atque etiam aliis prædicarant.nempe pœnitendum eſſe,credendum Euangelio,adeſſe Dei regnum,Ieſum eſſe Dei filium.quod omnium nomine confeſſus fuerat Petrus. Et certè ita eſt:quòd ſi mihi credere non vis,audi ſaltem quæ ſit doctiſſimorum hominum,Martyris, itémque VVolfangi Muſculi de his rebus ſententia.

Sic igitur ille,in 1.Cor.2.v.7, Perfectos appellat credentes, licet in hac vita nunquam ſimus perfecti:ſed ita dicimur,quòd τέλος,id eſt finem,ſpe teneamus, & ad illum pro viribus contendamus.Hæc ille.Sed audi etiā quomodo & te & tuū quendam Italum,quē nominare non audes,quum tamen te non pudeat ineptiſſimas & abſurdiſſimas eius explicationes pro oraculis obtrudere: quomodo, inquam, te(quanuis non nominatim) VVolfangus Muſculus in illum ipſum locum ſcribens,excipiat. Eſt,inquit,prorſus reiiciendus ſenſus illorum qui intelligunt Apoſtolum loqui de ſublimiore quadam ſapientia quàm ſit ſermo crucis, quam ſeorſum perfectioribus communicauerit. Licet enim infrà initio capitis tertii in eum ſenſum aliquid dicere videatur, non tamen loquitur de alia ſublimiore ſapientia quàm ſit Euangelica prædicatio,quum illa habeat in ſe omnē theſaurum ſapientiæ & ſcientiæ Dei.licet prudenter ſit iuxta captū auditorum diſpenſanda,quod & Apoſtolus ipſe coactus fuit facere apud Corinthios. Hactenus ille.Nunc autem audiamus quid Martyr in alterum hunc noſtrum locum 1.Cor.3.v.1.ſcribat: Cibus ſpiritualis eſt ſana doctrina & inſtitutio,quē modò videtur Apoſtolus diducere quaſi genus in duas formas,lactis,inquam,& firmioris alimoniæ. Solidus cibus in huiuſmodi ſententiis comprehenditur,Omnia veſtra ſunt:non ſumus ſub Lege,ſed ſub gratia:iā olim conſidere nos fecit Deus Chriſto ad dexteram in cæleſtibus: quos præſciuit, hos & prædeſtinauit:Elegit nos ante iacta mundi fundamenta:& alia ſimilia complura.Nomine lactis apertiora & faciliora comprehenduntur, quum tamen ſenſu à ſolido cibo non diſcrepent.Sed eſt varietas in modo & forma tradendi,ita vt eadem quoad ſummā vtrinque comprehendantur.Et quum lac præbetur,maximè verſamur circa prima religionis capita,in quibus notitia Legis & Euangelii facilius & expreſſius docetur: cuius generis illa ſunt quæ in Catechiſmis proponi conſueuerunt.Et poſtea rurſus, Falſis opinionibus exploſis,conſtituamus cibo & lacte ſignificari duntaxat ordinem doctrinæ,vt à magis notis auſpicemur,& ad ignota progrediamur. quod & philoſophi obſeruarunt, vt à magis vniuerſalibus ad ea quæ minus generalia ſunt deſcendant.

Hæc illi.Quæris autem ex me ridens,Caſtellio,an à natura didicerim lac & ſolidum cibum re eſſe eadem,& tradendi tantùm modo & forma differre, & fore dicis vt me refellant vel ipſæ ouiculæ, quæ agnos ſuos lacte paſcant, & eoſdem paulò pòſt adultiores ad fœnum relegent,cibum certè non tradendi modo,ſed reuera alium.Reſpondeat igitur pro me ouiculis tuis ipſa veritas, & oſtendat quod venenum ipſis pro vero cibo propines,atque adeò quàm tutemet ſis ineptus, quum prætetito ſcopo in ſingulis partibus ſimilitudinis inhæres. Quid illis, inquit Muſculus, dare primùm potuit Apoſtolus niſi quod acceperat à Domino,& reficiendi vires haberet? Acceperat aūt à Domino Euāgelium prædicandū.Et mox, An alia eſt quædam doctrina præter Euangeliū Chriſti,quēadmodū aliud adulto datur cibi genus quàm infanti?eiuſdē enim generis nō ſunt lac &

» panis. Nequaquã alia: ſed eadẽ Euangelii doctrina & lac eſt & panis: lac infantibus in
» Chriſto, panis iã adultis. Quomodo? Ita videlicet vt gloria gratiæ, potentiæ ac regni Dei
» in Chriſto latius & clarius exponatur adultis quàm rudib⁹ adhuc & recẽtibus. Et paulò
» pòſt rurſum, Nõ eſt, inquit, aliud atque aliud doctrinæ genus per lactis potũ & ſolidũ ci-
» bũ intelligendũ, ſed planè idẽ, & non re, ſed auctu & explicatu diuerſum: perinde atque
» fides ipſa in Chriſtũ & cognitio regni eius nõ eſt alia in imperfectis, & alia in perfectio-
» ribus, ſed omnino eadẽ, licet auctior in iſtis ſit quàm in illis. Ita Baſilius de ſua fide ſcri-
» bit Epiſtola 79. *ὥσπερ γὰρ τὸ σπέρμα αὐξανόμενον, μεῖζον μὲν ἀπὸ μικροῦ γίνεται, ταὐτὸν δέ ἐ-*
» *στιν ἑαυτῷ, οὐ κατὰ γένος μεταβαλλόμενον, ἀλλὰ κατ' αὔξησιν τελειούμενον, οὕτω λογίζομαι καὶ ἐμοὶ*
» *τὸν αὐτὸν λόγον διὰ τῆς προκοπῆς ηὐξῆσθαι, οὐχὶ δὲ ἀντὶ τοῦ ἐξ ἀρχῆς ὄντος, τὸ νῦν ὑπάρχον γεγενῆσθαι.*
Audis, Caſtellio, idẽ prorſus ſummos illos homines atq; me ſentire? an tu verò illos etiã cæcutire & aliorũ oculos claudere poſthac dicere audebis? Tu verò qd ad iſta reſpõdes? *Annõ*, inquis, *vides ineptias?* Video certè, bone vir, video, & quidẽ craſſiſſimas, ſed tuas. *Quũ*, inquis, *doces ſcholaſticos tuos, nónne rudioribus oĩa copioſius explicatiúſque tradis, prouectioribus contrà paucis verbis ſummatim doces?* Et paulò pòſt, *Quid ineptius*, inquis, *quàm verborũ copiã vocare perfectionẽ? ánnon aptius perfectionẽ vocaueris, cõpendiũ docendi, quandoquidem cõpendio docentur peritiores?* Inepte, quouſque tandẽ garries? An tu nullam niſi verborũ copiam agnoſcis? & te iſta proferentẽ non pudet mihi ineptias obiicere? Quũ ſimpliciter & generaliter in Catechiſmo doceo, mutandam eſſe vitam, faciendum bonum, abſtinendum à malo, credendum vnum Deum, Patrem, Filium & Spiritũ ſanctũ, ſola Dei gratia in Chriſto eſſe confidendum, credendam remiſſionẽ gratuitam peccatorum, & ſimilia præterea nonnulla, an tibi copioſior videtur hæc docendi ratio quàm quum de prima hominis conditione, de eiuſdem lapſu, de mentis humanæ cæcitate, de voluntatis corruptione, de reatu, de peccato, de libero arbitrio, de Trinitatis myſteriis, de duabus Chriſti naturis & vnica hypoſtaſi, de Chriſti officio, de imputatione iuſtitiæ, de fidei cauſis, de gratia, de Legis vſu & vera explicatione, & reliquis religionis noſtræ capitibus ſpeciatim & enucleatè ex Dei verbo diſſero: & hoſtium quidẽ argumenta diluo, noſtra verò pro viribus & pro modulo meo cõfirmo? Hoc eſt quod voco, copioſius docere: hæc ſunt arcana quæ in Dei verbo pleniſſimè & perfectiſſimè nobis perſcripta eſſe dico, nec vllas alias reuelationes, vel vllam Cabalam agnoſco.

Rides etiam quòd Carnales ſim interpretatus *νεοφύτους*: quos tu putas veteribus diſcipulis opponi. At ego (ne neſcias) quum iſtos ſic nomino, non ex tempore, ſed ex profectu eos metior, quũ multi etiam ſint in Euangelio ſexagenarii, & ſexagenariis maiores infantes. Sed cur illos (dices) *νεοφύτους* vocas? Nempe eadem ratione qua Paulus *νηπίους*, id eſt infantes, quod certè nomen neceſſe eſt in ſolos recèns natos competere fatearis. Naſci autem & plantari in Chriſto idem declarant. Conſtat autem Paulum de eo tempore loqui quo Corinthios à Paganiſmo primùm ad Chriſtianiſmũ traduxerat. Quod enim eis mox obiicit, adhuc eſſe carnales, non eò ſpectat vt imperitos eſſe dicat, quibus initio Epiſtolæ multam rerum ſacrarum cognitionem tribuit, ſed vt eis exprobret Chriſtianos reipſa nihilo meliores eſſe factos. Rurſum igitur quum iſta confundis, non vides tuas ineptias & pluſquam pueriles argutias patère?

Iam venio ad tuam illam paraphraſin in Epiſtolam ad Hebr. cap. 5. v. 8, & deinceps: quam ſi vellem totã refutare, integro volumine opus eſſet. Tantùm igitur hæc tua verba expendam. *Qui Chriſtiana religioni* (inquis) *initiatus eſt, is ſi erat ebrioſus, factus eſt ſobrius: ſi auarus, liberalis: ſi mendax, verax. Non eſt igitur quòd in illo correctionis fundamento deinceps hæreat, ſed quum illa vitia iam dedidicerit, illis à tergo relictis, intẽdat ſe ad vlteriora.* Itáne verò? doce nos, quæſo, hoc ad dediſcenda vitia compendium, ſiquod noſti. Fateor quidem eos qui ſunt nati ex Deo non peccare, id eſt peccatũ in eis non regnare: ſed interim video ſanctiſſimos quoſque ad extremũ vſq; ſpiritum cũ plurimis maximiſq; vitiis luctatos: niſi fortè pro peccatorũ remiſſione quotidie nõ eſſe precatos exiſtimas. Audio nõ initiatũ modò, ſed inſignẽ Dei Prophetã & virũ ſecundũ cor Domini, Dauidẽ clamantem, *Ne intres in iudiciũ cũ ſeruo tuo.* Audio eiulantem Paulũ, *Non facio bonũ quod volo: quis me liberabit?* Audio dicentẽ Iohannẽ, *Si dixerimus nos peccatũ non habere, mendaces ſumus.* Et quid attinet alios cõmemorare? Me quidẽ miſerrimum flens & gemens agnoſco per quindecim annorum ſpatium, quum aliis, per Dei miſericordiam, iuſtitiæ viam commonſtrem, nondum verè ſobrium, nondum vt oportuit liberalem, nondum vt veritas iubet, veracem factum: ſed in luto hærentem, & vix oculos at-

tollentem

tollentem vix vno paſſu à carceribus ad metam progreſſum. Et tibi credemus tam facilem iſtam commutationem facienti, vt homines initiatos vno momento vitia dedidiciſſe credamus, adeò vt quotidianis correctionibus non egeamus? Ignoſce nobis, bone vir, vellemus quidem ita fieri poſſet: ſed ne ab hoſte opprimamur, certare malumus quàm triumphum ante victoriam canere. Illud verò quod etiam addis, cuiuſmodi tandem eſt? *Idem dico*, inquis, *de credendo in Deum. Quid enim opus eſt vt perpetuò doceatur in Deum credere qui iamdiu credit? non profectò magis quàm Iſaiæ tempore opus erat vt Iudæi perpetuò docerentur in Deum credere, quum iam conſtanter crederent.* Deus bone, quò recidimus? Hæccine in vrbe Chriſtiana dici, ſcribi, excudi, & iſtorum ſcriptorem tandiu tolerari? Tibine, Caſtellio, tam facilis res eſt fides, & nos aſſiduè, & quid ſit fides, & quibus rebus ſit credendum, & quibus modis augeatur, docendos: & noſtram illam in noſtris viſceribus hærentem impietatem exhortationibus & correctionibus obiurgandam, & excitandam non putes: & ita ſtupidus eſſe potes vt nullas intus tenebras, nullam diffidentiam luctari ſentias? Et quod affers de Iſaia quàm impudenter dictum eſt? An enim eos exiſtimas Moſi conſtanter crediddiſſe qui Iſaiam tam pertinaciter contempſerunt? imò qua fronte dicere audes conſtanter Moſi credidiſſe Iſaiæ temporibus, quibus tanto interuallo Chriſtus ipſe cordium ſcrutator, meram incredulitatem obiiciens, Si crederetis, inquit, Moſi, crederetis etiam mihi. Vtri igitur credemus, Caſtellio, tibine an Chriſto de Iudæis ita loquenti? Quid plura? *Idem*, inquis, *dico de cæteris quæ commemoraui.* Vſus autem eras his verbis, *Voco rudimenta, Pœnitentiam agite item in Deum credere, item doctrinam quæ rudibus principiò traditur, ſicut ſutoribus & cæteris opificibus, artis præcepta initio traduntur, quibus poſtea iam magiſtri facti nihil indigent, quæ qui ſemel cognouit & præſtitit, huic ad ea quæ reſtant progrediendum eſt.* Et ne dubitare poſſimus quid voces progreſſionem, videamus quid addas. *Quemadmodum*, inquis, *natus puer ſemper puer eſſe non poteſt, quin aut adoleſcat aut moriatur neceſſe eſt: ita niſi progrediantur, hoc eſt niſi depoſito omni faſtu, ambitioſóque peccato patienter decurrant propoſitum ſibi certamen, ſed ſemper in iiſdem elementis hærentes* SEMPER DISCANT, *fieri non poteſt quin decreſcant, & ad priſtina vitia relabantur.* In his autem vide quàm multa ſint reprehendenda. Illa quæ tu vocas rudimenta, nempe, Pœnitentiam agite, & Credere in Deum, etiamſi tota vita centies millies aſſiduè inculcentur, tamen à nobis vix ſeriò diſci poſſe profitemur, quoniam tarditatem noſtram agnoſcere nos non pudet. Sed & quæ tu vocas rudimenta, nos plenam & planè diuinam ſapientiam vocamus, quam etiam quotidianis votis ac ſuſpiriis per totam vitam flagitamus. Et quoniam affirmas illa tam ſubitò cognoſci, diſci & præſtari poſſe, rogamus vt nos doceas hoc compendium, ac præterea etiam quænam illa ſit abſtruſior & perfectior ſapientia ad quam nos progredi oporteat. Nam nobis quidem progrediendum non negamus, ſed in iis ipſis rudimentis, quæ vocas, cognoſcendis & præſtandis. Aliam enim reconditiorem ſcientiam nuſquam inuenimus; neque nos iſta per totam vitam SEMPER DISCERE pœnitet, modò aliquid proficiamus. In ò audi etiam aliquid amplius. Multo ſæpius quàm vellemus nobis obrepere ſomnum fatemur, & ita callidum eſſe aduerſarium, vt quum vno loco vincamus, alio proſtrati iaceamus, atque adeò interdum regrediamur: nec tamen animum deſpondemus, aut propterea (vt tu putas) nullum nobis pœnitentiæ locum relinqui arbitramur: ſed ipſam luctam putamus certum eſſe noſtræ adoptionis argumentum, ac proinde, redintegratis viribus, longè fortius quàm antea certamus, nec prius nos deſtitutos confidimus quàm mors nobis & finem certaminis & plenam victoriam afferat. Sed neceſſariò opus eſt vt apertius loquar. Tu Caſtellio, vt excuſes quod falſiſſimè prius dixiſti de cognitione & præſtatione rudimentorum quæ vocas, itémque etiam illud, *eos qui ſemel renuntiarunt peccatis ſi in eadem relabantur, ſiue ſi, poſtquam veri cognitionem adepti ſunt data opera peccent: Chriſtum in ſeipſis necare, & pereundum illis eſſe in ſempiternum:* addis *te non loqui de aliqua vitioſa actione, ſed de vitioſo habitu: vt ſi quis (exempli cauſa) fiat ebrius, nec tamen fiat ebrioſus à quo ſemel per Chriſtum liberatus homo, ſi in eundem volens relabatur, peccet ad mortem, nec eſſe pro eo orandum.* Sed ne hanc quidem exceptionem admitto. Quòd enim dicis nos ab hoc vitioſo habitu ſemel liberatos, falſiſſimè à te dici affirmo. Vnde enim vitioſæ actiones, ſi ſemel ſublata eſt earum cauſa? Dico igitur vitioſum iſtum habitum (quem tu rectius veterem hominem vel carnem vocaſſes) veluti lethale vulnus in filiis Dei, ex eo momento accipere quo fiunt ſancti Spiritus participes: ſed quo minus eos ſemel liberatos dicam, impedior quotidiana experientia, & voce illa Pauli de ſeipſo loquentis, *Non facio bonum quod volo, &c.* & , *quis me liberabit?* Vera enim eſt verorum theologorum diſtinctio, tolli quidem reatum ſiue non imputari: ſed corruptionem

ſiue peccatũ peccans (vt propriſſimè loquitur Apoſtolus) quantumuis ſenſim moriatur, tamen in ſanctiſſimis etiam quibuſque manere, & quidem minimè otioſum. Itaque quum nos ab hoc habitu ſemel liberatos dicis, ideam Platonicam imaginaris, & ab iſto errore in alium longè periculoſiſſimum es prolapſus. Quum enim illius hydræ infinita ſint capita, vno ſæpe vulnerato, aliud exardeſcit, & quod occiſum videbatur, interdum repentè ad tempus reuiuiſcit, quamuis neceſſe ſit vt tandem ſpiritus omni ex parte ſuperior euadat, ſed ita vt hoc certamen ſola morte dirimatur. Itaque fieri poſſe dico, atque adeò quotidie euenire, vt Spiritus ſancti vis, quod ad certa vitia attinet, interdum ad tempus extinguatur, & interea tamen alia quæpiam cupiditas multo etiam vehementius quàm vnquam antea ebulliat, adeò quidem vt (exempli cauſa) qui ebrioſus eſſe deſierat, ruſus ad tempus ebrioſiſſimus fiat, nec propterea rurſus in eis regnet peccatum. Abſit tamen vt de omnibus iſtiuſmodi hominibus deſperemus, nedum vt eos aſſiduis clamoribus non expergefaciamus, & pro eis non precemur. Neque quum hæc dico peccantibus indulgeo, ſed tuam illam definitionem peccati in Spiritum ſanctum, vt falſiſſimam redarguo: & quoniam hic error omniũ eſt pernicioſiſſimus, rogo & obteſtor omnes verbi Dei miniſtros, quibus afflictæ conſcientiæ ſæpe ſunt erigendæ, vt ſedulò ab hoc tuo fermento caueant, & alios cauere doceant.

Sed ecce tandem ad alterum accuſationis caput accedo. Dixi te ſcripſiſſe, verbum Dei non ſufficere decidendis religionis controuerſiis, quocunque modo explicetur, ſed ampliorẽ aliquã reuelationẽ eſſe nobis expectãdam. Hoc ego dixi te ſcripſiſſe, Caſtellio, & vtinã iuſtã huius accuſationis occaſionẽ nullam præbuiſſes. Tu verò id inficiaris. *Nihil enim* (inquis) *tale ſcripſi. illud ſcripſi, controuerſias de religione nõ poſſe abſente charitate cõponi.* Sed quid hoc ſubterfugio opus eſt? Hæc tua verba ſunt in tua ad Eduardũ regẽ præfatione, *Si qua ſunt in religionis negotio cõtrouerſia (ſunt aũt plurima) in hiſce quẽdum Iuda Machabæi & ſuorũ* (ſic enim facundè loqueris) *conſiliũ iudico, qui de ara ſolidi ſacrificij, quũ quid facerent nõ haberẽt, eius lapides in monte tẽpli, opportuno loco, poſuerunt, donec adueniret vates aliquis, qui de iis oraculũ referret. Aut potius Moſis, cõ diſertis verbis modò* (ſic enim loqueris) *præceptũ erat, vt ſiquis contra Legẽ data opera cõmiſiſſet, is capite pœnas daret. Et tamẽ eũ qui in die Sabbathi lignatus erat, interficere noluit, niſi relato ſuper ea re nominatim oraculo. Et erat Moſes fidus Dei miniſter, & eius ſpiritu non parcè præditus. Vt interim nihil dicã de conſilio Gamalielis, quo oſtendit ſi ea res ab hominibus eſt, diſſolutũ iri, ſin à Deo eſt, nõ poſſe diſſolui.* Hæc tua verba ſunt: quæ quũ ſint à nobis alibi plenius refutata, nunc tamẽ à nobis ſunt rurſus prolata, vt quod de noua expectanda reuelatione ad pacandas religionis controuerſias à te ſcriptũ eſſe dixi, verè à me dictũ eſſe omnes intelligãt, quantumuis id præfractè neges, & alibi tamen huius tui impii dogmatis hanc cauſam cum altera in verbũ Dei blaſphemia cõiunctã paulò pòſt afferas: *quoniã* (inquis) *iſta quæ ad religionẽ ſpectãt, obſcurè ſæpe & per ænigmata tradita ſunt, & de his iã per mille amplius annos diſputatur, necdum cõponi res potuerũt.* Quòd ſi (vt tu nunc prætexis) ſolã charitatis abſentiã in cauſa eſſe putabas, quamobrẽ iſtæ controuerſiæ ex verbo Dei cõponi non poſſint, cur, obſecro, ænigmaticam ſacrarum literarũ obſcuritatem accuſares, & noua oracula iuberes expectari? Et te manifeſtè Academicum eſſe, id eſt, religionẽ Chriſtianã, quæ fide & certa verbi Dei ἀποδείξει nititur, à fundamentis conuellere nunc negabis? Et iſtas ſordes, vos quæſo Baſilienſis Eccleſiæ Paſtores, diutius tolerabitis? Verùm quid ampliorẽ probationẽ requirerẽ? Annon tu ipſe poſtea Anabaptiſticum ſpiritũ prodis? Audi quid dicam, Caſtellio: idẽ te ſentire & ſcribere de verbo Dei dico atq; impuriſſimos Anabaptiſtas. Et, ſiquã tibi iniuriã facio, cauſam dicam vbicunque opus erit. Negare enim nõ potes quin hæc ſcripſeris: *Si verbũ,* inquis, *appellas ſcripturã, mallem vt ſcripturã, cum Paulo ſcripturã hoc quidẽ loco appellares, ne me verbi inuidia in ambiguitate grauares, ſimúlque reſpondeo te à Paulo & veritate diſſentire. Scripturam enim non dicit Paulus ſufficientem eſſe, ſed vtilem. Nam ſi ſufficiens eſſet, potuiſſet ex ea Timotheus, in ea à pueris exercitatus, abſque viua docentis voce Chriſtum diſcere. quod idem dico & de Paulo, antequam Chriſtum cognouiſſet, & de Iudæis, qui ſacrarum literarum & tunc erant & hodie ſunt ſcientiſſimi.* Ex his tuis verbis hæc conſequi dico, Caſtellio, quæ ſunt in Chriſti Eccleſiis prorſus intolerabilia. Primum aliquod eſſe verbũ Dei à quo pendeat Eccleſia, quod nõ ſit ſcriptum. Alterum, Scripturam eſſe quidẽ vtilẽ, ſed nõ ſufficientem decidendis Eccleſiæ controuerſiis. Ac ne te putes tergiuerſando elabi poſſe, non prætermittã quod adiecisti. *Litera,* inquis, *interficit, & Chriſti Spiritu opus eſt, qui ſuis mentes aperiat ad literas intelligendas.* Et iſta tu quidem nõ ma-

Id,niſi cum Enthuſiaſtis hunc locum Apoſtoli qui de Lege concionatur, ad Scripturam vniuerſam accommodares. Non poſſe verò nos loquentem Dominum intelligere niſi Spiritus Dei nobis & aures perforet,& cor aperiat,extra controuerſiam eſt. Sed quum Spiritus Dei alibi quàm in Verbo ſcripto nos erudire dicis,ibi,Caſtellio,teipſum prodis non minus apertè quàm quum(vt paulò antè citaui)nouum oraculum expectas. Nec tu id profectò diſſimulas,quum hæc etiam addis,*Sin autem verbum intelligis, æternum illum Dei ſermonem,quem Ieremias malleum vocat findentem petras,facis mihi iniuriam. Abſit enim vt ſermonem illũ omnipotentem eſſe negauerim.* Iam igitur nemo(vt opinor) dubitabit quin Sermonem illum Dei omnipotentem à ſcripto Verbo non tantùm diſtinguas,ſed etiam diuidas Sed obſecro,quiſnam iſte eſt Sermo omnipotẽs?an viua docentis vox?Hoc tu quidem viſus es paulò antè dicere, quum de Timotheo loquereris. Sed quorſum hoc?an enim exiſtimaſti me, quum Scripturam dico hominibus pleniſſimè erudiendis,& hæreſibus refellendis ſufficere,Scripturam velle collo appendi,vel alicubi iacere,ac non potius ordinario miniſterio diſpenſari? Sed prædicatum Verbũ quis te tandem docuit à Verbo ſcripto differre?& Lutherum,quæſo,noſtra memoria quis initiò docuit præter Scripturarum lectionem? Denique cur Scripturæ tribuere dubitas quod ſcriptæ Legi Dauid, vt ſit doctrina nos illuminans: & propheticis ſcriptis Petrus, vt ſit lucerna in obſcuro loco prælucens?Certè quum hoc ipſum ſcripſerint (& quidem cumulatiſſimè)tum Prophetæ tum Apoſtoli quod prædicarunt,& nihil prorſus ad illorum ſcripta nobis fas ſit adiicere,conſequitur non aliam eſſe ordinariam Dei potentiam quam commemorat Paulus in ſalutem omni credenti:nec alium viuum ſermonem, efficacem,& quouis gladio ancipiti penetrantiorem: nec alium ſermonem omnipotentem quem ex Ieremia citas, quàm vtriuſque fœderis Scripturam, quæ nec incerta nec ænigmatica eſt,vt tu falſò ſcribis: & in Eccleſia Dei,interdum ſimplex,interdum adiũctis ſacramentis idcirco reſonat quòd ſit organum per Spiritum ſanctum efficax, colligendis,erudiendis & ſeruandis hominibus deſtinatum.Itaque tuũ illud dogma de Scripturæ ænigmatica obſcuritate,déque aliis oraculis expectãdis,& Spiritu Dei extra Scripturam,& Verbo non ſcripto omnipotente, Enthuſiaſticum,Anabaptiſticum,Schuenfeldianum eſſe rurſus dico,& hanc in Dei verbum blaſphemiam tibi prædico fore vt is ſeuerè vindicet qui eſt Scripturarum author,niſi mox reſipiſcas.Cæterùm ne illud quidem prætermittere poſſum aut debeo,quòd Paulum,antequam Chriſtum cognouiſſet, & Iudæos quoque ſcribere audes tum illo tempore fuiſſe, tum etiam hodie eſſe ſacrarũ literarum ſcientiſſimos. Quod ſi ita eſt,dic quæſo quid illud ſit quod dicit Apoſtolus,*Si Dominum gloriæ cognouiſſent,nõ vtique crucifixiſſent.*& illud quoque Chriſti,*Sinite eos: cæci ſunt & cæcorum duces.* Nempe(inquies)hoc eſt quod dictum volui, præter literas opus eſſe Chriſti ſpiritu. Sed in has demum literas exerit ſeſe illa Spiritus energia quam tu in aëre περιφερνεῖς: neque iſtarum literarum ſcientiſſimos vllo iure potes appellare qui quod illæ docent(id eſt Ieſum Chriſtum)partim ignorabant, partim etiam crudeliſſimè perſequebantur.

Denique tu videris quomodo coram Deo reſpondeas, quòd dulciſſimum illud teſtimonium de Scripturę authoritate(ſine qua fidem noſtram ſingulis momentis vacillare neceſſe eſt) tu ita eleuaris, vt vtilem quidem fatearis, ſufficientem autem eſſe neges, quum tamen Apoſtolus ſubiiciens, *vt ſit homo Dei ἄρτιος*, id eſt, *integer & numeris omnibus abſolutus*,nihil prorſus exceperit quod Scripturæ non tribuat. Nam quocunque modo verbum *καταρτίζειν* explicetur,nunquam effugies quin nomẽ ἄρτιος peſſimè deprauaris,quum *compoſitum* interpretareris,quoniam Græcum illud vocabulum conſtat id quod ego dixi declarare,nec participium ἐξηρτισμένος, quum ad illud præcedens ſit referendum,aliter etiam explicari poteſt.

AD REPREHENSIONEM IN 2.TIMOTH.

1.v.9. πρὸ χρόνων αἰωνίων,ante tempora ſecularia.

ID eſt,(vt ego interpretor)Ante omnem ſeculorum & temporum ſeriem,ſiue,antequam mundus exiſteret. Eraſmus autem conuertit, *Ante tempora æterna*: quam interpretationem ea ratione excuſas, quòd *æternum* etiam interdũ dicatur quod eſt in tempore non infinito,id eſt in quo:ſicut *æterni colles* à Virgilio dicuntur, qui tamẽ

aliquando eſſe cœperunt: ac proinde quod ante hoc tempus factum eſt, rectè etiam dici ante hanc, quæ videlicet cœpit, æternitatem factum. Ego verò tibi reſpondeo, me Bezam eſſe non Oedipum. Quòd ſi æternum intelligis dici quod eſt diuturnum, ſicut עולם ſæpe apud Hebræos accipitur, vt quum Montes ſeculi dicunt, ſiue exiſtimas mundum quamuis cœperit, tamen æternum fore, (ſicut de illis ſuis collibus fabulatur poëta:) dico tamen & obſcuram & periculoſam eſſe illam interpretationem, quum ea ſit plana & perſpicua quam ſum ſequutus.

AD REPREHENSIONEM IN TIT. 3. V. 10.

αἱρετικὸν, hæreticum.

TV *pertinacem* initiò interpretatus eras, nec ſub perſona Bellii deliteſcẽs, hæreticũ aliter definieras: ſed maluiſti poſtea *ſectariũ* dicere, vocabulo nouo, neq; (vt molliſimè loquar) neceſſario. Cæterùm quoniã in hũc locũ ſcribens, lectorẽ iubeo inſpicere quod ſcripſi Act. 5. v. 17, tu quandam (vt tu vocas) definitionem meam miris modis exagitas, præclarum ſcilicet argumentum nactus refutandi quæ in libro De hæreticis à ciuili Magiſtratu puniendis ſcripſi, aduerſus vertiginoſos ſpiritus qui Magiſtratuum poteſtatem, quam vno ictu amputare non poſſunt, paulatim reſcindere conantur. Sic ergo dicis à me definitum hæreticum, eum videlicet qui à recepta Eccleſiæ doctrina ita aberrat, vt contempto Dei & Eccleſiæ iudicio, in ſententia permaneat, & diſcipulis aſcitis, Eccleſiæ concordiam violet. Hanc autem definitionem ais primùm approbari abs te non poſſe, quia compoſita eſt, quũ ſit rei ſimplicis. Quid audio? Doce nos quæſo nouam iſtã & nunc primùm à te excogitatã Dialecticen. Nam ego quidem didici aliã eſſe nominis, aliam rei definitionem: & illa quidem potius declarari vocum originem quàm naturam, ex iſta verò res ipſas cognoſci: ac proinde illam eſſe imperfectam, & ad Grãmaticũ potius quàm ad Dialecticũ pertinere, iſtam verò ſolam eſſe plenam ac perfectam, & primũ eſſe Dialectici munus. Quid igitur? nullas ſimpliciũ rerũ definitiones niſi ſimplices probas? Et quæſo, cur tandem quas tu compoſitas appellas, probare nõ potes? *Quoniã* (inquis) *ſingulis earum partibus poſtea totidẽ definitiones oportet adhiberi.* Ergo ne hæc quidem hominis definitio tibi placebit, qua dicitur eſſe animal rationis particeps, & (vt nonnulli addunt) mortale. Nam hîc quoque definiendum erit quid ſit animal, quid ratio, & quid mors. Nempe, dices, quoniam homo eſt quiddam compoſitum. Atqui non omnes rei definitiones à partibus ſumuntur: ſed quædam etiam à cauſis, quædam ab ipſa rei natura, & pleræque, propter ſummam differentiarum inopiam, ab accidentibus: quas tamen omnes neceſſe eſt ex genere & differentiis componi, ſiue rerum ſint ſimplicium (cuiuſmodi ſunt pauciſſimæ) ſiue compoſitarum. Genus autem & ſingulæ differentiarum partes, niſi ſint res per ſe notæ, rurſus neceſſariò ſunt definitionibus propriis explicandæ. Sed illa quæ tu poſtea reprehẽdis, multo aptius à te dicuntur quàm tu ipſe putes, vt opinor. Nam ſi vera ſunt, definitio illa noſtra, quam vocas, partim erit redundans, partim etiam anguſtior quàm oporteat: quæ duo maxima ſunt in arte definiendi vitia. Dicis ergo nimiùm latè patere hæc verba, *à recepta doctrina*, quoniam fieri poteſt vt Eccleſia hæreſin receperit, ac proinde non ſit hæreticus qui à recepta doctrina deficiat: & hæc rurſus, *diſcipulis aſcitis*, nimiùm eſſe anguſta, quoniam ſolos magiſtros complectuntur, & diſcipulos excludunt. Hæc tua eſt altera reprehenſio, & quidem multo melius (vt opinor) à me quàm à te explicata. Ego verò, etſi quod de hæreſi dicis poſſem minimo negotio refutare, quoniam aliud eſt error quàm hæreſis, & diſtinguendum eſt Eccleſiæ nomen: & hoc quoque poſſem non immeritò reſpondere, quod iam olim alii meritò ſcripſerunt, tot inter hæreticos eſſe magiſtros quot diſcipulos: tamen hoc tibi reſpondebo quod res eſt, & ab iis facilè intelligetur qui candidè omnia æſtimabunt, me videlicet, quum in illa annotatione non inſtituiſſem hoc argumentum pertractare, qualemcunque deſcriptionem duntaxat adhibuiſſe, in qua re quum perinde ac in iuſta definitione omnia ad viuum reſecas (quod ipſum tamen, vt antè oſtendi, ineptiſſimè facis) quid aliud rurſus quàm ſummam tuam inſcitiam prodis, qui ne illud quidem noris, quid inter definitionem & deſcriptionem interſit? Sed quid plura? tu ipſe mihi optimam defenſionem tua calumnia præbes. Dicis enim me à ſimili hæretici definitione deduxiſſe diſputationem meam in libello quem conſcripſi de hæreticis à ciuili Magiſtratu puniendis: ex quo facile ſit conüicere quàm veram eſſe credẽdum

ſit de

ſit de tanta te meam ſententiam, quæ à tam falſa definitione proficiſcatur. Et tandem etiam hæc addis pro modeſtia ſingulari tua, *Ite nunc principes, & ſanguinem ſecundum iſtius doctrinam fundere properate.* Nihil verò certè in paſtorẽ grauius dici poteſt quàm ſi non modò crudelis eſſe, verùm etiã aliorum ſæuitiem acuere dicatur. At ego, Dei gratia, in eo theatro ſum verſatus, in quo minimè vereor vt mihi innocẽtiæ meæ teſtes deſint. Sed, vt quæ tua ſit hac in re modeſtia omnes intelligant, ſubiiciam hæretici definitionem in eo libello traditam, quem cur pluribus contra te defendam non video, quum nondum prodierit qui rationibus & argumentis illum refutaret. Ibi ergo hæreticos eſſe definio, non omnes ſimpliciter qui malè ſint in fide inſtituti, & veræ religionis ignorantia laborent (ſicut olim erant gentiles, & hodie Mahumetani & Iudæi) non item omnes qui ſint Apoſtatæ & à veritate aberrantes, ſed qui præterea etiam ſuæ perfidiæ, quam præfractè tuentur, quaſi ludũ aperiunt, & diuerſæ doctrinæ ſactionem vel in Eccleſiam Dei inuehunt, vel ab aliis inuectam fouent. Hæc, inquam, eſt definitio à qua proficiſcitur mea ſententia de hæreticis à ciuili Magiſtratu, non quidem omnibus nec ſine delectu, ſed iuſta, pro criminis qualitate, pœna puniendis. Tu verò quomodo tandem hæreticum definis? *Hæreticus, id eſt ſectarius, eſt,* inquis, *qui vitioſam ſectam ſequitur, ſiue ſit pertinax, ſiue nõ: ſiue admonitus, ſiue ſecus: ſiue diſcipulos aſciuit, ſiue eſt ipſemet diſcipulus.* Atqui ſectarium non ſolent Latini, quod ſciam, vocare qui alium ſequitur, ſed qui ſequẽtes ducit. Sed aliud vrgeo quod longè maioris eſt momenti. Nam ſi tam latè accipis hæretici nomen, vide ne tu ſis multo quàm ego crudelior, qui tam deteſtãdo crimine tam multos homines inuoluas. Imò (ſi tibi creditur) & Turcas, & Iudæos, & Papiſtas poſt vnam & alteram admonitionem vitabunt miniſtri Verbi. Atqui non ita fecit Paulus ipſe, neque ſuum Timotheum ſic inſtituit. Et certè longè aliæ diſtinctiones adhibendæ ſunt in hoc argumento, quas hoc loco repetere nolui, quòd ſint alibi pluribus à nobis explicatæ. Supereſt nomen *αὐτοκατάκριτος*, quod tu vis de eo dici non qui ſeipſum condemnet, id eſt qui contra conſcientiam peccet, verùm qui ea faciat quibus ſeipſum damnatione dignum præbeat. Ego verò vtro modo exponas non magnopere laboro. Nam qui oculos claudit ne veritatem cernat, ſicut faciunt qui cur in hæreſi pergãt nullam aliam rationem afferre poſſunt quàm quòd vinci nolunt: & quanuis alia prætexãt, tamen vel ſilentio vel ſuarum reſponſionum abſurditate ſatis declarant ſeſe aut affectata ignorantia labi, aut quod intus verum eſſe agnoſcunt nolle tamen confiteri: ii certè omnibus modis ſunt *αὐτοκατάκριτοι*, quantumuis martyrum conſtantiam præ ſe ferant. Sed & locum illum Rom. 14. v. 22. *Felix qui ſeipſum non condemnat in eo quod approbat,* exiſtimo perperam à te explicari. Videtur enim ibi Apoſtolo dici ſeipſum condemnare qui ſibi eſt malè conſcius.

In Epiſtolam ad Hebræos.

AD DEFENSIONEM I, IN HEBR. 3. v. 6. *ἐπὶ τὸν οἶκον αὐτοῦ,* *id eſt eius domui præpoſitus.*

EGo, *domus ſuæ præpoſitus eſt,* potius interpretor. Sed illam interpretationẽ ea ratione confirmas, quòd filius hanc domũ ſit nomine Patris architectatus: & citas locũ Ioh. 14. v. 2. In domo Patris mei mãſiones multæ ſunt: abſurdè profectò, quũ domus appellatione hîc ſignificetur Eccleſia, in hoc etiã mundo peregrinans, apud Iohannẽ verò regnũ cæleſte, id eſt ipſius Eccleſiæ hæreditas. Concedo tamẽ dici etiã Chriſtũ à Patre præfectũ Eccleſiæ, vt diſertè ſcribitur hac eadẽ Epiſt. cap. 10. v. 21: quò etiã referendum eſt quòd dicitur factus Eccleſiæ caput, Eph. 1. v. 22. Sed niſi etiã propriè dici poteſt domui ſuæ præfectus, quo iure ſolet Dominus propriè vocari? Cur autẽ hoc in loco putẽ dici ſuæ ipſius domui præeſſe, primùm hac ratione moueor, quòd *αὐτοῦ* neceſſariò ad præcedens nomẽ Dei refertur: Deus autẽ qui hanc domum extruxit, verſ. præcedenti, diſertè nominatur Chriſtus, in cuius domo fidelis miniſter fuit Moſes. Deinde etiam quòd ita videatur vberior eſſe hæc antitheſis, Moſes fidelis fuit miniſter in domo aliena, imò fuit pars ipſius domus: Chriſtus verò vt Filius ſuæ ipſius domui præeſt, cuius etiã eſt architectus. Neque cauſa vlla eſt cur tu dicas Patrem à me excludi. Nam præterquã quòd vna eſt Patris & Filii & Spiritus ſancti domus Eccleſia, iſta certè non pugnant, præeſſe Filium domui ſuæ, &c. Ei conſtruendę & gubernandæ eſſe à Patre præfectum. Imò quid aliud ſignificare voluit Chriſtus, quum nos ſi-

bi à Patre datos eſſe aſſerit, ac proinde fore vt nos incolumes ſeruet? Et Pater ipſe apud Dauidem, Poſtula à me, inquit, & dabo tibi gentes vt tua ſint hæreditas.

AD DEFENSIONEM II, IN HEBR. 3. V. 14 ἐάνπερ τὴν ἀρχὴν τῆς ὑποστάσεως μέχρι τέλους βεβαίαν κατάσχωμεν, *ſi modò hoc argumentum ab initio ad finem firmum tenemus.*

ID *eſt* (inquis) *ſi modò ad finem vſque perſeueremus, quemadmodum faciendum eſſe nos monet hoc argumentum, & hac quam tractamus hiſtoria, in qua demonſtratur, maiores noſtros, quia non crediderint neque perſeuerauerint, non intraſſe in requiem Domini.* In hac autem interpretatione hanc dixi ſacrilegam eſſe audaciam, quòd deprauata Apoſtoli ſententia nouam & inauditā ſignificationem hypoſtaſεως comminiſcaris. Quis enim vnquam dixit ὑπόστασιν ſignificare argumentum, ſiue hiſtoriam, ſiue Græcē nomen ὑπόθεσιν? quem errorem tamen bis alibi commiſiſti. Cæterùm quomodo ſit explicandus hic locus, declarat Apoſtolus hoc ipſo capite, v. 6. Et fateor à me antea neque bene conuerſum nec ſatis intellectum fuiſſe: quod tamen tu non vidiſti, ſed ego altera editione correxi. Quare verò ὑπόστασιν diuerſis modis ſim interpretatus, quod tu mihi obiicis, ſuis locis annotaui.

AD DEFENS. III, IN HEB. 9. V. 10, καὶ δικαιώμασι σαρκὸς, *& institutis humanis.*

HANC interpretationem dixi & falſam & ineptam & periculoſam eſſe. Nam neque δικαιώματα vocantur inſtituta, vt oſtendimus ad defenſionem primam in Lucā, & nomen σαρκὸς pro σαρκικὰ non ſignificat humana, quocunque tandem modo accipias: & humana inſtituta dici non debent quæ Deus ipſe inſtituit.

AD DEFENSIONEM IIII, IN HEBR. 11. V. 1, ὑπόστασις, *ſubiectio.*

NON modò ambiguam eſſe hanc interpretationem dico, (quod vitium in primis in omni tum definitione tum etiam deſcriptione vitandum eſt) ſed etiam nullo modo ſententiam Apoſtoli exprimere. Nam neque verbum *ſubiicere*, neque nomē *ſubiectio*, ſic Latinè vnquam dicitur vt tu putas, niſi adiungatur aliquid vnde id intelligatur, vt *ſubiicere oculis*, & *ſubiectio ſub aſpectum.*

AD DEFENSIONEM V, IN HEBR. 13. V. 9, χάριτι οὐ βρώμασι, *gratiarum actione, non cibis.*

Χάριν non interpretor *gratiarum actionem*, ſed *gratiam Dei*, qua videlicet ſanctificati & regenerati, ſpirituali cultu, id eſt fide, ſpe, & charitate, & cęteris Chriſtianis virtutibus Deum colimus. Hoc non potes intelligere, & teipſum torques, inquirēs quomodo vnicum nomen χάριτος explicem actiuè pro cultu, & paſſiuè pro regeneratione. Ego verò non ipſum vocabulū ſed ſententiam expoſui, ideóque efficientem cauſam, id eſt gratuitam regenerationem, coniunxi cum effectis, id eſt cum ſpirituali cultu, qui nomine gratiæ hîc ſignificatur. Sed illud etiam miror potuiſſe te ſcribere, χάριν hic accipi pro gratiarum actione, quod eſt certè hoc ſaltem loco perabſurdum. Citas illud Pauli, quo nihil eſt vulgarius, τῷ θεῷ χάρις, *Deo ſit gratia*, quaſi hoc argumento quicquā efficiatur. Locus autem alter quem profers ex Col. 3. v. 16. ἐν χάριτι ᾄδοντες, id eſt *cum gratia canentes*, minus etiam appoſitè citatur, quum longè aliter explicetur ab ipſo Apoſtolo, eiuſdē Epiſtolæ cap. 4. v. 6, & Epheſ. 4. v. 29, & ne tu ipſe quidē eo loco χάριν pro gratiarū actione accepiſſe videaris. Iam verò quod ad βρώματα, id eſt *cibos*, attinet, annotaui hoc pertinere ad ciborum delectū, in quo certū eſt Iudæos magnam partē religionis conſtituere ſolitos. Tu tamen mauis ad ſacrificiorum conuiuia referre, & cur ita ſentias duas cauſas affers. *Neque enim*, inquis, *Iudæi mūdis cibis veſcebantur vt animo firmarentur: (non enim habebāt pro cultu Dei veſci cibo mūdo) ſed loquitur de cibis ſacrificalibus (vt apparet ex ſequētibus) quibus qui veſcebātur, putabāt ſe in eo cultū preſtare Deo.* Rectè ſcilicet: quaſi mundorū taborū nomine, ſacrificiorū epulę nō cōprehendātur. Deinde vt cibos mūdos nō caperent firmādi animi cauſa, at certè ab aliis cibis abſtinere, in Dei cultu recenſebāt, quaſi in ea abſtinētia ſumma puritas eſſet: ſicut hodie monachi nō piſciū eſu, ſed abſtinētia carnis ſe putant paradiſū promereri. Sed & illud quàm verū eſt, Iudæos eſſe arbitratos ſe cultum pręſtare Deo quòd ſacrificalibus cibis veſcerentur? Nam certè cultum Dei conſtituebant in iis tum quæ Deo adolebant, tum etiam quę Leuitis cedebāt, potius quàm in iis epulis quibus ipſi in ſacrificali conuiuio veſcebātur. Quod aūt poſtea de his ſacrificiis ſcribis, nihil te iuuat. Quid enim obſtat quo minus Apoſtolus facta ciborum mentione, varias externi cultus partes ſigillatim ad ſuum ſcopum applicet?

AD

Ad reprehenſionem I, in Hebr.4,vers.3,
εἰς τὴν κατάπαυσίν μου, in requiem meam.

HIc quoque reprehendis non interpretationem, ſed explicationem meam. Dixi enim duplicem Dei requiem commemorari in Scripturis: vnã, qua dicitur quieuiſſe ab operando, die videlicet ſeptimo poſt conditum mundum: alteram verò, poſſeſſionem terræ Chanaan, quæ dicitur Dei requies: quoniam à Deo cõcedebatur Iſraelitis, vt ibi pacificè poſt tot tempeſtates quieſcerẽt. Obiicis quod verum eſt, tertiam præterea quietem hoc loco commemorari ab Apoſtolo, in quam videlicet ingrediamur per fidem, & cui applicandum ſit aduerbium HODIE. An ego verò iſtam præterij? minimè certè. quam enim tu tertiam facis, ego cum prima illa Dei requie tanquam prorſus eandem cõiungo: idque facio Apoſtoli veſtigia ſequutus, qui vtriuſque iſtius requietis eandem eſſe rationem tradit hoc eodem capite, verſu decimo. Siquis tamen hanc poſteriorem, quæ duplicem habet reſpectum, velit ſubdiuidere, non ineptè fecerit: ita videlicet vt duæ ſint hominum reſpectu requietes, vna, terræ Chanaan poſſeſſio, quæ præteriit: altera, ceſſatio ab operibus noſtris, & beatus ille ſtatus ad quẽ vocamur quotidie poſt huius mundi labores, cuius typus fuit illud quod de Deo dicitur, eum videlicet poſt diem ſeptimum ab operibus ſuis requieuiſſe.

Ad reprehenſionem II, in Heb.5. vers.7,
εἰσακουσθεὶς ἀπὸ τῆς εὐλαβείας, & exauditus eſſet ex metu.

TV interpretaris, *exauditus eſt pro ſua pietate: id eſt, quia pius & religioſus erat.* Quis verò vſquam in ſacris literis tam parcè ac ieiunè audiuit Chriſtum laudari, ſecundum carnem quoque, vt pius & religioſus fuiſſe diceretur? Et quorſum hoc adderetur ab Apoſtolo, quum id ſit extra omnem cõtrouerſiam, nec quicquam ad inſtitutum Apoſtoli pertineat? Alias rationes prætermitto, quas in meis annotationibus pluribus explicaui, aduerſus eos qui *εὐλάβειαν*, id eſt pauorem iudicij Patris, verẽtur Chriſto tribuere, qui tamen apertè alibi dicitur ἐκθαμβεῖσθαι, ἀδημονῆσαι, atque adeò περιχθλῶναι: quæ eſt ſumma noſtra conſolatio, vt ibi copioſè expoſui. Dico igitur fuiſſe exauditum ex ſuo metu, id eſt fuiſſe cõfirmatum, & ex illo ſuo pauore liberatum, miſſo etiam Angelo, vt Euangeliſta commemorat. Tu verò in primis quæris ſimilis locutionis exemplum. Atqui nihil eſt Hebræis frequentius quàm ex antecedente intelligere conſequẽs in ſignificatione verborum, vt Matth.3. verſ.5, παραλαμβάνειν accipitur pro *aſſumptum transportare*, & ἐξέρχεσθαι & ἐκπορεύεσθαι infinitis locis pro *egreſſum venire*, vt minimè mirum ſit eum dici exauditum ex metu, qui quoniam exauditus fuit, liberatus eſt à ſuo metu, propterea quòd hoc ex illo conſequitur. *Atqui*, inquis, *non orauit Chriſtus vt ex metu, ſed vt ex morte vindicaretur.* Imò vt Chriſtus nõ ſit precatus liberationẽ a metu, tamen metu ſiue terrore iræ Dei, quam noſtro nomine oportebat ipſum ſuſtinere, ad deprecandam mortem adductus eſt, ac perinde meritò dicitur ab hoc metu liberatus, quoniam illius eiulatum exaudiens Pater, ab eo hunc pauorem depulit. Sed quomodo fuit exauditus Chriſtus ſi tibi credimus? *Quia*, inquis, *liberatus eſt à morte, non quidem vt non moreretur, ſed ne eius anima relinqueretur apud inferos, ſiue vt poſt in morte eſſe deſineret: ſicut Matth.1, verſ.21, dicitur Chriſtus ſeruaturus populum ſuum à peccatis, non vt non fuerint in peccatis, ſed vt eſſe deſinant.* Atqui nuſquam legitur Chriſtus id quod tu ſomnias petiiſſe à Patre, ſed contrà disertè petiiſſe vt calicem illum non biberet, id eſt vt non moreretur, addita tamen conditione, SI ITA ILLI VIDERETVR: cuius conditionis appoſitio facit vt non poſſit dici repulſus à Patre, quamuis vt non moreretur non impetrarit. Itaque ſcribit Apoſtolus fuiſſe exauditũ, ita tamen vt non à morte, ſed à pauore mortis liberaretur. Exemplum autem quod tu profers ex Matthæo, prorſus diſſimile eſt, quum longè aliud ſit ex eo malo in quo iam verſeris eripi, ne ab eo penitus opprimaris, quàm ex eo quod impendeat, liberari, ne te contingat: quod poſterius petebat Chriſtus, ſed ſub conditione, vt antè dixi. Denique quoniam ſcripſi præpoſitionem ἀπὸ nunquam ſignificare *pro*, vt in illis Latinis loquutionibus, *pro ſua pietate, pro ſua humanitate*, & ſimilibus accipi ſolet: reſpondes me in eo falli, & dicis ſic accipi Pſalmo 6, ἐταράχθη ἀπὸ θυμοῦ ὁ ὀφθαλμός μου, & Pſalmo 38, ἐξέλιπον ἀπὸ τῆς ἰσχύος τῆς χειρός σου; videlicet pro *propter*. Sed tu potius falleris. Nã ibi ἀπὸ ponitur pro ὑπὸ, vt Græcæ linguæ

erudiri norunt, quod etiã annotaui Matth.13.v.4. Idq́ue ex eo apparet quòd Latini in hac locutione non *pro*, ſed *præ* dicunt. Scio tamen quoſdam Grammaticos, & eos quidẽ bene eruditos, ſcribere *pro* & *præ* in his locutionibus pro *propter* accipi, ſed quibus non poſſum aſſentiri. Nam in illa quidem formula *pro humanitate ſua*, & ſimilibus, *pro* videtur potius rationem & modum quàm cauſam ſignificare, quod barbarè dicunt Secundum quod: in iſtis verò, *præ metu*, *præ dolore*, & aliis eiuſmodi, *præ* nõ ſimpliciter cauſam, ſed ſummam quandam vim prementem, atque adeò veluti cogentem declarat. Idq́ue ita eſſe vel illud argumento eſt, quòd ipſi præpoſitioni *propter* nullus eſt neque in illis neque in iſtis dicendi generibus locus.

Ad reprehensionem III, in Hebr.5.v.9, τελειωθεὶς, *conſecratus.*

TV quidem veterem interpretem & Eraſmum ſequutus, mauis *conſummatum*, vel *perfectum* interpretari: quod tantum abeſt vt ego reprehenderim (ſicut tu falſo dicis) vt contrà non repudiandum eſſe dixerim eiuſdem Epiſtolæ cap.2. v.10, vbi tamen cauſam addidi cur verbum *conſecrare* melius quadrare putem.

Ad reprehensionem IIII, in Hebr.11.vers.3, εἰς τὸ μὴ ἐκ φαινομένων τὰ βλεπόμενα γεγονέναι, *ita vt quæ cernimus non ſint facta ex apparentibus.*

ID eſt, Vt iſta viſibilia non ex aliqua re antea exiſtente, ſed ex nihilo ſint creata. *Atqui*, inquis, *non docet hic author ex quibúſnam non fuerit conditus mundus, ſed ex quibúſnam fuerit conditus.* Verùm qui dicit non eſſe conditum mundum ex vllis exiſtentibus rebus, an non ſatis manifeſtè dicit ex nihilo conditum? Itaque eòdem recidit ſententia. Sed nolui ab Apoſtoli verbis recedere, quoniam cauſa nulla erat cur hoc facerem. Nam planè violentum eſt dicere, ſcriptum eſſe μὴ ἐκ φαινομένων γεγονέναι, pro ἐκ μὴ φαινομένων γεγονέναι, quum in illa lectione quæ omnium codicum authoritate confirmatur, μὴ ad γεγονέναι pertineat: in iſta verò, cum φαινομένων cohæreat.

Ad reprehensionem V, in Hebr.11.v.27, ὡς ὁρῶν, *vt qui vidiſſet.*

ADMONES vertendum eſſe hunc locum ſeruata præſentis ſignificatione, *tanquã videret*, quoniam videlicet fides Deum quanuis inuiſibilem velut oculis ſubiicit. Quam ſententiam non improbo, & optarem multa eiuſmodi fuiſſe vel abs te vel à quouis alio annotata.

Ad reprehensionem VI, in Hebr.11.v.4, τελειωθῶσιν, *conſecrarentur.*

TV vertis *perficerentur.* quam interpretationem paulò antè dixi non eſſe à me improbatam. Sed quòd illa verba, *non obtinuerunt promiſſum*, refers ad reſurrectionem corporum, qua & nos & illi perficiemur, prorſus ineptum eſſe vel ex eo apparet quod ſubiicitur, Deum de nobis melius quiddam prouidiſſe. Oſtendunt enim hæc verba, non ſignificari parem vtrorumque conditionem (vt tu vis) ſed noſtram, vt longè potiorem, commendari: quòd Patrum ſalus ab eo pendeat qui nobis demum eſt exhibitus. ex quo conſequitur, nos non modò illis pares eſſe in fide, ſed etiam debere præcellere.

Ad reprehensionem VII, in Hebr.13.v.40, τίμιος ὁ γάμος, *honorabile eſt coniugium.*

SIc quoque interpretatus eſt Eraſmus, ſed in annotationibus mauult ἔστω ſubaudire, ac ſi iubeat Apoſtolus, honeſta eſſe matrimonia, & thorum coniugalem impollutum:

pollutum: quod dixi & iterum dico mihi non probari. Videtur enim Apoſtolus longè grauius hæc ipſa præcipere, ſi hæc verba pro præcepti ratione ac fundamento accipiantur. Sed vbi eſt præceptum? inquies. Nempe quum nuptias puras commendat, & addit Deum fore ſcortatorum & adulterorum vltorem, ſatis intelligi poteſt ad quid hortetur, & à quo dehortetur. Cæterùm ſi placet ἴσω ſubaudire, oportebit omnino ὅ pro γὰρ accipere. neque id nego aliquoties fieri (quod ego ipſe obſeruaui) ſed hanc enallagen neceſſariam eſſe nego. Penes lectorem judicium eſto.

In priorem Petri Epiſtolam.

AD DEFENSIONEM I, IN I.PET.2. VERS.8,
*εἰς ὃ καὶ ἐτέθησαν, ad quod etiam
conditi fuerunt.*

SI vellem huius loci ſentẽtiam totã explicare, repetẽda eſſent quæ non tantùm mea in hunc locũ annotatione, ſed etiã integro libro aduerſus æternæ prædeſtinationis hoſtes ſcripſi. quæ quũ refellere nullo modo poſſis (cur enim nõ refelleres ſi poſſes?) facis quod bonæ cõſcientiæ homines ſolent: arripis hoc vel illud vt ſimplicibus & imperitis imponas, & cætera quibus cõuinceris, fortiter diſſimulas. Certè nõ habes hoc loco quod prætexas. Cur enim meæ annotationis partẽ quæ maximè te offendit, & præcipua erat, prætermittis, vt reliquã exagites? Sed de hoc ipſe videris. Paucis ad ea quæ attigiſti reſpõdebo. Dixi ἐτέθησαν non bene cõuerſum eſſe ab Eraſmo, *inſtituti fuerant.* Tu non contradicis: ſed dicis verbũ τιθέναι pro *condere* nuſquam à te inueniri. Sit ergo τιθέναι, *ponere*: quod verum eſſe inficiari non potes. Quomodo verò ponuntur homines à Deo quum de æterni ipſius conſilij exequutione quæritur? Certè quum ab eo conduntur, ſiue in hoc mundo collocantur. Et ex aduerſo reſpondet huic verbo τὸ κεῖσθαι, de quo diximus in Luc.2.verſ.34. Oſtendunt enim præcedentia alludere Apoſtolum ad Iſaiæ verba, ἰδοὺ τίθημι, &c. *Ecce pono*. quam Prophetiam & electis & reprobis diſtinctè & ſigillatim applicat. Sed quid plura? Tu ipſe reprehenſor meus Deſtinandi verbo vſus es, tum hoc loco, tum etiam 1. Theſſalonic.5. verſ.9. quæ ſignificatio multo certè minus conuenit: quum τὸ τιθέναι ad cõſilii exequutionem, προορίζειν ad conſilium ipſum referatur. Dixi prætereà inuſitatam fore eclipſin pronominis, ſiquis vel cum Eraſmo ſubaudiens εἰς ἐκεῖνο (quod etiam abſurdum eſt, propter nouam conſtructionem verbi ἀπειθοῦντες) hunc locum interpretetur, *non credentes in id ad quod & poſiti fuerant*, vel tecum ſupplens ἐκείνῳ, interpretetur *diffidẽtes ei ad quod deſtinati erant*. In hac autem interpretatione duo etiam alia errata committis: vnum, quòd ἀπειθοῦντες confundis cum ἀπιστοῦντες: alterum, quòd expungis particulam καὶ, quam nulla ratio patitur hoc loco redundare. Tu tamen vt illam eclipſin excuſes, citas alium locum ex hac eadem Epiſtola & eodem verſiculo, πέτρα σκανδάλου οἳ προσκόπτουσι, pro ἐκείνοις οἳ προσκόπτουσι. *quod*, inquis, *vel ex ipſius Bezæ interpretatione liquet, qui ſic vertit, Petra offenſionis, nẽpe ijs qui offendunt. Miror & valde miror eum hoc in eodẽ verſu non vidiſſe: nec cauſam videre poſſum, niſi quòd nimia alios carpendi libidine efferri videtur. Iterum dicam, vix ipſe mihi credo eum hoc non vidiſſe, & tamen manifeſtiſſimum eſt. I nunc, & huic crede de rebus occultis & remotis, qui tam aperta, tam ob oculos poſita non videat*. Hæc tu quidem, vt video, planè exultans. Sed quid ſi nihil magis appoſitè in teipſum dici potuit? Neque neceſſe eſt vt hic longis vtar ambagibus. Niſi tu teipſum, vbi hæc legeris, eius ſtuporis arguas cuius me accuſas, non recuſo omnium hominum ſtupidiſſimus haberi. Quæro igitur ex te, Caſtellio, ſi ἐκείνοις eſſet eo loco ſupplendum, cur particulam NEMPE addidiſſem? Et quis non miretur te ſaltem interpretationem tuam non inſpexiſſe, vbi ſimpliciter ſcripſiſti, *qui impingunt?* & rectè quidem, quanuis maluerim NEMPE IIS, propter longius hyperbaton, interponere. Imò ſi ἐκείνοις ſubaudias, totam ſententiam hiare neceſſe fuerit, quum, teipſo interprete, οἳ προσκόπτουσι cum ἀπειθοῦσι cohæreat, ſitque plena & iuſta conſtructio. Itaque iam deſine quæſo meum ſtuporem mirari: & tuam potius inſcitiam agnoſce. Idque (vt ſpero) multo etiã iuſtius facies, vbi te docuero penitus inepta eſſe exempla quæ profers. vt tu certè quum hæc ſcriberes, præ carpendi ſtudio apud te non fuiſſe videaris. *Nihil eſt*, inquis, *Græcis autho-*

ribus familiarius hac eclipſi, qua relatiuum vicem obit duorum. Magnum certè arcanum quod ne pueri quidem neſciunt. Sed quod tandem ſimile exemplum profers? βλασφημοῦντες ἐν οἷς ἀγνοοῦσι, pro, ἐν ἐκείνοις ἃ ἀγνοοῦσι. Quid amplius? ἐφ᾽ ἑκάστου ὧν λέγεις, pro, ἐφ᾽ ἑκάστου ἐκείνων ἃ λέγεις. &, οὐδὲν ὧν βούλονται, pro, οὐδὲν ἐκείνων ἃ βούλονται. Atqui nihil in his ſimile video. Nam iſta duo poſteriora ſunt penitus diuerſa, vt tu ipſe facilè animaduertis: primum autem illud ſi ſimile eſſet, dicendũ fuiſſet iuſta conſtructione, βλασφημοῦντες ἐκείνοις ἐν οἷς ἀγνοοῦσι, ſicut hoc in loco, ſi tuum ſenſum ſequamur, plena eſſet cõſtructio, ἀπειθοῦντες ἐκείνῳ εἰς ὃ ἐπίθησαν. verùm quàm illud ineptum eſſet tutemet nõ ignoras. Sed hoc fortaſſis in Latino ſermone planius fiet. Latinè rectè dixeris, *Literas dedi quibus iuſſeras*, pro, *literas dedi iis quibus iuſſeras*. &, *hallucinor in quibus non putabam*, pro, *in iis in quibus non putabam*. Sed quis iſtam eclipſim ferret, *diffido ad quem iuſſeras vt venirem:* pro, *diffido ei ad quem iuſſeras vt venirem?* Eſt autem omnino talis illa eclipſis quam tu vis in hunc locum inuehere. *Atenim*, dices, *ſi Deus creauit aliquos ad contumaciam, omnino author eſt eorum contumaciæ: quemadmodum ſi quos creauit ad obedientiam, omnino author eſt eorum obedientiæ.* Nego conſecutionem, mi homo. Eſt enim Deus per Spiritum ſuum, obedientiæ author & cauſa efficiens: contumacia verò non a cauſa efficiente, ſed deficiente, eáque in nobis hærẽte promanat. Qua de re quum abundè ſit alibi à nobis dictum, vbi etiam omnia quæ in contrariã partem afferuntur ex verbo Dei refutaui, pluribus hoc loco de iis dicere ſuperſedebo.

AD DEFENSIONEM II, IN 1. PET. 3. VERS. 20.

ἀπειθήσασί ποτε, olim immorigeris, &c.

Conatus ſum hunc locum, per ſe (vt mihi quidem videtur) non ita obſcurũ vt adhuc viſus eſt, in annotationibus plana & perſpicua expoſitione illuſtrare: & meã interpretationem (quod ſine inuidia dictũ ſit) ita ſcio plurimis & piis & doctis placuiſſe, vt mihi etiam eo nomine & coràm & per literas gratias egerint. Habes tamen magnas rationes cur eam ſententiam non probes. Prima eſt Grammatica, *Quoniam*, inquis, *illa verba, ἐκήρυξεν ἀπειθήσασι, omnino ſic poſita ſunt, vt prius inobediuerint quàm iis prædicatum fuerit: alioqui dicendum fuiſſet ἀπειθοῦσι, aut aliquid aliud id quod mihi Grammatici facilè dabunt.* At ego tibi reſpondeo, neminem eſſe Græcæ linguæ tam rudem qui non fateatur hoc participiorum genus, etiãſi interdum ita accipiatur vt tu dicis, tamen quum ſint Aoriſta, propriè habere eandem ſignificationem atque participium ὑπερχείμενον, ſicut ego accipio: impropriè verò accipi ὑποσυντελικῶς, vt tu interpretaris. Neque enim, vt tua ſententia valeat, dicendum eſſet, *qui fuerunt*, ſed *qui fuerant immorigeri*, antequam videlicet iis prædicaretur: vt certum eſt omnes Grammaticos mihi facilè conceſſuros, ac proinde tuam inſcitiam irriſuros. Altera tua ratio eſt, quòd ποτὲ fuiſſet coniungendum cum ἐκήρυξεν, non cum ἀπειθήσασι. Ineptè profectó. Quum enim vtrunque olim ſimul contigerit, nempe & Chriſti prædicatio in Spiritu, & iſtorum cõtumacia, quid tandem in ſententia variatur, ſi cum vtrouis illorum particulam ποτὲ coniungas? Tertia eſt, quòd ſpiritus pro hominibus nimis durè hoc quidem loco dicam. *Neque enim*, inquis, *ſpiritus illi erant ante diluuiũ, ſed homines. Et ipſemet hoc paulo antè reprehenderat in ſecũda expoſitione, his verbis, Cur viuis hominibus ſpirituũ nomen tribueret?* At ego credideram te tanto ſaltẽ iudicio præditum eſſe, vt inter mortuos & viuos homines diſcrimen aliquod cõſtitueres. Dixi quod verũ eſt, viuos homines admodũ impropriè dici ſpiritus, ſed an hoc mortuis melius conuenit? Imò adeò conuenit, ſi non de corporibus, ſed de animis loquare, vt propriè aliter loqui non poſſis. Loqui autem Petrum de animis eorum qui temporibus Noe non paruerunt prædicanti Chriſti ſpiritui, non autem de corporibus, ac multo etiam minus de integris hominibus, illud declarat quod de carcere ſubiicit, vt eos oſtendat illius contumaciæ pœnas luere: nõ corporibus certè, quæ iacebãt in ſepulchro, ſed animis in carcere incluſis. *Atenim*, inquis, *viui erant homines prædicationis illius tẽpore.* Cõcedo: ſed Petrus, quando loquitur de eorum ſuppliciis, iam nõ reſpicit tempus quo illis fuit prædicatum, ſed illud potius tẽpus quo ipſe de illis in carcere poſitis ſcribebat. Itaque ſi ita ſcripſiſſet Petrus, Chriſtũ iam olim in ſpiritu aduenisſe, & prædicaſſe hominibus in carcere incluſis, obſcurè fuiſſet locutus, quũ quo tẽp[ore] ipſe illa ſcribebat (quod tempus ipſe reſpicit) illi homines nõ eſſent in carcere, ſed e[orum] dũtaxat animi ſiue ſpiritus. Vides ergo cauſam nõ eſſe cur mireris ſpiritus potius q[uàm]

n

mines hîc nominari, propter adiectam videlicet carceris mentionem. Hoc tamen fateor, potuiſſe Petrum apertius loqui, vel ſi ſimpliciter ſcripſiſſet, *ijs qui ſunt in carcere*, vel potius *ijs quorum ſpiritus ſunt in carcere*, ſed vt hæc ſint magis perſpicua, illud tamen non eſt nimium obſcurum: & Petrum apparet, quoniam de Chriſti prædicatione ſpirituali, per os Noé videlicet, non autem de illa corporali loquutus erat, ſpirituum etiam potius quam hominum libenter meminiſſe. Subiicis tandem te præterea multa habere in hunc locum quæ tamẽ prætermittas. At ego te hortor vt ſiquid habes præterea non diſſimules, quoniam tanto magis perſpicuam noſtram illam explicationem fore ſpero. Lectio autem illa quam ex Bibliis quibuſdam Latinis affers, prorſus inepta eſt & commentitia.

Ad reprehensionem I, in I. Pet. 4. vers. 6, *ἵνα κριθῶσι, vt damnarentur.*

HOc expono de generali fine Euangelicæ prædicationis, vt videlicet carni mortui, ſpiritu viuamus: ſicut Apoſtolus initio huius capitis proponit. qua in re dicis me a meipſo diſſentire, vt qui paulò antè dixerim, eos qui fuerunt in Chriſtum contumaces, ad eam contumaciam fuiſſe conditos. Quaſi verò peculiaria de his vel illis Dei conſilia rerum naturam immutent. Torquent reprobi Scripturam ad exitium ſuum, & ita pereunt: an propterea Scripturæ natura eſt homines perdere? Minimé. nam Scriptura neminem perdit, ſed Scripturæ abuſus. Itaque ſi naturam Euangelij in ſeſe conſidero, dicam eſſe verbum vitę: ſin autem homines quibus annuntiatur, & diuerſa de illis Dei iudicia reſpicio, dicam aliis proponi vt ſit eis odor vitæ, qui eſt ipſius Euangelij vſus: aliis verò vt eis ſit ſua ipſorum culpa odor mortis, qui eſt Euangelij abuſus. Nõ loquor igitur pugnantia, quum ſic loquor, ſed te prius iſta diſcere oportuit quàm temerè damnare quæ non intelligis.

Ad reprehensionem I, in I. Pet. I. vers. II, *ἐρευνῶντες εἰς τίνα, ſcrutantes in quem.*

ANNOTAVI veterem Interpretem & Eraſmum non rectè coniunxiſſe τὰ παθήματα cum participio προμαρτυρόμενον, quoniam hoc modo hiaret cõſtructio verbi ἐδήλου. Itaque participium illud dixi loco nominis poni, & *prænuntius*, non *prænuntiãs* ſum interpretatus. Quid tu verò? *Nullus*, inquis, *mihi hiatus eſſe videtur in his verbis*, εἰς τίνα ἢ ποῖον καιρὸν τὸ πνεῦμα προμαρτυρόμενον ἐδήλου τὰ παθήματα. Rectè profectó. nam hæc mea eſt ſententia, τὰ παθήματα non coniungi cum προμαρτυρόμενον, ſed cum ἐδήλου, ne hiet conſtructio. Itaque tuo ipſius iudicio peccaſti, quum hunc locum ſic interpretareris: *Scrutantes*, inquis, *quódnam aut quale tempus indicaret Chriſti Spiritus quo erant prædicti, præſignificans & Chriſti ſupplicia, & deinde ſecuturam gloriam*. perinde acſi ſcripſiſſet Petrus, ἐρευνῶντες τίνα καιρὸν ἐδήλου, omiſſa præpoſitione εἰς.

Ad reprehensionem II, in I. Pet. 3. v. 21, *συνειδήσεως ἀγαθῆς ἐπερώτημα εἰς θεόν, quo fit vt bona conſcientia Deum interroget.*

HIc certum eſt deſcribi interiorem Baptiſmum Spiritus ſancti ab ipſius effectis, inter quæ certum eſt primas tenere teſtimonium illud noſtræ adoptionis, in quo pacata conſcientia acquieſcit. Itaque ἐπερώτημα Græcus ſcholiaſtes *arrhabonem* & *pignus* exponit, ſententiam videlicet explicans, non autem vocabulum ipſum interpretans. Huc etiam reſpexit Eraſmus, quum interpretaretur, *Quo fit vt bona conſcientia reſpõdeat apud Deum*. quod dixi mihi non ſatisfacere, quoniam ἐπερωτᾶν (id eſt, *interrogare* pro *reſpondere*) non videtur ſatis commodè vſurpari. Doctiſſimus autem interpres longè felicius, *examen bonæ conſcientiæ*, cõuertit, quũ videlicet ipſa in ſeſe corã Deo inquirens, nihil inuenit quo terreatur, quoniam comperit ſe in Chriſto ablutam & purificatam eſſe. Secutus ſum tamen diuerſam interpretationem. Retuli enim ἐπερώτημα ad inuocationem, quæ & ipſa eſt ſuauiſſimus Baptiſmi fructus. Ita enim ſeruatur propria nominis ſignificatio, quoniam Deum interrogare nihil aliud eſt quàm Deum interpellare & cõſulere, quotidianis videlicet precibus. Et neque perturbaret cõſtructio, oſtendi

ſic omnino vſurpari verbum שאל apud Hebræos. Tu verò non vis videre quod perſpicuè dixi: ſed putas Petrum alluſiſſe ad illam ſtipulationis formam quæ adhuc hodie in Romana eccleſia vſurpatur quũ pueros baptizant, ABRENVNCIAS SATANÆ ET OMNIBVS OPERIBVS EIVS? ABRENVNCIO. Itaque hunc locum ſic explicas, *Interrogatus qui baptizatur, aut ſi mauis, qui baptizatus eſt* (nam tu ne hoc quidẽ noſti quod defendis) *num cum Chriſto reſurrexerit, hoc eſt, num veterem hominem exuerit: reſpondet cum vero animo plenáque fide, & animo à mala conſcientia abluto reſurrexiſſe.* Hæ ſunt argutiæ in quibus ſæpe iam diximus ingenia iſta ſtultè ambitioſa veluti ſubmergi. Spõſiones fidei in adultorum Baptiſmis requiſitas eſſe nemo mirabitur qui quorſum baptizemur intelligit, nempe vt noſtra in Chriſtum adoptio, externo adhibito ſymbolo obſignetur. Nemo igitur familiæ Domini ſymbolo ornandus eſt, niſi quem probabiliter arbitramur in ea familia cenſeri. In infantibus igitur ſatis eſt quòd ſcimus eos in fœdere fuiſſe cum Patribus in mille vſque generationes comprehenſos, vt eos in familia Dei cenſeamus, occultis iudiciis Deo (ſicuti par eſt) relictis. Sponſores tamen adhibemus, non qui de infantium præſenti fide teſtentur (eſſet enim hoc nimiùm abſurdum) ſed qui futuram, quantum in ſe eſt, ſpondeant. Sed in adultis aliud ſtatuatur neceſſe eſt, quum clarius ex ipſorum ore teſtimonium elicere poſſimus, ac proinde etiam debeamus, ſicut fecit in Eunucho illo Philippus. Huc igitur ſpectabant ſolennes illæ ſtipulationes, quæ ſicut in catechumenorum Baptiſmo vſurpabantur, ita etiam in infantium Baptiſmo aliis proculdubio formulis concipi debuerunt. Sed quorſum hoc? Libenter hoc addidi propter apoſtatam Balduinum, tuum patronum, cui ſuperioribus diebus reſpondi, vt omnes quorſum iſta tendant, tempeſtiuè intelligant. Quod autem ad rem ipſam attinet, omnes (vt opinor) iſtius interpretationis abſurditatem vident. Nulla enim vnquam talis ſtipulationis formula concepta eſt qualem tu deſcribis: & iſta quam profers ſtipulatio eſt externæ ceremoniæ appendix: Petrus autem manifeſtè fructum, ſiue rem ipſam Baptiſmi, cum externo ritu comparat, nec aliud quàm ablutionem corporis commemorat, quæ ſpiritualis ablutionis ſit ſymbolum.

In alteram Petri Epiſtolam.

AD DEFENSIONEM IN II. PETRI 2, VERS. 14, ὀφθαλμοὺς ἔχοντες μεστοὺς μοιχαλίδος καὶ ἀκαταπαύστου ἁμαρτίας, *oculos habentes plenos adulterij, & qui à peccando ceſſare neſciant:*

IN omnibus illis vetuſtis codicibus ex quorum collatione meam interpretationem edidi, ſummo conſenſu legitur ἀκαταπαύστους, ſicut in Annotationibus dixi. Sed Græcus ſcholiaſtes alterius lectionis meminit. Citas præterea Colinæi exemplar, quod non magni facio, niſi aliorum codicum conſenſu adiuuetur, quoniam reſciui multa fuiſſe in eo à quodam, alioqui Græcæ linguæ doctiſſimo, ex ſolis coniecturis emendata. Sed mihi quidem non eſt dubium quin ἀκαταπαύστου correxerint qui Hebraiſmum in nomine μοιχαλίδος pro μοιχείας non intellexerunt, ac proinde cum ἁμαρτίας velut epitheton coniunxerunt. Denique quòd dicis ἀκαταπαύστου paſſiuè poni, debuit exemplo probari. Puto enim à παύω neutrius abſoluti ſignificatione deduci. Itaque Græcus ſcholiaſtes ἀκαταπαύστως ἁμαρτάνοντας, id eſt *perpetuò peccantes* interpretatur. Imò quædam etiam huius formæ, planè actiuè accipi teſtantur Grammatici, vt apud Ariſtophanem λόγος ἀκατάβλυτος, id eſt (vt inquit Scholiaſtes) ὁ μηδένα καταβάλλων.

AD REPREHENSIONEM I, IN II. PET. I. V. 19, καὶ φωσφόρος, *& lucifer.*

SIc appellat proculdubio claram Dei cognitionem, quæ in cælis demum perficietur, hîc verò in nobis ex Verbi prædicatione inchoatur. Tu verò rurſus hoc in loco ſpiritum neſcio quem extra & ſupra Scripturam imaginaris, quo fiat vt non propter teſtimonium Scripturæ credamus vera eſſe quæ teſtatur, ſed quia experti ea ſentimus & ſcimus. *Qui ſpiritus*, inquis, *obſcurabit ſplendore ſuo Scripturæ lucem, non ſecus ac dies,*

dies, lucerna lucem obſcurat. Ego verò fateor nos quod de Deo ſapimus non debere charris aut atramento, neque voci quæ aures ferit, non denique illi qui plantat & rigat, ſed Dei virtuti qui intus agit. Sed tamen cauſam efficientem ab efficaci inſtrumento nunquam ſegrego, neque aliud nobis in cauſa religionis credendum dico, quàm quod in vtriuſque fœderis libris perſcriptum eſt. Addo etiam illud, me quidem vi Spiritus ſancti credere quod credo: ſed adiicio, me à Spiritu ſancto per Scripturam doceri, ac proinde me credere quod credo, quoniam ita ſcriptum eſt in verbo Domini. Itaque quicunque quod credit, idcirco non credit quia ſcriptum eſt à Domino, vel aliquid in doctrina religionis credit quod non eſt ſcriptum, eum dico pro fide opinionem, & pro Deo idolum amplecti. Dico etiam aliquid amplius, Caſtellio, de quo nemo niſi enthuſiaſtico & anabaptiſtico ſpiritu præditus, dubitat: nobis adeò plenè & perſpicuè reuelatum eſſe totum conſilium Domini de ſalute noſtra in illo, illo, inquam, Verbo ſcripto, vt qui præterea aliquod expectat huius doctrinæ ſupplementum, vel qui Dei cognitionem ſalutarem quærit alibi quàm in illo, illo, inquam, Verbo ſcripto (cuius diſpenſatio Miniſtris commiſſa eſt, prædicatione illius & adminiſtratione Sacramentorum exercenda) prorſus inſaniat. Denique illud etiam addo, teſtimonium ſpiritus adoptionis non in eo propriè poſitum eſſe vt credamus verum eſſe quod Scriptura teſtatur (nam hoc ipſum quoque ſciunt diaboli & reprobi multi) ſed in eo potius vt quiſque ſibi ſalutis in Chriſto promiſſionem applicet. de qua re agit Paulus Roman. octauo, verſ. 15, & 16, & ſingulis penè paginis. Deum enim eſſe omnipotentem ipſe ſenſus communis, quantumuis corruptus, docet: Deum eſſe veracem ipſa quoque natura, quantũuis deprauata, cognoſcit. Scripturam eſſe Dei verbum, ac proinde vera omnia teſtari, naturalis quidem ſenſus penitus non dictat, ſed tantùm aliqua ex parte, quatenus videlicet Scriptura teſtatur quæ cognitis naturæ principiis non repugnant. Opus eſt ergo noua luce, vt veram eſſe per omnia Scripturam fateamur, & quidem in primis, Chriſtum eſſe nobis promiſſum Meſſiam. Sed hanc lucem quæ perditiſſimis etiam multis communicatur, dico diuerſam eſſe ab adoptionis & gratuitæ in Chriſto iuſtificationis teſtimonio, quod eſt velut ipſa fidei definitio. Et iſta verò libenter commemoro, quoniam non hoc tantùm loco, ſed etiam alibi ſæpe, quum de his rebus ageres, illud quod præcipuum erat, id eſt (vt loquuntur Dialectici) veram in definitione differentiam prætermiſiſti. Sed ad rem redeamus. Quum in hoc argumento de Spiritu extra & ſupra Scripturam loqueris, vt qui Scripturæ lucem obſcuret, id eſt (vt ego arbitror) præ cuius luce lux Scripturæ ſit obſcura, peſsimè te ſentire, & enthuſiaſticum ſpiritum prodere dico. Poſtremò, quòd illum tuum Spiritum tribus Samaritanis qui dicebãt Iohannis quarto, Non credimus propter orationem tuam, ſed ipſimet audiuimus & ſcimus eum verè ſeruatorem mundi eſſe Chriſtum, ineptè à te dici affirmo. Neque enim aliud illi intelligunt quàm ſe iam non ex relatu alterius, ſed ex ipſius Chriſti ſermone & operibus quis eſſet agnoſcere. Hic porrò Chriſti ipſius conſpectus quum ad nos non ſpectet, in eius Scriptura & Sacramentis nos illum audire & contemplari oportet. Et quæſo, Samaritani quum dicunt ſe Chriſtum noſſe, quoniam eum audierant, ánnon Spiritum à quo intus erant edocti, cum externo Chriſti verbo, vt inſtrumentum cũ cauſa efficiente, coniungunt? Vbi ergo Spiritus ille tuus qui Scripturæ lucem obſcurat? Niſi fortè vis Scripturam aliud quidpiam eſſe quàm illud ipſum verbum quod Samaritani ex Chriſto audiuerunt. Quod autem ad Apoſtolos attinet, ſcio quidem illos extra ordinem fuiſſe à Spiritu ſancto afflatos, & quidem in primis Paulum, qui vno momento tantam cognitionis lucem eſt adeptus: ſed hoc ad rem non pertinet, quum de ordinariis Dei inſtrumentis & effectis hic loquatur Petrus.

Ad reprehensionem II, in II. Petri 3, vers. 6, δι' ὧν, *quamobrem*.

EGo hunc locum ſic explico, quoſdam eſſe qui irrideant quod dicimus de aduentu Domini. Nam, inquiunt, eadem ſemper fuit mundi facies ex quo eſt conditus. Negat hoc Petrus, & reſpondet iſtos vltro ignorare, mundi non fuiſſe ſemper eundem ſtatum. Nam initiò conditum fuit cælum, terra verò aliquandiu veluti ſub aqua deliteſcens, tandem ex aquis emerſit, & in mediis aquis fuit fundata, eáque

omnia Dei verbo:quamobrem etiam poſtea,quũ Deo viſum eſt, eædem illæ aquæ terram ſubmerſerunt. Non ſubſiſtit ergo mundus ſua vi,ſed Dei verbo,quo iubente & factus eſt quum ei libuit,& poſtea diluuio ſubmerſus : & tandem etiam deſtruetur, ſicut verbum ipſius teſtatur. Quid autem cẽſeas ex tuis annotationibus petat qui volet. Hæc verò ſunt quæ in me hoc loco ſcripſiſti. *Abſurdum eſt*, inquis, *dicere mundum periſſe, qua extitiſſet.* Concedo : neque hoc ego dixi,ſed ideo terram periſſe aqua,ſiue ſubmerſam fuiſſe,quoniã in mediis aquis eſt fundata. *Sed*, inquis, *terra nõ cõſtitit, neq; conſtat ex aqua.* Litiges ergo aduerſus Petrum,& cum ſi potes mendacij conuince. *Atenim Petrus nõ loquitur de mundi creatione.* Imò ex ea ratione quã ſequutus eſt Deus in condendo mũdo, & ex diluuij hiſtoria colligit Petrus, falſum eſſe eorum axioma qui omnia dicebant à cõdito mundo in eodem ſtatu permanſiſſe.

AD REPREHENSIONEM III, IN 2.Petri 3.verſu 12, *σπεύδοντας τὴν παρουσίαν τῆς τοῦ Θεοῦ ἡμέρας, properantes ad diei Dei aduentum.*

ETERUM diem Dei cenſes vocari tuum illum Luciferum de quo paulò antè dixi. Negas etiam præpoſitionem quam ego expreſſi, poſſe in Græco contextu ſubaudiri. Inſpicias ergo Græca lexica,& inde diſcas quod pueri in ſchola docentur.

In primam Ioann. epiſtolam.

AD DEFENSIONEM I. IN I.IOH.2.V.5, *ἐν τούτῳ ἀληθῶς ἡ ἀγάπη τοῦ Θεοῦ τετελείωται, is verè Dei amore perfecto præditus eſt.*

EGo hunc locum ſic interpretor, *In eo verè charitas Dei impleta eſt*: id eſt, in eo verè impletur quod Deus præcepit, vt ſe amaremus. Annotaui autem hoc loco, Ioannem potiùs vſum eſſe paſſiua quàm actiua loquutione, vt ſignificaretur dilectionem Dei manare à Spiritus ſancti gratia operantis in nobis. Dixi præterea verbum τελειοῦν mihi videri ſimpliciter declarare hoc in loco id quod in vernaculo ſermone dicimus *accomplir*, pro *mettre en execution*: ne quis videlicet perfectionem aliquam in hominibus Deum diligentibus imaginetur. Itaque hoc etiam loco te, Caſtellio, reprehendi, quòd actiuè ſis hæc verba interpretatus,& perfectam Dei dilectionem hominibus tribuas. Tu verò reſpondes, τελειοῦσθαι ſignificare τέλειός ἐστι, ſicut Pſalmo tertio *multiplicati ſunt* ponitur pro *multi ſunt*:& Roman.1, verſu 21, ἐματαιώθησαν, pro μάταιοι ἦσαν. Sed quid ſi hæc negem (vti ſanè nego) quomodo illa probabis? Deinde quod vno verbo abſoluere poteras, vix tribus paginis explicas: perfectum videlicet interdum dici quod verum & rectum & ſincerum eſt, quanuis augeri poſſit, interdum verò quod omnibus ſuis numeris eſt abſolutum : & illam quidem perfectionem hominibus competere, iſtam verò perfectiſſimam Dei perfectionem aſſequi neminem poſſe. Quis verò nunc iſtum non putet optimè & veriſſimè loqui? At ego monſtrum deregam. Nam fateor quidem *perfectum* (pro quo *integrum* Latinè dicere longè præſtat) ex Hebrææ linguæ proprietate (qui nomen TAMIM ſic vſurpant) accipi pro vero & ſincero: ſed quæ inter ſe comparantur, eiuſdem generis eſſe debent. Itaque quum perfectum pro vero & ſincero accipitur, tunc opponitur ſimulato & mendaci,& qualitatem rei declarat, ſiue augeri poſſit, ſiue non poſſit. Sed quum perfectio ex quantitate æſtimatur, tunc opponitur ei quod mancum eſt,& aliqua ſui parte deſtituitur. Quum igitur ſincerum opponis ei quod omnibus ſuis numeris eſt abſolutum, non minus ineptè facis quàm ſi hominem album cum maximo gigante comparares. Debuiſti verò vel ſinceros cum hypocritis, vel id quod augeri poteſt cum eo quod abſolutiſſimum eſt, comparare : vel denique, ſi vtranque comparationem volebas connectere, oportuit quod aliqua ex parte ſincerum eſt, cum eo quod omnino ſinceriſſimum eſt, conferre. Ferri tamen poſ-

ſent

ſent iſtæ ineptiæ, niſi magnum malum ſecum traherent. Vis enim (ſicut diſertè loqueris) aliquos in hac vita ſic eſſe perfectos, vt reprehendi meritò nequeant, quanuis augeri poſſit eorũ perfectio, ſicut inter magiſtros artifices alij alijs ſunt pfectiores: & huc refers illud Chriſti dictum, Eſtote perfecti ſicut Pater cæleſtis perfectus eſt. Putas igitur etſi nemo poteſt ſummam illam Dei perfectionem aſſequi, tamen aliquos homines eſſe perfectos in ſuo genere, id eſt ſicut homines ſunt perfecti, eos videlicet qui ſuos inimicos diligunt. At ego & tota mecum (vt arbitror) Eccleſia Dei dicimus aduerſus iſtum vetuſtum Celeſtini errorem, pios quidem eſſe integros, id eſt hypocriſin odiſſe, ſed ita vt meritò ſemper in quibuſuis operibus reprehendi poſſint, nec tantùm oporteat eorum virtutem creſcere, ſed etiam vitium imminui: vt qui in hac vita nunquam ſint ita in illa virtute ſinceri, vt nihil impuritatis & falſitatis habeant in illa ipſa virtute permixtum: adeò quidem vt eam perfectionem, non dico quæ in ſolum Deum, ſed quæ in homines cadit, nunquam ſint niſi in altero ſeculo poſt reſurrectionem adepturi. Itaque illis verbis, ESTOTE PERFECTI, affirmo nõ ſignificari quales eſſe in hac vita poſſimus, ſed duntaxat proponi nobis metam ad quam tota vita contendere nos oporteat, ea demum vltimo die potituri. Sic etiam dico perfectos vocari à Paulo Philippenſ. 3. nõ qui, etſi in eos cadat incrementum, tamen meritò (ſicut tu definis) reprehendi nequeãt, ſed qui, licet aliquouſque iam progreſſi, adhuc tamen meritò reprehendi poſſint, & nihilominus ad metam perfectionis contendant. Itaque ſiquis dicat, Chriſtum illud non præcepiſſe vt præſtetur, malè dicit. Sed quum inde colligis, hoc præceptum præſtari in hac vita poſſe, quis te non videt apertè ſentire, Legem à nobis poſſe perfici? Imò apertè etiam poſtea hoc confirmas, quum dicis multos qui pro amicis, atque adeò pro inimicis ſuis vitam impendant, perfectam charitatẽ habere, quanuis adhuc poſſit creſcere. Et tamen huc applicas dictum illud Ioannis 15. v. 13, *Maiorẽ hac charitatẽ nemo habet*, &c. Dic igitur nobis, Caſtellio, quomodo creſcere poſſit charitas, qua nulla ſit maior. Ego vero non dixerim vllos homines, præter vnũ Chriſtum, charitatem ne in infimo quidẽ gradu perfectã in hac vita vel habuiſſe, vel habere, vel habituros: ſed perfectã charitatem pios omnes ſectari, & tandem vltimo illo die adepturos.

AD DEFENSIONEM II, IN 1. IOH. 2. V. 8, *ὅτι ἡ σκοτία*, &c. *videlicet tenebras præterire.*

EGO *ὅτι*, *quòd*, vt cauſale accipio: tu verò vt *εἰδικῶς* poſitum interpretaris, & negas te vllam videre abſurditatem. At ego ex te quæro quæ ſit *ἐντολὴ*, id eſt (vt tu ipſe conuertiſti) præceptio, in his verbis, *tenebras præterire*.

In epiſtolam Iudæ.

AD REPREHENSIONEM IN verſu 21, *δένδρα φθινοπωρινὰ*, *arbores emarcidæ.*

SIC DIXI vocari arbores quarum fructus corrumpuntur priuſquam ad maturitatem perueniunt, *πρὸ τοῦ φθίνεσθαι αὐτῶν ὀπώρας*. Itaque emarcidas vocaui, quòd eiuſmodi arbores eo vitio laborent. Poſſit fortaſſis aliquis frugiperdas (id eſt, *ὠλεσικάρπους*) vocare, quod epitheton ſalici tribuitur. Tu mauis *Autumnales* interpretari, communem eius nominis ſignificationem ſequutus: putáſque ſic vocari arbores quaſdam autumno florentes, quæ fructum nunquam ad maturitatem perducant. Vellem igitur illas nominaſſes. Cæterùm quas Apoſtolus poſtea bis mortuas vocat, exponis de inſitis arboribus, quæ poſtea, quòd ne ſic quidem fructum ferant, extirpantur. Ego primam mortem non retulerim ad inſitionem (eſt enim hæc allegoria durior) ſed potiùs ad eum ſtatum in quo naſcimur, mortui videlicet in peccatis. Ab hac igitur morte qui per Euangelij prædicationem erant aliquo modo erepti, poſtea denuò mori dicuntur quum ad vomitum reuertuntur, & fiũt poſteriora deteriora prioribus.

Et haec quidem ſunt quæ in ſua noui Teſtamẽti verſione defendit, & in mea reprehẽdit Caſtellio: quem hominem moneo vt ſua quidem melius poſthac tueatur, vel citò emendet: aliena verò maiore cum iudicio, non pauca ex multis (vt nunc ſe feciſſe dicit) ſed quæcunque poterit ingenuè reprehendat. Teſtor enim Deũ, etiamſi ſuo more irridens hoc fecerit, me tamen nullum demonſtratum errorem pertinaciter defenſurum. Quòd ſi cui videbor modeſtiæ fines in reſpondendo interdum trãſilijſſe, is (vt ſpero) mihi æquior futurus eſt, ſi conſiderarit cauſam priuatam non agi, & iſtius accuſationem (quam defenſionem vocauit) cum mea reſponſione placidè compararit. In ſumma, hic meus mos eſt, ficum ficum vocare: & ingenuè loqui potiùs quàm diſſimulatione vtendo, modeſtis verbis acerrima & atrociſſima conuitia permiſcere. Cuiuſmodi enim illa ſunt, me Chriſti beneficium eleuare, Scripturã arbitrio meo torquere, in rebus grauiſſimis errare, cæcum eſſe, & oculos alijs claudere, Principes denique ad fundendum ſanguinem hortari? Certè quid iſte pro modeſtia ſingulari ſua ſit in me conatus, atque adeò quid ſe perfeciſſe exiſtimauerit, in extremo ſuo libro exultabundus nõ ſubticuit, quum diceret, me in eas anguſtias eſſe impulſum, ex quibus nullo vnquam æuo, nulla vnquam niſi maturæ pœnitentiæ via eluctari queam. Putauit enim fore vt ab eo tam acriter accuſatus, nunquam poſtea in hominum oculis apparerem: quæ ſpes ſi eum feſellerit, ſibi ipſi imputet, & ſuo pede ſeipſum deinceps metiri diſcat.

T H. B.

AD

Ioannis Brentij argumenta, & Ioan.

ANDREÆ THESES, QVIbus carnis Chriſti omnipræſentiam nituntur confirmare, id eſt Aduerſus renouatos Neſtorij & Eutychetis errores, Reſponſum.

SVMMA BRENTIANÆ DOCTRINÆ DE DVABVS in Chriſto naturis hæc eſt, quantum aſſequi ex ipſius ſcripto potui:

Perſonaliter ſiue hypoſtaticè vniri duas naturas, Diuinam videlicet & Humanam, idem Brentio declarat atque ſimul eſſe: ſed non aliter in Chriſto quàm in Petro, & quibuſuis alijs ſecundum οὐσίαν: quod ad energiam autem attinet, Omnes ſine exceptione proprietates Filij Dei in Filium Mariæ effundi.

Si hoc verum eſt,

1 *Humana natura & Diuina non tantùm diſtincta (quod fatetur Eccleſia) verùm etiam ſeparatæ ſunt ſecundum οὐσίαν in Chriſto vt in Petro, & quibuſuis alijs.*

2 *Et Chriſtus eſt Deus ſecundum carnem:*

Quod dogma naturas ipſas cum Neſtorio ſeparat: & earum proprietates cum Eutychete confundit.

Hos cetros errores multi etiam alij, vt de cælis & inferis, itémque de œconomia, & alijs Chriſtianæ religionis capitibus, conſequuntur.

Hæc & quæ ſequũtur omnia, nõ in perſonas ipſas, ſed in eiuſmodi blaſphemias dicta ſunto.

ILLVSTRISS. DVCI CHRISTOPHORO, DVCI VVIRTEMBERGENSI, COMITI MONPELGARDENSI, TEKENSI, &c.

Theod. Beza Vezelius gratiam & pacem à Domino.

DE CONTROVERSIA omnium maxima agere apud Celſitudinem tuam conſtitui, Illuſtriſſime Princeps, ſi modò mihi per te liceat. Et, vt ſpero, licebit, quum in eius nomine appateam cuius gloriam ſemper cæteris rebus antepoſuiſti. Triſtis eſt illa Apoſtoli ſententia in perſona Corinthiorum commonefacientis ipſa etiam Chriſti membra de maxima & miſerrima imbecillitate: Oportet, inquit, inter vos etiam hære- 1.Cor.11.19
ſes exiſtere. quo tamen malo nihil exitioſius ne cogitari quidem poteſt: ſed additur dulciſsima conſolatio, qua teſtatur Spiritus Sanctus non modò id temerè non euenire, ſed etiam maximo omnium bonorum commodo, Vt, inquit, qui probati ſunt, manifeſti fiant. Huic optimo Dei conſilio ſic acquieſcere nos oportet, vt omnem tanti mali culpam ſciamus in nobis hærere, ac proinde conemur pro ſe quiſque ita conferre quod nobis dederit Dominus, vt meminerimus Prophetarum ſpiritus Prophetis ſubijci. Si obſeruata eſſet

hæc regula inter ipſos noſtrorum temporum Prophetas, maiore certè cum fructu plerique ſuo munere eſſent perfuncti. Scio tamen in Chriſtiana religione nullum eſſe locũ eiuſmodi ἐποχῇ, quæ certiſſima illa & ἀναμφισβήτητα dogmata in dubium vocet: & conſtanter defendendam eſſe Chriſti veritatem, etiamſi vniuerſus mundus obſtrepat. Sit hoc igitur extra omnem controuerſiam poſitum. Sed in ipſa tamen defenſionis ratione modus aliquis tenendus eſt: quem etſi præſcribere ne mihi quidem ipſi tam bene poſſum quàm vellem, nedum vt quenquam à me doceri poſſe putem, tamen difficile non eſt animaduertere, eius fines ſæpe tranſilijſſe eos ipſos quos minimè oportuit. Nolo veterum vulnerum cicatrices, quas nonnulli coaleſcere non patiuntur, refricare. Abſit, inquam, vt renouem tot veterum malorum memoriam. vtinam verò potiùs non modò prudentem & facundum, ſed etiam ſanctum aliquem Neſtorem Dominus excitaret, qui ſua grauitate contendentes compeſceret. alioqui certum eſt, fore vt Deus ipſe interueniens, non tam litem componat, quàm litigantes ſeueris pœnis vlciſcatur. Hic autem non dubito quin nonnulli cogitent, vnde nouus hîc Cato? quibus reſpõdebo quod res eſt, Me, quum vnus ſim ex illorum infimorum numero, qui etſi clauum ipſum non tenent, tamen in tranſtris ſedent, iſtis tempeſtatibus non poſſe non quàm vehementiſſimè affici, atque adeò ingemiſcere, & ita quidem altè vt meos gemitus cupiam longè latéque exaudiri. Hoc ego ſcio mihi cũ bonis omnibus eſſe commune, & vos Illuſtriſ. Principes Germaniæ, apud quos Deus noſtra memoria Filium veluti renaſci voluit, non dubito his cogitationibus ſæpiſſimè eſſe intentos, adeò quidem ſeriò vt nos Gallos præſertim, ſtupidos eſſe oporteat, niſi hoc animaduertamus: & valde ingratos niſi Chriſtum à vobis in nobis veſtris ſumptibus veſtróque adeò ſanguine & opportuniſſimè & fortiſſimè defenſum agnoſcamus. Sed quum idcirco nobis & à Deo conceſſam, & per ſua inſtrumenta conſeruatã vitam arbitremur, vt eam ipſius gloriæ conſecremus, neque id ritè fieri poſſit niſi in primis vera ipſius notitia in animis noſtris ſit inſculpta, alterum à vobis Illuſtriſs. Principibus Germanis beneficium petimus, vt de iſtis triſtiſſimis contentionibus ſemel finiendis ſeriò cogitare velitis. Id ego verò ſperarem fore ſi controuerſiarum capita planè ac perſpicuè ſcripta, coram ijs quorum intereſt, inter viros non tantùm eruditos, ſed etiam religioſos diſceptarentur, & ita quidem vt nullus tanquam ſua defenſurus, ſed vt Dei iudicium auditurus accederet, neque ex cuiuſque hominis placitis, ſed ex puro Dei verbo, comparatione locorum adhibita, res omnis tranſigeretur. Scio iam aliquoties id non ſatis feliciter tentatum. Sed viciſſim non eſt difficile perſpicere quid cauſæ ſit quominus tam felix fuerit illorum colloquiorum exitus, quàm optandum erat.

Nec ego diſſimulo nihil eſſe ab his colloquijs ſperandum, ſi præiudicia & damnatoriæ ſententiæ domo afferantur, nec iudex quiſquam ſedeat (vt in ſanctiſſima actione par eſt) ſed vt ſpectator potiùs in theatris ſolet, ſic ſuæ quiſque parti applaudat. Sed de his vel alijs remedijs alius erit dicendi locus, ſi nobis idem Dominus hoc largiatur. Nũc autem huius noſtri conſilij ſummam T.C. paucis exponam. Quum huc eſſet allatus poſtremus D. Io. Brentij de Chriſti Maieſtate liber, quo non modò D. Bullingerus, homo de Chriſti gloria optimè meritus, infinitis maledictis afficitur, ſed nos omnes qui eandẽ doctrinam noſtris tradimus Eccleſijs, vt impij ac profani dogmatiſtæ traducimur, doluimus ex animo contentionem iſtam ſic efferbuiſſe, vt iam non de rebus ipſis, ſed in perſonas agi videatur. Sed tamen hæc omnia Satanę potiùs quàm cuiquam homini tribuimus, & quoniam tũ noſtra corã Deo conſcientia, tum etiam tota noſtra vita corã vniuerſo mundo nobis teſtatur nos immerentes iſtiuſmodi cõuitijs proſcindi, idcirco parũ eſt nobis ꝙ in hac vel illa ſchola vel nos, vel libri etiam noſtri damnentur, & ad Filij Dei tribunal, imò etiam ad legitimam & Chriſtianam Synodum, atque adeò, Illuſtriſ. Princeps, ad teipſum melius (vt loquuntur) informatum prouocamus. Itaque de iſtis cõuitijs ne gry quidem ex nobis audiet quiſquam, quin potiùs Filium Dei rogamus, vt & illis iſtam intemperiem, & nobis viciſſim tot noſtra omnia immoderatè dicta vel ſcripta pro ſua bonitate condonet, & deinceps efficiat vt res tam ſacras religioſius tractemus. Sed quod ad doctrinam ipſam attinet, hîc ſanè ne nos quidem tacere potuimus aut etiã debuimus. Exiſtimamus enim hoc dogma de carnis Chriſti omnipræſentia non tãtùm inauditũ eſſe in Eccleſia Dei, ſed etiam prorſus euertere glorificati corporis Chriſti veritatẽ, ac ꝓinde nullo modo recipiendum: & cur ita arbitremur & in Eccleſijs nobis à Filio Dei commiſſis doceamus, placidè ac ſincerè pro noſtræ fidei modulo ſic declaramus.

Quod

Quod olim quidam doctiſſimus idémque optimus Epiſcopus de Originalis peccati propagatione ſcripſit, Quærendum eſſe potius qua via poſſimus ex eo malo euadere, quàm quomodo in nos euaſerit, idipſum nobis in hoc tam triſti funeſtóque diſſidio faciendum arbitramur. Agè igitur à quibus ſit ortum hoc malum minimè quæramus, quũ præſertim de eo ſatis omnibus cõſtet, ſed de eius remedio potius cogitemus, quod quidem non aliud poteſt inueniri quàm ſi veritatem ex Dei verbo erutam in medium proferamus. Quæſtio eſt, quid ſit hypoſtatica vnio duarum in vno Chriſto naturarum, & quæ vis illius ſit ex Scripturis conſtituenda. Credit enim Brentius cum ſuis, ab ipſa Verbi incarnatione eam fuiſſe, & eſſe carnis Chriſti gloriam, vt vbicunque eſt eius diuinitas (implet autem omnia diuinitas) ibi etiam fuerit, & ſit eiuſdem & vnius Chriſti humana natura, à Verbo perſonaliter & inſeparabiliter aſſumpta. Nos verò docemus, Chriſtum quidem vnum eſſe, & vtranque eius naturã inſeparabiliter vnitam, ac proinde totum Chriſtum, Deum videlicet & hominem omnia planè implere, quum nuſquam ſit Verbum ab aſſumpta carne ſeparatum: ſed hoc longè aliud eſſe quàm ſi quis dicat Chriſtum vtraque ſua natura omnia implere, quoniam diſtinctæ & inconfuſæ naturarum etiam vnitarum proprietates eſſentiales & incommunicabiles, id non ferant. Ille igitur nos vt impios & profanos Neſtorianos & Chriſtum diuidentes coarguit. Nos conuicia nolumus regerere, & Deum rogamus vt hæc in nos immeritò iactata illi condonet. Sed hoc tamen non diſſimulamus, non videre nos poſita illa carnis, vt loquitur, *omnipræſentia* & *omnimaieſtate*, quî poſſit vel orthodoxa naturarum vnio, vel carnis veritas retineri. Eſt igitur hæc quæſtio longè maximi momenti, in qua nimirum de carnis Chriſti veritate, id eſt, altero ſalutis noſtræ fundamento, atque adeò de articulis incarnationis, aſcenſionis, & ſeſsionis ad dexteram Patris quæritur: quæ omnia ſic tractabimus non vt alioqui facturi fuiſſemus, ſi noſtram nobis methodum deligere integrum fuiſſet, ita tamen vt quàm optima fide fieri à nobis poterit, veſtigijs eius libri quem refutandum ſuſcepimus inſiſtentes, aduerſariæ ſententiæ perſpicua noſtra reſponſa ſubijciamus: id vnũ poſtulãtes vt qui contra nos ſentiunt, ſepoſitis priuatis affectibus, omnia diligenter expendant & candidè interpretentur, quod nos viciſſim facturos pollicemur.

Docet in primis Brentius, *ſe non abhorrere à vocabulis Coniunctionis, Compoſitionis, Cõglutinationis, Coagmentationis, Conſociationis, ſiue Copulationis, modò vera ſententia retineatur, videlicet Ieſum Chriſtum non ex vna tantùm & ſola diuina, nec ex vna tantùm & ſola humana, ſed ex vtraque diuina & humana natura conſtare, quæ duæ naturæ in vna Chriſti perſona ita conueniunt vt nunquam diſſoluantur, & à ſe inuicem ſeparentur.*

Nos verò paulò fortaſſe diſtinctius de hoc arcano ſic loquimur, vt quanuis à voculis & ſyllabis non pendeamus, & illa ſciamus à Patribus fuiſſe vſurpata, tamen vocabulum Vnionis libenter retineamus: illa verò vt à Neſtorianis contaminata repudiemus: quòd ſi quando illis vtemur, aliquid ſemper addemus ex quo perſonalis vnio, non autem παρουσίας, id eſt, aſſiſtentię, vel ἀξιώσεως, id eſt, dignitatis aliqua conſociatio, intelligatur.

Deinde iſtam vnionem à confuſione non tantùm naturarum, ſed etiam eſſentialium proprietatum contra Eutycheo diſtinguimus.

Præterea, vnionem perſonalem ſic opponimus ſeparationi, vt etiam ab ijs qui naturas ſimul volunt ſemper eſſe (quod ne Neſtoriani quidem inficiabantur) diſſolui tamen Chriſtum & ſeparari naturas dicamus, niſi ita ſimul eſſe conſtituantur vt non ſint duo Chriſti, ſicut duæ ſunt naturæ, ſed vnus tantùm Chriſtus ex duabus naturis conſtituatur. Aliud eſt enim præſentia vel coniunctio quàm vnio, & ea quidem perſonalis.

Quartò, ambigua nobis eſt iſta locutio, duas naturas conuenire in vna Chriſti perſona, quoniam vna pro ſola accipi poteſt. Itaque potius dicimus duas naturas ad vnam hypoſtaſin ſiue perſonam conſtituendam in Chriſto conuenire, & ita quidem vt ea vnio ſit perpetua & indiſſolubilis, qua de re mox copioſius.

Deinde nomine humanæ naturæ docet Brentius *nõ intelligi proprietates accidẽtarias, ſed ipſam eſſentiam ſeu ſubſtantiam humanitatis, vt ſicut diuina natura ſignificat ſubſtantiã ſpiritualem, æternam, & rerum omnium creatricem, ita humana natura ſignificet ſubſtantiam animæ rationalis & corporis à Deo creatam.*

Aſſentimur & nos,ſed addimus,cum ſubſtantia ipſa eſſe cõiungendas proprietates, ex Chalcedonenſi Synodo,aut ex Dei verbo potius,ſicut mox dicemus.

Deinde,quaſdam eſſe dicimus proprietates verè accidẽtarias,quaſdam autem eſſentiales,vtpote quæ ſint ipſarum rerum formæ. (liceat enim nobis de Deo,docendi cauſa,balbutire,)de quibus etiam ſuo loco diſſeremus.

Præterea, quanuis accidentaria ab eſſentialibus vbique diſtinguamus (fit enim nobis iniuria quum dicimur illa confundere) neutra tamen ab eſſentia naturæ humanæ ſeiungimus, imò quum naturam humanam dicimus à diuina fuiſſe aſſumptam, coniungimus cum eſſentia naturæ humanæ, omnia etiam eius accidentia, tum ea cum quibus condita eſt à Deo, tum etiã ea quæ peccatum inuexit, exceptis tamen ijs quæ ſunt peccata: quæ poſtrema dicimus Chriſtum cum carne noſtra non aſſumpſiſſe,ſed in aſſumpta noſtra carne deleuiſſe, ſicut è contrario reliquas infirmitates noſtras omnes verè & re ipſa aſſumpſit, vt per omnia,excepto peccato, nobis fieret ſimilis.

Denique,illa infirmitatis accidentia quæ aduentitia erant, dicimus à Chriſto fuiſſe cum morte penitus abſorpta,ſicut etiam in nobis, virtute illius, tandem penitus abſorbebuntur. Verè autem naturalia ne nunc quidem dicimus indiſtinctè abſorpta, ſed in ſtatum glorioſiſſimum & nobis incomprehenſibilem reducta. Etſi enim Chriſtum iam non nouimus ſecundum carnem,id eſt,qualis erat in carnis ſuæ diebus,vt qui iam Deo
2.Cor.5.16 Rom.6.10 Heb.9.24 Act.1.11. viuat:tamen Chriſtum adhuc hominem ſcimus in ipſis etiam cælis intercedere pro nobis,& inde venturum ſicut eò aſcendit.

Itaque illa naturæ humanæ Brentiana deſcriptio à nobis non vt falſa, ſed vt maxima ex parte mutila repudiatur.

Verè quidẽ dicitur, inquit Brentius, *duas eſſe in Chriſto naturas, diuinã & humanã,eáſq; eſſe inter ſe cùm diſtinctas,tum indiſſolubili nexu vnitas:non autem ſatis dicitur. Sic enim ſunt in quouis duæ diſtinctæ naturæ,quæ vſqueadeò ſunt ſibi coniunctæ & connexæ vt humana abſq; diuina ne momento quidem temporis conſtare queat.* Et mox, *Sed in Chriſto duæ illæ naturæ non ſunt ſimplici & vulgari quodam modo vnitæ,ſicut in alijs hominibus,ſed ita ſunt vnitæ vt vnam tantùm perſonam conſtituant.*

Accipimus quę hic dicuntur de duabus naturis non ſimpliciter ſed in vnam perſonã vnitis,ſed quod præcipuum erat oportuit à Brẽtio explicari, antequam aduerſum nos diſputaret,quid ſit videlicet in vnam perſonam vniri,à cuius explicatione pendet tota huius controuerſiæ deciſio.

De hoc ergo mox dicemus. Nunc autem in hac eius ſententia id quoque non probamus,q. humanam naturam & diuinam neſcio quomodo dicat omnibus hominibus inſeparabiliter cõiunctas ac connexas. Diuinitatem enim omnibus rebus adeſſe,nedũ hominibus,nemo ignorat. Sed eam propterea rebus cõnexam & quidem inſeparabiliter, nemo niſi valde impropriè dixerit. Nã certè multo latius patet Præſentiæ q̃ Vnionis nomen. Sic ergo rem explicamus propoſito familiari exemplo. Dæmoniũ eſſentialiter inſidens homini,non tamen cum eo vnitur. Manent enim duo non tãtùm diſtincta,ſed etiã hactenus ſeparata,q. ſic iungantur vt tamen ſimul non coeant,nec dici poſſint vnũ. Anima verò corpori adiuncta,vnitur cum eo perſonaliter ad vnum quiddam, quod hominem vocamus,conſtituendum,ídque ſaluis ac diſtinctis,non autem cõfuſis proprietatibus,adeò quidem vt quanuis hæc vnio in Chriſto locum non habeat,(in quo videlicet humana natura per ſe non ſubſiſtat, ſed in diuina, ideóque perſonæ rationem non habeat)& longè ſit dignitate inferior(vtpote quæ & ad tempus ſeparabilis,& rerum ſit finitarum,& earum naturarum quæ ne intellectu quidem ſeparatæ perſonam aliquam ſingulæ conſtituant) tamen vera ſit iſtius imago, ac proinde à veteribus, ac præſertim Athanaſio & Cyrillo paſſim explicata.

Putat Brentius, poſita inſeparabili vnione naturarum, conſequi vt vbicunque eſt, vna ſit etiam altera: ideóque nos vt planè Neſtorianos accuſat, dum Chriſti carnem, quanuis nuſquam à Verbo ſeparatam, tamen à terris tanto ſpatio nunc abeſſe affirmamus, quanto id quod ſupra omnes cælos eſt à terrenis abeſt: ſicut viciſſim quum in terris verſaretur, nuſquam alibi tunc eam fuiſſe contendimus,propter carnis veritatem. Vtitur autem hoc argumento: *Si Diuina natura in Chriſto non vni-*

nus ſibi

nit ſibi humanam propius quàm vt relinquat eam maieſtate ſua in vno certo loco, ipſa interim totum vniuerſum implente, quid, quæſo, Chriſtus differt hac in parte à quouis alio homine? Siquidem & Petri humanitas in vno tantùm loco eſt, diuinitas autem qua & impletur & ſuſtentatur, vbique ſeſe diffundit, & quum propter hanc cauſam Petrus, & Deus, ſeu Filius Dei, qui eſt in Petro, ſint duæ diſtinctæ hypoſtaſes ſeu perſonæ, quomodo nõ etiam propter eandem cauſam Filius Mariæ & Filius Dei qui eſt in Filio Mariæ, duæ fierent perſonæ? Hæc ille.

Nos verò cogimur hoc loco multa in Brentio requirere. Primùm enim vbi tandem inueniet hoc nos ſentire, humanam naturã à diuina relinqui in certo loco? Quid enim? an hoc vnquam inter nos venit in controuerſiam, inſeparabilem eſſe duarum in Chriſto naturarum vnionem? Nobis ergo fit hac in re inſignis iniuria. Neque enim ſequitur humanam naturam à diuina relinqui, etiamſi vtraque non omnia impleat. Quomodo? inquiet, quoniam quæ coniunguntur, quacunque vnione coniungantur, non ſemper æqualia ſunt. Probet igitur Brentius aut humanam naturam vel per ſe, vel diuinæ naturæ adiunctione perſonali, factam eſſe infinitam: aut omnipræſens eſſe poſſe quod non ſit infinitum. Tunc illi ſanè ſuam conſequentiam concedemus. Sed agè, craſſius etiam loquar.

Si humana natura ex quo vnita eſt cum diuina per vnionẽ perſonalẽ, fuit vbicũque fuit diuina, nempe id fatendum eſt tum de anima tum de corpore Chriſti verum eſſe. Item, ſi, vt vult Brenius, perſonaliter vnita ſeparantur, niſi vbicunque vnum fuerit etiam fuerit alterum: conſequitur vel abruptam aliquando, id eſt in morte fuiſſe perſonalem vnionem duarum naturarum in Chriſto (quod nefas eſt credere) vel humanam eius naturam conſtantem ex anima & corpore ſemper ex quo ſemel cœpit illa vnio, fuiſſe vbicunque fuit diuinitas, id eſt vbique. Obſecro igitur vt pedem hic figamus. Non negabit Brentius vnionem animæ & corporis Chriſti fuiſſe morte corporali ad tẽpus abruptã, quum diſertè dicatur Chriſtus ſpiritum emiſiſſe. Iacente igitur corpore in ſepulchro, tunc certè anima cum corpore non erat, quia mortuũ corpus non fuiſſet. Erant tamen tum quoque inſeparabiliter & anima & corpus cum diuinitate vnita. Quòd ſi ex Brentij axiomate, quæ perſonaliter vnita ſunt, quandiu vnita ſunt, ſimul ſemper ita ſunt, vt vbicunque vnum eſt ſit & alterum, conſequetur, ſi diuinitas cum anima tum præſens erat, & corpus item præſens cum diuinitate vnitum, fuiſſe tũ quoque hæc tria ſimul præſentia, ac proinde vno & eodem tempore corpus & præſens cum anima fuiſſe, & ab anima ſeparatum fuiſſe: ac viciſſim efficietur, animam, ſi quidem ſemper fuit vbicunque diuinitas, & vbicunque fuit diuinitas, ſemper etiam fuit corpus, vno eodémque tempore & cum corpore & ſine corpore fuiſſe. quæ quàm ſint falſa & abſurda nemo nõ videt. Res autem ita ſe habet. Quæ coniuncta ſunt ſiue perſonali vnione, ſiue alia aliqua, ſemper quidem ſimul ita ſunt, vt vnum compoſitum pro coniunctionis modo conſtituãt, quandiu coniunctio illa perſtiterit: ſed nunquam ita ſimul ſunt, vt vbicunque vna eſt pars ibi ſit etiam altera, niſi res coniunctæ æqualiter pateant. Exempli cauſa. Cõiunctum eſt orbi ſuo ſolis corpus firmiſſimo nexu. Semper igitur ſimul ſunt, ſed non tamen propterea vbi eſt Septentrio, ibi eſt ſolis corpus, quoniã videlicet latius patet orbis quàm ſolis corpus. Sumamus autem exemplum in quo vtraque pars æqualiter pateat, & quidem perſonali vnione cõiuncta. Eiuſmodi exemplum ſit homo quiſpiam ex duabus partibus perſonaliter vnitis compoſitus, adeò vt ſit non tantùm corporeum & mortale quiddam, ſed etiam ſpirituale & immortale. Quoniam autem naturæ iſtæ duæ, quanuis valde alioqui diſſimiles, tamen in eo ſunt ſimiles quòd ſunt finitæ, & anima totum corpus permeat: conſtante hac vnione, vbicunque animatum eſt corpus, ibi eſt etiam anima: & tamen (ſi verum eſt quod nonnullis placet, totam animam ſub eſſentia eſſe in qualibet corporis parte) ibi ſæpe tota erit anima, vnde pars corporis per ſe cõſiderata abſens erit, quum poſſim pedem in limine, caput autem habere in platea. In hoc autem admirabiliſſimo myſterio quo Verbum æternum vnitum eſt humanæ naturæ, quom res planè inæquales vnitæ ſint, & humana natura (quanuis eouſque propter perſonalem vnionem euecta, vt cum Verbo à quo aſſumpta eſt, vnum conſtituat ὑφιστάμενον) non ſit tamen in diuinam mutata: mirum non eſt non ſolui compoſitum, etiam ſi vbicunque eſt diuina natura ibi non ſit humana. Nam ne ſeparatis quidem humanæ naturæ partibus, ſicut accidit in Chriſti morte & ſepultura, vnio tamen diuinitatis

cum humanitate dici debet diſſoluta: quod niſi concedas, in illa, quæ dixi, abſurda incidas neceſſe eſt. Nec cauſa vlla eſt cur ad *οἰκονομίαν* Brentius confugiat, de quibus ſuo loco dicemus: quoniam quod Diuinitas aſſumpſit, nunquam poſtea vllo modo dimiſit.

Quòd autem quætit ſi ita eſt vt dicimus, id eſt, niſi ſit natura humana vbicunque eſt diuina, quódnam ſit inter Petrum & Chriſtum hominem diſcrimen: miror quæri potuiſſe. Cauſam tamen affert. *Quia*, inquit, *& Petri humanitas eſt in vno tantùm loco, diuinitas autem qua & impletur & ſuſtentatur, vbique ſeſe diffundit: & quum propter hanc cauſam Petrus, & Deus qui eſt in Petro ſint duæ diſtinctæ hypoſtaſes, quomodo non etiam propter eandem cauſam Filius Dei qui eſt in filio Mariæ duæ fierent perſonæ? Habes in quouis homine* (cur non verò in quauis re potius dixit?) *vtranque naturam, diuinam videlicet omnia implentem, & humanam à diuina ſuſtentatam & conſeruatam.* Hæc ipſa verò nobis reſponſum ſuppeditant. Præſentia enim qua res aliqua ſuſtentatur (quomodo Deus omnibus rebus creatis adeſt) lõgè diuerſa eſt ab ea qua Deus non tantùm eſt præſens, ſed alicui etiam ſeſe vnit, vt id quodammodo efficiat ſui partem, quod nulli alij rei conditæ quàm humanæ Chriſti naturæ conceſſum eſt. Poſſe autem ita aliquid perſonaliter vniri, vt vbicunque vnum eſt non ſit alterum, & in quouis homine & in Chriſto ipſo, paulò antè oſtendimus. Imò ſi ita eſſet, id eſt, ſi hoc vno differrent Petri & Chriſti caro in diuinæ naturæ præſentia, quòd Chriſti caro eſt vbicunque eſt diuina natura, Petri verò non item: in eo certè conuenirent quòd ſicut alicubi eſt Petri caro vbi eſt diuina natura, ita etiam Chriſti: ac proinde hoc reſpectu coniunctiones iſtæ non toto genere, ſed ſecundum plus & minus differrent, quoniam videlicet in Chriſto latius diffunderetur vnio, quæ in Petro terminaretur corporis anguſtijs. Hoc autem ſi verum eſt, quid obſtat quo minus in Neſtorij caſtra tranſeamus?

Res autem ita ſe habet. Longè aliud eſt ſimul eſſe quippiam cum aliquo, quàm ita ſimul eſſe vt præterea vnum ſit cum aliquo. Neque ad rem pertinet hócne ſit vbique, an vno tantùm loco vel tempore. Nam ne tum quidem quum Deus & in Petro & in Chriſto fuit eodem loco & tempore, ita fuit in Petro vt in Chriſto: non ea, quã putat Brentius, ratione, ſed quia nunquam ita fuit in Petro, vt Petri corpus eſſet Dei corpus, vt Petri anima eſſet Dei anima, vt denique vnus Petrus eſſet Deus & homo: vnde fit etiã vt iſtæ præſentiæ non ſecundũ plus & minus (quod tamen ex Brentiana explicatione conſequitur) ſed toto planè genere differãt, quoniã (vt ſæpe iam dixi) aliud eſt Adeſſe quàm Vniri. Videt igitur longè maximum diſcrimen eſſe in his rebus, etiamſi tum Petri tum Chriſti caro certo tantùm loco conſtituatur: quod tamen ita dictum ſit, vt & alibi & longè alia conditione Chriſti carnem in cælis regnantem, quàm Petri carnem in puluere adhuc dormientem conſtituam. Sed & alio exemplo libet hoc idem confirmare. In miſero illo homine cuius fit mentio Marc. 5. & Luc. 9. vno eodémque tempore erant in ipſius carne tum anima ipſius, tum etiam dæmoniorum legio. Vbicunque erat iſtius corpus, ibi etiam vtrunque illud erat. An propterea nullum diſcrimen ponemus præſentiæ animæ, & legionis dæmoniorum? Imò maximum, vt ipſe Brentius non inficiabitur. Sic enim erant in eo dæmonia, vt in vnam perſonam cum eo non coaleſcerent: anima verò præterquam quòd aderat, etiam perſonaliter cum eo vnita erat. Videt ergo ne tum quidem quum vnum eſt vbicunque eſt alterum, perſonalem vnionem poni neceſſariò: ac viciſſim, ſicut antè oſtẽdimus, etiãſi vbicunque vnum eſt, non ſit alterũ, vnionem perſonalem neceſſariò non dirimi, ſed tum demum quum quod vnum erat, in duo vel plura diſſoluitur. Sicut autem quodcunque adeſt alicui non cum eo vnitur, ita etiã quodcunque non vbique cum altero eſſe dicitur, ab eo propterea non ſeparatur.

Præterea, non libenter admittimus iſtam loquutionem, *Filium Dei fuiſſe in Filio Mariæ.* Apud Paulum legimus, Deus erat in Chriſto mundum reconcilians ſibi, nempe ſicut accipitur Dei nomen quum in proximè præcedentibus ſcribitur, Deus nos reconciliauit in Chriſto. Chriſtus etiam ſeſe paſsim filium hominis, id eſt, hominem vocat: quod etiamſi interpretemur Filium hominis, id eſt Mariæ, tamen id Brentio non ſuffragabitur, quoniam non ſimpliciter ita ſignificabitur homo, ſed Deus in carne manifeſtatus. Brentius verò quũ illo modo loquitur, nihil aliud quàm humanã

naturam

naturam ſeorſim ſignificat. Itaque quum Filium Dei in Filio Mariæ fuiſſe dicit, videtur planè duos filios cum Neſtorio facere, niſi fortaſſis aliter ſentit, aliter ſcribit, quum minimè ignoret quid de his particulis, ἐν, σὺν, & μετὰ ſenſerit orthodoxus Cyrillus in anathematiſmi octaui defenſione.

Aliud Brentij primarium argumentum eſt huiuſmodi, *Si ratio vnitatis perſonæ in Chriſto non eò ſe extendit vt diuinitas Chriſti vbique habeat humanitatem quam aſſumpſit cõiunctam, & indiſſolubili nexu copulatam, quid aliud ſequeretur quàm quòd Chriſtus vno tantùm loco Deus eſſet, & homo, in omnibus autem alijs ſolummodo Deus? An non eſt hoc clarè, apertè & manifeſte duas facere perſonas?*

Diuinitatem Chriſti vbicunque ipſa ſit (id eſt vbique) habere ſibi inſeparabiliter coniunctam eiuſdem humanitatem nemo noſtrûm vnquam eſt inficiatus, non modò quia hæ duæ naturæ (ſicut dicit Brentius) ſunt in eo copulatæ indiſſolubili nexu, ſed multò magis quia quum natura diuina ſit infinita, nõ cohæret ὁ λόγος cum humana in aliquo ſui puncto, ſicuti in corporibus abſque permixtione vnitis accidit, imò (ſicut pulchrè & verè ſcripſit Athanaſius (*non eſt alligatus corpori, ſed ipſe corpus continet, vt & in eo ſit & extra omnia & in ſinu Patris: neque tamen quum ὁ λόγος eſt in omnibus, fit pars aliorum, ſed omnia vitam ſuſtentationémque ab eo accipiunt*. Sit igitur anathema, ſi quis dicit vel in cælo vel alibi vſpiam ita eſſe diuinitatem vt non habeat ſecum, non dico ſimpliciter coniunctam, ſed verè & eſſentialiter & perſonaliter vnitam humanam ſuam naturã. Quidni enim ſic loquar, quum illam effecerit ſuam in æternum? Sit item anathéma qui Chriſtum diuidens, negat Chriſtum totum, id eſt Deum & hominem, vbique eſſe. Sed quod hinc colligit Brentius, ibidem eſſe humanitatẽ vbicunque fuerit diuinitas, & putat has duas enuntiationes æquipollere, *Chriſtum Deum & hominem vbique eſſe*, &, *Chriſtũ ſecundum diuinam & humanam naturam vbique eſſe*, id verò non ſinit nos credere carnis Chriſti veritas, infinitis penè Scripturæ teſtimonijs confirmata.

Videamus ergo quantopere iſta inter ſe differant. Obſecro, an idem eſt totum quod pars? Minimè profectò. Quid ſi partes diuerſæ naturæ ſint, & tamen ad vnum quippiam ſimul conſtituendum coniunctæ, an quod toti ſimul & complexim conſiderato conuenit, ſingulis partibus ſeorſim applicabitur, aut quod vnius partis proprium eſt, alteri attribuet? Quid ſit ad iſta reſponſurus Brentius neſcio: ſed quid ſentiamus, ingenuè dicam. Ex eo verò vel ex quouis alio non pigebit nos dicere ſi qua in re hallucinemur, quanuis quod docemus in noſtris Eccleſijs temerè non docemus: ac illi viciſſim conſtituendum eſt, nos temerè ab ipſo non diſſentire. Si proferam exempla à communibus rebus petita, ſtatim reclamabitur res planè diſſimiles à nobis conferri. Non ignorat tamen hoc feciſſe eos ipſos quibus hanc doctrinam ſecundum Deum debemus, Athanaſium dico in primis, & Auguſtinum, qui in hoc præſertim argumento, non modò exortas ſed etiam mox exoriendas hæreſes ex Dei verbo planè ac perſpicuè compeſcuerunt: deinde Cyrillum, Theodoretum, & Leonem ipſum Romanum epiſcopum, quibus tamen non aſſentirer, niſi ex Dei verbo totum iſtud argumentum expoſuiſſent: iſtos, inquam, minimè ignorat vſos fuiſſe exemplo hypoſtaticæ vnionis corporis & animæ in hoc argumento, minimè id quidem vt ſimilitudinem ipſi rei parem facerent, (quis enim ignorat longè aliud eſſe μυστήριον vnionis τοῦ λόγου & carnis, quàm animæ & corporis?) ſed vt quæ ſit in ſeſe hypoſtatica vnio declararent. Non pigebit ergo ſequi illorum veſtigia. Quũ Chriſtũ nomino, vnum dico ὑφιστάμενον: & duas ſimul vnitas naturas, quanuis diuerſiſſimas, τὸν λόγον ἀΐδιον videlicet, & totam humanam naturam, id eſt ex vera humana anima & vero corpore humano conſtantem, intelligo. Eſt igitur in vnico & eodem Chriſto duplex vnionis hypoſtaticæ exemplum, vnum in corpore & anima ſimul vnitis, alterum in τῷ λόγῳ & homine ad vnum Chriſtum perſonaliter conſtituendum coeuntibus. Non poteſt igitur à Chriſto alienum videri argumentum quod ab hypoſtatica animæ & corporis vnione ſumitur, ad explicãdam alteram illam, magis quidem arcanam, ſed genere tamen eandem vnionem. Cedò igitur, an res eſt eadem corpus & anima Chriſti? minimè profectò, ac multo minus etiam idẽ eſt atque illa duo ὁ λόγος ille æternus. Nõ ſunt igitur res eadem totũ & pars, in ijs præſertim quæ non tantùm numero, ſed etiam ſpecie differunt. Sed quum illa omnia perſonali vnione coaluerint, an non quod proprium eſt vnius partis, toti ipſi ὑφισταμένῳ accommodare fas erit? Ita certé. Dicimus enim Chriſtum fuiſſe hominem ſumma ſapientia præditum, & tamen hoc certè non conuenit corpori, ac ne τῷ λόγῳ

quidem ipſi ea ratione qua animæ tribuitur. Dicemus etiam cum Paulo Chriſtum παθητὸν fuiſſe, imò etiam mortuum: & quis hoc audebit vel τῷ λόγῳ vel animæ tribuere: dicemus etiam illum omnia ab æterno ſciuiſſe, quod tamen neque carni neque animæ Chriſti conuenit. Ex his autem colligo de toto ipſo coniunctim conſiderato dici plurima quæ ſingulis tamen partibus tribui, & ab vna ad alteram transferri abſque blaſphemia non poſſint. Quis enim niſi blaſphemus, vel diuinam naturam mortuam, vel humanam naturā æternam fuiſſe dicet, quum tamen Chriſtum (quo nomine totum ὑφιστάμενον ſignificatur) & æternum eſſe & mortuum fuiſſe neceſſe ſit à nobis agnoſci? Sit enim hoc vnum exemplum pro omnibus.

Sed præterea peculiaris quædam vis eſt iſtius excellentiſſimæ & vni Chriſto proprię vnionis. Quoniā enim (quod illi vni datum eſt) ex duabus perfectis naturis, Diuina videlicet & Humana, perſonaliter vnitis conſtat, idcirco Deus & homo meritò dicitur: reliqui autem homines quoniam ex duabus quidem naturis, at non eiuſmodi vt perfectū aliquod ὑφιστάμενον poſſint per ſe componere: ideo non dicuntur Anima & corpus, quāuis ex anima & corpore conſtent. Etſi enim anima humana eſt natura quædam in ſuo genere, vt & corpus: tamen quia non in alium finem condita eſt anima quàm vt cum aliquo humano corpore vnum fiat, idcirco per ſe nō eſt perfectum aliquid, quod ipſum quoque eſt de corpore intelligendum. In Chriſto verò quoniam duæ perfectæ naturæ, ὁ λόγος videlicet & homo, coierunt, idcirco non tantùm in abſtracto, vt loquuntur, dicimus eum ex diuina & humana natura conſtare, ſed etiam velut in concreto (liceat enim nobis de Deo ex ipſius verbo balbutire, quum Scriptura non tantùm τοῦ Θεοῦ, ſed etiam τῆς θεότητος meminerit) Deum & hominem eum ſolum appellamus. Euenit igitur vt quoniam hæc duo perfectarum naturarum nomina, Dei videlicet & hominis, Chriſto toti inſeparabiliter competunt, idcirco quouis duorum illorum nominato alterum ſimul in Chriſto intelligatur, ac proinde quod vnius concreti non expreſſi proprium eſt, de altero non minus quàm de toto ipſo dici conſueuerit, quæ tamen loquutio ipſi abſtracto ſine blaſphemia tribui non poteſt. Itaque quoniam ſi Dei nomen Chriſto applicarim, ſtatim intelligitur ſic illum eſſe Deum, vt ſimul ſit homo (quia videlicet ſolus Chriſtus eſt perſonaliter & inſeparabiliter Deus & homo, nam alioquin ex vno non ſemper intelligeretur alterum) ideo non minus licebit nobis dicere *Deum eſſe natum, Deum comediſſe, bibiſſe, paſſum, mortuum, ſepultum eſſe, reſurrexiſſe, aſcendiſſe*, quàm homini hæc eadem tribuere, quum tamen certum ſit illa ſic eſſe humanæ naturæ propria, vt ſine blaſphemia non poſſint diuinæ tribui. E contrario, dicemus de Chriſto loquentes, *hunc hominem fuiſſe antequam eſſet Abraham, fuiſſe in cælo quum eſſet in terra, eſſe Dominum è cælo*, & cætera eiuſmodi, quæ tamen certum eſt ſoli æternæ & omnipotenti naturæ ſic eſſe propria, vt ei ſoli & ſemper conueniant. Cauſa autem iſtius ἀλλοιώσεως, de qua alibi etiam diſſeremus, ea eſt quam modò expoſuimus: quoniam videlicet Chriſtus quum ſolus ſit Deus & homo, & quidem inſeparabiliter, etiam ſi non nominetur illo Chriſti & Ieſu nomine quod perſonam ipſam propriè ſignificat, tamen totus etiam & ex Dei & ex hominis nudo nomine ſatis intelligitur. Neque id mirum videri cuiquam debet quum in ipſis etiam quibuſuis hominibus quiddam accidat non prorſus diſſimile propter hypoſtaticam duarum naturarum diſſimilium vnionem, nempe vt toti tribuatur quod tamen alterius duntaxat eſt partis: vt ſi homines voces Mortales, quum tamen ſolum corpus mori poſſit: & ratione præditos, quum tamen ſola anima ratiocinetur. An verò quum id facimus, vnionem naturalem animæ & corporis diſſoluimus? Minimè profectó. *Quòd ſi*, vt inquit Theodoretus Dialogo 3. *in animis & corporibus id facimus, quomodo non eſt miſerum, id in Seruatoris noſtri corpore facere recuſare, & naturas confundere quæ habent inter ſe differentiam, non quantam habet anima ad corpus, ſed quantum diſtat quod recens eſt, ab æterno, & quod factum eſt, ab eo qui fecit?*

Itaque, vt paucis concludam, concedimus vbicunque ſit ὁ λόγος (eſt autem vbi-
Heb.2.16 que) coniunctum eſſe cum eo inſeparabiliter ſemen illud Abrahæ, & viciſſim vbicunque eſt ſemen illud Abrahæ aſſumptum, vnitum eſſe cum τῷ λόγῳ. Ex hoc autem effici dicimus, vt vbicunque eſt Chriſtus, planè ſit totus Deus & homo. Neque enim pars diuinitatis adeſſe, pars abeſſe poteſt, quum ſit ἀμέριστος: & totam humanitatem ipſa in ſeſe continet, & alioqui niſi nobiſcum eſſet totus, quid nobis prodeſſet dimidius? Sit igitur hoc veriſsimum de toto ipſo vnito dictum, ſicut & illud, *Chri*

ſtum ante Abrahamum fuiſſe, quoniam vna eſt perſona Chriſtus, non autem quaſi ſingulis partibus conueniat quod de toto complexim dicitur. Nam neque corpus, neque anima Chriſti fuit ante Abrahamum, ſed is cuius eſt hæc anima & hoc corpus, ante Abrahamum fuit, ideóque de toto vnito dicitur quod parti ſeorſim conſideratæ ſine blaſphemia tribui non poteſt, quum vnus ſit æternus.

Inepta igitur fuerit cōſecutio iſta, *Chriſtus fuit ante Abrahamum, Ergo & diuina & humana eius natura fuit ante Abrahamum.* Dicimus autem non minus abſurdam eſſe hanc conſequutionem, *Chriſtus eſt vbique, Ergo Chriſti tum humanitas tū diuinitas eſt vbique.* Neque enim omnipræſentiam minus eſſe propriam diuinitatis quàm æternitatem arbitrabimur, donec contrarium nobis probetur.

Imò vt hanc quæſtionem aliò reiiciamus, non inficiabitur Brentius, ſi dixerim ſicut in Symbolo confitemur, *Chriſtum mortuum eſſe*, nō conſequi tamen Chriſtum eſſe mortuum ſecundum diuinam naturam. Concludo igitur non ſtatim diuidi Chriſtum ab iis qui quod toti tribuunt, in partibus tamen non concedunt.

Sed agè longius progrediamur. Si Deum gloriæ dixerim mortuum, an propterea diuinam naturam mortuam dixerim? Abſit. Ergo meminerit, ſi Filium hominis cōcedam eſſe vbique, ſicut in cælo dicitur fuiſſe quum in terris eſſet, non tamen concedi humanā naturā fuiſſe vbique. Etſi enim hominis Filius is eſt qui humana natura præditus eſt, & Deus qui eſt natura Patri ὁμοούσιος, tamē nefas eſt dicere naturā humanā eſſe diuinā, & cōtrà: quum tamen dicere liceat & oporteat, Deum eſſe hominē, & viciſſim hominē eſſe Deum: adeò inter ſe differunt, abſtractum & concretum, vt in ſcholis loquuntur.

Ergo, vt iam tertiò concludam, non valet illud eius argumentum, *Si humanitas nō ſit vbique, ſed tantùm certo loco, homo non erit vbique, ac proinde diuidetur perſona.* Nā etiāſi Chriſtus non eſt vbique quatenus homo, vbicunque tamen ſit, homo eſt: ac proinde nō diuiditur perſona. Quòd ſi ita colligeret, *Si humanitas non eſt vbicunque eſt Diuinitas, vt hodie in terris, ergo non eſt in terris vbique ſecundum vtramque naturam*, validum eſſet argumentum. quod etiam non inficiamur.

Quòd ſi ſubiiciat, *Ergo alicubi eſt tantùm dimidius*, negabimus, quoniam qui dimidiū dicit, in duas partes Chriſtum ſecat: qui verò alteram tātùm naturam præſentem dicit, eam tamen ab ea quæ eſt nobis abſens non protinus ſeparat. Itaque etiam ſi à nobis in terra verſantibus affirmamus ex Dei verbo, nunc abeſſe carnem in cælos ablatā, non tamen propterea τὸν λόγον vel ab ea vel à nobis ſeparatum eſſe dicimus. Itaque Chriſtum quamuis non ſecundum naturam vtramque, tamen ſecundum inſeparabilem perſonæ vnitatem totum præſentem poſſidemus.

Nec aliter tota loquuta eſt vetuſtas. Nam Synodi Chalcedonenſis, quæ de hac controuerſia aduerſus Eutychen ex verbo Dei conſtituit, hæc verba ſunt:

Profitemur vnum & eundem Ieſum Chriſtum Filium & Dominum vnigenitum in duabus naturis inconfusè, incommutabiliter, indiuisè, inſegregabiliter cognitum, ac deprædicatum, haud quaquam naturarum differentiam vnione tollēte, ſed potius proprietatem vtriuſque naturæ conſeruante, quæ in perſonam & ſubſtantiam vnam concurrit, &c. Nicephorus lib. 15. cap. 6.

Hanc eſſe ſummam Apoſtolicæ & Catholicæ doctrinæ de duarum naturarum vnione perſonali, inter nos conuenit: ſed quomodo verba illa exponenda ſint, video inter nos non conuenire, adeò ſubtilis eſt Satan in iis etiam quæ clariſſima ſunt, obſcurandis.

Duæ ſunt, inquit Brentius, *iſtius decreti præcipuæ partes: vna, quod duæ naturæ ſint vna perſona, inconfusè, immutabiliter, indiuisè, inſeparabiliter. Altera, quod propter hanc vnionē non auferantur, ſeu aboleantur proprietates naturarum. Hæc ſunt ita intelligēda non vt ſecū ipſa pugnent, nec vt altera pars alteram deſtruat, ſed vt ſibi probè conſtent & conueniant.*

Reſpōdemus, nobis videri non ſatis rectè quod vnū eſt, in duo diuidi. Quam enim vocat alterā partem, nos nihil aliud eſſe dicimus quàm prioris expoſitionē. Quum enim vnum Chriſtum conſtare dixiſſet Synodus ex duabus naturis inconfusè, immutabiliter, & indiuisè coniunctis, ſubiecit expoſitionem, ſic nimirū vniri naturas vt ſuā differentiā ſuáſque proprietates ſingulæ in vna perſona conſeruent. Itaque hæc verba, *In vnā perſonam & ſubſiſtentiam*, declarant illa aduerbia, *indiuisè & inſeparabiliter*, aduerſus Neſtoriū: iſta verò, *naturarum differentiam non tolli hac vnione, ſed earū potius proprietatē ſic conſeruari*, explicant quid ſit illud *inconfusè & immutabiliter*, cōtra Eutychetis blaſphemiā. Iſta igitur non ſatis rectè diuidi arbitramur. Sed vtcunque ſit, etiam ſi non duæ tantùm, ſed etiam vel tres vel plures partes conſtituantur, aſſentimur ſic eſſe iſta explicanda, vt

ſeſe mutuò non euertant. Quis autem euertat, agè, conſideremus.

Pag. 17. & 18 *Cingliani* (inquit ſuo more Brentius, cui Dominus hoc quoque condonet, quò nos ſectarios faciat) *iſta ſic interpretantur vt poſterior pars priorē aboleat. Dicūt enim, In Chriſto vnaquaque natura ſeruat ſuas proprietates ſaluas.* Sanè hoc dicimus. *Proprietas autem humani corporis eſt eſſe in loco localiter.* Hoc quoque dicimus. *Ac ne omnipotentia quidem Dei fieri poteſt vt corpus humanum nō ſit, ſalua ſua ſubſtantia, in loco localiter.* Hoc verò nimiùm inuidioſè profert, perinde acſi omnipotentię Dei quicquā detraheremus. Omittit enim quod adiicere ſolemus, id fieri non aliqua Dei impotentia, ſed propter ipſam rerum naturam cuius ipſe eſt author ac cōſeruator: ſicut quum illum nec peccare, nec mutari poſſe dicimus, non tamen propterea omnipotentiam ei detrahimus.

Deinde ſubiicit: *Quare duæ naturæ in Chriſto non ſunt perſonaliter iuxta ſententiā Cinglianorū vnitæ, niſi vno in loco: in alijs autē omnibus locis ſola eſt diuinitas abſque humanitate.* Hæc verò ſunt Brentij, non noſtra. Quoniam autem illi nō videntur perſonaliter vnitæ naturæ, niſi eodem loco vna & altera ſtatuatur: idcirco non ex noſtro, ſed ex ſuo ipſius ſenſu cōcludit, quod nobis nunquā in mētem venit. Cogor igitur repetere, quod iam toties inculcaui, aliud eſſe diuidere Chriſtum, aliud ſigillatim conſiderare naturas. Obſecro, an quia quum Sol eſt in Hiſpania, abeſt ab India, idcirco Solem à ſuo cælo ſeparo? an ſi pedem habuerim intra domum, caput verò in platea extra domum iaceat, idcirco corpus meum diuiſum eſt? an quia Chriſti carnem quum in terris eſſet cælo abfuiſſe, & nunc in cælos ablatam à nobis abeſſe dicimus, idcirco à Diuinitate quæ nobis & vbique præſens eſt eam ſeparamus? Minimè certè, quum nihilominus ſit cum ea vnita.

Et hoc eſt, inquiet, *quod dictū volo, ex veſtra videlicet ſententia, alicubi eſſe ſolā diuinitatem, ac proinde ſolui perſonam.* Reſpōdemus, diſtinguendā eſſe vocem *Sola*. Nam ſi Brētio *Sola* idē declarat atq; *per ſe*, ita vt aliquo in loco, putà in terris & hoc mūdo, nō ſit Chriſti humanitas, cōcedimus: nec propterea perſonam magis diuidimus, quàm quum dicimus Chriſtum eſſe quidem paſſum, ſed carne, non autem Verbo: ſed & mortuum quidē eſſe corpore, nō autem Verbo vel anima. Sin autem ſolam vocat quæ ab humana natura ſit reipſa ſegregata, Neſtorianorum eſt hoc commentum, quod toto animo deteſtamur. Etſi enim humanam naturam à nobis in cælos diſceſſiſſe, ac proinde nobiſcum nō eſſe, ex verbo Dei affirmamus, vt qui peregrè ab eo abſimus, ac proinde cupiamus diſſolui & eſſe cum eo: tamen abſit vt eum qui nobiſcum eſt, vel hominem tātùm, vel Deum tantùm vſpiam eſſe exiſtimemus, quoniam vnus eſt Chriſtus & Dominus noſter. Itaque nec falſam, nec indiuiſæ & inſeparabili vnitati perſonæ Chriſti repugnantem illam verborum Synodi interpretationem arbitramur. Brentius verò nos in ſuam expoſitionem viciſſim inquirere (vt ſperamus) moleſtè non feret, quò magis eluceſcat veritas.

Quòd, inquit, *Synodus Chalcedonēſis dicit in vnitate perſonæ Chriſti retineri proprietates naturarum ſaluas, non eſt intelligendum de proprietatibus accidentarijs, ſed tantùm de proprietatibus eſſentialibus, ſeu de ipſa naturarum ſubſtantia. Nuſquam (inquit Synodus) ſublata eſſentia naturarum. In hac enim vnione, eſſentia ſeu ſubſtantia diuinitatis manet ſalua, incolumis, & immutata. Quæ autem accidunt eſſentiæ humanitatis (quod genus eſt, eſſe mortalē, eſſe corruptibilem, eſſe album aut nigrum, eſſe in loco, eſſe veſtitum, & infinita alia) ea, vt ſunt mutationi obnoxia, ita ſi auferuntur, non aboletur ſubſtantia. Quare decretum Chalcedonēſe ſic eſt intelligendum vt vtraque pars eius maneat vera, & altera alteram nō infirmet, ſed cōfirmet, videlicet duas diuinitatis & humanitatis naturas ſeu ſubſtantias, eſſe quidem inter ſe, inter ſe (inquam) ita diſtinctas, vt nulla earum in Chriſto, in alteram mutetur vel aboleatur: in perſona autem Chriſti, ita indiuiſè & inſeparabiliter vnitas vt nullis vnquam locis, nullis locorū ſpatijs à ſe inuicem ſeparentur, & in duas perſonas diſtinguantur. Itaque neceſſe eſt vt vbicunque fuerit diuinitas Chriſti, ibi habeat ſecum aſſumptam ſuam humanitatem.*

Primùm reſpōdeo, Verba illa Synodi quæ citat, Nuſquā ſublata eſſentia naturarū, nō ex fonte, ſed ex lacunis hauſit. Itaque Græca ipſa proferam, quæ reperire potui in Euagrij hiſtoria Græcè edita, lib. 2, cap. 4. ὁμολογοῦμεν ἕνα καὶ τὸν αὐτὸν Ἰησοῦν Χριστὸν υἱὸν κύριον μονογενῆ ἐν δύο φύσεσιν ἀσυγχύτως, ἀτρέπτως, ἀδιαιρέτως, ἀχωρίστως γνωριζόμενον, οὐδαμοῦ τῆς τῶν φύσεων διαφορᾶς ἀνῃρημένης διὰ τὴν ἕνωσιν, σωζομένης δὲ μᾶλλον τῆς ἰδιότητος ἑκατέρας φύσεως, καὶ εἰς ἓν πρόσωπον καὶ μίαν ὑπόστασιν συντρεχούσης. Videt ergo pro eo quod ſcribit eſſentiā, οὐσίαν, ſcribi διαφορὰν φύσεων, differentiā naturarū. Deinde & illud cōſiderandum erat, cur φύσεως potius quàm οὐσίας nomine vſi ſint in hoc argumento orthodoxi illi Patres. Etſi enim Naturæ nomē ipſi interdū eſſentiæ συνώνυμον eſt, tamen communis vſus

oſten-

oſtendit φύσιν ſic diſtingui ab οὐσίᾳ vt præter materiam atque adeò præter ipſum *Eſſe*, cõplectatur etiam ſpecificas ipſas formas, quæ diſtinctio καταχρηστικῶς in ipſa etiam diuina οὐσίᾳ locum habere vel ex eo intelligitur quòd quum diuinam naturam dicimus, ſimul quædam eius, vt ita loquar, attributa animo concipimus, quiddam videlicet quod non modò ſpiritualiſſimum ſit & ſecretum ab omni materia, ſed etiam æternum, omnipotẽs, iuſtiſſimum, omnibus denique modis abſolutiſſimum. Sic etiam humana natura, non tantùm corpoream & ſpiritualem eſſentiam, ſed ipſas etiam ἰδιότητας illius proprias cõplectitur. Cur enim, obſecro, fieret in illo Decreto mentio non confuſarum proprietatum, niſi ad explicandam vocabuli Naturæ ὁμωνυμίαν, & exponendum illud quod priore loco dictum erat, Chriſtum in duabus naturis non tantùm inſeparabiliter, ſed etiam inconfuſè conſiderandum? Itaque in eo illi planè aſſentimur, quòd vitandam dicit ipſarum ſubſtantiarum tum confuſionem, tum etiam ſeparationem: ſed cui tandem perſuadebit nominibus differentiæ & proprietatis, quam ipſe eſſentialem vocat, nihil aliud quàm ipſam naturam, id eſt rerum ſubſtantiam intelligi? Quorſum enim iſtam minimè neceſſariam ταυτολογίαν? & cur tandem planius illud nomen Naturæ aliõ obſcuriore exponeretur.

Sed vt omnia iſta omittam, illud certè neceſſariò fatendum eſt, erroribus Eutychetis opponendam eſſe Synodi veritatem ex Dei verbo depromptam. Quid igitur? Eutyches, & poſtea vocati Monophyſitæ, & Monothelitæ, an dũtaxat ipſam naturarum ſubſtantiam confundebant? Imò etiam proprietates ipſis naturis inhærentes, vt qui τὸν λόγον facerent à conceptione viſibilem, paſſibilem, atque adeò mortalem: à reſurrectione verò corpus incircũſcriptum, ac planè deificatum imaginarentur. Duplex enim omnino confuſio ab Eutyche conſtituebatur, nec in vna tantùm, ſed in vtraque reprehenſibilem illum fuiſſe tum Synodus ipſa, tum verò in primis qui Synodo ipſi præfuerũt, ſuis ſcriptis demonſtrant. Quúmque ſit error ille vterque à plurimis refutatus, cuperemus vel vnum nobis à Brentio demonſtrari, qui proprietates omnes diuinitatis ſcripſerit cũ humana natura communicatas, vel contrá. Res enim ſunt planè diuerſæ, dicere *Deum gloriæ eſſe crucifixum*, *Filium hominis fuiſſe in cælo quo tempore cum Nicodemo loquebatur* (quæ nos minimè inficiamur, vt paulò antè oſtendimus:) quàm ſi dicas vel *diuinam naturam paſſam eſſe*, vel *humanam naturam fuiſſe ſimul in cælis & in terra*, quæ neminem vnquam orthodoxum ſenliſſe affirmamus. Ex his autem efficitur proprietates naturarum non rectè pro ipſa earum ſubſtantia exponi.

Quòd ſi roget, an nullum igitur diſcrimen inter proprietates illas & ſimplicia quęuis accidentia conſtituamus: reſpondemus, non aliquod tantùm, ſed etiam longè maximũ diſcrimen à nobis inter iſta conſtitui, vt qui ſatis ſciamus Chriſtum iam omni depoſita infirmitate regnare. Sed quædam accidentia ſic dicimus inhærere rebus, vt quum illa non poſſint niſi cum rebus ipſis tolli, meritò dicantur proprietates ſubſtantiales, ac reipſa prorſus ἀκοινώνητοι. Quo autẽ iure *Eſſe in loco* neget ſubſtãtialem eſſe Corporis proprietatem poſtea viderimus.

Denique quos tandem Synodi Chalcedonẽſis interpretes meliores & certiores inueniemus quàm eoſipſos qui optimam operam in eo nauarunt? Leonem illum dico, & tandem quoque Theodoretum Cyrenſem, acerrimum vtrũque veritatis aduerſus Eutychen defenſorem. Sed & ex Cyrilli ſcriptis non tantùm Neſtorianum, quod tum præcipuè oppugnabatur, ſed etiam Eutychianum dogma, quod poſtea exortum eſt, fuiſſe in illa Chalcedonenſi Synodo damnatum, acta ipſa teſtantur. Iſtos autem omnes non tantùm ſubſtantiarum, ſed etiam proprietatum inhærentium confuſionem damnaſſe, & inter illas proprietates Circumſcriptionem, &, vt ita loquar, localitatem recẽſuiſſe ex prolatis eorum teſtimoniis ſatis ſupérque ab aliis probatum eſt.

Rurſus obiicit Brentius, *Ex Synodi decreto ſic vnitas naturas, vt nullis locorum ſpatÿs à ſe ſeparentur, & in duas perſonas diſtinguantur:* quod nos vt verè & orthodoxè dictum amplectimur. Sed quod inde colligit, *vbicunque eſt diuinitas* (eſt autem vbique) *ibi etiam eſſe humanitatem*, id verò pernegamus, quoniam, vt ſæpiſſimè iam demonſtrauimus, neque hoc ex illo conſequitur (quum nihil impediat ne in rebus quidem naturalibus perſonaliter vnitis, nedum in iſta finiti cum infinito vnione, quo minus vnum ſit, cuius tamen partes eodem ſimul loco non ſint) neque nos ita ſentire patitur humanæ Chriſti naturæ veritas, ſaluis ſuis proprietatibus eſſentialibus diſtincta.

Monet poſtea *vnionem perſonalem in Chriſto non eſſe iuxta anguſtias humanarũ artiũ,*

ſed iuxta majeſtatem cæleſtis doctrinæ conſiderandam. Nos verò planè aſſentimur Apoſtolo clamanti, Magnum hoc eſſe pietatis myſterium, quòd Deus ſit in carne manifeſtatus. Ecquis enim, non dico hominum, ſed etiam Angelorum vel quomodo id ſit factũ, vel quæ ſit vnionis iſtius gloria, quæ ſit denique iſta latitudo, longitudo, profunditas, & ſublimitas aſſequetur? Hæc, inquam, omnia concedimus, neque hæc arcana ſcrutamur, ſed adoramus. Sed an inde conſequitur, quia vnita eſt natura humana diuinæ, idcirco (vt Brẽtius loquitur) omnipræſentialem & omnimaieſtuoſam factam? Nos iſta quidem non diuina arcana, ſed humana portenta vocamus.

1.Tim.3.16.

Tandem accedit Brentius ad perſonalis vnionis deſcriptionem, his verbis conceptã. *Quum dicitur Deus, ſeu filius Dei aſſumpſiſſe aut vniuiſſe ſibi hominẽ, ſeu filiũ hominis perſonaliter, nõ id ſolùm ſignificatur, quod Deus ſubſtãtia ſeu eſſentia ſua exiſtat in hominẽ, & conferat aliquot dona ſua in hominẽ (ſic enim dici poſſet quod Deus vniuiſſet ſibi perſonaliter nõ tantùm ſemẽ Abrahæ aut filium Mariæ virginis, verùm etiã quẽuis hominẽ, imò quãuis creaturã, implet enim cælum & terrã, & cõfert ſua peculiaria dona in quanuis creaturã) ſed illud propriè ſignificatur, quòd Deus ita ſe cõiungat & vniat cum homine, vt in ipſum omnẽ maieſtatẽ ſuã cõferat, nec eum vno tãtum & altero, aut etiam multis, ſed infinitis, adeoq́; omnibus, omnibus, inquam, ſuis cæleſtibus ac diuinis donis ornet: quod beneficium nulli alteri creaturæ, ac ne Angelicæ quidẽ, ſed ſoli ſemini Abrahæ, quod eſt Ieſus Chriſtus, Dominus noſter cõtigit.*

Hæc autem ſi vera ſunt, *Vniri* ſimpliciter acceptum, idem declarabit atque implere aliquid ſua eſſentia, & aliquot præterea dona cõferre: *Vniri* autẽ *perſonaliter*, ſignificabit, implere quoque ſua eſſentia, ſed præterea, omnibus ſuis donis aliquid ornare. Ego verò te obteſtor, Illuſtriſs. princeps, per eum Ieſum Chriſtum de cuius gloria ſcio te laborare, vt ſi nobis, quos tui pro hæreticiſſimis damnant, conſtituiſti nõ credere, ſaltem quaſcũque voles ſcholas interroges, an hæc ſit vnionis perſonalis definitio, ſicut ex Dei verbo illam iam inde ab initio collegit & conſeruauit Eccleſia. Papiſtas noſti non tantùm corporalem præſentiam Chriſti cum pane, ſed etiam tranſſubſtantiationem tueri, quos proinde maximè oportuit corporis Chriſti omnipręſentiam etiã extra ſacramentum defendere, & tamen non recuſamus quin illi ipſi pronuntient an illa ſit perſonalis vnionis definitio. Dicam autem quod niſi tam verum eſſe comperias, quàm verum eſt, vnum eſſe Chriſtum Dominum, non duos, pariar, Illuſtriſs. princeps, omnium hæreticorum hæreticiſſimus haberi, traduci, & ex ipſo etiam mundo profligari. Diuinam eſſentiam nõ tantùm Filij, ſed etiam Patris & Spiritus ſancti, ipſaſque adeò in vna illa ſingulariſſima deitate ſubſiſtentes perſonas, omnia verè & incomprehenſibiliter implere nemo negarit, niſi qui Deum infinitum eſſe inficiabitur: vniri autem hypoſtaſin Patris aut Spiritus ſancti vlli creaturæ, nego & pernego. Incomprehẽſibilem eſſe vel ipſis Angelis plenitudinem gratiarum quibus ὁ λόγος aſſumptam carnem repleuit, qui negarit, anathema ſit. Dicere verò, hoc eſſe diſcrimen vnionis τοῦ λόγου & naturæ humanæ in Chriſto, & vnionis Dei (quam ſtatuit Brentius) cum reliquis hominibus, quòd Deus & illum quidem & iſtos præſens impleat, ſed in illum omnia ſua dona, in iſtos verò certa tantùm dona conferat, planè exhorreſcimus, quoniam Neſtorianum eſt Chriſtum diuidere: diuiditur autem Chriſtus etiam ab iis qui vbique ſimul omnipræſentes naturas ſtatuunt, niſi vnionem perſonalem longè alia in re quàm in donorum, etiam omnium, collatione ſtatuant. E contrario verò dicere τὸν λόγον, omnibus, omnibus (inquit Brentius) id eſt, vt ego accipio, omnibus ſine exceptione donis ſuis carnẽ aſſumptam ornaſſe, planè Eutychianum eſſe dogma ſcribo & affirmo, & Dei gratia fretus, ita id eſſe bona conſcientia defendam.

Quid ergo eſt (dicet aliquis) perſonaliter vniri? Certè hoc nõ eſt implere aliquid ſua eſſentia, non eſt vel aliquot vel etiam omnia ſua dona communicare, non eſt denique ſeſe inſeparabiliter cum alio coniungere, ita etiam vt vbicunque ſit vnum, ſit & alterum. Poſſe enim omnia hæc fieri abſque perſonali vnione, ſic demonſtratur. Deum Patrem & Spiritum ſanctum omnia implere, nec tamen perſonaliter cum re vlla vniri, ſolum autẽ τὸν λόγον ſic omnia implere vt tamen cum ſola aſſumpta carne perſonaliter ſit vnitus, omnes ſatis norunt. Aliud eſt igitur perſonaliter vniri, quàm eſſentia ſua cuipiã adeſſe vel aliquid implere. Collationem autem donorum ſiue omnium ſiue non omniũ longè aliud eſſe quàm perſonalem vnionem, vel ex eo apparet quòd in perſonali vnione dona quidem ab aſſumente in aſſumptum dicuntur conferri, ſed præterea ipſæ naturæ dicuntur vniri: ex quo conſequitur naturarum ipſarum vnionem à donorum col-

latione

latione ptotſus diſtingui, quanuis perſonalem vnionem, vtpote arctiſſimam, amplior donorum collatio quam ſimplicem aliquam coniunctionem conſequatur.

Et, quæſo, quis non videt, ſi vniuerſalis omniũ donorum collatio, perſonalis eſt vnio, conſequi vt aliquot etiam donorum collationem, quanuis non tam perfectam, tamen aliquatenus perſonalem vnionem eſſe dicamus? Conueniunt enim hæc duo in genere, & ita quidem vt non alia ratione differant quàm ſecundum plus vel minus, quod dogma planè eſt Neſtorianum: quoniam, non obſtante illa collatione donorum ſiue particulari ſiue vniuerſali, duo iſta manebunt duo ὑφιστάμενα. Atqui neque Petrus, ſi fieri poſſet vt eueheretur ad ipſam dextram Patris, propterea dici poſſet eſſentialiter Deus & homo, ſed tantùm homo diuina maieſtate ornatus: neque Chriſtus etiam quum adhuc re vera mortalis, atque adeò verè mortuus & ſepultus eſſet, (quo tempore quieuiſſe in ipſo diuinitas, & quodammodo vim ſuam hactenus non exeruiſſe dicitur, vt mortem guſtaret) propterea Deus eſſe deſinebat. Aliud eſt ergo perſonalis vnio, aliud duuorum collatio ſiue particularis ſiue vniuerſalis.

Sed quid ſi duo ita coniuncta ſint, vt vbicunque vnum eſt ſit etiã alterum, an nõ hæc erit perſonalis vnio? Ne hæc quidem. Sumamus enim pro exemplo dæmoniacum quẽpiam. Quandiu dæmõ & homo coniuncti ſunt, vbicunque vnus eſt, ibi & alter ſit oportet. Sed an propterea perſonaliter ſunt vniti? imò ne vniti quidem. Nam ſi illud ita eſſet, ſicut Chriſtus propter vnionem perſonalẽ diuinæ & humanæ naturæ dicitur & eſt Deus & homo, ita etiam iſte propter diabolicæ & humanæ naturæ ſimilem vnionem diabolus & homo eſſet ac diceretut, quod falſum & abſurdũ eſſe nemo neſcit. Ergo ne illa quidem vnio eſt veriſſimè perſonalis, quæ facit vt vbicunque vnum eſt ſit etiam alterum. Nec obſtat, quòd iſta dæmonij & hominis coniunctio non eſt perpetua & indiſſolubilis. Nihil enim ad perſonalem vnionem facit vel perpetua vel temporaria duratio, quum nunc non minus ſit perſonalis vnio animæ & corporis ad conſtituendum vnum hominem, quàm aliquando poſt reſurrectionẽ futura eſt, quanuis illa ſit penè momentanea, iſta verò futura ſit ſempiterna.

Quænam igitur tandem illa eſt perſonalis vnio? in qua videlicet aſſumens natura eã quam aſſumit, ſuam propriam facit, ita tamen vt ſaluis proprietatibus vnum ὑφιστάμενον conſtituatur: ſicut ὁ λόγος & homo aſſumptus, vnicum Chriſtum, vnicum Dominum, vnicum Filium: anima rationis particeps & corpus humanum, vnicum quempiam hominem componunt. Inter iſtam autem arctiſſimam vnionem & ſeparatiunem hoc intereſt, quòd niſi aſſumens natura ſuam propriam effecerit illam quam aſſumit, duo ſemper manebunt duo ὑφιστάμενα, & hoc reſpectu iſta erunt & dicentur ſeparata, etiãſi ſimul in æternum vno eodémque loco fuerint: nec alius Neſtorij fuit error. In vnione verò perſonali quoniam aſſumpta natura fit aſſumentis propria, ſicut in Chriſto, caro facta eſt τοῦ λόγου ἀϊδίου caro, & vnumquodque corpus animatum fit animæ ſuæ propriũ corpus: idcirco quæ duo erant, re vera eſſentialiter vnum fiunt, non autem vel ex conſenſu, vel ſocietate, vel copulatione ex pacto, vt accidit in maris & fœminæ coniunctione. Et rurſus hæc eadem vnio à Cõfuſione eo differt, quòd in illa nõ tantùm ſaluæ, ſed etiã ſuis proprietatibus diſtinctæ manent naturæ, ac proinde toti compoſito non tantùm cõmune nomen Totius, ſed etiam ſingularum naturarum, vtpote quæ ſaluæ & diſtinctæ ſint, nomina tribuuntut. Ideo totum illud ὑφιστάμενον non tantùm Chriſtum & Ieſum (quæ appellationes toti perſonæ cõueniunt,) ſed etiã Deum & hominem vocamus, quia Deus & homo ſic vnum ſunt, vt ſit diſtinctè Deus & diſtinctè homo, diſtinctè, inquã, & eſſentia & proprietatibus. In cõfuſione verò fit quidem vnio, ſed ita vt toti compoſito ſolum commune nomen tribuatur, vt Mulſum, vocamus quidem Latinè Mulſum, quod eſt totius compoſiti nomen, & Græcè ὑδρόμελι: Mel autem, vel Aquam minimè, quoniã diſtinctè nec mel eſt, nec aqua, ſed vnum ex confuſis duabus naturis compoſitum.

Itaque, vt ſemel concludam, hac in re demum, quam in Brentij libro nuſquam inuenio poſitam, eſt perſonalis vnionis proprium diſcrimen, quo ſemel cõſtituto, facile fuerit totam controuerſiam dirimere, ſicut illo ſublato, neceſſe eſt, vel in ſeparationem, vel in confuſionem, id eſt, vel in Scyllam, vel in Charybdin, vel etiam in vtrunque malũ ſimul incidere. Hoc autem poſtremum, nempe vt vno eodémque dogmate & ſeparatio & confuſio introducatur, quum videatur euenire non poſſe, tamen nunc aſtutia Satanæ factum in hoc nouo dogmate arbitramur, quo confunduntur quidem proprietates cum Eutychete, eſſentiæ verò, quanuis ſimul vbique omnipræſentes ſtatuantur, tamen ſi perſonalis vnio in vniuerſali tantùm donotum collatione ponatur, te ipſa eum

Neſtorio diſſoluuntur. Expendemus tamen ſingula argumenta, bona fide deſcripta oppoſitis reſponſis, ex quorum collatione vtinam nobis omnibus donet Dominus veritatem ita perſpicere, vt in ea acquieſcamus.

Sic igitur Brentius: *Ecce virgo, inquit Eſaias, cõcipiet & pariet filiũ, & vocabitur nomen eius Immanuel. Quid hoc? An non quum crearetur Adam, quũ naſceretur vel Abraham, vel Moſes, vel Dauid, vel alius quiſpiã ſiue Patriarcha ſiue Propheta, nobiſcum erat Deus? Certè erat, & conferebat in Patriarchas & Prophetas varia & admiranda ſua dona: ſed nullus eorũ vocatus eſt Immanuel, ideo quod in nullum alium præterquam hunc hominem, omnem diuinitatis ſuæ theſaurum contulerit, & eò euexerit vt non ſolùm vnà ſecum vbiuis eſſet, & omnia gubernaret, verùm etiam vt quiſquis hunc hominem videret, verum Deum videret.*

Ego verò iſta rurſus non video quî non ſint partim Neſtoriana, partim Eutychiana. Vnionem enim perſonalem cuius reſpectu verè eſt & dicitur noſter ille Immanuel, ponere in Diuinitatis, id eſt (vt Brentius explicat) in donorum diuinitatis collatione, Neſtorianum eſt, ſiue eorum qui Chriſtum ſimpliciter θεοφόρον & θεόδωρον conſtituunt. Sin autem per omnem Diuinitatem, ipſam verbi hypoſtaſin Brẽtius intelligit, Eutychianũ eſt dicere eam eſſe, & quidem *Omnem*, in hominem collatã, quum potius dicere debuerit, vnitam fuiſſe carni diuinitatem, ſeu τὸν λόγον factum fuiſſe carnem, id eſt, ſic aſſumpſiſſe carnem noſtram vt ſuam eam faceret: ac proinde verè eſſet nobiſcum Deus. Quærit igitur Brentius, naſcente Immanuele quid noui ſit factum? Nempe impletum eſt arcanum illud ad quod ipſi etiam Angeli obſtupeſcunt, quòd tunc demum cœperit ὁ λόγος ſic habitare in homine, vt homo & Deus vnum eſſent. Itaque quòd dicit quicunque hominem illum videret, Deum vidiſſe, concedimus, modò intelligat Deum in carne viſum fuiſſe, nõ in ſua illa eſſentia, de qua dicitur, Deum nemo vidit vnquam. Quòd ſi iſtud non de vnitate perſonę, ſed de natura ipſa vel diuina vel humana diſtinctè cõſiderata intelligit, id quoque planè Eutychianum eſſe arbitramur, vt & illud quod addit, *hominẽ illum cum Deo vbiuis eſſe*. Iſtam autem conſecutionẽ, *Chriſtus eſt Immanuel, ergo vbicunque eſt eius diuinitas, ibi eſt & humanitas*, ne refutatione quidem putamus indigere. Sed hanc conſecutionem probaremus vt neceſſariam & orthodoxam: *Chriſtus vnus eſt & Immanuel, ergo vbicunque eſt Chriſtus, ibi eſt Chriſtus Deus & homo.* Atenim dices, nónne Chriſtus homo, & humana Chriſti natura idem declarant? Minimè, inquam, ſi propius rem inſpicias. Chriſtus enim homo, etiam ſi quatenus homo eſt, Deus nõ eſt, tamẽ quatenus Deo vnitus eſt, Deus etiam eſt: humana autem Chriſti natura ſiue per ſe, ſiue coniunctim conſiderata, nunquam diuina eſt natura. Itaque filium hominis etiam cum Nicodemo loquentem fatemur fuiſſe in cælo, ſecundum perſonæ vnitatem, id eſt, quia vnus & idem eſt Deus & homo: humanam autem eius naturam minimè. Item viciſſim Deum gloriæ agnoſcimus ex Paulo fuiſſe crucifixum, diuinitatem autem ipſius crucifixam abſit vt dicamus. Rectè igitur vetuſtas Mariam vocauit θεοτόκον aduerſus Neſtorium, diuinitatis autem matrem ne Eutyches quidem fortaſſe vocaſſet.

Pſal. 8. 7 Argumentatur rurſus Brentius à teſtimonio prophetæ, *Omnia ſubieciſti ſub pedibus eius: quod*, inquit, *tribuitur non tantùm diuinitati, ſed etiam humanitati, & quidem præſenti, & ita*, inquit, *vt pedibus ea contingat*. Deinde iſti teſtimonio adiungit etiam aliud ex Iohanne, *Pater amat Filium, & omnia dedit in manum eius.* Et tandem, *Si filius*, inquit, *omnia habet & ſub pedibus, & in manu, certè non abſens, ſed præſens ſit neceſſe eſt.*

Hîc verò, fateor me ita craſſum & ſtupidum eſſe vt nec pedem nec manum in toto iſtius Syllogiſmi corpore agnoſcam. Hæc quæ citat de tota Chriſti perſona dici & ipſe ſentio. Sed tamen propriè humanitatis reſpectu nouam ſubiectionem iſtam intelligi, nec τῷ λόγῳ competere, niſi quatenus manifeſtatus eſt in carne, nemo inficiabitur, niſi qui Filio velit non æternum ſed aduentitium regnum tribuere. Quòd ſi reſpondeat, hoc ipſum eſſe quod vrgeat, quæro primùm quid per manus & pedes intelligat. Nam ſi propriè hæc accipit, ſicuti ſanè verum eſt iſtis membris verè præditum eſſe noſtrum Immanuelem, miramur nõ potius in cælo ſupra omnia, quàm vbique ad omnium latus eum collocari cui omnia ſubiecta ſint.

Quòd ſi iſta Brentio nimiùm craſſa videntur, vt qui nec *ſuprà* nec *infrà* iã in Chriſto ne ſecundum carnem quidem agnoſcat, ergo ad poteſtatem hoc referat oportet, quod etiam poſtea declarat. Itaque miramur fieri poſſe vt Chriſto in cælis regnanti adeò difficulter tribuat quod nulli in terris domino denegaret, nempe vt etiam domi ſedens, omnes tamen ſuæ ditionis homines, ipſáſque adeò vrbes ſibi ſubiectas & in manu habere

meritò dicatur. Neque enim certè oblitus eſt illius prouerbii, An neſcis longas regibus eſſe manus?

Et quæſo, quæ eſt iſta carnis Chriſti maieſtas, ſi non poteſt niſi præſentibus dominari? & quæ eſt carnis Chriſti veritas, ſi implet omnia vt diuinitas?

Et tamen, ne nos exiſtimet Chriſti hominis regnum ſpacio illo corporis humani, quod anguſtiſſimum eſt, terminare, repeto quod antè dixi, concedere nos Chriſtũ non dimidium ſed totum, id eſt, Deum & hominem (abſit enim vt illum diſcerpamus) præſentiſſimum omnia gubernare. Sed quum paria eſſe putat, *Chriſtum hominẽ eſſe omnipræſentem*, (quod ſecundum perſonæ vnitatem veriſſimum eſt) &, *humanã Chriſti naturam eſſe omnipræſentem* (quod propter carnis veritatem verum eſſe nullo modo poteſt) nobis ſanè videtur non minus abſurdè loqui, quàm ſi viciſſim paria eſſe diceret, *Deum gloriæ natum, paſſum, crucifixum, mortuum, ſepultum, reſurrexiſſe, & in calũ aſcendiſſe* (quæ omnia qui non fatetur anathema ſit, quum perſonã diuidat) &, *Diuinã naturam natam, paſſam, crucifixam, mortuam, ſepultam, reſurrexiſſe & in cælum aſcendiſſe*: quas blaſphemias Eutyches ipſe vix auſus eſt palàm euomere.

Atenim, inquit, *quæcunque facit Pater, facit & Filius, cui vt homini Pater omne impe-* Ioan 5.19.
rium tradidit. Deus autem Pater omnia gubernat non longè diſtans, ſed propè adſtãs. Ergo & Filius præſentiſſimus eſt etiam humanitate ſua, & omnia ſic gubernat.

Ad hoc reſpondeo, locum illum Ioannis nihil prorſus ad rem facere. Ibi enim Chriſtus de operibus ſuis agens quæ calumniabantur aduerſarii, teſtatur à Deo Patre ſuo approbari quæ ipſe in terris faceret, adeò vt reprehendi nõ poſſent opera ſua, quin Deus Pater, quo authore omnia faceret, eàdem reprehenſione inuolueretur. Quorſum autem hæc ad omnipræſentiam? Sed, agè, hoc omittamus.

Si Brentio videmur naturas diſcerpere niſi quæcunque ſunt diuinitatis, illa quoque humanitati tribuamus, agè, dicat etiam diſcerpi à nobis hominem, niſi corpus quoque hominis dicamus intelligere, & reminiſci, quoniam animam iſtorum omnium potentem ſecum habet perſonaliter vnitam.

Sed (inquit) *Pater Filio tradidit omne imperium, quod non poteſt niſi de humanitate intelligi.* Hoc verò cõcedimus, ſed ita vt quum de gloria ipſius naturæ humanæ per ſe conſideratæ agitur, neceſſariò dicamus eum ſecundum eam ipſam ſerui formam in qua eſt honore & gloria coronatus, eſſe tamen minorem Patre, & ſicut dicit Auguſtinus li. 1. de Trin. cap. 8. *in quantum quidem Deus eſt, cum illo nos ſubiectos habeat, in quantum verò ſacerdos, nobiſcum illi ſubiectus ſit.* Hic autem honoris gradus quum naturã humanam non perimat, ſed exornet, nihil certè ſpectat ad omnipræſentiam illam quæ naturæ humanæ veritatem euertit. *Tolle enim* (inquit Auguſtinus, de corpore Domini loquens) *ſpacia corporibus, & nuſquam erunt, & quia nuſquam erunt, etiam non erunt.*

Sin verò agit de ſumma illa gloria quæ ſolius eſt diuinitatis, tribuimus etiam illam toti Chriſto, ſed ita vt totam eius perſonam coniunctim conſideremus, non autem humanam naturam per ſe, vtpote cui non ſit hoc ſummum imperium tributum niſi quatenus eam ſibi vniuit ὁ λόγος, non confuſis proprietatibus, cui hoc imperium tam eſt proprium & peculiare cum vno Deo Patre & Spiritu ſancto, vt in nullam prorſus creaturam trãsferatur. Itaque Chriſtum hominem quum τῷ λόγῳ vniretur, dicimus quidem factum iſtius infiniti imperii τοῦ λόγου participem, ſed non tamen ſigillatim quâ homo eſt, verùm quâ Deo vnitus eſt. Nam ipſi humanæ naturæ in ſeſe, ſiue ſui reſpectu, cõpetere hanc imperii, vt & naturæ, infinitatẽ negamus. Nec propterea diminuitur Chriſtus, quia, vt rectè ſcripſit Auguſtinus ad Felicianum, *aliud quidem eſt Dei filius, aliud hominis filius, at non alius.* Et idem li. de Trin. 1. cap. 13, *Dicimus*, inquit, *Dominum iudicare ſecundùm id quod Deus eſt, hoc eſt ex poteſtate diuina non humana: & tamen ipſe homo iudicaturus eſt, ſicut Dominus gloriæ crucifixus eſt.*

Poſtremò quid attinet aduerſũm nos diſputare, num Filius totus omnipræſens mundum gubernet, quum hoc minimè omnium negemus? Scimus enim eum totũ ad dextram Patris ſedere, & inde totum venturum ad iudicandum viuos & mortuos. Sed quia ſi à nobis abſens ſtatuatur humanitas (ſicuti corporis veritas poſtulat) colligit Brentius etiam hominem Chriſtum abſentem ſtatui, idcirco nobis obiicit quod nobis nunquã venit in mentem.

Aliud poſtea argumentum nectit ex iſtis locis, *Data eſt mihi oĩs poteſtas in cælo & in terra*, &, *Pater dedit omne iudiciũ Filio, & dedit ei poteſtatẽ iudicãdi, quia filius hominis*

eſt. Hac certè (inquit) *de humanitate eius dicta ſunt: & quid eſt omnipotentia, niſi poteſtas infinita? Quid autem maieſtatis non continetur nomine omnipotentiæ?*

Nos autem iam antea reſpondimus, non eſſe particulam illam *omnis* ſic accipiendã quum de naturæ humanæ glorificatione ſeorſim agitur, quin ὁ λόγος intelligatur ſupra eam infinitè eminere: ſicut ſi corporis motus ab anima fluens comparetur cum ipſa animæ vita, nemo non intelliget quantum ſit diſcrimen, quanuis vna ſit totius hominis cõiunctim cõſiderati vita. Sin aũt dè infinita illa maieſtate diuinæ naturæ propria diſſeratur, oſtendimus hæc & ſimilia dicta, quãuis toti perſonę propter eius vnitatẽ tribuãtur, τῷ λόγῳ tamẽ propriè & ſingulariter quadrare, vt quum homo aliquis ſapiens & intelligens dicitur, tribuitur quidẽ ſapientia toti homini, quoniã vnũ eſt, vt loquũtur, ſuppoſitum: ſed animæ, non autem corporis reſpectu. At ne videamur ipſi iſta comminiſci, quum eadẽ ſit adorationis quæ omnis poteſtatis ac maieſtatis ratio, audiamus quid de

Ioh.4.22. Phil.2.10. Chriſti vnius adoratione ſcribat Cyrillus, lib. de incarnatione vnigeniti, cap. 26. *Adorauit Chriſtus nobiſcum. Vos enim, inquit, adoratis quod neſcitis, nos adoramus quod ſcimus. Adeſt etiã adorãdus. Flectitur. e. ipſi oẽ genu. Hoc quoq; ſecundùm aliud & aliud Adorat. e quia naturã aſſumpſit qua debeat adorare: adoratur aũt porrò idẽ, quaſi maior adorante natura, eo quod intelligitur Deus: adoratione verò nõ eſt diuidendus in hominẽ ſeorſim, & in Deũ. Nec verò tanquã Deus cõiunctũ æqualitate dignatus ſit, diuiſit ſubſtãtiis, cũ ipſo adorari dicimus hominẽ (id. e. extremæ impietatis pleniſſimũ eſt) ſed vnũ adorandum, hominẽ factũ, & incarnatũ Dei verbũ.* Hæc igitur reſpondemus, ex quibus etiã intelligi poteſt quæ poſtea Brentius citat ex Iſaia de Dei maieſtate, pugillo aquas & cælos palma ponderantis, quũ ad Dei οὐσίαν atque adeò ad tres ipſas hypoſtaſes ſpectẽt, nihil ad rem facere. Nam de re prorſus diuerſa diſceptatur, nẽpe de carnis Chriſti non quidem diuiſæ, ſed diſtinctè cõſideratæ omnipræſentia, quã minimè patitur nos Brẽtio concedere ipſa carnis veritas: ipſe verò cur ſibi tribui poſtulat? nempe quoniam in iſta Omnimaieſtatis, quam vocat, communicatione perſonalem vnionem poſitam eſſe arbitratur. Atqui iam centies repetii, ne hac quidem conceſſa perſonalem vnionẽ ſequi, ſicut ea ſublata, non tollitur. Iam ad aliud argumentum accedo: quod eſt huiuſmodi.

Phil.2.9. *Paulus teſtatur eum donatũ eſſe nomine quod eſt ſupra omne nomen. Quódnã eſt illud? certè non naturæ, ſed ipſius creatoris Dei ſeruatoris. Sed an tantùm nomen ſinere ipſa cõmunicatũ ei putabimus? Nequaquã: Spiritus enim non imponit vacua nomina rebus. Vocabis nomẽ eius Ieſum, quia ſaluat populum à peccatis. Ergo quum non tantùm vocetur ſed etiã ſit Deus, Deus autem omnẽ habeat potentiam & omnia præſens gubernet, manifeſtũ eſt quòd & homo Chriſtus ſit omnipotens, & vbiuis coràm potentiſſimè regnet.*

Reſpondemus *Nominis* appellatione dignitatem ſignificari, eámque minimè inanem, ſed qualis eſt eius qui eſt ſupra omnia: neque in nomine *Iehoua*, (vt ſomniauit Oſiander) neque in his ſyllabis *Ieſus* inhæremus, quia rem ipſam conſideramus. *Ergo*, inquit, *non tantùm vocatur, ſed etiam eſt Deus, & quidem creator.* Si de perſona loquitur, concedimus: ſi de homine, non in ſeſe, ſed quatenus eſt Deo vnitus, id quoque concedimus. Sin vero de natura humana, hoc pernegamus: & ne ipſe quidẽ dixerit, opinor, humanam naturam eſſe omnium creatricem, vt quæ ante M. D. LXV. annos non eſſet in rerum natura, quum ipſemet pàgina ſui libri 13, eſſentiam diuinam, quam vult ſaluam & illibatã manere, deſcribens, hoc etiam addiderit quòd ſit creatrix, ſicut humana natura eſt creata. Humana igitur natura nec re nec nomine Deus erit, id eſt, creator, vt ipſemet definiuit. Vbi ergo illa vniuerſaliſſima *Omnimaieſtas?* niſi fortaſſe Creatoris nomen non putat ad Dei maieſtatem pertinere. Quòd ſi Creatoris nomen excipit, cur nõ & Omnipræſentis? an q; iſtud minus ſit eſſentiale quàm illud? Hoc verò nos doceat, & credemus. Sed donec iſta nos docuerit, negabimus ipſius cõcluſionẽ, Diſſolui Chriſtũ vel reliquis hominibus exæquari ab iis qui negant, non ipſius Chriſti Dei & hominis, ſed carnis Chriſti omnipræſentiam & omnimaieſtatem.

Sed dicet *ſe non de Deo creatore* (quod nomẽ humanæ naturæ tribui non poſſe ex ipſo oſtẽdimus) *ſed de Deo gubernatore agere.* Ego verò reſpõdeo, eiuſdẽ eſſe naturæ Gubernare oĩa, cuius eſt & Creare. Et rurſus hîc addo nos Chriſtũ hominem à mundi gubernatione, quę ſine exceptione ſit ſuprema, minimè excludere, quatenus idẽ vnus eſt, & homo & Deus. Sin loquitur Brẽtius de Deo ſeruatore (videtur enim hoc nomen ὁ λόγος quodammodo ſibi ἰδιοποιῆσαι,) hîc illi concedo, Seruatorem eſſe ac dici debere Chriſtum omnibus modis, ſiue totam perſonam complexim, cui vni competit Mediatoris,

toris,Regis,Prophetæ,& Sacerdotis æterni nomẽ,ſiue ſigillatim naturas ipſas cõſideret: quanuis inter illa quæ toti perſonæ congruunt, & qualdã ſingularũ naturarũ operationes diſtinguamus:quæ quum ſint non ita pridem aduerſus Stancarũ tũ à beatæ memoriæ Philippo Melanchthone,tum à Tigurinæ & huius Geneuenſis Eccleſiæ doctiſſimis paſtoribus copioſè & ſanctè explicata,pluribus nunc non perſequemur.

Sed iſta,quæſo,quorſum ad nmnipræſentiã?Vrget Chriſtũ eſſe omnipotẽtẽ.Quis hoc negat?Addit hoc datũ eſſe huius humanitati.Quid ſi hoc negatẽ cũ Ambroſio?Verùm aſſentior ſanè potius hoc datũ eſſe humanitati,ſed aſſumptione naturæ, id eſt, quia qui eſt omnipotẽs hãc carnẽ aſſumptã ſibi propriã effecit (ſicut oẽs ad vnũ orthodoxi perſonalem vnionẽ exponũt(non aũt iſtius incõmunicabilis proprietatis in humanã naturam collatione,id eſt,dignitatis ſiue authoritatis ęqualitate,quod dogma prorſus eſt Neſtorianum,vel proprietatum ipſarum communicatione,quod eſt Eutychianum.

Longè autem aliud eſt dicere,*hominem etiam eſſe Deũ,quia cũ diuina natura ſit vnus*, (quod concedimus,quia ſcriptum eſt,τὸν λόγον factũ eſſe carnem, id eſt,ſemen Dauidis aſſumpſiſſe)quàm *humanã naturã eſſe Deũ,ſiue in humanã naturã collatas eſſe omnes diuinæ naturæ proprietates*,quorum neutrum,vt ſpero,Brentius agnoſcet.

Cæterùm quoniã inter cætera id quoque Brentio obiectum fuit,nõ poſſe dici omnẽ maieſtatem Dei in carnem eſſe collatam quin humanitas ſtatuatur infinita,ac proinde amiſſa ſpecifica forma,in nihilũ redigatur:expendamus,quæſo, quid viciſſim opponat.

Fateor(inquit)*ita duas in Chriſto perſonas vnitas eſſe,vt qualibet ſuã proprietatẽ ſaluam retineat.Sed in hac loquutione nomẽ Proprietatis intelligendũ eſt, nõ pro inhærẽtibus Accidentariis,ſed pro ipſa eſſentia,aut pro proprietatibus ſubſtãtialibus. Ac de diuina quidẽ natura manifeſtum eſt quòd ſiue vniatur cum homine , ſiue per ſe conſideretur,nunquã in æternũ mutetur:oĩa enim in Deo ſunt eſſentia.Ego Deus,inquit,& non mutor. Humana autem natura duplicem habet conſiderationẽ.Vna eſt ſecundùm ſuã ſubſtantiam, quæ cõſtat ex corpore & anima.Hæc etſi per ſe mutationi eſt obnoxia (poſſet enim in nihilum redigi) tamen aſſumpta in Chriſto à diuina ſubſtantia in vnitatem perſonæ,nunquã in æternũ, nec in diuinam ſubſtantiã mutatur,nec in nihilũ redit. Alia conſideratio eſt ſecundùm accidentarias ſuas proprietates & conditiones huius mundi.quæ vt ſunt mutabiles , ita ſiue adſint humanæ ſubſtãtiæ,ſiue abſint ab ea,nihil derogant eſſentiæ: ſicut manet ſubſtantia hominis etiãſi erepta nigredine albedo ei daretur. Ad hunc modũ etſi in vnione perſonali illa,Humanitas accipiat dona Diuinitatis,non tamen annihilatur,aut in diuinitatem mutatur . Inhærentia enim ſiue abſint,ſiue adſint non mutant eſſentiam.*

In ſumma dicit Brentius,in hoc argumẽto,quum de perſonalis vnionis vi agitur,nomen proprietatis non ſignificare inhærentia accidentaria , ſed ipſam eſſentiam , id eſt proprietates ſubſtantiales,in diuina autem natura,omnia eſſe eſſentiam. At in humana aliud eſſe ſubſtantiam eius,id eſt corpus & animam,quæ nunquam in diuinam ſubſtantiam mutentur,vel in nihilum redigantur,aliud accidentia inhærentia, quæ ſiue adſint ſiue abſint eſſentiam non mutant.

Ad hoc reſpondemus,quod antè etiam demonſtrauimus,aliud eſſe rei eſſentiã,aliud eſſentiales proprietates,& neutrũ iſtorũ in perſonali vnione vel ſeparandũ eſſe cũ Neſtorio,vel confundendũ cũ Eutychete,qui damnatus fuit,nõ modò quòd ipſas eſſentias cõfunderet quũ Chriſtum negaret ab aſcenſione in cælum eſſe hominem: ſed etiã proprietates eſſentiales confunderet,quum diuinam naturam paſſibilem fuiſſe diceret.

Item ſi dictum illud,Omnia in Deo eſſe eſſentiam,ſic præciſè vrget Brentius vt nobis non liceat,ſicut in Scripturis loquuntur prophetæ & Apoſtoli, quędam Deo attribuere quæ non reipſa quidem ſed intellectu ab ipſius eſſentia quodammodò diſtinguamus: doceat nos,quæſo,quomodo ſalua manente diuinitatis eſſentia,*Omnis*,vt ipſe loquitur, diuinitas in humanitatem reipſa collata ſit , & quænam illa ſint dona diuinitatis, quæ quum ſint eſſentia Dei , tamen , ipſa ſalua & illibata permanente, in humanitatem ita conferantur,vt propterea Chriſtus homo ſit Deus.

Præteterea concedimus ſimplicia illa accidentia, veluti veſtitũ aut nudum, albũ vel nigrum, in hoc vel illo loco , ſuprà vel infrà eſſe,& ſimilia : imò etiam quæcunque ſunt humanæ imbecillitatis : & in genere quæ citra ſubiecti interitum adeſſe vel abeſſe poſſunt,à proprietatibus illis eſſentialibus eſſe diſtinguenda , ſicut antea ſuo loco diximus. Sed ex iſtarum eſſentialium numero eſſe affirmamus , finitũ & circunſcriptũ eſſe,quod ita ſit omnibus corporibus proprium & inhærens vt ſine loco ne eſſe quidem poſſint

corpora. Hoc autẽ ita eſſe qui negat, perinde illum facere dicimus acſi negaret bis duo eſſe quatuor. Certè non ignorat Brentius, ſi infinitas eſt Dei propria, cætera neceſſariò eſſe finita, quamuis non vno modo, quum ne ipſa quidem corpora vniuſmodi ſint. Quod autem finitum eſt vel ſuis finibus terminari, vel nullum eſſe finitæ & infinitæ eſſentiæ diſcrimen quis tandem inficiabitur?

Non ignorat etiam Patres omnes adeò facere Quantitatem propriam corporum vt ipſam diuinitatem dicant nõ effugituram circumſcriptionem, ſi *Quantum* in eam caderet. Quúmque tot manifeſta eius rei teſtimonia ipſi Brentio Petrus Martyr obiecerit, mirum eſt eum ſecurè illa omnia præterire, acſi ſatis ſit reſpondere, corpus Chriſti eſſe hypoſtaticè vnitum diuinitati: quaſi ſcilicet Dominus ipſe non dixerit Spiritus carnem & oſſa nõ habere, & quaſi hoc ferat veri corporis etiam ſummè glorificati natura vt ſit inuiſibile & omnipræſens, ac non repugnet tota Scriptura, quum corporis Chriſti diſceſſum & reditum commemorat. Cedò igitur probationes, alioqui non credemus.

Quoniam autem inter cætera negamus humanitatem eſſe tantæ, id eſt infinitæ maieſtatis, *hoc*, inquit Brentius, *nego: & iterũ nego adeóque pernego, quòd, etſi iuxta conditionem huius mundi finita eſt, tamen capax non ſit infinitæ Maieſtatis. An non teſtatur ſimul Scriptura, quod veritas humanæ eſſentiæ retineatur, ſimul verò quòd data ei ſit omnis poteſtas? Si quærant quomodo id fieri poſſit, reſpõdeo cum Cyrillo: Alterum culpa edocti, quũ Deus operatur, nõ quæramus, Quomodo: ſed operis ſui viã ac ſcientiã illi ſoli concedamus.*

Affirmat igitur Brẽtius, humanam naturã eſſe quidẽ ſua natura, & iuxta cõditionem huius mundi finitam, ſed tamẽ capacem infinitæ Maieſtatis Dei. hæc enim etiam ipſius verba ſunt. Ex his aũt hæc tria colligo Brentium confiteri. Vnum, humanã naturã Chriſti adhuc finitam eſſe. Alterum, finitum eſſe, non eſſe accidens ſimplex, ſed ipſi naturæ Chriſti humanæ penitus inhærens. Tertium, infinitũ eſſe Deum non tantùm quia nunquam cœpit nec vnquam deſinet, ſed etiam quia eſſentia ipſa eſt infinitus. His autem poſitis, quæro primùm ex ipſo an non quicquid in Deo eſt ſit infinitum, deinde an non omnipræſentia ſit in eo, ac proinde infinita. Quòd ſi eſſentialis eſt & infinita hæc proprietas: è contrario verò finitum eſſe eſt eſſentialis quoque humanæ naturæ proprietas, & duæ naturæ iſtæ ſunt prorſus contrariæ, oſtendat, quæſo, quomodo, non dico vniãtur (hoc enim concedimus) ſed ita vniantur vt infinitas in id quod finitum eſt ita conferatur vt nihilominus maneat finitum. Animam video eſſe inuiſibilem & immortalem: vnitur tamen hypoſtaticè corpori viſibili & mortali, ſed ita vt ſaluæ maneant proprietates. quòd ſi inuiſibilitas conferretur in corpus, certè viſibilitatem abſorberet, & immortalitas mortalitatem: quod poſterius nobis aliquando continget.

Nolo, inquit, *quærere Quomodo*, & Cyrilli ſententiã, qua nihil nobis opus eſt, profert. An enim audebit damnare omne *Quomodo?* Minimè, vt opinor. Oſtendat igitur hoc *Quomodo* ex eorũ genere eſſe de quibus quærere ſit nefas. Certè quum *Quomodo* quærimus, non qua ratione id fecerit Dominus quærimus. Nam ſi Dominum vel ex vnica ſyllaba probauerit hoc voluiſſe, ac proinde feciſſe vt finita Chriſti natura eſſet infinitæ capax, tum certè acquieſcemus. Non quærimus ergo quomodo id fecerit quod eum feciſſe pernegamus, ſed quomodo probari poſſit hoc eum feciſſe, illud vnũ eſt quod quærimus, de quo ſanè nobis nondum reſpondit Brentius, neque ex verbo Dei (vbi nihil tale, ſed potius contraria omnia inuenimus) neque ex erudita vetuſtate, imò ne ex recentiorum quidem ſcholis, vbi iſta dogmata dicimus & affirmamus nuſquam repertum iri, vnquam in Eccleſiam Dei fuiſſe inuecta, nempe, *Vbicunque eſt diuinitas Chriſti, ibi eſſe ipſius humanitatem: Diuinitatem omnem eſſe collatam in humanitatem: Humanitatem eſſe capacem infinitæ maieſtatis*. Hæc, inquam, nuſquam inuenimus, & ideo non *Quomodo* id fiat, ſed quomodo probetur fieri quærimus. Hanc impietatem cuius accuſat dogma, quod ipſe quidem Cinglianum, nos autem Chriſtianum vocamus, cupimus ab eo demonſtrari. Sed ad rem.

Si capax eſt finita humanitas infinitæ maieſtatis, ergo maieſtatẽ infinitam capit. At nos hactenus credidimus Deũ eſſe incõprehenſibilem omnibus modis, id eſt ſiue eſſentiã ipſam, ſiue quodcũque eius attributũ ſpectes: & apprehenſum quidẽ ab ipſo legimus ſemẽ Abrahæ, ſemẽ verò Abrahami eſſe omnis Dei maieſtatis capax nuſquã audiuim⁹.

Cælum quidem oportet, inquit Petrus, Chriſtum δέξασθαι vſque ad tempora reſtitutionis omnium: ſed humanitatis reſpectu.

Habitat plenitudo diuinitatis in Chriſto σωματικῶς. Concedo, ſed quatenus corpus

illud

illud ſibi proprium fecit, non quod corpus qualitate omnimaieſtatis ſit in ſeipſo ornatũ. Idque eò durius etiam eſt quòd vno eodémque tempore velit Brentius *naturam humanam Chriſti,& in omni gloria diuinitatis & in infirmitate fuiſſe*, quum tamen ſcribat Apoſtolus, oportuiſſe prius pati Chriſtum, deinde reſurgere, & exinaniri, vt daretur ei nomen ſupra omne nomen: quæ quidem nos nõ tantùm noſtræ notitiæ reſpectu dici, ſed etiam in ipſo reuera impleta fuiſſe credimus.

Repetit poſtea Brentius illud, *Omnia ſubieciſti ſub pedibus eius*: quod minimè negamus, ſed nihil prorſus facere ad omnipræſentiam putamus.

Addit illud, *Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo & in terra*: quod ipſe ſine vlla exceptione, & naturarum diſtinctione, interpretatur *eſſe omnipotentem, & Infinitam ac immenſam habere poteſtatem.*

Deleamus ergo Symbolum Athanaſii qui vnum eſſe tradit omnipotentem, infinitũ, & immenſum, aut vnicam in Chriſto naturã diuinam apertè profiteatur Brẽtius, ne ſint plures naturæ omnipotentes & infinitæ. Alterum enim horũ neceſſariũ eſt: niſi omnipotentem & infinitum eſſe neget qui ſit omnipotenti & infinita maieſtate in ſeſe præditus, ſiue eam ex ſeſe ſiue aliunde obtineat. Et quæſo quid eſt Deum adoptiuum cõſtituere, niſi diuinam naturam imaginari, in quam omnis diuina maieſtas ſit collata?

Imò quum maieſtas vna, vna diuinitas, vna infinitas ſit trium perſonarũ, quid aliud cogitabimus quum omnem illam diuinitatem toties inculcat, quàm totã ſacram triadem dici in humanam Chriſti naturam collatam? Maieſtatem enim & infinitatẽ, vel Brentio ipſo iudice, quid aliud quàm ipſam Dei eſſentiã arbitrabimur? Dico ingenuè quod ſentio. Nos iſtam humanæ naturæ capacitatem non capimus, ſed ſi ex Dei verbo vel quoquam orthodoxo interprete nos illam docuerit, toto corde amplectemur.

Negat *ſe quærere Mathematicas dimẽſiones*. Quorſum aũt illas? Tractãt.n. Mathematici τὰ ἐξ ἀφαιρέσεως. Nos autẽ verã illã ſerui formã inueſtigamus in qua ſeipſum exinaniuit Filius altiſſimi, per omnia ſimilis nobis factus, excepto peccato. Hoc arcanum nõ docebit nos phyſice, nõ caro vel ſanguis: ſed quia verã carnem induit, nec vnquam depoſuit aut depoſiturus eſt, idcirco de hac veritate cupimus ex ipſius verbo decidi.

Qui negant, inquit, *hominem Chriſtum eſſe capacem omnipotentiæ, hoc eſt infinitæ potentiæ, non tantùm negant cæleſtia illa de Chriſto oracula, Omnia ſubieciſti, &c. &, Data eſt mihi, &c. verùm etiam eo ipſo quo non ſinunt Chriſtum eſſe hominem omnipotentem, affirmãt eum eſſe hominem impotentem.*

Atqui nobis Brentius inſignem iniuriã facit, quã ipſi Dominus condonet. Etſi enim hominis naturam negamus capacẽ eſſe omnipotentiæ, quoniã non dicit Scriptura Deũ eſſe ab homine, ſed potius hominem à Deo aſſumptũ, *nõ diuinitatis ſuæ in eum collatione, ſed ſuum illum efficiendo*, ſicut Synodus vtraque Epheſina & Chalcedonenſis vno conſenſu ex Dei verbo docuit: tamen propterea diuina illa oracula minimè negamus, imò propter hæc & alia eiuſmodi diuina oracula vnionem illam inenarrabilem adoramus.

Et quod addit *nos non ſinere Chriſtum eſſe hominem omnipotentẽ*, certè in nos meritò non dicit. An enim negant Chriſtũ hominẽ eſſe omnipotentem, qui eum fatentur vnũ & eundem eſſe æternum Dei Patris Sermonem? Sed quod vnitæ diuinæ naturæ reſpectu verum eſſe dicimus, ipſe diuinitatis in humanitatem collatione verum eſſe vult: & paria eſſe conſtituit, *Chriſtum hominem eſſe omnipotentem*, &, *Chriſti humanam naturam eſſe omnipotentem*, quæ quum vbique confundat, tamen eſſe diuerſiſſima centies iam demonſtrauimus. Sed audiamus quæ citet huius rei teſtimonia.

Ioh. Baptiſta apud Euangeliſtam ait, locum Eſaiæ explicans, Egredietur virga, &c. Deus non dat ſpiritum ad menſuram. Et Paulus, In quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ ac ſcientiæ reconditi. Accipere verò ſpiritum non ad menſuram, & habere omnes ſapientiæ theſauros reconditos, eſt habere infinitam ſapientiam & accipere infinita dona Spiritus.

Obſecro verò, qui τὸν λόγον illum Patri ὁμοούσιον καὶ συναΐδιον fatetur factum eſſe carnem, ſiue carni noſtræ verè inſeparabiliter vnitum dicit, an negat eum non accepiſſe Spiritum ad menſuram, & omnes in eo reconditos eſſe ſapientiæ theſauros? Sin autem hoc referre placet non ad diuinitatem ipſam, ſed ad eius in ornanda aſſumpta humanitate efficaciam, rurſum agnoſcimus ea gloria coronatam eſſe Chriſti humanam naturã, quæ verè illum ſupra cæteras creaturas attollat. Sed illam interea, ſi ſeorſim cõſideretur, infra Deũ, id eſt infra τὸν λόγον ipſi carni vnitũ ſubſidere dicimus. Manet enim caro creatura, glorificata quidem ſummopere, etiam in ſeſe, ſed creatura, ac proinde finita. Quoniam autem gloria naturam corpori non ademit, & ſublatis ſpatiis corpora tolli neceſ-

ſe eſt,Idcirco omnipræſentiam inter iſta dona non collocamus, vt interim teſtimonia illa toties occurrētia prætereamus,quibus Chriſtus verè in cælos ſublatus fuiſſe,& à nobis ſecundùm carnem dicitur abiiſſe.

*Citat præterea duo ex Cyrillo teſtimonia,vnū ex li.in Io.4.ca.29.alterū ex eiuſdē li.ca.15. vt annotatur in libri ſui margine,quorū priore dicitur,Carnē quamuis nihil penitus per ſeipſam poſsit,viuificā tamē eſſe factā per cū qui habitat in carne.Itē,quoniā cū viuificāte Verbo caro cōiuncta eſt,*TOTAM *eſſe effectā viuificā Itē,quāuis natura carnis,vt caro eſt,viuificare nequeat,facere tamē hoc quia* TOTAM *Verbi operationē ſuſcepit.Corpus n.eſt nō cuiuſuis hominis,ſed ipſius vitæ:& Chriſti corpus in quo deitatis plenitudo* CORPORALITER *habitat,facere hoc poteſt. Additur ſimilitudo de melle,quòd ea faciat dulcia quibus immiſcetur. & iādē,Caro quidē cæterorū oīm quicquā verè nō prodeſt:caro autē Chriſti quia in ipſa vnigenitus Dei Filius habitat,*SOLA *viuificare poteſt. Ac poſtremò dicit etiā Cyrillus,Verbum humanitati cōiunctū* TOTAM *in ſeipſū ita reduxiſſe vt in indigētia vitæ poſsit viuificare.*

Nos verò quorſum iſta citentur non videmus. Quum enim ea vita quæ non modò in ſe viuit ſed etiam vitam aliis tribuit, in carne illa ita ſit vt eam etiam effecerit ſibi propriam,quis carnem negarit factam eſſe in illa viuificam?

Quod tamen additur de melle, hactenus certè non conuenit, quòd aliud ſit vniri,aliud miſceri:& ſcriptorem illum aduerſus Neſtorium agentem duris interdum locutionibus vſum eſſe,adeò vt purgatione apud quoſdam eguerit,ſatis eſt omnibus notum. Sit ergo ſanè Chriſti caro viuifica,ſed in viuificante Verbo cui ipſa coniuncta eſt.

Illud verò quod maiuſculis literis ſcribit,SOLA VIVIFICARE POTEST,nō ita accipiendum eſt, vt SOLA ſignificet PER SE, ſiue ſeorſim conſiderata, ſed idem declarat atque VNICA,vt carni cæterorum hominum opponatur. Idque ita eſſe ſaltem ex eo intelligitur quòd anima à corpore Chriſti ſeparata,& diuinitate in eo ad triduum quieſcente,id eſt vim ſuam non exerente,caro certè non modò non viuifica, ſed ne viua quidem fuit,niſi ſimul mortuam & viuam fuiſſe velis. Itaque non quidem aliena(nec enim alienum eſſe poteſt à carne quòd ipſam inſeparabiliter ſuam & ſibi propriam effecit)ſed tamen non niſi τῦ λόγυ coniuncti virtute reſurrexit, quia aliud eſt Deus carnē excitans à morte,aliud caro à morte excitata,quāuis ὁ λόγος non ſit alius, & hic homo alius, ſed ὁ λόγος & hic homo ſit vnus Chriſtus. Itaque ne tum quidem quū caro cum Verbo cōiuncta eſt,viuifica eſt(vt opinatur Brentius)quaſi vim illā in ſua ipſius natura reciperat(ſicut,exempli cauſa, Magnes vim habet ferrum ad ſe attrahendi) ſed viuifica eſt quia viuificantis Verbi caro eſt & non alterius. Confitemūr tamen alia etiam ratione poſſe ac debere viuificam dici, nempe quoniam ὁ λόγος in eā pro nobis tradita vitam omnibus credentibus verè donauit,& nos quoque non niſi media carne per fidem ſpiritualiter potiti,poſſumus ad Deum & vitam æternam vſque pertingere.

Sed quorſum hæc,quæſo,ad omnipræſentiam? Neque enim illud Cyrilli dictum TOTAM *Verbi operationem ſuſcepit*, ad omnipræſentiam pertinere poteſt, niſi Omnipræſentiam pro operatione accipiat Brentius, quod tamen conſtat eſſe attributum,non Operationem quampiam:ſicut & *infinitum,æternum, & inuiſibilem eſſe.* Perperam igitur iſta ſanè confunduntur,& contra Cyrilli ſententiam, qui de viuificatione, id eſt,certi illius attributi quo Deus viuificus dicitur efficacia & *ἐνεργείᾳ* differit. Quod ſi tamē ſibi cōcedi vult Omnipræſentiam eſſe operationem, & illud vocabulum *Totam* ſine vlla exceptione intelligendum putat,quî fit vt infinitatem ipſemet neget carni communicari? aut ſi iſtam excipit,cur non iſtam quoque omnipræſentiam excludit? Affirmamus enim infinitatem & Omnipræſentiam ſic coherere, vt Finitum eſſe & Certo tantùm loco comprehendi:& hæc affirmabimus donec contrarium nobis demonſtrarit. Et quomodo credemus quod in ſe non eſt infinitum, eſſe tamen in ſeſe iſta quam Brentius in Eccleſiam inuehit Omnimaieſtate præditum? in ſeſe,inquam. Nam in ea quæ Carnem aſſumpſit diuinitate nihil eſt quod carni non tribuamus.

Denique quòd *viuificare* interpretatur *de nihilo aliquid producere*, (nam hoc etiā ſcribit)& eam quoque vim contendit ipſi carni in ſeſe ſiue ſui reſpectu ineſſe,neſcimus quomodo cum eo conciliet quod idem ipſemet ſcripſit alibi,ſic deſcribens quid vocet naturam diuinam,quæ nunquam fiat humana,vt tres proprietates exprimat,nempe quòd ſit ſpiritualis,quòd ab æterno,& rerum omnium creatrix. Nunc igitur oſtendat quî humana natura non fiat Deus,ſi etiam in ſeipſa fiat creatrix.Sed agè progrediamur.

Sin aūt viuificari accipiat pro à mortuis excitare, ſicut accipiēdum videtur eo in loco, conſideret,quæſo,hæc verba eiuſdem Cyril.lib.de Incar.vnigen.c.26. *Quum ipſe ſuſcitet*

mortuos, reſurrexit à mortuis, & quũ ſit per naturam vita, viuificari dicitur. Hoc quoq; quonam modo? Secundùm aliud nempe & aliud. Ipſe enim reſurrexit quidem a mortuis, & viuificari dicitur ſecũdùm carnem: viuificat autem & ſuſcitat à mortuis, vt pote Deus. Itaque vt concludam, non eſt caro Chriſti viuificatrix vel in ſeſe vel ex ſeſe, ſed in ea natura à qua in vnitatem perſonæ eſt aſſumpta.

Rurſum Brentius, *Deus euexit hominẽ Chriſtũ ad cæleſte regnũ. Sed hoc regnum eſt infinitè non amplitudinis ſolùm, ſed etiam durationis. Ergo videmus finitũ fieri capax infiniti. Vnde vt intelligatur quod etſi id natura rerũ nõ ferat, tamen zelo Domini Zebaoth fieri facilè poſſit, additum eſt in textu, Zelus Domini Zebaoth faciet hoc.*

Infinitum eſſe Chriſti totius regnũ, id eſt infinitam eius durationem eſſe, confitemur. Ergo, inquiet, caro finita eſt capax infiniti. Concedimus pro ea quam adfert definitione. Quomodo enim Chriſti carni infinitã durationem negaremus, quã ipſis etiam Angelis tum bonis tum malis datã eſſe ſcimus antequàm extitiſſet Chriſti caro, & omnibus etiã hominibus tandem dandã eſſe? Non eſt igitur ſimpliciter quærẽda iſta gloriæ magnitudo vt in illa infinita duratione, quũ aliqui ſint etiam ſine fine miſeri futuri, ſed in ipſo regno, quod Carnem Chriſti ad dextram vſque Dei omnipotentis euehit: quod quidẽ nõ prætermittit quum dicit eſſe infinitæ amplitudinis, ſed id poſtea cum infinita duratione confundendo, non ſatis aptè diſtinguit. De illa verò amplitudine, quum paulò antè iam aliquoties dixerim quo ſenſu carni tribuatur, nunc eadem non inculcabo.

Sed qđ ad Brentianã infinitatẽ attinet, quis nõ videt illũ iocari potius q̃ ſeriò agere? Quũ Infinitatẽ dicimus in naturã finitã nõ cadere, non ignorat nos infinitũ vocare cuius ipſa eſſentia eſt omnis quantitatis expers, quã naturã ipſemet in Deo concedit ſaluã & illibatam manere, ita vt natura humana nunquam talis euadat. Quorſum nunc igitur ad durationem nos reuocat? Imò ſi de tempore quæritur, claudicat illa cõſecutio, quum propriè non dicatur Infinitum quod altero tantùm extremo, putà fine, careat, ſed quod vtroque extremo, nempe & principio & fine: quod ne ipſe quidem auſit vel regno Chriſti ſecundũ carnẽ ipſius cõſiderato, vel ipſius carni tribuere. Quorſum igitur puériles iſtas nugas?

Et tamẽ exclamãs, *Vides*, inquit, *in philoſophia quidẽ Cinglianorũ nullã eſſe proportionẽ finiti ad infinitũ: in Theologia aũt Spiritus ſancti tãtã eſſe inter ea proportionẽ vt verbũ infinitũ fiat caro finita, id eſt, vt Deus fiat homo & homo Deus.* Quaſi verò iſta pertineãt ad illud infinitatis genus de qua diſſerit, quaſi nos vnionẽ hypoſtaticã duarũ naturarũ vel negemus vel ex philoſophia petamus: quaſi denique pueriles iſti paralogiſmi vel huius argumenti dignitatẽ, vel Theologicã grauitatẽ deceãt, vel in eos etiã cõueniãt in quos agit. Nam vt ſtaret ipſius cõſecutio probare nõ debuit Deũ eſſe factũ hominẽ & hominẽ eſſe Deũ, vnione videlicet nõ permixtione naturarũ (quod abſit vt negem') ſed probare debuit humanitatẽ factã eſſe Deitatem, qđ merè Eutychianũ eſt. Pergamus igitur ad aliud.

Rurſum Brent. *Remittere peccata eſt infinita potentia. At hoc communicatum eſt finitæ humanitati Chriſti. Ergo, &c. Minor probatur, vt ſciatis quòd poteſtatem habet Filius hominis in terra remittendi peccata.*

Si nobis quoq; libèret in æquiuocis eius exẽplo ludere, reſpõderẽ nihil hîc Chriſto tribui qđ nõ etiã omnib' miniſtris Verbi alibi cõcedatur, ac proinde ex Brẽtii doctrina oẽs etiã miniſtros Omnipræſentes ſtatui, imò etiã oẽs homines, quũ poſtulet ab omnibus Pater cæleſtis vt alii aliis remittãt peccata. Sed nobis quidẽ religio eſt ita agere. Fatemur ergo Chriſtũ de ſe loqui nõ vt miniſtro, ſed vt verò remiſſionis peccatorũ authore, idq; iã tũ quũ in terris ageret. Quid aũt inde colligitur? Certè Deũ eſſe in carne manifeſtatũ, quũ vnius ſit diuinæ naturæ hoc modo remittere peccata. Quũ aũt caro Chriſti effecta ſit Dei propria, meritò tribuitur toti ſimul vnito qđ propriè vnius eſt partis ſeorſim cõſideratæ. Cuius.n. eſt naturæ remittere peccata? ei' certè cui' eſt ſãctificare. Audiat igitur Cyrillũ eodẽ illo loco ſic ſcribentẽ. *Sãctificatus fuiſſe dicitur per Spiritũ quũ ipſe ſãctificare ſoleat accedẽtes, baptizatus eſt ſecũdùm carnẽ qui in Spiritu ſãcto baptizabat. Quomodo igitur idẽ & ſãctificat & ſanctificatur, & baptizat & baptizatur? Secũdùm aliud porrò & aliud.* (Neſtori' dixiſſet ſecundùm aliũ & alium.) *Sãctificatur.n. humanè, ſic etiã baptizatur.* (id eſt, vt mox dixit, ſecũdùm carnẽ.) *Sãctificat diuinè & baptizat in Spiritu ſãcto* (id eſt vt Deus.) Quòd ſi excipiat Brẽtius ſe quoq; idẽ ſentire, vt qui minimè arbitretur carnẽ Chriſti aliqua virtute ſibi naturaliter inſita remittere peccata, ſed virtute diuinitatis quæ hoc donũ in eã cõtulerit: reſpõdeo id repugnare ex diametro Cyrilli & omniũ orthodoxorũ ſententiæ. Nã ſi hoc verũ eſſet, vtrũque illud tribuendũ eſſet carni, & verba illa, *ſecũdùm aliud & aliud*, nõ duas naturas diuerſas, putà carnẽ & λόγον, ſed eiuſdẽ naturæ, nẽpe carnis, diuerſos reſpectus ſignificarent. De qua re vt melius etiam nobis conſtet, audiamus quomodo

Matt.9.a.
Ioh.20.19

idem Cyrillus de recta fide ad reginas, explicet illud dictũ Apoſtoli, Secũdus homo è cęlo. *Eſſe de cęlo,* inquit, *propriũ eſt Verbi, homini aũt re ipſa nõ cõuenit, quanuis de eo prędicatur ſermone ac phraſi Scripturę. Hac aũt phraſis ſic explicatur, vt quoniã Verbũ & caro vna perſona eſt, non diuidatur à ſuſcipiẽte ſuſceptus ſed tantùm diſtinguatur.* Habemus ergo quo ſenſu dicatur homo Chriſtus remittere peccata. Quòd autẽ dicit Brentius hoc eſſe finitę humanitati Chriſti collatum, ſeorſim videlicet ſiue in ſeſe conſideratę, pernegamus. Sed qd ſi illi hoc quoque largiremur? Certè non conſequetur omnipręſentẽ eſſe carnem, niſi velit Chriſti carni minus quàm huius ſeculi principibus tribuere, qui etiam abſentibus non minus quàm pręſentibus vitam etiam ipſam, quum libuit, gratificantur.

Iam verò quoniam affirmamus carnis omnipręſentiam ſtatui non poſſe quin in infinitum extendatur, ac proinde ipſius ſubſtantia perimatur, expendemus etiam rationes quibus contrarium confirmat.

D. Lutherum nobis opponit, cuius authoritatem plurimi ſanè & nos facimus, ſicuti debemus: ſed ita vt, quod ipſemet innumerabilibus locis vrget, ſtandum eſſe Dei verbo, & purę Eccleſię teſtimonio, in ipſius quoque ſcriptis valeat.

Poſtea reſpõdet ſe nũquã cogitaſſe de corporis extẽſione ſeu dilatatione locali. Quid igitur docet? corpus Chriſti quanuis in ſe finitũ ſit, tamen propter vnionẽ inſeparabilem ita eſſe vbique acſi infinitum eſſet, id eſt vt ſi reipſa Deus eſſet. Nos verò millies oſtendimus, etiã ſi ſtatuatur caro Chriſti nõ eſſe vbicunque eſt diuinitas, tamen non diſſolui vnionem, quoniã quod à nobis abeſt locorum ſpatiis, non tamẽ propterea abeſt ac multò minus etiã ſeparatur ab eo quicum indiſſolubiliter eſt vnitum, adeò vt veriſſima ſit hæc enuntiatio, *Chriſtum etiam hominem, quum vna ſit perſona cum Deo, vbique eſſe, & potenter pręſentiſſimum omnia ac pręſertim membra ſua videre, regere & gubernare*: iſta verò non item, *Chriſti naturam etiam humanam eſſe vbique.* Sicut & illa vera eſt, *Deũ eſſe mortuum & ſepultum*: iſta verò non item, *Chriſti naturam diuinam mortuam eſſe & ſepultam.* Hæc autẽ interpretatio nititur perpetuo catholicę Eccleſię conſenſu, quam ne in tenebris quidem illis obſcuriſſimis Romani Antichriſtianiſmi potuit Satan abrumpere, quæ ex Dei verbo contra Neſtorium in Epheſina, & contra Eutychetem in Chalcedonenſi Synodo conſtituit ſic vniri naturas, vt neque naturę neque proprietates earum eſſentiales vel ſeparẽtur vel confundantur. Illud autem fieret ſi cum Neſtorio negaremus etiam toti conuenire quod proprium eſt huic vel illi parti: vel cum Eutychete diceremus quod vni naturę ſic vt dixi proprium eſt, in alteram conferri.

Prætera ſic argumentatur: *Quum filius hominis ſit factus capax vt ſua incolumi eſſentia aſſumeretur à filio Dei, & vniretur cum ipſo in vnam perſonam, nihil certius eſt quàm quòd fuerit factus capax eius omnipręſentię, ſiue, vt nos vocamus, vbiquitatis.*

Ad hoc verò ſic reſpondemus. Quum verus ſit dictum, Deum vbique eſſe, & Brentius iſtam omnipręſentiam quam carni Chriſti tribuit non aliunde quàm à diuinitate ſumi velit, non poſſumus ſatis mirari cur nouo & nobis quidem portentoſo vocabulo, Omnipręſentẽ eſſe, potius vti velit quàm vbique eſſe. Et quum disertè moneat Apoſtolus vt κενοφωνίας vitemus, quanuis à verbis & ſyllabis non pendeamus, iſtã licentiam in tanti momẽti rebus nõ tantùm fugere ſed etiã abhorrere nos profitemur. Quod autẽ ad rẽ ipſam attinet, illud quo dicit nihil eſſe certius, non poſſumus admittere, niſi firmius argumentum afferat. Primùm enim filium hominis à filio Dei aſſumptum fuiſſe non ſolemus ſine aliqua explicatione dicere, ne duos filios conſtituere videamur. Deinde filium hominis factum fuiſſe capacẽ filii Dei, ſiue, vt alibi loquitur, carnẽ factam fuiſſe capacem Verbi, neſcimus quomodo accipiat. Capax enim vnumquodque dicitur eius quod ipſo capitur ſiue continetur. Verbum autem etſi totum eſſe vnitum toti homini agnoſcimus, tamen nec carne nec re vlla alia dicimus capi vel cõtineri: ſed aſſumptam eſſe carnem dicimus à Verbo, ac proinde ab ea ſic contineri, vt illam ſuam & ſibi propriã efficiat. Et nos quidem ita loqui & ex Dei verbo & ex omnibus orthodoxis Patribus didicimus. Sic enim Seuerianus Gabalarum epiſcopus, quem cum aliis plurimis laudat Theodoretus, ex quo velit nolit Brentius, oportet Chalcedonenſis decreti interpretationem petat, vt cui ſic ille interfuerit vt quodammodo etiam pręfuiſſe videatur, & quo nullum penitus habemus vel erudiriorem vel certiorem vel antiquiorem Eutychianę hæreſeos euerſorem. *Talis*, inquit, *Chriſtus natus cęleſtis & terreſtris, qui continebat & non continebatur, qui videbatur & ſub viſum non cadebat: cęleſtis ſecundùm naturam diuinitatis, terreſtris ſecũdùm naturã humanitatis: videbatur ſecũdùm carnẽ, non videbatur ſecũdùm ſpiritũ: & continebatur quo ad corpus, quantũ autẽ ad Verbum attinet contineri non poterat.* Denique ſolent orthodoxi Græci non verbo δέχεσθαι, ſed ἀξιοῦσθαι potius vti in hoc argumento.

Itaque ſic quidem loqui liceat, τὸν λόγον dignatum eſſe carnem noſtrã hoc beneficio vt eam aſſumeret, id eſt illi ſeſe vniret, ſiue vt manẽs quod erat, illam ſibi propriã efficeret. *Ergo*, inquit, *ſi iſta vnitio facta eſt incolumi eſſentia, facta eſt etiã caro capax omnipræſentiæ.* Hic igitur multò rectius & tamen falſò colligeret: Anima eſt intelligẽs, immortalis & inuiſibilis, & corpus ſalua ſua eſſentia fit capax vt ab ea aſſumatur, atq; adeò cũ ea in vnã perſonã vniatur: Ergo nihil eſt certius quàm corpus cõiuncta anima fieri capax intelligentiæ, inuiſibilitatis, & immortalitatis. Sic, inquã, multò firmius colligeret, quoniam anima re vera intra corpus ita ſe totam continet, vt extra corpus non ſit. Cauſa verò falſę illius conſequutionis hæc eſt, quòd perſonalis vnio non in donorum omnium collatione (vt ipſe perpetuò putat) ſed in eo poſita eſt, quòd ſaluis non tantùm naturis, ſed etiam earum differentiis, id eſt proprietatibus quibus inter ſe propriè differunt, aſſumens natura ſuam faciat quam aſſumit.

Aliud eſt præterea ipſius hoc argumentum: *Quum omnipotentiam ſuã Filius Dei in incarnatione contulerit in Filium hominis, adeò vt eam communem habeat cum hominis filio, Omnipræſentia verò ab omnipotentia pendeat, negari non poſsit quin etiam contulerit in eum omnipræſentiam.*

Ad hoc autem ſic reſpondemus: Si de Chriſto homine loquitur, concedimus rem ipſam, non tamen humanæ ipſius naturæ reſpectu, ſed diuinæ cum qua eſt veriſſimè quidem ſed ſaluis proprietatibus vnita: ſicut è contrario Deum exinanitum eſſe dicimus, tamen non ſuæ diuinitatis ſed carnis quam ſuam effecit reſpectu, quod millies apud Cyrillum & in Chalcedonenſi Synodo eſt repetitum.

Sed interea multas hîc phraſes non probamus, quod de Filio Dei & Filio hominis, deinde quod de collatione omnipotentiæ dicit, & quidem in incarnatione. Etſi enim fatemur ab ipſo obumbrationis momento vnitum fuiſſe Deum homini, tamen ſcimus eum ipſum ſecundùm carnem creuiſſe non tantùm ætate ſed etiam ſapientia: & ante ſuperatam infirmitatem non fuiſſe ſecundùm carnem gloria & honore coronatum, & ſecundùm eandem carnem quædam etiam neſciuiſſe, quod ipſe de ſeipſo non erubuit fateri, vt melius de ipſius exinanitione nobis conſtaret. Quod ſi non poteſt Brentius carni omniſcientiam tribuere, quin (quod procul abſit) mendax ipſemet conſtituatur, quomodo omnipotentiam non dico homini, (hoc enim fatemur, quatenus vnus eſt homo & Deus) ſed humanæ naturæ nondum etiam glorificatæ tribuet?

Præterea multùm vrget Brentius dictum illud, *Et verbum caro factum eſt*, quod meritò dicit omni obſeruatione dignũ, & auro ac topazio pretioſius. Vrgeamus igitur illud ſanè, & pedẽ hîc figamus. De verbis cõſtat, atq; adeò de vocabulorũ ſenſu, ſi vnicũ illud ἐγένετο excipias, quod quomodo Verbo & carni tribuatur iampridẽ quæſitũ eſt, ſed nũc adhuc inter Chriſtianos quæri ſanè miror. Verbum ergo eſſe Filium illum æternũ Patri ὁμοούσιον, ſiue ſecundam ſacræ Triadis hypoſtaſin: carnis autem nomine, συνεκδοχικῶς totam humanã naturã ex corpore & anima conſtantem vtrique, Dei gratia, confitemur. Addo & illud, in hac enuntiatione Verbum habere rationem ſubiecti, carnẽ verò prædicati. His poſitis audiamus quomodo pretioſiſſima hęc ſententia ab ipſo explicetur.

Huius dicti, inquit, *Verbum caro factum eſt, talis eſt ſententia aſſerenda quæ efficiat vt hoc dictum nulli hominum præterquàm vni & ſoli Chriſto Domino competat. vt ſit ſuum inter Chriſtum & omnes alios homines diſcrimen.*

Iſtis verò prorſus aſſentior.

Subiicit Brentius. *Hoc autẽ eſt tale: quòd Filius Dei ſic impleat Filium Mariæ vt communicet cum eo omnem ſuam potentiam, ſapientiam, ſcientiam, felicitatem & præſentiã. Niſi enim hæc ſit ſententia, non habebit inter Chriſtum & alios homines diſcrimen.*

Hoc illud eſt verò quod & Neſtorianũ & Eutychianũ eſſe dicimus. Nam hac ratione dicendum non eſſet, Verbum factum eſt caro, ſed Caro facta eſt Verbum: imò Verbum non eſſet nomẽ ſubſtantiæ, ſed qualitatis, ac proinde dicendũ erat, Et caro facta eſt diuina, ſiue θεόφορος, ſiue θεόδωρος, id eſt, effuſis in eã omnibus diuinitatis proprietatibus ad diuinam maieſtatem eſt à Verbo euecta. At nos dicimus Verbum non ſignificare Verbi proprietates, ſed ipſam Verbi æterni hypoſtaſin ſuis proprietatibus ornatam: & Carnem viciſſim declarare ipſam humanam eſſentiam cum ſuis omnibus non tantùm proprietatibus naturalibus cũ ea coniunctis, ſed etiã infirmitatibus, excepto dũtaxat peccato. Itaque vide etiam atque etiam, Brenti, quantum de huius ſententiæ pondere detrahas, quũ nulla habita eius quod primarium eſt ratione, diſcrimen in ſecũdario quæris, &

eo quidem, vt mox dicã, perperam explicato. Primarium appello ipſam naturarũ vnionem, quæ ita eſt vni Chriſto peculiaris vt illi vni competat, a te verò prorſus negligitur, tanquam illam habeat Chriſtus cum quibuſuis aut ſaltem cum omnibus ſanctis communem. Secundarium autem voco donorum communicationem, in qua excellit quidem Chriſtus inenarrabiliter, ſed ita vt hoc ſit illi in ipſo genere cum omnibus creaturis commune. Quid enim inuenies in cælo vel in terra vel in ipſis inferis, in quod Deus aliquod donum, & quidem inſigne, non contulerit? ſed ſoli ſuæ carni ſeſe, id eſt, ſuam ipſius hypoſtaſin vniuit Verbum. Hoc igitur dico & affirmo, quod Brentium rogo per D. Ieſum, verum noſtrum Immanuelem, vt patienter audiat & conſideret: diſcrimen videlicet perſonalis vnionis in communicatione proprietatum poni non poſſe, quin verbis Euangeliſtæ manifeſta vis afferatur, quia & naturarum eſſentiæ cum Neſtorio ſic diſſoluuntur (nam etiamſi vbicunque ſit vna, ſtatuatur & altera, & vna in alteram omnia ſua dona effundat, non ſunt propterea vnitæ eſſentiæ) & cum Eutychete proprietates ita confunduntur. Et proprietas ſimulatque communicatur deſinit eſſe proprietas. Imò quomodo ſecum conſiſtere poſſit hoc Brentianum dogma non video. Nam ſi (vt ipſe vult) omnes Dei proprietates ſunt eſſentiæ in Deo, (quod quomodo accipiendũ ſit antea diximus) & tamen *omnes, omnes*, inquam, proprietates re ipſa effuſæ ſunt in humanam naturam, quî ſtabit illud quod antea dixit, ſaluas in hac vnione eſſentias permanere? Sed tamen audiamus quàm fortiter ſententiam ſuam defendat.

Hoc igitur, inquit, *cõparatione Chriſti & Petri Apoſtoli declarabimus. Vterque enim eſt homo, & in vtroque eſt Deus. Dicis illud eſſe diſcrimen, quòd Chriſtus non tantùm ſit homo, verùm etiam Deus: Petrus autem tantùm ſit homo & non Deus.*

Rectè ſanè, & vtinam hoc reſponſum diligenter expendat: quoniam ita fieri vt tota hæc controuerſia, inuito Diabolo, cedat ad Eccleſiæ ædificationem. Audiamus tamen quid ſubiiciat.

Sed vt hoc melius intelligamus, agè, recenſeantur quæ habeant peculiaria, quæ contrà cõmunia, vt tandem diſcrimen innoteſcat. In Chriſto inhabitat Diuinitas, eáque tota ſecundùm eſſentiam, potentiam & præſentiam: ſed & ſic inhabitat tota in Petro. Vbicunque enim inhabitat Deus, ibi totus eſt, quippe qui ſit ſimpliciſſimus, nec diuidatur in partes, vt alia ſit in Petro, alia in Thoma, alia in Bartholomæo.

Deus bone, quid audio? Neſcio enim an quiſquam vnquam de rebus iſtis ſeriò cogitarit, cui non videatur hæc oratio planè inſolens, *Sic inhabitare totam diuinitatem in Petro vt in Chriſto* Et quorſum quæſo Petrum deligit, niſi vt longam narrationem fruſtrà pertexat? Si Dei eſſentiam ſpectat, vt certè hîc ſpectat, quid nobis opus eſt Petri exemplo? Sumat quemuis etiam ſtipitem. Certè quod ad eſſentiam attinet, tota eſt vbiuis diuinitas, nec cauſa erat cur nos doceret quod ipſi prophaniſſimi ſcriptores non ignorant.

Sed hoc, quæſo, quo tandem pudore facit, vt quum de duarum naturarum vnione in Chriſto diſſerit, hypoſtaſes non diſtinguat? Habitat ſanè totus Deus in Petro (vbique enim totus eſt.) Sed dic, quæſo, Brenti, an ſic ſecundùm eſſentiam habitant Pater & Spiritus ſanctus in Chriſto, vt æternus ille Sermo? Si hoc dicis, non animaduertis te eſſe Eccleſię Dei intolerabilem? Sin ad proprietates diuinitatis confugis, quænã illæ ſunt, quæſò, Filii propriæ, ſi te audimus, quas ipſe quidem conferat in humanitatem, Pater autem & Spiritus ſanctus non item? Omnipræſentiam audio, omniſapiẽtiam, omniſcientiam, omniiuſtitiam, omnimaieſtatem, & quis erit κενοφωνιῶν finis? Sed an quicquam hîc eſt quod non tribus illis coeſſentialibus perſonis conueniat? Itaque ſi in iſtarum proprietatum communicatione poſita eſt vnio perſonalis, quid obſtat quo minus etiam Patrem & Spiritum ſanctum cum carne noſtra perſonaliter vnias?

Sed res ita ſe habet. Diuinitas quidem, ſiue Deus omnia implet, nec ab vllo continetur, ídque, ſi propriè loquamur, nec omnis nec totus, quoniam eſt omnis quantitatis expers, & iſta impletio hypoſtaſibus tribus, quæ vnus ſunt Deus, æqualiter conuenit, omnibúſque rebus tribuitur, quatenus illæ Dei παρουσίᾳ ſuſtentantur, Act. 17. d. 25, 27, 28. ſed propria quadam ratione de ſanctis dicitur, quos ſuo Spiritu regit, adeò vt Dei templum vocentur. At in Chriſto longè aliud eſt arcanum, ad quod Angeli etiam ipſi obſtupeſcant, quod operæpretium eſt videre quàm fœdè tum Neſtorius tum Eutyches ſuis blaſphemiis polluerit. Neſtorius igitur quum Chriſtum videret apertè & Filium Dei & filium hominis vocari, & ita quidem vt caput Eccleſiæ dicatur, & ſimul vnus ſtatuatur, putauit hanc eſſe huius coniunctionis Filii Dei explicandæ facillimam

Neſtorii dogma.

cillimam

cillimam rationem,ſi,quod ad eſſentiam ipſam attinet,non aliam coninnctionem facetet Dei & hominis in Chriſto quàm in aliis: ſed huius coniunctionis diſcrimen in ipſis donis & gratiis à Deo in hominē collatis conſtitueret,ita omnino vt tu quoque, Brētii, mihi facere videris, vt qui planè & totidē verbis millies repetitis ſcribas *nullū eſſe inter diuinitatis in Petro & in Chriſto habitationē, diſcrimen,niſi à cōmunicatione proprietatū diuinitatis ſumatur*,quas tu nominas *omniſcientiā,omnipotētiā,omnipræſentiā,omnimaieſtatē*,& ſi quid aliud huiuſmodi. Itaque hunc nodū cupimus nobis in primis à te expediri. Redeo ad Neſtoriū. Is igitur Chriſtum à reliquis ſanctis in eo vno dicebat differre, quòd in nobis quidem habitaret etiam Deus,ſed Filius Dei ęternus ſolū Filium Mariæ dignatus eſſet æqualitate dignitatis ſiue authoritatis, & vt ſimili appellatione & Chriſtus & Filius dicatur & dominus. Hinc aūt illud neceſſariò cōſequebatur,vt in Chriſto non eſſet tantùm aliud & aliud,(quod nos confitemur,quū aliud ſit diuinitas,aliud humanitas,ſiue eſſētias ipſas ſiue attributa cōſideres) ſed etiā alius & alius,quod dici non poteſt quin Chriſtus ſoluatur,etiamſi millies dicatur ſimul perpetuò duos illos copulari, quod Neſtorius minimè negabat. Hāc aūt fuiſſe damnatiſſimā illā Neſtorii hæreſin, & ex Cyrilli acerrimi aduerſus illū veritatis defenſoris ſcriptis,& ex ipſius Neſtorii fragmētis conſtat,quæ actioni primæ Synodi Chalcedonenſis ſunt inſerta. Subiiciam aūt locū Cyrilli ex lib.de incarnatione vnigeniti, cap.27, ex quo ita id eſſe vt dixi,apparebit. Sic igitur ille de Neſtorianis loquēs: *Hominē*,inquit,*ſeorſim & ſeparatim eū ponūt qui eſt ex ſancta Virgine procreatus:deinde ei,quantū ipſis videtur, modū gloriæ tribuētes adunatū fuiſſe dicunt Verbo Dei & Patris: & rationē adunationis exponētes donatā eſſe ipſi dicunt à Deo æqualitatem dignitatis ſiue authoritatis,& vt ſimili appellatione & Chriſtus & Filius dicatur & Dominus. Sin verò etiam paſſus eſſe aliquid dicatur homo qui ab ipſis excogitatur,oportere aiunt in ipſum Deū Verbum referri,eò quòd coniunctus ſit ipſe æqualitate dignitatis*. Hæc ille,quæ ita plana eſſe dico vt de iis dubitare nemo poſſit,ita cum tuo dogmate conſentientia,vt qui hæc audiat,tua etiam audiat,vt mox oſtendam.

Venio nunc ad infœlicem illum Eutychen, qui dum Scyllam vitat in Charybdim in- Eutychetis dogma.
cidit. Quum enim Neſtorius Chriſtum diuidens,in eo conſtitueret alium & alium, iſte ſuſtulit in Chriſto aliud & aliud, ex permixtis eſſentiis & confuſis earum differentiis vnum quiddam conſtituens, in quo tamen aſſumens natura, id eſt diuinitas, præualeret, vtpote quæ humanitatem abſorpſiſſet.

Hæc ſunt igitur præcipitia quæ ſectantibus veritatem cauenda ſunt, & quum planè ſint contraria, miramur potuiſſe vno eodémque dogmate ſimul à Brentio coniungi. Quum enim apertiſſimè dicat totam diuinitatem ſic habitare in Petro vt in Chriſto, adeò vt hac ratione non poſſit inter Petrum & Chriſtū eſſe diſcrimen,vt dicamus Chriſtum hominem eſſe Deum,Petrum autem non eſſe Deum: quum,inquam, hoc apertè teſtetur & ſingulis ſui libri paginis repetat,& pag 44.hoc vnū diſcrimen agnoſcat,*quòd*, vt ipſe loquitur, *Filius Dei ſic habitet in Filio hominis*(quod rurſus niſi dextrè intelligatur Neſtorianum eſt) *vt euehat ipſum vnà ſecum in diuinam maieſtatem,& effundat in eū oēs ſuas proprietates*,oſtēdat quæſo qua tandē in re à Neſtorio differat. Certè hac vna in re, ꝙ ipſe non alias proprietates effuſas numerat quàm eas quæ ſunt tribus illis in vna Dei eſſentia cōmunes,putà omniſcientiā,omnipræſentiam,& cætera huiuſmodi: Neſtorius verò etiā cautius iſta diſtinxit à filiationis dignitate. Quòd ſi *Verbū caro factū eſt*, idem declarat,atque *Verbū in carnē effudit omnes ſuas proprietates*, quid aliud eſt iſtud quàm Carnem Chriſti eſſe factam diuinā ſiue θεόφορον ſiue θεόδωρον,(quod expreſſè damnāt Patres aduerſus Neſtorium) aut ſi Brētio iſtud non ſatis eſt, factam eſſe Deum aliquem adoptiuum & ſecundarium qui primarium referat? Nam certè non poteſt eam facere primarium illum Deum,& ipſe mox in eo laborat vt Carnem hanc oſtendat, etiam effuſis in eam omnibus proprietatibus diuinitatis,non eſſe tamen Deo æqualem, ſed in eo inæqualem quòd aliunde habeat quicquid diuinitas habeat à ſeipſa.

Quid verò? ſi proprietates iſtæ ſunt eſſentia diuinitatis (vti ſanè ſunt) & eas omnes effudit in humanitatem, vbi natura illa diuina quam ſaluam eſſe volebat? & quod erit inter Petrum & Chriſtum diſcrimen, niſi quòd hic omnia, ille verò aliqua tantùm dona ex diuinitate inhabitante perceperit?

Cur igitur Verbum potius quàm Pater aut Spiritus ſanctus dicetur in Chriſti perſona habitare? cur dicetur Verbum factum caro? cur denique Seruator Chriſtus? Neque enim eſt creaturæ remittere peccata, ſed creatoris. Itaque vt hoc tribuat Mediatori,

eundem oportet eſſe reipſa creaturã, non quæ creatoris vires in ſe receperit (hoc enim eſt Eutychianũ) ſed quę facta ſit creatoris propria, ac proinde ſit ſimul creatura, quatenus eſt caro, & creatrix quaten⁹ hic homo eſt τῷ λόγῳ hypoſtaticè vnit⁹, ſiue κατ᾽ ἄλλο.

Et quis tandem Brentium ſatis poterit admirari in hac tota tractatione vel non vidiſſe vel neglexiſſe perſonalis vnionis definitionem? Cogor enim repetere quod millies iam dixi, eam naturam dici alteri ſeſe perſonaliter vnire, non quæ vel ſuam eſſentiã vel ſuas proprietates, aut aliquas, aut omnes in eam transfundat, aut efficiat vt vbi eſt vna ſit etiam altera, ſed quæ aſſumptam naturã efficiat ſibi propriam, vt diſtinctis manentibus & naturis & naturarum differentiis, vnum ſimul efficiant.

Itaque ratione inhabitationis concludo hoc eſſe diſcrimẽ inter Petrũ & Chriſtũ, ꝙ Petrus eſt tantùm homo, Chriſtus verò Deus & homo. ſed videamus quid ſubiciat.

Chriſtus multa edidit miracula. Sed edidit etiam Petrus magna & multa miracula.

Hîc iterum Brentio quis niſi Neſtorianus aſſentiatur? Neque enim Petrus propriè edidit miracula, ſed alius per eum, nempe Chriſtus. Chriſtus autem non per alium, ſed per ſeipſum (eſt enim Deus & homo) quanuis caro ipſius per aliud, nempe per diuinitatem ipſi vnitam hoc effecerit. Sed caro in illo ita fuit aliud à diuinitate, vt tamẽ alius non eſſet Deus, & alius homo, quod nec de Petro nec de quoquam alio quàm de vno Chriſto dici poteſt. Ratio eſt, quoniam ὁ λόγος ſic eſt in Carne Chriſti, vt carnem illam velut ſui ipſius partem efficiat, in Petro verò vel alia vlla creatura nõ item. Itaque hac etiam ratione colligetur Petrus tantùm fuiſſe homo, Dei virtute peragens multa, Chriſtus verò Deus & homo ſua ipſius vi omnipotens.

Chriſtus (inquit) *vidit futura. Sed & Petrus Act. 5. & in ſua Epiſtola, vidit futura.*

Rurſum videor mihi ipſiſſimum audire Neſtorium. Neque enim in eo differt Chriſtus à Petro quòd ille quidem omnia, iſte duntaxat aliqua futura cognouit, id eſt, quòd ille Omniſcientiam, iſte aliquam tantùm ſcientiam habuit, ſed in eo quòd Chriſtus non alterius (neq; enim ὁ λόγος alius eſt, & alius homo quem aſſumpſit) ſed ſua ipſius vi omnia ſciuit: Petrus verò alio reuelante. Alius enim eſt Deus in Petro agẽs, alius Petrus: in Chriſto verò, aliud quidem eſt diuinitas reuelãs, aliud humanitas cui fit reuelatio, ſed non eſt alius qui reuelat ab eo cui reuelatur, quoniam vnitis naturis fit vnus Chriſtus, quod qua tandem ratione de Petro vel quoquam alio dicatur?

Poſcit autem hic locus vt aliquid etiã hîc dicam de illa Omniſcientia quã Chriſto ab ipſa incarnatione, vt & alia omnia diuinitatis dona, (in eo quidem ipſum etiam Eutychetem ſuperans) planè tribuit Brentius. Nos igitur, quum Verbum fateamur eſſe incarnatum, id eſt carni perſonaliter vnitum, certè hac etiam ratione hominem illum facimus κατ᾽ ἄλλο, id eſt in æterna illa Patris ſapientia cui ipſe perſonaliter vnitus eſt, planè omniſciũ. Sin verò carnẽ in ſeſe cõſideres, prorſus id pernegamus. Scimus enim Chriſtum ſecundũ carnem (id eſt, ſi humana ipſius natura in ſeſe ſeorſim conſideretur) pro- Luc. 2. 52. Marc. 13. 32. feciſſe ſapientia, ſicut loquitur Lucas, & aliquid verè neſciuiſſe, ſicut ipſe de ſe teſtatur: quanuis idem ipſe ſecundùm ſpiritum (id eſt, quatenus erat æternus ille Deus λόγος) eſſet ante omnem æternitatem omniſcius. *Ergo*, dicet, *acceperat Spiritum ad menſurã.* Id verò nego ex illo conſequi. Qui enim ſic eſt homo vt ſimul ſit ὁ λόγος, quomodo nõ erit omnibus modis in eo perfectus? Deinde ſi ad dona in carnẽ ſeorſim collata à Verbo reſpicias, ne ſic quidem dici poteſt Chriſtus Spiritũ accepiſſe ad menſurã vt Petrus vel quiſpiã alius, etiam ſi ſapientia creuit adoleſcente corpore, & aliquid pro temporis ratione ignorauit. Nam vel vnius diei infans quiuis non deſinit eſſe animal rationis particeps, quãuis ad tempus nullum habeat eius rationis vſum. Sed in hoc tamen magnũ eſt quoque diſcrimen, quòd infans eſt δυνάμει potius quàm ἐνεργείᾳ rationis particeps donec adoleuerit, quòd animus propter organorum imbecillitatem vim ſuam exercere non poſſit. At in Chriſto ὁ λόγος ἀΐδιος per ſe ſic ſemper fuit omnipotens, vt caro etiam ipſa, id eſt humanitas ab ipſo conceptu, non in ſeſe quidem (vtpote quæ omnibus noſtris infirmitatibus, excepto peccato, nata ſit obnoxia) ſed κατ᾽ ἄλλο, id eſt in Verbo ſecũ perſonaliter vnito, non δυνάμει tantùm, ſed re ipſa fuerit omnipotẽs & omniſcia. Et hæc quidem de Omniſcientia. Brentius verò ſic pergit.

Chriſtus mortuus & ſepultus reſurrexit à mortuis & aſcẽdit in cælũ. Sed & Petrus reſurget à mortuis & aſcẽdet in cælũ. Et quod admirabilius eſt, Petrus iã corpore ſuo in puluerẽ redactus reſurget tandem à morte, quum Chriſtus nondum putrefactus, ſed mẽbris adhuc integris à morte reſurrexerit: vt illud in Petro penè mirabilius, quàm hoc in Chriſto videatur.

Hîc

Hic verò vtri credemus, Brentióne qui & Chriſtum & Petrum ſcribit (vt mox lique-
bit) ſimiliter reſurrexiſſe, an verò Apoſtolo clamãti Chriſtum declaratum fuiſſe Filium Rom.1.4
Dei ex eo quòd à mortuis reſurrexit? Reſurrexit enim hic vnus ſua ipſius non alterius
virtute, quoniam etiam mortuum corpus, erat Dei gloriæ corpus, ideóque ſua ipſius vi
non aliena reſurrexit, quod tam eſt vnius diuinæ naturæ opus, quàm mundum ex nihi-
lo condere. Sed audiamus quomodo huic obiectioni reſpondeat.

*Dicis, Chriſtus reſurrexit à morte ſua ipſius virtute, Petrus aliena. Imò ſicut Chriſtus exci-
tatus eſt diuina virtute, ita reſurget etiam Petrus diuina virtute, eáque non abſenti, ſed omni-
no præſenti: nec minus ipſi quàm Chriſto intimè præſenti: eáque tota præſenti, quod vbicunque
eſt diuinitas, ibi ſit tota.*

Dicit Brentius alterũ ex his duobus, nempe vel aliena virtute reſurrexiſſe tum Petrũ
tum Chriſtum: vel ſua virtute tum Petrũ tum Chriſtum reſurrexiſſe: ac proinde nõ poſ
ſe propter reſurrectionẽ dici, Chriſtum, nõ autẽ Petrum, eſſe Deum. Atqui vtrunque eſt
inſigniter blaſphemum in Filium Dei. Nã ſi aliena virtute reſurrexit etiã Chriſtus, alius
eſt certè Filius Dei, alius Filius hominis, ſicut alius eſt Deus, alius Petrus. Quid autẽ eſt
Chriſtum diuidere ſi hoc nõ eſt? Certè lõgè aliter ipſe Chriſtus, quum dicit poteſtatem
ſe habere deponendi animã ſuam, & rurſus eam ſumendi, quod qua tãdem ratione Brẽ-
tius vel Petro vel alij vlli creaturæ tribuerit? Quæ eſt autem hæc poteſtas? non ea certè
quã tradit, quaſi videlicet in ipſam carnem effuderit hãc poteſtatem qua poſſet ſeſe vi-
uificare (hoc enim eſt verè Eutychianũ, niſi malit duas omnipotentes naturas ac proin-
de duos Deos, vnũ videlicet à ſeipſo, alterũ aliunde accepta deitate ornatũ cõſtituere)
ſed quoniã Verbum eſt factum caro, id eſt, aſſumptam carnem, ſuam ſibiq; propriã effe-
cit, vt Chriſtus non ſit homo diuinus, vt Petrus vel alius quiſpiã, ſed homo Deus. Non
ergo aliena, ſed ſua propria virtute Chriſtus reſurrexit, quoniã cum illa etiam mortua
carne ὁ λόγος vnum erat. Petrus verò & omnes Sancti reſurgemus non noſtra ſed aliena
virtute, quoniam ſic adeſt nobis Deus, vt tamen Deus vel Petri vel aliorum ſanctorum
carnem, ſuam & ſibi propriam nõ effecerit, quod eſt perſonaliter alicui vniri. Rectè ita-
que Epheſinum Conciliũ anathemate 5, *Si quis*, inquit, *audeat dicere hominem Chriſtum
θεοφόρον, id eſt, deiferum, ac non potiùs Deum eſſe veraciter dixerit, tanquã Filium per naturã
ſecundùm quod Verbum caro factum eſt, & communicauit ſimiliter vt nos carni & ſanguini;
anathema ſit*. Et anathemate 7, *Si quis Ieſum velut hominem dicit operante Deo Verbo ad-
iutum, & gloriam vnigeniti tanquam alteri præter ipſum exiſtenti tribuit, anathema ſit.*

Sin verò Brentius mauult ſentire, ſicut Chriſtus ſua virtute reſurrexit .i. diuina virtu-
te intimè præſente, ſic etiã Petrum eadẽ virtute *nõ minus* (ſic enim ſcribit non ſine blaſ-
phemia) *ipſi quàm Chriſto intimè & quidẽ tota præſente* reſurrecturũ, quis nõ eũ videt etſi
efficaciorẽ, tamẽ eandẽ in genere Dei præſentiã in Chriſto & in Petro cõſtituere? Quid
Petrũ dico? imò eandẽ etiã quã in impiis ipſis. Cedò enim qua virtute niſi diuina, & ea
quidẽ tota præſente, & eos quãuis in mortem æternã, tamen ſuſcitãte impij reſurgent?

Deinde, quæſo, videat Brentius qua cõtumelia Chriſtus ſic afficiatur, vt qui infra Pe-
trum atiã atque alios quoſuis Sanctos, nõ quidem quod ad efficaciã, ſed quod ad diuinæ
naturę vnionem attinet, manifeſtè ſtatuatur. Nam quum ſic colligeret Brentius nõ mi-
nus præſentem totam diuinitatem Petro reſurrecturo fore quàm Chriſto fuerit in re-
ſurrectione, adeò vt hac ratione, dici nõ poſſit Chriſtus, nõ autem Petrus, eſſe Deus, an
nõ intelligit ſe totã diuinitatem ſimiliter præſentem in Chriſto & Petro ponere? Atqui
quum de perſonali vnione naturarũ in Chriſto loquimur, nõ de tribus perſonis, ſed de
vnica, id eſt, de ſecunda loquimur. Dicit enim Ioãnes, Verbum Deum, nõ autem vel Pa-
trem vel Spiritum ſanctum, factum eſſe carnem. Itaquę quum nõ aliam præſentiam Dei
in Chriſto quàm in Petro conſiderat, vel tres perſonas cum vtroque coniũgit, & ita
Petrum Chriſto exæquat: vel amplius Petro quàm Chriſto tribuit, quum Chriſtus nec
Patris nec Spiritus ſancti, ſed ſolius λόγου reſpectu, Deus ac Dominus ſit ac dicatur.

Stat ergo firma hæc ſententia, Chriſtũ eſſe Deum, quod ex ipſius potiſſimùm reſurre-
ctione toti mundo patefactũ eſt, ſicut clamat Apoſtolus: Petrum verò non itẽ. quia car- Rom.1.4
nem Chriſti non Petri vel alterius cuiuſquã ſibi propriam effecit æternus ille Deus Ver-
bum: ac proinde Chriſtus homo, quia etiam Deus eſt, ideo ſua non alterius vi reſurre-
xit: Petrus verò quia tantùm homo eſt, altero indiget viuificante. In Chriſto autem eſt
quidem Aliud & Aliud, ſed non Alius & Alius, quum ſit vnus Chriſtus Dominus Deus
& homo, ac proinde verus Mediator, non autem vnus Deus, & alter homo. Ergo, dicet,

negas totam diuinitatem corporaliter habitaſſe in Chriſto. De hoc verò mox dicetur, quum ipſum locum Apoſtoli citatum exponemus.

Chriſtus, inquit Brētius, *ideo fortaſſe tuo iudicio Deus eſſe dicēdus videtur, nō Petrus, quòd natus ſit ex Virgine abſq; peccato: nec vnquā peccarit. Sed ſi hac ratione cōſtaret diſcrimē, tum multo magis Adā eſſet Deus & Eua Dea, quod ille creatus ſit manibus Dei è pura terra: Eua è coſta viri, abſq; omni peccato. Quod mirabilius certè videtur quàm quòd Chriſtus cōceptus ſit è Spiritu ſācto in muliere, virgine quidē, muliere tamē ad generationē apta: quū è cōtrà limus terra nō eſſet ad generationē aptus. Quid ergo eſt quòd de Chriſto dicatur, Verbū caro factū eſt, nō aūt de Petro, quū Verbū nō minus ſua eſſētia, potētia & praſentia habitet in Petro q̄ in homine Criſto, nec putandum ſit illud dici quaſi nomine tantùm pracellat Chriſtus Petrum?*

Nemo verò noſtrûm ita inſanit vt dicat Chriſtum idcirco eſſe Deum, nō autem Petrum, quòd ſit natus ex Virgine ſine peccato, nec peccatum vnquam fecerit. Sed idcirco potius quòd verè ſit Deus, omnia illa vt ipſius vnius propria, ei tribuimus.

Quod aūt ſimpliciter dicit Brentius de Adamo & Eua, videri illorū creationē mirabiliorē quàm conceptionē Chriſti ex Virgine, hoc ego dogma blaſphemiæ accuſo & impietatis in his capitibus. Primùm, q; dicatur ſic inhabitare tota diuinitas ſecūdùm eſſentiā, potentiā, & pręſentiā in Chriſto, vt in Petro. Secūdò, q; dicitur nō eſſe diſcrimē inter Chriſtū & Petrū ratione editionis miraculorū, reſurrectionis, aſcēſionis in cęlū, imò etiā penè admirabiliorē eſſe Petri quàm Chriſti reſurrectionē. Tertiò, q; creationem Adami ex pura terra & Euæ ex Adami coſta, abſq; vllo, vt dicit, peccato nō penè, vt alicubi memini apud Patres legere, ſed ſimpliciter dicat mirabiliorē videri quàm q; Chriſtus cōceptus ſit è Spiritu ſancto in muliere, virgine quidem, muliere tamē ad generationē apta.

De prioribus illis duobus aliquoties iam diximus. De tertio dicam etiam quod veriſſimum eſſe certò ſcio, ex verbo Dei edoctus & puræ Eccleſiæ conſenſu.

Philoſophiam arcet Brentius ab hac diſceptatione: & ſanè in hoc myſterio longè aliâ ſapientia nobis opus eſſe concedimus. Sed tamen quoniam philoſophicè nonnihil hîc diſputat, vix ſanè obtinuerit vel philoſophicè loquēdo, mirabilius iſtud eſſe quàm illud. Gigni enim quotidie ex terra infinita animalia etiam perfecta videmus. & neſcio quid commentati ſunt Poetæ (Philoſophorum primi) de primi hominis figmento. Sed generati poſſe hominem ſiue ex virgine ſiue ex ea quæ virum aliquando cognouerit, abſque maris & fœminæ concubitu, id verò videtur maximè παράδοξον.

Sed quid iſta contēplatione opus eſt: Quid Brētio cōcepiſſe videtur Maria? an carnē duntaxat? atqui lōgè aliter Ioan. qui dicit τὸν λόγον qui erat in principio Deus apud Deū, factū eſſe carnē. Cōcepit ergo Deum hominem. i. nō hominem in quē effuderit diuinitas omnes ſuas proprietates (nā tunc quoq; nō eſſet Deus natura, ſed donorum participatione, quod prorſus eſt Neſtorianū ſimul & Eutychianū) ſed quicum Sermo ὁ λόγος ſemetipſum hypoſtaticè vniuit, alioqui non fuit θεοτόκος Maria. An verò de Petro vel quoquā alio id dicet ſine intolerabili blaſphemia? an peperit Immanuelē quę Petrū peperit? Immanuelē dico, nō q; (vt Brentius loquitur) ſit humanæ naturæ cōmunicata Omniſcientia, Omniſapientia, Omniiuſtitia, & Omnipræſentia, (quid enim aliud eſt hoc quàm quod Neſtorius clariùs & magis perſpicuè ſignificauit, quū diceret, donatū eſſe Chriſtum hominem æqualitate dignitatis ſiue authoritatis?) ſed quòd verè & natura ſit Deus homo, quoniam illam carnem Sermo ille ſibi propriā effecit. An verò mirabilius eſt virum ex terra eſſe cōditum, fœminam autem ex viri coſta, quàm Deum eſſe in carne manifeſtatum, quum in Virgine cōciperetur, & ex eadem naſceretur qui vna ex duabus naturis cōſtante perſona, & Deus ſimul & homo eſt? Brentius igitur primi Hominis è terra creationem in animam viuentem admirabitur quātum volet, (eſt enim verè in hoc etiam opere admirabilis Dominus) ſed ſecundi Hominis è cælo in ſpiritum viuificātem geniturā (id eſt Deum in carne manifeſtatum) cum Paulo exclamamus Magnum illud eſſe pietatis myſterium. Sed quorſum hæc tendant apertius etiam audiamus.

1. Tim. 3. 16

Quod ergo eſt, Inquit, *diſcrimen inter Chriſtum & Petrum, vt ille dicatur & ſit Deus, & hic nec dicatur nec ſit Deus? Et quid eſt quod de Chriſto dicitur, Verbū caro factum eſt, nō autem de Petro, quum Verbum ſeu ὁ λόγος non minus ſua eſſentia, potentia, & praſentia habitet in Petro quam in homine Chriſto? Nec ſentiendum eſt quòd homo Chriſtus nihil amplius pra Petro ab inhabitatione Verbi ſeu τοῦ λόγου prater nudum vocabulum reportet. Reliquum eſt igitur, quòd quum Euāgeliſta dicit de Chriſto, Verbum caro factū eſt, non ſentiat aternum Filium Dei ſimpliciter habitare in Filio hominis quē ex Maria virgine aſſumpſit, ſed ita in eo habita-*

habitare vt euehat ipſum vnà ſecũ in diuinam maieſtatẽ, & effundat in eum omnes ſuas proprietates. Et mox, *Itaq; diſcrimẽ Chriſti & Petri nõ eſt ſimpliciter ſumendũ ab inhabitatione Filij Dei, ſed à cõmunicatione proprietatũ eius. Filius enim Dei, etſi ſua eſſentia implet Petrũ ſicut & hominẽ Chriſtũ, nõ tamen cõmunicat Petro omnes ſuas proprietates, ſed tãtùm nõnullas. Viuificat Petrũ, cõſeruat in vita, dat Petro poteſtatẽ eyciẽdi Dæmones, imò etiã excitandi mortuos. Interea aũt nõ facit eũ omnipotentẽ, omniſcientẽ, omniſapientẽ, omniiuſtũ, & omnipræſentẽ. Filiũ verò hominis ornat nõ aliquibus tãtùm, ſed vniuerſis ſuis donis, & cõmunicat ipſi omnes ſuas proprietates.* Et mox, *Oſtẽdi eum factũ eſſe omniũ Dei proprietatum ſine vlla exceptione capacẽ, & niſi eã habeat capacitatẽ, nõ eſſe diſcrimẽ inter Chriſtũ & alios hoĩes, nec Verbũ fieri potuiſſe carnẽ.* Quid plura? vt nemo prorſus dubitare poſſit quo ſenſu Brẽtius Chriſtũ arbitretur Deũ eſſe, audiamus etiã quid de ea re tradãt Theſes illæ in Tubingẽſi academia diſputatæ, ex quibus viceſimã tãtùm adſcribemus, quæ ſic habet, *Non eſt imaginãda aut fingẽda alia Dei in Chriſto quàm in creaturis reliquis omnibus, quod adτόπιαν, diuinitatis præſentia, quæ vt in creaturis ἐνεργείᾳ diſcernitur, quòd alia in alijs agat & operetur, ita in Chriſtũ tota effunditur, vt iã extra ipſum nihil, ſed in homine & per hominẽ Chriſtũ oĩa in omnibus operetur.* Et 22. his verbis cõcepta eſt, *Neq; verò hac reali plenitudinis oĩs diuinitatis cõmunicatione, natura humana cũ diuinitate miſcetur, aut ſicut quibuſdã videtur, planè abolentur: ſed quod diuina eſt per eſſentiã, id humana ſuo modo per accidẽs cõmunicatur.*

Ex his verò quid aliud colligatur, quàm Chriſtum à Petro, imò à quibuſuis creaturis ſecundùm plus & minus differre, & Deum vocari nõ quòd Deus ſit eſſentia, ſed per accidens, quoniam videlicet eius caro ornata eſt omnibus diuinitatis donis? Et quænã illa ſunt quibus præ Petro ornatus eſt Chriſtus? Omniſcientia, omniſapientia, omniiuſtitia, & omnipræſentia. Hoc autem peto à Brentio, vt me ex ſe quærere patiatur, quũ iſta & iſtis ſimilia profert ex duobus vocabulis conflata, vtrũ intelligat Chriſto ita cõuenire vt nulli alij poſſint applicari. Deinde & hoc quæro, quid ſit ipſi Petrus, (quãdoquidem ſibi hoc exẽplum delegit) & quid ſit ipſi Chriſtus. Si bene percepi quod ſingulis penè paginis inculcauit, & Theſes illæ perſpicuè dicunt, nec ſcientiã, nec ſapientiã, nec iuſtitiã, nec præſentiã Dei detrahit Petro, neq; ſanè ſi hoc faceret, rectè faceret. Ergo in particula vniuerſali eſt diſcrimen, ꝙ in Petro ſit aliqua ſciẽtia, aliqua ſapientia, aliqua iuſtitia, nõ aũt omnis. De omnipræſentia verò quid dicemus, quod tamẽ præcipuũ eſt? Certè hîc hæreo. Quum enim Deitas inſeparabiliter (vt ipſe quidẽ loqui ſolet) impleat omnia, cõſequetur, vbicunque eſt humanitas Petri eſſe inſeparabiliter Deitatẽ, & quum eadẽ vbique tota ſit Deitas, viderit qua ratione probare poſſit nõ eſſe Petrum vbicunque eſt Deitas, quod video ipſum affirmare 14. Theſi, vbi dicit Deum nunquam eſſe ab Angelis & beatis hominibus ſeparandũ, de quo mox dicemus. Sic autẽ colligo: Si nõ eſt Petrus vbicunque eſt Deitas, & quoties vbi vnum eſt, alterum autem nõ item, ibi ſeparatio eſt: certè falſa eſt theſis quæ dicit nunquam ſeparãdum Deum ab Angelis & beatis ſpiritibus. Sin verò etiamſi vtrunque eodẽ loco non ſit, tamen non conſequitur vnũ ab altero eſſe ſeparatum, quid eſt de quo litigamus? & vbi eſt præcipuum illud argumentũ ex quo colligebat nos diſſoluere Chriſtum, quum dicimus non cõſequi etiãſi vnus eſt Chriſtus vbicunque eſt humana eius natura, etiam eſſe diuinam? Sed ad rem. Si hæc ſeparatio nõ eſt, ergo omnipræſentia etiam Petro, quid Petro? imò & ipſis diabolis tribuetur.

Et quæ eſt, obſecro, fides & ſpes noſtra ſi Deum qui non ex natura ſed ex cõmunicatione proprietatum Deus ſit, inuocamus? Dicit enim Brentius expreſſè non minus habitare τὸν λόγον ſua eſſẽtia & præſentia in Petro quàm in homine Chriſto, & huius inhabitationis diſcrimen à cõmunicatione proprietatũ eſſe petendum. Itaq; ſi ei credimus non erit Verbum factũ caro, ſed Verbum cõmunicarit ſuas omnes proprietates carni, & homo ille non erit eſſentialiter Deus. Ergo nõ eſt Seruator, nõ Mediator, non denique alius quàm aſcititius & creatus Deus. Nã certè ſi cõmunicatio omniũ proprietatũ fecit illum Deũ, & ea nõ fuit ab æterno, ſed tũ demũ quũ aſſumpta & formata fuit illa caro, Deitas iſta ante mille quingentos ſexagintaquinque annos nõ exiſtebat, quãuis τὸν λόγον deificationis iſtius authorẽ, coæternum Patri fateatur. Vnam igitur naturã ſtatuat oportet quanuis diuinitatis proprietatibus ornatã. Et quid eſt, obſecro, Chriſtum ſua eſſentiali deitate ſpoliare, ac proinde nos omnes idololatras conſtituere, ſi hoc non eſt?

Deinde quũ dicit cum natura humana cõmunicatas eſſe omnes diuinitatis proprietates ſine vlla exceptione, quid aliud dicit quàm plures ſic factas eſſe naturas omnipotentes? niſi fortè malit cum Eutychete apertè dicere humanam naturam à diuina ab-

ſorptam, quod ille quum diceret, quanuis falſa diceret, tamen non ita abſurdè vt Brentius, loquebatur, quoniam nihil eſt abſurdius quàm hominem aliquem conſtituere qui duntaxat ſit homo, & tamen omnibus diuinitatis proprietatibus ſit ornatus. Sint ergo ſanè naturæ iſtæ duæ ſeorſim, diuina & humana. Quum verò iſtam dicit ab illa reddi omnipotentem, idque non eſſentiæ vnione, quam ipſe non aliam in Chriſto quàm in Petro apertè ponit, ſed proprietatum omnium communicatione, an non manifeſtè ponit duas omnipotentes naturas? Vbi igitur Athanaſij Symbolum, vbi nomen illud Omnipotentis, quod creatorem ab omnibus creaturis diſtinguit? Quòd ſi obiecerit, conſtitui quidem duas omnipotentes naturas, ſed ita vt nihil decedat diuinitati, quoniam ſola ſit per ſe omnipotens, altera verò, nempe humana, non niſi per accidens, ſicut Theſes illæ manifeſtè dicunt: quid aliud facit quàm quòd cum creatura communicat quæ ſunt diuinitatis propria, & hominem Chriſtum, Deum adoptiuum facit? Vbi autem adoptiua iſta diuinitas, & quam tandem ſalutem ab ea expectabimus? Et quæ tandem ſpes noſtra ſi non illi Vnigenito, ſed Deo per accidens facto confidimus? & quis feret hoc portentum, adorandam eſſe creaturam quæ ſit tantùm Deus per accidens?

Ergo, inquiet, *Chriſtum totum adorandum negatis?* Abſit, ſed propterea adorandum dicimus, quia hæc caro eſt æterni Filij Dei caro, qui illam ſibi propriam fecit, vt hæc perſona Chriſtus, non communicatione accidentali proprietatum (quam primus Neſtorius fabricauit) nec confuſione aut abſorptione naturarum, quam inuexit Eutyches, ſed vnione ipſius hypoſtaſeos τοῦ λόγου ſit natura ac eſſentia Deus, & natura ac eſſentia homo, ſed vnus, quia illa iſtam ſibi propriam effecit.

Brentius igitur in ſumma, Chriſtum nō facit Deum, niſi per accidens, propter cōmunicationem diuinarum omnium proprietatū: quod dogma vt Neſtorianum, impurū, & blaſphemū repudiamus, & rogamus vt ipſe nobiſcū damnare malit quàm Eccleſiā Dei turbare. Nos verò Chriſtum vt natura & eſſentia ipſiſſimum vnigenitū Filium Dei, & ſimul natura & eſſentia filiū Dauidis, & tamen vnum propter vnionē Filium adoramus: nec gloſſema iſtud admittimus: *Verbū factū eſt caro. i. Verbum effudit omnes ſuas proprietates in carnē:* ſed interpretamur, *Verbum caro factum eſt. i. factū eſt caro, non vt hoſpes, nō vt ſuſtentator, non vt ſanctificator duntaxat, ſed vt illam efficiens ſuā ſibiq́; propriā*, vt ſicut corpus Petri eſt corpus animæ Petri, vt ita fiat vnus Petrus: ſic corpus & anima Chriſti ſint corpus & anima vnigeniti Filij Dei, vt vnus Chriſtus ſit eſſētialiter Deus & homo.

Quòd ſi reſpōdeat vbique etiā hoc ipſum à ſe inculcari, Chriſtū videlicet ex duabus naturis conſtare, & proprietates diuinitatis ab eſſentia minimè ſeparari, vt qui diſertè exprimat, omnes illas eſſe eſſentiā in Deo, audiat, obſecro, quid reſpōdeamus. Nō quærimus verba, ſed rē ipſam quærimus. Neſtorius certè nō negabat pleniſſimā diuinitatem habitaſſe in Chriſto, ſed nolebat Chriſtum Deum & hominē, vnum eſſe, quoniā Dei appellationē ita vt Brentius reſtringebat ad dignitatis exæquationem, & quidem, vt mox dicā, diſtinctiùs de his rebus loquens quàm Brentius faciat. Eutyches verò naturā quidem vnā pro duabus cōſtituebat, ſed ſicut naturas ſic etiam proprietates cōfundebat, vt qui Deum apertè paſſibilem in ſe factum fuiſſe diceret. Brentius verò quid aliud docet, quæſo? Etſi enim duas naturas cōfitetur, nō vult tamen diuinitatem aliter eſſe in Petro quàm in Chriſto, niſi quod ad efficaciā attinet, quā illę Theſes diſertè exprimunt, & lōgè maiorem in Chriſto fuiſſe vult quàm in Petro, quoniā in Petro nōnullas tantùm, in Chriſto verò omnes ſuas proprietates effundat. Quomodo igitur negabit ſe, ſicut Deū inhabitantem in Petro, & Petrum ipſum duas eſſe vult diſtinctas perſonas, (in quo rectè ſentit) ita etiam Chriſtum in duas perſonas diuidere, quod eſt prorſus blaſphemum?

Quòd ſi cōmunicatio proprietatum Brentio idem eſt atque ipſiuſmet hypoſtaſeos τοῦ λόγου vnio, cur Deum dicit vnitū Chriſto, non autem Petro? An quòd huic aliquæ tantùm, illi verò omnes cōmunicentur? Atqui hoc non impedit quo minus quanuis non tam efficaciter, tamen aliquatenus, ſi ratio illa valeat, vniatur Deus Petro, quatenus videlicet aliquæ proprietates ei cōmunicantur. Itaque ſi proprietates nō diſtinguit ab ipſa τοῦ λόγου hypoſtaſi, & earum cōmunicationē vocat vnionē, quid ſupererit niſi vt omnes creaturæ ſint dij, ſed inter illas Chriſtus infinitis partibus excellat? Ac proinde Maria fuerit θεοτόκος nō quòd is quem peperit ſit natura Deus & homo, ſed quia homo iſte per accidens habeat omnes illas diuinitatis proprietates quas Deus ex ſeſe habet, id eſt, vt apertè loquar, non Deus & homo eſt, ſed diuiniſſimus homo. quod dogma ſi verum eſt, maledicti certè ſumus omnes, qui diuiniſſimo etiā homini confidamus, & idololatrę, qui diuiniſſimam

Ciril. lib. de incarnatione cap. 17.

mam

mam etiam creaturam adoremus,& in Deum blaſphemi, qui creaturam omnibus proprietatibus ipſi exæquemus.

Quæro etiam,cur damnatus ſit Neſtorius ſi in Chriſto non tantùm eſt aliud & aliud (quod nos affirmamus)ſed etiā alius & alius,(quod Brētius re ipſa cum eo ſentit.) Nam quid ille quoq; non tribuebat homini Chriſto,quū,vt antè ex Cyrillo docui,omnē ei dignitatē,authoritatē, ipſumq; adeò Filij nomen ab inhabitāte Deo tributa cōfiteretur?

Omnia poſſum,inquit ille,in eo qui me corroborat: nec minus id dicere Petrus poterat. Fingamus autem hanc vniuerſalem particulam ſine exceptione intelligendam, an propterea Paulus & Deus vna erunt perſona?

Deus erit omnia in omnibus,an propterea omnes erunt vna cum Deo perſona?

Ponamus etiam,ſi libet,carnem Chriſti non tantùm effuſis (vt Brentius loquitur) ſiue cōmunicatis omnibus diuinitatis proprietatibus ornatum, ſed Deum ipſum ſeſe omni hac maieſtate & gloria abdicaſſe vt carnem noſtram in ſuo ipſius ſolio collocatam adoraret:an propterea homo iſte eſſet vna cum Deo perſona?Minimè profectò. Tātùm enim eſſet homo tranſlata in eum omni Dei maieſtate & authoritate ornatus,nec propterea niſi impropriè dici poſſet Deus. Nā is propriè Deus eſt qui eſsētia Deus eſt. Itaque multò minus ex Brētiano dogmate,homo iſte omnibus effuſis in eū proprietatibus Dei ornatus,erit propriè Deus·nec propter iſtā cōmunicationē Deus & homo vna fiet perſona,ſed ita fiet vt vna ſit propriè in Chriſto natura, diuinis ꝓprietatibus exornata.

Et quid fortius,obſecro,obiectū eſt Ario,quàm eum tollere diuinitatē Chriſti, quum Filium æternum Dei faceret non natura,ſed dignitate Deum?& tamen hunc ipſum Filium ille non cōmunicatione omnium proprietatum,vt Brentius, ſed hypoſtaticè corpori noſtro vnitum eſſe nō negabat,ac proinde quanuis eſſet in æternum illum Filium Dei blaſphemus,tamen Chriſti corpori plus etiam quàm Brentius tribuebat, quum fateretur qualemcunque illum Filium ipſa ſui hypoſtaſi ſic cum carne illa noſtra cōiunctum eſſe,vt hæ duæ eſſentiæ re ipſa ſic vnitæ vnam Chriſti perſonam conſtituerent.

Et quæſo quid pluribus opus eſt?obſecro te Illuſtriſs.Princeps,liceat nobis cognoſcere paulò propiùs quem tandē Chriſtum nobis iſtæ Theſes in academia tua Tubingenſi, vt aiunt,diſputatæ nobis proponant,quod eò cōfidentiùs à te peto quòd de tua egregia & Chriſtiana voluntate nihil prorſus dubitemus. Sic enim Theſes illæ explicant vnionis argumentum,vt planè appareat iurène an iniuria dicam, vnam Chriſti perſonam ex duabus naturis conſtantem verbo quidem à Brentio affirmari,re autem negari.

Theſes igitur quadruplicem vnionem nobis explicant. *Vnam ſimpliciſſimam & perfectiſſimam,qua tres hypoſtaſes,Patris,Filij,& Spiritus ſancti, eſſentia vnum ſunt:alteram, qua ex materia & forma quiddam compoſitum conſtituitur,vt ex anima & corpore,homo:tertiā,qua ſubſtantia & accidens,ſubiectum vnum conſtituunt, vt albedo & paries vnum ſunt. Poſtremam,qua,* inquit Brentius, *duæ naturæ ſiue ſubſtantiæ vnum perſonale conſtituunt, nō tanquā cōpoſitum ex partibus tertiū quoddā ἀσυνθέτως conſtituentibus,ſed quaſi per accidens,vt Scholaſtici loquūtur, vnū præter naturas & ſubſtantias cōſtituentes,non exiſtente tertia quadā per ſe ſubſtantia,quæ neque Deus neq; homo ſit. Quādoquidē vtraque natura de toto Chriſto in Quid prædicatur,quod in compoſitis naturalibus nō item fit. Dicimus enim,Chriſtus eſt Deus:item, Chriſtus eſt homo: qua ratione nō poſſumus dicere,homo eſt anima,aut homo eſt corpus,quum homo ſit quiddam ex vtriſque cōpoſitum tertia videlicet quædam οὐσία exiſtēs.*

Hæc in illis Theſibus ſcribuntur,pro Brentiani dogmatis fulcimento,in quibus liberè dicam quid reprehenſione dignum putemus.

Primùm quòd manca ſit prorſus iſta diuiſio,vt quæ nō vnam ſpeciem prętereat. Notum eſt enim quomodo Ariani Patrē & Filium vnum eſſe dixerint, quomodo vnum dicamur cum capite noſtro, quomodo ętiam vnum ſimul dicamur: quæ vnionis ſpecies nō debuerunt omitti,ſi quidem propoſitum erat illarum theſeωn authori omnes vnionis ſpecies perſequi,ſin autem illas attingere tantùm volebat quarum cognitio hîc requiritur,non videmus cur illam ſubiecti & accidentis potius quàm eam quæ eſt cōſenſus & voluntatis debuerit cōmemorare. Illam autem quæ eſt virtutis ſiue efficaciæ,ſecundum quam dicit Petrus nos fieri diuinæ naturæ participes,miror cur non expreſſerit,quum hæc ipſa ſit quam perſonalem vocat,quum ad rem ventum eſt.

Deinde quod de prima dicit,tres hypoſtaſes eſſe eſſentia vnum,etſi verum eſt,tamen myſterium illud admirabiliſſimū nō explicat. Quid enim mirum eſt,tres hypoſtaſes eſſe vnum eſſentia, quum idem in omnibus eiuſdē ſpeciei indiuiduis eueniat vt ſpecie ſint

vnum:Niſi enim ineſſet eadẽ ſpecies ſingulis indiuiduis, Petrus & Ioãnes nõ eſſent eadem ratione homines,& niſi in tota humana ſpecie ſubſiſterent ſingula indiuidua,non eſſent Petrus & Ioannes,homines,ſed totidẽ humanæ naturæ partes. Itaq; Athanaſius & cum eo omnes orthodoxi,nõ tãtùm *μίαν θεότητα*,ſed etiã *ἕνα θεὸν ἐν τριάδι καὶ τριάδα ἐν μονάδι* cõfitentur. Hoc eſt igitur arcanum huius vnionis, quòd propter huius naturæ diuinæ ſimpliciſſimam & ſingulariſſimam vnitatem tres ſunt numero hypoſtaſes, quæ non tantùm vnum ſunt eſſentia,vt creata ſpeciei indiuidua,ſed etiam vnus ſint Deus,quam etiam ob cauſam in natura diuina non vtimur indiuiduorum,ſed hypoſtaſεων vocabulo,quòd in creaturis quanuis ſingula indiuidua in tota ſpecie ſubſiſtant,tamen ipſa indiuidua plura ſint numero,ac proinde vna quidem humana ſit natura,ſed in plures ſingulares homines diuidua: Deitas verò adeò ſit ſimplex vt non minus quàm ipſæ hypoſtaſes ſit indiuidua,ac proinde tres numero hypoſtaſes,ſint non tantùm vna deitas, ſed etiam vnus Deus. Neque verò hæc attigiſſem niſi aliquatenus ad rem pertinerent.

Iam verò quod ad ſecundã ſpeciem vnionis attinet,oportuit diſtinctius & verius de his loqui. Nã ſi iſtis credimus,nulla erit,niſi in vno Chriſto,perſonalis pluriũ naturarũ vnio,quã & ipſam cur nõ rectè declarari credamus,mox declarabitur. Ait Brentius corpus & animã cõſtituere hominem vt materiã & formam. Atqui nõ ignorat quum de naturalibus principiis agitur, formas dici res quæ per ſe nullam ſubſiſtentiam habeant,& ineſſe propterea,nõ autem eſſe dicantur,quod de anima hominis dici nõ poteſt. Quod igitur Aoima dicitur hominis forma,corpus autem hominis materia,dextrè intelligendum eſt,quatenus videlicet anima hominem perficit. Nam alioqui anima ſic eſt altera pars ſubſtãtiæ hominis,vt quũ reipſa etiam per ſe ſubſiſtat, & ſuo modo ſpiritualẽ quoque materiã & formam habeat,ſit etiã materia ex qua homo cõſtet, vt ex corpore: duabus videlicet illis naturis non ſimul confuſis,ad tertiã *οὐσίαν* conſtituendam, ſed manentibus diſtinctis proprietatibus,ſic vnitis, vt vtraque efficiant vnũ *ὑφιστάμενον* quod hominem vocamus. Iterum igitur dico iſtam hominis cõſtitutionem in illis Theſibus perperam cõfundi cum ea vnionis ſpecie quæ ex materia & forma, vt principiis naturalibus, cõſtet,quũ potius & anima ipſa ſeorſim & corpus quoque ſigillatim præbeat illius cõpoſitionis exemplũ. Rectè itaque Athanaſius hãc vnionem vt perſonalem deſcribit his verbis, *ὡς ψυχὴ λογικὴ, καὶ ἡ σὰρξ εἷς ἐστιν ἄνθρωπος, οὕτω καὶ ὁ θεάνθρωπος εἷς ἐστι χριστὸς*, quod & Auguſtinus ad Dardanum,& Cyrillus copioſè explicat lib. de incarnatione,c. 7,& 24,& aliis infinitis penè locis, omnéſque adeò orthodoxi Patres inculcarunt. Neque tamen propterea quum hæc dicimus,myſterio incarnationis Domini, quo nihil eſt admirabilius, hominis generationem exæquamus,quæ etſi etiã eſt mirabile Dei opus, tamen infinitis modis infra illam ſubſidet: ſed hoc tantùm dicimus,perſonalem etiã eſſe duarum planè diuerſarum naturarum in homine vnionem. ſicut non propterea brutum homini facimus æquale, quòd vtrique dicamus animalis nomen conuenire. Et hæc quidem de ſecunda vnionis ratione,in illis Theſibus non ſatis rectè profectò deſcripta.

Ad tertiã venio,quã dicunt cõſtare ex ſubſtãtia & accidente idem ſubiectum cõſtituẽtibus,ſicut albedo & paries ſubiecto vnũ ſunt. Ego verò hîc quæro,proprietates illas diuinitatis,Omniſcientiã,Omniiuſtitiã,Omnipræſentiã,quæ,vt iſte dicit, in humanam naturã ſunt effuſæ,an accidentia,an verò eſſentiã diuinã vocet. Si eſſentiam vocet,ergo nõ vnita carni,ſed effuſa in carnẽ fuerit Dei eſſentia, & ita hæc caro facta fuerit Deus. Quod ſi ita eſt,quomodo ſcripſerit inhabitationem Dei in Petro & homine Chriſto,ea re vna differre quòd Petro tantùm nonnullas,omnes Chriſto proprietates cõmunicet?

Item,ſi ita eſt,id eſt,ſi proprietates idem declarant atque ipſa eſſentia, quomodo nõ diuidit eſſentiam,quum nonnullas tantùm Petro tribuit? Item cur eadem ratione Petrus non erit pro ſua menſura Deus?

Item,ſi has proprietates pro eſſentia Dei accipit,cur Chriſtum potius Filium, quàm Patrem,vel Spiritum ſanctum vocarit?

Quàm autem hæc omnia ſint abſurda & falſa, atque adeò blaſphema & impia minimè profectò ignorat,nec etiam dubito quin illa nobiſcum deteſtetur. Sed quomodo ex illo dogmate effuſionis proprietatum Dei in carnem,non conſequantur,id verò nobis cupimus demonſtrari.

Sin verò,(quod potius arbitror) proprietates illas hîc cõſiderat vt attributa, rogo ne grauetur reſpondere,an pro formis,an verò pro accidentibus accipiat. Si pro formis accipit,ergo hæc vnio erit ſecunda illa quam ex materia & forma in illis Theſibus ſecũdo

loco

loco poſuit,& rurſus fuerit ipſi explicandum cur Chriſtus potius Filius dicatur, quàm Pater vel Spiritus ſanctus,quum nullas proprietates numeret niſi quæ ſunt vnius illius eſſentiæ,ac proinde trium in vna eſſentia perſonarum.

Sin accipit pro accidentibus,ergo Chriſtus non eſſentia,ſed per accidens, nō natura ſed integra virtutis communicatione erit Deus:ac proinde in Monophyſitarum partes erit tranſeundum, qui in Chriſto vnicam duntaxat naturam, humanam videlicet, ponunt:qua blaſphemia quid tandem magis horrendum dici poteſt?

Denique,ſi proprietates iſtas habet pro accidentibus quantumuis perfectis,& reipſa inſeparabilibus,quid attinebat quartam in Chriſto vnionem cōſiderare?Nam iſta certè ex ſubiecto(videlicet homine)& accidentibus(nēpe diuinitatis proprietatibus)conſtabit,vt Chriſtus ſit per accidens Deus.

Tandem autem etiam ad quartam illam vnionis rationem accedo, quam vni Chriſto tribuit,& ita deſcribit vt ſit qua duæ naturæ ſiue ſubſtantiæ vnum perſonale conſtituunt,non tanquam compoſitum ex partibus tertium quoddam οὐσιῶδες conſtituentibus, ſed quaſi per accidens, vt Scholaſtici loquuntur, vnum præter naturas & ſubſtantias conſtituentes, non exiſtente tertia quadam per ſe ſubſtantia quæ nec Deus nec homo ſit.

Hæc eſt Brentiana deſcriptio, quam nos ſanè non modò vt nouā & in Eccleſia Dei inauditā,ſed etiam vt prorſus falſam repudiamus. Neque enim in vnione perſonali vnquam agnouit Eccleſia illud *Per accidens*,vt iſti quidem intelligunt.Quod autem addit de tertio quodam οὐσιώδει compoſito,planè oſtendit quæ ſit eorum ſententia:in hac videlicet vnione conſtitui vnum quiddam præter naturas, non ſubſtantia, ſed per accidēs.Cedò verò quid illud eſt? nempe Chriſtus.Quis igitur illis Chriſtus? vnum aliquid præter illas duas naturas,non tamen ſubſtantia,(ne videantur cum Eutychete facere) ſed per accidens,id eſt,(ſi ſententiam illorum percipio) proprietatibus alterius (videlicet diuinæ naturæ)in alterā (nempe humanam) effuſis. Quid igitur?nempe Chriſtus nō erit tertia quædam ſubſtantia ex vtraque,qua in re illis aſſentimur:ſed non erit quoque compoſitum οὐσιῶδες ex duabus naturis tanquam partibus conſtituentibus totum,qua in re ſic ab illis diſſentimus, vt hominem illum credamus eſſe verè eſſentialiter ipſiſſimum illum Filium Dei vnigenitum, naturarum videlicet ipſarum vnione inconfuſa; non autem per accidens,ſiue proprietatum effuſione. Neque enim hoc eſt Deum eſſe, ſed diuinum eſſe:&,hoc cōceſſo, Chriſtus ex vna tantùm natura humana cōſtaret, proprietatibus autem geminis: quod dogma non tantùm abſurdum, ſed etiam blaſphemū & impium eſſe affirmamus.

Denique quod in eadem nona theſi ſubijcitur, neſcio quomodo defendi vel ex philoſophia vel ex theologia poſſit. Volunt enim iſti hominem & compoſita eiuſmodi naturalia eſſe tertiam quandam per ſe ſubſtantiam,quæ neutrū illorum ſit ex quibus conſtituitur. Sic enim ſcribunt:*Vtraque natura de toto Chriſto in Quid prædicatur,quod in cōpoſitis naturalibus nō itē fit. Dicimus enim,Chriſtus eſt Deus Itē,Chriſtus eſt homo: qua ratione non poſſumus dicere,homo eſt anima,aut homo eſt corpus:quum homo ſit quiddam ex vtriſque compoſitum,tertia videlicet quadam* οὐσία *exiſtens.*

At nos neque ex communi ſenſu, neque ex phyſicis,neque ex theologicis,didicimus hominem vllum eſſe tertiam aliquam οὐσίαν quæ neque corpus neque anima ſit,ſed eſſe compoſitum quod non ſit quidem duntaxat corpus,vel duntaxat anima, ſed tamen ſit vtrunque illud,nempe & anima & corpus. Nec verò aliter poſſumus de Chriſto ſentire, quem & Deum & hominem eſſe Scripturæ apertiſſimè teſtātur. Neque enim quod hîc dicitur,in vnione propriè ſic vocata,ſed in cōfuſione accidit. Mulſum enim nec mel eſt nec aqua,& electrum nec aurum eſt nec argentum, quo modo certè non poteſt dici vel in vllo homine duas ſubſtantias animam & corpus,vel in Chriſto τὸν λόγον & humanam naturam cōfundi.Quis enim eſſet Deus iſte qui confundi ſuſtineret,& quis iſte Seruator,qui neque Deus neque homo eſſet ?Quis item homo eſſet,qui neque corpus neque anima eſſet, ſed tertia quædam ex vtroque natura? Videt ergo Brētius vnionem à ſe cū confuſione confundi,& tum in homine tum in Chriſto,vnionis perſonalis verum exemplum à nobis proponi.

At enim,inquiet,*de toto Chriſto vtraque illa natura in Quid prædicatur, nempe Deus & homo,de homine vero anima & corpus non item.*

Concedimus quod de Chriſto dicitur,& quum illud τὸ τί de ſubſtantia ipſa quærat,

concludimus Chriſtum eſſentialiter eſſe vtrumque, nempe & Deum & hominem. An ille verò de Petro vel alio quopiam hoc dixerit? Minimè profectò. Quî fit igitur vt diſertè & toties Brentius inculcet non aliam eſſe Dei in Chriſto quàm in Petro, quod ad οὐσίαν attinet, præſentiam? Quî fit, inquam, vt quod eſt eſſentiale ipſe in proprietatum omnium effuſione ponat, & tamen de Chriſto vtranque eſſentiam prædicari ſentiat?

Cæterùm quòd de homine dicit vtranque naturam non prædicari, dignũ eſt quod conſideretur. Nam primùm omnium ſi Scripturæ phraſin conſideres, cõſtat & Animæ & Carnis appellatione ſæpe totum hominem intelligi, vel hoc ſaltem loco vbi dicitur Verbum factum fuiſſe carnem. Sed nolo ſubtilitatibus iſtis indulgere. Largior valde impropriè dici, *Homo eſt anima rationis particeps*, &, *Homo eſt corpus bipes erectum*, &c. quũ tamen Chriſtus paſſim vocetur homo, itémque Deus gloriæ, & Deus benedictus in ſecula. Sed hoc qua tandem ratione eueniat conſiderare ſanè oportuit. Non euenit autẽ quòd diuerſa ſit in genere vnio naturarum in Chriſto & quouis homine, vt Brentius putauit: ſed quoniam cùm in alijs multis tum in hoc potiſſimùm naturæ iſtæ quæ vniuntur inter ſe differant (vt ſuprà etiam diximus) quòd hæc nomina Deus & Homo ſint perfectorum ſiue integrorum ὑφισαμένων nomina. Anima verò & corpus non itẽ. Etſi enim & anima & corpus ſunt res per ſe non intellectumodò, ſed etiam re ipſa ſubſiſtentes, adeò quidem vt illa ad tempus etiam abſque corpore perduret, tamen anima non ideo condita eſt vt per ſe maneat, ſed vt corpori vnita hominem conſtituat: quod ipſum quoque eſt de corpore intelligendum, idcirco creato vt recepta anima rationis participe, ſic euadat animal non tertia aliqua ſubſtantia, quæ neutrum illud ſit, ſed vnum, ex duobus illis ſimul perſonaliter vnitis ὑφισάμενον, quod eſt homo. Itaque *Hominem eſſe corpus bipes erectum*, &c. vel, *animam rationis participem*, non ſatis appoſitè dixerim, quoniam iſtæ ſunt totius compoſiti partes, vt loquuntur, abſtractæ, nullum ſuis omnibus numeris abſolutum ὑφισάμενον ſignificantes: *Chriſtum verò & Deum & hominem eſſe* aptè dixerimus, quoniam & Deus & homo ſunt integrorum & totorum ὑφισαμένων nomina. Nec propterea conſequitur duo eſſe in Chriſto ὑφισάμενα, quum quæ duo ſunt per ſe, in vnum non tertium, ſed quod ſit illud vtrunque, id eſt, in vnam Chriſti perſonam coierint, & ita quidem vt in Verbo ſubſiſtat caro aſſumpta, non contrà. Itaque (vt paucis dicam) iſtam perſonalis vnionis deſcriptionem quis tandem recipiat? Sed agè, progrediamur.

Profert obiter Brentius duo teſtimonia, vnũ ex Cyrillo, alterum ex Auguſtino, quanuis locum non citet. Cyrillus habet: *Sicut Deus exiſtens natura & ex Deo natus, propria facit humana: ita & homo factus deitate dignum honorem & gloriam tanquam propriam habet. Adoratur enim non ſolùm ſuper terram, ſed & in terris.*

Reſpondeo hoc ipſum eſſe quod perpetuò in hac diſputatione inculcamus, nedum vt hoc Cyrilli dictum inficiemur, quo nullum meliorem huius doctrinæ interpretem quærimus, quanuis eò vſque in Neſtoriano dogmate euertendo ſit progreſſus, vt Eutyches eius etiam teſtimonijs poſtea auſus ſit abuti. Videt Brentius ab eo comparari ſingularum naturarum idiomata, cuius collationis baſis & fundamentum eſt, ipſarum, quibus attribuuntur, naturarum vnio. Dicit ergo Cyrillus, quod etiam ſingulis penè verſiculis repetit, propterea quòd hæc vnio eſt perſonalis, id eſt, quia hac vnione naturarum, altera fit alterius propria, quæ ſingulis inſunt alterius viciſſim fieri: ſed ſimili ratione, nempe vt ſicut ὁ λόγος propterea quòd hunc hominem ſibi proprium effecit, idcirco in ſe quodammodo omnia humana tranſtulit: ita etiam hic homo quia proprius factus eſt τῷ λόγου, habeat quaſi ſibi propria omnia illius diuina. Exempli cauſa, Deus dicitur natus, paſſus, mortuus, ſepultus, &c. quæ omnia tamen humana ſunt, non diuina. Cur id verò? quoniam eum ſibi perſonaliter vniuit, id eſt ſibi proprium effecit, cui omnia illa propriè competunt. Sic viciſſim hic homo dicitur viuificare, iudicare, ſeruare, eſſe in cælis quum ſit in terris, ante Abrahamum fuiſſe: quæ omnia ſunt diuina, non humana. Quamobrem id verò? nempe quia huius hominis natura ſic à Deo aſſumpta eſt, vt facta ſit ei propria, vt quæ vnum cum eo ὑφισάμενον conſtituat.

Hanc autem eſſe Cyrilli & omnium orthodoxorum ſententiam ne Brentius quidem ipſe, vt opinor, inficiabitur. & ſanè miror eum non animaduertiſſe iſta tum aduerſus eos dici qui naturas diſſoluunt, tum etiam aduerſus eos qui eaſdem confundunt. Diſſolutioni

ſolutioni enim contrarium eſt illud ꝙ altera alterius proprietates ſuas ducit, quod non fieret niſi altera fieret alterius propria. Exempli cauſa, Cur dolente dæmoniaci alicuius corpore, dolere dicetur eiuſdē anima, quū tamen dolor ſit propriè corporis? *quoniā*, inquit Cyrillus lib. De incarnat. cap. 24, *anima ſic adunata eſt ſuo corpori, vt penè videatur nō eſſe alia præter corpus, eo ꝙ per cōpoſitionem ex vtroque vnum animal efficiatur.* Cur autē dolente dæmoniaco non dolet dæmonium, ſed potius exultat, quum tamen & ipſum inſit corpori? Quoniam ſic ineſt corpori vt tamen illud non efficiat ſuum ſiue cum eo in vnū ὑφιστάμενον minimè coit. Et viciſſim, cur gaudente anima, hilare quoque fit corpus, niſi quoniam vtraque vnum ſunt? *Sicut ergo*, inquit Cyrillus eodem lib. cap. 7. *corpus eſt alterius naturæ præter animam, vnus tamen ex vtroque homo efficitur & vocatur, ita etiā ex perfecta Dei verbi* SVBSĪSTENTIA, (non dicit, vt Brentius, ex diuinitatis proprietatibus effuſis) *& humanitate perfecta, vnus eſt Chriſtus, idem in eodem* (videlicet ὑφισταμένῳ) *Deus ſimul & homo, & ſua quidē ducit Deus verbum ea quæ ſunt carnis propria, quia ipſius eſt corpus & non alterius*, (attendat Brentius veram perſonalis vnionis differentiam) *communes autem facit vt cum ſua carne, diuinæ ſuæ maieſtatis operationes, vt poſſet etiam viuificare mortuos, & ſanare infirmos.* Et hæc quidē aduerſus naturarum diſſolutionem dicta ſint, quæ omnino cōſequitur niſi ipſarum naturarum coitio ſtatuatur. Rectè enim idem Cyrillus eiuſdē libri cap. 26. *vnitatis ratio ſi ſola dignitatis æqualitate ſiue authoritatis intelligatur, non eſſe vera conuincitur.*

Nunc videamus quomodo hæc eadem ſint aduerſus naturarum confuſionem applicanda. *Dicitur ὁ λόγος facere ſua quæ ſunt humana, & viciſſim quatenus homo factus eſt, tanquam propriam habere gloriam deitate dignam: & Deus iſti carni ſuæ communes facere diuinæ maieſtatis operationes.* Hæc quum nonnulli legerent, & non intelligerent, crediderūt & docuerunt ſic humana attribui Deo, vt re vera ineſſent ipſi diuinæ naturæ, ac proinde Deum in ſeſe paſſibilem factum: & viciſſim diuina ſic attribui homini, vt natura humana in ſeſe eſſet illis diuinis prædita. ex quibus erroribus multa & abſurda conſequebantur: Deum videlicet eſſe mutabilem: & hominem eſſe in ſeipſo deificatum: & Chriſtum neque Deum neque hominem eſſe, ſed quiddam ex vtroque confuſum, ac proinde nihil minus quàm Mediatorem eſſe. Atqui Epheſina Synodus nihil eiuſmodi docuerat, ſed ita loquuta fuerat diſtinctè, τὸν λόγον factum eſſe carnem, quoniam carnem ſibi propriam effecit, adeò vt, manentibus & τοῦ λόγου & carnis proprietatibus diſtinctis (ſicut anima corpori vnita, nihilominus vtrunque in ſua natura manet) vnius tamen proprietates de altera inconfuſè dicantur, propter perſonæ vnitatem. Itaque *Deū quidē paſſum eſſe* dixerunt, ſed in carne (vt loquitur Petrus) & *Deum gloriæ crucifixū*, (vt loquitur Paulus) ſed carne quæ crucifigi poterat: & viciſſim, *filium hominis deſcendiſſe de cælo, & ante Abrahamum fuiſſe*, ſed vt Deum, quatenus videlicet vnus eſt cum Deo. qua de re Leo I. Rom. Epiſcopus, cuius epiſtola toti Chalcedonenſi ſynodo maximè placuit, hanc regulam tradidit cùm alijs multis locis, tum verò epiſtola decima ad Flauianū: *Agit vtraque forma cum alterius communione, quod ſibi proprium eſt: Verbo videlicet operante quod Verbi eſt, & carne exequente quod carnis eſt.*

Duo igitur præcipuè in iſta *ἰδιωμάτων κοινωνίᾳ* dicimus à Brentio non animaduerſa. vnum, ꝙ de diuina natura eadem quæ de Deo, & de humana natura eadem quæ de homine, id eſt, de abſtractis ſiue per ſe conſideratis naturis eadem atque de ipſa concreta, vt ita loquar, perſona, quanuis ex alterius tantùm naturæ nomine, putà Dei vel hominis appellata, prædicari poſſe exiſtimauit, quod tamen neque in Scripturis vſquā, neq; in orthodoxis ſcripturis inueniet. Dicimus enim Deum gloriæ, τὸν λόγον videlicet, crucifixum, diuinam autem naturam non item: & hominem illum eſſe vnigenitum Deum ex Deo, humanam autem naturam non item.

Alterum autem, vnde prius illud merè Eutychianū dogma profluxit, hoc eſt, ꝙ illas loquutiones, *Sua facere vel ducere humana, & communes facere ſua carni ſuas operationes*, ita interpretatus eſt, acſi re ipſa proprietates illæ à natura in naturam effunderentur, manentibus interim ſaluis ipſis naturarū eſſentijs, qui error in duo alia præcipitia ipſum abduxit. Quum enim videret non poſſe humana in diuinam naturam effundi abſque eius imminutione, cōfugit ad *οἰκονομίαν*, quæ ſi realis & vera eſt, quid tandē profecit? Ita enim re vera fuerit imminuta diuinitas. Sin verò tantùm eſt intellectualis, & noſtri reſpectu, vt quum apparuit Dominus Abrahamo ſub quercu, quod tandem eſt noſtræ ſalutis arcanum, & quàm propè à Manicheorum delirijs abſumus?

In altera autem parte, id eſt, proprietatum diuinarnm in humanam collatione, longè fuit liberalior, vt qui ſingulis ferè paginis OMNES proprietates diuinitaris in humanitarem effuſas fuiſſe dicat.

Cæterùm quoniam non minus metuendam hîc vidit naturæ humanæ abolitionem quàm diuinæ imminutionem, exiſtimauit omnem confuſionem virari ſi diuinitatem diceret in Chriſtum non ſeipſam ſed ſuas omnes proprietates effundere, quo commento merè Neſtoriano ſæpe iam demonſtrauimus vnam rantùm naturam in Chriſto, non iam Deo & homine, ſed diuino tantùm ſiue per accidens homine conſtitui, ac proinde ſicut in Petro & quouis alio, ſic etiam in Chriſto vtraſque naturas, etiã ſi ſimul præſentes ſtatuantur, tamen ſeparari.

Vt aurẽ omnia hæc vitaret, & Chriſtũ nobiſcũ, nõ ſumma gratia, participatione, dignitare, aurhoritate, filiationis honore (quæ omnia dãnauit iãpridẽ Eccleſia in Neſtorio, ne Anrhropolatriæ dãnaremur) ſed natura verè & eſſentialirer Deũ & hominẽ cõfitetetur, oportuit illũ & iſtatũ narurarũ perſonalẽ vnionẽ in ſolo Chriſto, & proprierarũ vtriuſque eſſenriæ incõmunicabilium realem diſtinctionem agnoſcere, quam vbique & Scriptura proponit, & Eccleſia aſſeruir, & Cyrillus inrer cæteros fortiſſimè defendit.

Citar prærerea Brenrius hæc Auguſtini verba, *Fortè putat quiſpiam veſtrûm quia homo ille ſuſceptus à ſapientia Dei, æqualis erit cæteris hominibus, &c. Certè omnia membra efficiũt vnum corpus. Multum tamen intereſt inter caput & cætera membra. Etenim in cæteris membris non ſentis niſi tactu, in capite autem & vides, & audis, & olfacis, & guſtas, & tangis. Si tanta eſt excellentia capitis ad cætera membra, quanta eſt capitis vniuerſæ Eccleſiæ, id eſt, illius hominis quem voluit Deus mediatorem eſſe inter Deum & homines?* Et mox, *Confirmatum eſt in catholica fide hominem illum quem ſuſcepit ſapientia Dei, nihil minus habuiſſe quàm cæteros homines, quantum pertinet ad integritatem naturæ: quantum autem ad excellentiam perſonæ, aliud quàm cæteros homines. Nã cæteri homines poſſunt dici participes Verbi, habẽtes Verbum Dei, nullus autem eorum poteſt dici Verbum Dei, quod dictum eſt illi, cui dictum eſt, Verbum caro factum eſt.* Hactenus ille. Quid verò Brentius inde colligit? *Quum docet*, inquit, *omnes ſenſus eſſe in capite, perſpicuè ſignificat omnem Dei maieſtatem eſſe in maieſtate Chriſti.*

Enimuerò vter noſtrûm amplius tribuit Chriſto? Brenriúſne qui per accidens eũ dicit eſſe Deum, quique (excepra perfecta efficacia) nõ aliã deitaris in ipſo quàm in crearuris omnibus præſentiam, quod ad *οὐσίαν* attinet, conſtiruit: an verò qui illum natura & eſſenria dicit & credit eſſe verè Filium Dei vnigenitum? íſne qui diuinitarem eius ex ſola omnium proprietatum cõmunicatione metitur, an qui ex ipſiſſimi Sermonis cum carne noſtra vnione illam æſtimat? Certè nihil æquè vrgemus quàm quòd hîc exprimir Auguſtinus, *plurimùm* videlicet *differre, eſſe participem verbi Dei & eſſe ipſum Dei Verbum.*

Col. 2. 9 Profert Brentius aureum illud Pauli dictum, *In ipſo inhabitat omnis plenitudo deitatis corporaliter: quod ſit ſudes in noſtris oculis, vt tanta lucis ſplendorem ferre non poßimus.*

Nos verò, agnoſcimus & cum gemiribus aſſiduis ſentimus denſiſsimas adhuc eſſe tenebras in quibus verſamur, ſed tamen vt ingenuè loquamur, pluſculum etiam Brenrio lucis, vr & nobis, precamur. Omirto quæ hic in nos iaculatur, quoniam nec illum nec nos decent. Cerrè nobis non conuenit ꝙ confingit nos vocabulum deitatis pro felicirare accipere. Quibus enim hoc in mentem minus venerit quàm ijs qui Chriſtum confitenrur Deum, non proprietatum communicatione, ſed ipſius τοῦ λόγου hypoſtaſeos vnione? Er ꝙ nos arbirrarur ſentire *tantum eſſe deitatis in Chriſto* (hæc enim ipſius verba ſunt) *quanta ſit capax*, ſatis oſtendit, Brentium, nec quid dicamus ne quid ipſe dicar ſatis arrendere. Chriſtum enim quum nominamus, Filium illum Dei vnicum Dominũ noſtrum Seruatorem nominamus, verum Deum ſimul & hominem, nec aliter nos loquutos deprehender. Quorſum igitur nos exiſtimar de illius capacirate diſſerere, cuius non accidentariam, vt ipſe facir, non ex proprieratum omnium communicarione, non denique ex participarione vel graria effuſam, ſed infiniram, veram, plenam, æterni illius Filij hypoſtaſin ipſam carni noſtræ vniram adoramus? Quum igitur pro carnis nomine, Chriſti nomen Brentius ſupponit, aut iudicium aut candorem, aut vtrunque in eo meritò requirimus.

Sed ad rem. Vult Brentius in carnem effuſas OMNES, OMNES, inquam, diuinitatis proprictates, ne quid ſit quod Chriſto non rribuatur, & millies inculcat alioqui

nos

nos Chriſtum facere Petri ſimilem. Nec animaduertit, nos quum τὸν λόγον ipſum (id eſt, ipſam Filij vnigeniti hypoſtaſin) dicimus verè & eſſentialiter, inconfuſis proprietatibus illi vni carni vnitum, omnia Chriſto tribuere, ſe verò quum aliam diuinitatis in Chriſto quàm in quauis creatura, quod ad οὐσίαν attinet, præſentiam non conſtituit, ei adimere quod eius vnius eſt proprium, eúmque ſupra omnes creaturas in infinitum attollit. Hoc igitur dico, eum qui dicat τὸν λόγον ipſum non magis implere carnem noſtram ſua eſſentia in Chriſto quàm in Petro, negare hoc ipſum quod ipſemet ex Paulo citat, quia plenitudo deitatis corporaliter inhabitans ipſius hypoſtaſeos τοῦ λόγου vnionem, non autem proprietatum vel aliquarum vel omnium effuſionem reſpicit. Sed Brentius putat carni adimi quod in ipſam non effunditur: nos verò τοῦ λόγου cum carne hypoſtaticè, id eſt, ſaluis & inconfuſis tum eſſentijs naturarum tum earum differentijs vnito, omnia ei tribui non dubitamus, quanuis etiam, quod ad ipſius carnis in ſeſe & per ſe conſideratæ dotes & gratias attinet, ſic eam ſupra omnes creaturas attollamus, vt tamen diuinitati non magis exæquatam eſſe dicamus, quàm corpus animæ exæquatur quum ea ſuo corpori adunata, vnum ex vtraque natura animal conſtituitur. Sed quum Verbum ſit factum caro, quid amplius requirat? Effuſis autem, vt vult Brentius, omnibus in carnem proprietatibus diuinitatis, haberet adhuc Caro illa aſſumpta quod requireret, nempe illud ipſum à quo proprietates illæ manant, quod niſi obtineat, nec ſaluifica eſſe poteſt quum Dei vnius ſit (Dei, inquam, natura non communicatione) remittere peccata & vitam æternam impertiri: nec adorari debet quum vnus ſit Deus ille verè adorandus. Hoc ipſum eſt igitur quod noſtræ illi carni in vno Chriſto tributum eſt ineffabili illo myſterio, nempe vt non virtute, non gratia, non dignitate, non authoritate, non omnium proprietatum communicatione, non filiationis honore, ſed ſuæ eſſentiæ vnione, ὁ λόγος fieret caro. Nunc ergo videtis vtri non poſſint huius Paulinæ & verè cæleſtis ſententiæ ſplendorem pati. Audiamus tamen quomodo hæc exponat.

Nō dicitur, Inquit, *plenitudo deitatis habitare in deitate Chriſti, ſed in humanitate Chriſti.* Aſſentimur.

Item, *Non ſit* (inquit) *ſermo de vulgari inhabitatione deitatis in homine, ſed de inhabitatione perſonali, hoc eſt de inhabitatione eius deitatis quæ per Filiū Dei, ſeu τὸν λόγον, Filio hominis communicatur.*

Concedimus ſanè hanc inhabitationem longè & latè differre, vtpote qua ὁ λόγος re vera fiat caro perſonali vnione. Sed quis vnquã perſonalem vnionem ita definiuit? qua videlicet non ipſius hypoſtaſeos vnio, ſed proprietatum effuſio ab vna eſſentiæ diuinæ perſona, nempe à Filio, facta ſignificetur? Certè non ita eſſet Verbum factum caro, ſed caro, effuſis τοῦ λόγου proprietatibus, deificata. Et tamen quum ad illas proprietates enumerandas ventum eſt, nihil recenſet Brentius quod non ſimul tribus illis perſonis, Patri, Filio, & Spiritui ſancto, eſſentiæ reſpectu, propriè conueniat.

Expendit poſtea verba illa, O M N I S *plenitudo deitatis*, quaſi videlicet deitatē velimus in partes diſcerpere. Atqui nos vnam, indiuiſam, & ſimpliciſſimã eſſentiam diuinã, in tribus hypoſtaſibus agnoſcimus. Sed quum in hac tota eſſentia ſigillatim tres illæ diſtinctæ hypoſtaſes exiſtant, adeò vt non tantùm vna ſint deitas, ſed etiã vnus Deus, doceat nos Brentius, quid hic nobis ſentiendum credat. Nam ſi omnē iſtam plenitudinem deitatis ad οὐσίαν referet, quum hîc agatur de perſonali per ἐνσάρκωσιν inhabitatione, quàm propè abſit à Sabellio & Patropaſſianis ipſimet æſtimandum relinquo. Cur autem ita ſentire ipſum arbitremur ex his ſuis verbis colligimus.

In omni, inquit, *& perfecta Dei plenitudine continetur non tantùm omnipotentia, verùm etiam omniſapientia, omniſcientia, omniiuſtitia, omnifelicitas, & omnipræſentia, quæ etiam vno Omnipotentiæ nomine comprehendi poſſunt.*

Quid enim hic affert Brentius, quod non Patri, Filio, ac Spiritui ſancto æquè & identicè, vt loquuntur, conueniat? Vbi igitur illa non Patris, non Spiritus ſancti, ſed ſolius Filij ἐνσάρκωσις de qua hîc diſſerit Apoſtolus? Res autem ita ſe habet. Vbicunque diuinitas eſt, tota eſt, & Filius non eſt, vt Arius blaſphemabat, ſecũdarius aliquis Deus, ἐξ οὐκ ὄντων: nec aliunde eſſentiatus Deus, vt blaſphemant hodie Tritheitæ in Polonia, ſed vnus idē Deus atque Pater & Spiritus ſanctus. Itaque caro à ſolo quidē Filio, ſed tamen à toto Deo eſt perſonaliter aſſumpta, quum in vna eadémque ſimpliciſſima ac ſingulariſſima eſſentia ſingulæ illæ hypoſtaſes exiſtant. Eſt ergo hic homo aſſumptus

verè omnipotens, non tamen cum Deo, ſed in Deo, ſi propriè loquimur: neque in Deo ſimpliciter, (conuenit enim æquè hoc nomen tribus hypoſtaſibus,) ſed in Filio, quoniã totus quidem Deus, ſed non totum id quod Deus eſt carnem noſtram aſſumpſit, nempe non Pater, non Spiritus ſanctus, ſed ſolus Filius, vt Brentio iampridem à doctiſsimo illo & verè orthodoxo Petro Martyre noſtro reſponſum eſt: quanuis Patres aduerſus Arium diſputantes interdum has phraſes permiſcuiſſe non ignorē, ne imperfectam deitatem τῷ λόγῳ tribuere viderentur. Quî fit autem vt Brentius toto hoc ſuo libro, illorum quidem infinitis locis meminerit quæ, vt diximus, trium ſunt hypoſtaſεων, illud autem quod præcipuè in hac perſonali τοῦ λόγου vnione nobis expendendum proponitur, nuſquam vrſerit? Filij & quidem Vnigeniti nomen illud pretioſum dico. Hæc enim eſt illa præ cæteris propriiſſima proprietas τοῦ λόγου, quam non vlla in carnem effuſione, Ioan.1.14. ſed ſuiipſius eum carne vnione, homini aſſumpto communicauit, ſicut dicit Ioannes ſe vidiſſe gloriam eius vt vnigeniti à Patre. Nec verò aliũde nos filij Dei vocamur, quàm quòd in eo vnico filio, ſecundum Spiritum vnigenito, ſecundum carnem primogenito, ſimus adoptati.

Quid amplius? quum omnis plenitudinis deitatis inhabitatio non aliud Brentio declaret quàm omnium diuinitatis proprietatum effuſionem in carnem, qui fit vt nõnulla excipiat? Confitetur enim hanc aſſumptam carnem non eſſe factam æternam, id eſt temporis initio carentem. Aut igitur oſtendat æternitatem illã & infinitatẽ minus eſſe Deo propriam quàm omnipotentiam: aut aliquas proprietates excipiendas eſſe cõfiteatur. Vbi igitur illa omnis deitatis plenitudo inhabitans, vt ipſe quidẽ explicat? Nos verò hominem illum quem Filius Dei aſſumpſit, non in ſeſe quidem ſeorſim, ſed κατ' ἄλλο, id eſt in eo à quo inſeparabiliter in vnitatem perſonæ aſſumptus eſt, & æternum, & immenſum, & omnipotẽtem & planè Deum eſſe ſcimus, credimus, & idcirco eum adoramus, & vt verum, non per accidens, ſed natura Deum inuocamus. Videt igitur iterũ Brẽtius, veri omnem plenitudinem deitatis in Chriſto agnoſcant?

Sed illud CORPORALITER quomodo tandem explicat? *Id eſt*, inquit, *nõ vmbraliter, ſicut in alijs creaturis*. Sed cuiuſmodi eſt illud VMBRALITER? *Nulla enim eſt*, inquit, *creatura tam abiecta cui non cõmunicetur aliquid deitatis, & in qua Deus nõ adũbret quippiã ſua maieſtatis ac proprietatis: in homine autem Chriſto nõ adũbratur aliqua tantùm pars deitatis, ſed deitas abſoluitur perfectiſsimè, hoc eſt, cõmunicatur ei omni ſua plenitudine*. Ego verò, Brẽti, iſtas vmbras nõ video, & multa hîc audio impropriiſſimè dicta, nẽpe quod de parte Deitatis, & Deitatis abſolutione narras. Sed hoc puto te velle in ſumma, ſic communicari nonnullas deitatis proprietates aliis creaturis, vt tenuia quædam & obſcura ſint in illis diuinæ virtutis effecta: in illum autem Hominem pleniſſimam ac perfectiſſimam lucem effuſam. Ac nos quidem non dubitamus quin illa caro nunc præſertim ſupra omne nomen re ipſa euecta, excellenter & nobis incomprehenſibiliter excellentiſsimis donis ſit ornata: ſed ita, vt ſeorſim & in ſeipſa conſiderata hæc natura, nec eſſentia nec proprietatibus ſit Deus, quoniam hoc eſt merè Eutychianum figmentum. Nec mentitus eſt Lucas quum diceret eum creuiſſe ſapientia, & ipſum met ſcimus veracem eſſe quum hoc reſpectu teſtatur ſe diem illum non noſſe, qui tamen alterius naturæ reſpectu ſciebat quid ſit in homine: qua de re non ignorat Brentius quid libro 2. ſcripſerit Irenæus. Quid igitur? Nempe dicimus Apoſtolum longè altius Chriſtum attollere, vt qui non pleniſsimè diuinum, vt Brentius, ſed pleniſsimè & quidem eſſentialiter Deum eſſe his verbis teſtetur. Neque enim illud *corporaliter* vllis vmbris opponitur, ſed ipſum, vt ita loquar, Deitatis corpus, id eſt rem ipſam ſiue Deitatis τοῦ λόγου hypoſtaſin declarat, non gratiam, non participationem, non ἐξουσίαν, non ἀξίωσιν, de quibus paſsim inter cæteros Cyrillus, ac nominatim quidem libro de Incarnatione, capite 27. & in Anathematiſmi octaui defenſione. Itaque non de illa Brentiana omniſcientia & cæteris eiuſmodi, ſed de eo ipſo hîc agitur cui illa inſunt, aut qui eſt potius illa omnia.

Nec etiam nobis ſatisfacit quod additur, *Humanitatem Chriſti reipſa maieſtatẽ Dei verè poßidere*. Statim enim hanc ſubijcit Brentius eius dicti explicationem, quod videlicet facta ſit cum Verbo omnipotens & omnipræſens: ex quo ſatis intelligitur non in ipſios hypoſtaſεος vnione, ſed in proprietatum omnium reali communicatione hanc deitatem ab ipſo conſtitui. quod etiam apertè 44. pagina ſcribit, & perſpicuè Theſis illa 22. declarat. Nam alioqui quorſum tantopere in perueſtigando Petri & Chriſti

diſcrimine

diſcrimine laboraſſet, quum res poſſet vno verbo abſolui, ſi dixiſſet in Petro Deum eſſe
virtutis alicuius participatione, ſicut idem ſcribit, Nos fieri diuinæ naturæ participes:
Chriſti autem carni hypoſtaticè vnitum eſſe ipſum Filium Dei?

Scripſit at D. Bullingerus, *Si aſſumptus ille homo euectus eſt ſupra omnes creaturas, de-
ſiit vtique eſſe creatura. q ſi creatura eſſe deſiit, quomodo poſtea pro nobis pati & mori potuit?*
Hæc, inquam, ille quo ſenſu ſcripſit, & piè & verè ſcripſit: quæ Brẽtius blaſphema verba
vocat. Sed quamobrem? *quoniam*, inquit, *negat humanitatem eſſe vbicunque fuerit diuini-
tas.* Sit ergo blaſphemus Auguſtinus, qui Tract. in Ioann. 107. dicit *abſentia corporali abeſ-* Auguſtinus.
ſe Chriſtum à mundo: & tractatu 50, *non eſſe nobiſcum ſecundum id quod de Virgine natus
eſt:* & 30. tractatu, *corpus Domini in vno loco eſſe oportere:* & tractatu 102, *corpore diſceſſiſſe
è mundo:* & tractatu 106, *eum nos reliquiſſe abſentia corporali:* & tractatu 78, *hominem à no-
bis diſceſſiſſe, non Deum:* & in epiſtola ad Dardanum, *non eſſe conſequens vt quod in Deo eſt
ſit vbique vt Deus:* & ibidem, *vbique eſſe per id quod Deus eſt, in cælo verò per id quod ho-
mo:* & in Epiſt. Ioann. *corpus Chriſti in cælo nunc eſſe, & inde loqui, non in terra.* Sit item
blaſphemus Cyrillus, qui lib. 11. in Ioann. 3, & 21, & 22, diſertè ſcribit *eum nunc carne ab-* Cyrillus.
eſſe, negátque *diſcipulos carnis præſentia potuiſſe ſeruari, ſed deitatis ratione, ſecũdũ quam
vbique ſit:* & lib. 9. in Ioann. cap. 21, *credere oportere fideles Chriſtum à nobis nunc corpore
abeſſe, & ſecundum carnem abijſſe:* & eiuſdem libri cap. 22. *non corpore ſed deitate adeſſe.* &
lib. 11. cap. 22, *quum deitati attribuatur ſeruatio* (nota igitur, Brenti, non ipſi carni etiam
aſſumptæ, ſed deitati à qua aſſumpta eſt, tribui ſeruandi virtutem, quanuis propter vni-
tatem toti perſonæ verè competat nomen Ieſu) *non debere nos carnis præſentiam deſide-
rare:* & eiuſdem lib. cap. 3, *non potuiſſe cum Apoſtolis carne conuerſari, qui in cælos aſcẽderit.*
Sit quoque blaſphemus Vigilius, vetuſtiſſimus, idémque doctiſſimus & verè ſanctus ve-
ritatis aduerſus Eutychianas blaſphemias defenſor, quem tamen audio non pudere te,
Andrea, Dormilium per ludibriũ vocare. Is certè lib. contra Eutych. 1, apertè dicit *Chri-* Vigilius.
*ſtum naturam ſuam humanam è mundo abſtuliſſe: ſecundum humanitatem receſſiſſe: diſceſſiſ-
ſe humanitate: formã ſerui quam in cælum abſtulit, à nobis abeſſe, qui tamen forma Dei ſit præ-
ſens, & quia vnus idémque eſt, præſens & abſens ſit nobis:* & lib. 2, *Carnem die mortis non in
Paradiſo, ſed in ſepulchro fuiſſe:* & lib. 4, *quoniam diuerſæ ſunt carnis & Verbi naturæ, carnẽ,
quum in terra erat, non fuiſſe in cælo, & nunc quia ſit in cælo, non eſſe vtique in terra. quæ eſt*,
inquit, *fides & Catholica confeſſio, quam Apoſtoli tradiderunt, Martyres roborauerunt, &
Fideles nunc quoque cuſtodiunt.* Blaſphemus quoque Fulgentius, lib. 2, ad Thraſimundũ Fulgentius.
regẽ diſertè ſcribens *vnum eundémque Chriſtũ ſecundum humanã ſubſtantiã abfuiſſe à cælo
quũ eſſet in terra, & dereliquiſſe terrã quum aſcẽdiſſet in cælũ. ſecundũ diuinã verò & immẽ-
ſam ſubſtantiã, nec cælum dimiſiſſe quũ de cælo deſcendit, nec terrã deſeruiſſe, quũ ad cælum
aſcendit.* Blaſphemus quoque Leo, cuius epiſtolã Chalcedonenſi Synodo veluti pro Ca- Leo.
none & regula fuiſſe conſtat, quique millies minimùm repetit ſingularum naturarum
proprietates, nõ minus quàm ipſas earum ſubſtantias, ſaluas cuique naturæ & integras
in perſonali vnione permanere. Quum autem hæc omnia & alia etiam penè infinita te-
ſtimonia & à Martyre & à Bullingero ſint Brentio oppoſita, nec ipſe quicquam adhuc
ad illa reſponderit (q ſi etiam reſponderet, tamen perpetuum illum totius puræ Eccle-
ſiæ conſenſum meritò inauditis iſtis omniſcientijs & omnipræſentijs præferamus) da-
bit nobis veniam, ſi nullã blaſphemiam in hoc dicto agnoſcimus: *Etiamſi vnus eſt Domi-
nus noſter Ieſus Chriſtus, non ex duarum naturarum proprietatibus, ſed ex duabus ipſis na-
turis eſſentialiter conſtans, tamen vbicunque eſt eius diuinitas, non eſſe humanitatem, quo-
niam illa eſt immenſa, hæc verò ſemper fuit, eſt, erítque in ſecula ſeculorum verè humana, ac
proinde circunſcripta.*

Alteram autem eiuſdem Bullingeri blaſphemiam hanc facit Brentius, quòd neget
humanitatem euectam ſupra omnem creaturam. Atqui nobis ipſe potius blaſphemus
videtur, ſi hoc affirmet, eo quo ſolet ſenſu. Natura enim in ſeſe ſupra omnes creaturas
collocata, certè non eſt ex creaturarum numero. Carnem autem Chriſti negare eſſe
creaturam, vel ipſo iudice, blaſphemia eſt. Sin verò ſupra cæteras creaturas colloca-
tam diceret, vltrò aſſentiremur. Neque cauſa eſt cur nos exiſtimet ex vna voculã
argutari. Certè enim quæ natura eſt in ſeſe, ſiue ex ſeſe, ſiue aliunde omniſciens, o-
mnipræſens, omnipotens, ea iam facta eſt Deus, quum vnica ſit omnipotens natu-
ra, nempe Deus. Illud autem *In ſeſe* diſertè exprimo, quoniam alioqui ſi vnitatem

Aa.

perſonę ſpectes, quod rectè reſpondit Brentio Bulingerus, homo aſſumptus verè ſuper omnes creaturas attollitur, quatenus idem ille qui homo eſt, Deus eſt. Ipſe verò, etſi iiſdem verbis vtitur, diuerſa tamen intelligit, quum ſibi perſuadet naturam humanã quum aſſumeretur factã eſſe capacem, ac reipſa in ſeſe omniũ diuinitatis proprietatum participẽ: quod nec fieri poteſt ſine proprietatum confuſione Eutychiana, & etiam ſi fieri poſſet, tamen, vt ſæpe iam dixi, homo ille aſſumptus, propterea Deus natura non eſſet, ſed tantùm dignitate & proprietatum participatione, quod dogma eſt manifeſtè Neſtorianum. Sed pergamus.

Etiamſi, inquit Brentius, *Chriſti humanitas euehatur ſupra omnes creaturas, non tamen propterea deſinit eſſe creatura. Quid enim ſtultius eſſet quàm ſic argumentari: Cæſar euehitur maieſtate ſua ſuper omnes homines, ergo deſinit eſſe homo?*

At ego hoc vnum quæro, quum omnes homines dicimus, an Cæſarem in eo numero comprehendamus. Ita eſt, vt opinor. Itaque quum Cæſarem eſſe vult Brentius ſupra omnes homines, & ſimul Cæſarem eſſe hominem, certè quid aliud vult quàm ipſum ſimul & ſupra & infra ſeipſum eſſe? Si te, Illuſtriſſime Princeps, dixerim eſſe ſupra omnes tuos ſubiectos, quis non intelligit te ex ſubiectorum numero eximi? Itaque non eſt tam ſtulta noſtra illa argumentatio quàm putat Brentius, & vt ipſe ſapienter loquatur, dicat oportet Chriſti humanitatem ſupremam eſſe inter omnes creaturas, vel ſupra reliquas creaturas eminêre. Itaque in his loquutionibus cuiuſmodi interdum occurrunt, vt Marci 4, d, 31, & 32, eruditi Grammatici ſupplent pronomen Alius, vt ſibi conſtet ſententia.

Atenim, inquiet, *Paulus ipſe ſic loquitur, dicens, hunc aſſumptum hominem eſſe exaltatum ſupra omne nomen, &c. quum tamen maneat creatura. Ergo blaſphemus & mendax Bullingerus.*

Reſpondeo quod ille verè ac modeſtè iam reſcripſit, eo demum ſenſu quo Brentius loquitur falſam eſſe illam de aſſumpti hominis exaltatione ſententiam. ſicut & Paulus inquit omnia ſibi licere, quam ſententiam vniuerſalem niſi ad eos de quibus agebatur reſtringamus, certè multa inde non tantùm mala, ſed etiam planè impia licuiſſe collegeris. Vult autem Brentius carnem exaltatam dici quòd ſit in ſeſe omnium deitatis proprietatum capax, vt ſicut homo ſapiens dicitur communicato ei alicuius ſapientiæ dono, ſic dicatur aſſumptus ille homo omniſapiens, effuſa in eum reali Dei omniſapientia: & omnipotens, effuſa in eum omnipotentia, & ſimiliter etiam alijs omnibus diuinitatis proprietatibus. Quoniam autem hoc fieri non poteſt quin humana natura æqualis cum diuina capacitatis ſtatuatur, ac proinde reipſa tollatur: & tota Scriptura repugnat, (quoniam hac ratione Verbum non eſſet factum caro, ſed caro facta eſſet diuina, vnde infinita abſurda & planè impia conſequuntur) idcirco hanc humanæ naturæ in ſeipſa exaltationem pernegamus. Quod autem ſcribit Apoſtolus & tantò eſt magnificentius quantò plus eſt Filium Dei eſſe natura quàm proprietatum etiam omnium communicatione, hoc planè agnoſcimus quod vni capiti noſtro proprium eſt ac peculiare, nempe quòd idem ille homo hypoſtaſi τοῦ λόγου verè vnitus, hoc reſpectu (non autem ſeorſim & in ſeſe, quum inconfuſæ ſint proprietates) ſupra omnes creaturas ſit infinitè exaltatus, vt qui hoc reſpectu verus & æternus ſit Deus de Deo.

Quòd ſi excipiat, ſic etiam fieri capaciorem humanam naturam, quàm ſi proprietatũ tantùm capax dicatur, reſpondeo quod alibi etiam dixi, nos ab hoc dicendi genere vt nouo & abſurdo planè abhorrere, quoniam ſiue eſſentiam ſiue proprietates diuinitatis ſpectes, nec illam nec iſtas continet humana natura, ſed ab ea & ab illis continetur, ideóque non dicitur homo Deum, ſed Deus hominem apprehendiſſe, vt pluribus demonſtrat, illum ipſum errorem aduerſus Neſtorianos refutans Cyrillus lib. de incarnatione, cap. 11.

Atenim, dicet Brentius, *paßim dicitur Deus eſſe in homine*. Reſpondeo cum Athanaſio, ita in eo eſſe vt ſit ſimul extrà, quoniam ſic continet vt à nemine contineatur, ſiue virtutem ſiue eſſentiam ſpectes.

Sed video fore vt adhuc pgat, & huic ſuo argumẽto à nobis, quos Catechumenos vocat, ſatiſfactũ neget. *Cæſar enim*, inquiet, *elatus ſua maieſtate ſupra omnes homines, non deſinit eſſe*

nit eſſe homo, ergo nec aſſumptus homo ille omnipotētia ornatus, deſinit eſſe creatura. Reſpondeo maieſtatem illam nihil ad Cæſaris naturam pertinere: omnipotentiam autem & alia eiuſmodi eſſe proprietates quæ, ipſius Brentij confeſſione, ipſi ſubiecto inhæreāt: ac proinde res planè diſſidentes, accidentia videlicet cum formis, ab eo comparari; quod quò magis negabit, eo magis Chriſtum accidentarium Deum conſtituet.

Putamus autem illo reſponſo toties tam repetito abundè quoque ſatiſfactū illi Pauli loco ex teſtimonio ex primo ad Epheſ. capite, vbi Chriſti magnificentiam ſupra res omnes attollit. Quid non enim illi homini tribuimus quum eum dicimus ſic aſſumptum eſſe à Filio Dei, vt vnus ſit Filius Dei, vnus Dominus noſter Ieſus Chriſtus, idque σωματικῶς, id eſt οὐσιωδῶς, vt Græci interpretes explicant: Brentius verò, qui non οὐσίᾳ ſed ἐξουσίᾳ, non natura, ſed gloria, non ſubſtantia ſed maieſtate hūc hominem facit Deum, viderit quomodo Pauli ſententiam poſſit ſuo iſti dogmati applicare. Error autem in eo eſt quòd pro vnione naturæ ſubſtituit proprietatum effuſionem, & in naturam humanam infigit quod illi quidem competit, at non ſuiipſius, ſed κατ' ἄλλο, eius naturæ videlicet diuinæ reſpectu qui cum in vnam eandémque perſonam eſt vnita. Illud autem nō minus eſt abſurdum quàm ſi corpus cuiuſpiam diceretur in ſeſe intelligētiæ particeps, quoniam cum anima intelligente perſonaliter eſt coniunctū, & totus homo intelligens dicitur. Eſtque hoc dogma partim Neſtorianum partim Eutychianum, id eſt, ex duabus prorſus contrariis hæreſibus penitus conflatum, ſicut ipſemet Brentius, vt ſpero, re tota diligenter expenſa, nobiſcum fatebitur. Denique quòd hæc verba Apoſtoli, *In cæleſtibus*, non ad domicilium, ſed ad cæleſtem modum refert, cuiuſmodi ſit ſuo loco conſiderabimus.

Sed neſcio an præterire debeam quod poſtea ſubiicit. Quum enim hoc vrgemus quod ſingulis penè verſibus Patres aduerſus Neſtorium & Eutychen, & in Epheſina & in Chalcedonenſi Synodo ex Dei verbo ſtatuerunt, nempe in perſonali vnione tum naturas tum proprietates earum ſaluas & diſtinctas manere: Brentius contrà & naturæ & proprietatum vocabulo vult idem ſignificari, quod ne reſponſione quidem dignum pleriſque videtur. Neque enim ignorat Eccleſiam quum aduerſus Eutychen diſertè diſputaret de Verbi impaſſibilitate, non tantùm de ipſa natura diuina, ſed etiam de eius attributis diſſeruiſſe, quod quum non poſſit Brentius, quod ad diuinam naturam attinet, inficiari, qui fit, vt quum ad humanam naturam ventum eſt, idem non fateatur? Etſi enim humanam naturam diuina, non autem humana diuinam aſſumpſit, tamen altera alteri viciſſim vnita eſt. Imò, quæſo, quum inconfuſibilis dicitur aduerſus Eutychen deitas Filij, quid aliud dicitur quàm & ſua eſſentia & ſuis illis proprietatibus quibus Deus eſt, cum nulla creatura confundi? Itaque ijdem illi non minus conſtanter defendunt hominem aſſumptum quum eſſet in terris non potuiſſe eſſe in cælis, & alias humanitatis proprietates ei vendicant illibatas, quàm è contrario diuinitatis proprietates inconfuſas manſiſſe defendunt. Conſtat enim hanc regulam, *Manſit quod erat*, tum ad naturam vtranque, tum ad vtriuſque proprietates pertinere. Itaque quanuis ſecundum vnitatem perſonæ (id eſt, quatenus perſona ipſa quæ vna eſt; in totum conſideratur) nihil ſit quod non toti tribuatur, tamen quum ſeorſim conſiderantur naturæ, ſicut paſſim loquitur Scriptura, ſuum cuique naturæ proprium ſeruatur, quia (vt rectè & eleganter inquit Leo) *Sicut Deus non mutatur miſeratione, ita non conſumitur homo dignitate.* Et ne hoc poſſet ad ſolas eſſentias trahi, addidit, *Agit enim vtraque forma cum alterius communione quod proprium eſt, Verbo videlicet operante quod Verbi eſt, & carne exequente quod carnis eſt.* Itaque, *etſi Maria eſt Θεοτόκος, tamen Chriſtus naſcitur vt homo*, (inquit Cyrillus lib. de incar. cap. 11.) *vocat autem ad natiuitatem omnia, vt Deus: profecit ſapientia vt homo, dator eſt ſapientiæ vt Deus: primogenitus propter humanitatem, vnigenitus vt ſolus natus Deus ex Deo: ſanctificatus & baptizatus ſecundum carnem, ſanctificans & baptizans ſecundū ſpiritum: reſurgens & viuificans vt homo, viuificans & ſuſcitans ſeipſum vt Deus. Adorans nobiſcum quia naturam aſſumpſit quā debeat adorare, adorandus autem idem quia maior eſt adorante natura, eo quod intelligitur Deus: denique abſens ſecundum humanitatem, idémque præſens ſecundum diuinitatem.* Hæc Cyrillus, cui conſentiunt paſſim Auguſtinus, Theodoretus, Leo, Fulgentius, Athanaſius, Vigilius, ſicut innumeris teſtimonijs P. Martyr ipſi Brentio demonſtrauit.

Ex his autem illud efficitur, non minus ſeruandas eſſe vtrinque inconfuſas proprietates quàm naturas. Quod enim obijcit Brentius, non fuiſſe ſeruatas naturæ humanæ proprietates ipſi inhærentes, ſed duntaxat eius eſſentiam, quoniam amplius nec eſurit, nec ſitit, nec moritur, obſecro, cuiuſmodi eſt? Monuit nos initiò vt proprietates ab accidentibus diſtingueremus. Cur hoc ipſe non præſtat? Sentire, eſurire, mortalem eſſe, quis non videt & ſentit ita eſſe accidentaria, vt non intellectu ſolùm, ſed etiam re ipſa, ſaluo ſubiecto, abeſſe vel adeſſe poſſint? Neque enim quum non ſitio minus ſum homo quàm quum ſitio, nec minus vigilans quàm dormiens. Sed quum finita & circunſcripta natura eſſe, ac proinde non omnia ſed vnum tantùm locum ſemel implere, inter res iſtas securè recenſet, quis hic ei aſſentiatur? *Tolle ſpatia corporibus*, inquit Auguſtinus, *& corpora non erunt*. Et Cyrillus, *Conuerſari*, inquit, *carne cum Apoſtolis nō poterat, quum ad Patrem aſcenderit*. Et Auguſtinus alibi, *Corpus Domini in quo ſurrexit in vno loco eſſe oportet*. Et Vigilius, *Diuerſum eſt*, inquit, *& longe diſſimile circunſcribi loco & vbique eſſe: & quia Verbum vbique, caro autem eius vbique non eſt, apparet vnum eundémque Chriſtum eſſe vtriuſque natura: & eſſe quidem vbique ſecundum naturam diuinitatis ſua, & loco contineri ſecundum naturam humanitatis ſua*. Sed alius etiã erit de his dicendi locus.

Concedimus ergo duobus modis Chriſti carnis exaltationem, quorum neuter humanæ naturæ vel eſſentiam vel proprietates illas eſſentiales ei adimit, quoniam clamat tota Scriptura verè hominem illum fuiſſe, & eſſe, & futurum. Vnus eſt, quo verè ſupra res omnes creatas infinitè caro iſta à Verbo aſſumpta extollitur, videlicet non in ſeſe ſeorſim, ſed κατ᾽ ἄλλο, id eſt eius naturæ reſpectu cum qua eſt vnita, quo reſpectu homo etiã iſte, vnigenitus, omnipotens, infinitus, denique Deus eſt & dicitur, idque οὐσίᾳ, non, vt vult Brentius cum Neſtorio, ἐξουσίᾳ. Alter eſt modus, quo aſſumptus ille homo verè & ſuiipſius reſpectu, gloria & honore, vel ipſis angelis incomprehẽſibili eſt coronatus, vnctus videlicet ſupra omnes conſortes ſuos, & ſupra reliquas creaturas longiſſimè latiſſiméque euectus, vt meritò etiam hoc reſpectu ſit Eccleſiæ caput, ineffabilis ſplẽdoris & dignitatis plenum.

Pſal.8.6
Pſal 4.8

Hic autem duo probanda ſunt Brentio ex Scripturis, & puræ Eccleſiæ conſenſu. Vnum, huius glorificationis in carne ſeorſim conſideratæ tantam eſſe immenſitatem vt Chriſtus ſecundum carnis ἐξουσίαν non ſit minor Patre. Alterum, hanc carnis in ſeſe gloriam ab ipſa incarnatione fuiſſe illi plenè & reipſa tributam. Videtur enim vtrunque affirmare, quum carnem illam dicit ab ipſo aſſumptionis momento fuiſſe in ſeſe infinitæ maieſtatis, omniſque adeò diuinitatis capacem. Nos vtrunque negamus, & negabimus donec alia proferat argumenta.

Ergo, vt ad rem redeam, abſorptam nunc mortalitatem carnis noſtræ in Chriſto: crucis ignominiam in gloriam, ipſis etiam Angelis incomprehenſibilem, eſſe commutatam: glorioſiſſimum denique caput noſtrum, etiam ſecundum carnem, gloria & honore coronatum credimus, confitemur, & fidei oculis cernimus: & corpora noſtra aliquando pro ſuo modulo fore ipſi conformia ſperamus. Sed neque eſſentiam carnis noſtræ, neque eſſentiales eius proprietates ei adimimus: ac proinde viſibilem, palpabilem, in cælis nunc, non in terris, poſitam Chriſti carnem, nos ad ſe vocantem, & tandem rurſus ad nos redituram, vt nos ſecum in æternum illud regnum ſuum attollat, credimus: eámque fuiſſe Patriarcharum, Prophetarum, totiúſque orthodoxæ Eccleſiæ ab initio mundi fidem ex Dei verbo & Patrum ſemel omnium conſenſu profitemur.

Cæterùm quum hæc eadem de diſtinctione eſſentialium proprietatum & attributorum, quæ etiam ſi abſint ipſam rei eſſentiam non violant, iampridem à noſtris ſint millies repetita, aut fuit cedendum veritati, aut aliquid ſolidi opponendum. Quæ verò reſpondet Brentius hæc ſunt. *Non probare ſe vbiquitatem corpoream, craſſam, extenſam, in omnia loca diffuſam*. Cedò igitur, mi Brenti, quæſo te & obteſtor, per eius nomẽ de cuius Eccleſiæ pace & concordia nobis eius paſtoribus erit coram magno illo Filio Dei ſeriò tandem reſpondendum, oſtende quæ poſſit tribui vero corpori vbiquitas non corporea: corpori, carnes & oſſa habenti, vbiquitas abſque dimenſione: corpori finito, vbiquitas non in omnia loca diffuſa: Et quorſum hæc, quæſo te & iterum obteſtor? Vis Chriſti carnem omnibus diuinitatis proprietatibus ornari: at nos etiam

volumus

volumus hanc aſſumptam carnem vniri ipſimet Filij hypoſtaſi,vt idẽ & vnus ſit eſſentialiter Deus & homo,nedum vt illi detrahamus quæ ſunt diuinitatis. Sed quod intra ipſam carnem reponis,in altera eſſentia ei vnita quætimus, quoniam aliud eſt vniri eſſentias,quàm ſimul eſſe,& aliud eſt vniri proprietates eſſentiales,quàm permiſceri. Vtet autem plus Chriſto tribuit, túne qui Chriſtum facis Deum effuſione omnium proprietatum in carnem,& per accidens: an nos qui Ioanni credimus dicenti τὸν λόγον factum eſſe carnem,(ſunt autem & λόγος & caro non proprietatum ſed ipſarum naturarum nomina) & Paulo aſſentimur docenti non Dei proprietates ſed plenitudinem Deitatis, id eſt, τὸν λόγον quantus quantus eſt, in hac aſſumpta carne non vt hoſpitem qui alter eſt à domo, ſed σωματικῶς,id eſt οὐσιωδῶς habitare, vt ſit Chriſtus verus ille Filius Dei æternus eſſentialiter,per quem omnia condidit Pater? Certè qui duas iſtas naturas non aliter in Chriſto quàm in Petro eſſe dicit, quod ad ipſas naturas attinet,eas in Chriſto vt in Petro manifeſtè ſeparat.(etiamſi eas ſimul vbique ſtatuat)quod planè Neſtorianum eſt:& qui proprietatibus omnibus diuinitatis naturam humanam Chriſti exornat,nec alia ratione Chriſtum dici Deũ putat: vel geminas proprietates in Chriſto ponit, vnicam autem eſſentiam ſeu naturam, nempe humanam, quod dogma eſt Photinianum:vel ſi diuinis proprietatibus vult humanas abſorberi, vt vna quidem natura humana,ſed diuinis omnibus proprietatibus ornata ſtatuatur,apertè eſt Eutychianus in eo quòd proprietates confundit,quanuis ab Eutychete in eo differat,quòd Eutyches naturam tantùm diuinam quod ad eſſentiam attinet,ſtatuebat,iſte verò tantùm humanam.

Duo verò Brentius obiter aſpergit quæ nolumus intacta præterire. Dicit nos conſtituere cælum empyreum corporeum,& tamen immenſum. Hoc verò totum reſpondemus metas eſſe nugas & ipſo & nobis indignas,quod ſuo loco apparebit. Addit poſtea nõ fore immenſum corpus Chriſti,etiãſi vbique corporali modo & in cælo & in terra ſtatueretur,quoniam ne hæc quidem omnia corpora ſunt immẽſa,ſed ſuis terminis circunſcripta. Sed quid attinet in re tam ſeria ludere?Credo enim Brentium tam ludicris & puerilibus argutijs ſeriò non vti.Inculcat perpetuò omnipræſentiam diuinitatis effuſam eſſe in carnem.An verò illam terminat cæli vel terræ anguſtijs?Minimè certè,niſi velit diuinitatem immenſam non eſſe. Quorſum igitur illud de Cælo & Terra quæ ſuis finibus ſint circunſcripta,quum & diuinæ omnes,omnes,inquam,proprietates humanæ attribuat? quod quum Brentio iampridẽ à P. Martyre ſit reſponſum,mirantur omnes fieri potuiſſe,vt & hoc reſpõſum & cætera alia non aliter præteriret quàm ſi de his rebus nihil vnquam audiuiſſet.

Concludit tandem Brentius ſeſe iſtis vocabulis Immenſitatis, Vbiquitatis,& Infinitatis non aliud intelligere,quàm quod in ſcriptis Propheticis & Apoſtolicis de incarnatione Chriſti,de aſſumptione humanitatis in cælum,de ſeßione Chriſti ad dextram Patris ſui,& de exaltatione eius ſupra omnes creaturas traditur,& credendum exigitur.

Teſtantur Scripturæ natum eſſe nobis puerum Immanuelem,& Deum gloriæ crucifixũ. Natus eſt ergo,& nobiſcũ ad mortẽ vſque vixit Deus. Obſecro verò quinam Chriſtum verius Deum fatentur?an nos qui,verbo Dei ſic dicente,credimus eum eſſentialiter natura & οὐσίᾳ tum Deum illum eſſe vnigenitum de Deo natum ante omnia ſecula, tum etiam eſſentialiter natura & οὐσίᾳ hominem ex Maria factum, vnitis, non autem confuſis neque naturis neque earũ proprietatibus(quoniam,vt tu nuis ponas,nec Deus nec homo eſſet,ſed tertium aliquid ex vtroque mixto compoſitum) an verò Brentius, qui ſentiat & ſcribat *Chriſtum non aliter,quod ad οὐσίαν attinet,in Chriſto quàm in quibuſuis creaturis habitare, nec Chriſtum alia ratione Deum potius quàm alias creaturas cenſeri, quàm quòd Deus ſimiliter in omnibus præſens,in Chriſtum omnes dicatur proprietates,in cæteras autẽ res omnes,tãtùm aliquas effundere?* Quæſo verò,vt alia multa prætermittã,quid eſt aſſumptum illum hominem facere Deum per accidens ſi hoc non eſt? At nos certè verum & natura Immanuelem hunc ſolum credimus & adoramus, & eos qui alium adorant pro manifeſtis idololatris habemus.

Imò quum aliquas tantùm proprietates percipere, & omnes proprietates percipere, non differant toto genere, ſed ſecundum plus & minus, ad quod tandem blaſphemiæ genus peruenimus, ſi ad ipſum vſque Satanam & eius angelos deſcendamus? Nam iſti quoque ſuum eſſe Deo acceptum referant oportet. Et quorſum iſta portenta? An vt ne Chriſti diuidatur perſona? atqui ſic maximè ſeparantur naturæ,

Ex his autem illud efficitur, non minus ſeruandas eſſe vtrinque inconfuſas proprietates quàm naturas. Quod enim obijcit Brentius, non fuiſſe ſeruatas naturæ humanæ proprietates ipſi inhærentes, ſed duntaxat eius eſſentiam, quoniam amplius nec eſurit, nec ſitit, nec moritur, obſecro, cuiuſmodi eſt? Monuit nos initiò vt proprietates ab accidentibus diſtingueremus. Cur hoc ipſe non præſtat? Sentire, eſurire, mortalem eſſe, quis non videt & ſentit ita eſſe accidentaria, vt non intellectu ſolùm, ſed etiam re ipſa, ſaluo ſubiecto, abeſſe vel adeſſe poſſint? Neque enim quum non ſitio minus ſum homo quàm quum ſitio, nec minus vigilans quàm dormiens. Sed quum finita & circunſcripta natura eſſe, ac proinde non omnia ſed vnum tantùm locum ſemel implere, inter res iſtas ſecurè recenſet, quis hîc ei aſſentiatur? *Tolle ſpatia corporibus*, inquit Auguſtinus, *& corpora non erunt*. Et Cyrillus, *Conuerſari*, inquit, *carne cum Apoſtolis nō poterat, quum ad Patrem aſcenderit*. Et Auguſtinus alibi, *Corpus Domini in quo ſurrexit in vno loco eſſe oportet*. Et Vigilius, *Diuerſum eſt*, inquit, *& longe diſſimile circunſcribi loco & vbique eſſe: & quia Verbum vbique, caro autem eius vbique non eſt, apparet vnum eundémque Chriſtum eſſe vtriuſque naturæ: & eſſe quidem vbique ſecundum naturam diuinitatis ſuæ, & loco contineri ſecundum naturam humanitatis ſuæ*. Sed alius etiā erit de his dicendi locus.

Concedimus ergo duobus modis Chriſti carnis exaltationem, quorum neuter humanæ naturæ vel eſſentiam vel proprietates illas eſſentiales ei adimit, quoniam clamat tota Scriptura verè hominem illum fuiſſe, & eſſe, & futurum. Vnus eſt, quo verè ſupra res omnes creatas infinitè caro iſta à Verbo aſſumpta extollitur, videlicet non in ſeſe ſeorſim, ſed κατ' ἄλλο, id eſt eius naturæ reſpectu cum qua eſt vnita, quo reſpectu homo etiā iſte, vnigenitus, omnipotens, infinitus, denique Deus eſt & dicitur, idque οὐσίᾳ, non, vt vult Brentius cum Neſtorio, ἐξουσίᾳ. Alter eſt modus, quo aſſumptus ille homo verè & ſuiipſius reſpectu, gloria & honore, vel ipſis angelis incomprehēſibili eſt coronatus, vnctus videlicet ſupra omnes conſortes ſuos, & ſupra reliquas creaturas longiſſimè latiſſiméque euectus, vt meritò etiam hoc reſpectu ſit Eccleſiæ caput, ineffabilis ſplēdoris & dignitatis plenum.

Pſal. 8. 6
Pſal. 45. 8

Hîc autem duo probanda ſunt Brentio ex Scripturis, & puræ Eccleſiæ conſenſu. Vnum, huius glorificationis in carne ſeorſim conſideratæ tantam eſſe immenſitatem vt Chriſtus ſecundum carnis ἐξουσίαν non ſit minor Patre. Alterum, hanc carnis in ſeſe gloriam ab ipſa incarnatione fuiſſe illi plenè & reipſa tributam. Videtur enim vtrunque affirmare, quum carnem illam dicit ab ipſo aſſumptionis momento fuiſſe in ſeſe infinitæ maieſtatis, omniſque adeò diuinitatis capacem. Nos vtrunque negamus, & negabimus donec alia proferat argumenta.

Ergo, vt ad rem redeam, abſorptam nunc mortalitatem carnis noſtræ in Chriſto: crucis ignominiam in gloriam, ipſis etiam Angelis incomprehenſibilem, eſſe commutatam: glorioſiſſimum denique caput noſtrum, etiam ſecundum carnem, gloria & honore coronatum credimus, confitemur, & fidei oculis cernimus: & corpora noſtra aliquando pro ſuo modulo fore ipſi conformia ſperamus. Sed neque eſſentiam carnis noſtræ, neque eſſentiales eius proprietates ei adimimus: ac proinde viſibilem, palpabilem, in cælis nunc, non in terris, poſitam Chriſti carnem, nos ad ſe vocantem, & tandem rurſus ad nos redituram, vt nos ſecum in æternum illud regnum ſuum attollat, credimus: eámque fuiſſe Patriarcharum, Prophetarum, totiúſque orthodoxæ Eccleſiæ ab initio mundi fidem ex Dei verbo & Patrum ſemel omnium conſenſu profitemur.

Cæterùm quum hæc eadem de diſtinctione eſſentialium proprietatum & attributorum, quæ etiam ſi abſint ipſam rei eſſentiam non violant, iampridem à noſtris ſint millies repetita, aut fuit cedendum veritati, aut aliqoid ſolidi opponendum. Quæ verò reſpondet Brentius hæc ſunt. *Non probare ſe vbiquitatem corpoream, craſſam, extenſam, in omnia loca diffuſam*. Cedò igitur, mi Brenti, quæſo te & obteſtor, per eius nomē de cuius Eccleſiæ pace & concordia nobis eius paſtoribus erit coram magno illo Filio Dei ſerò tandem reſpondendum, oſtende quæ poſſit tribui vero corpori vbiquitas non corporea: corpori, carnes & oſſa habenti, vbiquitas abſque dimenſione: corpori finito, vbiquitas non in omnia loca diffuſa. Et quorſum hæc, quæſo te & iterum obteſtor? Vis Chriſti carnem omnibus diuinitatis proprietatibus ornari: at nos etiam

volumus

volumus hanc aſſumptam carnem vniri ipſimet Filij hypoſtaſi, vt idẽ & vnus ſit eſſentialiter Deus & homo, nedum vt illi detrahamus quæ ſunt diuinitatis. Sed quod intra ipſam carnem reponis, in altera eſſentia ei vnita quærimus, quoniam aliud eſt vniri eſſentias, quàm ſimul eſſe, & aliud eſt vniri proprietates eſſentiales, quàm permiſceri. Vter autem plus Chriſto tribuit, túne qui Chriſtum facis Deum effuſione omnium proprietatum in carnem, & per accidens: an nos qui Ioanni credimus dicenti τὸν λόγον factum eſſe carnem, (ſunt autem & λόγος & caro non proprietatum ſed ipſarum naturarum nomina) & Paulo aſſentimur docenti non Dei proprietates ſed plenitudinem Deitatis, id eſt, τὸν λόγον quantus quantus eſt, in hac aſſumpta carne non vt hoſpitem qui alter eſt à domo, ſed σωματικῶς, id eſt οὐσιωδῶς habitare, vt ſit Chriſtus verus ille Filius Dei æternus eſſentialiter, per quem omnia condidit Pater? Certè qui duas iſtas naturas non aliter in Chriſto quàm in Petro eſſe dicit, quod ad ipſas naturas attinet, eas in Chriſto vt in Petro manifeſtè ſeparat, (etiamſi eas ſimul vbique ſtatuat) quod planè Neſtorianum eſt: & qui proprietatibus omnibus diuinitatis naturam humanam Chriſti exornat, nec alia ratione Chriſtum dici Deũ putat: vel geminas proprietates in Chriſto ponit, vnicam autem eſſentiam ſeu naturam, nempe humanam, quod dogma eſt Photinianum: vel ſi diuinis proprietatibus vult humanas abſorberi, vt vna quidem natura humana, ſed diuinis omnibus proprietatibus ornata ſtatuatur, apertè eſt Eutychianus in eo quòd proprietates confundit, quanuis ab Eutychete in eo differat, quòd Eutyches naturam tantùm diuinam quod ad eſſentiam attinet, ſtatuebat, ille verò tantùm humanam.

Duo verò Brentius obiter aſpergit quæ nolumus intacta præterire. Dicit nos conſtituere cælum empyreum corporeum, & tamen immenſum. Hoc verò totum reſpondemus meras eſſe nugas & ipſo & nobis indignas, quod ſuo loco apparebit. Addit poſtea nõ fore immenſum corpus Chriſti, etiãſi vbique corporali modo & in cælo & in terra ſtatueretur, quoniam ne hæc quidem omnia corpora ſunt immẽſa, ſed ſuis terminis circunſcripta. Sed quid attinet in re tam ſeria ludere? Credo enim Brentium tam ludicris & puerilibus argutijs ſeriò non vti. Inculcat perpetuò omnipræſentiam diuinitatis effuſam eſſe in carnem. An verò illam terminat cæli vel terræ anguſtijs? Minimè certè, niſi velit diuinitatem immenſam non eſſe. Quorſum igitur illud de Cælo & Terra quæ ſuis finibus ſint circunſcripta, quum & diuinæ omnes, omnes, inquam, proprietates humanæ attribuat? quod quum Brentio iampridẽ à P. Martyre ſit reſponſum, mirantur omnes fieri potuiſſe, vt & hoc reſpõſum & cætera alia non aliter prætetiret quàm ſi de his rebus nihil vnquam audiuiſſet.

Concludit tandem Brentius ſeſe iſtis vocabulis Immenſitatis, Vbiquitatis, & Infinitatis non aliud intelligere, quàm quod in ſcriptis Propheticis & Apoſtolicis de incarnatione Chriſti, de aſſumptione humanitatis in cælum, de ſeßione Chriſti ad dextram Patris ſui, & de exaltatione eius ſupra omnes creaturas traditur, & credendum exigitur.

Teſtantur Scripturæ natum eſſe nobis puerum Immanuelem, & Deum gloriæ crucifixũ. Natus eſt ergo, & nobiſcũ ad mortẽ vſque vixit Deus. Obſecro verò quinam Chriſtum verius Deum fatentur? an nos qui, verbo Dei ſic dicente, credimus eum eſſentialiter natura & οὐσίᾳ tum Deum illum eſſe vnigenitum de Deo natum ante omnia ſecula, cum etiam eſſentialiter natura & οὐσίᾳ hominem ex Maria factum, vnitis, non autem confuſis neque naturis neque earũ proprietatibus (quoniam, vtrunuis ponas, nec Deus nec homo eſſet, ſed tertium aliquid ex vtroque mixto compoſitum) an verò Brentius, qui ſentiat & ſcribat *Chriſtum non aliter, quod ad οὐσίαν attinet, in Chriſto quàm in quibuſuis creaturis habitare, nec Chriſtum alia ratione Deum potius quàm alias creaturas cenſeri, quàm quòd Deus ſimiliter in omnibus præſens, in Chriſtum omnes dicatur proprietates, in cæteras autẽ res omnes, tãtùm aliquas effundere?* Quæſo verò, vt alia multa prætermittã, quid eſt aſſumptum illum hominem facere Deum per accidens ſi hoc non eſt? At nos certè verum & natura Immanuelem hunc ſolum credimus & adoramus, & eos qui alium adorant pro manifeſtis idololatris habemus.

Imò quum aliquas tantùm proprietates percipere, & omnes proprietates percipere, non differant toto genere, ſed ſecundum plus & minus, ad quod tandem blaſphemiæ genus peruenimus, ſi ad ipſum vſque Satanam & eius angelos deſcendamus? Nam iſti quoque ſuum eſſe Deo acceptum referant oportet. Et quorſum iſta portenta? An vt ne Chriſti diuidatur perſona? atqui ſic maximè ſeparantur naturæ,

quum etiam ſi ſimul ſtatuantur vbique,non propterea tamen vniantur, nec etiam ſi non vbique ſimul ſtatuantur,propterea vnum eſſe deſinant,vt alibi diximus. An vt ne de Ch.iſti gloria quicquam detrahatur? atqui non eſt propriè Deus,imò nec Deus nec homo, ſi eiuſmodi omnium proprietatum effuſio ſtatuatur. An vt ne ab huius mundi gubernatione excludatur? atqui qui Deus eſt ſimul& homo, quomodo non vbique præſens & omnipotens ſtatuetur, etiam ſi non coæquentur naturæ? An enim propterea negabitut homo rationis eſſe particeps,quoniam tatio in anima non in corpore teſidet?

Similiter autem ſit Brentio ad ea quoque reſponſum quæ de aſcenſione,ſeſſione,& exaltatione Chriſti commemorat. Et, vt paucis omnia complectar, quum Chriſtum re & natura fateamur & verum Deum & verum hominem eſſe, quid altius vel ſublimius de eo vel teſtari poſſint Scripturæ,vel Brentius à nobis credendum tequirere? At nos hoc à Brentio requirimus, vt quem facit Deum per accidēs, hac ſola ratione à quibuſuis creaturis differentem q in ipſum omnes proprietates diuinitatis, in alias verò tantùm aliquæ effundantur,ipſe potius verè ac propriè & eſſentialiter Filium Dei eſſe, ac proinde,quum ſolus natura Deus & homo ſit,ab omni creaturarum genere, toto genere differe confiteatur.

Ad hæc,inquit Brentius,*non eſſet Chriſtus ſummè beatus,ſummè pulcher,ſummè felix,niſi etiam eſſet omnipotens & omnipræſens.*

Reſpondeo non à nobis qui vrgemus hunc hominem aſſumptum eſſe verè & naturaliter Filium Dei,ſed ab ijs potius qui eum ſola omnium diuinitatis proprietatū in carnem effuſione,à Petro & quibuſuis creaturis differre contendunr,Chriſtum ſumma ſua beatitate,pulchritudine & felicitate,id eſt ſua diuina eſſentia ſpoliari. Sed quia inter hominem & humanam naturam nullum diſcrimen Brentius conſtituit,idcirco quod humanæ naturæ ſeorſim & in ſeſe conſideratæ nō tribuimus, homini etiam adimi putat, quod ſalſum eſt.Sicuti enim diuinam quidem naturam τοῦ λόγου neque ex Virgine natam eſſe,neque crucifixam,neque ſepultam,neque reſurrexiſſe fas eſt dicere, & tamen Deum ex Maria verè natum,crucifixum,ſepultum,reſurrexiſſe confitemur,ſed *ſecundū*
Roma.9 1.Pet.4.1 *carnem*,vt loquitur Paulus,ſiue,vt loquitur Petrus,*in carne*, quam aſſumpſit, id eſt ſibi propriam effecit,adeò vt propter illam vnionem ſua ducat quæ humana ſunt: ita Humanam naturam increatam,inuiſibilem,omnipotentem, nullo loco circunſcriptam in ſeipſa ſtatuere, idololatrarum eſſe dicimus: nec tamen propterea aſſumptum illum hominem verè omnibus diuinis proprietatibus ornatum negamus,ſed κατ' ἄλλο,id eſt diuinæ illius τοῦ λόγου naturæ reſpectu cuius facta eſt propria, adeò vt quæ diuina ſunt,ei quoque tribuantur.Facit enim hæc hypoſtatica vnio,vt æterni illius Filij Dei duplex ſit natura:vna verè propria qua Filius Dei eſt ἀμήτωρ,altera etiam propria ſed aſcititia,qua homo eſt ἀπάτωρ:& quidem vtraque ſuis differentijs diſtincta. Et viciſſim,huius aſſumpti hominis duplex eſt natura,vna verè propria qua homo eſt ἀπάτωρ: altera,ad quam aſſumpta eſt,& qua eſt Filius Dei ἀμήτωρ: ſuis vtraque proprijs differentijs diſtincta. Neque hoc eſt Chriſtum magis diuidere quàm quum dicitur, hominem ex corpore & anima conſtare, & partim mortalem & viſibilem, partim immortalem & inuiſibilen eſſe.Sed hoc eſt planè Chriſtum in duas perſonas diuidere,dicere *Deū non aliter, quod ad οὐσίαν,potentiam & præſentiam attinet,in Chriſto quàm in Petro,imò etiam quibuſuis creaturis habitare:*quaſi videlicet vnio hypoſtatica ſit,non qua ipſæ eſſentiæ vniantur in vnum ὑφιστάμενον,ſed qua vnius naturæ proprietates omnes in alteram effundantur,ac proinde vel eius proprietates aboleant,vel cum eis confundātur: vt eiuſmodi perſonam, vel ex vna natura & effuſis in eam proprietatibus,vel ex vna natura & geminis proprietatibus,tum ſuis videlicet,tum etiam aliis ab altera effuſis,conſtare oporteat.

Et videat,quæſo,Brentius quò nos iſtud ipſius dogma abducat. Nam etiamſi omnes diuinitatis proprietates in hominem illum effuſas dicamus, tamen quum ad rem ventum eſt neceſſariò quaſdam excipit,nempe increatum eſſe, infinitum eſſe: &, ſi ad τοῦ λόγου proprietatem eſſentialem veniat, (ſicut omnino faciendum eſt, niſi cum Patropaſſianis ſentire velimus)Genitum eſſe Deum ex Deo,quæ omnes proprietates ſunt eſſentiales, ac planè,vt de Deo liceat mihi balbutire, formales. Itaque etiam ſi Brentio largiremur hypoſtaticam inhabitationem poſitam eſſe in omnium proprietatum effuſione, tamen quum has proprietates ne ipſe quidem dicere poſſit carni communicatas, efficeretur hominem illum ſic eſſe Deum, vt tamen nec ſit increatus,nec infini-

infinitus,nec vnigenitus Deus, ſed tantùm habeat illam, quod ad οὐσίαν & iſtas proprie-
tates attinet,inhabitantem,ſicut omnes creaturas replet. Iſtiuſmodi autem Deum quo
tandem iure adorabimus,& quomodo omnipotentiæ ipſius confidemus?

Videt ergo nos,etiã ſi humanæ naturæ in ſeipſa ſummã ſine exceptione potentiã, &,
vt vocat,pulchritudinem non tribuamus, tamen eum qui humana illa natura præditus
eſt,nõ quidẽ,vt ipſe,integra virtutis cõmunicatione, ſed eſſentialiter, quod multo am-
plius eſt,& natura omnipotentẽ,omniſapientem,omnipræſentem,& ſi quid aliud eiuſ
modi eſt,ſtatuere,ac præterea etiam æternum,immẽſum,vnigenitum, denique verè &
eſſentialiter eſſe magnum illum Dei Filium benedictum in ſecula & Patri coæqualem,
per quem Pater omnia condidit:quoniam αὐτόθεος ὁ λόγος & is qui iſta humana natura
præditus eſt,id eſt homo iſte aſſumptus,ſunt vna perſona, non ex geminis tantùm pro-
prietatibus diſtinctis,ſed etiam ex ipſis naturis quibus illæ proprietates inſunt diſtinctè
cõſtans,ideóque verus Seruator adorandus.Hæc eſt noſtra fides quam non ex philoſo-
phia quæ nobis inuidioſè obiicitur, non ex carne & ſanguine quibus hæc ſapientia ex
diametro repugnat,ſed ex Prophetis,Apoſtolis, & totius Eccleſiæ conſenſu didicimus,
& ſi hoc eſt inſanire,(quãdoquidem nos inſanos Brentius vocat)ſic libenter inſanimus.

Quęſo,quo pudore ſcribit Brentius nos ex philoſophorum ſcholis noſtrã fidem hau-
rire?Homines deiferos, Dei plenos, deificatos,atque adeò omnibus diuinis proprieta-
tibus ornatos paſſim commemorant poëtæ, & ex philoſophis nonnulli.Expendat iam,
quæſo,Brentius vtrorum doctrina à prophana illa opinione propiùs abſit,eorúmne qui
Deum in Chriſto,excepta omnium proprietatum communicatione, docent non aliter
eſſe quàm in reliquis creaturis:an eorum qui Verbum illud eſſentialiter factum eſſe ho-
minem,id eſt homini vnitum credunt,vt vnus Chriſtus ſit Deus & homo.

Loco, inquit, *circumſcriptum eſſe,& de loco in locum ambulare non eſt diuinæ excellentiæ,
ſed corporeæ imbecillitatis:non eſt cæleſtis maieſtatis,ſed terrenæ paruitatis: non eſt ſpiritualis
pulchritudinis,ſed carnalis(ſi quidem ad cæleſtem venuſtatem conferatur)deformitatis.*

Marcion idcirco veram Chriſti humanitatem negabat quòd illam diceret maieſtate
Filij Dei indignam.Neſtorius verò aliam rationem excogitauit,Dixit enim Filium Dei,
non eſſe crucifixum,ſed duntaxat Filium Mariæ ad tempus,noſtri cauſa, κατ' οἰκονομίαν
derelictum.Quid Paulus?exinaniuit,inquit,ſemetipſum,formam ſerui accipiens. Huic Phil.2.7
igitur credimus,& confitemur Deum illum gloriæ,quatenus Deus eſt de Deo, quíque
ſine rapina eſt vera & eſſentiali forma Dei præditus, vtpote cum Patre Deus,factũ eſſe
hominem.Quid amplius?omnes noſtras infirmitates portaſſe. Quid amplius? vermem
potius quàm hominem factum,vt ipſe de ſe apud Dauidem loquitur. Abſit ergo vt iſtã Pſal.22.7
imbecillitatem,paruitatem,deformitatem negemus, in qua Pater ille cæleſtis per ſtul-
titiam crucis de ſapientia hominum triumphauit: in qua Pater miſericordiarum ſe fi- Hebr.4.15
delem præſtitit,dato nobis Põtifice tentato per omnia ſicut & nos, excepta peccati la-
be,vt nobis compati poſſit:in qua denique poſitũ eſt & Dei & Eccleſiæ decus & orna-
mentum amplius & glorioſius quàm in reliquis operibus manuũ ipſius. Quòd ſi acci-
dentarias illas infirmitates quæ ſunt noſtrarum pœnæ,ita ſubire non eſt dedignatus, an
nos illum dehoneſtabimus ſi naturalia, quorum ipſe author eſt minimè pudendus, ei
tribuamus? Atenim, dices,iam non eſt agnoſcendus ſecundùm carnem.Nempe qualis
prius erat ſecundùm infirmitatem:ſed manet qualis erat prius ſecundùm naturã, quam
etiam credimus Dauidi dicenti honore & gloria eſſe coronatam. Primùm itaque fate- Pſal.8.5
mur deuicto peccato, & eo qui mortis imperium habebat, ſublatas fuiſſe infirmitates Hebr.2.14
quas Chriſtus,ad hoſtem ſuis ipſius armis debellandum,aſſumpſerat. Deinde & hoc a-
gnoſcimus,ſi iuſti fulgebunt vt ſol, illum amplius quàm mille ſoles ſplendere: ſi tam a-
gilia erunt corpora ſanctorum ex morte ſuſcitata, vt rapiantur in aëra ad iudicis occur-
ſum, multo magis hanc etiam dotem carni Chriſti glorificatæ tribuendam: ſi nos qui
membra ſumus,videmus quæ oculus nõ vidit, audiemus quæ auris non audiuit, & Deũ 1.Cor.2.9
videntes ſicuti eſt,mente concipiemus quæ in cor hominis nõ aſcenderunt, multo ma-
gis noſtro capiti & quatenus homo eſt ineffabilia quæque ineſſe.Quòd ſi quis tamẽ eo-
uſque glorificationem illam carnis in ſeipſa euehat, vt ſit inuiſibilis & incircunſcripta,
quid ſupereſt niſi vt corpus non corpus ei tribuat? Atqui teſtatus eſt à reſurrectione ſe
carnes & oſſa habere:& conſpectus eſt relinquens terram & abiens in cælum: & vide-
bunt impij eum quem transfixerunt,& clamat Iobus ſe ſuis oculis viſurum redempto- Ioan.19.37
rem ſuum:& certum eſt agnos fore ad eius dextram, hœdos ad ſiniſtram. His ergo tam Iob 19.27 Matth.25.33

claris teſtimoniis perſuaſi, credimus formā ſerui quam aſſumpſit ſic depoſuiſſe infirmitatem, vt manſerint tamen & natura & proprietates eius formales ac ſpecificæ, quibus videlicet ſublatis naturam quoque ipſam tolli neceſſe eſt. *Tolle*, inquit Auguſtinus, *ſpatia corporibus, & nuſquā erunt, ac proinde non erunt.* Et Cyrillus dialogo de Trinit. lib. 2. *Si ſectionem & partitionem diuina natura reciperet, intelligeretur & corpus. Si autem hoc, & in loco omnino, & in magnitudine & quantitate.* Hæc illi, quibus & ipſi credimus.

Ergo, inquiet Brentius, *in corpore Chriſti nunc etiam eſt corporea imbecillitas, terrena paruitas, carnalis deformitas.* Atqui ipſemet Brentius Chriſto tribuit (& rectè quidem) corpoream, finitam & dimenſam naturam, quam etſi poſtea exornet incorporeæ, infinitæ & immenſæ naturæ proprietatibus, adeò vt velit finitum infiniti eſſe capax, tamē quatenus eſt corporea, finita, & dimenſa, neceſſe eſt eam infra Deum ſubſidere nobiſcum fateatur, quoniam diuina illa (ſi ipſi credimus) ſic habet in ſeſe per accidens, vt tamen ſuam illam ſubſtantiam non amittat. Ergo hoc ipſum quod hîc negat, alibi confitetur. Quòd ſi illa proprietatum diuinarum effuſio, quam tradit, iſtam, quam vocat, deformitatem tegit, quanto magis hoc efficiet non illa proprietatum effuſio, ſed eſſentiæ ipſius diuinæ Filij Dei cum glorificata illa carne vnitio?

Deinde neceſſe eſt vt carnem Chriſti etiam ita, vt ipſe vult, glorificatam vel faciat diuinæ æqualem vel inæqualem. Si æqualem, deſiit igitur eſſe Chriſtus Patre minor ſecūdùm hominem, imò, ſi Brentio credimus iſtam proprietatum omnium effuſionem ab ipſo incarnationis momento ei tribuēti, nunquam aſſumptus hic homo, niſi neſcio qua diſpenſatione, Patre minor fuerit, quod dogma poſtea refutabimus. Sin inæqualem, (quod ipſum malle exiſtimo) ergo infra diuinitatem nunc quoque hæc caro qualis in ſeſe eſt cōſiderata ſubſidat neceſſe eſt. Quicquid autem infra Deum eſt, quomodo ſi cum Deo comparetur non erit infirmum? niſi fortè vult aliquid eſſe ſimul, & quidem eodem reſpectu, Deo æquale & inæquale. Sed quum iſtam imparitatem inuidioſis illis vocabulis corporeæ imbecillitatis, terrenæ paruitatis, carnalis deformitatis dehoneſtat, ſi non ipſius Chriſti carni, at certè nobis iniuriā facit. Etſi enim nunc quoq; Chriſtum ſecundùm carnem dicimus ſic eſſe gloria & honore coronatum vt tamen ſecūdùm eam ſeorſim conſideratam ſit verè & reipſa inter Patrem & nos media, ac proinde Patri ſubiiciatur: tamen ipſemet ſatis nouit nos in eo corpoream imbecillitatem non agnoſcere, qualem exinanitionis tempore noſtri cauſa ſubiit. Et quorſum nunc in eo terrenā paruitatem vel carnalem deformitatem conciperemus, quem ſcimus, eo vno excepto qui
1.Cor.5.28 ipſius pedibus omnia ſubiecit, ſupra omnia eminere?

Et qui fit, obſecro, vt iſtam proprietatem, LOCO CIRCVNSCRIBI, tantopere vt imbecillam, paruam, deformem abiiciat, corporeum autem, finitum & viſibilem eſſe, non abhorreat? Doceat nos igitur quod tantum ſit inter iſta diſcrimen, aut quomodo iſta non inter ſe cohæreant nobis, nō dico ex philoſophia, ſed ex verbo Dei, demōſtret, & tunc fatebimur hoc non eſſe ſubſtantiā hominis abolere ſed ornare, non tollere ſed exaltare, non perdere ſed efferre. Iam enim demonſtrauimus quæ citat teſtimonia de exaltatione Chriſti, pro nobis cōtra ipſummet facere, quoniam ad ſummam vſque gloriam attollere Chriſti carnem, non eſt ei tribuere per accidens quicquid habet diuinitas (quod fieri nec poteſt nec debet) ſed eam cum ipſa τῦ λόγυ hypoſtaſi, diſtinctis & naturis & earum differentiis, vnire, vt aſſumptus hic homo iam nō ſit omnium proprietatum effuſione ſed natura & eſſentialiter Deus.

Nobis quidem, inquit rurſum Brentius, *in hoc mundo multa ſunt infinita & immenſa, ſicut & ipſe Deus nobis eſt infinitus & immenſus. Domino autem Deo noſtro nihil prorſus eſt infinitum & nihil immenſum. Ac ne ipſe quidem ſibi eſt infinitus & immenſus, quippe qui optimè norit ſuam maieſtatē definire & metiri: alioqui non eſſet ſcientiſſimus & ſapientiſſimus omnium rerum gubernator. Nondum igitur finitum & dimenſum, fit in conſpectu Dei infinitum & immenſum, etiam ſi conferatur in humanitatem Chriſti tanta maieſtas quæ nobis hominibus videatur infinita & immenſa.*

In ſumma, Brentius videtur velle concedere maieſtatem carnis Chriſti non eſſe ſimpliciter infinitam & immenſam, ſed tantùm noſtri reſpectu, qui illam definire & metiri non poſſimus. Sed quum hoc dicit non videtur nobis ſatis appoſitè loqui, quum alioqui hoc ipſum vltro ei concedamus, noſtri ſenſus reſpectu infinitam & immenſam eſſe gloriam quam caro Chriſti in ſeſe habet ex vnita ſibi diuinitate. Quis enim ita inſanit, vt minus carni illius glorioſiſſimæ tribuat quàm aliis mutis etiam creaturis? Sic enim in-

numera-

numerabiles eſſe dicimus & ſtellas & maris arenam, & pluuiæ guttas, & Ioan.innume- Eccleſ.1.2 Apoc.7.9
rabilem vocat multitudinem quam dinumerare nemo poſſit.Sed quorſum hoc? Non enim quæritur ſit nobis infinita & immenſa nec ne hæc carnis gloria, (nam ecquis vnquam illam metiri ſe poſſe exiſtimauit?) ſed ipſe Brentius facit vt hoc nunc quæratur, ſitne hæc gloria carnis in ſeſe infinita & immenſa an non,de quo mirum eſt in Chriſtiana Eccleſia nunc quæri poſſe, quum toties ſit ex verbo Dei definitum nec infinitã eſſe in ſeſe nec immenſam,ſed (vt millies dixi) κατ' ἄλλο, id eſt in ea demum natura quicum eſt & ſecundùm eſſentiam,& ſecundùm omnes proprietates vnita.

Hoc autem dictum ne quis ambiguum eſſe conqueratur, dico ego nunquam eſſe in vera Eccleſia Dei dubitatum, carnem Chriſti ſic eſſe glorificatam vt ſi conſiderentur dotes quas ipſa habet intra ſe à diuinitate ſibi vnita receptas,ita emineat ſupra reliquas creaturas omnes,vt tamen & ipſa & quicquid accepit ſint in ſeſe finita & dimenſa,quoniã actu infinitum eſſe,ſcimus ex Scripturis, ac præſertim ex Eſaia, multo melius quàm ex omnibus philoſophis,ſic eſſe proprium Deitatis vt effundi reipſa in nullam creaturam poſſit. Quum autem ita dilexerit homines Deus ille miſericors, vt Verbum ſit factum caro,non dubitamus quin is qui ſeipſum illi carni vniuit, etiam ſuas proprietates vniuerit,ſed ita vt ſicut nõ potuit diuina natura mutari in humanam, nec humana mutari in diuinam,(quod Brentius rectè confitetur)ita etiam proprietates illæ eſſentiales neutrius naturæ vel mutari vel confundi potuerint.

Id verò niſi Brentius cõcedat,dicat quæſo nobis quæ ſit iſta natura diuina ſuis omnibus proprietatibus effuſis ſeorſim manens ſalua & inuiolata. Rogo vt noſtræ ruditati ignoſcat.Certè quũ hęc audimus,nõ Theologum nobis videmur audire,ſed philoſophũ quempiam de materia prima vel ſecunda,à ſuis omnibus formis ſeparata, diſputantem.

Sed aliud etiã eſt & quidem maximi momenti quod hîc requirimus. Deum dicit ſibi ipſi nec infinitũ nec immenſum eſſe,vt qui ſeipſum definiat & metiatur. Nos verò ſpeculationes iſtas libẽter curioſis relinquimus,quas etiã prophanas eſſe arbitramur. Sed hoc interea credimus,tantã eſſe támq; reipſa infinitam & immenſam Dei maieſtatem, vt nulla prorſus ratione ne ſeipſum quidem definiat vel metiatur.Quorſum enim finem infinito,& immenſo menſurã? Et quod colligit alioqui illum non fore ſcientiſſimum & ſapientiſſimũ omnium gubernatorẽ, ego quidẽ vix mihi perſuaſerim ſeriò ab ipſo dictũ eſſe.q. planè ſit ridiculum,ac proinde iſta ætate ac grauitate planè indignũ. Dicere potius voluit,opinor,niſi ſeipſum definiret ac metiretur,nõ videri poſſe ſapiẽtiſſimum ac ſcientiſſimũ,vt qui ſeipſum nõ noſſet. Verùm ne hoc quidem in Deum cadit,quoniã ſi ſeipſum ſua ſciẽtia ac ſapientia metiretur,vtiq; eſſet ſibi finitus. Dicimus autẽ & infinitam eſſe eius ſcientiã, & infinitum illud quod ſcit, quoniã omnibus modis eſt infinitus.

Ac ne cui videamur Brẽtium per aula ſectari, & extra ſcopum euagari,hoc dicimus, quoniam Chriſtum hominem non facimus ſecundùm accidens,vel ſecundùm omnium proprietatum effuſionem,ſed ipſiuſmet τοῦ λόγου vnione verè & eſſentialiter Deum,nos hoc reſpectu hanc ipſam infinitiſſimam infinitatem eius profiteri, ac proinde illum vt non minus eſſentia verum Deum quàm hominẽ(quod nec Petro,nec Angelis, nec cuiquam alij vel in cælo vel in terra conuenit aut conueniet vnquam) adorare, colere,inuocare,& in eo vno Mediatore noſtro confidere. Ipſe verò viderit quomodo Deum per accidens, & ſola hac ratione à Petro differentem quòd omnes in ſe effuſas habeat diuinitatum proprietates,adoret,& ſuis populis adorandum proponat.

Venio tandem ad quiddam nobis ſanè abſtruſiſſimum, quod ſic nobis patefacit, vt quoniã conquerimur humanã naturam ab ipſo aboleri dum ſic illam omnibus proprietatibus diuinitatis exornat,primùm declaret *nullam eſſe in Deo accidens, nullũ inhærens, ſed omnia eſſe in eo eſſentialia,ac proindè ſic dici omnipotentem,bonum,iuſtum,viuentem, felicem,vbique præſentem,vt ſit ipſa omnipotentia,bonitas,iuſtitia,vita,felicitas,præſentia atque eſſentia ipſa.* Hoc eſt ipſius fundamentũ,cui poſtea triplicem rationẽ imponit. *Primùm,*inquit,*Chriſtũ hominem affirmamus nõ eſſe omnipotentiã & omnipræſentiam, ſed eam tantùm habere ex cõmunicatione,vt verè quidem ſit omnipotens & omnipræſens: nõ autem omnipotentia & omnipræſentia ipſa. Præterea quod Deus ſeu diuinitas eſt,hoc a natura ipſa eſt & ab æterno: quod autẽ homo Chriſtus habet,nõ habet natura ab æterno,ſed accepit in tẽpore plenitudinis,& habet iã inde à cõceptione & natiuitate per gratiam vnionis. Ad hæc,Deus in Chriſto eſt ſpiritus æternus,& rerũ omniũ creator: homo autẽ aſſumptus,eſt ſubſtantia corporea, creata,& quanquã dicatur pro ſua ratione de cælo cæleſtis,& corpus eius factum ſit in reſurre-*

ctione ſpirituale, tamē nunquam in æternum mutatur in ſpiritum. Hæc ſunt Brentij, quibus tandem hanc concluſionem ſubiicit. *Non igitur*, inquit, *exæquamus humanitatem Chriſti diuinitati οὐσίᾳ ſed tantùm ἐξουσίᾳ, non eſſentia ſed potentia, non natura ſed gloria, non ſubſtantia ſed maieſtate.* Rogo autem vt nos cōtrarium penitus ſentientes patienter audiat, vt noſtris viciſſim expenſis rationibus, ſola veritas obtineat.

Primùm omniū illud liquet ex iis quæ ſcribit Brentius libri ſui pag. 40, & quatuor deinceps ſequētibus, quæ etiā expreſſè in illis Theſibus dicūtur, ab ipſo nō cōſtitui Chriſtum Deū propter *οὐσίας* inhabitationē, quā ipſe apertè defendit in Petro atque adeò in quibuſuis creaturis, eandē prorſus eſſe atque in Chriſto, ſed idcirco tātùm ꝙ etſi ſua eſſentia implet Petrum vt Chriſtum hominē, nō tamē cōmunicat Petro omnes ſuas proprietates, ſed tātùm nōnullas. Ex hoc autē efficitur hominē Chriſtū vel nō eſſe natura, id eſt, οὐσίᾳ Deum, vel ſi ſit Deus, Petrum etiā eſſe Deum, quod poſterius apertè negat, & quidem rectè, ſed illud certè perperā: qua de re etiam adſcribā hæc ipſius verba, ne videar calūniari quum eū dico, dum Chriſtū vocat Deum, nihil aliud quàm omniū diuinitatis proprietatum effuſionē in carnem intelligere. *Quum igitur*, inquit pag. 40, *dicis Verbum caro factū eſt, illud dicis, Æternus Filius Dei aſſumendo carnem ſeu filium hominis ex Maria virgine in vnā perſonā, nō ſimpliciter implet eum vt alios homines*, (hoc verò concedimus, ſed nō quo ſenſu mox loquitur) *ſed ita eum implet vt cōmunicet cum eo omnē ſuā potentiā, ſcientiā, ſapientiā, felicitatem, & præſentiam.* (pro eo quod debuit dicere, ita eum implet vt inconfuſis naturis & naturarum differētiis eſſentialiter ſeipſum cum eo vniat.) *Niſi enim hæc ſit ſententia, non habebis inter Chriſtum & alios diſcrimē.* Ex his igitur liquere dico, Chriſtum à Brentio non aliter, quod ad eſſentiam attinet, cōſtitui Deum quàm Petrum, ſed tantùm in eo poni diſcrimen quòd diuinitas quæ in vtroque ſit ſimiliter, in Petrum tātùm aliquas, in Chriſtum verò hominem omnes ſuas proprietates effundat.

Hoc autem quum dicit, aſſentior humanam naturam à Brentio non mutari in diuinam, vt qui naturam ipſam, id eſt eſſentiam diuinam, apertè, non quidem locorum interuallo, ſed quoad perſonæ totius conſtitutionem, non aliter in Chriſti quàm in Petri perſona ſeparet. Nec certè aliter loquutus eſt Neſtorius, vt antea oſtendimus, & mox etiam repetemus. Cur ergo, dicet, Eutychiſmum mihi imputatis? quoniam duplex fuit Eutychetis error, vnus in eſſentiæ humanæ abolitione, alter in proprietatum cōfuſione. Non tantùm igitur ab illo ſed etiam ab iſto ſibi cauere Brentium oportuit, quoniam vtrunque diſtinctè damnat ex Dei verbo Chalcedonenſis Synodus.

Quid ergo? dicā paucis ingenuè: Vel quid dicat Brentius non percipimus, vel naturarum eſſentias ſeparat cum Neſtorio, ne alteram cum Eutychete abolere videretur: & rurſus ne Chriſtum duntaxat hominem videretur ſtatuere, proprietatum effuſionem in carnem ab Eutychete mutuatur, & ita nobis pro Chriſto eſſentialiter Deo & homine, Chriſtus Deus per accidens, ſiue diuinus homo euaſit. Eiuſmodi verò Chriſtum qui adorat, certè idolum quod nuſquam eſt adorat, idq́ue non aliunde melius quàm ex hac ipſa Brentiana defenſione colligo. *Non mutamus*, inquit, *Chriſti humanitatem in diuinitatem, quia non dicimus illum hominem eſſe omnipotētiam ipſam, ſed tantùm hoc habere à diuinitate vt ſit verè omnipotens.* Atqui paulò antè dixerat omnia eſſe in Deo eſſentiā. Itaque, ſi ipſi credimus, ne ipſa quidem proprietas aſſumpto illi homini cōmunicatur, ſed tantùm eius efficacia & virtus. Et quid eſt naturas ſeparare, ſi hoc nō eſt? Nam vt obiter hoc dicam, ſeparare duas naturas in hoc argumento, non eſt vnam naturam alibi quàm alteram ſtatuere, vt ſi ego quidem Geneuæ, Brentius verò Stucardiæ vel in arce ſua degat: ſed eſt vnum compoſitum in duo ὑφιστάμενα, etiam ſi ſint ſimul præſentiſſima, reipſa diſſoluere, vt quum Petrus, & Deus in Petro, itemq́ue Deus & filius hominis dicuntur eſſe duo, ita vt vnum de altero eſſentialiter prædicari non poſſit.

Quum igitur dicit & affirmat Chriſtum hominem non eſſe ipſam omnipotentiam, quid aliud dicit poſito illo ſuo fundamento de eſſentia Dei, quàm Chriſtum hominem non eſſe eſſentia Deum, ſed diuinæ tātùm omnipotentiæ virtute & efficacia ornatum?

At nos ex Scripturis didicimus, Verbum eſſe factum carnem, Chriſtum eſſe Deum gloriæ, & Deum benedictum in ſecula. Quomodo autem hoc? non virtutum participatione, (vt ipſe vult cum Neſtorio) non humanæ naturæ abſorptione (vt blaſphemabat Eutyches,) ſed (vt orthodoxa Eccleſia ſemper confeſſa eſt) naturæ diuinæ ſiue ipſius τοῦ λόγου cum natura humana, diſtinctis & manentibus naturis & earum proprietatibus, vnione: ſicut homo dicitur non qui ex corpore & effuſa in eum ratiocinandi facultate,

ſed

ſed qui ex ipſa eſſentia corporis humani & ipſa eſſentia animæ humanæ, neutrius eſſentia vel proprietatibus confuſis, eſſentialiter & perſonaliter conſtet. Et niſi ita eſſet, neque Chriſtum inuocarem, neque in eo confiderem. Nihil enim aliud eſſet quàm homo diuiniſſimus.

Deinde ſi homo ille aſſumptus nõ eſt omnipotentia ipſa, ſed tantùm virtutis participatione omnipotens, & hac tãtùm ratione Deus eſt (poſuit enim Brentius hac vna in re Petri & Chriſti diſcrimen) quid habet in quo Sãctos præcellat Chriſtus? Nã ipſe Petrus ſcribit omnes Sãctos fieri naturæ diuinæ participes. quod quum nefas ſit intelligere de eſſentiæ ipſius cõmunicatione, neceſſe eſt ad virtutum & donorum diſtributionem referamus. *At non omnes*, inquit, *proprietates recipimus, ſed tantùm aliquas.* Ergo, ſi Brentio creditur, differemus à Chriſto ſecundùm plus & minus. Erit enim illud, *natura diuinæ participem fieri*, nõ eſſentiæ ſed virtutis cõmunicatione, veluti genus. Itaque & nos Dij erimus ſicut Chriſtus, quanuis non ita perfectè: vel ſi Dij non ſumus, nec ille Deus erit.

Præterea ſi Chriſtus non eſt ipſa omnipotentia, & ea tantùm ratione Deus eſt quia participatione virtutis factus eſt omnipotens, certè multum abeſt vt ſit Patri conſubſtãtialis, coæqualis, & coæternus ſecundùm diuinitatem. Imò quo iure vocabitur Filius Altiſſimi? Nam is certè non eſt omnipotens participatione virtutis, ſed ipſiſſima ſua natura & eſſentia. Hoc igitur quum vitare vellet Neſtorius, expreſſit communicatam fuiſſe huic homini Filij ἐξουσίαν ac dignitatem: quod quum vbique Brentius præterierit, minus etiam quippiam quàm Neſtorius dixit.

Interea verò quòd ipſas etiam naturas à Brentio fuiſſe cõfuſas alicubi à noſtris obiicitur, ſciat ex alijs librorum ipſius locis eſſe meritò collectum, quos ſaně neſcimus quomodo inter ſe conciliare poſſit. Quoties enim inculcat carnem Chriſti capacem eſſe factam omnis gloriæ ac maieſtatis? & quidem pag. 59. addit nominatim elatam eſſe in eam maieſtatẽ qua nõ poſſit vlla eſſe aut maior aut ſublimior. Obſecro igitur, qui hæc legit, quid aliud poſſit ſibi perſuadere quàm carnem hãc à Brentio penitus Deũ fieri? At rurſus quum nunc doceat, Chriſtum hominem non eſſe ipſam omnipotentiam, ſed cõmunicatione virtutis ſeu efficaciæ factum omnipotentem, idque non ab æterno: denique non οὐσίᾳ, ſed tantùm ἐξουσίᾳ Deum eſſe, quomodo hæc inter ſe conciliabit? Nam certè οὐσίᾳ, & ab æterno, & ex ſeſe omnipotentem eſſe, infinitis modis ſublimior & excellentior eſt maieſtas. Erit ergo ſubalterna illa Chriſti diuinitas, id eſt omnipotentia, omniſapientia, omniſcientia, omnigloria, omnimaieſtas, omnipræſentia denique ipſa qua Brẽtius Chriſtum exornat. Et quis iſte eſt Deus quem adoremus & in quo confidamus?

Quod de prima illa Brentij excuſatione dixi, de altera quoque intelligendũ eſt. *Quod habet*, inquit, *Chriſtus homo, non habet per naturam ab æterno, & accepit in tẽpore plenitudinis.* Hoc verò ſi rectè intelligeretur, veriſſimũ eſſet, ſed vt à Brentio dicitur, nullo modo admitti poteſt. Quum enim Chriſti caro ſit humana, quicquid ſupra cõmunem hominũ atque adeò Angelorum ſortem habet, certè non à natura ſed ex peculiari dono habet, quamobrem etiam Propheta eum pronuntiat vnctũ fuiſſe ſupra omnes conſortes ſuos. Et quum creata ſit in tempore, id quod habet, non poteſt ab æterno habere. Nam illud, Chriſtus eſt heri & hodie, & illud, Agnus occiſus eſt ab origine mũdi, aliò reſpicit. Vera eſt igitur illa ſententia rectè intellecta. Sed quum nullam aliam in hoc homine præ cæteris dignitatem ponat Brẽtius præter eam quæ in ipſius carnem per efficaciã diuinitatis effuſa eſt, ſpoliat certè Chriſtũ hominẽ naturali & æterna ſua deitate, qua hæc caro ornata eſt, nõ in ſemetipſa ſiue qualitate aliqua in ipſam effuſa, ſed idcirco quia aſſumpta eſt in vnitatẽ perſonæ à Verbo illo quod eſt Patri coeſſentiale ac coæternũ, adeò vt propter perſonæ vnitatem, veriſſimum ſit hunc aſſumptum hominem eſſe natura & ab æterno Deum, ac proinde adorandum & inuocandum, ſicut dicebat Thomas, Dominus meus & Deus meus: & Stephanus, Domine Ieſu, ſuſcipe ſpiritum meum. Itaque nõ dicit Paulus plenitudinem θειότητος, id eſt diuinitatis, ſed θεότητος, id eſt deitatis, in Chriſto reſidere, idque σωματικῶς corporaliter, id eſt, vt veteres Græci rectè interpretantur, οὐσιωδῶς καὶ μὴ σχετικῶς, id eſt eſſentialiter, nõ autẽ habitudine & affectione quadam. Videt igitur etiamſi hic homo verè vt eſt & eſſentialiter dicatur Deus, tamen quũ hoc fiat naturæ alterius, nempe diuinæ, reſpectu, incõfuſis manentibus tum eſſentiis tũ etiam earum proprietatibus, non cõſequi propterea mutari humanam naturam in diuinam, neque ſpoliandum eſſe Chriſtum eſſentiali ſua deitate, vt hæc mutatio vitetur.

Denique quòd teſtatur ſe Chriſti humanitatem nõ exæquare diuinitati οὐσίᾳ, ſed *τῇ*-

tùm ἐξουσίᾳ,non eſſentia ſed potentia,non natura ſed gloria , nõ ſubſtantia ſed maieſtate,puramus non ob aliud additum eſſe quàm vt nobis diſcrimen hoc verborũ *οὐσίας* & ἐξουσίας ob oculos poneret:& quum videamus in illis Theſibus hæc totidem verba reperi,ſatis colligimus hanc eſſe Brentiani dogmatis veluti colophonem. Quid nos verò reſpondebimus? Qui illis antecedentibus reſpondit, videtur huic concluſioni reſpõdiſſe. Hoc autem ego dico & affirmo pro modulo cognitionis mihi conceſſo,ſi reuixiſſet Neſtorius vix aliud eſſe dicturum quàm quod ſcribit Brent. His enim verbis deſcribit eius dogma Cyrillus illius antagoniſta,tota Epheſina Synodo comprobante, libro de incarnatione,cap.27,quem locum totum deſcripſi,vt ſemel omnia liqueant , & ne Satan iſte in Angelum lucis transformatus,ſed re vera deforme mõſtrum ex duabus furijs in mutuam perniciem armatis,Neſtorio dico & Eutychete,conflatum,diutius & Brentium & nos fallat. Vtinam verò Græcum codicem mihi nãciſci licuiſſet. Nec enim dubito quin clariora & illuſtriora iſta haberemus.Sed bene eſt quòd rem ipſam habemus , quæ quidem eſt eiuſmodi.

Garriũt nõnulli de carnali diſpenſatione Vnigeniti,& venerabile ac magnũ ac ſupernis ſpiritibus amabiliſſimum myſteriũ,per quod etiã ſeruati ſumus,ad ſenſus fragiles deſcẽtes , decus cõtaminant pulchritudinemq́, veritatis. (hîc quæſo cõſideret Brentius, quinã hoc veritatis decus ad fragiles ſenſus deferant,iine qui Verbum eſſentialiter factum eſſe carnem, id eſt,vnitione naturæ vnum cum natura noſtra factum eſſe,licet repugnante ipſa rerũ cõmuni natura,credunt,& Filium eſſentiali illa Dei forma præditum hoc reſpectu exinanitum fuiſſe, quòd quanuis nihil de ſuo amiſerit,tamen vnum ſit eſſentialiter factum cum miſerrima & imbecilliſſima iſta creatura:an verò qui Deum exiſtimãt hãc carnem delegiſſe quã nõ aliquibus vt alias creaturas, ſed omnibus ſuis donis ornaret) *quũ eos oporteat nõ ſi quid rectè habere videatur roborare conari,ſed potius inſpicere ſubtili acutoq́ mẽtis oculo ſacrarũ literarum propoſitũ & rectũ iter ingredi,ſectantes ea quæ Patres ſanctiſſimi examinarunt* (loquitur autem de iis Patribus de quorum hac in re fide dubitare ſit prorſus nefas,quũ nõ de huius aut illius, ſed de perpetuo Eccleſiæ cõſenſu agatur) *qui ſancti Spiritus illuminationibus eruditi,ſanxêre nobis ipſum fidei Symbolũ, dicẽtes, Verbum Deum quod ex Patris ſentẽtia inæſtimabiliter natũ eſt,& per quod omnia facta ſunt quæ ſunt in cælo & in terra,propter nos hoĩes,& noſtræ ſalutis cauſa deſcẽdiſſe,carnẽ factũ,paſſum,aſcẽdiſſe in cælũ,& vẽturum ad iudicandum viuos & mortuos.* (hæc eſt fides Catholica quã & nos profitemur,dicentes hominẽ illum eſſe verũ Filium Dei,nõ vt Petrũ, ſiue aliquorũ,ſiue omnium donorum cõmunicatione,(nã ALIQVID & OMNE eſſentialem differentiam non cõſtituunt)ſed ipſarum naturarum incõfuſa vnione quæ nulli creaturæ cõpetit, & hunc hominem ſupra reliquas creaturas incõprehenſibiliter euehit , quum idem & vnus ſit σωματικῶς Deus & homo.) *Verùm nõnulli ſunt, doctos ſe ac ſciẽtes eſſe opinantes, ſupercilio & tumore inflati,qui ſi hæc verba audierint,derident,& ea tanquam nõ rectè ſint dicta pro deliramentis habent:quum tamen credamus illuminatione ſancti Spiritus patuiſſe ſanctis Patribus ſcientiam veritatis. At illi tanquam ſoli poſſint meliora ſentire,nõ ipſum exiſtimãt vnigenitum Dei Filium,qui eſt Verbũ ex ipſius ſentẽtia,* (nõ agit Cyrillus ſic loquens de proprietatum efficacia,Brenti, non de proprietatibus ipſis realibus, ſed de ipſiſſima hypoſtaſi Verbi ,) *paſſum eſſe ſua carne pro nobis humanè, licet eo quod Deus intelligitur in ſua natura habeat vt pati nõ poſſit:* (hoc dicit propterea ꝙ Neſtorius dicebat naturas diuidens,Noli gloriari Iudæe,Chriſtum nõ crucifixiſti:cui cõtradicens Eutyches & cõfundens quod ille diuidebat,dicebat ipſum Deum in ſeſe paſſum eſſe.) *hominem autem ſeorſim & ſeparatim eum ponentes* (ſeparant autem qui nõ aliam οὐσίας in Chriſto quàm in aliis creaturis habitationem ponunt,excepta omnium proprietatum effuſione) *qui eſt ex ſancta Virgine procreatus,deinde quantũ ipſis videtur gloria modũ ei tribuentes,* (Brentius certè etiãſi omnẽ maieſtatẽ ei verbis tribuit,tamen hunc hominem dicens nõ eſſe οὐσίᾳ ſed ἐξουσίᾳ Deũ,& eo vno differre à Petro quòd in Petrum nõnullæ, in iſtũ verò omnes proprietates, abſque earum tamen eſſentia,tribuantur , vt qui nolit eum eſſe omnipotentiam,ſed omnipotentem,modum eius deitatis longè infra Deum collocat) *donatum eſſe ipſi dicunt à Deo æqualitatẽ dignitatis ſiue authoritatis,* (ἀξιώσεως καὶ ἐξουσίας,& quid aliud dicit Brentius? Nam ſi aliud dicit,vt alicubi videtur quum Chriſti perſonã ex duabus naturis compoſitã agnoſcit,cur diſcrimen Petri & Chriſti hac in re potius quàm in proprietatum communicatione ponit?) *& vt ſimili appellatione Chriſtus & Filius & Dominus dicatur.* (hoc verò etiam vbique prætermiſit Brentius,cõtentus omnipræſentiam vrgere.)

vrgere.) Hæc Cyrillus, hæc Brentius, hæc & ego. Iudicet nunc Eccleſia. Sed hoc præterea non diſſimulo, non poſſe ſine blaſphemia dici quicquam in cælo vel in terris ἐξουσίᾳ æquale Deo, niſi quod ſit etiam οὐσίᾳ vnus & idem Deus, ſicut tres hypoſtaſes dicuntur inter ſe coæquales quoniam ſunt ὁμοούσιοι. Hoc, inquam, dico, & hoc dogma vt blaſphemum accuſo coram Dei Eccleſia.

Venit tandem Brentius ad teſtimoniũ D. Lutheri, quod ex quadam ipſius concione fuit ipſi obiectum, eſtque huiuſmodi. *Hæc hominis vox eſt, Pater maior me eſt, Ioh. 14. Et Mar. 13, De die hoc nemo ſcit, nõ Angeli, neq; Filius quidẽ, ſed ſolus Pater. vbi intẽpeſtiuam quidã narrationẽ afferũt, dicentes, Filius neſcit, id eſt, nõ vult ſcire. Quid enim opus iſtis cõmentis? Chriſtus verus homo fuit, quare vt alius purus, ſed ſanctus homo, non quolibet tempore cogitauit, dixit, voluit, intellexit omnia: ſicut imperiti quidã* OMNIPOTENTEM *in eo* HOMINEM *faciunt, permiſcẽtes duas naturas, atque* OPERA *earum parum prudenter. Sicut enim non quolibet tẽpore oĩa vidit, audiuit, atque ſenſit, ita etiã corde non oĩa ſemper agnouit, ſed quãtùm illum duxit ac docuit Dominus.* Hæc ille totidẽ verbis, quæ ſi à Zuinglio beatæ memoriæ, vel à P. Martyre, vel à Bullingero ſcripta eſſent, grauiter ſanè Brentio diſplicerent, quũ planè ſint noſtris & ipſi veritati prorſus conſentanea. Lutherus enim apertè Chriſti, quatenus homo eſt, ſcientiã terminat, & ne quiſquã ad diſpẽſationis latebras refugere poſſit, apertè repudiat illud gloſſema, *neſcit*, id eſt, *poteſt quidẽ, ſed nõ vult ſcire.* Vbi ergo illa omniſcientia, quã Brentius nõ dico Chriſto (quis enim negarit Chriſtum eſſe omniſcientẽ, vt qui natura ſit Patris ſapiẽtia?) ſed humanitati Chriſti ab ipſo incarnationis momẽto tribuit? Lutherus certè imperitos eos vocat *qui* OMNIPOTENTEM *in Chriſto hominem faciunt*, pro quo tamen rectius carnem omnipotentẽ dixiſſet; quũ rectè omnino ſentiant & loquantur qui Chriſtum dicunt eſſe hominẽ omnipotentem quũ ſit homo Deus. Sed in ſumma, ſi verũ eſt illud Lutheri dictũ, vbi illa caro in quã Deus omnipotentiã ſuam effuderit? & quid nunc Brentium iuuat illud inter Omnipotẽtem & Omnipotentiam diſcrimen? quod quidem (vt παρέργως hoc addã) cum duplici in Chriſtum contumelia dicitur. Quum enim carnẽ eius omnipotentẽ facit Brentius, naturarum proprietates confundit, ac proinde quod humanitati largitur, diuinitati eripit: & quũ homini illi eſſentialem omnipotentiam adimit, ſua deitate eum ſpoliat, cuius tamẽ plenitudo in eo, non vt in Petro vel aliis vllis creaturis, ſed corporaliter, id eſt, οὐσίᾳ, non ἐξουσίᾳ tãtùm habitat. Denique à Luthero apertè damnãtur nõ modò qui naturas, ſed etiã qui OPERA naturarũ permiſcent. Vbi igitur illa Chalcedonẽſis Canonis interpretatio, quo ſe comprehendi Brentius non putat, ſi ſolas eſſentias non confuderit?

Quid autem Brentius ad hæc reſpondet? *Loquitur*, inquit, *Lutherus non de tẽpore glorificationis, ſed exinanitionis.* Vanũ certè reſponſum. Quis enim hoc non videt? Quid autem inde colligit? *Fuit*, inquit, *ſi maieſtatem hominis Chriſti intuearis, iam inde ab incarnatione in forma Dei, & potuit omni tempore omnia cogitare, audire, videre, & ſentire, tamen exinaniuit ſeipſum forma ſerui ſumpta*, &c. Hæc igitur Brẽtius, quæ quum dicit, perinde certè facit ac ſi D. Lutherũ mendacẽ & pſeudoprophetã vocaret. Negat enim ille Chriſtum tempore infirmitatis quatenus homo fuit idcirco neſciuiſſe aliquid, quia potuerit ſcire, ſed noluerit: & vult verè neſciuiſſe, quia quatenus homo fuit, non fuit omnipotẽs; ac proinde nõ omnia corde ſuo agnouit, ſed tantùm quantùm illũ docuit Dominus. Brẽtius verò neſcio qua Dei forma carnem Chriſti induens vult illam omnia potuiſſe, omni tempore cogitare, audire, videre, & ſentire, & quæ Lutherus negat eſſe naturæ humanæ opera, Brentius vult à diuina in humanam effundi, ac proinde humanæ naturæ facta. Quomodo autem iſta, id eſt, lucem cum tenebris conciliabit?

Præterea, rogamus Brentium vt nos doceat vbi tandem inuenerit vel in Scripturis, vel in Patribus, hãc carnem fuiſſe in forma Dei ab initio incarnationis. Τὸν λόγον quidem legimus quum in forma Dei eſſet, id eſt, talis qualis eſt verus eſſentialiter Deus, aſſumpſiſſe formam ſerui, id eſt aſſumpta eſſentialiter carne noſtra ſiue hominis natura, talem per omnia, excepto peccato, reipſa factũ eſſe quales nos ſumus. Hæc, inquã, myſteria magna audimus Apoſtolũ teſtificantẽ, & eius teſtimonio credimus. Sed vbi tandẽ inueniet Brẽtius iſtã ſerui formam fuiſſe in Dei forma, id eſt (vt perpetuò inculcat) omnes diuinitatis proprietates intra eã fuiſſe effuſas? Nos certè Theologiam iſtã nuſquã niſi apud eum inuenimus. Et, quæſo, quę tandẽ erit iſta Dei forma? certè nõ ipſa eſſentia, quũ velit Deũ, quod ad οὐσίαν attinet, non aliter in Chriſto quàm in quibuſuis creaturis eſſe: nõ item ipſæ proprietates, vt quæ ſint ipſa Dei eſſentia, nec à Brẽtio in iſto homine cõſiderentur,

ſed earum duntaxát quædam virtus & efficacia. Quid ergo? nempe fuerit accidentarium quoddam ornamentum in humanam naturam collatum. Deinde doceat nos & illud, vbi tandem didicerit naturam humanam exinaniuiſſe ſeipſam. Et quæ eſt, obſecro, hæc theologia? Tradunt omnes, & quidem verè tradunt, vt & hoc ipſo loco Lutherus orthodoxè ſcribit, quæ de exinanitione & exaltatione Chriſti in Scripturis traduntur, tribuenda eſſe eius humanitati, id eſt, non ipſius diuinitatis, ſed humanitatis reſpectu dici, quoniam diuinitas in ſeſe nec minui nec augeri poteſt.

Hoc verò videamus quomodo explicet. *Exaltatus dicitur Chriſtus, quatenus quum homo eſſet exaltatus eſt ſupra reliquas creaturas à diuinitate ſibi vnita.* Concedo. *Exinanitus eſt quatenus quū Deus ſit, factus eſt homo, & quidē infirmiſſimus, excepto peccato.* Cōcedo, Conſtat ergo reſpectu humanitatis fieri mentionem tū exaltationis tum exinanitionis, ſed diuerſo planè modo. Neque enim dicitur axaltata diuinitas, ſed humanitas, quanuis, qui exaltatus eſt, ſit vnus Deus & homo: è contrario verò, non dicitur exinanita humanitas, ſed diuinitas, quanuis vnus & idem ſit Deus & homo. Itaque ſuiipſius reſpectu etiā ſeorſim dicitur exaltata humanitas, vtpote quæ verè ſit in ſeſe huius exaltationis & gloriæ particeps ſupra omnes conſortes. Diuinitas autem non ſuiipſius reſpectu ſeorſim, ſed quatenus carni ſeſe vniuit dicitur exinanita, quoniam non vt in carnem participatio gloriæ, ſic etiā diminutionis ignominia in diuinam naturā cadit: quod diſcrimen quia Brentius non obſeruat, idcirco etiam exinanitionē in ipſa carne Chriſti non aliter conſiderat quàm exaltationē, qua in re magnus ineſt error. Neque enim homo, ſed is qui erat in forma Dei, id eſt verus Deus, dicitur exinanitus, non tamen in ſeſe, ſed rurſum κατ' ἄλλο, id eſt in forma ſerui accepta, ſiue quatenus eſt incarnatus, & manifeſtatus in carne. Sic dicit Dauid eum pauliſper factum Angelis inferiorē, certè de eo loquēs qui erat in principio Deus apud Deū, ſed quatenus eſt factus caro. Denique forma Dei non qualitatem aliquam naturæ aſſumptæ inditā declarat, vt Brentius primus omnium hominū fortaſſe tradidit, ſed naturam aſſumentem ſignificat, quanuis hæc exinanitio non cadat in eā niſi vnionis cū natura aſſumpta reſpectu. Rectè enim inquit Cyrillus libro de incarnatione, cap. 2. *Manens id quod erat, accepit etiā formā ſerui, & conſpectus eſt homo in terra.* Et cap. 11. *Quòd verò ὁ λόγος quū eſſet Deus, factus ſit homo, & non potius homo deificatus intelligatur Chriſtus, etiā ex ſacris literis conabor oſtendere. Ait igitur Paulus de Vnigenito,* (nō dicit, de homine cui duplex forma, id eſt geminæ proprietates tribuātur, ſed de vnigenito Filio Dei.) *Qui quū in forma, &c. Quē igitur dicemus in forma eſſe & æqualitate Patris, & hac nō rapinā arbitratū, ſed potius in exinanitionē & formā ſerui deſcendiſſe, & ſe humiliantē, in ſimilitudine noſtra fuiſſe factū? Si hominē factū ex muliere nudū & ſolū* (id eſt, in ſeſe & ſeorſim) *quō is erat in forma & æqualitate Patris? & quō habebat plenitudinē, vt intelligatur exinanit⁹? vel in qua poſit⁹ antea plenitudine ſemet humiliaſſe dicitur? vel quō in ſimilitudine hominū factus eſt, qui id erat etiam per naturā, & ſi nō id factus eſſe fortè dicatur? Imò potius quomodo exinanitus eſt accepta plenitudine deitatis, vel quō nō ſit factus altiſſimus qui in gloriā ſupernā aſcenderit? Itaq; nō dicemus hominē eſſe factū Deū, ſed potius τὸν λόγον qui erat in æqualitate & forma Patris, factū eſſe in exinanitione ꝑpter humanitatē. Exinanitus.n. eſt hoc modo ꝑpter ſimilitudinē noſtrā quū eſſet plenus vt Deus.* Et ca. 16. *Qui fidē habet in Chriſto immaculatā, & rectis oīm ſuffragiis cōprobatā, dicat ipſum ex Deo Patre λόγον exinanitione deſcēdiſſe forma ſerui accepta, propriū aūt ſibi corpus illud natum ex Virgine faciendo* (non dicit, omnes ſuas proprietates in id effundendo) *factū eſſe noſtri ſimilē, & nuncupatū eſſe Filiū hominis.* Hæc ille. & quid ſi vellem huiuſmodi teſtimonia congerere? Hoc enim dico, nullū ad hunc vſque diē, ne Eutychetē quidem, repertū eſſe qui fabularetur in ipſa humana natura Chriſti duas illas formas, vnā Dei, alterā ſerui, ab Apoſtolo commemorari: quaſi videlicet in ipſa incarnatione in hominē illū effuſæ fuerint omnes diuinitatis proprietates, id eſt, homo ille factus ſit non omniſcientia, omniſapientia, omnipotentia, & omnipræſentia ipſa eſſentialiter, ſed omniſciens, omniſapiēs, omnipotens, omnipræſens, & quicquid eiuſmodi volet Brentius, quod quū ad tēpus diſſimularit per diſpēſationē, dicatur ſeſe exinaniuiſſe: & quū Dominus eſſet per accidēs, formam ſerui accepiſſe, id eſt, factū fuiſſe quaſi ſeruū donec reipſa exaltaretur. Hoc, inquā, totum dico falſum eſſe, ac etiam in Chriſtū apertiſſimè blaſphemū: quū huius rei mētio in Scripturis ne tenuiſſima quidem ſit, imò Lutheri etiam teſtimonio manifeſtè redarguantur qui naturas & opera naturarum permiſcent: & hoc fieri non poſſit quin Chriſtus deitate ſua eſſentiali ſpoliatus (dicit enim Brentius Deum, ſi effuſionem omnium proprietatum

prietatum excipias, non aliter eſſe in omnibus creaturis quàm in Chriſto) pura creatura quanuis diuinis omnibus qualitatibus (omnipotentem enim eſſe, non omnipotentiam, nuda eſt qualitas) ornata ſtatuatur, ac proinde omnes Chriſtiani manifeſti ſint idololatræ. Nam ne neſcias Illuſt. Princeps, aut nihil certè videmus omnes, aut ſi rectum eſt quod affirmat Brentius, nulla eſt cauſa cur non ab initio mundi fuerint omnes idololatræ qui Chriſtum inuocarunt. Sed quin hoc falſiſſimum ſit non dubitamus: ac proinde te obteſtamur vt ſeria de his rebus inſtituta cognitione, omnia hæc portenta procul profligentur: & tantum mihi de D. Brentio polliceor, vt illum omnino confidam veritatem Dei patefactam cæteris omnibus rebus vltrò antepoſiturum.

Mea hæc non ſunt, ſed Cyrilli ipſius, eodem illo lib. cap. 11. *Credimus non in vnum noſtri ſimilem, Deitate per gratiam honoratum,* (hic eſt Chriſtus ſola omniũ diuinitatis proprietatum effuſione à Petro differens) *ne cultores hominis eſſe comperiamur, ſed in Deum potius, qui in ſerui forma apparuit, fuitq́ verè noſtri ſimilis humanitate, etiam tamen Deus permanſit.*

Sed quàm procul aberraui? Ad Lutherum redeo, cuius his de rebus teſtimonia ſi velim citare, profiteor me integrum volumẽ confecturũ, qui niſi ſibi ſemel perſuaſiſſet non poſſe carnis & ſanguinis Domini *κοινωνίας* retineri niſi IN vel SVB, vel CVM pane & vino ſtatueretur, nunquã à ſeipſo in hoc argumento perſonalis vnionis diſſenſiſſet. Scio durũ fore hoc dictum quibuſdam, quaſi de Lutheri dignitate detrahamus. Fuit ille verè vir admirandus in diebus noſtris, in quo qui nõ ſentit Dei ſpiritũ, nihil ſentit. Sed ne tu quidem illum, Brenti, vt opinor, omniſapientem ſtatues, quod ipſe ſibi minimè omniũ arrogauit. Nos quidẽ Deus nobis teſtis eſt tanti organi Dei memoriã ſic reuerẽter colere, vt tum quoque quum maximè & quidẽ nullo iure in nos exardeſcit, quos Sacramentarios vocat, hominum potius peccata deploremus, quæ ſola iampridem efficiunt vt mũdus in manifeſta luce cæcutiat, quàm illi ſuccenſeamus. Plantarit igitur ille rurſus vineam Domini à paſtoribus deſertam: accidit interim illi quod Nohæ, maximo illi Prophetæ. Nos certè accuſandi non ſumus qui Patris verenda libenter obtecta velimus. Accuſentur potius inofficioſi filii, an inepti? qui iampridem non deſinũt illa omnibus ſpectanda proponere. Sed iſta quidẽ certè quæ ex ipſo citauimus honeſta ſunt ac veneranda, vtpote quæ ex ipſis Scripturis ſit mutuatus, quũ eos imperitos vocaret qui duas naturas & opera earum permiſcentes hominem in Chriſto omnipotentẽ faciunt. Quid ſi igitur illas OMNIPRAESENTIAS, OMNIMAIESTATES, OMNIGLORIAS tum audiuiſſet?

Sed calumnia Brentius excipit Bullingerum. *Nam Lutherus ſententiam ſuam*, inquit, *perſpicuè expoſuit, quum iſta ſubiicit à Bullingero omiſſa: plenus tamen gratia & ſapientia fuit etiã in hac vita, vt quicquid illi obiectum fuiſſet potuerit intelligere & iudicare, eò quòd diuinitas quæ omnia videt & præſentia habet, in ipſo perſonaliter præſens eſſet. Porrò quicquid de deiectione vel exaltatione Chriſti dicitur in Scripturis, id totum humanitati eius tribuendum eſt.* Hæc ille, fateor. Sed quid iſta Brentium iuuant? Dixerat Lutherus Chriſtum quatenus homo eſt reuera aliquid neſciuiſſe, non quòd nollet ſcire, ſed quia nõ amplius ſciebat quàm diuinitas illi patefaceret. Poſtea verò ne videretur Chriſtũ vel in reliquorum hominum albo recẽſere, vel ea tantùm ratione aliis anteponere quòd multò plura ſciret quàm alii, addit eum ipſum qui quatenus homo erat aliquid neſciebat, omni tamen gratia & ſapientia plenum fuiſſe, ſed ſecundùm alteram naturam ipſi vnitam. Quid nos autem aliud quàm hoc ipſum docemus? At Brentius longè aliter, qui quod ille humanitati adimit vt deitati tribuat, velit in humanitatem fuiſſe à diuinitate effuſum: vt pro eo quòd ille & nos ex Dei verbo Chriſto tribuimus omnipotentiam eſſentialem, nõ quidẽ quatenus homo eſt, ſed quatenus qui homo eſt etiam eſſentialiter eſt Deus, Brentius illum tanquam hominem qualitatibus omnibus ex diuinitate in illum effuſis, per accidens omnipotentem efficiat. Spero igitur, non modò Brentium, virum grauem, &, vt ſpero, veritatis ſupramodùm amantem, ſed etiam puerulos ipſos huius dogmatis falſitatem ex ipſo quoque Luthero facillimè agnituros.

Neque enim ille alibi quoque ſæpe quid de his rebus ſentiret diſſimulauit: vt in concione quadam anno 34. habita De nato Chriſto, vbi tractat illud Lucæ dictũ, Natus eſt hodie nobis Seruator. *Deus* inquit, *nõ more Diaboli genus humanum* (id eſt, humanam naturam) *occupat, verùm ipſe fit homo, vt ex Deo & humana natura vna perſona cõſtituatur.* Hoc autẽ non ignoro quidem, non ſemel tum in libro iſto quem nunc oppugno, tum in illis Theſibus inculcari: ſed quum apertiſſimè poſtea dicat Brentius *non aliam eſſe Dei in*

ſed earum duntaxât quædam virtus & efficacia. Quid ergo? nempe fuerit accidentarium quoddam ornamentum in humanam naturam collatum. Deinde doceat nos & illud, vbi tandem didicerit naturam humanam exinaniuiſſe ſeipſam. Et quæ eſt, obſecro, hæc theologia? Tradunt omnes, & quidem verè tradunt, vt & hoc ipſo loco Lutherus orthodoxè ſcribit, quæ de exinanitione & exaltatione Chriſti in Scripturis traduntur, tribuenda eſſe eius humanitati, id eſt, non ipſius diuinitatis, ſed humanitatis reſpectu dici, quoniam diuinitas in ſeſe nec minui nec augeri poteſt.

Hoc verò videamus quomodo explicet. *Exaltatus dicitur Chriſtus, quatenus quum homo eſſet exaltatus eſt ſupra reliquas creaturas à diuinitate ſibi vnita.* Concedo. *Exinanitus eſt quatenus quũ Deus ſit, factus eſt homo, & quidẽ infirmiſſimus, excepto peccato.* Cõcedo, Conſtat ergo reſpectu humanitatis fieri mentionem tũ exaltationis tum exinanitionis, ſed diuerſo planè modo. Neque enim dicitur axaltata diuinitas, ſed humanitas, quanuis, qui exaltatus eſt, ſit vnus Deus & homo: è contrario verò, non dicitur exinanita humanitas, ſed diuinitas, quanuis vnus & idem ſit Deus & homo. Itaque ſuiipſius reſpectu etiã ſeorſim dicitur exaltata humanitas, vtpote quæ verè ſit in ſeſe huius exaltationis & gloriæ particeps ſupra omnes conſortes. Diuinitas autem non ſuiipſius reſpectu ſeorſim, ſed quatenus carni ſeſe vniuit dicitur exinanita, quoniam non vt in carnem participatio gloriæ, ſic etiã diminutionis ignominia in diuinam naturã cadit: quod diſcrimen quia Brentius non obſeruat, idcirco etiam exinanitionẽ in ipſa carne Chriſti non aliter conſiderat quàm exaltationẽ, qua in re magnus ineſt error. Neque enim homo, ſed is qui erat in forma Dei, id eſt verus Deus, dicitur exinanitus, non tamen in ſeſe, ſed rurſum κατ᾽ ἄλλο, id eſt in forma ſerui accepta, ſiue quatenus eſt incarnatus, & manifeſtatus in carne. Sic dicit Dauid eum pauliſper factum Angelis inferiorẽ, certè de eo loquẽs qui erat in principio Deus apud Deũ, ſed quatenus eſt factus caro. Denique forma Dei non qualitatem aliquam naturæ aſſumptæ inditã declarat, vt Brentius primus omnium hominũ fortaſſe tradidit, ſed naturam aſſumentem ſignificat, quanuis hæc exinanitio non cadat in eã niſi vnionis cũ natura aſſumpta reſpectu. Rectè enim inquit Cyrillus libro de incarnatione, cap. 2. *Manens id quod erat, accepit etiã formã ſerui, & conſpectus eſt homo in terra.* Et cap. 11. *Quòd verò ὁ λόγος quũ eſſet Deus, factus ſit homo, & non potius homo deificatus intelligatur Chriſtus, etiã ex ſacris literis conabor oſtendere. Ait igitur Paulus de Vnigenito,* (nõ dicit, de homine cui duplex forma, id eſt geminæ proprietates tribuãtur, ſed de vnigenito Filio Dei.) *Qui quũ in forma, &c. Quẽ igitur dicemus in forma eſſe & æqualitate Patris, & hac nõ rapinã arbitratũ, ſed potius in exinanitionẽ & formã ſerui deſcendiſſe, & ſe humiliantẽ, in ſimilitudine noſtra fuiſſe factũ? Si hominẽ factũ ex muliere nudũ & ſolũ* (id eſt, in ſeſe & ſeorſim) *quõ is erat in forma & æqualitate Patris? & quõ habebat plenitudinẽ, vt intelligatur exinanit⁹? vel in qua poſit⁹ antea plenitudine ſemet humiliaſſe dicitur? vel quõ in ſimilitudine hominũ factus eſt, qui id erat etiam per naturã, & ſi nõ id factus eſſe fortè dicatur? Imò potius quomodo exinanitus eſt accepta plenitudine deitatis, vel quõ nõ ſit factus altiſſimus qui in gloriã ſupernã aſcenderit? Itaq; nõ dicemus hominẽ eſſe factũ Deũ, ſed potius τὸν λόγον qui erat in æqualitate & forma Patris, factũ eſſe in exinanitione ꝓpter humanitatẽ. Exinanitus .n. eſt hoc modo ꝓpter ſimilitudinẽ noſtrã quũ eſſet plenus vt Deus.* Et ca. 16. *Qui fidẽ habet in Chriſto immaculatã, & rectis oĩm ſuffragiis cõprobatã, dicat ipſum ex Deo Patre λόγον exinanitione deſcẽdiſſe forma ſerui accepta, propriũ aũt ſibi corpus illud natum ex Virgine faciendo* (non dicit, omnes ſuas proprietates in id effundendo) *factũ eſſe noſtri ſimilẽ, & nuncupatũ eſſe Filiũ hominis.* Hæc ille. & quid ſi vellem huiuſmodi teſtimonia congerere? Hoc enim dico, nullũ ad hunc vſque diẽ, ne Eutychetẽ quidem, repertũ eſſe qui fabulatetur in ipſa humana natura Chriſti duas illas formas, vnã Dei, alterã ſerui, ab Apoſtolo commemorari: quaſi videlicet in ipſa incarnatione in hominẽ illũ effuſæ fuerint omnes diuinitatis proprietates, id eſt, homo ille factus ſit non omniſcientia, omniſapientia, omnipotentia, & omnipræſentia ipſa eſſentialiter, ſed omniſciens, omniſapiẽs, omnipotens, omnipræſens, & quicquid eiuſmodi volet Brentius, quod quũ ad tẽpus diſſimularit per diſpẽſationẽ, dicatur ſeſe exinaniuiſſe: & quũ Dominus eſſet per accidẽs, formam ſerui accepiſſe, id eſt, factũ fuiſſe quaſi ſeruũ donec reipſa exaltaretur. Hoc, inquã, totum dico falſum eſſe, ac etiam in Chriſtũ apertiſſimè blaſphemũ: quũ huius rei mẽtio in Scripturis ne tenuiſſima quidem ſit, imò Lutheri etiam teſtimonio manifeſtè redarguantur qui naturas & opera naturarum permiſcent: & hoc fieri non poſſit quin Chriſtus deitate ſua eſſentiali ſpoliatus (dicit enim Brentius Deum, ſi effuſionem omnium pro-

prietatum

prietatum excipias, non aliter eſſe in omnibus creaturis quàm in Chriſto) pura creatura quanuis diuinis omnibus qualitatibus (omnipotentem enim eſſe, non omnipotentiam, nuda eſt qualitas) ornata ſtatuatur, ac proinde omnes Chriſtiani manifeſti ſint idololatræ. Nam ne neſcias Illuſt. Princeps, aut nihil certè videmus omnes, aut ſi rectum eſt quod affirmat Brentius, nulla eſt cauſa cur non ab initio mundi fuerint omnes idololatræ qui Chriſtum inuocarunt. Sed quin hoc falſiſſimum ſit non dubitamus: ac proinde te obteſtamur vt ſeria de his rebus inſtituta cognitione, omnia hæc portenta procul profligentur: & tantum mihi de D. Brentio polliceor, vt illum omnino confidam veritatem Dei patefactam cæteris omnibus rebus vltrò antepoſiturum.

Mea hæc non ſunt, ſed Cyrilli ipſius, eodem illo lib. cap. 11. *Credimus non in vnum noſtri ſimilem, Deitate per gratiam honoratum,* (hic eſt Chriſtus ſola omniũ diuinitatis proprietatum effuſione à Petro differens) *ne cultores hominis eſſe comperiamur, ſed in Deum potius, qui in ſerui forma apparuit, fuitq́ verè noſtri ſimilis humanitate, etiam tamen Deus permanſit.*

Sed quàm procul aberraui? Ad Lutherum redeo, cuius his de rebus teſtimonia ſi velim citare, profiteor me integrum volumẽ confecturũ, qui niſi ſibi ſemel perſuaſiſſet non poſſe carnis & ſanguinis Domini *κοινωνίαν* retineri niſi IN vel SVB, vel CVM pane & vino ſtatueretur, nunquã à ſeipſo in hoc argumento perſonalis vnionis diſſenſiſſet. Scio durũ fore hoc dictum quibuſdam, quaſi de Lutheri dignitate detrahamus. Fuit ille verè vir admirandus in diebus noſtris, in quo qui nõ ſentit Dei ſpiritũ, nihil ſentit. Sed ne tu quidem illum, Brenti, vt opinor, omniſapientem ſtatues, quod ipſe ſibi minimè omniũ arrogauit. Nos quidẽ Deus nobis teſtis eſt tanti organi Dei memoriã ſic reuerẽter colere, vt tum quoque quum maximè & quidẽ nullo iure in nos exardeſcit, quos Sacramentarios vocat, hominum potius peccata deploremus, quæ ſola iampridem efficiunt vt mũdus in manifeſta luce cæcutiat, quàm illi ſuccenſeamus. Plantarit igitur ille rurſus vineam Domini à paſtoribus deſertam: accidit interim illi quod Nohæ, maximo illi Prophetæ. Nos certè accuſandi non ſumus qui Patris verenda libenter obtecta velimus. Accuſentur potius inofficioſi filii, an inepti? qui iampridem non deſinũt illa omnibus ſpectanda proponere. Sed iſta quidẽ certè quæ ex ipſo citauimus honeſta ſunt ac veneranda, vtpote quæ ex ipſis Scripturis ſit mutuatus, quũ eos imperitos vocaret qui duas naturas & opera earum permiſcentes hominem in Chriſto omnipotentẽ faciunt. Quid ſi igitur illas OMNIPRAESENTIAS, OMNIMAIESTATES, OMNIGLORIAS tum audiuiſſet?

Sed calumnia Brentius excipit Bullingerum. *Nam Lutherus ſententiam ſuam*, inquit, *perſpicuè exponit, quum iſta ſubiicit à Bullingero omiſſa: plenus tamen gratia & ſapientia fuit etiã in hac vita, vt quicquid illi obiectum fuiſſet potuerit intelligere & iudicare, eò quòd diuinitas qua omnia videt & præſentia habet, in ipſo perſonaliter præſens eſſet. Porrò quicquid de deiectione vel exaltatione Chriſti dicitur in Scripturis, id totum humanitati eius tribuendum eſt.* Hæc ille, fateor. Sed quid iſta Brentium iuuant? Dixerat Lutherus Chriſtum quatenus homo eſt reuera aliquid neſciuiſſe, non quòd nollet ſcire, ſed quia nõ amplius ſciebat quàm diuinitas illi patefaceret. Poſtea verò ne videretur Chriſtũ vel in reliquorum hominum albo recẽſere, vel ea tantùm ratione aliis anteponere quòd multò plura ſciret quàm alii, addit eum ipſum qui quatenus homo erat aliquid neſciebat, omni tamen gratia & ſapientia plenum fuiſſe, ſed ſecundùm alteram naturam ipſi vnitam. Quid nos autem aliud quàm hoc ipſum docemus? At Brentius longè aliter, qui quod ille humanitati adimit vt deitati tribuat, velit in humanitatem fuiſſe à diuinitate effuſum: vt pro eo quòd ille & nos ex Dei verbo Chriſto tribuimus omnipotentiam eſſentialem, nõ quidẽ quatenus homo eſt, ſed quatenus qui homo eſt etiam eſſentialiter eſt Deus, Brentius illum tanquam hominem qualitatibus omnibus ex diuinitate in illum effuſis, per accidens omnipotentem efficiat. Spero igitur, non modò Brentium, virum grauem, &, vt ſpero, veritatis ſupramodùm amantem, ſed etiam puerulos ipſos huius dogmatis falſitatem ex ipſo quoque Luthero facillimè agnituros.

Neque enim ille alibi quoque ſæpe quid de his rebus ſentiret diſſimulauit: vt in concione quadam anno 34. habita De nato Chriſto, vbi tractat illud Lucæ dictũ, Natus eſt hodie nobis Seruator. *Deus* inquit, *nõ more Diaboli genus humanum* (id eſt, humanam naturam) *occupat, verùm ipſe fit homo, vt ex Deo & humana natura vna perſona cõſtituatur.* Hoc autẽ non ignoro quidem, non ſemel tum in libro iſto quem nunc oppugno, tum in illis Theſibus inculcari: ſed quum apertiſſimè poſtea dicat Brentius *non aliam eſſe Dei in*

Chriſto quàm in Petro, quòd ad οὐσίας attinet, præſentiam, & nulla alia ratione Chriſtũ potius quàm Petrũ Deum vocari, quàm quia Deus in Petrum nonnullas tantùm, in Chriſtum verò omnes effundat diuinitatis proprietates, quis ita eſt cæcus vt non videat vel illum ſibiipſi planè contrarium eſſe, vel quum Chriſtum dicit vnam perſonam eſſe ex duabus naturis conſtantem, nihil aliud intelligere quàm vnam naturam humanam quæ deitatem, id eſt, qualitates deitatis omnes per accidens poſſideat?

Audiamus autem Lutherum, qui quum dixiſſet Deum ſic occupaſſe hominem, id eſt, aſſumptam illam naturam, vt vna perſona ex Deo & humana natura conſtituatur: *Tam propè*, inquit, *Diabolus ſeſe cum hominibus cõiungere non poteſt. Nam etſi hominẽ occupet, tamen homo manet homo, Diabolus verò, Diabolus: ſed Deus factus eſt homo, & tamẽ Deus manet. Atque hoc modo profundius ſe in carnem noſtram miſit, quàm Diabolus facere poſſit, qui hominis corpus ſubire poteſt, atque eum affligere: ſed non poteſt homo fieri, vt Diabolus & homo ſit vna perſona. Inter naturas iſtas ſemper perſonale diſcrimẽ manet, nõ ſolùm ſecundùm eſſentiã, verùm etiam ſecundùm perſonam. Verùm in Chriſto hæc vnum ſunt. Nã Filius Dei eſt factus noſtra caro & ſanguis.* Hæc igitur Lutherus, quæ ſi conſideraſſet Brẽtius, vnionem hypoſtaticam non in eo poſitam diceret vt vbicunque vnum eſt ſit & alterum, nec in eo quòd aſſumens natura omnes ſuas proprietates in aſſumptam effundat, ſed in eo quòd ſimul vnitæ ſaluis & diſtinctis ſuis naturis & earum proprietatibus, vnam perſonam conſtituant: in eo, inquam, Petri & Chriſti verum diſcrimen poneret.

Sed & alium ex eodem Luthero locum & quidem ex eadem illa concione quam Bullingerus citauit proferamus, ex quo intelligatur quàm perperam formam Dei & formã ſerui pro diuerſis eiuſdẽ humanæ naturæ qualitatibus ſiue reſpectibus Brẽtius accipiat. *Scriptura*, inquit, *pulchrè perſonam cum natura iungit, ac rurſum naturas nequaquã cõfundit, vt pauci ſint (quod humanis cõmentis debemus quibus ætatem noſtrã atteriuimus & ingenium corrupimus) qui id rectè percipiant, vt ipſe profectò perſæpe in his & ſimilibus locis errauerim, & naturæ tribuerim quod competit perſonæ, & cõtrà, vt in illo loco Pauli Philip. 2. hodie poſſit alicui vſu venire, vbi dicit, Tametſi in forma Dei eſſet, &c. Quòd in forma Dei fuiſſe prædicatur, certè diuinitatem indicat, item quod ſe exinaniuiſſe dicitur: porrò inanitio & ſerui forma quid aliud quàm humanitatem teſtantur?* Hæc ille, diuinitatis appellatione minimè certè dona vel gratias in carnẽ effuſas, ſed ipſam τοῦ λόγου hypoſtaſin intelligens, vt ex oppoſito nomine humanitatis apparet. Sed de his hactenus.

Quæ deinde multis paginis extra cauſam Brent. commemorat aduerſus mortuorum memoriam, indigna erant de quibus cogitaret. Væ nobis ſi noſtra quærimus. Eorũ porrò memoriam quos viuos & mortuos inſectatur, fatemur nobis eſſe pretioſam: nec propterea malus eſſe debet oculus ipſius. Conſtat enim nobis iudicii noſtri ratio, quam parati ſumus reddere coram Deo, & Dei Eccleſia. Caſum eius quem non deſinit etiã mortuum exagitare, horribilẽ vocat: nos aũt non tantùm honeſtũ, ſed etiam glorioſum dicimus, quũ & in bello authoritate publica decreto, ſuo munere fungens interierit, & mortuũ eius corpus Dominus martyrii gloria honorarit. qua de re etiã libet noſtros quoſdã verſiculos ſubiicere, qui omnibus iactatis in præſtantiſſimũ virũ conuiciis opponantur.

Zuinglius arderet gemino quum ſanctus amore,
Nempe Dei in primis, deinde etiam patriæ,
Dicitur in ſolidum ſe deuouiſſe duobus,
Nempe Deo in primis, deinde etiam patriæ.
Quàm bene perſoluit ſimul iſtis vota duobus,
Pro patria exanimis, pro pietate cinis!

Quis autem finis te maneat, Brenti, adhuc ignoras. Nos eum tibi quàm feliciſſimum vt & nobis ipſis, ex animo precamur, & ita nobis faxit Deus vt ex animo loquimur.

Vos, inquit Brẽt. *idcirco negatis omnipræſentiã tribui carni, quoniã ſit proprietas diuinitatis eſſentialis. Atqui hac ratione nihil foret in Deo quod non ſit incõmunicabile, quũ quicquid in ipſo eſt ſit eſſentia. Itaque nec bonitas, nec ſapientia, nec iuſtitia, nec felicitas Dei erunt communicabilia.*

Reſpondeo, quamuis ſimpliciſſimus ſit Deus, tamen quoniam ſic in ſeſe eſt vt etiam omnium rerum fœcundus eſſe velit, idcirco ab illo vim quandam inenarrabilẽ propagari rebus omnibus pro bona ſua voluntate efficiendis; ac prout & quantum ei libuit conſeruandis Neque verò res cõditas voluit duntaxat exiſtere vt eſſent veræ illius eſſentię exemplaria, ſed etiã illas variis dotibus ornauit, & quidem hominem in primis, quem etiam rationis participem, ac proinde alicuius ſapientiæ, & multarum virtutum capacem

eſſe

eſſe voluit. Iam verò quoniam in iſtis rebus conditis, ac præcipuè quidẽ iis quæ in ſenſus noſtros incurrunt, manifeſtum diſcrimen aduertimus inter materiam & eius affectiones: neque id modò, ſed etiam harum qualitatum alias omnibus ſpeciebus vniuerſaliter, alias certis quibuſdam duntaxat communes: & præterea quaſdam cum ipſis rebus ita ſemper exiſtere, vt ſatis appareat ab eis auelli nõ poſſe, quoniam & ipſæ eam vna cum materia conſtituant, quaſdam verò etiamſi naturaliter inſint, tamen ea quibus inſunt ab eis accipere non vt ſint quod ſunt, ſed vt talia ſint qualia ſunt: & rurſus iſtorum alia ſic inhærere, vt reipſa auelli non poſſint abſque eius cui inſunt interitu, alia verò etiam reipſa interdum adſint, interdum abſint: idcirco materiam à forma, & formas ab accidentibus ſiue ſimplicibus attributis diſtinximus. Et iſta quidem ita vt ſunt in iſtis præcipuè corporatis rebus animaduertimus. Quòd ſi ab exemplaribus ad archetypon aſſurgimus, vt nos facere iubet Dominus, ibi verò ineptiunt qui Deum ex creaturis metiuntur, quum Creator non propriè *ſecundùm plus & minus*, vt vulgò loquuntur in ſcholis, ſed reipſa infinito interuallo à rebus omnibus creatis differat, & vix tenuia ipſius maieſtatis veſtigia in excellentiſſimis etiam quibuſque rebus appareant. Quia tamen hanc gloriam concipere non poſſumus, & nihilominus verbum Dei, réſque adeò ipſæ flagitant à nobis, vt in eis tanquam in ſpeculo Deum intueamur, idcirco in Deo etiam ipſo non materiam quidem, non formam, non accidentia, ſed quãdam velut materiam, veluti formam, & velut quædam attributa animo cõcipimus: neque quum hoc iuſtè & religioſè facimus, Deũ transformamus, vt Idololatræ vel Anthropomorphitæ, ſed illam clariſſimam lucem caligantibus oculis intuentes, concipimus non idipſum quod eſt, ſed quod à nobis vtcunque vult intelligi, vt eum ſupra id omne quod eſt, eſſe nouerimus, & adoremus. Libenter autem in hoc argumentum ſum ingreſſus, tum quoniam ad id de quo agimus iſta maximè ſpectant, tum etiam quòd Brentiũ ipſum ducem in his rebus ſequi mihi videor, quamuis vbi me deſerit, longiùs progredi me neceſſariò oporteat. Dico igitur, nos ſecundùm rerum creatarum imaginem Deum δι' αἰνίγματος contemplantes, præeunte nobis ipſius verbo, non quidem materiam, ſed eſſentiam certis attributis diſtinctam in eo conſiderare, quæ duorum ſint generum, quoniam alia in eo conſideramus, ita ipſi propria, vt prorſus ſint omnibus modis ἀκοινώνητα, alia verò eiuſmodi vt eorum veluti ſplendore creaturæ irradiatæ attributa ſuo modo habeant cum eo communia. Veluti, quum dicitur Deus eſſe Spiritus, & Spiritus alibi dicitur non habere carnem nec oſſa; certè quædam ipſius eſſentiæ, ac vt ita balbutiens loquar, veluti materiæ natura ſimpliciſſima ſignificatur, qua non tantùm à corporibus cõcretis, ſed etiam ab ipſis Angelis diſcernitur. Dicitur enim alibi cælos & terram implere, ex quo Spiritus immenſus eſſe intelligitur. Iam verò quum dicitur æternus, id eſt ſine principio & fine, quodam quaſi accidente deſcribitur, ſed quod tam ſit ei proprium & incommunicabile quàm illa quæ diximus. Quid quum Creatorem vocamus? certè ab effectis illum deſcribimus, quod attributũ etiam ita eſt ei proprium, vt & ipſum non poſſit cum vlla creatura cõmunicari. Quid quòd potẽs, fortis, bonus, iuſtus, miſericors vocatur? Certè hæc quoque ſunt Dei attributa, ex quibus vult à nobis æſtimari: ſed tũ iſta tũ iſtis ſimilia etſi in eo vt in ipſo fonte conſiderantur, tamen eiuſmodi ſunt vt tanquã horũ riui in creaturas vſque deducantur, adeò vt propterea etiam homo ad imaginem Dei dicatur efformatus. Quid quòd & tres ipſæ hypoſtaſes quãuis ſint vna ſimpliciſſima eſſentia, tamen ſuis proprietatibus incõmunicabilibus diſtinguuntur? Videt igitur Brentius, multum etiam in ipſius Dei proprietatibus diſcrimẽ inueniri, noſtræ quidem capacitatis reſpectu, & vt ille ſeſe nobis patefecit. Neque enim hæc aliunde quàm ex ipſo Theologiæ penu depromimus. Et ipſemet Brentius quãuis tam ſæpe inculcarit omnium proprietatum effuſionem, tamen infinitatẽ & æternitatem excipit. Itaque putâtim me operæpretium facturum ſi pluribus oſtenderim quomodò iſta Chriſto accommodentur.

Vult Brentius Chriſti carnem eo à cæteris differre, quòd diuinitas aliis nonnullas, illi verò omnes ſuas proprietates communicet, non tamen eſſentia, ſed virtute & efficacia: & eius exaltationem non alio modo interpretatur.

Nos verò longè magnificẽtius de hoc arcano loqui ex verbo Dei didicimus. Primùm enim Chriſti carni dicimus hoc eſſe datum vt ipſamet Filii Dei hypoſtaſis cũ ea verè & reipſa vniretur, idque eo vnionis genere quod eſt longè arctiſſimum, nempe vnione perſonali, qua fit vt & ipſemet ὁ λόγος & quæcunque in eo ſunt, tũ quatenus vnus Deus eſt cum Patre & Spiritu ſancto, tum ipſius perſonæ propria, aſſumpto huic homini iure

tribuantur. Neque obſtat quòd quædam illorum diximus eſſe prorſus ἀκοινώνητα. Primùm enim hæc caro excipienda eſt ex reliquarum creaturarum numero, quam vnam ſic placuit τῷ λόγῳ aſſumere vt illam ſuam ſibique propriã efficeret. Deinde ſic demùm negauimus illa communicari, vt vel ipſa creaturis indantur, vel ab earum virtute affectæ vllæ creaturæ, aliquas qualitates inde mutuentur. Neque enim ſicut à ſapientiæ vel iuſtitiæ dono quod ab æterna illa ſapientia & iuſtitia promanat, homo quiſpiam eſt ac dicitur ſapiens ac iuſtus, ſic dici vnquam poſſit vllus homo ſpiritus æternus & immenſus. Sed in hoc de quo agimus myſterio quod Paulus κατ' ἐξοχὴν magnum vocat, factum eſt, vnione illa Interueniente, vt aſſumptus ille homo verè ſit Filius Dei altiſſimi ſuis omnibus ἀκοινωνήτοις proprietatibus ornatus, adeò vt verè ſit (non in ſeſe quidẽ, ſed κατ' ἄλλο & in eo quicum vnum eſt) ipſiſſima ſapientia, omnipotentia, iuſtitia, æternitas, & quicquid Dei Filius eſt in ſeſe.

Quod autem ad aſſumptam illam carnem attinet ſeorſim conſideratam, vno verbo fatemur ſic eſſe gloria & honore coronatam, vt verè dicatur aſſumptus hic homo vnctus ſupra omnes conſortes ſuos, quorum videlicet eſt caput, & ex cuius plenitudine omnes accipiunt qui aliquid habent. Sed quod Brentius toties inculcat, omnes in hanc carnem effuſas eſſe diuinitatis proprietates, id verò vt planè Eutychianum pernegamus, & ſcimus neque in Sacris literis neque apud quenquam orthodoxum Scriptorem vnquam repertum iri. Nominatim autem carnis omnipræſentiam, quam primus Brentius commẽtus eſt, vt cum infinitate, quam ipſemet vbique excepit, penitus coniunctam, in earum proprietatum numero ponimus, quibus ſic eſſentia diuina nobis deſcribitur, vt Deum eſſentialiter eſſe, infinitũ eſſe, ac proinde etiam vbique eſſe, penitus inter ſe cohærere affirmemus.

Aliud præterea Brentius argumentum affert, nempe, *etſi voluerit Deus vt Chriſtus haberet verum & naturale corpus, tamen noluiſſe vt hic naturalis homo ſemper teneretur naturalibus legibus, nec voluiſſe vt corpus eius non eſſet niſi animale corpus.* Ad quod probandum profert *miracula illa ieiunÿ, ambulationis in mari, transfigurationis, diſparitionis, ac poſtremò quòd clauſus vterus Virginis, ſaxum monumenti, & ianuæ clauſa non obſtiterint corpori Chriſti, quo minus contra legem naturæ per ea penetrauerit.*

Hîc verò quid ſibi millies ſit ab aliis reſponſum Brentius non ignorat. Certè miracula illa quæ tam ſtudióſè accumulat partim diuinitatem Chriſti, partim etiam ipſius doctrinæ authoritatem ſanciunt: omnipræſentiam autem carnis ipſius nullo modo probant, imò ne omnipotentiam quidem. Nam Helias quoque totidem dies abſque cibo vixit, & diſparuit Philippus ab Eunuchi oculis, quos tamen minimè velit, opinor, omnipotentes vel omnipræſentes vocare. Quæ verò de clauſo Virginis vtero, & monumẽto profert, non ſunt extra controuerſiam, quum neque hoc exprimant Sacræ literæ, neque Patres inter ſe prorſus conſentiant, vt P. Martyr prolatis Origenis, Tertulliani, Ambroſii, Hieronymi, Leonis teſtimoniis oſtendit. Sed agè ita eſto, an propterea conſequetur corpus Chriſti non fuiſſe certo loco circunſcriptum? Brentius quidem ita vult, ſed ego certè ita me rudem eſſe fateor, vt huius conſequutionis neceſſitatem non videam. Aſſumit nimirum duo corpora tum ſimul fuiſſe, ac proinde alterum fuiſſe incircunſcriptum. At ego & vterum & monumentum ſic dixerim corpori Chriſti ceſſiſſe, vt eodem temporis puncto & peruaſerit Chriſti caro, & illorum partes diuulſæ rurſus coaluerint omnipotentis Filii Dei virtute. Idem de clauſis ianuis reſpondeo, quanuis nec illas nec parietes penetraſſe Chriſtum èx Euangeliſtarum verbis neceſſariò colligatur. At illud conſtat, ſic verum fuiſſe & eſſe corpus illud Chriſti, vt naturalibus legibus fuerit circunſcriptum, quum ipſe Chriſtus aſpici & tangi ſe poſtulet, & adiiciat; ſe non eſſe Spiritum, vt qui oſſa & carnes habeat. Quod igitur corpus illud Chriſti quanuis verum fuerit, tamen naturalibus legibus interdum ſolutũ nec ſemper animale fuiſſe vult, hactenus verum eſſe agnoſcimus, vt infirmitatem quidem depoſuiſſe fateamur, naturam autem corporis, id eſt proprietates quibus ablatis corpus eſſe corpus non poteſt, non abiecíſſe, nec vnquam abiecturum affirmemus.

Sed quid illa quæſo ad illam Omnipræſentiam? Nam ſi omnipræſens erat, neque ſanè ex vtero Virginis prodire, neque ex ſepulchro egredi, nec in eum locum vbi congregati erant diſcipuli ingredi illum oportuit, ſed tantùm ex inuiſibili viſibilem ſe facere. Imò nec verè naſci, nec verè reſurgere, nec verè ad diſcipulos venire potuit, quum qui eſt omnipræſens locum mutare non poſſit. Itaque totidem aduerſùs illam Omnipræ-

ſentiam

ſentiam argumenta proferimus.

Obiicit Brentio P. Martyr, *illud tollere naturam rei quod pugnet cum eius definitione, non eſſe vero terminis circunſcriptum, ac proinde alicubi eſſe poſſe non localiter, cum corporis definitione ex diametro pugnare, ac proinde qui corpus Chriſti fingunt omnipræſens, re vera Chriſti corpus tollere.* Hæc, inquam, vir ille ſolidè pius & eruditus, ſi quiſquam alius, Brentiano dogmati oppoſuit, cui quum Brentius ſcriberet ſe inuictum argumentū contrà obiecisse, nos ſanè in aliquam eruendæ alicuius nobis obſcuræ veritatis ſpem erexerat, ſed *ἄνθρακας ἀντὶ θησαυροῦ* mox reperimus. Vtinam verò neque nos neque quiſquā alius hic vincat, ſed ſola veritas obtineat.

Reſpondet igitur Brentius *locum non ingredi definitionem corporis*, & ſimul teſtatur, *ſe per locum intelligere non hunc vel illum ſitum, ſed localitatis* (ita vt loquar) *cōditionem.* Mirificum ſanè reſponſum, Brenti, in quo velim duo abs te conſiderari. primùm quàm appoſitum, deinde quàm verum ſit. Nam etiamſi ingrediatur locus in definitionem corporis, an conſequetur non repugnare cum corporis definitione, illocalē eſſe? Quum definio hominem eſſe animal rationis particeps, quàm multa non exprimo hac definitione quæ tamen cum ea pugnant? nempe quot ſunt propria ſeu differentiæ quibus brutorum inter ſe ſpecies diſtinguūtur. Satis enim eſt hominis definitionē generali τῶν ἀλόγων definitione opponi.

Quod autem dicit conditionem localitatis (hoc enim eſt quod LOCVM appellat) in definitionem corporis eius de quo agimus non ingredi, quis ab ipſo dici ſeriò exiſtimauerit? Corpus ſolidum, vt illud eſt de quo nunc quærimus, carnes nimirum habens & oſſa, ſic audio definiri, vt ſit quod tribus dimenſionibus conſtat, longitudine, latitudine, profunditate. Alii definiunt quod videri & tangi poteſt. In has definitiones ſi negat Brentius locum ingredi, quid aliud dixerim quam perinde ipſum facere ac ſi diceret quum incorporea natura definitur, loci circunſcriptionem non excludi? Nam eadem eſt certè contrariorum diſciplina. Quæſo, quum rem coloratam definio, an non ſimul viſibilem eſſe ſtatuo?

At enim, inquit, *locus eſt corporis accidens, & accidens dicitur quod adeſſe vel abeſſe poteſt citra ſubiecti corruptionem.* Cogeremur verò nos repueraſcere, ſi Dialectices elementa pluribus repeteremus. Tantùm igitur monemus vt meminerit accidentis nomine interdum & differentiam & proprium atque adeò quicquid vel ſubſtantia non eſt, vel non vt ſubſtantia conſideratur, comprehendi, qua ratione ipſam etiam rationalitatem, quam vocant, inter accidentia numerant. Atqui hoc tamen eſt eiuſmodi vt ne intellectu quidem nedum reipſa poſſit hominis ſpecies abſque differentia illa ſpecifica intelligi. Neque verò de illo quod proprium quarto modo vocant aliter poteſt conſtitui, quibus ſignificationibus non quadrat illa accidentis, anguſtiore videlicet notione accepti, definitio.

Sed & illud minimè ignorat, ſic vera quædam accidentia ſubiecto ineſſe, vt abſque ſubiecti pernicie re ipſa ſeparari nullo modo poſſint. Accidunt enim corpori & figura, & color, & ita quidem vt neque ſine colore, neque ſine figura corpus vllum eſſe poſſit. Itaque meritò dicetur corpus tollere qui nec figuratum nec coloratum eſſe dixerit. Sed multò magis qui alicubi eſſe dixerit non vt in loco, quoniā quicquid dimenſionibus conſtat, neceſſariò etiam intelligitur loco circunſcribi.

Sed agè, ſi Brentio quod flagitat largiremur, locū videlicet ita corpori accidere vt reipſa poſſit abſque ipſius pernicie ab eo ſeparari, quid efficit? hoc videlicet, vt non tantùm corpus Chriſti propter hypoſtaticam vnionem, ſed etiam quæuis abiectiſſima corpora ſuapte natura poſſint omnipræſentia fieri. Itaque corpori Chriſti diuinitas nihil adiecerit, ſed tantùm loci accidens ademerit, nec iſtud omnipræſentiæ donum certè tam auguſtum erit quàm ipſe eſſe dicebat. Sed non eſt ita profectò. Vnius enim diuinæ eſſentiæ proprium eſt vbique eſſe, quoniam vnica eſt infinita: & contrà proprium eſt omnium rerum conditarum vel loco, ſi corporeæ ſunt, circunſcribi: vel ſi incorporeæ, proprietate ſubſtantiæ finiri. Si non credit Philoſophis, à quibus etiam abſit vt pendeamus, credat Chriſto dicenti, *ſe abfuiſſe quum Lazarus moreretur*, & de corporis ſui præſentia teſtanti, *fore vt non ſemper eum habeamus nobiſcum*, & Angelis teſtificantibus *corpus quod reſurrexerat non eſſe in ſepulchro*, & Paulo ſcribenti *nos corpore peregrè nūc abeſſe à Domino*. Quid Auguſtinus? *Tolle ſpacia corporibus, & nuſquam erunt, ac proinde non erunt.* Quid Baſilius? *Qui vbique eſt & Deo adeſt, eum qualis naturæ putare conuenit?* Loquitur

autem de Spiritu ſancti Deitate. Quid Didymus? *Si Spiritus ſanctus eſſet vna ex creatu-* *ris,circunſcriptam haberet ſubſtantiam ſicut vniuerſa quæ facta ſunt: quum autem in pluri* *bus ſit locus,non habet circunſcriptam ſubſtantiã.* Quid Vigilius? *Eſſe vbique nan creatura,* *ſed ſolius Dei eſt proprium.* Quid Fulgẽrius? *Qui omnia replet, naturaliter eſt verus Deus.* Quid Cyrillus? *Si diuina natura partitionem reciperet,intelligeretur & corpus. Si aũt hoc,* *& in loco omnino,& in magnitudine & quantitate,& ſi quanta facta eſſet,non effugeret cir-* *cunſcriptionem.* En repetita teſtimonia, ad quæ millies & à me & ab aliis antea Brentio obiecta prius fuit reſpondendum quàm Locum inter accidentia numeraret quæ teipſa ſine ſubiecti pernicie adeſſe vel abeſſe poſſint.

Idem pag. 89, & alibi ſæpe, perinde in nos agit acſi omnipotentiam Dei negaret qui omnipræſentiam illam & carnis Christi deificationem oppugnat. Nos verò, Dei gratia, etiam ſi perinde apud ipſum audiamus acſi nobis omnis religio ludibrio eſſet, adeò vt nos etiam cum Plinio & reliquis Epicureis comparet, tamen habemus per Dei gratiam quibus nos aduerſùs hanc iniuriam conſolemur, conſcientiam videlicet, & ſcriptis & actionibus tam multis teſtatam, vt ad Dei tribunal non dubitemus prouocare, vbi precamur vt & illum & nos pro ſua miſericordia iudicet. Certè quum iſtiuſmodi conuicia eiacularetur, cogitandũ ipſi fuit non quid aliquis ante aliquot annos nimiùm incõſideratè in nos effuderit, ſed quid ipſa rerum experientia probet. Nec ita ſumus ſtupidi, vt tot annis nihil didicerimus, nec ita inſani vt pro nihilo tot contumelias, tot damna, tot denique mortes vltrò ſubire voluerimus, ac etiamnum quotidie vltrò ſubeamus. Cogit enim nos homo iſte potius eſſe inſipientes, quàm veritatem Dei prodere. Sed ad rem. Quum ad hanc calumniam ſit tam expreſſè reſponſum, non noſtris, ſed ipſius Chriſti & omniũ orthodoxorum Patrum verbis, non negari Dei omnipotentiam ab iis qui Deum ſibiipſi & ordini quem inuiolabilem conſtituit, contrarium eſſe poſſe negant: quoniam id poſſe non eſſet omnipotentiæ, ſed infirmiſſimæ impotentiæ: vel ad illa diſertè reſpondeat Brẽtius, vel veritati cedat.

Quod enim tandem concedit, illa demum eſſe ex omnipotentia eius colligenda, quæ verè ex voluntate & verbo eius colliguntur, ſi vel olim ipſi in mentem veniſſet, vel nunc mordicus retineret, certè omnipotentiam Dei, de qua minimè dubitamus, non ita importunè & intempeſtiuè nobis nũc opponeret: & de eo laboraret potius, quomodo hoc ſuum dogma de effuſione omnipræſentiæ & omnipotentiæ in Chriſti carnem ex Scripturis probaret. Hoc verò ſe firmis teſtimoniis Propheticis & Apoſtolicis feciſſe, audio quidem ipſum ſingulis paginis iactantem: ſed nobis ignoſcet, ſi verbis non credẽtes, rem ipſam adhuc requirimus.

Quoniam verò tot etiam Patrum teſtimoniis ſe reſpondiſſe dicit, quantum ſatis ſit iis qui veritatem amant & quærunt, rogo ne ægrè ferat ſi tria ſaltem ipſius reſponſa à nobis veritatis ſtudio expendantur.

Primùm, vt omittam quæ nimiùm certè intemperanter aduerſus acerrimos & doctiſſimos Neſtorianæ & Eutychianæ hæreſeos euerſores Theodoretum & Vigilium ſcribit, non obſcurè illis omnibus impingens quòd quæ de abſentia carnis Chriſti à terra tradiderunt, alii ab aliis acceperunt, quum ſeſe ad phyſicas imaginationes auertiſſent, dico id non eſſe reſponſum, ſed apertum conuicium. Neque id verò dico quaſi ſine diſcrimine quicquid Patres ſcripſerunt recipiendum putem. Verùm quum non vnus aliquis, ſed omnes ad vnum: non de re quapiam, ſed de fidei noſtræ fundamento: non ex nuda traditione, ſed ex Dei verbo: non quouis tempore, ſed aduerſus damnatiſſimos hæreticos dimicantes: non vt nouum aliquod dogma, ſed vt Propheticam & Apoſtolicam fidem ex perpetuo omnium eccleſiarum conſenſu, hæc eadem proponant quæ de vtriuſque in Chriſto naturæ veritate, ac eiuſdem ſecundum carnem à nobis abſentia profitemur, vix equidem ſanis hominibus perſuaſerit Brentius, vt ab illis ad ipſum deficiant.

Idem pagina libri ſui octogeſima vnum Auguſtini teſtimoniũ arripit, quod eſt eiuſmodi, *Iam non inuenis Chriſtũ loqui in terra, inuenis illũ loqui in cælo,& de ipſo cælo:* ad quod ita reſpondet. *Auguſtinus*, inquit, *ignorat cælum illud ficititium Cinglianorum.* Et quòdnam illud eſt quæſo? *Longiſſimè*, inquit, *diſtans, & in certas manſiones diſtinctum, vnde cum Paula colloquatur.* Quod igitur cælum intelligit Auguſtinus? *Intelligatur*, inquit Brẽtius, *hoc cælum, ſicut dicitur Chriſtus abijſſe ex hoc mundo.* Sanè ita eſto. Sed quid iſtud eſt ſi Brentio credimus? *Non abijt ex hoc mundo*, inquit, *vt non coràm eum gubernet tam Di-* *uinitate*

uinitati quàm humanitate ſua. Aſſentimur planè Chriſtum, quem verè Deum ac Dominum noſtrum agnoſcimus ac profitemur, eſſe mundi gubernatorem: neque eum diſcerpimus, quanuis quod ad ipſius carnem attinet, cum dicamus non in terris, ſed in cælis poſitum, ad dexteram Patris ſedere. Aſſentimur enim Cyrillo ex verbo Dei dicenti, lib. 9. in Iohannem, cap. 21. *Credere oportet fideles Chriſtum, quanuis à nobis corpore abſit, virtute tamen ſua nos gubernare, adeſſeque ſemper ipſum omnibus qui eum diligunt.* Quid verò Brentius? *Abiit,* inquit, *ex hoc mundo, id eſt, non amplius commoratur in mundo terreno modo, ſed quod facit, facit in cælo & de cælo, quia iam cæleſtẽ ducit vitam.* Et quid eſt quæſo, cæleſtem vitam ducere? *id eſt,* inquit, *habet ſecum vbique cælum, id eſt, ſummam maieſtatem.* Et quæ eſt hæc maieſtas? *id eſt,* inquit, *maieſtate Diuinitatis, non ſolùm æterna iſtius quam habet à Patre ſuo ab æterno,* (imò verò hæc vna eſt æterna maieſtas τῦ λόγυ, hominis facti, propter quam ipſum vt Seruatorem adoramus, alioqui futuri idololatræ) *& quã habet communem cum omnibus hominibus,* (imò hæc maieſtas quam Chriſtus habet à Patre ab æterno cum nullo prorſus eſt illi vel in cælo vel in terra communis) *imo cum omnibus creaturis.* (Hoc verò Dogma blaſphemiæ intolerabilis plenum eſt, præſertim ſi iſta conferantur cum Brentiana ſiue Andreana theſi viceſima, in qua affirmatur *non aliam eſſe fingendam* (vt loquuntur) *Dei in Chriſto, quàm in creaturis reliquis omnibus, quod ad* οὐσίαν attinet, *Dei præſentiam.* quod ſi verũ eſt, cõſequetur Chriſtũ (quod nõ poſſum ſine horrore ſcribere) Illuſtriſs. Princeps, non magis eſſe Deum οὐσίᾳ quàm ipſum Satanam: quam blaſphemiam, certè, Deus ipſe vindicabit) *ſed etiam illius quam filio hominis in vnam perſonam aſſumpto in tempore plenitudinis communicauit.* (Hoc eſt in quo rurſus impingit Brentius, quòd vnionem οὐσιώδη ipſarum eſſentiarum ſiue naturarum, τῦ λόγυ videlicet & carnis aſſumptæ, quæ vnio huic aſſumpto homini eſt maximè propria, & propter quam vnam Chriſtus Deus eſt & homo, ipſe in participationem ἐνεργητικὴν transformat, ſecundùm quã tamen aſſumptus hic homo, nec eſt nec dicitur Deus, ſed vnctus à Deo ſupra omnes ſuos conſortes, vt qui ex ipſius plenitudine accipiant, ſicut verè Lutherus docuit) *impleat non mille tantùm aut duo millia locorum, ſed cælum & terram.* Hæc verò quum Auguſtino & Patribus affingit, perinde facit ac ſi Valentini æonas illos ſepultos ab inferis reuocaret. Et cui tandem, obſecro, perſuaſerit tale aliquod cælum in Scripturis, vel apud orthodoxos earũ interpretes inueniri? & diſcedere ex terra in cęlum, & in cælo eſſe, & terra abeſſe, non ſignificare loci ſed vnicam cõditionis mutationem? Ignoſcet nobis Brentius, vt ſpero, quòd nolimus vigilantes ſomniare. Cæli nomine regiones illas nobis ineffabiles, ſed ſupra & extra mundum collocatas (non autem Vbiquitatem, Inuiſibilitatem, Omnipræſentiam, Illocalitatem, & cætera eiuſmodi hactenus inuiſa & inaudita portenta) ab omnibus ſanæ mentis ſcriptoribus tum ſacris tum profanis ſignificari: Terram autem hunc ipſum locum in quo adhuc verſamur redemptionis noſtræ complementum expectantes, ipſum penè cælum clamat, ipſa terra teſtatur, & veritas ipſa vociferatur. Sed quorſum pluribus argumentis vteremur? Si inſpexit quæ ipſi ex Auguſtino iampridem obiecta ſunt ex lib. De ciuitate Dei 13, cap. 18. & lib. 22, cap. 4. & 21, certè videt Cæli nomine nihil minus ab Auguſtino intelligi quàm omnipræſentialẽ carnis maieſtatem, quam nec Auguſtinus, nec Eccleſia orthodoxa vnquam fando audiuit. Quòd ſi ne iſta quidem Brentio ſatisfaciunt, addamus & iſtud ex Epiſtola ad Dardanum, quod miror qua tandem interpretatione poſſit ad ſuam ſententiam accommodare. *Chriſtum,* inquit ibi Auguſtinus, *Dominum noſtrum vnigenitũ Filium Dei æqualem Patri, eundémque hominis Filium quo maior eſt Pater, & vbique totum præſentem eſſe non dubites tanquam Deum: & in eodem templo Dei eſſe tanquam inhabitantem Deum, & in loco aliquo cæli propter veri corporis modum.* Hæc ille ex puro Dei verbo, & perpetuo catholicæ Eccleſiæ conſenſu: cui ſanè & nos aſſentimur.

Sed aliud etiam obiicit Brẽtius: *Oppono,* inquit, *alterum locũ Auguſtini, in quo priorem ipſe euertit: Sic erat, inquiens, Filius hominis in cælo, quemadmodũ erat Filius Dei in terra: Filius Dei in terra in ſuſcepta carne, Filius hominis in cælo in perſona vnitate.* Hæc igitur Auguſtinus. *Filius autẽ Dei,* inquit Brentius, *verè erat in terra, non tantùm generali eſſentia, verùm etiã ſingulari habitatione in homine,* (i. vt ipſe Brent. vbique explicat, *non aliter quàm in Petro, vel quouis Sancto, ſi oĩm proprietatũ effuſionẽ excipias*) *vel, ſicut Auguſt. dicit,* (imò neque Auguſtinus, nec vllus vnquam orthodoxus Filium Dei dixit ſic habitaſſe quod ad eſſentiam attinet, in Chriſto vt in Petro, ſiue etiam, vt iſtorũ theſes habẽt, vt in omnibus creaturis.) *in ſuſcepta carne. Quare erat & Filius hominis iuxta ſenten-*

tiam Auguſtini, verè in cælo, nõ tantùm quòd τὸ πολίτευμα eius in cælis fuerit, ſed etiã quòd coniunctus ſit in vnitate perſonæ cum Filio Dei, qui verè eſt in cælo & in terra, & à quo Filius hominis nullo vnquam locorum ſpatio ſeparari poteſt. Hæc igitur Brẽtius. Sed quis ei aſſentietur qui millies apud Auguſtinum & reliquos omnes veteres leget *Chiſtum ſecundùm carnem abfuiſſe è cælo quum in terris eſſet, & nunc terris abeſſe quum eſt in cælo: & tamen ſecundùm vnitatem perſonæ* (id eſt, quatenus totus Chriſtus, non autẽ ſingulæ naturæ conſiderãtur) *& in cælo eſſe & in terra?* ac prætereà etiam propter eandem perſonæ vnitatem *proprietates ſingularum naturarum non reipſa, ſed verba tenus permutari?* Sunt enim iſtæ propoſitiones veræ, *Chriſtus erat ante Abrahamum ſecundùm diuinitatem*, &, *Chriſtus non erat ante Abrahamum ſecũdùm carnem*: ac proinde etiam hæ quoque veræ, *Chriſtus ſecundùm id quod Deus eſt, vbique eſt*: &, *Chriſtus eſt in loco aliquo cæli, propter veri corporis modũ*: quæ verba ſunt eiuſdem Aug. Veræ etiam iſtæ ſecũdùm vnitatẽ perſonæ, at non ſecũdùm naturas diſtinctè cõſideratas, *Chriſtus eſt nobiſcum ad cõſummationem vſque ſeculi*, quod ipſemet de ſe dicit: &, *Peregre abſumus à Domino*, quod dicit Apoſtolus. Veræ itidẽ iſtæ, ſed nonniſi per ἀλλοίωσιν, ſiue ἰδιωμάτων κοινωνίαν, *Filius hominis erat in cælo, quum in terris loqueretur cum Nicodemo*: &, *Filius Dei crucifixus eſt*: quod genus locutionis iam antea diximus locum habere in concreto, non autẽ in abſtracto. Non magis enim dici poteſt humanitas tunc fuiſſe in cælo, quàm Diuinitas fuiſſe crucifixa, quanuis & tunc homo ille fuiſſe in cælo (ſed κατ' ἄλλο, id eſt, quatenus etiam Deus eſt) & Deus gloriæ fuiſſe crucifixus (ſed κατ' ἄλλο, id eſt in carne, ſiue quatenus etiam homo eſt) verè & orthodoxè dicantur: quæ quoniam Brentius non diſtinguit, ideo naturarum proprietatem confundit, & quoniam ipſum in ea re non ſequimur, idcirco putat à nobis diuidi quod tamen non diuidimus, ſed diſtinctè tantùm conſideramus.

Sed ad Auguſtinum redeo. Fallitur Brentius ſi duabus iſtis voculis, SIC & QVEMADMODVM, euerti vno prolato loco putat, quod ille idem doctiſſimus & religioſiſſimus Epiſcopus ſingulis penè paginis affirmauit. Certè, ſi ita dixero, Sic defendit Brentius carnis Chriſti omnipræſentiam, quemadmodum eiuſdem à terris abſentiam tuetur Beza: minimè inde colligetur eandem doctrinam à Brentio & Beza proponi. Hunc autem eſſe iſtarum particularum vſum, vt contraria etiam inter ſe comparent, ex Grammaticis ſaltem Theologum diſcere oportuit. Quid ſi dixero, Sicut Baptiſmus eſt lauacrum regenerationis, ita ſacra Cœna Domini eſt communicatio corporis & ſanguinis ipſius: an nos inde patietur Brentius colligere (quod tamẽ veriſſimum eſſe aliunde demonſtramus) merè & eodem modo quod ad rem ipſam attinet, ſpirituale eſſe vtrunque myſterium? nec tamen propterea ſimilitudo in omnibus par erit, quum diuerſa ſint ſigna, diuerſa analogia, & diuerſa eiuſdem noſtræ cum Chriſto coniunctionis forma. Dicit idẽ Auguſt. ſerm. 58. De verbis Domini, *Sicut vnus eſt homo anima rationalis & caro, ſic vnus eſt Chriſtus Deus & homo.* An Brentius hanc ſimilitudinem vt omni ex parte congruentem admittet? minimè profectò, niſi ab illis Theſibus diſſenſerit quæ vnionem iſtam corporis & animæ hypoſtaticam eſſe negant. Ac ne nos quidem iſta vt penitus paria inter ſe comparamus, quanquam vtrinque hypoſtaticam vnionem eſſe dicimus: & in Iuſtini Martyris ſententia, qua illam vnionem explicat, multa deſideramus. Itaque libet ex eodem Iuſtino locum proferre, ex quo intelligatur quàm infirmæ ſint iſtæ particulæ fulciendo Brentiano ædificio. *Quemadmodum*, inquit Iuſtinus, (ipſo Brentio interprete pagina ſui libri 103.) *per verbum Dei caro factus Ieſus Chriſtus Seruator noſter, carnem & ſanguinem pro noſtra ſalute habuit: ſic etiam per verbum precationis & gratiarum actionis ſacratam ab ipſo alimoniam qua mutata nutrit noſtras carnes & ſanguinem, illius incarnati Ieſu carnem & ſanguinem eſſe didicimus.* Hæc ille: in quibus ſi Brentius illas particulas ſuo more vrſerit, quid aliud conſequetur, quàm hypoſtaticè coniungi corpus cum pane & ſanguinem cum vino, & Chriſti carnem ac ſanguinem non aliter in ventriculo quàm cibum concoqui, & tandem, vt medici loquuntur, Vitalis ſpiritus virtute in alimentum tranſire?

Itaque quum quidam Brentii ὑπασπισταὶ illa Auguſtini verbã ad Dardanum, *Non eſt conſequens vt quod in Deo eſt, ita ſit vbique vt Deus*: ſic eludit acſi ſentiret Auguſtinus præſentem quidem eſſe humanitatem, at non eo modo quo eſt præſens Diuinitas, *quoniã* (vt inquit) *Diuinitas eſt ſimpliciſſima eſſentia & vbique tota, humanitas verò vbique eſt Eccleſiæ præſens per modum maieſtatis, quæ maieſtas non eſt eſſentia humanitatis*: id eſt, vt plenius loquar, quoniam Diuinitas ſuapte vi eſſentiali, humanitas autem acciden-

tali

tali communicatione omnipræſentiæ adeſt : quid aliud agit quàm quod ſolent Sophiſtæ, qui potius quàm veritatem fateantur, quiduis vel abſurdiſſimum comminiſcuntur?

Itaque vno verbo reſpondeo, his particulis non ſemper paritatem, ſed quamuis ſimilitudinem declarari. Quæ ſit autem iſta ſimilitudo, non tacuit Auguſtinus quum vni adderet IN SVSCEPTA CARNE, alteri verò IN VNITATE PERSONÆ: quibus verbis ſignificat, ideo dici Filium hominis fuiſſe in cælis quum eſſet in terris, quoniam idem ille qui eſt homo in terris, aſſumptus eſt ab eo qui eſt in cælis, vt vnus & idem ſit Deus & homo: ſicut viciſſim qui eſt Deus in cælis, dicitur tunc fuiſſe in terris, non illa vniuerſali præſentia, ſed vnione perſonali, id eſt, quia factus eſt homo, vt ſit vna perſona. Hactenus ergo conſiſtit ſimilitudo, quòd vtrinque vnitas perſonæ declaratur. Nam abſque illa non modò Filius hominis tunc non potuiſſet dici in cælis, ſed ne Filius quidem Dei eſſe in terris, eo quidem modo quo dici cœpit ab eo tempore quo deſcendit in terras quum fieret Immanuel.

Sed & in eo planè hallucinatur quòd hæc duo, *Chriſtus homo*, &, *Chriſti humana natura*, vbique confundit, quæ tamen formulæ planè ſunt diuerſæ, quum de proprietatibus naturarum agitur, vt ſæpe iam oſtendimus: quemadmodum & iſta, *Chriſtus Deus*, &, *Chriſti diuina natura*, diuerſa ſunt. Prius enim declarat totum ipſum ſubiectum, ſiue totam ipſam perſonam, quæ interdum ab altera tantùm natura denominatur: vt quũ dico, *Chriſtus Deus crucifixus eſt* : &, *Chriſtus homo eſt vbique*, quas propoſitiones veras eſſe oportet contra Neſtorium, quoniam vnus eſt Chriſtus Deus & homo. Alterum verò non ipſam hypoſtaſim complexim conſideratam, ſed tantùm alteram eius naturam, non quidem ſeparatim, ſed tamẽ diſtinctè conſiderat : vnde fit vt illæ propoſitiones ſint falſiſſimæ, vtpote Eutychianæ, *Diuina natura crucifixa eſt* : &, *Humana Chriſti natura eſt vbique*. Quod igitur extrema pagina commemorat Brentius, nullis ſpatiis locorum ſeparari Filium hominis à Filio Dei, adeò concedimus vt vnum Chriſtum eſſe dicamus, non tamen coniunctim ſimul habitantibus filiis, vt dicebat Neſtorius, nec ex duobus conflatum, ſiue eſſentias ſiue proprietates conſideres, vt Eutyches blaſphemabat.

Rurſum poſtea Brentius ſibi videtur ad omnia Patrum dicta probè reſpondiſſe, ſi præſentiam carnis à præſentia maieſtatis diſtinxerit: quaſi verò & nos illam diſtinctionem non recipiamus. Sed quum duplicem iſtum modum præſentiæ tribuit Chriſti carni, quem tandem huius ſententiæ authorem habet? Chriſtum quidem paſſim inuenio & abſentem & præſentem dici, ſed eiuſdem naturæ reſpectu hoc dici nunquam inuenio. Aliud ergo declarat Chriſtus, quod eſt perſonæ : aliud caro Chriſti, quod eſt alterius naturæ nomen : aliud forma Dei & forma hominis, quàm Chriſtus ipſa vtraque forma diſtinctè præditus: aliud præſentia carnis, id eſt humanæ naturæ : aliud præſentia maieſtatis, id eſt, diuinæ naturæ, vtraque tamen vni Chriſto verè & eſſentialiter congruens, at non vtrique vnius & eiuſdem Chriſti naturæ: quæ omnia quum vbique confundat, quis tandem hæc portenta diutius ferret?

Itaque Brentius ipſe ſatis intelligens ſe non habere quod Patrum dictis opponat, hoc nobis obiicit, quòd non nitamur ſcriptis Propheticis & Apoſtolicis, ſed Patrum teſtimoniis, quæ, teſte ipſo Auguſtino, canonicam authoritatem non habeant. Nos verò, Dei gratia, non ignoramus quæ ſit Dei præ Angelis, nedum præ hominibus, authoritas. Sed quorſum hæc? An loquuntur de his rebus Patres abſque Scriptura? imò quid de iſtis loqui poſſent abſque Scriptura? an vnius ſeculi, an dubiæ authoritatis Patres citamus? an vel ipſe auſit Chalcedonenſe concilium in dubium reuocare, vel exiſtimare eos qui illi Synodo præfuerunt, ac quidem Theodoretũ in primis, naturarum vnionem non intellexiſſe, aut ſi perperam illam explicabat, neminem inuentum qui ſeſe vel eo ipſo doctiſſimo ſeculo, vel poſtea opponeret? Iactat ipſe quidem Brentius plana, aperta, perſpicua Scripturæ teſtimonia, ſed agè vel vnum proferat, & ipſi credemus. Nam quæ adhuc citauit tam perſuaſerit ſanis hominibus pro ſe facere, quàm ſolem meridie non lucere.

Sequitur in Brentii libro deriſio argumẽti à teſtimonio exteriorũ ſenſuũ & vulgari experientia ſumpti ad probandã humani corporis veritatem ac circũſcriptionem. *Tractamus enim*, inquit, *de miraculo omnem humanum captum excedente, putà incarnatione qua humanum corpus euectum eſt ſuper cælos, & collocatum ad dextram Dei, cuius miraculi ex-*

plicationē iubet Bullingerus à publica vulgi experiētia petere. Colligit deinde pauca quædam ex innumeris quæ cum ordine naturæ cōmuni pugnent, inter quæ etiam illud, Verbum caro factum eſt. Et tādem, *En nunc*, inquit, *vides, optimè lector, quid cauſa ſit cur Lutherus dixerit, Se certum eſſe quòd Cingliani nihil credant.* Hæc ſunt Brentii cōuitia, quorum certi ſumus fore, vt, niſi cauerit, coram filio Dei, ad quem prouocamus, eū aliquando pudeat. Neque enim, Dei beneficio, ita viximus, ita ſcripſimus, ita denique loquuti ſumus, vt vel tantillum impietatis, nedum ſummam impietatem, poſſit nobis obiicere. Et quæſo, vnde iſtæ voces? certè ex eo quòd verum & naturale eſſe Chriſti corpus ex eſſentialibus phyſici corporis proprietatibus probamus, ei vero qui Marcionitarum hæreſeos fundamenta iaceat nolumus aſſentiri. Ipſe porrò non ignorat Patres aduerſus Marcionis phantaſmata vbique ſenſuum argumentis vſos fuiſſe. Itaque aut temerè ſic nobis conuitiatur, aut illos nobiſcum eodem impietatis crimine inuoluit.

Quid verò? quum diceret diſcipulis ipſe Chriſtus, vt veritatem ſuſcitati ſui corporis probaret, *Palpate, videte, ſpiritus carnem & oſſa non habet*: an non iſtud ipſum quod in nobis oppugnat Brentius argumentum, nobis ſuppeditabat? An verò vel Chriſtum ipſum dicere audebit nihil credidiſſe, vel viam nihil credendi diſcipulos ſuos docuiſſe? Ioannes verò primæ Epiſtolæ ſuæ initio, teſtimonium aurium, oculorum, atque adeò manuum proferens, an Brentio impius dicetur?

At vos (inquit) *iſtius myſterij explicationem ex vulgari hominū iudicio peti vultis*. Imò, quid eſt calumniari, ſi hoc non eſt? An nos verò Thomæ adhuc incredulo ſimiles ſumus, qui nihil niſi quod oculis ſuis videret credere ſuſtinebat, ac non potius credimus quicquid loquutus eſt Dominus?

Sed vos (inquit) *de hoc myſterio ex ratione humana iudicatis*. Imò & hoc falſiſſimum eſt: Verbum enim factum eſſe carnem, id eſt, in vnitatem perſonæ aſſumpſiſſe quicquid eſt homo, excepto peccato, an dictat humana ratio? Iam verò quum ex eo quòd verè homo eſt, colligimus finita, viſibili, & circunſcripta natura nunc quoque præditum eſſe, an non ex ipſius Chriſti ore hanc doctrinā depromimus? Nam ſi rectè ille ex viſibili & palpabili, ac proinde finita & circunſcripta ſua natura verum illud ſuum corpus eſſe collegit: an non viciſſim abſque impietate ex hoc illud colligemus?

Sed Brentio nimirum ſeruile quiddam videtur, corpus illud Chriſti à Diuinitate aſſumptum, & iam ad dextram Patris collocatum, cōmunibus naturæ legibus ſubiicere. Quaſi verò nos & accidentarias illas infirmitates non doceamus nunc eſſe à Chriſto depoſitas, & illas etiam naturales excellentiſſima & planè vel ipſis Angelis incomprehenſibili gloria eſſe exornatas.

At ne hoc quidem Brentio ſufficit. Sublatas enim mauult fuiſſe, vt ex Chriſto nobis hominem quendā ne μονόγραμμον quidem, ſed ipſis etiam lineamentis humanæ formæ carentem, diuinis autem omnibus proprietatibus effuſis ornatum, ad Dei dextram ſtatuat. Litiget igitur cum Chriſto ipſo, qui poſt reſurrectionem quoque ex illis proprietatibus veritatem ſui corporis aſſerit.

Quòd ſi illa planè imaginaria & vana diſtinctio de forma Dei & forma ſerui, quam in vna eadémque carne Chriſti excogitauit Brentius, quicquam valeret, quæſo quàm firmum fuiſſet illud Chriſti argumentum? Nam ſi Chriſti corpus ſimul, vt volunt, palpabile & viſibile eſſet mundano modo, & diuino, quem vocant, inuiſibile & impalpabile: cur nō æquè licuiſſet diſcipulis colligere imaginarium eſſe corpus, quòd eſſet aliis omnibus locis inuiſibile, quàm collegit Chriſtus, verum eſſe quia apud eos erat viſibile? & quis non videt paratam fuiſſe diſcipulis exceptionem, ſi & palpabile ſimul & impalpabile eſſet eius corpus, non magis valere ipſius argumentum, quàm ſi quis colligeret Dei eſſentiam eſſe corpoream, quoniam ſpecie ignis in rubo apparuit? Sed de iſta calumnia plus ſatis.

Omitto duo illa Iobi & Dauidis teſtimonia, quæ à Bulingero obiter citata, vt Locum oſtenderet quiddā eſſe cū corpore cohærens, nō aliter exagitat Brentius quàm ſi innumera alia non protuliſſet. Omitto, inquam, illa & ad alia progredior. Ait ſe probaſſe ex Apoſtolicis ſcriptis corpus Chriſti ſalua ſua ſubſtantia abſque loco eſſe, & omnia ſpirituali & cæleſti modo implere: ex veteribus autem Eccleſiæ Scriptoribus corpus Chriſti ea eſſe prærogatiua, vt poſſit cum alio corpore eſſe illocaliter, & ſimul eſſe poſſe multis locis. Audimus verò nos iſtas voces, ſed res nuſquam apparet.

Quòd autem nos pro Catechumenis & Neophytis habet, tantum abeſt vt ægrè feramus, vt ne Catechumenos quidem in iſta omnipræſentiali ſiue vbiquitatiua Theologia

logia nos eſſe non inuiti agnoſcamus. In vera autẽ & ſolida Dei cognitione profecimus miſeri quantũ dedit Dominus, pudet nos tarditatis noſtræ, & in eo toti ſumus vt proficiamus. Audiamus autem quid nos Catechumenos docere inſtituerit. *Non*, inquit, *ſeueriter exigam vt diſcant Cingliani arduum illud myſterium à quo adhuc abhorrent, hominem Chriſtum videlicet omnia maieſtate ſua quam habet à Deo communicata, coràm implere & gubernare.* Atqui nõ fuit neceſſe nos id doceri, in quo Dei gratia nũquam hæſitauimus, ex quo Chriſtum vel leuiſſimè cognouimus. Alium eſſe hominem Chriſtũ quàm Deũ Chriſtum nunquam ſumus arbitrati, qui quidem rotus præſentiſſimus omnia videat, impleat & gubernet. Brẽtium verò quum de his rebus ſcriberet, ſaltem reminiſci oportuit, aliud eſſe, Chriſti humanam naturam omnia implere (quod merè Eutychianũ eſt) quàm hominem Chriſtum omnia implere, quod nemo negare poteſt quin Chriſtũ diuidat. Sed quod de illa omnipræſentiæ maieſtate Brentius attingit, vnde tandẽ petitum eſt? Nam coram Deo veritatem loquor, Ex quouis, nedum ex Brẽtio, diſcere nos nunquam pudebit. *Scimus*, inquit, *pleroſque omnes vetuſtioris Eccleſiæ ſcriptores, quibus etiam ſeſe poſteriores adſcribunt, credidiſſe, ſenſiſſe, & docuiſſe, quòd in Cœna Domini corpus & ſanguis Chriſti vere & ſubſtantialiter adſint, & cum pane & vino ſumentibus diſpenſentur.* En illud myſterium, quod quãuis primarium nõ vocet Brentius, tamen te vera illud ipſum eſt pro quo cõtendit, adeò quidem vt verbum nunquã fuerit de iſta omnipræſentia factus, niſi eum iſtæ voculæ I N, S V B, vel C V M, eò adegiſſent. Sed hic mihi liceat, illuſtriſſime Princeps, C. T. per Chriſtum obteſtari, vt propius miſerabilis iſtius Tragœdiæ cauſas diligenter expendat. Perſuaſerunt T. Celſ. nonnulli nos Chriſtum è Cœna tollere, & quum corpus & ſanguinem Chriſti nominamus, nihil aliud his nominibus quàm vim & efficaciam illius intelligere. Alij etiam multò impudentius cõminiſcuntur, nos illum panem & illud vinum non aliter à cõmuni pane & vino diſtinguere quàm quòd ſint aliquæ rerum abſentium imagines, vt Cæſaris imago Cæſarem noſtræ memoriæ ſuggerit: quidam denique abſurdiora etiam comminiſcuntur. Nos autem quandiu & quoties tum voce tum ſcriptis tum reipſa iſtas calumnias refellere ſtuduimus?

Si de re ſacramenti quæritur, teſtamur nos illud ipſum corpus quod traditum eſt pro nobis, illum ipſum ſanguinem pro nobis fuſum, ipſiſſimum denique Chriſtum mediatorem noſtrum, rem eſſe ſiue materiam & ſubſtantiam ſacramenti.

Si quæritur quorſum hoc pro re ſacramenti ſtatuatur: reſpondemus, vt verè participes ipſius Chriſti fiamus, id eſt, vt vnum facti cum ipſo, omnia ex ipſo ad ſalutem neceſſaria hauriamus. Et hanc quidem præcipuam eſſe Sacramentalis doctrinæ partẽ nemo, vt opinor, inficiabitur.

Qua de re igitur quæſtio eſt? nempe non quid ſumatur (de eo enim cõuenit) ſed quomodo ſumatur. Quoniam enim nonnulli ſibi perſuaſerunt non poſſe nos fieri corporis & ſanguinis Domini participes, id eſt cũ ipſo vnum fieri, niſi illa eo ipſo loco realiter & ſubſtantialiter ſtatuantur vbi Cœna Domini adminiſtratur, idcirco duplex dogma in Eccleſiam Dei inuexerunt: vnum, oportere corpus & ſanguinem Domini eſſe præſentia in vel ſub vel cum ipſis ſymbolis realiter & eſſentialiter. alterum, ore etiam & manibus illa ipſa corporaliter ſumi.

Hinc natum etiam eſt tertium axioma: Quum & pij & impij inſtrumenta oris & manuum pariter afferant, ab vtriſque etiam corpus & ſanguinem Domini ſumi, piis quidem ad vitam, impiis autem ad mortem.

Nos verò primùm omnium dicimus, ne in rebus quidem naturalibus neceſſarium eſſe vt quoties ex duobus fit vnum, vtrumque eodem loco ſtatuatur, quoniam quæ locorum diſtantia diſſident, poſſunt etiam intermedio vinculo copulari.

Deinde quum totum hoc myſterium ſit ſpirituale, & ad ſpiritualem vitam pertinens, dicimus etiamſi ſimul & eodem loco ſtatuerentur res & ſymbola, vt illi volunt, tamen non eſſe hîc ſtatuendam copulationem aliquam ſubſtantiarum realem, nedum commixtionem, ſed eam cõiunctionem qua fit tum vt Chriſtus ipſe noſter fiat & nos illius, tum verò vt ab eo in nos vis illa viuifica defluat, qua in ipſo iuſtificati & ſanctificati æternùm cum eo viuamus.

Tertiò, quum illa realis copulatio corporis & ſanguinis Domini in vel ſub vel cum pane, repugnet corporis Chriſti veritati, & eius in cælum aſcenſioni, & è cælis deſcenſioni, atque adeò repugnet toti Scripturæ quæ animos noſtros è terris in cælum attollit, ipſiſque adeò ſpiritualis regni naturæ: corpus, corpus, inquam, & ſanguinem ipſum

Chriſti,id eſt Chriſtum ipſum,qui Deus eſt & homo, fatemur in Cœna nõ minus verè dari quàm ſymbola,ſed ita vt ibi maneat Chriſti caro vnde non deſcendet priuſquam iudicet viuos & mortuos,ſicut nos docuit Petrus:ac nihilominus, ſicut diximus, noſter fiat,& nos viciſſim illius ad vitam æternam.

Hinc autem efficitur Chriſtum non ore nec manibus,ſed ſpiritualiter & ſola fide, ac proinde non à quibuſuis ſed à ſolis fidelibus ſumi, quod vnicum eſſe applicandi ſibi Chriſti inſtrumentum tota Scriptura teſtatur, quanuis promiſcuè tam impiis quàm piis res ipſæ non minus quàm ſymbola offerantur.

Hac autem ratione dicuntur res & ſigna ſacramentaliter coniuncta, id eſt hactenus vt quod ſymbola ſecundùm ordinationem Dei verbo ipſius expreſſam, ſignificant, verè etiam & reipſa poſſidendum credentibus ſpiritualiter donetur.

Hæc ſunt igitur huius cõtrouerſiæ capita,ex vno illo fonte orta, quòd quibuſdã non videntur vniri poſſe quæ diſſita ſunt locorum interuallis: quod dogma vt ſtabiliretur, mirum quàm multa cõmenti ſiut homines, vt ſibi videbantur, ingenioſi. Alij enim quũ ad corporalem illam præſentiam adiicerent etiam aliud ſomnium quod Tranſſubſtantiationem vocarunt, mirum quantopere hîc ſudarint, vt veritatem corporis Chriſti & ipſius aſcenſionis cum ea conciliarent. Sed in ſumma veniendum fuit ad omnipotentiã: & quum ipſis obiiceretur Deum non velle quicquid poteſt, oppoſuerunt τὸ ῥητὸν, cuius nullam prorſus interpretationem admiſerunt. Nunquã tamen eò deuenerunt vt cum Eutychete proprietates naturarum eſſentiales permiſcerent.

At noſtro tempore homines, vt res oſtendit, multò longius ſunt progreſſi vt quod ſemel arripuerant mordicus retinerent. Itaque iam apertè dicitur, carnem Chriſti nõ minus eſſe vbique quàm Diuinitatem.

Et hoc abſurdum alio abſurdiore tegitur, quum dicitur corpus Chriſti vno quidem loco eſſe corporaliter, id eſt craſſo modo & mundano, omnibus autem locis cæleſti modo, id eſt eo modo quo Deus eſt vbique, quam proprietatem habuerit ex quo aſſumptum eſt à Diuinitate in vnitatem perſonæ, quanuis eum modum non ſemper manifeſtauerit.

Quid plura? quaſi non ſatis eſſet cum Eutychete proprietates naturarum confundere, naturæ etiam manifeſtè diuidi cœperunt cum Neſtorio. Siquidem apertè docetur τὸν λόγον quod ad οὐσίαν attinet non aliter eſſe in carne Chriſti quàm in reliquis creaturis, & in eo vno poſitam eſſe perſonalem vnionem quòd in carnem Diuinitas omnes ſuas proprietates effundat, in Sanctos verò tantùm aliquas, reliquas autem creaturas tantùm ſuſtentet.

Denique eò ventum eſt vt cælum vbique ſtatuatur, ac proinde ſuperna & inferna omnia tollantur. Sed de ſingulis iſtis aliàs. Nunc ad id quod huius loci proprium eſt reuertamur.

Si verum eſt quod Brentius priore loco vrget, corpus videlicet Chriſti omnibus locis eſſe non localiter, quorſum, obſecro, ſuum illud IN vel SVB vel CVM pane & vino inculcat? Iſta enim profectò ſic cohærent vt alterum ex altero conſequatur, quum pluribus & omnibus ſimul locis eſſe ab eodem principio proficiſcantur.

Sed ſi ita eſt, quid tandem ſacro illi pani & vino tribuet, quod non etiam ipſis abiectiſsimis rebus tribuat? *Hoc*, inquiet, *amplius tribuo, quòd Chriſtus ſeſe ſub illo pane & illo vino communicet, ſub alijs rebus non item.* Atqui non de fructu, non de vſu, nec de fine illius præſentiæ, ſed de præſentia ipſa quæro, quam eandem eſſe in, ſub, vel cum rebus omnibus non poteſt inficiari, ſi ſemel illa omnipræſentia ſtatuatur.

Quid igitur? Si hæc locutio, *Hoc eſt corpus meum*, idem declarat atque, *Corpus meum eſt In vel Sub vel Cum iſto pane*, & hoc verum eſt propter omnipræſentiam: cur non licebit etiam de rebus quibuſuis dicere, Hoc eſt corpus meum? Nam hæc verba, *Accipite, Comedite, Bibite, quod pro vobis traditur, pro vobis funditur*, vſum quidem huius præſentiæ, at non ipſam præſentiam declarant.

Sin verò (quod exiſtimo) propter ſacramentalem coniunctionem hæc locutio vera eſt non in rebus omnibus, ſed in hoc demum pane, quorſum hîc nobis opus Brentiana omnipræſentialitate? an quòd ſit ſacramentalis coniunctionis fundamentum? Hoc verò ne ipſi quidem Tranſſubſtantiatores Brentio conceſſerint: quibus tamen hoc figmẽto maximè fuerit opus. Sed de his ipſe viderit.

Nunc autem his præpoſitis, ex quibus (opinor) intelligere potes, Illuſtriſſ. Princeps,

vtri plus tribuant Dei verbo ac potentiæ, & ſimplicius de rebus diuinis loquantur, parati ſumus nos Catechumeni vetuſtatis teſtimonia audire.

Citat primo loco Iuſtinum Martyrem, qui dicat *ſacratam hanc alimoniam qua mutata nutrit noſtras carnes & ſanguinem, illum incarnati Ieſu carnem & ſanguinem eſſe.*

Reſpondeo, nihil hîc eſſe quod contra nos faciat. Quid enim? an carnes noſtras & ſanguinē carne & ſanguine Chriſti κατὰ μεταβολὴν ali Brentius exiſtimat? Si ita eſt, ludus certè & iocus erit Romana tranſſubſtātiatio præ iſto Brentiano dogmate: & ipſi explicādum erit quomodo humana Chriſti natura poſt effuſas in eam omnes, ſicut ipſe docet, diuinitatis proprietates, manſerit tamen tantæ mutabilitati obnoxia. Sin verò aliter ſenſit: aut planè diſſentit ab eo ipſo quem pro ſe citat, aut aliter omnino explicandus eſt Iuſtinus quàm ipſe faciat.

Res autem ita ſe habet. Dicit in ſumma Iuſtinus cibum illum quo tranſmutato (naturaliter videlicet) aluntur corpora noſtra, panem videlicet ac vinum, poſt applicatam Domini inſtitutionem, non eſſe vulgarem panem & vulgare poculum, ſed eſſe corpus & ſanguinem Domini. Hoc verò quis noſtrûm negat, quod Chriſtus ipſe totidem verbis affirmat? Sed Chriſti verba, pro natura rei de qua agitur, id eſt ſacramentaliter, intelligenda eſſe affirmamus. Hoc autem in Sacramentis requiri, vt vbicunque ſunt, ibi etiam ſint res ipſæ quarum ſunt Sacramenta, tum credemus quum id nobis ex Dei verbo demonſtrabitur.

Quòd ſi mauult iſta Iuſtini verba referri ad ipſam iam ſacratam alimoniam, vt etiam apertè dicit, aut ipſi ſpiritualis mutatio, ac proinde ſpiritualis manducatio ac κοινωνία nobiſcum ponenda eſt: aut quod paulò antè dixi probet oportet, ne nunc quidem à naturali alteratione immune eſſe, quanuis glorificatum, &, vt ipſe loquitur, omnipræſens Chriſti corpus. In ſumma, non bona fide hæc verba Iuſtini, κατὰ μεταβολὴν, in aſſumptione huius à Iuſtini authoritate ſumpti argumenti ſunt prætermiſſa.

Irenæi prætere a locos duos profert, in quibus teſtatur *panem ſuper quo gratia acta ſunt, eſſe corpus Domini, & calicem ſanguinem eius.* Id verò quis inficiatur? At ſubiicit idem author, *carnem noſtram à corpore Domini & ſanguine ali: & de calice, qui eſt ſanguis eius, nutriri: & de pane, qui eſt corpus eius, augeri.* Hic verò neceſſe eſt vt vel iſtud alimētum & augmentum ad rem terrenam duntaxat referatur, quæ eſt altera Eucharistiæ pars: vel ſi de corpore ipſo Domini hoc dicatur, de alimoniæ & incremēti ſpirituali ratione nobiſcum id accipiatur oportet, niſi fortè Brentius imaginatur ipſam corporis Domini materiam in ſubſtantiam corporis ac ſanguinis tranſire, ac proinde corpus Chriſti eſſe deſinere: cui craſſiſſimo delirio vix mihi perſuaſerim quenquam poſſe aſſentiri, vtpote quod ne Traſſubſtantiatores quidem craſſiſſimi probent.

Et certè ſi ita ſenſiſſet vetus Eccleſia, non potuiſſet inficiari calumniam hoſtium, qui obiiciebant carnes humanas à Chriſtianis vorari, ſed hoc potius reſpondiſſet, ſe humanas quidem carnes, ſed inuiſibiliter nec cuiuſuis hominis, ſed tantùm Chriſti vorare, quod immane ſanè fuiſſet ac intolerabile facinus, vt Auguſtinus apertè ſcripſit. Ipſe verò Iuſtinus tantum abeſt vt hac exceptione vtatur, vt contrà in eadem illa Apologetica oratione ſic ſcribat, & quidem rectè, λυχνίας μὲν ἀνατροπὴν καὶ τὰς ἀνέδην μίξεις, καὶ ἀνθρωπείων σαρκῶν βορὰς οὐ γινώσκομεν.

Cyprianum etiam profert Brentius eos accuſantē *qui Domini corpus inquinatis manibus accipiant, aut ore polluto Domini ſanguinem bibāt.* Quaſi verò nos hunc panem & hoc vinum ſuo modo, nempe ſacramentali, negemus corpus & ſanguinem Domini eſſe.

Et hîc quæſo Brentiū, vt mihi tyrunculo illud etiam, ſi placet, exponat, ſi verè manibus corporis accipitur ipſa ſubſtantia corporis Domini, & ore realiter bibitur ipſe ſanguis Domini, in vel ſub vel cum pane & vino, cur dignior habeatur manus quæ tāgat, quàm oculus qui non videat. An vt totum hoc opus, id eſt communicatio corporis & ſanguinis Domini, ſit vnius fidei opus? Certè vel nullam vel hanc vnam cauſam afferet. Conſueuit enim nos ad omnipotentiam Dei nō aliter allegare, quàm ſi cum Epicureis nihil niſi quod ſenſibus corporis aut ratione humana percipitur crederemus. Atqui nō ita eſt. Communicationem enim corporis & ſanguinis Domini, atq; adeò noſtri cū capite noſtro vnionem ſpiritualem quidē & myſticam, ſed tamen veriſſimam & efficaciſſimā, ſtatuimus pro baſi & fundamēto omniū quæ ex Chriſto ad ſalutē haurimus, idque lōgè certè eſt diuinius, &, vt ita loquar, omnipotentius, quàm quod docere Brētius conſueuit. Vult enim ſubſtātialiter, quanuis inuiſibiliter, adeſſe, vult manibus tangi, ore ſu-

mi,comedi ac bibi quod credũt,& hinc cõſequutæ rot Ttagœdiæ,quarum quis ſit futurus exitus videmus,niſi Dominus Eccleſiæ ſuæ miſereatur,nẽpe vt pro vero Chriſti cot pore,phantaſma credendũ obtrudatut. At nos non modò quod bis corporis oculis non videmus,ſed etiam quod nec manibus tangimus,nec ore nec ventre percipimus,vtpote quod ſit in cælis, & ibi manſurum ſit vſque ad tempora reſtitutionis omnium, fidei tamen oculis in terris adhuc repentes cernimus, fidei manibus amplectimut, nos totos denique verius etiam ac certius cum eo coniungimus, quàm ſi comeſum & hauſtũ intra viſcera traiiceremus. Eſt enim hoc cotporalis & perituræ vitæ,in qua per tranſmutationem aluntut carnes & ſanguis:illud vetò eſt in ſpiritualem illã vitam introductio, in qua nec editut nec bibitur,ſed Deo viuitur,cui pet fidẽ pro noſtro modulo iam nũc ſimus conformes, fide noſtra videlicet corporalibus ſignis confirmata, tantiſper dum illum ſicuti eſt conſpiciamus.

Quod igitur ex Iuuenci verſiculis profert,itẽmq; illud Hilatij dictum, *Hæc hauſta & ſumpta efficiũt vt & nos in Chriſto,& Chriſtus in nobis ſit*,abſit vt tefutemus. Quis enim hoc negarit? Sed illã præſentiã ſic cõſtitui primùm doceat,& tunc demũ cõſentiemus.

Venio ad Chryſoſtomum, qui certè ſi quiſquam alius, illam præſenriã videtur ſtabilite. Nemo enim rem ſacramenti,id eſt, Chtiſti ipſius cõmunicationem vrſit vehementius. Hæ ſunt enim eius phraſes,quas ſelegit Brentius:

Seipſum tradit,vt non videas ſolùm,verùm etiam vt tangas,& in te habeas.

Nos ſecum in vnam maſſam reducit,neque id fide ſolùm, ſed reipſa nos corpus ſuum efficit.

Non ſe tantùm permittit videri,ſed & tangi,& manducari,& dentes carni ſua infigi.

Sanguis guſtatur Dominicus.

Carnem eius lingua contingimus.

Carnem ſuam nobis dimiſit.

Chriſtus carnibus ſuis nos alit,ſeipſum nobis apponit.

Nec dubium eſt,inquit Brentius,*illum recitaſſe in concionibus ſuis ſententiã de Cœna Domini omnibus temporibus in Eccleſia vſitatam*. Ego verò quæro, iſtáne ſic prorſus vt ſcripta ſunt intelligat,an verò aliquam eorum interpretationem admittat. Si ſimpliciter & ita vt ſcripta ſunt,certè neceſſe eſt vt non tantùm tangi,guſtari,comedi, ſed videri corpus Domini exiſtimet:imò & dentes ipſos carni infigi,imò,vt alibi etiam idem Chryſoſtomus loquitut,corpus in tettam cadere,& conſumi. Quòd ſi hæc falſiſſima & abſurdiſſima ſunt,ſimpliciter intellecta,an non & illa quorum eadem eſt ratio? Alioqui certè nihil opus eſſet diſtinctione viſibilis & inuiſibilis præſentiæ,ſi in Cœna quoque oculis videretur Chriſti corpus. Supereſt ergo vt omnes iſtæ locutiones ſint ſacramẽtales, in quibus,quod ſignorum eſt propriè & corporaliter acceptum, ad res ipſas tranſlatum ſpiritualitet fieri intelligitur. Et quorſum hæ formulæ? nẽpe vt ab ipſis ſignis ad rei veritatem mens cõuertatur. Ideo idem Chryſoſtomus, Homilia de Encænijs, *Vides*, inquit, *panem? vides vinum? abſit*. quæ etiam verba ſi ſimpliciter accipit Brentius, quid obſtat quo minus apertè in Pontificiorum partes tranſeat? At ne illi quidem, niſi abrenunciata vbiquitare,ac meritò quidem,iſta recipient.

Ex Cyrillo probat Brentius *nos carnem Chriſti manducare,guſtare,& eius carnis ac ſanguinis fieri participes*. Probat autem quod extra controuerſiam eſt poſitum,quum expreſſo Dei verbo iſta confirmentut.

Citat quoque ex Hieronymo *corpus Domini in caniſtro vimineo, ſanguinem portari in vitro*: nempe quia hic panis ſuo modo, id eſt ſactamentalitet,eſt Domini corpus,ipſo Domino ſic loquente. Nec verò longius petenda eſt hæc interptetatio. Ipſemet Brentius ex eodem Hieronymo hanc ſolutionem nobis imprudẽs ſubminiſtrat. Citat enim hæc eius verba ad Heliodorum,& quidem maiuſculis literis ſcripta: *Abſit vt de Clericis quicquam ſiniſtrum loquar, qui Apoſtolico gradui ſuccedentes*, CHRISTI CORPVS *ſacro ore* CONFICIVNT. Audiat igitur nunc tandem,obſecro, quod tam ſæpe eſt ipſi reſponſum. Si Conficiendi verbum ad rem Sacramenti,id eſt corpus ipſum Chriſti, refert, an nõ blaſphema vox eſt exiſtimare corpus Chriſti ſemel factum ex muliere,quotidie confici? & vnde, obſecro, niſi vel ex nihilo, vel ex pane, vel ex ſeipſo? & quis erit iſtiuſmodi blaſphemiarum finis? Sin autem hoc ad Sactamentum ipſius corporis referẽdum eſt, quod & ipſum ſuo modo corpus Domini eſt,ac dicitur,quæſo qua de re tandem litigamus?

Quę porrò citat ex Ambroſio, *manibus ſuſcipi ſanctũ Domini corpus,& ore percipi pretioſi ſanguinis poculũ*, vnde melius explicabuntur quàm ex eiuſdẽ verbis quæ ipſemet quo-

que

que profert? Sic enim ille 1.Cor.11. *Deuoto animo, & cum timore accedendum ad cōmunionem, vt ſciat* MENS *reuerentiam ſe debere ei ad cuius corpus ſumendum accedit. Hoc enim apud ſe indicare debet, quia Dominus eſt, cuius* IN MYSTERIO *ſanguinem potat, qui teſtis eſt beneficij Dei.* Hæc ille. An verò Brentius menti quoque & manus & os tribuet? minimè, inquiet, ſed ſui corporis ore & manibus mens vtitur. Nempe ſi de cibo terreno ageretur, quo tamen animam ipſam non paſci ſatis conſtat. Quid autem eſt illud IN MYSTERIO? Nempe illud ipſum quod idem eodē loco ſcribit. *Quia morte Domini*, inquit, *liberati ſumus, huius rei memores in edendo & potando, carnem & ſanguinem Domini, quæ pro nobis oblata ſunt, ſignificamus.*

Iam veniamus ad Auguſtinum, quem quum ſatis norit Brentius prorſus ſententiam noſtram tueri, & illam omnipræſentiam veluti præſcium oppugnare, mirum eſt profectò in contrariam opinionem ab ipſo proferri. *Hoc*, inquit ille, *accipite in pane quod pepēdit in cruce, & hoc accipite in calice quod effuſum eſt de Chriſti latere.* Quaſi vero nos veram veri corporis & ſanguinis Chriſti communicationem non agnoſcamus. Sed viget Brētius illud IN PANE & IN CALICE. Quaſi verò propterea intra ipſum panem & calicem ſit collocandum quod ſumitur, quia in illis, vt rerum videlicet illarum ſymbolis, ſumi dicuntur.

Neque verò nos illud IN, SVB, vel CVM, in quibus monoſyllabis quaſi cardinibus quibuſdā religionē Chriſtianā verti Brent. exiſtimat, repudiaremus, ſi ſacramentaliter non autem realiter & corporaliter, vt ipſe vult, intelligerentur, aut niſi res ipſa doceret periculoſiſſimum eſſe ambiguis verbis ac vocabulis vti in iſtius argumēti explicatione.

Audiamus autem ipſummet Auguſtinum ſuipſius interpretē his verbis ſuper Pſal. 89. *Non hoc corpus quod videtis comeſturi eſtis, nec bibituri hunc ſanguinem quem ſunt effuſuri. Myſterium eſt quod vobis dico, quod ſi* SPIRITVALITER INTELLIGATVR, *viuificabit.* Audimus ergo ſpiritualiter intelligendum totum hoc myſterium, & ita quidē vt illud Corporaliter, Carnaliter, & cætera eiuſmodi, prorſus tollantur.

Alterum autem duplex teſtimonium Auguſtini, quod citat vt probet in Euchariſtia carnem & ſanguinem Domini eſſe verè præſentia, & diſtribui, atque adeò etiā indignos ea accipere, nō quidem ad ſalutem, ſed ad interitum, non recuſo quo minus omnes conſiderent, vt quàm appoſitè hæc etiam eius verba proferat intelligant. Priore loco conſtituit Auguſtinus duplicem manducandæ carnis & bibendi ſanguinis Chriſti modum. Eſto id verò. Sed qualis ſit duplex iſte modus, vnde melius quàm ex eodē ſcriptore intelligemus? Is igitur lib. 21 de Ciuitate Dei, cap. 25. ſic ſcribit: *Non eſt exiſtimandus comedere corpus Chriſti, qui non eſt in corpore Chriſti, & in quo Chriſtus non manet, neque ipſemet manet in eo.* Quid igitur? an à ſeipſo diſſidet Auguſtinus? minimè profectò. Sed duplicem illum modum ſtatuens, quorum alterum Iudæ & indignè veſcentibus tribuit, appellatione carnis & ſanguinis non res ipſas, ſed earum ſacramentum intelligit. Quod ne videar confingere, audiatur ipſemet ita ſcribens, tractatu 26. in Ioannem, *Qui non manet in Chriſto, & in quo non manet Chriſtus, proculdubio nō manducat ſpiritualiter carnem eius, nec bibit eius ſanguinem, licet viſibiliter & carnaliter premat dentibus Sacramentum corporis & ſanguinis Chriſti, ſed magis tantæ rei Sacramentum ad iudicium ſibi mādueat & bibit.* Hæc ille, manifeſtè docens rem Sacramenti, id eſt, corpus quidē ipſum & ſanguinem Domini ab infidelibus nō ſumi, quoniam ſi ſumeretur, viuificaret: ſed ſolum externum ſignum: quod & ipſum quum appelletur & ſit ſuo modo caro & ſanguis Domini, vt idem Auguſtinus ad Bonifacium ſcribit, & Chriſtus ipſe docet, ideo ſacramentali locutione dicitur corpus Domini dupliciter, nempe & à fidelibus ad vitam, & ab infidelibus ad ipſorum exitium, manducari.

Scio tamen quid obiicere nonnulli ſoleant, nimirum duplici etiam modo rem ipſam ſumi, nempe ſpiritualiter, id eſt cum fide, & corporaliter, id eſt ſine fide. Sed hæc diſtinctio erat illis probanda, quam Auguſtini non eſſe res ipſa oſtendit. Etſi enim hîc vtitur aduerbio SPIRITVALITER, tamen alibi, vt eo quem citaui loco ex lib. de Ciuitate Dei, illo non vtitur: & hîc quoque nō ſimpliciter illa duo inter ſe, SPIRITVALITER & CORPORALITER, vt illi docent, ſed corpus & ſanguinem, id eſt rem Sacramenti, ipſi Sacramento, id eſt externo ſymbolo, opponit.

Atenim, inquiunt, *idem alibi diſertè dicit, corpus & ſanguinem Domini nihilominus eſſe, etiam illis quibus dicebat Apoſtolus, Qui manducat indignè, &c.* Id verò quis noſtrûm vnquam eſt inficiatus? An enim poterit vnquam efficere hominum perfidia, vt Sacramen-

tum Domini non ſit etiam indignis Sacramentum, & quod Deus offert, Filij videlicet corpus & ſanguinem, verè etiam indignis non offerat?

De hoc igitur non quæritur, ſed de hoc potius, an quotieſcunque duo etiam coniuncta offeruntur, vno accepto alterum etiam neceſſariò accipiatur: quod Brentius affirmat, nos pernegamus. Quænam enim ſunt inter ſe coniunctiora quàm Euangelij vox (aut ipſe, ſi vis, Chriſtus) & virtus ſaluifica? Et tamen quàm multi ſine fructu atque adeò in ſuam perniciem Euangelium audiunt, & intelligunt? quàm multi Chriſtum viderunt, audierunt, complexi ſunt, qui nihilominus perierunt? Eſt tamen vnum idémq; Euangelium profectò, & Chriſtus etiam idem incredulis eſt lapis offendiculi, & ſalus cuiuis credenti. Quînam id verò? nempe quoniam etſi reipſa ſunt coniunctiſſima Euangelij vox & vita, tamen non eodem modo percipiẽda proponũtur. Vox enim auribus à quibuſuis percipitur, vita verò, quãuis ſimul offeratur, tamẽ ſola fide apprehẽdi poteſt.

Quid item coniunctius quàm vocabula & ipſæ ſententiæ quæ eorum ſignificatione exprimuntur? & tamen quàm multa poſſumus audire quorum ſeoſum nõ accipiamus? illud enim eſt corporis, hoc autem intelligentiæ munus. In Sacramentis certè ne Brentius quidem negauerit aliud videri, nempe ſymbola, aliud intelligi, nẽpe corpus ipſum & ſanguinẽ Domini. Quidni verò etiam dicamus, aliud tangi, comedi, bibi, aliud intelligi? Itaque etiam ſi illa monoſyllaba IN, SVB, vel CVM, concederemus, quomodo tamen qui abſque intelligentia ſunt, hæc intelligent? non magis certè quàm illa viderent cæci, ſurdi audirent, manci & mutili ſumerent. Quòd ſi nõ intelligent, certè illius quoque expertes erunt quod non ſenſibus externis, ſed intellectu percipitur.

Itaque alios, alioqui etiam à nobis diſſentientes, apertè, & quidem rectè ſcribere audio, à profanis & penitus infidelibus ſola ſymbola percipi. Sed quid ſi nõ tantùm intelligentia, verùm etiam fide neceſſariò opus eſt, vt Chriſti ſiamus participes? nec enim aliam participandi Chriſti rationem in Scripturis adhuc inuenimus. Nempe efficietur rem cæleſtem à ſolis fidelibus percipi, quanuis quibuſuis etiam infideliſſimis offeratur: & illos quidem ex iis perceptis vitam neceſſariò haurire, iſtos verò ob illa eadem contempta, & hunc panem hócque poculum indignè accepta, iudicium Dei incurrere.

Theophilactum omitto, quem ab ipſo Heshuſio optimè nouit Brentius vt tranſſubſtantiatorem repudiari. Tertullianum autem quo tandem iure citat? *Quoniam*, inquit, *ita ſcribit, Caro corpore & ſanguine Chriſti veſcitur, vt & anima de Deo ſaginetur* Sed cur, obſecro, integrum illum locum non profert? Præcedunt enim iſta: *Caro abluitur, vt anima emaculetur: caro vngitur, vt anima confortetur: caro ſignatur, vt anima muniatur: caro manus impoſitione adumbratur, vt anima Spiritu illuminetur.* Cõſtat ergo manifeſtè in his omnibus ſymbola cum rebus vel potius effectis comparari: vnde & illud efficitur, quum dicitur caro & corpore & ſanguine Chriſti veſci, Corpus id vocari quod eſt ipſius corporis figura, vt ipſemet optimus ſuiipſius interpres exponit Chriſti verba: ſiue ſignum, vt ſcribit ad Adimantum Auguſtinus.

Etiãſi, inquit Brẽt. *nonnulli veterũ vocant panẽ & vinũ Cœna Dominica, myſteria, ſymbola, ſacramenta, ſigna & figuras, tamen non ſentiunt ea eſſe ſigna ſeu figuras rerũ abſentiũ, ſed præſentium.* Aſſentimur: ſed quum id demũ præſens eſſe arbitratur quod ſitu ſit proximũ, penitus ipſum falli affirmamus: & quod nobis obiicere ſolet in ipſum regerimus, nempe tutam hanc ipſius cogitationem corporalem & carnalem eſſe.

Itaque profitemur nos cum Apoſtolo, totáque vetere Eccleſia, corpore quidem peregre abeſſe à Domino: & ſi locorum interualla ſpectas, tãto ſpatio à Chriſti carne abeſſe, quanto ſummi cæli in quos aſcendit, & ad extremum vſque diem permanſurus eſt, abſunt à nobis in terra verſantibus: ſed tamen Spiritus ſancti vinculo cum eodem illo noſtro capite per fidem apprehenſo, ſicut & Verbum & ſacra ſymbola teſtantur, vnitos eſſe, & eiuſdem Chriſti Dei præſentiſſima virtute illuſtrari, regi ac conſeruari, tãtiſper dum & ipſi ſurſum cum eo in æternum regnemus. Hæc noſtra eſt de Chriſti præſentia, & noſtri cum eo coniunctione fides, de qua ſic Vigilius vbiquitatis oppugnator: *Quia diuerſa ſunt carnis & Verbi natura: caro quum in terris erat, non fuit in cælo: & nunc quia in cælo eſt, non eſt vtique in terra: quæ eſt fides & catholica confeſſio, quam Apoſtoli tradiderũt, Martyres roborauerunt, & fideles nunc quoque cuſtodiunt.*

Itaque quũ ſic rurſum Brentius argumentatur, *Vetuſtas ſenſit corpus & ſanguinẽ Chriſti verè in Cœna adeſſe ac diſtribui, Ergo ea in tot etiam myriadibus locorum in quibus celebratur Cœna Domini, ſimul vno eodémque tempore (nõ quidem craſſo, ſed cœleſti modo) adeſſe,*

ſe, ſenſerit neceſſe eſt, ſanè nihil dicit.

Primùm enim falſiſſimum eſſe dicimus quod vetuſtati tribuit, Chriſti videlicet humanam naturam nunc in terris, ſiue in Cœna, ſiue extra Cœnam verſari: quum è contrario omnes ad vnum, & in cælis eam eſſe, & quia in cælis eſt, terris abeſſe, diſertè & expreſſè confirment, quorum expreſſa teſtimonia plurima citauimus ſuprà pagina 545. Interea tamen in Domini Cœna totum Chriſtum præſentiſſimum eſſe noſtræ fidei, ac proinde ſpiritualiter per fidem ad animæ & corporis vitam æternam veriſſimè nobis communicari, quod ſymbola noſtris oculis annunciant, minimè dubitamus.

Deinde Brentianum illum cæleſtem modum quem Scriptura & docta vetuſtas (vt eruditè ſcribit D. Philippus Melanchthon) ignorat, totum Brentio relinquimus.

Præterea ſi omnipræſentiam ita velit Brentius ſtabilire, monemus vt priuſquam nobiſcum agat, non modò cum Papiſtarum ſcholis, ſed etiam cum iis ipſis tranſigat qui etiamſi cum ipſo in illis monoſyllabis faciant, tamen hanc omnipræſentiam non minus fortiter quàm verè & ſolidè oppugnant.

Quod autem à nobis Catechumenis vt benignus præceptor petit, vt ſaltem credamus quod Apoſtuli adhuc imbecilliores crediderunt, Chriſti videlicet corpus, quod ipſi certo loco ſecum videbant accumbere, inuiſibiliter tamen adeſſe & ſumentibus ſingulis diſpenſari, reſpondemus tunc nos credituros, quũ Apoſtolos corpus Chriſti Chimæram eſſe credidiſſe, nobis ex vllo vel ipſorum vel Patrum orthodoxorum teſtimonio probarit.

Chryſoſtomum certè, quem vnum maximè probat, non ignorat ſentire Chriſtum vel primum ex illo ſanctificato pane manducaſſe, ac poculo bibiſſe. Mirum igitur ni etiam Apoſtolos ipſos exiſtimat Brentius credidiſſe, Chriſtum à ſeipſo corporaliter & realiter comeſtum & hauſtum fuiſſe.

Venio ad illam Brentij regulam, *Rem tunc dici fieri interdum, quum incipit manifeſtius pateſieri*: quã arbitratur à Bullingero ſimpliciter fuiſſe reprehẽſam, ideóq; ex Lombardo repetit, qui rurſus illam ex Auguſtino deſumpſerit. Res autem ita ſe habet. Brentianum eſt dogma, *Humanitatem Chriſti iam tum quum in vtero Virginis Verbũ fieret caro: & homo aſſumeretur à Deo in eandem perſonã, & ornaretur omnibus donis Deitatis, fuiſſe in ſummam ſublimitatem exaltatam. Quæ enim eſt*, inquit, *maior exaltatio, quæ eſt excellentior ſublimitas, quàm quum homo aſſumitur à Deo in vnitatem perſonæ, & fit Deus ipſe?* Hæc verò quatenus probemus vel improbemus antequam expunam, dicam etiam quis æſtus Brẽtium in iſtum quoque ſcopulum impulerit. Defendit vnionem hypoſtaticam poſitam eſſe non in ἰδίας inhabitatione, ſed in eo quod Diuinitas omnes ſuas proprietates in hũmanitatẽ aſſumptã effuderit. Veritus itaque ne ſibi obiiceretur hoc verũ eſſe non poſſe, quũ caro Chriſti multis antè annis fuerit hypoſtaticè vnita cum Verbo æterno, quàm ab eodem plenè glorificata, confugere maluit modò ad huius regulæ, modò ad diſpenſationis latebras, quàm verum confiteri.

Hanc regulam igitur nos vt falſam non reprehendimus, ſed eius abuſum, in re præſertim tanti momenti, ferre non poſſumus: de quo etſi poſtea ſuo loco copioſius diſſeremus, tamen hoc nunc reſpondemus.

Si exaltationis nomine intelligit naturæ humanæ cum diuina hypoſtaticam vnionem hactenus conſentimus: ſed in huius vnionis explicatione planè diſſentimus. Apertè enim centies dixit, & illæ quoque Theſes hoc dicunt, *eam non in diuinitatis eſſentia, potẽtia, & præſentia, vtpote quæ ſic in Petro vt in Chriſto inhabitet, ſed in eo poſitã eſſe, quòd Filius Dei ſic impleat Filiũ Mariæ, vt communicet cum eo* OMNEM *ſuã potentiã, ſapientiã, ſcientiã, fœlicitatẽ, & præſentiam. Niſi enim*, inquit, *hæc ſit ſententia huius dicti, Et Verbum caro factum eſt, non habebis inter Chriſtum & alios homines diſcrimen.* Quum igitur dicit hominem aſſumptum eſſe à Deo in eandem perſonam, rectè & orthodoxè ſcribit, ſed ita vt vel fucum nobis faciat, vel à ſeipſo diſſentiat. Nam certè ſi hoc ita eſt, vt eſſe dicimus, in hoc ipſo quod eſt ei propriiſſimum ponẽdum erat diſcrimen Chriſti & cæterorum hominum, non autem in communicatione donorum, quæ quum ab eo promanent ſecundùm menſuram in ipſius membra, non poteſt hac ratione à reliquis hominibus ſimpliciter, ſed ſecundùm plus vel minus tantùm differre.

Itaque, vt hoc concludam, conueniat inter nos quum de glorificatione Chriſti diſſerimus, de ea gloria quæri quæ à Diuinitate eſt reipſa in carnem aſſumptam collata, ſiue de ipſius vnionis hypoſtaticæ effectis in carne, non autem de vnione ipſa. Quum

igitur carnis Christi in ſummam ſublimitatem euectionem in eo conſtituit Brentius q̃ aſſumpta ſit à Verbo in vnitatem perſonæ, etiam ſi rectè ab eo intelligeretur, tamē non ſatis appoſitè diceretur. Ratio eſt, quoniam eodē tamē momento diuinitas carnē Chriſti ijs ſummis donis non exornauit, quibus nunc eſt ad dextram Patris coronata: quod ipſe quidem negat, nos autem ſic probamus:

Chriſti humana natura ante reſurrectionē vel talis fuit in ſeſe re vera qualis nūc eſt noſtra, excepto peccato, vel non fuit. Non fuiſſe, vt arbitror, nunquam dicet. Fuit igitur: ac proinde illi regulæ nullus hîc relinquitur locus, quia manifeſtari glorificatio illa carnis Chriſti quomodo potuit quæ nondum erat? Nondum autem tunc extitiſſe quū adhuc eſſet infirmitate circundata, &, excepto peccato, noſtræ prorſus ſimilis, neceſſe eſt Brentius fateatur, niſi ſimul reipſa in ſeſe & infirmam & glorificatam fuiſſe contendat, imò etiam ſimul triduo & mortuam & glorificatam. quæ quidem ita ſunt abſurda vt ne refutatione quidem indigeant.

Dici ergo fateor fieri aliquid interdum, quum incipit manifeſtius fieri, at eorum reſpectu quibus fit manifeſtius, non autem rei ipſius cui nihil accedit nec decedit. Sic dicitur ſanctificari nomen Dei, quum ſanctum eſſe nobis innoteſcit: ſic quotidie precamur vt regnum Dei adueniat. & ſimilia multa exempla proferri poſſunt.

Atenim, inquit, *quæ poteſt maior eſſe ſublimitas quàm Deū fieri?* Nulla certè. ſed quū iſta deificatio ſit nō per mutationē, ſed per vnionē hypoſtaticā, homo iſte nec ꝑ ſe nec ſui ratione ſeorſim, ſed vnitatis perſonæ reſpectu Deus vocatur: nunc autem qualis in ſeſe fuerit antequā in cælū aſcenderet, & ad dextrā Patris collocaretur, à nobis quæritur. In eo verò Brentium cōtra Scripturas ac veritatē ſentire dicimus, q̃ hanc carnē ab ipſo cōceptionis momento, non tantùm à Deo aſſumptā in vnitatē perſonæ (quod fatemur) ſed etiam ad dextram Patris collocatā, id eſt, omnibus diuinitatis proprietatibus in eā effuſis ornatam fuiſſe docet: qua in re dupliciter ipſum rurſum reprehendimus.

Primùm enim affirmamus (quod & ſatis ſuperque probauimus) nunquā in eam effuſas fuiſſe aut effuſum iri oēs diuinitatis proprietates: quia ſic mutaretur homo in Deū.

Deinde quæ in eam effuſæ ſunt, paulatim & ſuis gradibus effuſas fuiſſe dicimus, donec tandem depoſita omni infirmitate ad dextram Patris in cæleſtibus ſederet. Itaque locum illum Lucæ, *Confortabatur Spiritu, proficiebat ætate & ſapiētia*, ſimpliciter & ita vt hoc poſitum eſt ab Euangeliſta intelligimus. Alioqui ſimul infirmum & glorioſum, paſſibile & impaſſibile, mortale & immortale, quid amplius? etiam ſimul viuum & mortuū fuiſſe hoc corpus Brentius oſtendat. Non latramus igitur, vt ſcribit in nos Brentius, nec grunnimus, nec enim canes vel porci ſumus, Dei gratia: neque Verbum Dei factū eſſe carnem negamus, vt falſiſſimè nobis impingit: ſed illud dogma execramur quod diſertè tradit Pag. 124. *Chriſti carnem* (nec enim ſecundum diuinitatem poteſt dici Chriſtus aſſumptus aut glorificatus) *in incarnatione verè à Deo in vnitatem perſonæ aſſumptā*, (quod concedimus) *ſimul ornatam fuiſſe omni forma & maieſtate Dei, quam tamen tempore exinanitionis non palàm, niſi quatenus ad teſtificandam doctrinæ veritatem ſatis erat, oſtentauit.* Nam ſi ita eſſet, quàm abſurda & quàm falſa conſequerentur? nempe formæ Dei appellatione non diuinam naturam, ſed carnis omnimaieſtatem quam Brentius imaginatur, intelligi: & formam Dei ac formam ſerui in vno & eodem ſubiecto, nēpe in Chriſti carne, eodem tempore fuiſſe, ac proinde ſimul & eodem tempore carnem hanc in præſepi quidem vagientem, lactentem, faſciis inuolutam, imbecillam, ne fari quidem nedum ratiocinari potentem, & reliquo vitæ tempore, algori, æſtui, fami, ſiti, ſomno obnoxiam: in cælis verò (id eſt, vt ipſe vult, vbique) glorioſam, omnipotentem, omniſapientem, omnipræſentem fuiſſe.

Ergo ſi Brentio credimus, idem corpus in cruce inter latrones crucifixum pependit, ac poſtea in ſepulchro mortuum iacuit, ſimúlque eodem tempore ad dextram Patris nō modò viuum, ſed etiam omni gloria, ſapientia, maieſtate, denique ne quid deſit, omnipræſentia glorioſum conſedit. Quod igitur erit inter exinanitionis & glorificationis tempus diſcrimen? nempe quòd Chriſti caro ad tempus id quod erat non demonſtrauerit, quemadmodū ſcilicet ne nunc quidem eam omnibus demonſtrat. Hæc enim eſt Brentij diſpenſatio, hæc illius regula, quam quiſquis in hoc argumento ponit, neceſſariò vel in abſurdiſſima illa & falſiſſima detruditur, vel in eorum caſtra tranſit qui ex vera Chriſti ſecundum carnem infirmitate, qua ſublata neceſſe eſt noſtræ ſalutis baſin euerti, ſpectrum & phantaſma faciunt.

Saltem verò Brētio in mentē veniſſet peruulgata illa vel *δυνάμεως & ἐνεργείας*, vel naturarum diſtinctio. Chriſtum enim vno eodémque momento ſecundùm diuerſas naturas, infirmun ſimul & glorioſum fuiſſe quis neget? Et quemadmodum pueruli non minus præditi ſunt anima rationis participe quàm adulti, etiam ſi reipſa nondum habeant ipſius rationis vſum: ita etiam Chriſti carnem ab ipſo conceptionis momento ex Diuinitate in ea *σωματικῶς* habitāte, plenitudinem eius glorię quæ poſtea ſeſe ſuis gradibus quod ad efficaciam attinet in eam inſinuauit, accepiſſe, minimè omnium negamus. Sed quorſum hæc ad illam omnipræſentiam, quam ſic vnius diuinæ naturæ propriam eſſe probauimus, vt carni tribui nec glorificandæ, nec glorificatæ, vllo modo poſſit?

Locus autem ille Ioannis, *Edidit Ieſus hoc initiū ſignorum, & manifeſtauit gloriam ſuam*, Ioann.2.11
& ſimiles alij, quorſum obſecro à Brentio citantur? Satis enim conſtat Chriſtum ne eā quidem gloriam qua pollebat in diebus infirmę carnis ſuæ, paſſim exeruiſſe. Sed iſtam glorificationem carnis iam tum reipſa extitiſſe carnis ipſius reſpectu quāta poſtea fuit & nunc eſt: & locum illum Pauli, *Oportuit Chriſtum pati, & ita introire in gloriā Patris*, idē declarare, ac ſi ſcripſiſſet Apoſtolus, Chriſtum oportuit gloriam ſuæ carnis qua nihilominus reipſa prædita erat, oculis ſpectantium per diſpenſationem abſcōdere, donec palàm eam declararet viſibili aſcenſionis ſymbolo, hoc, inquam, ſupererit Brētio probandum. Sed hoc commentum quis eorum feret qui verè infirmum, & noſtri ſimilem, excepto peccato, fuiſſe Chriſtum ſecundùm carnem, id eſt in ſua humana natura, fatētur, donec in cælos victor aſcendens, ad dextram Patris ſedere inciperet?

Teſtimonium autem illud, *Nondū erat Spiritus, quia Ieſus nondū erat glorificatus*, rectè quidem Brentius interpretatur de Spiritus ſancti donis, nōdum plena illa copia in Apoſtolos effuſis: ſed quod addit de carnis ipſius maieſtate, quam iam inde ab initio incarnationis habebat, nondum tamen tunc publicè vulgatam, id quoque non approbamus: quoniam ſi, vt facit Brentius, non ad diuinitatem ipſam vnitam, ſed ad eius dona in carnem collata id referas, conſequetur quod ſæpe iam dixi, vel ſimul infirmum & glorioſiſſimum in ſeſe fuiſſe Chriſti corpus: vel non aliter infirmum fuiſſe Chriſtum pro nobis, quàm flammeus viſus eſt quum in rubo per diſpenſationem appareret.

Sed & locum illum, *Glorifica me, Pater, ea gloria quā apud te habui*, &c. nō rectè explicat Brentius de gloria iam antea quidem humanitati ipſius in ſeſe cōmunicata, ſed nōdum manifeſtata. Neque enim peteret Chriſtus quod iam habebat.

Quod autē ex Cyrillo citat, agè etiā expendamus. *Poteſtatē*, inquit Cyrillus, *quā poſt reſurrectionē ſibi datā Chriſtus dicit, ante reſurrectionē quoq; habebat. Nā ſi nō habebat, quomodo repulit diabolū dicēs, Vade retro Satana?* Hæc verò de diuinæ ipſius naturæ poteſtate, nō autē (vt vult Brētius) de carnis aſſumptæ Omnigloria quæ nōdum tūc eſſet patefacta, à Cyrillo intelligi, docent hæc ipſius in illū ipſum locū verba: *Operibus ſuis probè cōſummatis, ad ſuā gloriā Chriſtus rediyt, quā tamē vt homo, quaſi nō habēs, petyt. Cuncta enim homo à Deo habet.* (id eſt, nihil homo à ſeipſo, ſed à Deo habet.) *Nam etſi vt Deus ex Deo gloria Patris expers nunquā fuit, homo tamē factus, ac inhonoratiſſimo hominis aſſumpto corpuſculo, tanquā verè nō habens, vt homo gloriā petyt. Hoc intelligit Paulus, dicēs, Hoc ſentite in vobis, fratres, &c.* Et mox, *Homo propter naturæ humilitatē exaltatione naturaliter īdiget. Gloriā igitur ſuā quā ſemp habet vt Deus, vt homo petyt. Nec quia gloriæ vnquā expers fuit, hac ab eo dicūtur (nūquā enim Dei Verbū ac Deus verus ſua dignitate caruit) ſed quia in gloriā qua ſibi ſemp adeſt vt Deo, propriū tēplum reducere volebat.* Hactenus Cyrillus: ex quibus patet de Verbo aſſumente intelligenda quæ ad aſſumptam carnem Brentius transfert.

Abſit tamen vt Chriſtum etiā ſecundum carnem inficiemur iam inde ab ipſo incarnationis momento natum eſſe cæli ac terræ Dominū, quatenus in eo vt Deo & homine Pater iam tum regnum ſuum exercere voluit, ſed ita vt ius quidē totum, rem ipſam autem totam non niſi poſt ſuum in cælos aſcenſum carnis quidem reſpectu obtinuerit: quemadmodum & nos ſic filij Dei ſumus noſtro modo, vt tamen nondum apparuerit quod ſumus, id eſt, reipſa nondum eius gloriam ſimus adepti.

Cæterùm quoniam Bullingerus illam Brentianam diſtinctionem de phyſico & de cæleſti modo reprehendens, reſpōdit verum corpus (quale eſt Chriſti etiam glorificati corpus) ſuum locum, & ſua membra, ſuámque ſubſtantiam retinere, & abſurdum commentum de corporis præſentia incorporea nulli vnquā antea in mentem veniſſe. Brentius ex aduerſo Satanicam virulentiam & Epicureum animum illi adſcribit. Cúrnam id verò? *quia* (inquit) *hæc ſunt Iſaiæ & Pauli, imò ſancti Spiritus oracula.* Sic enim colli-

git. *Si nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec cor hominis cogitauit maieſtatē qua nos homines in futura vita fruemur, quantò minus eā maieſtatē qua Filius hominis in vnitatē perſonæ Filij Dei aſſumptus, & ſuper omnia euectus, in ſuo regno ornatur?* Hæccine verò ſunt, Brenti, propter quæ tibi Epicurei ſumus? Dominus potius hæc cōuitia tibi cōdonet, & faxit vt quàm hæc abſurda ſint eo quidē ſenſu quo à te dicuntur, tādē intelligas. Putat nos igitur Brentius de Chriſto vel beatorum gloria, quā & ipſi ſperamus, nihil concipere niſi quod noſtra aure audiamus, oculo videamus, corde intelligamus. At nunc videat quātum fallatur. Nihil eiuſmodi ſperamus qualia ſunt illa quæ narrat, quia quantūuis rudes Catechumeni, didicimus tamen, Dei gratia, inter corpus animale & corpus ſpirituale, inter ignominiā & gloriā diſtinguere: ſed iſtam μετωσεολογίαν qua vera corpora nō exornantur, ſed ad nihilum planè rediguntur, infinitæ eſſentiæ ſubſtantiales proprietates cum creaturis cōmunicando, totam Brentio vltro relinquimus: & ꝙ ſancti Spiritus teſtimonia ad hæc deliria transfert, minimè omnium probamus.

Audiamus tamen quomodo hoc myſteriū inenarrabile nobis enarret. *Hoc myſterium,* inquit, *idcirco dicitur ineffabile, non ꝙ Deus ſit in homine Chriſto, (ſic enim conditio cuiuſuis hominis dicenda eſſet myſterium ineffabile, vt eſt certè miraculū non inter extrema ponendū) ſed quia Deus, qui eſt natura ſua infinitus, aſſumpſit hominē qui eſt natura ſua finitus, in eandem perſonā, & ornauit eam bonis infinitis, inter quæ & illud eſt ꝙ extulerit eum hominem in ſummam altitudinem, quæ nihil aliud eſt quàm omnipræſentia & omnium rerum gubernatio.*

Hæc ille, in quibus multa ſunt quæ etſi per ſe ſunt vera, tamen eo ſenſu quo ab ipſo proferuntur, nec poſſunt nec certè debent à nobis admitti. Hanc enim formulā, *Deū eſſe in Chriſto*, quam non repudiauit Apoſtolus vt hypoſtaticam vnionem declararet, non debuit ſimpliciter reiicere, ſed oſtendere aliter in Chriſto quàm in cæteris explicandā, & huius diſcriminis rationem adiicere.

Obſecro verò Brenti, cur potius cuiuſuis hominis quàm cuiuſuis rei conditionem dicis hoc modo fore myſterium ineffabile? & vnde didiciſti Deum eſſe in quibuſuis? Scio quid ſis dicturus de Dei natura quæ ſit vbique & omnia repleat: quis enim hæc ignorat? ſed Deum eſſe in diabolo, Deum eſſe in impiis, dura eſt loquutio, quam nuſquam inuenio: Omnes autem eſſe, moueri & viuere in Deo, lego.

Neque verò hæc attingerem, niſi ad rem pertinerent. Nam quum poſtea meminiſti
Pag.43 & 44 aſſumptionis in vnam perſonam, videris quidem dicere quod res eſt, ac diuinitatem Chriſti nobiſcum confiteri: ſed re vera in re maximi momenti fucum nobis facis. Quorſum enim alioqui diſcrimen inter Chriſtum & homines reliquos non in inhabitatione τοῦ λόγου, (quum, vt tu inquis, ὁ λόγος non minus ſua eſſentia, potētia, & præſentia habitet in Petro quàm in Chriſto) ſed in eo poneres, ꝙ Filius Dei, etſi ſua eſſentia implet Petrum ſicut Chriſtum hominem, non tamē communicat Petro omnes ſuas proprietates, ſed tantùm nonnullas? Quorſum etiam theſes illæ non aliam Dei in Chriſto quàm in creaturis reliquis, quod ad οὐσίαν attinet, diuinitatis præſentiam conſtituerent, eámque vt in creaturis, ἐνεργείᾳ diſcernerent?

Poſtremò ꝙ huius hominis celſitudinem in omnipræſentia & rerum omnium gubernatione collocas, etiamſi à te confuſè dicitur, tamen non improbaremus ſi Chriſti perſonæ ab altera natura denominatæ hoc tribueres: ſed quum vbique ſoleas concretum, vt loquuntur, pro abſtracto accipere, neque per hominem aliud quàm humanam naturam omnibus Dei proprietatibus, vt tu vis, deificatam intelligas, totum hoc commentum vt Neſtorianum quod ad eſſentias attinet, vt Eutychianum in proprietatum confuſione, toto corde deteſtari nos profitemur.

Pag.127, & deinceps Brentius magni illius & beatæ memoriæ viri P. Martyris, cuius libro ne per ſomnium quidem reſpondit, itémque D. Bullingeri de omnipotentia φλυαρίας, quas vocat, acutè refellēs, nos omnes quos appellat Cinglianos, Plinio & reliquis Epicureis annumerat, quoniā vt ille inter ea quæ Deo ſunt impoſſibilia recēſet mortales æternitate donare & reuocare defunctos, ita & nos negemus corpus Chriſti poſſe manere corpus & vbique eſſe. Apta ſanè cōparatio. *Illa ſunt*, inquit, *ex omnipotentia eius colligenda quæ verè ex voluntate & verbo eius colliguntur.* Cōcedimus, & ideo omnibus fidei articulis contra Philoſophorū placita libenter & totis animis aſſentimur. *Manifeſta autem eſt*, inquit, *voluntas Dei, & manifeſtū Dei verbum, ꝙ Filius hominis ſit aſſumptus à Filio Dei in vnitatem perſonæ* Hoc verò tantum abeſt vt negemus, quāuis alio dicendi genere libentius vtamur, vt etiam in hoc propriè hypoſtaticam vnionem ponamus.

Subiicit

ſubiicit poſtea, etiã illud patere, *q Chriſtus ſit vnà cum corpore ſuo euectus ſuper omnes cælos, & principatus, & ſuper omne nomẽ.* Nos verò ne hoc quidẽ negamus, quũ hæc ſit ſpes noſtra. Vbi igitur noſter Epicureiſmus? *nẽpe quia Chriſtus*, ſi Brẽtio credimus, *ſic etiã euectus eſt ſup omnẽ locũ, vt in maieſtate ſua nõ cõcludatur vllo circũſcripto loco, ac potius omnia cæleſti modo impleat & gubernet.* Quis verò noſtrûm circunſcripto loco Chriſtũ cõcludit? quis illum omnia gubernare vnquã inficiatus eſt? Imò quis fidelium illum nobiſcum ad cõſummationẽ vſq; ſeculi verſari nõ credit, & reipſa nũ ſentit? Sed quæ affirmamus ex Dei verbo, hæc ſunt: *Chriſti carnẽ omniũ diuinitatis proprietatũ nũquã fuiſſe, eſſe, vel fore capacẽ: Chriſti carnẽ nõ fuiſſe ſemper eius gloria in ſeſe reipſa cõpotem in qua nũc eſt & erit in ſecula: Chriſti carnem ne nunc quidẽ verã eſſe deſiiſſe, ac proinde ſicut quũ in terris erat, certo loco erat, ita nunc non alibi quàm in cælis eſſe, vbi illam per fidẽ quærimus & amplectimur, ſicut & Verbo & Sacramentis docemur, vbi etiã mãſura eſt donec ei occurramus, in æternum cum eo regnaturi.* Hæc, inquã, fides eſt, quam neque ex Plinio neque ex Epicuro didicimus: ideóque à petulante maledicentia Brentiana ad Filium Dei prouocamus.

Quæ ſubiicit aliquot paginis libens prætereo. Sed ad duo tantùm præterea reſpondeo, propter quæ omnimaieſtuoſum hoc dogma vt neceſſarium obtrudit. Vnum eſt aduerſus ſuos quos vocat, quibus perſuadere vult non poſſe ab ipſis defendi veram præſentiam corporis & ſanguinis Domini in Cœna alia ratione quàm magica Papiſtarum conſecratione, niſi fateantur iam antea quidem eſſe præſentia per illam Chriſti omnimaieſtatem, ſed eorum præſentiam annunciari verbis inſtitutionis Domini, vt in cibum & potum diſtribuantur. At illi quantopere ab ipſo diſſentiant non ignorat, nec illi duntaxat, ſed ipſi etiam Tranſſubſtantiatores. Sed tamen, vt dicã quod res eſt, videntur illi mihi ponere cõſequens ex antecedẽte prorſus infirmo, niſi Brentio aſſentiãtur. Quum autem hoc Brentianum dogma naturarum diſcrimen penitus tollat, ac proinde ſalutis noſtræ baſes euertat, ſpero fore vt & realis conſubſtantiationis & omnipræſentiæ iſtius falſiſſima dogmata tandem ab omnibus agnoſcantur, ac proinde certum ad veritatis cognitionem aditum, imprudens multis, ſine partium præiudicio veritatem quærentibus patefecerit. Certè ſi vera eſt Brentij doctrina, in alium quidem finem, at non aliter erit Chriſti corpus IN, vel SVB, vel CVM pane & vino quàm apud ipſos inferos. Hęc porrò verba ſi execratur ipſe, ego quoque abominor: ſed culpa ſit penes eum ex cuius dogmate iſta neceſſariò conſequuntur. Nos verò quod ad Chriſti corporis præſentiam attinet non alibi quàm ſurſum in cælis per fidem illud quærimus & inuenimus, ſicut & fideli Verbo ipſius inſtruimur, & Sacramentis veluti ſcalis prouehimur, noſtrámque iſtã cum eo *κοινωνίαν* veriſſimam ac ſolidiſſimam eſſe, tum reipſa per ipſius gratiã experimur, tum etiam ore confitemur.

Alterum igitur quod aduerſum nos attexit, quaſi corpus & ſanguinem Chriſti à Cœna excludamus, quum ſpirituali eíque veriſſimæ cõmunicationi, locorum interuallum minimè repugnare ex Dei verbo edocti affirmamus, vt falſam & vanam calumniã longiore refutatione non putamus indigere.

AD ALTERAM BRENTIANI libri partem, De aſcenſu Jeſu CRISTI.

IAM tandem ad explicationem aſcenſus Domini peruenimus, de qua tamen mirum eſt quæri poſſe, quum & maximè perſpicuo ſermone declarata ſit hæc hiſtoria, & pauciſſimis verbis hic articulus cõſter: ac de eius etiã interpretatione ante hæc tẽpora nunquã ſimiliter, quod ſciã, in Eccleſia fuerit dubitatũ. Dicimus ergo hęc verba, ASCENDIT IN CÆLVM, ita prorſus accipienda eſſe ſicut ſonant, vt verbum ASCENDERE ſignificet ex inferiore loco in ſuperiorem tranſire: Cælum autẽ non aerem, non iſtam ſtelliferam machinam, ſed ſublimiſſimam vltramundanam regionem extra huius mundi ſitum ac infirmitates ſitam, illam denique regionem declaret in qua manifeſtè Apoſtolus Chriſtum ſupra omnes cælos collocans, ſententiam hanc perpetuo Eccleſiæ conſenſu receptam manifeſtiſſimè confirmat. Quid autem Brentius?

Primùm omnium, ludit nobiſcum, tribuens nobis Sophiſtarũ de cælo empyreo inanes ſpeculationes. Deinde vbique PHYSICAM PROGRESSIONEM & CORPORALES MANSIONES, SESSIONES & DEAMBVLATIONES aſſiduè exagitat, nimirũ vt imperitis perſuadeat nos ex carnalibus quibuſdam ac terreſtribus cogitationibus, quas perpetuò nobis attribuit, de cæleſti gloria extra Dei verbum philoſophari. quibus calumniis ſic ſemel reſponſum eſto: nos ab iſtis hominum ſomniis totis animis abhorrere, ſed interea (quum ex Dei verbo ſurſum collocetur Chriſtus ſecundum carnẽ ſupra omnes cælos, in quos & verè ac viſibiliter aſcendit, ex quibus ipſi etiam Angeli venturum illum teſtantur: & vbi eſt caput, ibi etiam oporteat membra ipſius aggregari) nos in cælis extra mundum non phantaſticè, ſed diuino Verbo præeunte, beatorũ ſedẽ æternúmque domicilium conſtituere: de quo quiſquis dubitet, prorſus inſaniat. Itaque ſi PHYSICVM PROGRESSVM appellat Brentius, veri humani corporis finiti motum ex loco ad locũ, nos illum ſanè Chriſti corpori tribuendum non modò non inficiamur, ſed etiam ſi contrà ſentiremus, dignos eſſe nos cẽſeremus qui ad Marcionis & Eutychetis ſcholas relegaremur. Sin verò phyſicum illum progreſſum cum ea corporum infirmitate, ſeu, vt loquitur Paulus, ignominia conſiderat quam Chriſti caro cum gloria cæleſti (manente tamen cum omnibus eſſentialibus proprietatibus, veri corporis natura) commutauit, tum nobis iniuriam à Brentio nimiùm manifeſtam fieri dicimus. Et hoc ſaltem illi in mentem non veniſſe demiramur, Philoſophos videri non poſſe qui corpus humanum ſuo motu ſurſum vltra mundum ſua vi ſublatum credant, ac proinde naturali illo ſuo pondere ſpolient.

Sententiam hãc de veritate corporis Chriſti, ſeruata ipſius definita & circunſcripta natura, déque ipſius ſecundum carnem à nobis in cælos vero & locali diſceſſu, & ad extremum vſque diem abſentia, quæ tamen noſtram cum eo veriſſimam & efficaciſſimam coniunctionem nihil impediat, non vnus aliquis locus ex Scripturis, nõ vnum aliquod orthodoxorum omnium Patrum teſtimonium confirmat: ſed quæcunque de humana Chriſti natura, & iis quæ noſtri cauſa geſſit, & vltimo quem ſperamus aduentu, in Eccleſia Dei ſcripta ſunt, & ad hunc vſque diem credita, ex quibus paucula dũtaxat quædam excerpſit Brentius, quæ quomodo refutarit, expendamus.

Agnoſcit in Scriptura multam eſſe cælorum mentionem, & varia eorum genera, ſed negat ſe reperiſſe fictitium illud Cinglianorum, ſiue Mahumeticum, ſiue Talmudicum empyreum, quod ex Moſe perſpicuè confutauit. Nos verò & Mahumetem & Talmud quanto rectius inaniſſimis illis umnipræſentiis compararemus? Quod autem de beatorum ſedibus in vltramundana illa nobis incomprehenſibili luce credimus, ſi non patitur referri ad cælos cælorum (in quibus ſublimiſſimus ille Deus in Scripturis narratur habitare, propter conſpicuam illic in ipſius Sanctis æternam gloriam ac felicitatem, cuius ipſe author eſt ac princeps) credat ſaltem Baſilio, homilia Hexamerõn ſecunda, Ambroſio libro Hexamerõn 1, cap. 8, Auguſtino libro de Ciuit. Dei 22, cap. 4, & 21. quos maximè perſpicuos locos quum integros ipſi protulerit magnus ille P. Martyr, quis, obſecro, pudor eſt illa omnia non aliter præterire quàm ſi nihil vnquam eiuſmodi auditum eſſet, & nos interea Mahumetiſtas & Talmudiſtas vocare?

Dicit Chriſtus *ſe abire, vt paret nobis locum, & manſiones multas eſſe in Patris ſui domo:* quam verè pretioſam ſentẽtiam D. Bullingerus doctè & piè explicans, docuit extra hũc mundũ ſedes illas eſſe nobis in fide caput noſtrum proſequentibus præparatas. Brẽtius verò totum illud ABIRE prætermittẽs, (quod certè non cadit in eum qui ſit omnipræſens, niſi pro DISPARERE accipiatur) vrget manſiones illas non eſſe corporales: quo nomine ſi tales eſſe non intelligit quales iſtæ ſunt in quibus verſamur dum caducam & calamitoſam iſtam vitam tranſigimus, à nobis certè non diſſentit: ſin autem omnipræſentiales intelligit, petimus vt ſuum reſponſum probet, ac ſaltẽ inſpicere dignetur quid Neophytus ille ſcilicet Auguſtinus de hoc argumento ex profeſſo diſſerat, libro de Ciuitate Dei 22, cap. 4, vbi diſertè docet corpora licet terrena, ſedibus quanuis cæleſtibus, tamen corporeis, ſublimari: & eiuſdẽ libri cap. 21. vbi inter cætera hæc etiam ſcribit: *Cur ergo nolunt vt credamus naturam corporum terrenorum aliquando incorruptibilẽ factã* (nõ dicit cũ Brentio incircunſcriptibilẽ) *cœlo conuenientẽ futurã, ſicut nunc ignis corruptibilis his cõpetit terris?* Sed requireret Brentius ab Auguſtino Scripturæ locũ. *Merces veſtra,* inquit Dominus, *copioſa eſt in cœlis.* Sed cæli ſunt vbique, dicet. Imò verò nõ dico ex Scripturis, ſed vel ex quocunque ſcriptore non vano ſuum hoc commentum probet, & nos

interea patiatur in re minimè omnium dubia pluſculum omnibus qui vnquam vſquā vixerunt orthodoxis Patribus quàm ipſi tribuere.

Affert autem aliam quoque interpretationem huius loci valde egregiam: *Vado vobis paraturus locū .i. vado ad paſſionē, vt parem vobis æternam fœlicitatem apud Patrē. Vbi ſunt igitur Apoſtoli & omnes credentes? Reſpōdet ipſe Philippo, An neſcis quod ego in Patre ſum, & Pater in me? Eſt ergo Chriſtus in Patre, & quū credentes eò deducat, vbi ipſe eſt, ſequitur, quòd faciat vt & ipſi ſint in Patre .i. vt habeant Patrē propitiū, & fruātur vnà cū eo paterna ſua & cœleſti hæreditate.* Obſecro verò, an ſeriò hæc Brētius ſcripſit? *Ego*, inquit Chriſtus, *ſum in Patre, & Pater in me.* Atqui nemo eò vadit vbi iā eſt. Ergo hæc duo neceſſe eſt vt diuerſis modis explicet. Nā illud quidē huc ſpectat, vt in vno Chriſto ſciamus Patrē nobis eſſe quærendū, vt in viua & inuiſibili ipſius imagine, ſicut etiā proximo dicto declaratur, *Verba quæ ego loquor vobis*, &c. Quū autē teſtatur ſe ad Patrē ire, quis illum non videt de ſua ex hoc mundo ſecundùm carnē diſceſſione loqui? Neq; enim aliò totus ille ſermo ſpectat. Quorſum ergo iſta tā diuerſa à Brētio cōparantur? Deinde, ſi *eſſe in Patre*, ſignificat *Patrē habere propitiū*, quæ tandem erit hęc ſententia, *Pater habet me propitiū, & ego eum viciſſim, vt & ego illo, & ille me fruatur?* Sed me quidem iſtorum pudet.

Exagitat poſtea Brentius quòd ſedem illam cœleſtem ſimul & corpoream & ſpiritualem faciamus, neque admittit quod eſt reſponſum, ideo corpoream dici, vt certus locus eſſe ſignificetur: ſpiritualem verò, vt omnis huius mundi imbecillitas, ſaluis tamen manentibus corporalis naturę proprietatibus, tollatur: Atqui ne ipſe quidem corpus Chriſti verum corpus eſſe negat, quod tamen vult omnibus Diuinitatis proprietatibus eſſe exornatum, & corporū ſpiritualiū diſertè meminit Apoſtolus. Non pugnant igitur hoc ſenſu, vel ipſo iudice, corporeū ſimul eſſe aliquid & ſpirituale. Sunt autem hæc non noſtra, ſed Auguſtini verba, iis quæ citauimus locis. & vbicunque corpus eſt, ibi etiā locū eſſe, ac proinde corporeum dici quod & locale eſt, vel illud Cyrilli dictum toties citatū probat, ipſam Trinitatem, ſi eſſet partibilis & corpus, fore in loco. *Atenim*, inquit, *globus vniuerſi orbis quum ſit corpus, iuxta ſuperiorem ſuperficiem nullo eſt in loco.* Ergo iam, vt video, Brentius cum Cinglianis cœpit philoſophari. Sed qui fit vt quæ hic quoq; à doctiſſimo P. Martyre reſponſa ſunt, prorſus diſſimulet?

Profert Brentius hanc regulam, *Quum ſermo eſt de rebus ſpiritualibus & cæleſtibus, hæc vocabula* SVPRA & INFRA *vſurpantur quidem ex humana conſuetudine: non autē definiuntur locis, ſed dignitate, indignitate, maieſtate*, &c. Hanc porrò regulam nō admittit D. Bullingerus, ac meritò quidē, vt eſt indefinitè enūtiata. Etſi enim interdū ſummū & infimū, cæleſte & terrenū, non de ſitu, ſed de rerū qualitate dicitur, nō tamē hinc cōſequitur, corporis Chriſti glorificati, cui noſtra quoque tandē fient cōformia, nullū eſſe ſitū, nullā dextrā, nullā ſiniſtrā, nullā ſuperiorē vel inferiorē partē. Alioqui quod teſtificatur Chriſtus de ouibus ad ſuam dextram, & hœdis ad ſiniſtram collocādis, allegoricum ſiue diſpenſatorium, ſiue phantaſticū erit: vel ſua maieſtate ſcilicet ſpoliabitur Chriſti corpus, eo ipſo die quo tamen venturus cum gloria ſua expreſſè narratur. Nec tamen quū hæc dicimus, mundanam infirmitatem in illa nobis inexplicabili gloria imaginamur, vt calumniatur Brentius: ſed hoc tantùm volumus, naturam definitam & circunſcriptam, ac proinde ſitum naturalem, cæleſti glorificatione non tolli, ſed perfici.

Atenim, inquit ille, *ex Auguſtino regulā illā deſcripſi*. Scilicet. Audiamus tamen locū. Tractās Auguſtinus libro 83 quæſtionū, quæſt. 29. ſententiā illā Pauli, Coloſſ. 3. a. 1, Quę ſurſum ſunt, quærite, non quæ ſuper terrā: *Iubemur*, inquit, *ſapere quæ ſurſum ſunt, ſpiritualia videlicet, quæ non locis & partibus huius mundi ſurſum eſſe intelligēda ſunt, ſed meritò excellentia ſua, ne in eius mundi partibus figamus animum noſtrū, quo vniuerſo nos debemus exuere. Surſum enim aut deorſum in huius mundi partibus eſt. Nam vniuerſus nec ipſe habet ſurſum aut deorſum.* Hæc ille: ex quib⁹ quis tandē non mirabitur Brentiū ſuā illā regulā fabricare potuiſſe? Sententia enim Auguſtini hæc eſt, & quidem veriſſima: Quū iubet Apoſtolus vt quæ ſurſum, non autē quæ in terris ſunt, ſapiamus: non eſſe iſta de hoc mūdo accipienda, qui in locos & partes diuidatur, quarum aliæ, nempe ſupernæ vt nubes, luna, ſol & neſcio quid eiuſmodi, ſint ſectandæ: aliæ verò infernæ & nos circunſtantes, ſint fugiendæ. Et additur ratio, quia non parte aliqua mundi, ſed vniuerſo ſeu toto mūdo nos iubemur exuere: Mundus autem non per partes, ſed vniuerſaliter conſideratus, nec ſupernum nec infernum quicquam habeat. Inde verò efficitur, iſtis verbis, QVAE

SVRSVM SVNT,non ſitum huius mundi,ſed excellentiam rerum iſtarum ſignificari: contrà verò appellari terrenum quicquid eſt caducum & corruptibile, vt erat ciborum delectus,& quicquid eiuſmodi nugabantur pſeudoapoſtoli, aduerſus quos paulò antè diſſeruit Apoſtolus.

Quæ porrò ſubiicit Auguſtinus,vt probet corpori vniuerſaliter conſiderato nihil eſſe ſupernum aut infernum,quum ex phyſicis petita ſint, non video cur Brentius protulerit,cui ſolenne eſt phyſicas contemplationes nobis obiicere.Itaq; ad rem redeo, & hoc concludo,non magis hæc ad rhombum pertinere, quàm ſi concluderem Chriſtum natum non eſſe in Bethlehem,quia Bethlehem non ſit in Hieruſalem.

Auguſtinũ porrò glorificati Chriſti corpus in certo cæli loco collocare,propter veri corporis modum,& quoniam in cælis ſit,in terris eſſe apertè negare, ne ipſe quidem Brentius inficiari poſſit.

Addam autem etiam aliquid ad illum Auguſtini locum. Cur enim præſtantiſſima illa potius ſurſum eſſe dixit Apoſtolus quàm deorſum? & cur Chriſtum ad Dei dextram ſurſum, non autem in terris deorſum collocat? nempe vt quanuis iſta ſublimitas vel depreſſio de qua hîc agitur,non ſit ex ſitu,ſed ex qualitate rerum æſtimãda, tamen ſic intelligamus ſupra mundum eſſe Chriſtum caput noſtrum, & eam gloriam in qua nunc ipſe eſt,& nos quoque tandem colligemur,vt non ſit in terris, nec in ipſo mundi ambitu.Itaque longè aliud eſt Chriſtum ſurſum in cælo, quàm omnipræſentem, ſiue vbique in mundo & extra mundum eſſe. Nam ſi ita eſſet, certè inter ſe non opponerentur, ſed potius inter ſe optimè conſentirent,In cælo,& Vbique eſſe.

Quid autem Auguſtinus ad Dardanum,de hoc ipſo ſcribens? *Vbique*,inquit *Chriſtus eſt,per id quod Deus eſt:in cælo autem,per id quod homo.* En,cur Cinglianis Brentius propter iſtam decantatiſſimam regulam non admiſſam,manifeſtum mendacium,impudẽtiam,temeritatem,inſcitiam,faſtum,inſaniam, proiectam & execrabilem inſolentiam tribuat: ad quæ conuitia hoc vnum reſpondemus, Maledicebant, tu autem, Domine, benedicebas.

Quid plura? vt probet Brentius ſuam illam regulam ex ipſa Scriptura depromptam fuiſſe,citat illa teſtimonia in quibus dicitur Deus è cælo deſcendiſſe,veluti vt turrim inſpiceret,vt in Sodomitas inquireret,vt Legem in Sina promulgaret. Quis verò neſcit iſta partim per ἀνθρωποπάθειαν, partim ob extraordinariæ præſentię teſtimoniũ Diuinitati attribui? Atqui,de vero Chriſti corpore humano quæſtio erat inſtituta,cuius corporis naturam quanuis glorificatam,tamen circunſcriptam eſſe quia corpus eſt, affirmamus:ac proinde certo cæli loco (vt loquitur Auguſtinus)contineri,propter veri corporis modum. An non hoc eſt igitur vel extra oleas prorſus euagari,vel humanitatem & diuinitatem cum Eutychete confundere?

Conſumit poſtea Brentius aliquot paginas prolato D. Lutheri aduerſum nos teſtimonio,quod eſt in ſumma eiuſmodi. Vſi ſunt aliqui ex noſtris illa Pauli ſententia, *Superna curate,non terreſtria*,aduerſus illam realem carnis mãducationem, quæ, ſi quibuſdam credimus,non tantùm fide ſpiritualiter,ſed etiam ore corporaliter fiat. Ad hæc D. Lutherus ſuo more ἐντραγῳδίζων, reſpondet Paulum *terrena* vocare, terrenam & veterem vitam,quam hic mundus in variis cupiditatibus tranſigere ſolet. At ego dico quod etiam res ipſa clamat, Apoſtolum his verbis de externis illis cultibus ſuperſtitioſis agere quos ſuperiore capite damnarat,quam tractationem ex illatiua particula οὖν ſic cõcludi apparet. Inde verò poſtea ad mortificationem carnalium cupiditatum delabitur, vt veræ pietatis ſtudium longè alia in re quàm in cibo & potu poſitum eſſe intelligamus. Alioqui quum poſtea ſubiicit, *Mortificate igitur*,&c. quàm ineptè Apoſtolus ex eodem idem colligeret? Aſſentimur ergo terrena vocari quæ ad vitam præſentẽ ſpectant, ideóque corpus & ſanguinem Domini nec ore corporis, nec ad præſentis vitæ ſuſtentationem,ſed fide ſpiritualiter ad æternam vitam ſumi affirmamus.

Profert prætereà Brẽtius locum illum, *Qui è ſupernis venit,ſupra omnes eſt. Num enim,* inquit, *deſcendit localiter è cælo?* Item illum, *Vos ab infernis eſtis. Num autem*,ait, *Iudæi antea localiter fuerunt in centro terræ,ac nõ potius hoc quidem de cæleſti maieſtate, iſtud autem de terrena abiectione intelligitur?* Itaq; prius illud quũ ad diuinã eſſentiã pertineat, quorſum corporeæ naturæ applicatur? nec verò Brentius ignorat quàm fortiter contendat Cyrillus,vocabulo ἄνωθεν cælum eo loco non ſignificari,ſed Patrem, quem ſatis conſtat

non

non ſitus alicuius localis, ſed excellentiæ ratione ſupremum nuncupari. At nos de corpore humano quanuis glorificato & ſpirituali facto quærimus. Rurſum ergo aberrat à ſcopo. Iſtud autem poſterius quorſum tandem ad cẽtrum terræ refert? an vt ludat in re maximè ſeria? Nos autem non dubitamus quin ſic illo verbo terrena abiectio declaretur, vt ſimul eius abiectionis fons & origo declaretur, nimirum quod ex terra conditi, nihil niſi huic naturæ cognatum ex nobis ſpiremus. Sed quorſum hoc ad Brentianam illocalitatem?

Illa verò quis non putet eum ridẽtem citaſſe, *Diſsipata ſunt oſſa noſtra ſecus infernum:* &, *De profundis clamaui ad te Domine,* vt Inferni quoque nomine non certum aliquem locum, ſed miſerabilẽ damnatorum ſtatum ſignificari probet? Illic enim Hebræo nomine שאול ſepulchrum, hic verò vocabulo מעמקים quamuis profunditatem propriè, metaphoricè verò ſummum mœrorem ſignificari quis ignorat? Ludit ergo nobiſcũ, opinor, puerili planè homonymia: nec ſanè tamen regulam illam ſuam, ad probandam cælorum & corporum beatorum vtopiam, ſiue mauis illocalitatem, vllis argumentis confirmat.

Et hactenus quidem Brentius contentus velitari, propius tandem incipit cõfligere, arrepta ex quodam noſtrorum argumento occaſione. Quæſitũ enim eſt ex illo, *Si CÆLVM non declarat certam in excelſis regionẽ, ſed omnipræſentiã & omnimaieſtatẽ Dei, quid opus fuerit Domino aſcenſione in cælum?* Ego verò nunc aliquid etiã adiicio, nempe, *Si illa omnipræſentiali omnimaieſtate iã erat ab incarnationis momẽto ornata Chriſti caro, nõ modò quid opus fuerit iſta aſcenſione, ſed etiã qui verè eò aſcenderit vbi iã erat?* Petit ipſe viciſſim, *Quorſum opus fuerit Dei deſcenſu è cælo Babylonẽ, vt turrim videret, & vt clamorẽ Sodomitarũ audiret:* quaſi ſcilicet illic Diuinitas verè in ſeſe, ac non potius Angelorũ aut alicuius ad tẽpus acceptæ formæ reſpectu deſcẽdiſſe dicatur. Rectè enim quidã ex veteribus ſcripſit hæc veluti quædã rudimẽta & præludia fuiſſe Chriſti tandẽ in carnẽ vẽturi.

Deinde hoc certè non eſt nodũ expedire. Nõ eſt tamen difficile videre quid ſibi velit, quod etiã apertius indicat prolato illo Ioannis teſtimonio, *Quid ſi videritis Filiũ hominis aſcendentẽ eò vbi erat prius?* Credit enim Brentius cũ ſuis, naturã humanã Chriſti à momento vnionis cũ Verbo ſic fuiſſe omnib⁹ Deitatis dotibus.i. (liceat enim mihi vno verbo omnia illa verborũ portenta conari exprimere) OMNITATE Dei exornatã (qua vna etiã in re diſcrimen inter Chriſtũ & omnes creaturas ponunt) vt inter illã & Deitatẽ hoc vnum iam tum interfuerit, q illa per accidens haberet quicquid iſta ex ſe habet. Hinc fit vt Chriſti carnẽ velint eodẽ tempore verè in cælo & vbiq; fuiſſe, quũ & in præſepi in Ægypto, in Iudæa, in cruce, in ſepulchro ſimul eſſet: & hoc illud eſt quod vocãt formã Dei. Quòd ſi roges quinã iſta conueniant cũ naturæ humanæ veritate, conceptu, ortu, vita, morte, ſepultura, totáq; ipſius vera infirmitate, ibi in ſua latibula refugiũt. Volunt enim formã Dei. i. carnis omnigloriã, fuiſſe forma ſerui ad tẽpus diſpoſitione quadam obtectam, ac proinde illa omnia quæ Chriſtus noſtri cauſa ſubiit, perinde eſſe ac quum legimus Deum ad Patres deſcendiſſe, & Angelos ab Abrahamo exceptos, comediſſe ac bibiſſe. Quid ergo de Domini aſcenſione ſtatuunt? fuiſſe externum ſpectaculũ, (neque enim adhuc audent viſionem dicere) non ideo exhibitum vt caro Chriſti in excelſiſſimos cælos attolleretur (*ſunt enim,* inquiunt, *hæc omnia carnales Cinglianorum ſpeculationes. & quomodo iſta de ea carne dicerentur quæ iam ad dextram Patris ſedebat?*) ſed vt iſto ſpectaculo viſibili carnis Chriſti ſublatæ in altum, admonerentur diſcipuli, Chriſtum non amplius, vt antea, phyſico illo œconomiæ ſeu diſpoſitionis modo, ſed inuiſibili, omnipræſentiali, ac planè diuino, totum mundum carne ſua implere ac gubernare. Quid autem ſignificabunt cæli? ſummam illam omnigloriam & omnipræſentiam, quos cælos Chriſti corpus ſecum circunferat. Et quid eſt, quæſo, non ornare, ſed exinanite corporis Chriſti veritatem, cælum & terram & inferos permiſcere, totam deniq; Chriſtianam religionem portentoſiſſimis commentis adulterare, ſi hoc non eſt? Sed ad rem redeo.

Quum Deum vel Angelos legimus ſpecie viſibili deſcendiſſe: ibi neceſſe eſt vt *οἰκονομικῶς* (ſicut veteres Græci Theologi primi loquuti ſunt) id eſt, extraordinariam aliquam diſpoſitionem à peculiari virtute omnipotentis Dei effectam concipiamus, ſiue illa tantùm fuerit intellectualis, vt in multis viſionibus accidit, ſiue etiam vera corporea forma externis ſenſibus fuerit obiecta, vt in Sodomorum hiſtoria, vt in rubo, in monte Sinai, & alibi ſæpe contigit.

Hinc etiam factum vt incarnatio Domini ſit ac dicatur œconomica, ſed peculiari ra-

tione duplici:primùm quoniam verè maximum & admirabiliſſimũ Dei opus eſt, quòd Vę.bum æternum ſit factum caro,id eſt, carnem ex Virgine aſſnmptam ſibi propriam effecerit,quod aliâs nunquam fecit, quocunque corpore naturali ſeſe ſpectandum hominibus propoſuerit. Deinde quòd illas veras quidem ac viſibiles,ſed tamen mox dilapſuras formas,ſibi prout libuit aptauerit: hoc autem vnum corpus in quo in æternum regnaret,ſemel aſſumpſerit. Et hæc quidem eſt Diuinitatis *οἰκονομία*, quæ, quàm rectè à Brentio explicetur, ſuo loco conſiderabimus.

Huic autem altera ex parte,ſed contraria prorſus ratione, reſpondet rerum creatarum œconomia. Sicut enim Diuinitas in illa,de qua diximus œconomia quodammodo imminui videtur,vt loquitur etiam Dauid Pſalmo 8. quoniam velut ex ſua maieſtate deſcendere tanto magis videtur quantò propius ad noſtros ſenſus accedit, vnde etiam factum vt hoc œconomiæ genus *συγκατάβασιν* Græci appellent:ita è cõtrario res creatæ in gradum ordinaria ſua conditione ſuperiorem tantò magis attolluntur,quãtò propius diuinæ gloriæ radiis,extraordinaria illa diſpoſitione,illuſtrantur.

Eſt autem hæc quoque œconomia duplex: vna temporaria,vt Chriſti corporis transfiguratio,eiuſdem ieiunium,aquarum ſub Chriſti & Petri pedibus conſolidatio, vel põderis eorundẽ corporum ſuſpenſio:altera perpetua,vt corporis Chriſti glorificatio, cuius initium fuit eius conceptio,cõplementum verò eiuſdem poſt aſcenſionem in cælos ad Patris dextram conſeſſus, vnde & noſtra gloria ſuo tempore conſequetur.

Iam verò quoniam res creatæ in meliorem illam conditionem perpetuam tranſlatæ, interdum tamen ad tempus in hominum gratiam ad vulgarem illum ſtatum inferiorẽ reuocan:nr,idcirco altera quædam ſpecies œconomiæ in rebus creatis conſtituitur,quę & ipſa illas reddit abiectiores non quidem quàm initiò conditæ, ſed quàm poſtea effectæ fuerint. Vt exempli cauſa,corpus Chriſti à reſurrectione maxima iam ex parte factũ ſpiritualium proprietatum particeps, tamen cum diſcipulis edit & comedit, nulla certè neceſſitate,adeò vt quemadmodum ante reſurrectionem,ieiunium quadraginta dierum fuit œconomicum,in corpore adhuc noſtro ſimili:ita è contrario poſt reſurrectionem Chriſtus ſecundùm carnem nonniſi *οἰκονομικῶς* edere & bibere cum diſcipulis potuerit. Et hæ quidem ſunt *οἰκονομιῶν* ſpecies,paſſim apud Græcos & Latinos Theologos occurrentes,quas quum Latini quidam initiò ſatis durè non Diſpoſitiones, vt potius debuerant,ſed Diſpenſationes vocaſſent, quoniam œconomum Diſpenſatorem dicebant,vocabulum hoc plurimos,ac etiam in iis Brenȷium,turpiter fefellit,perinde ac ſi idem eſſet in his rebus diſpẽſatio,atque in Canonicis illis pœnis indulgẽtia ſiue relaxatio,quam declarationem prorſus falſam atque adeò ridiculam eſſe, Græcum vocabulum manifeſtè teſtatur.

Et hæc quidem ſemel de his dicta volui,vt aditum nobis ad ea quæ ſequuntur patefacerent. Rogatus eſt igitur Brentius quid neceſſe fuerit Chriſtum aſcendere in cælũ, ſi cælum,vt ipſe vult,eſt omnipotentia & omnimaieſtas quæ vbique eſt. Nam certè quod iam habet aliquis apud ſe, nemo alibi quærat. Quærit ipſe viciſſim, ***quid opus fuerit deſcenſu Dei ad Sodomitas***:perinde acſi diceret noſtræ confirmationis, non autẽ acquirendæ nouæ gloriæ cauſa Chriſtum aſcendiſſe in cælum. Vult enim aſcenſionem in altum fuiſſe ſpectaculum externum per diſpenſationem, ſicut & apparitiones reliquas à reſurrectione: ex quo nimirum intelligeretur Chriſtum ipſum deinceps agere cæleſtẽ vitam,id eſt Phyſicæ præſentiæ tum finem impoſuiſſe,vt tãtùm cæleſti modo omnipręſens omnia gubernet. Sed obſecro ad quam tãdem œconomiæ rationẽ hoc referemus? Corpus enim viſibile & mobile tranſire de loco in locum, certè eſt ordinariæ conditionis. ***Atenim***(dicet Brentius)***grauia Phyſicè tendunt deorſum***. Sit igitur hoc vnum œconomicum in hac aſcenſione,& quidẽ eo genere œconomiæ quã perpetuã vocauimus (nimirum propter glorificati corporis agilitatem)quòd ſurſum ſine vllo adminiculo ſit eleuatum. Imò pluſculum etiã non inuitus largior, *συγκαταβάτως* fuiſſe ꝙ ſuæ gloriæ luce quam à reſurrectione videtur obtinuiſſe,ſpectantium oculos non perſtrinxerit.

Sed vbi tandẽ inueniet Brentius eam œconomiæ ſpeciẽ quæ corpori humano circũſcriptionẽ ſic adimat,vt illi non iam naturale,ſed œconomicũ ſit in recto motu à loco in locum tranſire? Hoc igitur probet nõ dico ex Phyſicis rationibus, ex quibus nos ſapere falſò putat,ſed ex Scripturis vel orthodoxo vllo Patre,& veritati vltrò obtẽperabimus. Illa enim ſubterfugia, ***Homo & Deus ſunt vna perſona***,&, ***Diuinitas effudit in carnẽ aſſũptã omnes ſuas proprietates***, ſic refutauimus, vt illud quidem veriſſimum eſſe faſſi ſimus,

nihil

nihil autem pro ipſo facere oſtenderimus: hoc verò planè Eutychianum eſſe demonſtrauerimus. Scriptura porrò de vero Chriſti corpore planis & perſpicuis vocabulis, *Abeundi* & *Aſcendendi*, ſemper vtens: & illud etiam diſertè exprimens, *Me non ſemper habebitis vobiſcum*, quid tandem ambiguitatis amplius relinquit?

Atenim, dicet Brentius, *idem teſtatur ſe nobiſcum eſſe ad conſummationem vſque ſeculi*, Nempe ſecundùm id quod Deus eſt, reſpondent Auguſtinus, Theodoritus, Vigilius, Cyrillus, & veteres omnes: at non ſecundùm quod ex Virgine natus eſt.

Ergo, inquit Brentius, *Chriſtum diſcerpitis*. Imò naturas diſtinctè conſideramus, quas confundit cum Eutychete Brentius, quum vni humanæ naturæ duos attribuit præſentiæ modos, vnum Maieſtatis, quem caro habeat per accidens: alterum viſibilis & localis præſentiæ, quem œconomiæ tribuit.

At ego nunc ex ipſo quæro, quem tandem corpori Chriſti naturalem ac proprium præſentiæ modum tribuat. Nam ſi neuter eſt iſtorum, ergo nulla ſua & propria, ſed tantùm aduentitia præſentia iam tum præſens fuerit diſcipulis Chriſti caro: quod quàm ſit abſurdum quis non videt? Sin autem ex duobus illis modis priorem, nempe omnipræſentialem, illi facit naturalem, ſiue proprium, qui tamen ei per accidens obtigerit, quomodo ſe Eutychianum negabit? ſin verò poſteriorem, quomodo per œconomiam factum dicet quod eſt ex communi corporeæ naturæ conditione?

Concludamus ergo noſtri quidem cauſa Dominum & conceptum & natum fuiſſe, & quicquid in carne egit egiſſe, ac proinde noſtri cauſa in cælum aſcendiſſe: ſed verè & ſimpliciter, vt verba ſonant, nempe vt ſicut primitiæ reſurgentium factus erat, ſic etiam primus gloria & honore coronatus (quod tum demum reipſa cōpletum eſt in eius carne quum eam in cælum à nobis abſtulit, iuxta illud Pauli, *Oportuit Chriſtum pati & ita introire in gloriam Patris*) nos tandem etiam ad ſe aſſumat: quando videlicet & ipſi agiliſſimis, clariſſimis & glorioſiſſimis corporibus ei venienti occurremus, ipſius cohæredes verè & reipſa futuri.

Itaque ex duabus cauſis aſcenſus quas Brentius refert, vnam falſam eſſe dicimus, eā videlicet quæ verum aſcenſum Domini transformat, quo à nobis diſcedens, non tantùm in altum ſeu in nubes, vt vult Brentius, ſed in ipſos cælos penetrauit, vt Epiſtola ad Hebræos declarat quibus etiam oportet eum capi, inquit Petrus, donec ſicut in cælum ire ſpectatus eſt, ſic è cælis, cum gloria tamē ſua & Angelorum myriadibus, veniat, ſicut Angeli ipſi nos ſimplicibus, claris & perſpicuis verbis docuerunt. Alteram verò cauſam quis tandem admittet? *quoniam*, inquit, *ita ſcriptum erat, ac proinde ſic oportuit fieri*. Atqui, vt quodam loco Auguſtinus docet, etſi oportet Scripturas impleri, non fiunt tamen res quia prædictum eſt eas futuras, ſed ideo prædictæ ſunt quoniam erant futuræ. Cur autem futuræ? nempe ex Dei decreto. Sic igitur potius ſcribere debuit Brentius, aſcendiſſe quidem Dominum, vt implerentur quæ ſcripta erant de ipſo: ſed ideo quia ſic à Deo decretum erat. Neque verò nos hæc negamus, ſed hoc dicimus, rem inanem (cuiuſmodi erit aſcenſio in cælum, ſi ex Brentii ſententia Cælum pro ſtatu beatitatis accipiamus, In quem iam antea eſſet caro Chriſti per ipſam incarnationem euecta) à Deo decerni nūquam potuiſſe: ac proinde falſam eſſe ipſius interpretationem, ab abſurdo, quod aiunt, probamus. Sed age ſuas de cælo omnipræſentiali phantaſias audiamus quibus argumentis confirmet.

Fatetur Brentius Chriſtum verè aſcendiſſe de loco in locum externo ſpectaculo per Diſpoſitionem vſque ad nubes, ſed hîc figit ſuæ diſpenſationis, quam vocat, terminos, rurſum nobis phyſicam progreſſionem & empyrei cæli figmenta tribuens, in quibus tamē pluſculum etiam Scholaſticis ſcriptoribus quàm Epicureis Cinglianis pro ſuā modeſtia tribuit: quibus calumniis antea reſpondimus. Quoniā autē Scriptura non tantùm dicit Chriſtum ἐπαρθῆναι & ἀναληφθῆναι, ſed etiam addit εἰς τὸν οὐρανόν, ideo quaſi durius ſit progreſſionem phyſicam (id eſt, quantumuis glorificato, tamē vero & circunſcripto corpori conuenientem motum ex loco in locum vſque ad cælum) quàm vſque ad nubes, Chriſti carni tribuere, Cæli nomine fortiſſimè negat locum aliquem ſignificari, ſed omnem potius felicitatem & beatitudinem, cæleſte regnum, ſeu ſummam maieſtatem, vt loquitur pag. 166, ſiue ſummum gaudium & ſummam lætitiam, & ſiquid aliud huius excellentiæ dici poteſt. Quòd ſi quis hæc quidem cæleſtia eſſe dicat, at non ipſum cælum: fortiter & apertè reclamat Brentius, teſtificans hæc ipſa eſſe cælum ipſum quod Chriſtus ſecum circunferat. Scio fore vt pleri que tanta portenta vix ſibi perſuadeant

loco. Vidit Stephanus cælos apertos,& ſtãtem Ieſum ad dextram Dei,an negabit Brentius hîc de cælis viſibilibus agi,vbi etiã illa dextra Dei,non autem in terris ſtatuatur?Alioqui quorſum oportuiſſet cælos diffindi? Denique vel vnum locum proferat ex quo ſuum illud allegoricum & circungeſtabile cælum deſumpſerit.

Cur ergo,dicet,*in cælo ſtatuitur Deus?* primùm quòniam ibi maximè apparet eius gloria,ideo quidem vt Chriſtus Patrem alloquens ſubinde dicatur *ἀναβλέψαι*,id eſt,oculos ſurſum ſuſtuliſſe, qui geſtus certè illi allegorico cælo quod vbique eſt cum Deo,parum conuenit:deinde quoniam ibi,ibi,inquam,parata eſt noſtræ beatitatis ſedes cum Chriſto,& beatis omnibus ſpiritibus.Nec enim aliò tendebat Stephanus, clamans, Domine Ieſu,ſuſcipe ſpiritum meum: quàm in eos cælos quos diffindi viderat, & in quibus Ieſum ipſum conſpexerat.

Itaque vt paucis concludam, quum dicitur *Deus in cælis habitare, è cælis deſcendere, è cælis Filium miſiſſe,è cælis contemplari hominum facta:* nullus eſt in Cælorum nomine tropus,nulla allegoria,ſed in iis demum verbis quæ adiunguntur, nempe *Habitandi,Sedẽdi,Deſcendendi*,& ſimilibus,figuratus eſt ſermo.Cur id verò?nempe quoniam iſta diuinæ naturæ non magis propriè quàm manus & pedes tribui poſſunt.Sic autem, vt vel ipſi pueri norunt, loquitur Scriptura, vt Dei maieſtatem alioqui incomprehenſibilem, huiuſmodi *ἀνθρωποπαθείας* veluti viſibilem nobis efficiat.

Sic quoque quum dicitur *Chriſtus è cælis veniſſe aut deſcendiſſe*, non in Cælorum nomine,vt Brentius putat,ſed in *Veniendi* ac *Deſcendẽdi* verbo figurata eſt locutio, aliter tamen explicanda quàm quum de Patre agitur. Pertinent enim hæc ad Incarnationis myſterium, quæ Verbo propria eſt, in qua quum ſeſe in terris verè præſentem ſiſteret, propterea quodammodo inde deſcendiſſe & veniſſe videtur ὁ λόγος, vbi prius, ob eas quas dixi cauſas,per *ἀνθρωποπάθειαν* collocabatur.

At enim,dicet,*Filius etiam hominis è cælo deſcendiſſe,& ex cælis eſſe dicitur*.Hoc quoque concedo, ſed ita ſtatui allegoricos ipſius cælos nego.Nam etiamſi ipſi illos darem, an tamen poſſet dicere carnem Chriſti in illis,id eſt, vt ipſe vult,in maieſtate fuiſſe,prius quàm aſſumeretur?quomodo autem inde diceretur deſcendiſſe, aut inde eſſe, vbi prius non fuiſſet?

Ergo,velit nolit,quum hîc deſcẽſus ad carnis aſſumptionem pertineat, & ὁ λόγος ſit is demum qui carnem aſſumpſit, neceſſe eſt fateatur Filium hominis dici non poſſe è cælis deſcendiſſe, aut è cælis eſſe, quatenus eſt Filius hominis, ſed quatenus eſt Deus: Deus,inquam,non effuſione omnium proprietatum, ſed hypoſtatica τοῦ λόγου vnione.

Duplex eſt igitur tropus in eiuſmodi locutione, vnus quem *ἀνθρωποπάθειαν* vocant, qua dicitur Filius Dei deſcendiſſe aut veniſſe in carnem,pro,carnem aſſumpſiſſe: alter, qui *ἀλλοίωσις*,ſiue *ἰδιωμάτων κοινωνία* vocatur, quum propter perſonæ vnitatem, quod vnius eſt naturæ,alteri tribuitur. Eſt autem iſta *κοινωνία* duplex, quam quum ſe intelligere diſſimulet Brentius,cogit me iſta quibus alioqui nihil eſſe notius arbitror, commemorare.

Ἰδιώματα in Chriſti perſona vocantur proprietates quibus diuina natura & humana in Chriſto diſtinguuntur. Eæ verò proprietates in iis quæ ex duabus diuerſis naturis nõ confuſis,ſed tantùm hypoſtaticè vnitis conſtant, duplici modo communicantur: quædam videlicet reipſa, quædam verbo tenus: cuius rei exemplum hoc eſto,quanuis non per omnia ſimile, quoniam ex duobus non perfectè ſubſiſtentibus conſtat homo,quum anima humana ad hominem cõſtituendum requirat humanum corpus: Chriſtum verò conſtituentes duæ naturæ, etiam quum per ſe conſiderantur, ſint perfecta duo *ὑφιστάμενα*, quanuis quod ad Chriſtum ipſum attinet,non duæ ſint hypoſtaſes, ſed vnica. ſed hoc nihil impedit quo minus ſatis cõgruens ſit hæc ſimilitudo.Anima igitur propriè viuit,mouet, ſentit,intelligit.Eadem cum corpore quopiã coniuncta ad indiuiduum quẽpiam hominem conſtituendum, vitam ſuam, motum, ſenſum cum eo communicat: (nam viuere etiam,moueri, & ſentire corpus verè dicitur) intellectum verò non item. quis enim corpus dixerit intelligentia præditum? Altera ex parte, corpus ſuis humoribus propriè dicitur & eſt temperatũ,& tamen pro eorũ temperamento,mores animi cõſequi,nõ tãtùm Galenus illo erudítiſſimo libello, ſed etiã ipſa experiẽtia planiſſimè docet:qua ex re perſpicuum eſt,coniuncti corporis aliquid *ἐνεργητικῶς* in animã vſq; ipſam penetrare.Quid ſi igitur ſic loquar, vt illa quæ reipſa ſunt vel animæ vel corpori *ἀκοινώνητα*, tãquã toti cõmunia expreſſero? nẽpe verbo tenus,nõ reipſa hæc cõmunicatio fieri

intelligetur. Vnde autem orta hæc loquendi conſuetudo? ex eo videlicet quòd vnum quiddam ſit, illud ex duobus vnitis non cõfuſis compoſitum. Sic dicimus, *Petrum* (quod eſt nomen perſonæ, nũ naturæ) *comedisse, bibiſſe, eſuriuiſſe, ægrotaſſe, ac tandẽ mortuum eſſe*; item, *Petrum ſapientem, prudentem, plenum Zeli fuiſſe*: quorum illa tamen ad corpus duntaxat, iſta ad ſolum animum ſpectant. Hæc ſunt igitur duplicis illius *ἰδιωμάτων κοινωνίας* exempla, quarum vna eſt, vt ita loquar, realis: altera verò verbalis, quæ & ipſa tamẽ minimè eſt inanis, quoniam perſonę vnitatem confirmat & oſtendit. At illa, dices, phyſica ſunt. Cõcedo. Sed quid ſi de Chriſto ſic quoque ſentire & loqui nos docet Spiritus ſanctus? Hoc igitur etiam expendamus.

Chriſtum fatetur Brentius ex duabus naturis, vna Diuina, quæ eſt τοῦ λόγου, altera humana, hypoſtaticè ſimul vnitis, cõſtare. Sed in huius myſterij explicatione omnia mox euertit. Quum enim negat Deum aliter quod ad *οὐσίαν* attinet, in Chriſto inhabitare, quàm in quibuſuis creaturis, ſiue, vt totidem verbis ſcribit pag. 131, *non conſtare propriè diſcrimen inter Chriſtũ & alios homines, inhabitatione Filij Dei in Filio hominis*, (pro quo rectius vſus eſſet abſtractis Deitatis & Carnis nominibus) Perſonã manifeſtè cum Neſtorio diuidit: & quum vnam perſonam nominat, nobis illudit, de quo errore antea diximus. Deinde quum pag. 40, dicit his verbis, *Verbum caro factum eſt*, NIHIL ALIVD *ſignificari quàm quòd Filius Dei Filium hominis ita aſſumpſerit, vt effundat in eum & communicet ipſi omnem ſuam maieſtatem, adeoq́ faciat (non tamen mutãdo, ſed ornando eius ſubſtantiam) verum Deum*, non tantùm perſeuerat in Neſtorianiſmo, ſed etiam quod ad OMNIVM PROPRIETATVM communicationem attinet, Eurychetem illum δυσχῆ ab inferis reuocat, de quo errore rurſus nobis dicendum eſt.

Brentius igitur omnes Diuinitatis proprietates vult in carnem fuiſſe, quãuis per accidens, reipſa tamen effuſas: ac proinde nullam hic agnoſcit verbalem proprietatum communicationem. Nos autem ex verbo Dei didicimus, præterquam quòd Chriſtus ſolus eſt eſſentialiter Deus & homo, propter naturam τοῦ λόγου cum humana natura hypoſtaticè in vno illo ὑφισταμένῳ vnitam, maximam & omnibus creaturis incomprehenſibilem vim donorum à Diuinitate in illam carnem eſſe collatam, adeò vt tandem ſit ſuprà reliquas creaturas (quãtenus & ipſa creatura eſt) incomprehenſibiliter euecta, ſed ita vt ſimpliciſſima illa ſimplicitas naturæ Diuinæ (de hac enim propriè agimus huc lòco) id eſt, ipſa Deitas inconfuſa & incommunicabilis permanſerit, & viciſſim corpus corporeæ & circunſcriptæ naturæ ſit, cuius ſi expers eſſet, ſtatim corpus eſſe deſineret. Itaque quum humanæ naturæ attribuuntur ἀκοινώνητα Deitatis ἰδιώματα, verbalem eſſe dicimus hanc κοινωνίαν, non realem, veluti quum dicitur *Filius hominis eſſe ex ſupernis, & è cælo deſcendiſſe*. Nec enim potuit alicunde deſcendere homo qui nondum exiſtebat.

Quid hîc verò Brentius? *Cælũ*, inquit, *erat vterus Virginis, vbi erat præſens Verbũ, etiã antequam incarnaretur*. Sed quæſo, quænam ſunt iſta & quàm profana, & ex qua tandem Theologia repetita? Age tamen vt ſic & nos loquamur, an propterea inde iure concluſerit carnem (pro qua ſuo more HOMINEM & FILIVM HOMINIS ſcribere conſueuit, concretum apertè cum diſcreto confundens) ex cælo, id eſt, ex vtero deſcendiſſe?

Imò cogitet quid ipſemet ſcripſerit pag. 164. *Deum videlicet antea ſicut præſens erat in vtero Virginis, ita ſecum ſuum cælum habuiſſe è quo deſcendit, in quod hominem quem aſſumpſit ſecum fecit aſcendere*. Hæc autem verba etiamſi metaphoricè explicet, tamen videt ſe deſcenſum è cælo, non carni quam dicit factam eſſe aſcendere, ſed Diuinitati aſſumẽti tribuere, & quidem rectè, quia (vt verè ait Theodoretus dialogo 3) *Caro Domini non poteſt dici è cælis deſcendiſſe, quum in vtero Virginis ſit formata*. Ex hoc autẽ omnino conſequitur, ipſomet confitente, verba illa, *Filius hominis venit, deſcendit è cælo, ex ſupernis eſt*, non reali, ſed verbali ἰδιωμάτων κοινωνίᾳ explicari oportere.

Quid ſi verò quæ humanitatis ſunt Diuinitati tribuantur? Hîc ſanè medius tenetur, aut Eutychianum ſine tergiuerſatione ſe prodat oportet. Dicitur *Dominus gloriæ crucifixus & mortuus*. Si hęc explicat de reali cõmunicatione, quid eſt falſius aut ineptius? Ergo verbalẽ cõcedat neceſſe eſt, quã reprehendere vt inanem nõ poteſt, quin à Spiritu ſancto redarguatur. Neque enim inane eſt quo ſancitur ſaluificæ iſtius vnionis myſterium.

Quid ſi verò proferam in ea etiam coniunctione quæ etſi hypoſtatica non eſt, tamen proximè ad illam accedit, eiuſmodi verbalis ἀλλοιώσεως exempla? *Spiritus impuri*, inquit Marcus, *quũ eũ conſpexerãt, accidebãt ei ad pedes, & clamabãt, dicẽtes, Tu es Filius ille Dei*,

qui-

quibus verbis neceſſe eſt ſpiritibus Verbo tribui fateatur quod corporibus quæ obſidebant conueniebat, niſi vult etiam Brentius ſpiritus oculis videre, & procidere, & clamare, ſicut ſpiritualem alimoniam ore etiam ſumi & manibus accipi contendit.

Et hæc quidem duo ἀλλοιώσεων genera Chriſti perſonæ idcirco peculiaria ſunt, quòd vnus ipſe ex duabus perfectis naturis, Verbi nimirum hypoſtaſi, & aſſumpta tota humana natura, conſtet: homo autem non item, quia nec anima nec corpus, quamuis per ſe etiam ſint res ſubſiſtentes, tamen perfectum aliquod ὑφιστάμενον ſeparata conſtituunt: vnde fit vt quod vnius eſt, ad alterum non niſi nuda metaphora, vt quum *Videre* pro *Intelligere* dicimus, transferatur. Neque enim ſicut Filius hominis dicitur è cælo deſcendiſſe, & Dominus gloriæ crucifixus, ita etiam dixeris corpus cuiuſpiam ratiocinari, vel animam eſurire.

Sed genus illud verbalis ἀλλοιώσεως ſiue κοινωνίας ἰδιωμάτων, quo tribuitur perſonæ quod propriè eſt alterius tantùm naturæ, in Chriſto quoque locum habet, vt in his formulis, *Chriſtus paſſus, crucifixus, mortuus, reſurrexit, aſcendit in cælos, ſedet ad dextram Patris, exaltatus eſt ſupra omne nomen*, quæ omnia carnis reſpectu dicuntur, vt diſertè loquitur Auguſtinus ad Dardanum: & viciſſim in illis aliis, *Ego ſum vobiſcum ad cõſummationem vſque ſeculi, Chriſtus eſt è ſupernis, Chriſtus erat prior Ioanne*, & ſimilibus, quæ ad Diuinitatem ſpectant: non vt diuidantur naturæ, ſed vt hypoſtatica vnione, ſicuti par eſt, ſuis proprietatibus diſtinguantur. Et hæc quidem de κοινωνίᾳ ἰδιωμάτων ſemel repetere volui. Nunc his poſitis ad Brentianum argumentum ſic reſpondeo.

Hanc propoſitionem, *Chriſtus aſcendit in illud cælum ex quo deſcenderat*, concedo, retenta propria Cæli ſignificatione: ſed ita vt deſcenſio quæ eſt τοῦ λόγου, nihil aliud quàm manifeſtationem in carne ἀνθρωποπάθως declaret: aſcenſio verò ad humanitatem referatur, & propria ſignificatione intelligatur. *Quomodo igitur*, dicet, *deſcẽdiſſe dicitur qui aſcendit?* quoniam videlicet vnus & idem eſt in diuerſis naturis Chriſtus.

Aſſumptionem autem hanc, *Filius Dei non deſcendit ex cælo locali, quum non mutet locum, & omnia impleat*, planè nego. Quomodo enim deſcendiſſe abſque mutatione loci dicatur, modò dixi, & ipſe, quem citat, Nazianzenus oſtendit. Et ita planè concidit Achilleum illud Brentij argumentum.

Poſtea ſic argumentatur, *Diaboli, teſte Auguſtino, ſuum infernum ſecum circunferunt, quomodo ergo Deus ſuum cælum non circunferret?* Reſpondeo, figuratum eſſe illud dicendi genus, vt ſi quis dicat furem ſuum patibulum circunferre. Similem autem locutionẽ de cælo proferat Brentius, & quidem Deo attributam. Quòd ſi etiam proferet, quorſum hæc ad id de quo agimus, quum de carnis aſcenſu quæratur?

Inculcat deinceps Brentius ſuum illud argumentum de vnitate perſonæ, quaſi videlicet diuidat naturas qui illas diſtinguit. Et quoties, rogo, apud Cyrillum, Theodoritum, Vigilium, Auguſtinum, Ambroſium, omnes denique qui de his rebus ſcripſerunt, iſta inculcantur? An, obſecro, hominem diſſoluo, quum dico illius corpus non ratiocinari, ſed animum, & contrà corpus eſurire, non animum? Atenim dicit Nazianzenus, *Vtrumque eſſe Deum, tam aſſumentem quàm aſſumptum.* Nempe, vt Leo ſcribit ſerm. 2 de reſurrectione Domini, *quia Verbũ & Caro vna perſona eſt, ne diuidatur à ſuſcipiente ſuſceptus.* Illam enim interpretationem de Filio hominis qui ſeorſim ſit Deus, neque Nazianzenus, nec quiſquam vnquam niſi Neſtorianus vel Eutychianus eſt imaginatus.

Accedo ad aliud argumentũ, quod à Brentio miris artibus amplificatum, in hæc pauca ſic redigo: *Chriſtus aſcendens abijt ad Patrem. Pater autem vbique eſt in ſumma maieſtate & beatitudine, & ita ſuum vbique cælum habet. Ergo Chriſti aſcenſus nihil aliud eſt quàm abitus ad ſummam beatitudinem, quæ eſt vbique in Patre, non in certo aliquo loco.* Concedo, & ad Patrem abiiſſe Chriſtum, à quo ſumma gloria fuit coronatus, & hãc gloriam nullis terminis concludi, ſicut nec ipſe Pater eſt circunſcriptus, & omnia opera ipſius, infinitam eius maieſtatem enarrant. Sed qui fit vt verbum iſtud VADO Brentius non cõſideret? Loquitur enim Chriſtus de vero ſuo corpore, & mutationem loci ab eo ſignificari declarauit paulò antè, quum diceret, *Nõ ſemper habebitis me vobiſcum.* Itaque, vt in omnes facies ſe conuertat, mutatio quidem conditionis his verbis AD PATREM, mutatio verò loci, hoc verbo VADO ſignificatur.

Atenim, dicet, *cõſtat Patrem & ipſius gloriã vbique eſſe.* Cõcedo: ſed eius tamen qui cælum & terram replet, veluti thronum ac ſedem in cælis, cælis, inquam, illis excelſiſſimis

tota Scriptura collocat: qua de re mirum eſt ab eo non fuiſſe expenſum Tertulliani locum aduerſus Praxeam, quem Martyr ipſi obiecit. *Scimus Deum etiam intra abyſſos eſſe, & vbique conſiſtere, ſed vi & poteſtate: Filium quoque vt indiuiduum cum ipſo vbique. Tamen in ipſa οἰκονομίᾳ Pater voluit Filium in* TERRIS *haberi, ſe verò in* CAELIS, *quo ipſe Filius ſuſpiciens & orabat & poſtulabat à Patre: quò & nos erectos docebat orare, Pater noſter qui es in cælis, quum ſit etiam vbique. Hanc ſedem ſuam voluit Pater. Minorauit Filium modico citra Angelos, ad* TERRAM *demittendo: gloria & honore coronauit, illum in* CAELOS *reſumendo.* Hæc ille: ex quibus manifeſtè liquet in iis ipſis cælis quaſi ſede quadã ſtatui Deum qui vbique eſt, ad quos & Chriſtus ipſe vultum direxit, & nos erigere docuit. Quinã autem illi ſunt? an qui vbique ſunt, an verò qui ſurſum ſunt, ſupra illos etiam viſibiles quorum ſplẽdore percellimur? Itaq; hinc quoque, nõ autem ex vbiquitario cælo dicitur miſſus à Patre Filius in terras, & in eoſdẽ illos cælos reſumpt⁹, vbi gloria & honore coronaretur.

Neque verò vlla cauſa eſt cur ad *οἰκονομίας* ſeu Diſpoſitionis (vt rectè vertit Tertullianus) latibula Brentius confugiat. Loquitur enim de voce audita ex cælis, extraordinaria diſpoſitione, cuius fit mentio Ioan. 12, 28. quod non nego factum *κατ' οἰκονομίαν.* Sed longius illum poſtea progredi liquet ex iis quæ de minoratione Filij (quæ œconomia eſt perpetua) & de quotidiana Eccleſiæ inuocatione adiecit. Alioqui, quid non erit œconomicum? Et quid magis ordinarium eſt Scripturis, quoties de Deo fit mentio, quàm illum peculiariter in cælis eſſe dicere? *Dominus è cælo reſpexit ſuper filios hominum. Deus miſit auxilium è cælo. Dominus in cælo parauit ſedem ſuã. Cælum cæli Domino. Qui habitat in cælis irridebit eos. Cæli prædicant gloriam Dei.* Et cur hoc tandem ſic dicitur? nempe quia ibi, ibi, inquam, gloriæ ipſius plenitudo elucet: ibi manſio eſt feliciſſima, tum capitis quod vidit Stephanus, tum etiam membrorum quæ tandem aliquando cum capite ſunt futura: ibi denique perfectè regnat, vbi perfectè cælites Angeli & beati hominũ ſpiritus voluntatem ipſius complent.

In ſumma igitur, abiit ad Patrem Chriſtus, ſed eò vbi gloria & honore coronatus eſt, nempe in cælos, quibus (vt inquit Petrus) oportet eum capi, & in quos penetrauit ex locis terræ inferioribus, vt inquit Paulus, vt perpetuò intercedat pro nobis, donec in plenam redemptionem noſtrã ex iiſdem veniat, ſicut & conſpectus eſt aſcendere. Credimus enim potius Angelorum de cælis illis certis loquentium teſtimonio, quàm Brentij cælum ſuum geſtatorium cum cæleſti gloria confundentis, ſomnio. Imò verò ne hoc quidem quomodo cohæreat videmus, cælum eſſe vbique, & tamen à Patre & à Chriſto circunferri.

Illud autem quod velut auctarium Brentius ſubiicit, dignum etiam eſt quod expendamus. Adimit enim noſtris quoque corporibus glorificatis circunſcriptam naturam: neque id mirum, quoniam Apoſtolus corpora noſtra fore glorioſo Chriſti corpori conformia teſtatur: ac proinde Chriſti carni omnem dimenſionem adimens, idem quoque in Sanctorum carne conſtituat oportet. Sic autem ſcribit, *Vbi erunt corpora Sanctorum? apud Chriſtum. Vbi autem eſt Chriſtus? apud Patrem. Erimus ergo & nos apud Patrem. Vbi autem eſt Pater? num ſuperficie corporis circunſcriptus? nihil minus. Sed ibi eſt vbi nos erimus.* Itaque ſic expedit propoſitam quæſtionem, Nos ibi futuros vbi eſt Pater, & Patrem eſſe vbi nos erimus. Quæſo verò ſi cuipiam percõtanti, Vbi habitat Brentius? reſpondeat aliquis, Vbi illuſtriſſimus VVirtembergenſis Princeps habitat: & rurſus quærenti, Vbi autem habitat Illuſtriſſ. Princeps? reſpondeat, Vbi habitat Brentius: an non manifeſta eſſet illuſio? Et miratur Brentius illi obiectum fuiſſe, beatorum corpora ab ipſo in vtopia quadam collocari? Nam certè qui ſic loquitur, nihil definit, ſed omnia perinde ac ſi nuſquam ſint, relinquit prorſus incerta. Et tamen quum hoc reprehendit Bullingerus, euadit Bullas gerens, Diabolus, Lucianus, vertiginoſus, & quid non? Sed hæc, agè, miſſa faciamus.

Pergit tamen Brentius, & vtrunque illud verum eſſe confirmat, nempe & nos futuros cum Patre, & Patrem nobiſcum: itémque cum Chriſto nos futuros, & Chriſtum eſſe cum Patre. Quaſi verò de hoc ambigamus. *Ergo*, inquit Brentius, *cur rides?* Imò non ridemus, inquam: ſed quum ad propoſitam à ſe quæſtionem, Vbi ſint futura corpora beatorum, ſic ipſe reſpondet, vt incertiores ſimus quàm dudum, in eius reſponſo non acquieſcimus. Inuoluit enim nos circulo, quem vocant: quia poſtquam intelleximus cum Patre & cum Chriſto futura, adhuc tamen ſupereſt quæſtio de qua controuertitur, nempe vbi ſint cum Patre & Chriſto futura, in cælóne, vt dicimus ex Scriptu-

ra:an in terra,vt ſomniarunt Chiliaſtæ:an vbique potius, quandoquidẽ Brentius Chriſti quoque carnem vult omnia implere.

Quid verò Brentius reſpondet? *In cælo*, inquit, *erunt cum Patre & cum Chriſto.* Rectè quidem ſi Cæli nomen rectè explicaret.Quid igitur cælum eſt Brentio? *Liceat*, inquit, *mihi quod de Deo cõmemorat Auguſtinus,de Cælo recenſere.* Atqui,aliud eſt Cælum , aliud Deus inuiſibilium & viſibilium omnium Cõditor,qui in cælis habitat : aliud Creator, aliud creatura:& quo tandem pudore creaturam in ſublimitatem Dei eueheremus? Rectè Auguſtinus clamat ſe non inuenire in creaturis quid ſit Deus, ſed quid nõ ſit. Brentius verò quàm rectè iſta ad cælum detorquet? Audiamus tamen quid velit. In ſumma, nihil huius corporalis & aſpectabilis machinæ eſt cælum illud quod inueſtigamus , qua in re Brentio prorſus aſſentimur,& quidem lõgè rectius hac de re ſentiendo. Siquidem ipſe cælum iſtud ſic negat eſſe quicquam iſtius mundanæ machinæ, vt tamen & in terra,& in aquis,& in aëre,& in firmamento, in omnibus denique mũdi partibus illud repletiuè (ſicut loquitur) collocet. At nos neque iſta neque in iſtis cælum illud eſſe quod eſt beatitatis ſedes,ex verbo Dei didicimus.

Pergit ,& cælum etiam Empyreum excludit. Neque nos verò de cælo illo Empyreo quod homines fabricarunt ſumus ſoliciti. Sed quid tandem eſt Brentianum cælum? *Solùm*,inquit , *poſſum dicere quid non ſit.* Differit igitur profectò de eo quod neſcit : & quid ab eo recti expectabimus? Sed audiamus tamẽ quouſque progrediatur. *Eſt*,inquit, Pag.172 *quod oculus non vidit,quod auris non audiuit,nec in cor hominũ aſcendit. Id eſt, tam excellẽs beatitudo,tam inſignis felicitas,vt nullis humanis ſermonibus in hoc ſeculo exprimi,nullis auribus percipi,nullo corde concipi aut cogitari queat.* Ergo ſi illi credimus , Cælum eſt illa ipſa felicitas & beatitudo,quam nemo mortalis mente apprehendere , aut verbis explicare poſſit. Atqui duas diſtinctas quæſtiones eſſe arbitror, Quid nomine illo Cæli intelligatur, &, Quale ſiue cuiuſmodi ſit. Deinde cælum,id eſt domicilium illius felicitatis, ab ipſa felicitate non ſeparandum quidem,ſed diſtinguendum credimus, & ſanè credemus,donec docuerit nos meliora. Itaque quod ad illius felicitatis rationem ac deſcriptionem attinet,Brentio prorſus, id eſt verbo Dei,aſſentimur. Quis enim illa explicabit quæ Dominus præparauit diligentibus ſe? Habemus tamen qualemcunque generalem eius deſcriptionem,ſed vniuerſalem,quæ nomine gloriæ, ſpiritus, incorruptionis, vitæ æternæ, æterni gaudij, & aliis eiuſmodi vocabulis ſignificatur. Sed etiamſi neque materiam neque formã , id eſt, eſſentialem definitionem illius cæli, poſſimus explicare, nec de iis ſit nobis magnopere laborandum quæ captum noſtrum ſuperant , tamen religio eſt nolle progredi quouſque Dei verbum nos deducit.

Cælum igitur in genere nõ tantùm in ſacris literis,ſed etiã apud profanos ipſos ſcriptores pro toto illo à terra ad ſupremas mundi partes tractu poni , quid attinet cõmemorare? Qui porrò mari & terræ cælum tam apertè miſceret , Brentius fortaſſe primus eſt inuentus. Sed num in aëre,quæ prima eſt huius cęli pars,humanam Chriſti naturam collocabimus? minimè . Nubes enim ipſius pedibus ſubiecta , ſpectantium oculis eum aſcendentem eripuit : ex quo perſpicuum eſt, non in altum nec in nubes duntaxat , vt Brentius loquitur,ſed in ſuperiores regiones tranſiiſſe. Num autem in æthere vel ſphęris illis cæleſtibus,altera videlicet cæli parte,ſubſtitit? ne id quidẽ. Dicit enim Apoſtolus eum ſupra omnes cælos aſcendiſſe:& niſi ita eſſet, cælos Stephano findi , vt eum intueretur , minimè oportuiſſet. Supereſt ergo vt ſi firmamentum vltima mundi pars eſt, cælorum & ἐπουράνιον nomine ſublimiſſimæ illæ & nobis inænarrabiles regiones intelligantur,quò carnem ſuam circunſcriptam Chriſtus intulerit , mundũ , vt ait ipſe,relinquens , & vnde cum gloria illa ſua venturum noſtris oculis intuebimur. Hi ſunt igitur illi cæli cælorum , ad quos & ipſi veris corporibus cirſcunſcriptis aliquando rapiemur. Quòd ſi iam quæratur cuiuſmodi illi ſint,& quæ ſit illa cæleſtis gloriæ conditio , ibi demum quod ex Propheta citauit Brẽtius proferimus,nec oculis carnis videri , nec huius ſeculi auribus audiri , neque vt nunc homines ſumus, mente noſtra comprehendi poſſe quæ Dominus à ſeculo iis à quibus diligitur,præparauit.

Brentius verò ſaltem hæc nobis explicet,qua ratione cælum cum cæleſti gloria confundat : cur ſummam iſtam gloriam Cæli potius quàm alio quopiam nomine ſignificet: cur quum toties in Scriptura fiat cælorum mentio , ne vnum quidem locum proferre poſſit,in quo cælũ illud quod vbique ſit nominetur:quomodo deniq; cælũ eſſe vbique, & à Chriſto circunferri poſſit. Et hæc quidẽ tum de corporis Chriſti,tũ de beatorũ ſpiri-

tuum,& corporũ etiam glorificatorum cæleſti domicilio, à nobis ex Dei verbo creduntur. Vbi enim Chriſtus eſt caput noſtrum, ibi & membra ipſius futura non dubitamus.

Profert locum in quo dicitur, nos fore *ἰσαγγέλους*. Et quid inde colligere poteſt quo ſententia ipſius confirmetur? Primùm enim nos per omnia fore Angelos dicere nõ poteſt, quin carnis reſurrectionẽ tollat. Longè quippe aliud eſt ſpirituale corpus reſurgere, quàm in ſpiritum mutari, qui nec carnem habet nec oſſa.

Deinde quod manifeſtè dixit Chriſtus de ſublata edendi & bibendi & omnium huiuſmodi rerum neceſſitate, quo iure tam procul extendit? *Iuſti*, inquit Dominus, *fulgebunt ſicut ſol*. Sed addit, *In regno Patris mei*. Vbi autem hoc regnũ eſt? *Id eſt*, inquit Brentius, *vbique & in cælo & in terra, quum rex Deus omnia impleat.* Nos autem hoc regnum dicimus in cælis eſſe, non in terra, minimè id quidẽ vt Deum vllis terminis includamus, omnia ſic continentem vt à nullo contineatur: ſed quia vbi pleniſſimæ & inenarrabilis ſuæ lucis radios explicat, vbi plenè fit ipſius volũtas, vbi Filij ſui veri hominis thronum, & omnium beatorum gloriam collocauit, vbi denique futurum eſt vt ſit omnia in electis ſuis omnibus, ibi, ibi, inquam, & non alibi, hæc ipſius æterna domus eſt ſita.

Poſtremò etiamſi daremus nos per omnia *ἰσαγγέλους* futuros, an propterea omnipręſentes fore filios reſurrectionis conſequetur? Et de hac re quidem non ignoro quid D. Lutherus alicubi ſenſerit, locum illum proferens, *Angeli illorum ſemper vident faciem Patris mei*. Sed eſt infirmiſſimum profectò iſtud argumentum. Quid enim mirum eſt eum qui vbique totus eſt, ab Angelis ſuis ſemper conſpici? Sed ipſos etiam propterea vbique eſſe, & omnia implere, quis mentis compos concluſerit? Angelos porrò etſi incorporeos, tamen ſubſtantiæ proprietate finiri, quum ſolus Deus ſit actu infinitus, neceſſe eſt: ac proinde vbique non eſſe, & quum è cælis (quæ eſt propria eorum ſedes) pro bona Dei voluntate ad Sanctos quibus miniſtrant mittuntur, verè cælis abeſſe, & iis tãtùm locis adeſſe ad quæ perueniunt, neceſſariò conſequitur.

Ridebit iſta nimirum, & inter Cinglianas etiam ſpeculationes referet Brentius. Sed rideat licet, ſic nobis credentibus præit Scriptura. Nec aliter etiam Didymus & Baſilius ſcribunt aduerſus *πνευματομάχους*: quos locos à D. Martyre prolatos non irridere, ſed admittere vel refutare oportuit. *Angelus*, inquit Didymus, *qui aderat Apoſtolo in Aſia oranti, non poterat ſimul eodem tempore adeſſe alijs in cæteris partibus mundi conſtitutis. Spiritus autem ſanctus nõ ſolùm ſeiunctis à ſe hominibus præſtò eſt, ſed & ſingulis quibuſque Angelis, principatibus, thronis, dominationibus inhabitator aſſiſtit, & vt homines ſanctificans, alterius quàm ſunt homines eſt naturæ.* Sed & Baſilius de Spiritu ſancto, capite 22, *Reliquæ virtutes omnes* IN LOCO CIRCVNSCRIPTÆ *eſſe creduntur. Nam Angelus qui adſtabat Cornelio, non erat in eodem loco quo quum adſtaret Philippo, neque qui loquutus eſt Zacharia ab altari, per idem temporis etiam* IN CAELO *ſuam implebat* STATIONEM. *At Spiritus ſimul & in Abacuc operatus, & in Daniele in Babylone creditus, & in cataracta fuit cum Ieremia, & cum Ezechiele in Chobar.* Et mox, *Eum qui vbique eſt, qui Deo præſens eſt, cuius eſſe naturæ credi oportet? Vtrum omnia complectentis, an particularibus arctatæ locis, qualem eſſe naturam Angelorum Dei Filius demonſtrauit?* Hæc illi: à quibus ſi diſſentit Brentius, non inuiti ab eo diſſentimus. Itaque aut corpora glorificata fateatur nec vbique, nec in illo ſuo geſtatorio cælo futura, vel magis etiam ſpiritualia eſſe quàm ipſos ſpiritus oſtendat. Quòd ſi nihilominus cum Chriſto erunt, Chriſto, inquam, in carne ſua glorificato, ergo ne Chriſti quidem corpus, quanuis ſupra ipſos Angelos exaltati, vbique eſt vel erit, quoniam corpus eſt & erit in æternum.

Iis igitur quæ tum de domo Dei, tum de multis illis manſionibus diſſerit Brentius, ſic abundè reſponſum arbitror. Libet tamen præterea quædam argumenta quibus vtitur conſiderare. *Non eſt*, inquit, *corporeus Deus, nec Angeli eius corporei, & noſtra corpora erũt ſpiritualia. Qualis autem Deus Pater, talis eſt domus eius: & quales ſunt Angeli, & à reſurrectione homines, tales etiam ſunt manſiones eorum.* Obſecro verò, cuiuſmodi hæc ſunt? An etiam hunc mũdum corporeum eſſe negabit? atqui ipſemet ſtatuit eum pro Dei domo, quum dicit, quod res eſt, cælum & terram ab eo impleri. Angelos nõ eſſe corporeos minimè ipſi concederet Tertullianus. Sed nolo in re tam ſeria ludere. Etiamſi verò corporei non ſunt, tamen proprietate ſubſtantiæ finiri neceſſe eſt concedat, niſi infinitos eſſe mauult, quod non arbitror, quum infinitatem antea Diuinæ naturæ propriam eſſe ſit confeſſus. Sint tamen etiam, ſi libet, qualis ipſe Deus eſt. An ſi cum Deo ſunt, hunc corporeum mundum vt domum non replent?

Quod autem addit poſtremo loco, ſpiritualia tunc fore noſtra corpora, quæ proinde corporalibus manſionibus non indigeant, quo tandem iudicio ſcripſit? Animas certè noſtras ſpirituales eſſe non negabit, ac magis etiam ſpirituales quàm noſtra vnquam futura ſint corpora. Et tamen non poteſt negare corporea manſione nunc illas contineri. Imò non ignorat ipſius etiam Chriſti animam triduo abſuiſſe a mortuo corpore, vt eam fateri neceſſe ſit tunc ſaltem vbique non fuiſſe, nec omnia impleuiſſe.

Sed hic rurſus ad ſuam *οἰκονομίαν* ſcilicet refugiet. Quid igitur? Certè omnia iſta perabſurda ſunt, & tamen quod antea dixi, rurſus repeto, Quod ad Diuinitatem attinet, non ita nos ineptire vt eam putemus aliquo ſpatio comprehendi. Ad nos autem quod attinet, ſi Corporeum pro horum corporum qualia nunc ſunt, infirmitate, corruptibilitate, ignominia accipiat, fatemur eo tempore minimè corporeas fore noſtras manſiones, quarum erit inenarrabilis & perennis gloria: ſin verò pro incircunſcripto & omnia replente, tunc nos à Brētio penitus diſſidemus: quoniam Deus qui ne nunc quidem infirmiſſima ſuorum corpora incolere dedignatur, in æternis illis tabernaculis glorioſa noſtra corpora, quanuis circunſcripta, nihilominus inhabitabit.

Podet autem me eorum teſtimoniorum quæ hoc loco pro iſta omni præſentiali carnis Chriſti inhabitatione profert. Quid enim? an quoties MANENDI verbum vſurpatur, toties inhabitatio, ac non potius perſeuerantia plerunque ſignificatur?

Aliquot ſequentibus paginis non puto neceſſarium eſſe reſpondere, quoniam præter verba nihil penitus continent. Tantùm aliquot locos attingam. *Aſcendere in cælum* alicubi explicat, *euadere omnia loca.* Petitum eſt à Brentio, vnde hoc acceperit. Citat locum Apoſtoli, Hebr. 4. 14. *Habemus Pontificem διεληλυθότα τοὺς οὐρανούς.* Nempe, quia ſic in cælum aſcendit, vt ſupra omnes illos quos intuemur cæleſtes orbes, ſit in æterna gloria collocatus. Quòd ſi cælos ex Brētii ſentētia pro beatitate & omnipræſentia accipiamus, quid erit ſupra omnes cælos aſcendere, ſiue ſublimiorē cælis fieri, niſi ipſam omnipræſentiam & felicitatem & gloriam Dei Patris tranſcendere?

Ridet etiam nos craſſos Cinglianos homo minimè hebes, quòd formulam hanc, IN EXCELSIS, de ſupernis locis (locis inquā ſupercæleſtibus) intelligamus. *Quaſi*, inquit, *antipodibus & periœcis Chriſtus non ſit in excelſis, ſed iuxta Cinglianorum ſomnia ſub pedibus, aut ab eorum latere.* At nos craſſi Cingliani, rogamus vt ſaltem ſciat nos ex elemētis Aſtrologiæ didiciſſe, vndique à centro mundi cælum verſus eſſe aſcenſionem.

Non donauit, inquit, *Deus Chriſto inane nomen quod ſit ſupra omne nomen. Ergo donauit ei maieſtatem Dei.* Concedimus: ſed ita vt excipiatur is qui omnia pedibus eius ſubiecit, adeò vt Chriſtus qui ſupra omnes res conditas eminet etiam ſecundùm carnem, in illa tamen Deum habeat pro Capite, vt loquitur Apoſtolus, 1. Cor. 11. 3.

Denique cùm illud inſigne Petri dictum, *ὃν δεῖ οὐρανὸν δέξασθαι*, à nobis perſpicuitatis cauſa ſit conuerſum, Quem oportet cælo capi, ipſe perinde peruertit ac ſi dictum eſſet, Oportere vt Chriſtus cælum accipiat, id eſt, cæleſtem vitam ac maieſtatem, quis tandē ſanæ mētis ipſi aſſentietur? Etſi enim conſtructio verborum eſt *ἀμφίβολος*, quis tamen non videt Petrum nihil aliud dicere quàm quod ex Angelis ipſóque adeò Magiſtro ſuo audierat? Chriſtum videlicet ab ipſis in cælum ſublatum ita venturum vt eum viderat aſcendere.

Patrem, inquit, *dicitis eſſe in cælis, qui tamen illis non circunſcribitur.* Concedo: & quis hoc ignorat? Inde verò quomodo omnipræſentiale & incircunſcriptū ſuum cælū eruet? Nam ne ipſe quidem inficiari poteſt, Cælos in illa loquendi formula pro cæleſti machina intelligi, in qua ſic ille ſtatuatur, vt ſuperior etiam illis habeatur. Quo pudore igitur in Chriſti aſcenſu ad Patrem explicando, Cælos aliud contendit ſignificare? Nam certè ii ipſi cæli ſunt ex quibus Chriſtum in mundum à Patre veniſſe, & in quos ex mundo ad Patrem iuiſſe ſemper credidit Eccleſia. Quum autem negat hinc effici vt Chriſti corpus loco circunſcribatur, etiam ſi in cælis cum Patre ſtatuatur, an non videt res planè diſſimiles, eſſentiam videlicet infinitam cum finita à ſe comparari?

Flectitur, inquit, *omne genu in Chriſti nomine, cæleſtium, terreſtrium, & infernorum. Quò igitur te proripies vbi non inuenias Chriſtum verum Deum & verum hominē præſentiſſimū?* Atqui, Chriſtū Deum & hominem nec fugimus per Dei gratiā, nec præſentiſſimū eſſe inficiamur. Sed hîc de carne, non de perſona Chriſti quærimus. Hæc autē plurimum inter ſe differre, quoniam Chriſtus natura vna infinita quæ vbique eſt, altera finita conſtat, quoties à nobis dictum eſt ac demonſtratum? Quoties, inquam, hæc duo,

CHRISTVM HOMINEM & CHRISTI CARNEM, diuerſas loqẽndi formulas eſſe oſtendimus? An verò Brentius Diuinitatem mortuam dicet? paſſum tamen eſſe Deum dicimus & credimus, ſed in carne aſſumpta. Ita etiam Chriſtum hominem ad conſummationem vſque ſeculi nobis præſentiſſimũ eſſe abſit vt inficiemur, ſed Diuinitate quæ carnem aſſumpſit, ita vt homo quoque præſens ſit, ſed κατ' ἄλλο. Nec aliter loquutam Scripturam & Patres omnes Brentius vnquam deprehendet, quoniam alioqui neceſſe eſt Chriſti naturas vel cum Neſtorio diuidere, vel cũ Eutychete cõfundere, vel (quod mirum eſt à Brentio excogitari potuiſſe) ſimul & diuidere naturarum eſſentias, & earũ proprietates confundere. Et de his quidem hactenus.

Iam verò de Inferis etiam aliquid nobis dicendum eſt, quandoquidem iſtos quoque viſum eſt Brẽtio cõcutere. Vult enim & iſtos perinde vt cælum à Deo & Chriſto, à dæmonibus & impiis circunferri, ſpirituales, æternos, incorporeos, qui ſint denique nihil aliud quàm æterni illi cruciatus, ſummæ illi gloriæ oppoſiti. *In quos* (ſic enim diſertè loquitur) *impij ſemper ac perpetuò deſcendãt, non phyſica & corporali loci mutatione, ſed ſpirituali deiectione, oppreſſione, & conculcatione.* Nos verò ſicut cælum illud, cuius maieſtas nobis nunc eſt incõprehenſibilis, in quo cum Chriſto & beatis Angelis Deũ qualis eſt videntes, æterna felicitate perfruemur, certum ac definitum locum eſſe mundo ipſo ſuperiorem ex Scripturis credimus: ita & inferos ex iiſdem Scripturis credimus certum & definitum locum eſſe, quem non fruſtra Scriptura abyſſum & tartarum, infernũ denique vocarit Eccleſia, horrendis & æternis Satanæ & impiorum ſuppliciis deſtinatum. Quæ porrò de eius ſitu & cameris nonnulli ridiculi ſomniatores partim excogitarunt, partim ex profanis ſcriptoribus repetierunt, vt vanas & aniles nugas relinquimus: ac proinde, quum tale quiddam nobis licet craſſis hominibus affingitur, manifeſta fit nobis iniuria. Sententiam verò ſuam quomodo confirmet ipſe, agè, conſideremus.

Oppoſui, inquit, *Geneſin Moſis, & ſcholam Geometrarum.* At nos non arbitramur Brentium quicquã eiuſmodi quales ſunt geſtatorii ſui inferi, vel apud Moſem, vel apud Geometras inuẽturum. *Neque vos*, inquiet, *veſtrum illum certum locum ibi inuenietis.* Quorſum igitur illùc nos ablegat? Nec enim Moſes aliud eius libri initio quàm huius mundi machinam deſcribendam ſuſcepit, adeò, vt ne Angelorum quidem vel creationem, vel lapſum deſcripſerit. An verò creatos & lapſos illos qui in veritate non ſteterunt, inficiari propterea poteſt?

Inferos in cælo eſſe probat ſi Cælum pro cæleſti Dei regno accipiatur. Hoc verò conſequi nos pernegamus: minimè id quidem quòd negemus Chriſti Dei & hominis imperio ipſos quoque inferos ſubiici, quum legamus omnia pedibus ipſius ſubiecta: ſed quia qui cæleſte regnum dicit, non vniuerſalem illam dominationem ſignificat, ſed eam demũ qua Deus in ſuis electis regnat, idq; duplici reſpectu, propriè videlicet & καταχρηστικῶς: propriè, quum de futura vita, & (vt Paulus loquitur) de æternis illis tabernaculis agitur, de quo regno Chriſtus vltimo illo die verba iſta pronuntiabit, *Venite benedicti Patris, poſſeſſuri regnum vobis paratum à iactis mundi fundamentis.* Impropriè verò, quũ Eccleſiæ adhuc in mundo verſanti & permixtæ tribuitur Regni cælorũ nomẽ, cuius formulę loquendi ratio à Paulo redditur, quum nos dicit iam in cæleſtibus conſidere, nẽpe quia iure cæleſtis ciuitatis iam donari, animo quidem & ſpe certa, nondum autem certè reipſa in cælis verſamur, quamuis non terrena, ſed cæleſtia meditemur. Hinc fit vt tenebræ illæ exteriores vocentur, vbi fletus & dentium ſtridor erit. Vtri igitur credemus, Chriſtóne tenebras illas (quibus inferos deſignari certum eſt) extra regnum cælorum expreſſis verbis collocanti: an Brentio inferos, & Cacodæmonas, & impios omnes, ac perinde mortem etiam æternam intra cæleſte ipſum regnum conſtituenti?

Huc pertinet, inquit, *quod de Chriſto dicitur, Omne genu cæleſtium, terreſtrium, & infernorum Chriſto ſubiici.* Quaſi verò nos Chriſti iuriſdictioni inferos eximamus, quum locũ ſuppliciis nocentium deſtinatum ab illa regia diſcernimus, in qua vnà cum beatis ſuis electis æternùm regnabit.

Nihilo etiam rectius illum locum Pauli, Epheſ. 6. 12. de ſpiritualibus malitiis ἐν τοῖς ἐπουρανίοις, ad regnum cæleſte transfert, quum ex duplici eiuſdem Apoſtoli in eadem Epiſtola teſtimonio, & vtroque penitus perſpicuo, cõſtet de aëreis regionibus id eſſe intelligendum, ſicut & omnes Interpretes accipiunt. Eiuſdem enim Epiſtolæ 2. 2. Satanã diſertè vocauit ἄρχοντα τῆς ἐξουσίας τοῦ ἀέρος, & eo ipſo verſiculo appellat eius Angelos κοσμοκράτορας. Quid igitur hìc tergiuerſandum fuit, aut quid eſt in luce cæcutire, ſi hoc

non

non eſt?

Quòd ſi excipiat eadẽ verba, *ἐν ἐπουρανίοις*, alia ſignificatione quater in eadem Epiſtola diuerſo ſenſu, nempe non pro aereis regionibus, ſed pro regno cæleſti complectente cæleſtia, terreſtria & inferna, vſurpari: etiamſi verum diceret, quàm tamen infirmum eſſet ipſius argumentum? Quid enim prohibet ſicut *πολυώνυμον* nomen eſt cælorum, interdum videlicet totam ſuperiorem mundi regionem, interdum aerem, interdum illos ſtelliferos orbes, interdum ſupremas illas beatorum ſedes declarans: ita etiã Cæleſte epitheton, pro diuerſa ratione eius rei cui attribuitur, in eadem Epiſtola diuerſa ſignificatione vſurpari? Sed ne illud quidẽ ipſi cõceſſerim. Quod enim dicit Apoſtolus nos benedictos omni benedictione ſpirituali in cęleſtibus, ſiue de cælis ex quibus nos dicitur benedicere Dominus, ſiue de ſpritualibus ipſis donis, atque adeò dę ipſa vita æterna accipias, quorſum ad Brentianã omnipræſentiã? niſi fortaſsis vitã hanc æternã ſiue patriã cæleſtẽ vbique eſſe oſtenderit. Et rurſus quòd dicitur Chriſtus ſedere ad Dei dextram in cæleſtibus, & Deus nos collocaſſe cum Chriſto in cæleſtibus, & principibus ac poteſtatibus in cæleſtibus patefieri ſapientiam Dei per Eccleſiã, quum ſuo modo interpretatur, an non illud ipſum aſſumit quod eſt in quæſtione poſitum?

Profert initium Iobi, vt doceat Satanam in ſuo vbiquitario cœlo cum Angelis etiam verſari, & regni cæleſtis adminiſtrationem quaquauerſum patere, quoniam ſit regnũ omnipotentiæ Dei, & huc etiam detorquet locum illũ de Micheæ viſione, qui refertur 1.Reg.22.19. Atenim qui fit, obſecro, vt ſuã illã regulã de qua mox dicemus, de ſpiritualibus rebus per vocabula à rebus corporalibus & terrenis ſũpta explicatis, huc nõ meminerit applicare? Nam ſi, quod apertè dicit pag.213, abſurditas cogit eiuſmodi deſcriptiones metaphoricè accipere, quid abſurdius dici poſſit quàm Deum throno inſidentem nõ aliter quàm prophani Poetæ de ſuo Ioue fabulantur, cum Satana de mundi gubernatione, & his vel illis negotiis conferre?

Imò videat quò ruat imprudens. Nam ſi res ita ſe omnino habet vt apud Iobum narratur, nec iſta figuratè & *κατ' ἀνθρωποπάθειαν* dicuntur, Deus noſter verè & re ipſa dextram habet & ſiniſtram, nec Sedere ad Dei dextrã ſignificabit omnes Diuinitatis proprietates in ſe effuſas habere, niſi malit Angelis idem atque Chriſto tribuere. Nam & hos ipſos narrat Micheas optimæ fidei teſtis, ſe ad dextram & ſiniſtram Dei in ſuæ maieſtatis ſolio ſedentis adſtantes conſpexiſſe.

Res autẽ ita ſe habet. Vtroque illo loco ſub corporea imagine maximi alicuius monarchæ proponitur quaſi noſtris oculis conſpicienda Dei prouidẽtia, omnia pro ſua voluntate adminiſtrantis, ad cuius nutũ beati illi ſpiritus, ac etiam cacodæmones ſint accincti. *Ergo, dicet, & hi & illi ſunt corã Deo præſentes, idq́ in cælo, quũ thronus Dei in cælis collocetur: vbi porrò eſt Satan, ibi ſint & inferi. Itaque cælũ ſiue regnũ cæleſte omnia cõprehendit, & in hoc etiam cælo ſunt inferi cum Satanã & angelis ſuis.* Reſpõdeo omnia hæc affingi, quum, vt modò dixi, per *ἀνθρωποπάθειαν* ſint explicanda: nec eò ſpectent vt vbi ſint vel non ſint cæli vel inferi cognoſcamus.

Sed & illud, *vbicunq́ ſit Satã, eſſe inferos*, id eſt, locũ illum ęternis pœnis dæmonum & impiorum deſtinatum, quis Brentio concedet? Nam ſi ita eſſet, multò magis fuiſſent inferi in miſeri illius corpore, quod dæmonum legio occupauerat, qui tamen Chriſtum precantur ne in abyſſum, id eſt proculdubio inferos illos, mittantur: qua de re mox etiã aliquid dicemus.

En quo iure etiã clamitet *illã viſionem in qua Satanas cæli, cæli*, inquit, *exercitui adiũgitur, clariſsimũ eſſe pro ſua opinione teſtimoniũ*: quod ſi verum eſt, cur nõ etiam ex illis Eſaiæ & Ezechielis viſionib', in regno Dei carbones ardẽtes, & flãmã, & animalia oculata, & quiduis aliud cõminiſcetur? Quomodo porrò etiãſi in cælis ſiue regno cæleſti, nec Satanã nec inferos collocemus, nõ eximantur tamẽ Dei imperio nec præſentiæ, paulò antè eſt à nobis declaratum. Cæterùm, vt Inferos certum aliquẽ infimum locũ eſſe probetur, citata eſt ex Luca hiſtoria Diuitis illius epulonis, in qua manifeſtè locus cruciatuũ à ſinu Abrahæ ingenti hiatu ſeparatur. Quid ad hęc Brentius? Primùm vocat nos vertiginoſos, quò à nobis perſuaſerimus nullã corporalẽ creaturã poſſe in hoc vel altero ſeculo, ſine loco, ſiue cõtinentis corporis ſuperficie, cõſiſtere. At nos beatã iſtã credulitatem qua ſibi Brẽtius quicquid ſomniauit, certã eſſe Dei veritatẽ perſuaſit, minimè profectò ipſi inuidemus: & cum Chriſto ſuum à nobis verum ſecundùm carnem diſceſſum tum verbis tum reipſa declarante: cum Angelis eum in cęlum penetraſſe teſtifi-

cantibus:cum Petro,cum cælo capi ad vltima vſque tempora renuntiante:cum Paulo, nos à Domino nunc peregre abeſſe ſcribente:cum Auguſtino de ipſo Chriſti corpore teſtante,ſublatis ſpatiis tolli corpora:cum Cyrillo, quicquid corpus eſt, in loco etiam eſſe, & Chriſtum carne ac corpore nunc à nobis abeſſe diſertè centies pronuntiante: cum Vigilio,Chriſti carnem quum in terra fuiſſet, non fuiſſe in cælo, & quum in cælo ſit,in terra non eſſe ex Scripturis affirmante:cum Fulgentio, veram Chriſti humanitatem LOCALEM eſſe & LOCALITER contineri ex Apoſtolo Paulo probante,deſipere nunquam pœnitebit.

Illud autem miramur cuius ſit conſcientiæ,dictum illud Auguſtini adhuc iuuenis,& ad verum Deũ non conuerſi, *Quicquid priuabã ſpatiis locorũ,nihil mihi eſſe videbatur*, in eos torquere qui corpus incircunſcriptum nullum norunt.

Iam venio ad illam Brentianam regulam, *Quũ de rebus ſpiritualibus & cæleſtibus loquendũ eſt, mutuanda eſſe vocabula à rebus corporalibus & terrenis,vt vel ſaltẽ aliquo modo de rebus à noſtro ſenſu & ĩtellectu in hoc ſeculo alienis balbutiamus.* Hãc regulã vt probet,citat teſtimonia quibus Dei maieſtas & opera verbis ad hominum conſuetudinem accommodatis deſcribuntur. Atqui,ſaltem in ſcholis pueri didicimus quid Grammatici *προσωποποιΐας* vocent:&,Dei gratia,tantum profecimus in Theologia,vt etiam quid ſit *ἀνθρωποποιΐα* non ignoremus. Sed vnde tã ſubita iſta *μεταμόρφωσις*? Vt realem præſentiam carnis & ſanguinis Chriſti ſtatuat, nullum tropum in Sacramentali locutione agnoſcit. Mox vt ſuam aduerſum nos ſententiam tueatur, ſic ad tropos vt ad ſacram anchoram confugit. Mirabilis ſanè Theologia,quæ omnia mauult in tropos trãſformare quàm vnum omnibus linguis vſitatum & ſacramentalibus locutionibus peculiari ac propria quadam ratione cõuenientem agnoſcere. Cælũ quoties Deo, Chriſti carni, Angelis,beatis ſpiritibus tribuitur, allegoricè ſummam felicitatem, omnipræſentiam,& omnipotentiam,ſiue omnimaieſtatem,ſi Brentio credimus, declarat. Hinc conſequitur cæleſte regnum nihil aliud quàm omnipotentem dominationem declarare. His opponitur infernus,id eſt ſumma abiectio & confuſio. Quòd corpus Chriſti fuit viſibile & locale, & quæcunque in carne pro nobis peregit,ipſaque adeò aſcenſio, ſunt Brentio externa ſpectacula,per diſpenſationem facta, excepta tamen conſubſtantiatione,& miraculis omnibus. Nam hæc ſcilicet propria ſunt,non *οἰκονομικῶς* propter hypoſtaticam vnionem,id eſt,omnium proprietatũ Diuinitatis, ſimiliter, quod ad *οὐσίαν* attinet,in Chriſto,vt in quibuslibet creaturis habitantis,in carnem effuſionem. An verò nondum etiam ſatis troporum excogitauit,vt vnum illum effugiat,quem tamen conſtituat oportet,quum non niſi figuratè dici poſſit panis idipſum eſſe,quod eſt in,vel ſub, vel cum pane? Saltem verò ex tribus iſtis monoſyllabis quæ inficiari non poteſt inter ſe differre, quódnam tandẽ deligat nobis determinet, vt habeat Eccleſia quod ſequatur. Sed ecce nouis iterum tropis opus eſt, vt planè vereat ne nobis egregia illa Tropiſtarum,Metaphoriſtarum, Figuriſtarum epitheta nunc velit erepta. Omnia autem hæc pulchrè ſcilicet defendit,obiecta illa *ἀνθρωποποιΐας* regula, quam ſi fortè non ſimpliciter(quis enim hoc fecerit?)ſed in quibuſdam quibus illam applicat,non conceſſerimus,tunc ecce nos Tropiſtæ in Anthropomorphitas troporum hoſtes illicò transformamur. Dicit Chriſtus ſe ABIRE, vera videlicet CARNE,vt paret nobis LOCVM,ſicut antè etiam dixerat fore vt E TERRA SVBLATVS,omnes traheret ad ſeipſum: & multas eſſe in DOMO PATRIS,ad quam aſcendit, MANSIONES. Solet autem Scriptura de ſpiritualibus rebus loquens, cuiuſmodi eſt Chriſti caro, cuiuſmodi ſunt Angeli & dæmones,cuiuſmodi ſunt futura hominum corpora, à terrenis vocabula mutuari. *Ergo*(inquit Brentius)*craſſæ ſunt imaginationes Cinglianorum, qui locum in altero ſeculo imginãtur:caro autẽ Chriſti,cælũ,inferi,Angeli,dæmones,iam vbique ſunt abſque vllis locorum ſpatiis,& talia etiam erunt hominum corpora.*

Imò verò nobis ignoſcat oportet quòd allegorias iſtas non aliter quàm aniles *μυθολογίας* abominemur, donec illas aliis teſtimoniis cõprobarit. Illã aũt regulã ita quidẽ vt ipſe vult,indefinitè conceptam, vel ipſomet iudice non dubitamus abrogare. Nam ſi ſine exceptione verum eſt,quum de rebus ſpiritualibus agitur,mutuãda eſſe à rebus terrenis vocabula,& corpus Chriſti in primis ſpirituale eſt:quî fit vt ſpirituali fidei mãducatione non contentus, manu ſumi, ore comedi, ac penè ipſis etiam oculis videri Chriſti corpus tam pertinaciter contendat? Hoc certè non eſt ſpiritualibus ſpiritualia adaptare,niſi noſtra etiam corpora vt Chriſti,ab ipſo conceptu propriè ſpiritualia, per œconomiam

nomiam verò viſibilia & circumſcripta eſſe velit. Viderit igitur quomodo à ſeipſo non diſſentiat.

Sed & illud à Brentio in quenquam Cinglianum dici potuiſſe quis crediderit, *Nos Cinglianos eſſe carnales in cæleſti Chriſti regno conuiuatores?* Sic enim diſertè in nos ſcribit pa. 213, immemor fortaſſe præ diſputationis calore, realis & corporalis manducationis partes à ſe aduerſus eos defendi qui & in præſenti & in futuro ſeculo regnum Dei contendunt neque in corporali eſca, nec in corporali potu poſitum eſſe, ne ſi ipſa quidem Chriſti caro viſibiliter à quopiam deglutiretur. Itaque vt & nobis iocari nonnihil liceat, non deerunt fortaſſe minus craſſi nonnulli Cingliani, qui Brentium mirabuntur in huius regulæ tractatione ſic vbique fuiſſe, vt tamen apud ſe non eſſet. Eſto tamen, valeat illa regula, nec ſit iſte hiatus qualem in hoc mundo conciperemus. Libenter enim concedo quiddam eſſe horribilius omnibus iis quæ in hoc mundo mente concipi à nobis poſſunt. Et quæſo, an nos ita ineptire arbitratur, vt ſinum Abrahæ, beatorum & damnatorũ ſpirituum colloquia, digitis denique vel lingua vel membris præditos eſſe ſpiritus corporibus exutos imaginemur? Sint igitur iſta humano more de rebus captum noſtrum excedentibus ſcripta. Sed tamen aliquem eſſe piis certum deſtinatum locum felicitatis, impiis verò horrendorum cruciatuum, & hos locos quum rebus vel ſubſtantiæ proprietate vt Angelis, vel ſuis corporeis dimenſionibus finitis ac circumſcriptis, vt corporibus, deſtinati ſint, verè locos eſſe, & quidem longè lateque à ſe ſeiunctos, cur non ex hac hiſtoria tam expreſſa colligamus? Quòd ſi Brentio aliud videtur, cauſis allatis hoc nobis demonſtret, & tunc demum aſſentiemur. Vtcunque enim cauilletur nomen Loci eſſe ὁμώνυμον, quod ipſi etiam pueri norunt: tamen quũ LOCVS tormenti nominatur, nemo non videt, niſi quis fortè meridie cæcutiat, Loci nomen propriè ac ſimpliciter eſſe accipiendum pro ſpatio recipiendis, & ibidem in æternum cum Satana & eius angelis, impiorum tum ſpiritibus, tum etiam corporibus excruciandis, deſtinatum.

Quod autem ad locum illum attinet, de ſeditioſis illis qui viui dicuntur in infernum Num. 16.
deſcendiſſe: etſi, vt dicam ingenuè quod ſentio, non puto aliud illic dici quàm viuos in ſepulchrum deſcendiſſe, terra videlicet ſub eorum pedibus horribiliter dehiſcente, quũ alioqui prius mori, deinde terra operiri cadauera conſueuerint: tamẽ neque nouam neque ineptam eſſe interpretationem quam Bullingerus affert, ex Epiphanio & Hieronymo cognoſcet Brentius quum volet. Ipſe verò quàm aptè hunc etiam locum exponit? Vult enim in ſumma ſignificari, miſeros illos nullo morbo præcedente, ſed integra valetudine, repentina morte interiiſſe. Demus igitur iſtos repente mortuos eſſe collapſos, vt Ananiam & Saphiram, an viui dicerentur in infernum deſcendiſſe? Si ita exiſtimat, valde hallucinatur. Aut enim ignorauit, aut ſcire ſe potius diſſimulauit nomine שאול non mortem, ſed ſepulchrum ſignificari, in quod illi non mortui, vt ſolent, ſed viui, terra videlicet obruti, deſcenderint.

Hinc factum vt *Deſcendere ad inferos*, id eſt in ſepulchrum, accipiat Patriarcha Iacob pro *Mori*: quæ interpretatio nullum hic locum habet, quia non tantùm mors, ſed etiam mortis genus in illis ſeditioſis ita ſignificatur, ac proinde non ſatis rectè iſta duo teſtimonia inter ſe comparantur.

Omitto metaphoricam ſignificationem, quum in ſummis doloribus dicitur aliquis ad inferos deſcendere, & poſtea liberatus, ab inferis, id eſt, quaſi ex ipſo ſepulchro emergere, metaphora omnibus linguis familiari. Quæ omnia quum manifeſtè confundat Brentius, nemo non videt quàm immeritò concludat nullum ſubterraneum locum nomine inferorum illic ſignificari.

Sed & illud quod obiter ſcribit pag. 219, *animas* videlicet *tum impiorum tum piorũ ex hac vita migrantium, excipi in Dei manum, ad futuram illarum quidem cõdemnationem, iſtarum verò felicitatem*, videret ipſe ex quo tandem Scripturæ loco deſumpſerit. Nos verò piorum animas à Chriſto ſuſcipi, & vbi eſt caro Chriſti (in cælis nimirum) cũ eo felices eſſe, quamuis plenitudinem reuelandæ gloriæ adhuc expectent, ex Dei verbo credimus. Huc enim nos deducunt illa Chriſti verba, *Hodie mecũ eris in Paradiſo*, quæ veteres ex loco illo Petri malè explicato, ad neſcio quæ piarum animarum receptacula applicarunt, vnde tamen erutas eſſe, & ad cælum poſtea deductas confitentur: & illud Stephani Ieſum in cælis ſtantem alloquentis, *Domine Ieſu, ſuſcipe ſpiritum meum:* & illud Pauli, *Cupio diſſolui, & eſſe cũ Chriſto*: & hac in parte manifeſtè ab Irenæo diſſentimus.

Impiorum autem ſpiritus in Dei manum recipi, quamuis Dei manum ſciamus dupliciter accipi, tamen durus ſermo nobis videtur, quũ potius à Deo repellãtur, exterioribus tenebris addicti: nec dubitamus, præeunte nobis illa Diuitis epulonis hiſtoria, quin iam nunc in LOCO æterni cruciatus horribiliter crucientur: qua de re quid ſentiat Auguſtinus nouit Brentius ex lib. de Ciuitate Dei 21. Itaque in hoc etiam dogmate apertè dicimus nos à Brentio planè diſſentire.

Nec inde conſequitur quod nonnulli metuunt, inane fore vltimi illius diei iudicium. Nam tunc demum piorum animæ corporibus rurſum adiunctæ, plena gloria ſunt perfruituræ, quam nunc tantùm deguſtant, & corpora tunc primùm futura glorioſa: impiorum autem animæ rurſus & ipſæ corporibus ſuis ad æternas pœnas deuinctæ, totam iram Dei ſenſuræ ſunt, & eorum corpora tum demum æternos illos horrores ingreſſura.

Quòd autem nos oppugnat etiam Auguſtini ſic ſcribentis teſtimonio, *Cuiuſmodi ignis æternus ſit, & in qua mundi vel rerum parte ſit futurus, hominem ſcire arbitror neminem, niſi fortè cui Spiritus diuinus oſtẽdit*, haud ſatis ſcio an ſeriò nobis obiiciat. Primùm enim qui ſe dicit ignorare in qua mundi vel rerum parte ſit futurus ignis æternus, omnino in aliqua parte futurum fatetur: vnde ſequitur Auguſtinum alios quàm Brentiũ inferos confiteri.

Deinde quis hic pudor eſt, retractatam ab eodem Auguſtino ſententiam nobis obiicere? Sic enim ipſe li. Retract. 2. cap. 24. *De inferis mihi videor magis docere debuiſſe quòd ſub terris ſint, quàm rationem reddere cur ſub terris eſſe credantur, ſiue dicantur, quaſi ita non ſit.* Hæc ille, à quo non diſſentit Epiphanius in Anchorato, & Hieronymus in Eph. 4. vt Bullingerus Brentio reſpondit: à quibus etiam ſi diſſentit, non conſequitur tamẽ ab ipſius partibus ſtare veritatem.

Vult poſtea probare infernũ eſſe penes nos in terra, quoniam diaboli penes nos ſint in terra, quos dicit Auguſtinus vbicunque fuerint, infernum circunferre. Mirum profectò argumentum. *Animus*, inquit ille apud Terentium, *iamdudum eſt mihi in patinis*: ergo patinæ ſunt etiam ſpirituales, non corporeæ, & ibi ſunt vbicunque lurcones ſunt & famelici. Circunferunt patibula in cordibus ſuis latrones, ergo patibula non ſunt certa loca ex quibus corporaliter pendeant latrones.

Imò an non impii ipſi quocunque venerint, iræ Dei ſenſu perciti, inferos iam ſecum circunferunt? Itaque ipſemet etiam pag. 229, infernum dicit eſſe vbicunque eſt ira Dei, ac proinde in vno & eodem homine cælum & inferos, id eſt, carnem & ſpiritum collocat. Quaſi verò de metaphoricis inferis, ac non potius de loco illo, vt Diues ille epulo loquitur, æterni cruciatus quæramus. Obſecro igitur, anilia iſta cauilla ſemel omittat, ne quis iſta legens, inueniatur qui à Brentio cælum & inferos rideri potius quàm ſeriò credi ſuſpicetur.

Deinde & illud videat, quod vbique eſt, & abſque loco, quomodo circũferri dicatur.

Obiicimus Brentio abyſſum quam reformidat illa dæmonum legio, petens ne cõmittatur. Quid verò reſpondet? *In abyſſo ſeu carcere eſſe* (inquit) *idem valet atque carere cæleſti luce ac felicitate, & cum ſummo horrore æternum illud ſupplicium expectare.* Quid ergo? Quum legio illa ad Domini præſentiam horribiliter perculſa trepidaret, an in abyſſo erat? Et ſi ita eſt, quomodo rogat ne eò mittatur vbi iam erat?

Quid verò? an quũ in illo miſero homine eſſet, in porcis etiam erat? Voluit enim probare Brentius ex illa Iobi & Achabi hiſtoria, ſpiritus illos in regno Omnipotẽtiæ, quod vocat, quódque omnia cæleſtia, infera & ſupera complectitur, ſemper verſari. Cur ergo petunt vt ſibi in porcos tranſire liceat? an hoc ad efficaciam præſentiæ referret, vt ſicut Dei ita etiam ſpirituum bonorum & malorum, cælorum & inferorum plena ſint omnia? & non videt Brentius quàm procul à verbo Dei ſpeculationes iſtæ vbiquitariæ ipſum abducant: & quibus aduerſariorum ludibriis totam Chriſtianam religionem obiiciat?

Dicuntur, inquit, *mitti in abyſſum quum cohibentur ne noceant*. Ergo in carcere ſeu abyſſo, ſeu in inferis eſſe, non ſignificabit carere cæleſti luce, & cum horrore ſempiternas pœnas expectare (quod ipſe paulò antè dicebat) ſed declarabit cohiberi ne noceant. Nos verò iſta commenta vltro relinquimus, non vt pictorum licentiam vel Homericos ſeu Virgilianos inferos imaginemur, ſed vt in verbi Dei ſimplicitate acquieſcamus.

Clamat, inquit, *Dauid, Dolores inferni circũdederũt me. Et Ionas, De vẽtre inferi clamaui.*

ni. Ergo falſum eſt infernum non eſſe penes nos in terris, ſed vbicunque fuerint vel damnati homines poſt hanc vitã, vel etiam tentati de æterna ſui damnatione in hac vita, ibi infernus ſit neceſſe eſt. Ergo nobis, vt video, Brentius infinitas inferorum myriadas fabricarit. Sed quis non videt Dolores inferni tranſlatitiè à Dauide vocati mortiferos, ac planè, vt ita loquar, ſepulchrales dolores, vt mortuo quàm viuo ſimilior eſſet, quod infinitis alijs locis declarat? Ionam quoque quis non videt vaſtum illum ventris ceti gurgitẽ in quo deglutitus iacebat, cum ſepulchro in quod vt cadauer potius quàm vt viuus homo ſit detruſus, comparare? quæ quum nemo tam ſit rudis qui neſciat, cogitare certè debuit à nobis quantumuis craſſis & neophytis Catechumenis non ignorari.

Simile eſt illud quòd quum ipſi obiectum eſſet non temerè ſolere Scripturam vſurpare verbum DESCENDERE quũ de inferis agitur, ipſe rurſus velut ex Literali factus Tropiſta (ſicut nos vocare conſueuit) hoc dicit intelligendum de ſpirituali inferno, ſiue deiectione, oppreſſione, & conculcatione, in quam ſemper deſcendant impii. Omnia igitur, vt video, plena ſunt hominum aſcendentium & deſcendentiũ, qui tamen localiter nec aſcendũt nec deſcendũt, in mirifica iſta Theologia. Sed explicet nobis quæſo, quomodo Dauidicum illud ex hac regula explicandum putet: *Si aſcendero in cælum, tu illic es: ſi iacuero apud inferos, ecce tu ades.* Quominus enim aliter quàm de diuerſis locis hoc poſſit accipi, prohibent quæ præcedũt & ſubiiciuntur. Itaque Brentiana hæc allegoria certè nõ erit perpetua, ac proinde aliquid ſaltem adiiciat oportet ex quo certius aliquid intelligi poſſit. Sed quid hic afferet, quod ſit vllo modo probabile? Certè non magis Brẽtio in iſtis credimus quàm Anaxagoræ niuem atram eſſe contendenti.

Pergit tamen, & *ſedem beatórum eſſe* oſtendit *vbicunque fuerint, etiam ſi in mediis flãmis, & in medio vmbra mortis ambulauerint* Quînam id verò? *quia, inquit Dauid, tu mecum es: & dicit Paulus noſtrum πολίτευμα eſſe in cælis, etiamſi ſimus adhuc in terris.* Quid autem inde conſequitur? *Cælum & infernum non eſſe loca diſcreta, ſed illo quidem felicitatem & gloriam, iſto verò deiectionẽ & horrendam miſeriam vbique ſignificari.* Atqui, vbicunque filii Dei fuerint, felices eſſe, & à Deo præſente cuſtodiri & beari, imò à Chriſto Deo & homine pios nunquam deſeri quis tãdem inficiatur? Sit ergo vbicunque ſunt beati, felix etiam eorum ſedes. Ibi tamen ſtabilem non eſſe eorum ſedem, nec cælos illos in quos ad Chriſtum anhelans Stephanus ſuſpiciebat, ſaltem ex Paulo diſcere oportuit, qui ſic erat cum Chriſto, vt cum Chriſto alibi eſſe relictis terris, optaret. Scimus etiam nos Dei gratia in cælis πολιτευόμεθα, fide videlicet & ſpe quæ non confundit, at non re ipſa, quum idem Apoſtolus teſtetur nos adhuc peregrè abeſſe à Domino: quæ omnia ſi Brentius allegoricè explicanda putat, quàm parum abeſt, obſecro, à Phileti & Hymenæi erroribus, qui non aliam quàm ſpiritualem reſurrectionem imaginabantur?

Citat etiam illud Petri dictum, *Bonum eſt nos hic eſſe. Ergo,* inquit, *cælum erat ei in monte illo præſentiſſimum.* Ego verò quid hic aliud Brẽtio reſponderim quàm quod eo ipſo loco additur apud Marcum? Neſciebat enim quid loqueretur: & apud Lucam, Neſciens quid diceret.

Subiicit poſtea Brentius aliquot paginas de ioculari neſcio quo Lutheri ſacco, de quo hoc vnum dico: nullos peius de patre ſuo mereri, quàm quoſdam Chamos qui pudenda ipſius detegunt, quæ vtinam mallent contegi. Cæterùm tria ibi verè iocularia potius quàm ſeria argumenta proferuntur. Vnum *de Angelis, quos colligit eſſe vbique, quia ſemper vident faciem Patris cæleſtis,* quaſi ſcilicet quia qui vbique eſt, vbique videtur, idcirco etiam vbique eſſe oporteat eos à quibus vbique videtur. Quinam igitur, obſecro, ſunt craſſi ſpiritus? an qui ſic argumentantur, an qui tam ineptis concluſionibus duci ſe non patiuntur? Neque verò de re nihili hîc agitur, cuiuſmodi vtinam tam multa tam ſæpe non quærerentur, ſed de re omnium maxima, ſitne videlicet ſolus Deus infinitus, ac proinde nullo loco circunſcriptus: quod qui non confitetur, certè iacit idololatriæ fundamenta, vt qui creaturas ad Dei vſque eſſentiam attollat.

Aliud argumentum eſt: *Si datum eſt Chriſto quod eſt excellentius, nempe vt ſit vna cũ Chriſto perſona, minimè negatum eſt quod minus eſt, nempe vt ſit ſimul in cælo & in terra.* Egregiè profectò. Datum eſt homini quod præſtãtius eſt, nempe intelligentia: ergo nõ eſt ei negatũ leonis robur, aut tam agilis eſt homo quàm volueris. Quis igitur huiuſmodi cõcluſionis ineptias non videt? Habet ſanè Chriſti caro quod eã ſupra ipſos Angelos attollit. nẽpe quòd eſt Filii Dei caro, & ineffabilibus gratiis ab inhabitante corporaliter Diuinitate in æternũ eſt exornata: ſed ita vt carnis neque materiã neq; eſſẽtiales pro-

prietates, inter quas eſt vel primaria loco circunſcribi, Diuinitas abſorpſerit, ſed perſeuerit. Denique reſpondemus ipſis Auguſtini verbis. Non ſequitur vt quicquid eſt in Deo, ſit vbique vt Deus: neque nos vnquam negauimus Chriſtum Deum & hominem eſſe ſimul in cælo & in terra, quod millies à nobis eſt inculcatum.

Aliud autem argumentum cuiuſmodi eſt, obſecro? *Benedixit nos Pater in cæleſtibus in Chriſto.* Item, *Simul ſedere fecit cum eo in cæleſtibus.* Item, *Vita noſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo. Ergo iam omnes credentes in Chriſtũ, ſumus ſimul in cælo & in terra.* Quaſi verò quod ſperatur & cuius arrhabonẽ habemus, ex vſu Scripturæ non dicamur iam obtinuiſſe. Nos autem reipſa nõdum eſſe in cælis cum Chriſto, ſatis idem teſtatur, vt paulò antè dixi, qui optat diſſolui, & eſſe cum Chriſto.

Videt igitur nunc fortaſſe Brentius, quàm parũ ſolidæ ſint columnæ quibus iſtos ſpirituales inferos ſuperſtruit, de quibus differendi finem faciam, vbi vnum ab eo petiero. Si OMNIPRAESENTIA quam glorificatæ carni Chriſti tribuit, vna eſt ex præcipuis illis dotibus quæ à Deitate in eius carnem, & ab eius carne in omnes credentes pro ſuo modo promanant, explicet nobis, obſecro, quo iure cum dæmonibus quoque & impiis tam excellems donum communicet. Quòd ſi impios quoque reſurgere, & interitus expertem naturam conſequi obiiciat, reſpondebo cum Auguſtino, in Enchiridio ad Laurent. cap. 92. *Vbi infelix Mori non finitur, vt ita dicam, mors ipſa non moritur: & vbi dolor perpetuus non interimit, ſed affligit, ipſa corruptio non finitur.* Et de fide ad Petrum, quem librum vetuſti codices Fulgentio tribuunt, *Habebunt*, inquit, *iniqui cum iuſtis reſurrectionem carnis communem, immutationis tamen gratiam non habebunt, quæ dabitur iuſtis: quoniam à corporibus impiorũ nõ auferetur corruptio & ignobilitas & infirmitas in quibus ſeminantur: quæ ob hoc morte non extinguentur, vt illud iuge tormentum, corpori atque animæ ſit mortis æternæ ſupplicium.*

AD TERTIAM LIBRI BRENTIANI PARTEM, QUÆ EST DE SESSIONE CHRISTI AD DEXTRAM DEI.

HIC primùm omnium præfatur Brentius, & quidem rectè, ſe nõ quærere quid ſimpliciter poſſit ſignificare Dextra Dei in ſacris literis, ſed quid valeat in hoc religionis noſtræ articulo, *Sedet ad dextram Patris omnipotẽtis.* Sit igitur propoſitæ diſputationis hic ſtatus, de quo mox quæremus. Quoniam enim obiter citans illud matris filiorum Zebedæi dictum, *Dic quæſo vt vnus ſedeat in regno tuo ad dextram tuam, alter ad ſiniſtram*, exiſtimat illis nominibus ſignificari felicitatem quæ continget beatis in regno Dei, obiter illud quoque putaui annotandum, quod nonnihil ad rem pertinet. Certum enim eſt filios Zebedæi de illa cæleſti & ſpirituali gloria non cogitaſſe quũ hoc peterent, ſed craſſa illa opinione terreni regni Meſſiæ imbutos, quam vix tandem Dominus ſuum è terris corpus in cælos transferens diſcipulorum ſuorum mentibus eripere potuit, verbis illis craſſiſſimè intelligendis petiiſſe, vt ſumma apud eum, veluti potentiſſimum huius mundi monarcham, ſupra reliquos collegas authoritate pollerent. Idque ita eſſe apparet rum ex illis Chriſti verbis, *Neſcitis quid petatis*, quibus non formam ſeu modum petitionis, ſed ipſam petitionem, vt ab ignorantia craſſiſſima profectam, reprehendit: tum etiam ex iis quæ de hac ambitione corrigenda mox differit. Vbi autem hũc errorem abſterſit, tum demum cæleſte regnum ſuum ſignificans Dextræ & ſiniſtræ ſeſſionis nomine, Sanctorum gloriam eadem qua illi translatione vſus ſignificauit. Cadũt autem dextri & ſiniſtri ſitus nomina in corpora etiam ſpiritualia glorificata, quoniam corpora ſunt, ac proinde ſuis membris quanuis glorioſis diſtincta, teſtificante Domino carnibus adhuc & oſſibus illa cõſtare. Itaque non in *Dextra* vel *Siniſtra* vocabulis, quæ quum de vero Chriſti corpore agatur, propriè accipiuntur: ſed in ipſo complexo, *Sedere ad dextram & ſiniſtram*, poſitam eſſe translationẽ dico, pro eo quod ſimpliciter dixeris, *gratioſiſſimum eſſe regi, & ſumma apud eum eſſe dignitate.* Quum autem Deo tribuitur Dextra vel Siniſtra, tum demum per *ἀνθρωποπάθειαν* illa nomina explicanda confitemur.

Nihilo verius eſt quod ſubiicit Brēt. in hęc Chriſti verba, *Statuet oues à dextris ſuis hædos sūt à ſiniſtris: in quibus dictis*, inquit, *intelligitur nomine Dextra felicitas, quæ cōtingit beatis in regno Dei.* Nam quod ad priorē reſponſionem filiis Zebedæi datam attinet, res ipſa oſtendit ſeſſione tum ad dextram tum ad ſiniſtram, rem prorſus eandem ſignificari, quod Brētius vel non vidit, vel ſe videre diſſimulauit. In altero autem loco nulla prorſus eſt tranſlatio; nec vllus tropus, ſed ſimpliciter accipienda ſunt verba illa ſicut ſonant, Chriſtum videlicet cum gloria illa ſua nobis nunc incomprehenſibili, viſibiliter tamen & localiter in vero illo ſuo corpore præſentē, alios ad dextrā ſuā, alios ad ſiniſtrā, nōdum iudicatos, ſed iudicādos, collocaturum. Vbi verò terribile illud iræ ſuæ fulmen oris ſui fuerit in ſiniſtros eiaculatus, tum illi præcipites in abyſſum ferentur æternis ignibus cruciandi, quæ horrenda calamitas ne ſiniſtræ quidem Chriſti nomine in Scripturis ſignificari vel ſolet vel poteſt, quum Chriſti hoſtes iudicati, non ad eius latus ſiue dextrum ſiue ſiniſtrum, ſed ſub eius pedibus collocentur. Et hæc quidem obiter dicta ſint. Nunc ad rem accedo.

Nos per ſeſſionem ad dextram Dei non latus aliquod dextrū (quadrant enim corporibus iſtæ appellationes) ſed aſſumptæ ſupra omnes cælus humanitatis Chriſti incomprehenſibilem apud Deum gloriam, dignitatem, ac maieſtatem intelligimus, quantæcunque capax eſt caro à Verbo in perſonæ vnitatem aſſumpta. Quoniā tamen de vero Chriſti corpore quantumuis glorificato, & quidem in cælos, non externo ſpectaculo allegorico, ſed verè viſibiliter & localiter aſſumpto, loquimur: idcirco huius ſeſſionis carnis Chriſti ad Dei Patris dextram, ſiue longè ſupra quaſuis etiam cęleſtes creaturas excellentiſſimæ maieſtatis, certum locum eſſe definimus, nempe cælos illos ſummos & nobis ineffabiles in quos eſt recepta, & quibus oportet illam capi dum veniat iudicatum viuos & mortuos: capi, inquam, non vt ibi affixam certo cæli loco, ſed liberrimè cæleſti illa gloria vnà cum Diuinitate cui vnita eſt hypoſtaticè & nunc conglorificata, perfruentem: adeóque inexplicabili ratione ſuos conſeruantem, tantiſper dum omnibus his domitis, ipſius in ſuis etiam membris gloria perficiatur. Hæc noſtra ſententia eſt, verbo Dei & omnium orthodoxorum Patrum teſtimoniis conſentiens.

Brentius autem, quoniam ſibi duo falſiſsima perſuaſit: vnum, hypoſtaticam vnionem poſitam eſſe in effuſione omnium proprietatum Diuinitatis in carnem aſſumptam, inter quas vel præcipua ſit omnipræſentia, quem ſtatum carnis Chriſti vocat Formam Dei: alterum, iſtam formam Dei œconomicè, id eſt, extraordinariè, & vt ad captum noſtrum accōmodaretur, fuiſſe ad tempus forma ſerui, id eſt, proprietatibus huic mundo conuenientibus, vt localitate, viſibilitate, mortalitate & cæteris eiuſmodi obtectam: idcirco, *Sedere ad dextrā Patris omnipotentis*, putat idem prorſus ſignificare atque *Cælū & terrā implere, & omnia corām* (id eſt, corpore omnipræſenti) *cæleſti modo gubernare.* Sic enim loquitur perſpicuè pag. 249. Quum autem ipſi opponimus veritatem carnis Chriſti, opponit viciſſim illam quam diximus omnipræſentiæ effuſionem, ſiue Dei formā. Quum autem articulum alterū obiicimus, nempe ASCENDIT IN CAELOS, Aſcenſionis nomen reſpectu ſuæ illius œconomiæ, propriè quidem accipi pro Ex inferiore loco in ſuperiorem phyſicè tranſire, ſed externum fuiſſe ſpectaculum docet (pro quo rectiùs ſacramentum dixiſſet, niſi de induſtria ab hoc vocabulo, quod tamen omnibus veteribus Latinis eſt in ea ſignificatione vſitatiſſimum & maximè proprium, abſtinuiſſet) quo voluerit Dominus ſpiritualem aſcenſionem, id eſt, abiectionem ſeruilis formæ, ſiue mundanæ huius vitæ cum illa cęleſti & omnipręſentiali commutationem repręſentare. Deinde illum aſcenſum non vſque ad cælos ipſos extendit, ſed nubium ſpatiis terminat: & Cælum vult dici, æternam illam gloriam ac felicitatem, quę cum omnipræſentia neceſſariò cohæreat. Hæc eſt igitur eius opinio, quantum quidem ex ipſius ſcriptis potui coniicere, cuius fundamenta quoniam iam antea ſperamus à nobis fuiſſe conuulſa, cauſa nulla erat cur de iſtis nunc diſputaremus, niſi cuperemus ſingulis ipſius libri partibus reſpondere, quantum quidem fieri poteſt. Singula enim quæ extra cauſam narrat, attingere non decreui.

Primum eius argumentum eſt, *Nullum eſſe in rerum natura tale Cælū quale nos imaginamur, ſicut ex Moſe apparet, ac proinde Dextrā Dei nō poſſe locū aliquē ſignificare.* Atqui nos per Dei dextram non ipſum locū intelligere iam dixi, ſed hoc ſentire, Chriſti carnem quæ in cęlos aſcendit, in iis demum ac nō alibi in illa gloria collocatā. Sed ad rem. Moſen dum mundi creationem deſcribit, illa vltramundana mirum non eſt

non attingere. Vltramundana autẽ appello, quę ſupra cęlos ſunt, vbi Scriptura corpus Chriſti & beatos illos ſpiritus collocat, ne calumnietur Brẽtius nos extra Verbum ſpeculationibus noſtris indulgere. Hic verò ſcio fore vt clamitet nos non poſſe vel vnicum teſtimonium eiuſmodi proferre: nempe quoniã omnia in tropos & allegorias transformat, vt in Cœna Domini τὸ ῥητὸν retineat. Sed ſi Cælorũ nomine ſemel decreuit omnipræſentiam intelligere, agè, illud etiam fateatur, Chriſti carnem ſupra omnẽ omnipræſentiam aſcendiſſe, quandoquidem ſupra omnes cælos euectam eſſe perſpicuè dicit Apoſtolus.

Sed & illud diſpiciat Brentius, quum terminatus ſit hic mundus, quomodo non circunſcribat ipſam Diuinitatis gloriam qui eam non exiſtimat huius mundi ſpatia, SPATIA, inquam, tranſcendere. Quòd ſi aliter exiſtimat, doceat nos Moſen vltramundana illa explicaſſe: aut ſi id nõ poteſt, fateatur ineptum eſſe argumentũ, nõ inueniri in rerũ natura quicquid in hiſtoria κοσμο[illegible]ποιΐας nõ inuenitur. Ita enĩ nec Angelos eſſe conditos, nec eſſe lapſos, ex Moſe quidẽ inueneris. Nã quæcunque de Angelis & Luce creata ſcripſerunt plerique veteres (quod eorum pace dictum ſit) ne refutatione quidem egent.

Sed longiùs porrigitur hæc Brentii argumentatio, quàm initiò fortaſſe quiſpiam arbitretur, dum quod non eſt in rerum natura, fictitium eſſe colligit. Itaque ſi rerum nomine firmamentum iſtud & terram intelligit, quorum creationem deſcribit Moſes, concedo non eſſe illas beatorum ſedes in iſtarum rerum natura. Sed quum altiùs nos deducat verbum Dei, & ſupra cęlos omnes attollat, non modò credendum nõ eſt in rerum natura nõ eſſe, quod iſtis cælis & terra infinitis modis eſt excellẽtius, ac multò minus illa Meteorologica omnipræſentia ſomnianda: ſed è contrario illam incorruptibilitatis ſedẽ ſtatuendũ eſt eſſe omnium rerum præſtãtiſsimã. *At non eſt illic locus*, dicet Brentius. Minimè certè locus eſt, quales ſunt iſti mundani: ſed tamen quum veris corporibus ſtatuatur, verus locus eſt, nec per hunc mundum ſparſus, ſed ab iſtius vniuerſitatis rerum machina, tum excellentia inenarrabili, tum etiam ſitu inexplicabili ſeiunctus.

Alterum argumentũ Brẽtii tale eſt, *Sicut tẽpus & locus, id eſt, ſuperficies corporea continens, vnà cum hoc mundo & ſeculo enata ſunt, ita etiã cũ eo tranſibũt.* Ergo tum demũ exiſtet Brentiana omnipræſentia, & illa ſpiritualium corporum incircunſcriptio, quum totus mundus trãſierit. Nos autem de præſenti corporis Chriſti cõditione quærebamus, in quo ſitus eſt ex quo aſcendit in cælum, vnà cum eorum corporibus qui ex monumẽtis iã tum ſurrexerunt. *Illa verò*, inquiet, *iam tum facta ſunt ſpiritualia*. Concedo, at non ſpiritus. Imò etiã ſi ſpiritus eſſent, tamen omnipræſentes non eſſent, quia vnius Dei eſſentiæ eſt, omnia cõtinere, & à nullo contineri: quod nulli naturæ neque per ſe neque per accidens tribui poteſt, quoniã nulla vnquam creatura in Deum mutata eſt, aut vnquam mutabitur.

Sed illud etiam, obſecro, nobis explicet, putẽtne etiam damnatorum corpora poſſe ſpiritualia dici. Nam ſi ita putat, teſtimonium Scripturæ requirimus. Sin non putat, cur inferos etiã omnipræſentiales nobis conſtituit? Imò cur & iſtos cælos in quos aſcendit Chriſtus, & in quibus iam verſatur cum Angelis & beatorum ſpiritibus, itémque inferos quos tam longè patere dixit quàm iram Dei, iam hoc ipſo tempore omnipræſentiales facit? Saltem enim expectare debuit dum tranſirent mundus & locus, & ſpiritualia fierent omnium corpora.

Tertium argumentum eſt huiuſmodi, *Moueri de loco ad locũ motu phyſico & gradatĩ, non eſt gloria, ſed ignominia: nõ potẽtia, ſed infirmitatis.* Atqui ſi ignominiã id vocat quod ad naturã corporis addidit Peccatum, nempe quòd ſua mole tardiſsimum, infinitis incõmodis & morbis, morti denique & putrefactioni factũ ſit obnoxium, cõcedimus quod dicit, nec tale quicquã corpori Chriſti glorificato tribuimus. Quòd autem vno momento & nictu oculi non fuerit in cælum glorioſiſsima illa caro ſublata (quod ei ſanè nõ fuit difficile) nõ dubitamus quin factum ſit volũtate nõ neceſsitate, in diſcipulorum atque adeò totius Eccleſiæ gratiam. Sin verò naturales qualitates, quibus corpora iſta materialia à ſpiritibus diſcreta ſunt, ignominiam vocat, tum iniuriã ab ipſo fieri dicimus non nobis, ſed Deo opt. max. in cuius operibus nulla prorſus ignominia, nulla labes, quatenus naturalia ſunt, apparet, quamuis non omnibus gloriæ ſuæ notas pari ratione inſculpſerit. Addimus tamen id quoque, naturales illas dotes etiam in Chriſto ſecundùm hominem, longè ſupra quaſuis creaturas excellẽtiſſimè perfectas eſſe, & ſuo

tempore

tempore in beatorum non tantùm corporibus, ſed etiam animabus eſſe inexplicabili modo perficiendas. Brentius verò ſi poteſt illas etiã in Chriſto aboliras, & in nobis, in ò etiam in impiis abolendas oſtendat, vt omnipræſens caro Chriſti, omnipræſentes cæli, omnipræſentes inferi ſtatuantur.

Itaque, vt paucis dicam, nec loco circunſcribi in corporibus humanis, nec proprietate ſubſtantiæ finiri in Angelis, ſunt ignominiæ, ſed naturæ proprietates, qua ſalua & illas manere neceſſe eſt, quamuis quicquid peccatum attulit vitii hominibus, ſit in credentibus quidem per gratiam extremo illo die tollendum, & natura ipſa in illis cum Chriſto capite coniunctis, inexplicabili modo perficienda: in impiis verò illa naturæ deterioratio inenarrabiliter aggrauanda. Verbum requirit Brentius? Conſideret hiſtoriam reſurrectionis Domini, veritatem corporis ſui comprobantis. Conſideret quæ de carnis reſurrectione & gloria tota vetus Eccleſia aduerſus Origeniſtas præſertim, ex verbo Dei defendit, & inueniet quod dico. At ipſe, ſi poteſt, vel ſyllabam vnam proferat quæ carnis Chriſti & Beatorum incircunſcriptam naturam probet.

Imò videat, obſecro, quid ex iſto argumento neceſſe ſit conſequi. Quomodo intrauit ad diſcipulos corpus Domini, ſi loco circunſcribi & à loco in locum progredi eſt infirmitatis & ignominiæ? Erat enim tum iam reipſa, vt ipſe vult, glorificatum Chriſti corpus. An verò id quoque œconomicè factum dicet? Ingreſſus igitur ille non eſt gloriæ, ſed exinanitionis, vel certè συγκαταβάσεως, nedum vt ſit glorificationis argumentum. Quomodo igitur ex eo probat ipſius corporis gloriam? Sin autẽ eſt gloriæ, an intrare aliquò dicetur corpus vbi iam erat? Mentalem autem viſionem fuiſſe ne ipſe quidem, vt opinor, dixerit.

Aliud Brentii argumentũ eſt eiuſmodi. *Dextra maieſtatis & omnipotentia Dei ſignificat Chriſtum cum Deo Patre ſuo, æquali eſſe maieſtate & omnipotentia. Ergo non poteſt ſignificare certum locum in quo Chriſtus localiter circunſcribatur, & in quo gradatim, corporum in hoc ſeculo more, incedat, quia maieſtas & omnipotentia Dei non patiuntur ſe in vnũ locum quamuis ampliſſimum includi, ſed patent quacunque eſſentia Dei patet.* Hæc ſunt igitur Brentiana, quæ vt ipſe probet, citat teſtimonia illa, *Sedens ad dextrã virtutis Dei. Conſedit ad dextram maieſtatis. Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo & in terra. Supra omne nomen quod nominatur in hoc ſeculo & in futuro. Omnia ſubiecit ſub pedibus illius. Supra omne nomen. In nomine Ieſu ſe flectat omne genu.* Quid eſt autem de re non controuerſa laborare, ſi hoc non eſt? Chriſtus enim non eſt carnis Chriſti de qua hîc quæritur, ſed perſonæ nomen. Cæterùm, quis vnquam noſtrûm, imò quis Chriſtianus vnquã negauit Chriſtũ hominẽ eſſe verè Deum, quum vnus ſit Chriſtus, non duo? Quis etiam negat hanc hominis exaltationẽ tum demũ plenè patuiſſe, quũ homo iſte plena victoria potitus in cælũ triũphans aſcẽdit, & æternũ illud regnũ adiit? Deinde quis Chriſtianus vnquã negauit, Chriſtũ prætetquàm quòd eſſentialiter Deus eſt (qua vna in re propriè & per ſe ab omnibus creaturis differt) id etiã habere quo incõprehenſibiliter ſupra quaſuis ſine vlla exceptione creaturas (quatenus & ipſe ſecũdùm carnẽ creatura eſt) excellit, nẽpè quod hæc caro in tantã excellentiam ſit euecta, quanta maxima creaturæ eſſe poteſt?

Quid igitur amplius requiritur? nempe vt humanitatis ſubiecto attribuamus omnes Diuinitatis proprietates, quod nobis non prius perſuadebitur quàm humanitatẽ in Diuinitatem conuerti poſſe probatum fuerit. Brentius verò de iſtis nõ laboraret, niſi iſtam omnipræſentiam videret ad hoc requiri vt Chriſti caro manu etiã & ore ſumatur, quod non prius credemus quam cælum & terram idem eſſe conuicerit.

An igitur, dicet, *negatis hanc formulam, Nomen accipere ſupra omne nomen, naturæ aſſumptæ competere?* Abſit verò vt hoc negemus quo ſalus noſtra nititur, ſed ita tamẽ hoc intelligimus, vt ſecundùm Scripturas proprietatem naturarum ſeruentur. Itaque Filius etiam glorificatus ſecũdùm carnẽ, ſicut eſt caput Eccleſiæ, ita etiã Patri, atque adeò ſeipſo Deo inferior inuenitur. Nec tamẽ propterea Chriſtum magis diuidimus, aut duas poteſtates ſiue glorias illi tribuimus, quàm quum hominem dicentes fuiſſe ad imaginẽ Dei conditum, & poſtea corruptibilem factum, non tamen propterea vel corpus animę exæquamus, vel animam ad corporis vſque ignominiam deiicimus.

Apertius loquar. Vna Chriſti eſt gloria, quam quatenus eſt vnigenitus Dei Filius, à ſeipſo habet vnam & eandem prorſus atque Pater: quatenus autem eſt creatura diſtinctè conſiderata, à Diuinitate accepit, ſupra cæleſtia, terrena, & inferna omnia, ampliſſima & ineffabili gloria exornatus. Deus enim Deus manet, & homo ma-

net homo, tum eſſentia, tum etiam eſſentiæ proprietatibus.

Sic Auguſtinus explicans illud Pauli, *Tunc & ipſe Filius ſubiicietur ei*, &c. & de ſummo illo glorificationis Chriſti gradu diſſerens, *Subiectus erit*, inquit, *ei qui illi ſubiecit omnia, vt in quantum Deus eſt cum illo nos ſubiectos habeat, in quantum ſacerdos, nobiſcū illi ſit ſubiectus*. Itaque illa conſequutio, *Chriſtus ad gloriam, virtutem, omnipotentiam Dei eſt euectus in carne, Ergo eius caro eſt Diuinitati exæquata*: ſiue, *per accidens aut ex dono habet in ſeſe quicquid Diuinitas habet per naturam*: Brentii, inquā, illa conſequutio nihilo eſt firmior quàm ſi purpuram qua veſtitus rex eſt, regi ſecundùm dignitatem quiſpiam exequaret, qua ſimilitudine veteres, tum Auguſtinū, tum Chryſoſtomum vſos fuiſſe Brentius non ignorat. aut (vt ſimilitudinem propinquiorem afferam) ſi corpus animæ exæquaretur cui in animalis vitæ conſortium eſt adiunctum.

Deinde cur aliunde quàm ex iis ipſis quæ profert teſtimoniis, ſolutionem argumenti petamus: Conſedit Chriſtus ad dextram maieſtatis, ſed IN EXCELSIS, non autem in terris, nec in vlla alia mundi parte. *Id eſt*, inquit, *in cæleſti regno*. Concedimus: & ideo dicimus illius regni cui ſubſunt omnia, ſedē, carnis Chriſti reſpectu, in cælis, non in terris, nec alibi vſquam collocari. Nec enim dicit Chriſtus ſeſe quū ſublatus fuerit E TERRA, venturum ad omnes, ſuo corpore omnipræſentiali, ſed omnes ad ſe tracturum, ſpirituali nimirum ſua virtute, qua nos ſecundùm ſpem iam in cæleſtibus ſecum collocauit. Sic enim ſcribit Cyrillus in Iohannem lib. 11. cap. 3, *Abeſt corpore Patri pro nobis apparens, & à dextris eius ſedens, habitat tamen in Sanctis per Spiritum*. Et Vigilius li. 4. cōtra Eutychen, *Nunc quia in cælo eſt, non vtiq; eſt in terra*. Videat igitur Brentius quàm bellè ſibi cum illis orthodoxis Scriptoribus, aut potius cum veritate ipſa cōueniat. Ipſe Chriſti carnem, quia in cælis eſt & ad dextram ſedet, omnipræſentem facit. Illi ex aduerſo, quia ſit in cælis ad dextram Patris, in terris eſſe negant. Nec aliter Chriſtus ipſe, quum de ſuo diſceſſu loquens, *Me*, inquit, *non ſemper habebitis*.

Data eſt mihi, inquit Chriſtus, *omnis poteſtas in cælo & in terra*. Sit ita ſanè, quis enim Chriſtianus hoc neſcit? *Ergo*, inquit Brēt. *Chriſti caro eſt omnipræſens in cælo & in terra*. Mira certè conſequutio, tā latè neceſſariò patere carnē Chriſti quàm patet eius imperium. An quia alioqui non eſſet Chriſtus omnipotens? Imò verò ſi non poteſt Chriſtus niſi carne præſens cælum & terram gubernare, minus ei quàm multis nō dico regibus, ſed vulgaribus tantùm hominibus concedit Brētius. Non ita iudicabat fidelis ille Cētutio, qui omnipræſentiā hāc ignorās, & tamē ipſius Chriſti teſtimonio eximia fide præditus, Chriſti licet corpore abſentis mandato & virtute puerū ſuum ſanari poſſe credidit.

An ergo, dicet, *abſens eſt Chriſtus, qui ſe nobiſcum fore dixit?* minimè profectò, vt qui ſit verus Deus, & ab aſſumpto homine inſeparabilis. Sed, vt inquit Auguſtinus, conſequens non eſt vt quicquid in Deo eſt, ſit vbique vt Deus.

Dicit Paulus Chriſtum ſediſſe ad dextram Patris, ſed addit, IN CÆLESTIBVS, *id eſt*, inquit Brentius, *ſupra omnem principatum*, &c. At iſta expoſitio probanda fuit. Duo enim ſunt, *Sedere ad dextram Patris*, & *In cæleſtibus*: quoniam illud quidem qualitatem ſeu ſtatum, iſtud verò ſitum declarat. Ridebit ille fortaſſis, dum iſta leget. Sed rideat licet, nunquam homini ſanæ mentis perſuadebit, *Aſcendere in cælos*, & *Sedere ad dextrā Patris*, rem eandem declarare, vt in tam breui ſymbolo, cuius ſingulæ penè ſyllabæ proprium myſterium continent, ταυτολογία & βαττολογία inaniſſima reperiatur.

Et quid pluribus opus eſt? cui perſuaſerit illa, ASCENDIT IN SVBLIME, & DE-
Ephes. 4. 9 SCENDIT IN PARTES INFERIORES TERRAE, ſic eſſe de qualitate & conditione accipienda, vt nulla loci mutatio ſignificetur?

Affert tamen Brentius rationem à comparatis ſumptam. *Nam*, inquit, *ſi Chriſtus loco circunſcriberetur, non eſſet præſtantior Angelis factus, vt qui non indigeant locorum circūſcriptione, id eſt ſuperficie corporis continentis*. Quid ergo? vtrū corpus ipſi videtur excellentius, adamantis an hominis? Nam illud quidem eſt clariſſimum & planè indomitū, iſtud autem infinitis miſeriis & morti tandē obnoxiū. Sed reſponderet Philoſophus, vnicam mouendi facultatem omnibus adamantis viribus præſtare. Theologus verò quātò plura diceret? *Corpus noſtrū*, inquit Paulus, *templum eſt Spiritus ſancti*. *Fulgebunt iuſti ſicut ſol*, inquit Dominus: an ergo noſtra corpora quantumuis ignominioſa, corpori ſolis iam nunc non præſtant cū anima rationis participe coniuncta? De corpore Chriſti verò quid non exiſtimabimus? Nam præterquam quòd Filius Dei vnigenitus ſic eſt in ea carne manifeſtatus, vt illam ſibi propriam effecerit, dico minimū omnium dono-

rum

rum quæ in illam ab inhabitãte corporaliter plenitudine Deitatis ſunt collata, ſic eam ſupra quaſuis creaturas extollere, vt præſtantia illa ne ab ipſis quidẽ Angelis cõprehendi poſſit. Propterea verò corpus Chriſti cælo nõ capi quum affirmat Brentius, ab ipſo Petro Apoſtolo refellitur, cuius verba ſi quem tropum admittunt, non video quid tãdem præter tropos videre, ſentire, audire, tangere, guſtare, imò etiã cogitare poſſimus. Quid ergo ſupererit niſi vt ipſum etiam Deum in Tropicis collocemus, & ſi pro atomis Tropos ſubſtituas, pro vera religione, ſomnia Epicuri complectamur?

Obſecro Celſ. tuam, Illuſtriſſ. Princeps, pro ſingulari tua pietate, vt me qualemcunque Dei ſeruum, non ridentem (abſit enim hoc in re tam ſeria) ſed ſeriò, & corã Domino noſtro loquentem audias. Reprehendimur à Brentio, quòd in ſpirituali per fidem manducatione veri illius corporis, quod pro nobis pependit, acquieſcentes, nec manibus nec ore ſumi rem Sacramenti dicamus: ideóque accuſamur tanquam ſpirituale corpus Chriſto affingentes, vel corporis ipſius *οὐσίαν* negantes, vtrunque quidem calumnioſè, vt eſt à noſtris ſæpiſſimè declaratum, & aliquando D. Guillelmus Farellus & ego coram tuæ Celſit. miniſtris, tum voce tum ſcriptis ſumus teſtati. Quî fit ergo vt nunc carnales vocemur, quòd carnis Chriſti omnipræſentiã cum ipſius veritate pugnantem nolimus confiteri? Quàm bellè iſta inter ſe conſentiunt, corpori adimere circunſcriptionem, & Chriſti carnem nihilominus arbitrari in Cœna videri, tangi, manducari, & dẽtes carni ipſius infigi, & carnem ipſius lingua contingi? Hæc enim Brentius hoc ipſo libro pag. 106, ex Chryſoſtomo deſcripſit, nullum in iis tropum deſignãs. Sed de hoc plus ſatis. Quod autem de Angelis hîc ſcribit, quorſum ſcribit? Nam etiamſi daremus ita vt Angelos carnem Chriſti cælis contineri, ne ſic quidem omnipræſens conſtitueretur, quum Angeli, vt iam aliquoties dixi, etſi vt corpora materialia dimenſionibus non circunſcribantur, proprietate tamen ſubſtantiæ ſuæ finiantur.

Dicitur Chriſtus, Heb. 7. 26, excelſior ipſis cælis factus. Quomodo igitur, inquit Brentius, *illud* IN EXCELSIS *certum in cælis locum ſignificabit?* Quaſi verò quod ſupra cælos eſt non ſit excelſum. *At non erit in ipſis cælis*, inquit. Quoties verò à nobis dictum eſt Cælis illis nominatis, nos ſupra omnem viſibilem orbium cæleſtium machinam cum Chriſto penetrare? Didicimus enim fore vt hoc cælum & hæc terra tranſeat, regni autem illius ſedem, quæ vbique in Scripturis cæleſtis, omnipræſentialis autem nuſquam dicitur, æternam & immobilem eſſe.

Citat tamen hoc loco Brentius aliquot teſtimonia, in quibus Dominus vocatur excelſus, & quærit an hoc declaret certo cæli loco circunſcriptum. Sed quorſum? nec enim de Diuinitate, ſed de carne Chriſti, glorificata quidẽ, ſed vera & veris carnis proprietatibus definita, quæritur. Deinde quorſum certum in cælis locum commemorat? Nec enim aliquem peculiarem in cælis locum niſi quo ipſi conſiſtere libuerit, ſed ipſos cælos Chriſti carni pro habitaculo ex Dei verbo tribuimus: ac proinde nõ minus apertè nobis iniuriam facit Brentius, quàm ſi quereretur, Illuſtriſſime Princeps, ſeſe quum à te in tua ditione ampliſſima collocaretur, in certum quempiã tuæ ditionis angulum fuiſſe detruſum.

Præterea vt ea etiam quæ citat obiter expendamus, in his Dauidis verbis, *Tonabat de cælo Dominus*, aëreas regiones ſignificari, quis præter illum vnum fortaſſis non videt? His enim circunſtantiis certum eſt ſummi illius Dei maieſtatem deſcribi, quem peculiariter dicere conſueuerunt homines ibi eſſe vbicunque præſentiæ ſuæ proprium aliquod teſtimonium edit. quod quum minimè ignoret Brentius, cur tandem, quæſo, iſta minimè controuerſa nobis obiicit? niſi fortaſſe putat Diuinitatem carcere quopiam includi, quum Chriſtum ſecundùm carnem nunc cælis capi, ac proinde terras verè reliquiſſe, vt nos ad ſe in cælum raperet, ſicut Scriptura totáque Eccleſia ſemper credidit, affirmamus.

Item quum Iobus teſtẽ ſuæ conſcientiæ in cælo & excelſis collocat, quis neget eum cæleſtem illam machinã nõ aliter ſignificare ex cõmuni vſu, quàm quum Patrem qui eſt in cælis precamur? Quis autẽ vnquã illa verba ſic eſt interpretatus, *Pater noſter qui es in cælis*, id eſt, *Pater noſter qui es vbique*, ac nõ potius ſic expoſuit, *Pater noſter cuius ſplendor ille incomprehenſibilis in cælis elucet, quique nos in æternas illas ſedes attollis?*

Citat & illud, *Gloria in excelſis Deo*, & quærit cur hoc de certo loco Cæli accipiatur. Ego verò reſpondeo me non dubitare quin de cæleſtibus regionibus hoc cecinerint Angeli, ac præſertim de ſuis illis beatiſſimis manſionibus, quod etiam ex oppoſito

Ff.

illo membro, *Et in terra pax hominibus*, ſatis liquet, nempe vt & cæli & terra, id eſt, quicquid in mundo eſt & extra mundum, de tam inenarrabili myſterio Deo gratias agat.

Quod autē profert ex Chryſoſtomo, contra nos minimè facit. Negat ille Dextræ nomine tribui Deo corporis humani figuram, & Deum his verbis, IN EXCELSIS, loco includi, ſed omnibus altiorem conſtitui. Et quæſo, quis vnquam noſtrûm aliter ſenſit, aut ſcripſit, aut docuit? *Sed* (inquit Brentius) *idem mox adijcit, ſicut eſt in excelſis Pater, ſic eſſe Filium, & conſeſſum nihil aliud demonſtrare, niſi honoris æqualitatem.* Concedimus hoc qnoque, ſed reſpectu τῆ ὁμονοίᾳ, vt ibi diſertè annotat Græcus ſcholiaſtes, cuius eiuſdem gloriæ participem eſſe Chriſti carnem quis Chriſtianus vnquā negauit? ſed ita vt ſi diſtinctè carnem conſideres, infra Diuinitatem ſubſidat, Particulam autem ἐν ὑψηλοῖς cōiunxit Chryſoſtomus, non cum verbo ἐκάθισεν, ſed cum τῆς μεγαλωσύνης, vt ſi ſcriptum eſſet τῆς ἐν ὑψηλοῖς, ſicut & nos Latinè interpretati ſumus, *ad dextram maieſtatis illius excellentiſsimæ.* Nihil igitur iſtud ad id de quo agimus, qui Dei maieſtatem nihilominus in terris quàm in cælis ſublimem & excelſam eſſe minimè inficiamur, nec cōſeſſus ad Dei dextram nomine aliud quàm carnis Chriſti ſummam gloriam intelligimus. Sed quum eadem caro in cælos aſcendiſſe dicatur, nos illius ſeſſionis & gloriæ ſedem in cælis, non in terris, aut alibi vſquam collocamus.

Eadem autem ratione concidit illud Brentij argumentum, *Dextra Dei, id eſt, omnipotentia Dei, ad quam conſidet Chriſti corpus, implet cælum & terram: Ergo corpus eius eſt in Cœna.* Primùm enim dum ſic argumentatur, vel res planè diuerſas, id eſt, Chriſti poteſtatem, & Chriſti carnem, pro vno & eodem accipit, quod planè ſophiſticum eſt: vel præſupponit illud ipſum de quo quæritur, nempe tam latè ſua eſſentia patere carnem Chriſti quàm ipſius regnum ac imperium: quod in Deo quidem verum eſt, in carne verò quantumuis glorificata, non item.

Ergo rurſum clamabit nos Chriſtum diſcerpere, ſed nos reclamantes rurſum reſpondemus, quod diſtinguitur, non tamen idcircò ſeparari.

Deinde quum Chriſti corpus à nobis in Cœna non poni ſcribit, facit profectò nobis iniuriā. Cuiuſmodi enim erit hæc Cœna, ſi Chriſti corpus abeſt? Sed ipſe in eo hallucinatur, quòd abeſſe putet quicquid eodem loco non adeſt. Nos autem in Cœna Domini non eo loco hæremus in quo cōſiſtimus, ſed in eo in quem fide ſpiritualiter aſſurgimus: nec in corporeis ſymbolis ſubſiſtimus, ſed animo & ſpiritu ad illam glorioſam carnem, in cælis, ac non alibi poſitam, vbi & nos aliquando reipſa futuros credimus fide noſtra & Verbo & ſymbolis cōfirmata, prouehimur. Quorſum enim illud SVRSVM CORDA, ſi deorſum etiam ſiue ante oculos eſt Chriſti corpus quod quærimus?

Rectè itaque Chryſoſtomus in 1. Cor. 10. Homil. 24. *oportere nos* dicit *aquilas in hac vita factos ad ipſum* CAELVM, *vel potius* SVPRA CAELVM *euolare, vbi eſt illud cadauer, id eſt,* inquit, *corpus Domini propter mortem ſic vocatum, quia niſi cecidiſſet, non reſurrexiſſemus:* Et ne obiicere poſſit Brentius per Cælum illic nō locum aliquem, ſed omnipræſentiam ſiue omnimaieſtatem intelligi, idem lib. 3. de Sacerdotio, TERRAM, terram, inquā, illam in qua nos corporaliter ſumus, illi CAELO non metaphorico, ſed proprio opponens, *Etiámne,* inquit, *te inter mortales verſari, & in terra conſiſtere cenſes, ac non potius in cælum è veſtigio transferris? an non carnis cogitationem omnem abyciens, nudo animo, menteque pura circunſpicis quæ in cælo ſunt?* Hæc ille, ex quibus nos animo & mente oportere nō in terris, non in ſymbolis, ſed in cælis, ſpiritualiter nimirum corpus Chriſti cernere & amplecti, meritò colligimus.

Itaque quum ſpiritualis ſit hęc actio, abſit vt ab illa verum noſtrum cibum & verum potum, Chriſti videlicet corpus & ſanguinem, excludamus. Quatenus autem externa illa in terris ex Dei mandato geruntur, corpus etiam Domini nobis verè adeſſe credimus, ſed illud demum de quo Cyprianus in ſermone de Cœna Domini, *Qui,* inquit, *vſque hodie hoc veraciſsimum & ſanctiſsimum corpus ſuum creat, & ſanctificat, & benedicit, & piè ſumentibus diuidit. Quid ergo,* inquiet Brentius, *an bicorpor erit Chriſtus?* Imò verò, an non tandem aliquando corpus quod quotidie creatur, ab illo ſemel in æternum cōdito diſtinguet Brentius, vt ſacramentales locutiones norit?

Res autem ita ſe habet. Reuera vnicum eſt Chriſti corpus, quod noſtrî cauſa aſſumpſit (de myſtico enim corpore nunc non agimus) ſed quoniam hoc vocabulum interdum ad ſacra corporis illius ſymbola, Chriſto ipſo authore, locutione ſacramentali transfertur, inde fit vt quum vnū ſit re ipſa Domini corpus, quod viſibilibus illis ſym-

bolis

bolis communicatur,tamen tot ſint ſacramentalia Chriſti corpora, quòt ſacris panibus illud vnicũ ac ſingulare ipſius corpus per totũ orbem efficaciter ſignificatur. Si hoc non credit, cum Chriſto ipſo contendat, qui panem dixit eſſe ſuum corpus, non autem in, vel ſub, vel cum pane: & cum tota vetuſtate, ac in primis cum Auguſtino tranſigat, qui in Epiſtola ad Bonifacium hoc idem explicauit: & cum Cypriano, qui quum hoc corpus quod diuiditur, quotidie creari ſcribit, certè ab eo quod ſemel eſt in æternum conditum, eſtque reipſa ſiue ſubſtantialiter & realiter corpus, manifeſtè diſtinxit. Itaque quocunque ſe vertat Brentius, iniuriam nobis facit, quũ à nobis corpus Chriſti dicit à Cœna excludi, etiamſi Chriſti corpus non alibi quàm in cælis ſpiritualiter per fidem quærendum ex Dei verbo doceamus.

Scripſit Bullingerus & verè ſcripſit, Dextram Dei etſi ſignificet gloriam & beatitudinem ſummam, tamen nõ ſemper incircunſcriptum beatitudinis locũ declarare, quod ex hoc ipſo articulo de quo nunc agimus appareat. Sic enim ſedere Chriſti carnem ad Dei dextram, id eſt, ſic factam gloriæ ac maieſtatis Dei ſociam, vt ſimul certa ac circunſcripta ſit eius ſedes, cælorum videlicet in quos aſcendit. Reſpondet Brentius nõ poſſe has duas ſignificationes eidem dicto attribui, quoniam maieſtate ſua omnia implere, & eadem maieſtate in vno tantũ certo loco cõtineri, natura rerũ ferre nõ poſſit. Atqui nihil ad nos iſta ſpectãt. Neque enim hoc dictũ, Sedere ad Dei dextrã, vnquam diximus accipi pro OMNIA implere, ſed pro participem fieri gloriæ ac maieſtatis Dei, ſeruata tamen naturæ humanæ proprietate, ita videlicet vt eadem Dei dextra, ipſius quidem Dei reſpectu cuius dextra dicitur, nihil circunſcriptum declaret, quum Deus ſit planè ſimpliciſſimus, & omnia ſic contineat vt à nemine contineatur: eorum autem reſpectu qui ad hanc ipſius dextram ſedere dicuntur, putà carnis Chriſti in primis, deinde beatorum corporum, poſtquam ſuo modulo glorificata fuerint, certam & corporibus glorificatis cõuenientem ſedem circunſcriptam declaret. En cur nobis ſpiritus vertiginem obiiciat Brentius, quem ſaltẽ recordari oportuerat puerilis illius regulæ, Contraria poſſe eidem ſubiecto diuerſis reſpectibus attribui.

Non diſſimilis eſt & ille laqueus quo nos inuolui putat, *Si eadem eſt Patris & Filij dextra, vt dicit Bullingerus, & dextra Chriſti certum locum declarat, cõſequetur etiam Deo Patri certum locum definiri.* Sed quid eſt συκοφαντεῖν ſi hoc nõ eſt? Quum expreſſè dicat Spiritus ſanctus, vni Filio dictum eſſe, Sede à dextris meis, & tamen alibi dicatur Deus credentes collocaſſe cum Chriſto in cæleſtibus, id eſt, ſuam cum Chriſto ſedem illis deſtinaſſe, ſicut & ipſe Chriſtus his verbis petiit, Velim, Pater, vt vbi ego fuero, & illi ſint mecum: quis hæc dicta non videt interpretatione egere? Dextra igitur quum in ipſo Deo conſideratur, nihil corporeum, nihil definitum, ſed omnipotentem gloriã, & nulla ſede circunſcriptam maieſtatem declarat. Eadem quoque dicitur carnis Chriſti, ſed paſſiuè, quatenus videlicet apud eam dextram ſedet, ſiue quatenus eſt facta eius particeps ac ſocia, ſeruata tamen, vt ſemper dixi, humanæ ac circunſcriptæ naturæ proprietate. Hæc autẽ gloria illi vni carni ex dono propria eſt ac dicitur, duabus de cauſis: primùm, quia ſola ex omnibus creaturis hoc honore eſt ἀμέσως coronata. deinde quoniã ad nos ipſius membra, non niſi ex illo intermedio capite, & quidem certa menſura defluit. Itaque ſic cum illo eſſe & ſedere dicimur, vt tamẽ Caput inenarrabiliter emineat, ac proinde dicamur, Matth. 20. 23, Ipſi aſſeſſuri, non autem in ipſomet eius throno ſeſſuri. En iterum cur nobis ſpiritus vertiginem obiiciat Brentius.

Sed cogitet ipſe quomodo *Sedere ad dextrã Patris* ſemper ſignificet æqualitatẽ gloriæ, quum & nos dicamur ad dextram Chriſti & cum eo ſeſſuri, & vbi eſt futuri, & tamẽ certum ſit, ex ipſius quoque confeſſione, nullius corpora cum Chriſto parem & æqualem gloriam habitura. *Nempe*, inquit, *quoniam Sancti nõ ſunt Deus, Chriſtus autem eſt verus Deus.* Concede, igitur, Brenti, Sedere ad dextram Dei, non ſemper paritatem gloriæ & maieſtatis, ſed interdum ſolam qualitatem declarare, quoties nimirum creaturæ ad illam dextram collocantur, quæ quum finitæ ſint, infinitæ illius gloriæ capaces, non niſi pro ſuo modulo, fieri poſſunt. Chriſtum porrò vnum & eundem eſſe Deum & hominem confitemur, verùm qui Chriſtum ſecundùm carnem ſiue carnis reſpectu, ſiue quatenus homo eſt, Deum vel per ſe vel per accidens eſſe diceret, nemo vnquam niſi ex Eutychetis ſecta exiſtimauit.

Ex hoc efficitur, ſi Filium dicas ad dextram Patris ſedere τῦ ὁμουσίου reſpectu, eandem prorſus & coæqualem gloriam Patris & Filij intelligi oportere: ſin verò eiuſdem Filij

carnem aſſumptam conſideres,ſic eandem gloriam ipſi tribuendam,vt & in Patris perſona,& in eiuſdem Chriſti altera, nempe diuina, natura, eadem illa gloria & maieſtas reſideat,ac proinde ſola glorificationis inde in aſſumptam carnem ſeſe exerentis qualitas,excellentiſſima tamen,declaretur. Si hoc negat Brentius,carnem Chriſti in Deitatem tranſmutat,neque id mirum,quum Chriſtum à Petro, imò & à quibuſuis creaturis non putet ipſius Deitatis inhabitatione, ſed ſola omnium proprietatum effuſione differre, quod & Neſtorianum quod ad naturarum eſſentiam attinet, & ſimul Eutychianum reſpectu proprietatum eſſe oſtendimus.

Obiecta ſunt Brentio teſtimonia totius, totius,inquam, eruditæ vetuſtatis, quæ, teſte etiam ipſo D. Philippo Melanchthone, Auguſtanæ confeſſionis ſcriptore, vbiquitatem iſtam ignorauit. Reſpondet Brentius, ſe non teneri illorum authoritates ſequi, quum pro ſe manifeſta habeat teſtimonia Scripturæ. Cedò verò quarum rerum teſtimonia?

Chriſtum humanitate ſua ſedere ad dextram Dei Patris omnipotentis.

Habere omnem poteſtatem in cælo & in terra.

Collocatum eſſe ſupra omne nomen,

Vt omnia impleat in omnibus,

Et omne genu in ipſius nomine coràm in præſentia & conſpectu eius flectatur.

Ergo,inquit Brentius,*fieri non poteſt vt maieſtate ſua in vnum certum ſiue felicitatis ſiue infelicitatis locum ita includatur & circunſcribatur,vt non queat ſimul in alijs etiam locis eſſe,& omnia coràm gubernare.* Nos verò,Dei gratia, non adeò ineptimus vt Patrum teſtimonia pro irrefragabili Dei verbo obtrudamus. Sed quum de dogmate aliquo quæritur,& ſummus omniũ Patrum conſenſus in eo,non ex ſeſe(tum enim ne myriadas quidem teſtiũ extra Verbũ Dei audiendos arbitramur) ſed ex prolatis Scripturæ teſtimoniis oſtenditur,quũ ad analogiã fidei omnia reuocãtur, quũ Synodi citra cõtrouerſiam receptæ verbum Dei citãtes & interpretantes, & hanc ipſam carnis Chriſti vbiquitatem anathematiſmis ferientes,proferuntur,an hoc eſt nuda Patrũ authoritate niti? Brẽtius verò vel vnicum teſtem ex orthodoxa vetuſtate,imò ex media ipſa Barbarie proferat,qui hypoſtaticam vnionem non in ipſa τοῦ λόγου inhabitatione, ſed in omnium proprietatũ effuſione ponat: qui Aſcendere in cælos,& Sedere ad dextrã Patris pro vnico fidei articulo habeat, vt ipſe nominatim ſcribit pag. 259: qui cælos dicat ſignificare omnipręſentiã: qui carnem Chriſti dicat omnia implere: qui inferos,locum cruciãdis impiis deſtinatum,eſſe dicat vbicũque fuerint diaboli: hæc, inquam, oſtendat quempiam qui ſaltem innuat. Paucula enim quæ citauit ſic à D. Petro Martyre ſunt ipſi extorta,vt illa recipere ne conetur quidem. Quomodo enim id faceret, quum hoc ipſum Brentianum,id eſt,Neſtorij & Eutychetis dogma omnes communi ſententia oppugnent?

Sed agè etiãſi illos ſinamus,quorſum nobis aliis teſtibus quàm ipſomet opus eſt? Primùm enim quod millies iam dixi, & nuſquam eſt ab eo animaduerſum,aliud eſt dicere Chriſtum vbique pręſentem,æquali cum Patre gloria præditum,omnia implere(quod minimè negamus)quàm carni Chriſti omnia illa tribuere. Quod enim de perſona dicitur,quo tandem iure ſingulis naturis: etiam hypoſtaticè vnitis,tribuit? Deinde Chriſtũ hominem quum vnus & idem ſit etiam Deus, quis audeat negare cælum & terram implere? at de Chriſti carne hoc dicere,vt ipſe facit,Eutychetis eſt dogma. Verum enim eſt hunc hominem eſſe Deum,non autem hanc carnem eſſe Diuinitatem. Quamobrem id verò? quoniam non commixtione nec confuſione,ſed prorſus inconfuſa & impermixta duarum naturarum vnione,Filius Dei factus eſt homo. Sic loquuntur Patres ex Dei verbo,quod diſcrimen perſonæ & naturæ, abſtracti & cõcreti ſi diligenter obſeruaſſet Brentius,nunquam in iſtas controuerſias triſtiſſimas, & iam olim aduerſus Neſtorium & Eutychen compoſitas,Eccleſiam Dei coniecisſet.

Ergo vt ad rem redeam, ſua illa argumentatione nihil colligit quod non vltrò fateamur. Quòd ſi pro Chriſto CARNEM CHRISTI, aut CHRISTVM ETIAM SECVNDVM CARNEM ſubſtituat (hoc enim dictum voluit) tunc quis tandem argumenti iſtius conſecutionem concedet? Dicimus enim longè aliud eſſe, VBIQVE ESSE (quod ita eſt propriũ Diuinitatis eſſentiæ,vt prorſus ſit ἀκοινώνητον) quàm omnia illa quæ in antecedenteq enthymematis præcedunt.

Denique plus colligit quàm contineat antecedens, vt centies probatum eſt, quum ſingulis illis teſtimoniis Scripturæ reſponderemus.

Præterea

Præterea illud, VT IMPLERET OMNIA IN OMNIBVS, quorſum, obſecro, ad ſubſtantiam carnis trahit, quaſi omnia ſua carne repleat Chriſtus? Quis enim non videt Paulum ibi de Eccleſia loqui, cuius virtute ſingula Eccleſiæ membra viuant & regantur? proponitur enim illic Chriſtus vt caput. Non dicitur autem datum hoc Caput toti mundo, ſed Eccleſiæ demum ſuæ. Quòd ſi hæc malit de vniuerſali mundi gubernatione accipere, quem in totum Pater in Filio gubernet, quoties iam dixi Chriſtum à nobis ex mundo non excludi: & præterea carnem Chriſti potius impotentem quàm omnipotentem ab ipſo ſtatui, quum exiſtimat illam non niſi re ipſa præſentem, poſſe huius mundi gubernacula tenere? Iſta enim verba, CORAM, IN PRAESENTIA ET IN CONSPECTV EIVS, Paulo adiicit Brentius de ſuo, quæ tamen eo quo dixi reſpectu minimè inficiamur.

Sed & quorſum illud INCLVDI toties tã odioſè repetit, quaſi cum Chriſti carnem in cælis, ac non alibi collocamus, carcere quodam illum includamus?

Poſtremò, quorſum etiam INFELICITATIS LOCVM commemorat? an vt carnem Chriſti etiam apud inferos, vt & ipſos cælos, conſtituat? Hoc enim faciat neceſſe eſt, ſi vult etiam carnem illius omnia implere. Atqui non ego, ſed Hieronymus, cuius dicto alibi abutitur vt Sanctos vnà cum Chriſto ponat vbiq; ambulantes, hoc ipſum dogma apertiſſimis verbis, impietatis damnat. Sic enim ille (quod iã pridem etiam Brentio à Bullingero obiectum, nondum ei in mentem venit vt refelleret) iſta Pauli verba, *ſpirituales nequitias*, de aëre explicans, *Impium eſt*, inquit, *vt ſpiritualia nequitia in cæleſtibus, iſtud cælum tenere credantur, de quo loquitur Deus, Cælum mihi thronus eſt*. Ex quibus Hieronymi verbis illud etiam colligere licet, Eccleſię veteri incognitam fuiſſe allegoriam illam Cæli quod thronus Dei eſt, pro ipſius omnipræſentia ſeu omnimaieſtate: nec eſſe Talmudicum aut Mahumetanum figmentum, cuius nos minimè pudet.

Cæterùm, quia ex illis penè innumerabilibus Patrum teſtimoniis quæ ſilentio præterit, vnum ſibi delegit ſic explicandum, non vt ſibi faueat (nec enim id poteſt) ſed ne ſibi aduerſetur, locum illum videlicet Auguſtini, *Tolle ſpatia locorum corporibus, &c. nuſquã erunt, & quia nuſquam erunt, non erunt*, agè quid hic afferat expendamus, ne quid à nobis præteritum dicat. Variè autem omnino hic agit. Interdum enim apertè Auguſtinũ vt & alios reiicit, quæ via meritò viſa eſt ipſi compendioſiſſima. Interdum illum negat ſibi cõſtare, quod tamen in hoc argumento nuſquam ab eo factum inueniet. Interdum ſperat ſe effugium aliquod inueniſſe, & quidém multiplex.

Non agit Auguſtinus, inquit alicubi Brentius, *eo loco ex profeſſo de Cœna Domini*. Quid tum? agit certè de carne Domini, & quidem glorificata, & qualis nunc eſt in cælis: nec vſquam Cœnam Domini aut aliam vllam circunſtantiam excipit. Alius ergo quærendus eſt cuniculus.

Sentit, inquit, *Auguſtinus aliam eſſe conditionem corporis phyſicam, aliam hyperphyſicã: ac illam quidem in hoc mundo, pro modo eius, circunſcriptam eſſe: hanc autem nõ tollere veram corporis eſſentiam, etiamſi non fuerit in loco localiter*. Mira certè narrat hoc loco Brentius, ſed quis ipſi credet? Nã ſi fuiſſet hæc mens Auguſtini, duplicem eſſe carnis Chriſti præſentiam, vnam ſeruilem, qua fuit localis œconomicè, vt Brentius cenſet, & quidem falſò, vt mox dicimus: alteram maieſtatis ſiue Diuinam ſiue hyperphyſicam (vt ipſe loquitur) qua ſit illocalis ſiue omnipræſentialis eadẽ caro: cur, obſecro, illa ad Dardanũ Epiſtola in qua hoc argumentum ex profeſſo tractabat, ne tenuiſſimã quidem eius mentionem facit, qua tamen poſita, ſi hæc eſſet veritas, rem totã poterat explicare? Imò hoc ego dico & teſtor, nec recuſo, ſi mentior, pro mendaci haberi: vt omnes illos veteres & Græcos & Latinos voluas & reuoluas, nunquã inuenies Maieſtatis nomen Carni in hoc argumento oppoſitum, niſi duplici ſenſu: vno, quum ipſam Diuinam naturã & eſſentiam declarat: altero, quum eiuſdem Diuinitatis glorioſam potentiam, nuſquam tamen, nuſquam, inquam, in carnem effuſam, ſignificat. Sic apud eundem Auguſtinum, præſentia corporalis præſentiam corporis: ſpiritualis, præſentiam Diuinitatis: nõ autem eiuſdem naturæ, id eſt, carnis, duplicem præſentiam oſtendit, & quum ita loquitur Auguſtinus, Apoſtoli veſtigia ſequitur Rom.1.4. & 1.Tim.3.16. Quòd niſi ita rem ſe habere comperiat, ſententiam mutare non recuſo, ſi (inquam) vel ſyllabam in verbo Dei aut apud Patres inuenerit, qua duplex iſta carnis Chriſti præſentia quam excogitauit, confirmetur. Videamus tamen quomodo id optimè probatum eſſe putet.

Dixit Auguſtinus de corporis Chriſti per oſtia clauſa ingreſſu, *Recedant pauliſper*

modus & pondus. (ſic enim in meo exemplari lego, non autem, moles & pondus) *Ille hoc fecit, cui nihil eſt impoſsibile.* Hæc igitur ille ſanè ſcripſerit. Quomodo verò ſuam hyperphyſicam omnipræſentiam Brentius ex his ſtabiliet? imò ſi præſens anteà & iam intus erat, (vti ſanè erat ſi omnipræſens erat) quorſum diceretur intraſſe? Ergo quoniam aberat, idcirco intrauit, nedum vt quia per oſtia clauſa intrauit eius corpus, idcircò ſit habendum omnipræſens.

Deinde quæſo, ſi quum diceret Dominus, *Hoc eſt corpus meum*, crediderant Apoſtoli quod Brentius pag. 115, ſcribit eos credidiſſe; Chriſtum videlicet corpus illud ipſum quod accumbebat, ipſis eſſentialiter ore comedendum præbere, cur ad huius ingreſſus miraculum quod certè minus erat, eſſent ita perculſi, vt ſe ſpectrũ videre exiſtimarent? Sed ad rem.

Hunc locum Auguſtini videt vltrò Brentius non omnipræſentiam, ſed abſentiam potius carnis Chriſti ante ingreſſum illum mirificum ſtatuere. *Sed eſt nihilominus*, dicet, *iſte ingreſſus hyperphyſicus.* Imò videat quàm à ſeipſo diſſentiat, dum ſic loquitur. Nam ſi hæc eſt glorificationis vis, vt glorificata corpora reddat incircunſcripta, naturalis fuerit iſte ingreſſus, id eſt, naturæ glorificatorum corporum conueniens, non autem hyperphyſicus.

Sed fortaſſis hyperphyſicum vocat, habita ordinariæ corporum naturæ ratione. Sit igitur hoc ſanè modo hyperphyſicus. Bis tamen hîc peccat. Primùm enim hoc factum extendit multò longius quàm oporteat. Nec enim neceſſe eſt eum qui ianuis clauſis ingrediatur, incircunſcripta & illocabili eſſe natura, quum vel paries ſeu ianua omnipotenti Dei virtute aditum præbere penetranti corpori vno momento potuerit: vel ipſi corpori non incircunſcriptio (quum mox dicat Chriſtus, Palpate, & videte) ſed ea agilitas ac ſubtilitas quæ ad hanc penetrationem requirebatur, ad punctum temporis accommodari, quod Auguſtinum ſenſiſſe mox oſtendam. Deinde aduerbium PAVLISPER negligit, ex quo intelligitur Auguſtinum non aliud ſenſiſſe, quàm ſingulariter & ad certum momentum hoc factum eſſe, mirabili omnipotentis Dei virtute. Quo iure igitur Brentius ex miraculo temporario qualitatem carnis perpetuam facit, acſi diceret Auguſtinus, modum & pondus ſemel à corpore Domini receſſiſſe?

Sed & illud cogitare debuit, aliud eſſe *Quantitatem*, quàm quod hîc vocat Auguſtinus *Modum & pondus.* Itaque Chryſoſtomus hac eadem de re aliter diſſerens, nõ quantitatem, ſed παχύτητα adimit glorificato Chriſti corpori. Ea verò nõ quãtitati & circunſcriptioni, ſed corporum glorificatorum miræ ſubtilitati opponitur: qua de re ſic idem Auguſtinus alibi, *Si potuit ante paſsionem ſuam clarificare corpus ſuum ſicut ſplendorẽ ſolis, quare non potuit & poſt paſsionem ſuam ad quantam vellet ſubtilitatem in temporis momẽto redigere, vt per clauſa oſtia poſſet intrare?* Quid eſt igitur aliud, iubere paulìſper modum & corpus recedere, quàm corpus ad breue momentum ad ſubtilitatem tantam redigere, vt per oſtia clauſa poſſet penetrare? An hoc eſt verò omnipræſentem & illocalem ſuam naturam facere, vel omne ſpatium corporibus tollere?

Iſta igitur nihil profectò cauſam Brentij iuuant. Quúmque verè dicat Auguſtinus, nuſquam eſſe, ac proinde non eſſe corpora, ſpatiis locorũ ſublatis: non videmus quæ fiat Brentio iniuria, quum dicimus vel ab eo tolli Chriſti carnem, vel in vtopia ſtatui, quum omnem ei circunſcriptionem adimit.

Poſtremò, vt tandem hunc locum abſoluam, quoniã ipſi dictum illud Auguſtini improbanti obiicit Bullingerus, neminem tamen ab annis circiter 1200. in Eccleſia inuẽtum qui illud oppugnaret, duas eius rei cauſas affert: Vnam, quòd *noſtri maiores*, inquit, *non fuerint ſycophantæ vt Cingliani, ac proinde tolerabiliter interpretarẽtur obſcura vel ambigua veterũ dicta.* Alterã, *quod viderent Auguſtinum nihilominus verã præſentiã corporis & ſanguinis Domini è Cœna nõ proturbare, vt impij Cingliani faciũt.* Quid verò Brẽtio pro his conuitiis imprecabimur? nẽpe melioris iudicij pluſculum. Nam valde certè hallucinatur quum putat ad tã fœdum errorẽ fuiſſe tacituros tot ſeculorũ ſcriptores, & in Auguſtini gratiã, veritatẽ in dogmate de duabus in Chriſto naturis prodituros. Imò ſi fortè in ea re Auguſtinus quippiã ab omnibus Eccleſiis diuerſũ ſentire ſe deprehẽdiſſet, an hoc fuiſſet diſſimulaturus, & in ſuis illis Retractationibus, animaduerſum tantũ errorẽ prætermiſſuros? Quod autem ad corporis in Cœna Domini præſentiam attinet, quanta etiam optimum illum Epiſcopum, totámque veterem Eccleſiam, & nos cum ea prorſus

conſen-

conſentientes iniuria afficiat, quoniam ſuprà copioſè eſt à nobis declaratum, hoc loco repetendum non puto.

Scripſit Brentius extremum illud iudicium fore perpetuum, quod dictũ vt ambiguũ reprehenſum eſt. Hoc ergo nunc ſic explicat vt dicat *illã quidẽ iudiciariam actionẽ fore in puncto temporis & ictu oculi, & tunc Chriſtum appariturum in nubibus loco circunſcriptũ, ſed mox in ſuam ſummã maieſtatẽ ſeſe recepturum, in qua abſque corporali loco vnà cum electis ſuis fruetur omni felicitate.* In his verò quædam rurſum reprehẽdimus. Primùm enim, etſi neque de potentia Chriſti iudicis dubitamus, neque de his curioſè putamus inquirendum, tamen mali exempli videtur quicquam Scripturis affingere. Paulus verò quẽ in eam ſententiam citat Brentius, certè nihil dicit eiuſmodi, ſed duntaxat reſurrectionẽ mortuorum & viuorum immutationem, id eſt, ſubitum à corruptibili natura ad incorruptibilem tranſitum piorum, (de his enim vnis agit ibi Apoſtolus) momento futurũ, nec amplius quicquam eo loco de his rebus dicit.

Deinde libenter quæſierim, quomodo Circunſcriptionẽ quam toties ignominiæ nõ gloriæ, infirmitatis, non potentiæ eſſe dixit, glorioſo corpori Chriſti tribuat. Nã ſi ad œconomiam confugiat, obſtat Scriptura, quæ aduentum illum cum ſumma illa gloria fore dicit, nedũ vt vlla in eo appareat œconomica infirmitas. *Veniet enim* (inquit ipſemet Filius hominis) *cum gloria ſua, & omnes ſancti Angeli cum eo,* & SEDEBIT *ſuper* THRONVM GLORIAE *ſuæ*. Item, VIDEBITIS (inquit Dominus noſter) *Filium hominis* SEDENTEM AD DEXTRAM POTENTIAE DEI, & VENIENTEM IN NVBIBVS CAELI. Audimus igitur Gloriam, ſeſſionẽ ſuper thronum gloriæ, circunſtantes Angelos, & quid amplius? ſeſſionem ad dextram potentiæ Dei: & ne dicere poſſit Brẽtius tale quippiã tunc futurum qualis fuit illa Eſaiæ vel Ezechielis viſio, vel duplicem ſuã præſentiã hîc quoque comminiſcatur, dicitur fore vt in ea ipſa gloria qua præditus eſt, Filius hominis veniat & conſpiciatur, ipſéque adeò Brentius circunſcriptum tunc fore non negat. Ergo, Eſſe in gloria, Sedere ſuper thronũ gloriæ Dei, atque adeò illud ipſum de quo nunc agimus, nẽpe SEDERE AD DEXTRAM POTENTIAE DEI, nõ tollit corporis circunſcriptionem, nec omnipræſentiam declarat. Mat. 25. 31. Mat. 26. 64.

Theodoretus, vir citra controuerſiam doctiſſimus, & quanuis initiò Cyrilli cuius ſententiam non ſatis percipiebat, nunquam tamen veritatis, Neſtorij verò & Eutychetis profeſſus hoſtis, colligit etiã ex illa Stephani viſione, carnẽ Chriſti viſibilẽ in cælis eſſe. *Vidit enim,* inquit, *eam qua videtur naturã, non quæ ſub aſpectũ non cadit.* Hoc ferre non poteſt Brentius, ideóque Theodoretum omnino conſtituit refellere, & quidẽ ipſius Cyrilli ore, quoniam nimirum aliquando inter illos non ſatis conuenit, vt ex editis vtriuſque ſcriptis apparet. Atqui nunquam in re ipſa fuit inter eos diſſidium, ſed ex eo tãtùm quòd, vt fit, alter alterum non ſtatim intellexit. Re verò cõpoſita quis tandem Theodoretũ vel leuiſſimi erroris ſuſpicione aſperſit? Denique hoc ſciat Brẽtius, fieri nõ poſſe vt Chalcedonenſem Synodum approbet, & Theodoretum improbet. Audiemus tamen ſi Dialogum illum ſuum excuderit Brentius, quid ſit meditatus: nec dubitamus quin quo magis in iſto ex Neſtorij & Eutychetis blaſphemiis conflato dogmate perſeuerauerit, eò magis toti terrarum orbi veritas à Theodoreto & Cyrillo, quos nunc inter ſe committit, vnanimi conſenſu fortiſſimè defenſa eluceſcat. Plenum igitur reſponſum in id tempus differam, ſi tunc velit Dominus me ſuperſtitem eſſe, & ſi fortè reſponſo opus erit. Nam quæ nunc quidem affert, cuiuſmodi tandem ſunt?

Hæc, inquit, *viſio Chriſti Stephano apparẽtis, non fuit plena.* Hîc verò diſtinctione opus eſt. Nã quod ad ipſius gloriæ ſplendorem attinet, quanuis extraordinaria quadã vi fuerit acies oculorum Stephani tunc donata, quum eius facies Angelica quadã luce ſplenduerit: tamen probabile eſt tantùm duntaxat eius claritatis ei affulſiſſe, quanta ad eius animum confirmandum opus erat. Sed aliud eſt ſplẽdor, aliud eſt eius ſubiectum, quod verè totum cernitur, etiamſi quicquid in eo ineſt non plenè perſpicitur. Hîc autẽ tantùm quæritur, an vera fuerit, id eſt, an verè & reipſa ſuis oculis diuinitus illuſtratis viderit Ieſum Stephanus. Vult enim Brentius fuiſſe qualemcunque viſionem externã, quicum comparat illam Ezechielis, & alteram illam Petri, quas tamen fuiſſe intellectuales conſtat, adeò vt hoc ipſum mox in altera viſione Pauli non probet.

Scio tamen de hac re in vtranque partem diſceptari poſſe. Sed quod ſequutus eſt Theodoretus certè probabilius eſt, & hiſtoriæ contextui conuenientius, & vetuſtas ita iudicauit: verè videlicet & reipſa viſam fuiſſe veram Chriſti carnem glorificatã, abſque

vlla quod ad ipſum Chriſti corpus attinet œconomia. Fuit autem Brentio expendendum illud Theodoreti dictum, *Viſam fuiſſe eam naturam quæ videtur, non antè quæ ſub aſpectum non cadit*, quod quidem Brentius vel non intelligit, vel intelligere ſe diſſimulat, ideóque penitus prætermittit. Neque enim ſic argumentatur Theodoretus, vt ipſe fingit, *Viſus eſt Chriſtus Stephano, ergo Chriſtus eſt viſibili corpore*. Niſi enim aliquid prætereà adiiciatur, colligi etiam poſſe videretur viſibilem eſſe Deum, & viſibiles Angelos. Itaque plena argumētatio ſic ſtatuitur apud Theodoretum, *Viſus eſt Chriſtus Stephano, & eſt corpore præditus* (quod de Deo & Angelis dici non poteſt) *ergo viſibili & circunſcripto corpore præditus eſt*. Corpore autem præditum eſſe Chriſtum etiam poſt reſurrectionem, poſtea ex teſtimonio Scripturæ Theodoretus probat.

Viſio igitur illa Ezechielis nihil ad rem pertinet, quum Deus ſit incorporeus, & Angeli quoque, ac proinde non ſit viſus ipſe nec Angeli, ſed formæ corporales ad tempus creatæ, quæ interdum oculis interdū ſoli intellectui ſpectātium ſunt obiectæ. De Chriſto verò, corpore præditum non eſſe prohibet dicere veritas. Itaque in Deo non valet conſequutio, *Viſus eſt, ergo viſibilis eſt Deus:* ſed in Chriſto valet, quanuis rationem mediam excogitarit Brentius eludēdæ huic demonſtrationi, reperto videlicet corporis inuiſibilis & incircunſcripti cōmento, quod non minus eſt abſurdum, falſum & impium, quàm ſi corporeā Diuinitatem conſtitueret, vt ſanè etiam facit, quum carnem Chriſti omnibus proprietatibus diuinitatis in eam effuſis exornat, aut potius deſtruit.

Non minus etiam abſurdum eſt exemplum viſionis illius Petri, quod opponit. Fit enim in ea diſertè ἐκστάσεως mentio, vt merè intellectualē viſionem fuiſſe ſciamus, quum nulla ſint reipſa in cælis eiuſmodi qualia intellectu vidit Petrus: at verū corpus Chriſti verè eſt in cælis, vbi illum oculis vidit Stephanus.

Ergo, inquit, *dicamus etiā Chriſtū ſemper ſtare, quia vidit illum ſtantē Stephanus.* Quaſi verò ſtare vel ſedere vel alio corporis ſitu eſſe perinde corpori attribuatur, vt circunſcriptum eſſe. Deinde quis in eiuſmodi loquutionibus, Stare vel Sedere ad Dei dextrā, metaphoram non animaduertit, pro imperij & gloriæ participatione?

Itaque quod adiicit Deum non habere corporalem dextram, ac proinde nō potuiſſe à Stephano humano more videri, ne refutatione quidem eget. Neque enim dicitur Stephanus Deum vidiſſe, ſed Ieſum, ad dextram Dei adſtantē, id eſt in gloria inenarrabili collocatum, in cælis tamen, non vbique.

Imò etiam quid prohibet Stephano, vt olim Eſaiæ, corporalem throni paterni imaginem obiectam? nec inde conſequetur circunſcriptum eſſe Patrem vt Ieſum, quum ille quidē ſit incorporeus, iſte verò corpore præditus, quod eſſe diximus concluſionis Theodoreti firmamentū. Hunc autem longè doctiſſimum & piiſſimum virum quum laceſſit Brentius, certè veritatem ipſam oppugnat, ac proinde nihil certè cuiuſmodi ſperat, ex eo certamine reportabit.

Cæterùm, quoniam hîc quoque vt in cæteris teſtimoniis quibus veritas carnis Chriſti circunſcriptæ confirmatur, ad œconomiam confugit, etſi de hac re paulò antè dixi, placet tamen rurſum hanc ipſius de œconomia ſententiam expendere.

Diſpenſationem vocat in genere, quum de ordinario iure aliquid relaxatur, ſicut in rebus forenſibus τὸ ἀκριβοδίκαιον mitigatur τῇ ἐπιεικείᾳ. Ego verò non nego quin in ea quam œconomiam, non illa generali, ſed ſpeciali quadam ſignificatione vocant, extraordinarium aliquid notetur, & quandam eius ſpeciem dici συγκατάβασιν: quoties videlicet ſeſe quaſi ſummittit Dei maieſtas, hactenus captui noſtro indulgens. Sed affirmo duplicem errorem hîc à Brentio committi, vnum in vocabulo, alterum in re. Etſi enim οἰκονομεῖν propriè dicitur qui res familiæ diſpenſat, id eſt, diſtribuit, vnde οἰκονόμος & οἰκονομία, quibus verbis Euangeliſtæ & Paulus ea ſignificatione vtuntur: tamen in hoc argumēto alia eſt Græci vocabuli οἰκονομίας apud Græcos Theologos declaratio, quæ barbaro vocabulo Diſpenſationis, ſi pro remiſſione quapiam de ſummo iure ſiue pro indulgentia accipiatur, ſæpe nullo modo competit. Nam cui relaxatur aliquid de iure ordinario, melioris conditionis fieri videtur, vt quū ambulat Petrus ſuper aquas, & quū Helias 40. dies ieiunat, vterque communibus naturæ humanæ legibus ſolutus. At in ea œconomia quæ dicitur συγκατάβασις, quam Brentius pag. 272. facit illius generalis quam malè definiuit, ſpeciem, non modò non relaxatur quicquam de iure ordinario, ſed etiā arctiore quaſi vinculo quodammodo aliquis adſtringitur, etiam ſi hoc non neceſſitate, ſed voluntate fiat, vt quum Angeli indutis corporibus fiunt cōſpicui, atque adeò quum

Chriſtus

Chriſtus à reſurrectione bibit & comedit.

Sed quid pluribus opus eſt? ipſum Græcum vocabulum *οἰκονομίας* Brentianam illam declarationem ferre nullo modo poteſt:& qui *οἰκονομίαν* primi Diſpenſationem Latinè ſunt interpretati,ſi pro Relaxatione ſeu indulgentia acceperunt,barbarè ſunt loquuti, quum Latinis Diſpenſatio nihil aliud quàm Diſtributionem ſignificet. Rectius autem omnino Diſpoſitionē vocaſſent,vt etiam loquitur Tertullianus, quum eo nomine nihil aliud declaretur quàm peculiaris quædam ordinatio Dei, ſiue ſeſe ad captum noſtrum demittat,vel res creatas extra ordinem quaſi ſuo iure iubeat decedere:ſiue è contrario quippiam gloriæ ſuæ cauſa extollat,vt quum loquuta eſt aſina Balaam. Et hæc quidem tum de nomine tum de re ipſa.

Iam ad exempla venio,ex quibus etiã intelligere liceat quàm rectè de his rebus ſtatuat. Quum dixit Angelus mulierculis, *Surrexit Chriſtus,non eſt hic*,dicit *hoc non eſſe verum iuxta maieſtatē,ſed iuxta œconomiam*. Et,quæſo,quid Maieſtatem vocat? *Diuinitatē*, inquit. Sed quid Diuinitatē vocat? *non eã*,inquit,*quam Filius Dei in ſe ab æterno habuit, ſed quã tempore incarnationis Filio hominis cõmunicauit*. Subiicit deinde, *Cedò Cingliane num hoc falſum,num condemnandũ? Et ſi malè locutus ſum,teſtimonium perhibe de malo, & proba quod Chriſtus tũ quũ quæreretur à mulieribus,fuerit in ſepulchro mortuus, & iuxta cõmunem aſpectũ,& non affuerit ibi iuxta cõmunicatam ſibi diuinitatis maieſtatē*. Reſpondeo igitur Brentio quandoquidem ita vult,maximo cum meo dolore,quod coram tota Dei Eccleſia tueri ſum paratus,& ni ita ſit,calumniæ pœnas dare:falſum,impium, & in Eccleſia Dei intolerabile eſſe quod hîc dicit. Vocarunt,fateor,veteres incarnationem Filij Dei,& quicquid noſtri cauſa egit,*οἰκονομίαν*,& rectè quidem, ſed diuinitatis reſpectu, quæ humanitatem aſſumpſit. Diuinitatem autem hanc vocarunt, non proprietates diuinitatis,quas omnes comminiſcitur Brentius ab ipſa incarnatione in carnem Chriſti effuſas,ſed illã,illã ipſam,in quã,hypoſtaſin *τοῦ λόγου*,cuius inhabitatione hypoſtatica ſolus Chriſtus eſt Deus & homo. Itaque quo ſenſu exiſtimat illud dictum Angelorum eſſe intelligendum ſecundum œconomiam, quaſi videlicet humanitas tum ibi, id eſt, in ſepulchro,fuerit ſecundum illam diuinitatis,nõ eſſentiam , ſed maieſtatem, qua quum ab incarnatione fuerit exornata,œconomia quadam ſeſe viſibilē & circunſcriptũ reddiderit, Eutychen planè ab inferis reuocat.

Quærebant mulieres Chriſti cadauer. Duo reſpondent Angeli,Chriſtũ,id eſt,Chriſti corpus quod quærebant,in ſepulchro non eſſe:deinde cur ibi non eſſet explicãt, nẽpe non quod ſit aliò tranſlatum cadauer,ſed quia mortuus Chriſtus reſurrexit: quæ omnia ita prorſus intelligenda eſſe dico vt verba ſonant,& re vera inde modis omnibus Chriſti corpus abfuiſſe,quoniã reſurgens ex ſepulchro exierat. Alioqui ſi Brentio credimus, ſimul diuerſis reſpectibuss viua & mortua fuit caro Chriſti,ſimul ſepulta fuit & non ſepulta,ſimul in ſepulchro & extra ſepulchrum,ac proinde reſurrexerit hæc caro,& nõ reſurrexerit. Nam quæ ſecundum hanc imaginariam maieſtatem,id eſt, effuſas diuinitatis proprietates,nec mori nec ſepeliri potuit,an dici poteſt eo reſpectu reſurrexiſſe? & vnde tandem Brentius iſtam blaſphemam œconomiam didicit?

Iubet autem,niſi hoc fateamur,nos probare,tum corpus Chriſti fuiſſe in ſepulchro mortuum,& iuxta externum aſpectum,quum à mulierculis quæreretur. Egregia certè petitio. An vult vt ipſius more reſiſtamus Angelorũ teſtimonio? Dicunt tunc non fuiſſe in ſepulchro,quoniam relicto ſepulchro reſurrexerit. Hoc credimus. Quorſum ergo Brentius petit vt contrarium probemus?

Deinde etiam alterum quod vult à nobis probari, nempe non affuiſſe ibi iuxta communicatam ſibi Diuinitatis maieſtatem,quo iure petit? Neque enim ei qui negat, probandi onus incumbit. Si per Diuinitatem intelligeret *τὸν λόγον*, nõ negaremus eam non modò ſepulchrum illud,ſed etiam vniuerſa impleuiſſe & implere. Sed quorſum hoc? Nec enim mulieres de Diuinitate,ſed de corpore,quod adhuc mortuum eſſe credebãt, interrogant,& de hoc ipſo reſpondent Angeli. Idque ex ipſo ſaltem Reſurgendi vocabulo intelligitur,vtpote quod etſi verbali *κοινωνίᾳ ἰδιωμάτων* Deo tribuitur, Diuinitati tamen,id eſt *τῷ λόγῳ*,nullo modo quadrat.

Aliud exemplum *οἰκονομίας* affert,quòd Chriſtus cicatricibus notatus apparuerit diſcipulis,quum cicatrices glorificato corpori non cõueniant niſi per *οἰκονομίαν*. Atqui nõ ignorat non deeſſe qui aliter ſentiant,& quidē magni nominis Interpretes. Patiar tamen hoc non incommodum eſſe *συγκαταβάσεως* exemplum.

Hinc autem occaſionem arripit eludendæ non Bullingeri, ſed ipſius Theodoreti & Auguſtini ſententiæ, Chriſtum in gloria ſua formam humani corporis retinere. *Illud corpus*, inquit Theodoretus Dialog.2, *habet priorem formam & figuram, &* CIRCVNSCRIPTIONEM. Et Auguſt. ad Coſſentium, *Ego*, inquit, *Domini corpus ita in cælo eſſe credo, vt erat quando aſcendit in cælum*. alibi autem dicit non audiendos, *qui negant tale corpus reſurrexiſſe, quale poſitum eſt in monimẽto*, id eſt viſibile & circunſcriptum. Sequitur enim, *Quia dixit diſcipulis poſt reſurrectionem: Palpate, & videte:* quæ teſtimonia expreſſo Dei verbo confirmata, quum Brentio Bullingerus obieciſſet, ipſe ſic reſpondet vt formæ nomen diſtinguat, *Nam*, inquit, *ſi accipiatur pro eſſentia, ſubſtantia, ſeu veritate humani corporis, hoc ſenſu dictum illud concedo. ſin verò pro externa figura ſeu ſpecie, ſeu habitu, & ſiqua ſunt alia id genus inhærentia, nego*. Quid obſtat ergo quominus conſentiamus? an enim cenſet nos adeò eſſe iſtarum rerum ignaros, vt Chriſtum neſciamus infirmitate depoſita reſurrexiſſe, vel exiſtimemus tunicam aut palliũ aut illã hortulani ſpeciem in illa inenarrabili gloria circunferri? Non ita certè ſolemus, Dei gratia, de tantis rebus aniliter garrire, & Brentio quibus viris hæc obiiceret cogitandum fuit. Sed nihilominus valde etiam hac in re ab eo diſſentimus, nẽpe quod materiã ipſam ex qua verum corpus cõpoſitũ eſt, cum forma, id eſt, cum eſſentiali proprietate confundat, qua ſublata, corpus eſſe corpus deſinit: quod eſſentiam corporis induat Diuinitatis forma, quod fieri non poteſt quin humanitatem, non dico in Angelicam, ſed in Diuinitatem, id eſt, naturam formámque actu ſimpliciſſimam cum Eutychete transformet: quòd CIRCVNSCRIPTVM ESSE cum iis accidentibus confundat quæ citra ſubiecti corruptionem adeſſe vel abeſſe poſſint, quum ſit ipſa CORPORIS ſiue infirmi ſiue glorioſi ſpecifica forma, vt oſtendit Chriſtus ipſe quum poſt reſurrectionem diceret, Palpate, & videte: quòd naturalem & eſſentialem omnis veri corporis conditionem inter accidẽtarias infirmitates recenſeat: quòd denique ad œconomiam id referat, quod eſt ex ordinario & perpetuo corporeæ naturæ iure, nẽpe vt corpus nonniſi viſibili & circunſcripta ſit natura, ac proinde eodẽ tempore nonniſi vnum locum poſſit occupare, quia videlicet incircunſcriptũ eſſe ſit vnius Diuinitatis ſingulariſſima, & eſſentialiſſima, & prorſus incommunicabilis proprietas.

Sed agè, expendamus quinam ſint tres illi gradus, quos in Chriſti perſona cõſtituit. Primus eſt quem Maieſtatis Diuinæ vocat, in quo gradu Chriſtus homo iam inde ab incarnatione ſemper conſtiterit aſſumptus à Filio Dei in vnitatem perſonæ. Quis hìc verò non putet Brentium ſentire Chriſtum eſſe verè Deum & hominem? Atqui nihil minus ſentit. Quum enim vbique apertè teſtetur ſe Diuinitatem Chriſti (ſiue à qua Chriſtus dicitur Deus, Petrus verò vel alius quiſpiam nõ item) non eam vocare quam Filius Dei in ſe ab æterno habuit, ſiue ipſam Filij Dei οὐσίαν (*Quoniam*, inquit, *hoc modo quælibet creatura eſſet Deus*) ſed OMNIVM Dei proprietatum in carnem effuſionem, ſiue eam Omnimaieſtatem qua fuit hic homo donatus, qua vna in re poſita ſit incarnatio, ſiue hypoſtatica vnio: ſatis conſtat eum non aliter conſtituere Chriſtum Deum, quàm propter omnes dotes in carnem collatas, quia ſi aliter ſentiret, non ab iſtarum proprietatum effuſione, id eſt ab effectis, ſed à cauſa ipſa. i. ab hypoſtaſeos τοῦ λόγου vnione peteret iſtud Chriſti & Petri ſecundùm Diuinitatem diſcrimen. Quis igitur hìc loquitur? certè purus putus Neſtorius, quum hac ratione (vt toties iam diximus) ſicut Petrus & Diuinitas ipſum replens ſunt duo deiuncta quod ad οὐσίας attinet, ſic etiam duo ſeparatè conſtituantur Filius Dei & Filius Mariæ. Ex quo efficitur Chriſtum à Brentio dici Deũ non propter ipſummet τὸν λόγον inhabitantem (vt pote quæ, ſicut ipſe Brentius totidem verbis ſcripſit, ſic inhabitet in omnibus vt in Chriſto, quod ad eſſentiam, potentiam, & præſentiam attinet,) ſed ob iſtius inhabitantis Diuinitatis perfectam in Chriſti carne ἐνέργειαν. Hanc autem ἐνέργειαν dicit Brentius ab ipſo quidem conceptus momento in Chriſti carne perfectiſſimam fuiſſe, & ita verba interpretatur, Verbum caro factũ eſt: ſed nihilominus carnem tempore exinanitionis, de qua mox dicemus, noluiſſe ea vti niſi prout nouit expedire. Hic eſt igitur primus gradus eorum quæ perſonæ Chriſti accidunt, quæ ſi vera eſſent, aut certè Petrus ratione οὐσίας Diuinæ inhabitantis, tã erit Deus quàm Chriſtus: aut ſicut perſona Petri nõ ſignificat duas naturas ſeu eſſentias, vnam humanam, alteram diuinam, ſed vnam tantùm humanam, aliquibus proprietatibus Diuinitatis exornatam: ſic quoque perſona Chriſti non declarabit duas naturas, vnam τοῦ λόγου, alteram verò humanam, ſed vnam tantùm humanam quam ἐνεργητικῶς aſſumpſerit Diuinitas, id eſt, in quam non tãtùm aliquas vt in Petrũ, ſed prorſus OMNES,

OMNES, inquã, ſuas proprietates, ac in primis OMNIPRÆSENTIAM, quæ eſt OMNIPOTENTIÆ ſpecies effuderit. Quis autem Chriſtianus iſta omnia vt impura & blaſphema nõ abhorret? Et hæc quidem de primo gradu, quum de his blaſphemiis abundè in ſuperioribus ſit dictum.

Secundus gradus eſt quem vocat Exinanitionis ſeu Humiliationis. *Annon enim*, inquit, *docet Apoſtolus Chriſtum in diebus carnis ſuæ humiliatum, idque ad mortem vſque crucis?* Quis igitur hîc quoque non putet Brentium orthodoxè ſentire? Atqui nihil minus facit. Quid enim vocat exinanitionem? quòd videlicet caro Chriſti ita, vt antè dixit, deificata, ſuam illam omnimaieſtatem ad tempus non declarauerit, veluti quũ ſeſe præbuit viſibilẽ, quũ eſuriuit, ſitiuit, deniq; quũ mortuus & ſepultus reſurrexit, quæ omnia ſecundùm diſpenſationem ſint facta, relaxando videlicet aliquid de ordinario Omnimaieſtatis ſuæ iure. At ego omnia hæc rurſus perperam dici affirmo, quanuis exinanitionem illam minimè negem, per quam vnam diuitias æternæ vitæ nobis miſeris peccatoribus Seruator ille noſter acquiſiuit. Imò & illud fateor, totũ illud ſalutis noſtræ myſterium ab incarnatione ad aſcenſionem, à priſcis orthodoxis Scriptoribus tum Græcis tum Latinis œconomiam optimo iure vocari, ſed longè alio ſenſu quàm Brentius faciat. Non enim Carni, ſed Diuinitati tribuitur hæc exinanitio, minimè id quidem quòd Diuinitas (vt ſuprà pag. 558, & deinceps pluribus declaraui) aliquam imminutionem in ſeſe ſit paſſa, ſed quia ſeſe hypoſtaticè cum infirma noſtra carne vniuit, id eſt, ita carnẽ induit, vt vnum cum ea ὑφιςάμενον conſtituat. Nam ſi in Scripturis dicitur Deus deſcendiſſe quum viſibilem aliquam ſpeciem ad tempus induit, cum qua tamen perſonaliter non eſt vnitus: quanto magis dicetur deſcendiſſe quum Verbum factum eſt caro? Qua de re ſic pulchrè Cyrillus de incarnatione vnigeniti, capite 22. *Deus verbum quod eſt deſuper & ex Patre* (id eſt, vt loquitur Paulus, quod eſt abſque rapina in forma Dei & Patri æqualis) *carnem* (id eſt, formam ſerui) *ex beata Virgine accipiens, & eam ſuam propriámque ducens* (quæ eſt hypoſtaticæ vnionis definitio) *tãquam ſi eam deſuper & è cælo attuliſſet, dicebat, Nemo aſcendit in cælum, niſi qui deſcendit è cælo, Filius hominis. Ea enim quæ ſua ſunt, propria carnis ſemper attribuit.* Quomodo autẽ attribuit? an vt vult Brentius, omniũ ſuarũ proprietatum in carnem effuſione? minimè certè, (eſt enim hoc commẽtũ merè Eutychianum, qui nullam niſi realem idiomatum communicationẽ admittebat, ideóq; naturas confundebat:) ſed proptèr duarum ESSENTIARVM ſeu NATVRARVM incõfuſam vnionem, ad perſonæ vnitatem conſtituendam, ſaluis & diſtinctis manẽtibus vtriuſque proprietatibus, concurrẽtium. Hoc enim explicat idem Cyrillus apertè illum ipſum Ioannis locum exponens, Nemo aſcẽdit, &c. *Quum*, inquit, *Verbum Dei è cælo deſcenderit, Filium hominis deſcendiſſe ait, in duas poſt incarnationem diuidi perſonas recuſans.* Et mox, *Quomodo enim aliter quæ* SOLI *Verbo Dei conueniunt, Virginis Filio accommodari poterunt? Quomodo autem è conuerſo quæ* SOLI *carni conueniunt, Verbo Dei attribuentur?* Audiat igitur Brentius (quod illi tam perſpicuè toties D. Martyr reſpondit) accommodari perſonæ quæ alteri SOLI naturæ reipſa conueniunt.

Nec tamen in ea re eſt mendacium, quoniam Chriſtus vna eſt perſona, non quam vna natura humana conſtituat, duplicibus (vt ex Brentiano dogmate efficitur) proprietatibus ornata, vnis quidem, nempe humanis, ad tempus per diſpenſationem Exinanitionis, alteris verò per diſpenſationem Maieſtatis, quam vocat, in eam effuſis: ſed quæ vna in cælo & in terra duabus naturis conſtet in vnum ὑφιςάμενον vnitis.

Itaque iſta exinanitio œconomica qualem Brentius comminiſcitur, nõ modò eſt falſa & commentitia, ſed etiam orthodoxæ fidei ex diametro repugnat. Sunt enim certè quæcunque noſtri cauſa ſubiit Chriſtus, facta κατ' οἰκονομίαν καὶ συγκατάβασιν, id eſt, Patre ſic extraordinariè & contra omnem ſuæ eſſentiæ, vt ita loquar, naturam diſponẽte, vt Filium ſuum vnigenitum manifeſtaret in ſimilitudine carnis peccati: at non contra naturæ carnis etiam aſſumptæ ordinem, cui ſeſe voluntariè obſtrinxit, donec in gloria reſurgeret.

Nec tamen inficiamur quin ante reſurrectionis gloriam hæc Chriſti caro, iam tum maximis dotibus exornata, Angelis tamẽ ad breue tempus inferior donec gloria & honore coronaretur, non ſemper eas exeruerit, ſed iis ſit vſus incredibili cum indulgentia ſeſe infimis quibuſque accommodans, Diuinitate etiam ad tempus in ea quieſcente. Sed aliud eſt de Diuinitatis ipſius eſſentialis exinanitione non in ſeſe, ſed quatenus cũ humana natura eſt perſonaliter vnita, ſicut diximus, diſſerere (quam œconomiam agno-

ſcimus,& teneremus,vt noſtræ ſalutis fundamẽtum)quàm de donorum in carnem effuſorum vſu,in quo tamen minimè etiam negamus Chriſtum non quid poſſet etiam ſecundùm carnem,ſed quid noſtra infirmitas ferret, conſideraſſe: maiorémq; adeò noſtri quàm ſuiipſius rationem pro incredibili ſua bonitate habuiſſe. Sed omnipræſentiã & omnimaieſtatem quæ Dei propria eſt,in carnem transferre, qua rurſus ipſa ad tempus per œconomiam vti voluerit,hoc totum commentum vt planè impium,ob eas quas dixi cauſas,repudiare me ac planè deteſtari profiteor.

Tertius demum gradus œconomiæ,quem conſtituit Brẽtius,ad ea pertinet quæ ſeſe ad ſuorum captum ſummittens Chriſtus poſt reſurrectionem egit, qua demũ in re cum ipſo ſentimus,eo tantùm excepto quòd in eius doctrinæ applicatione rurſus plurimùm diſſidemus. Numerat enim Brentius corporis circunſcriptionem & aſcenſum in cælos (ad quem etiam detorquet locum Apoſtoli de forma Dei & forma ſerui)ipſúmque adeò alterum aduentum quem expectamus, inter œconomica quæ vocat ſpectacula. Nos verò non dubitamus quin *Circunſcriptum eſſe loco*,& *Viſibilem & palpabilem eſſe*, ſiue in vno loco maneatur, ſiue mutetur locus,corpori etiam glorificatiſſimo non ex œconomia quapiam peculiari,ſed proprietate naturæ corporeæ ordinaria conueniant. Quòd autem Dominus ſplendorem ſuæ lucis attemperauerit diſcipulorum oculis, & cum eis ederit ac biberit,& ſiquid eſt eiuſmodi quod glorificatis corporibus(quãquam ne tunc quidem adhuc reipſa plenè in ſe glorificata erat Chriſti caro)nõ quadret,in iis demum hanc œconomicam *συγκατάβασιν* minimè diffitemur.

Et de his quidem plus ſatis millies dictum videri poſſet, niſi quædam iterum hîc nobis inculcarentur,quæ rurſum videntur refutanda,nequid à nobis prætermiſſum fuiſſe dicatur. *Doceo*,inquit Brentius, *Chriſtum fuiſſe in Bethania, non in Caſtello exinanitione, qui tamen aderat in Caſtello maieſtate,videns coràm quod de aſina & pullo ageretur, & audiens etiam tum quid dicturi eſſent domini. Hócne verò falſum eſt?* Si Maieſtatis nomine Brentius intelligit naturæ Diuinæ proprietatem incommunicabilem, nempe Vbique eſſe,& omnia ſine exceptione noſſe,concedo quod dicit, de quo etiam nullus vnquam controuerſiam mouit qui Chriſtum verè Deum eſſe agnouit. Sin verò Maieſtatem vocat,proprietatem Diuinitatis quæ in Chriſti carnem tum vel poſtea fuerit effuſa,vt fuerit vbique ſicut Deus,hoc ipſius dictum vt purum putum Eutychianiſmum deteſtor.

Quod ſi tot verbi Dei teſtimonia quibus veritas ac proinde circunſcriptio carnis Chriſti confirmatur,ipſi non ſufficiunt,ad ipſum Lutherum prouoco,cuius expreſſum locum ſuprà citaui pag. 517,vbi commentum illud irridet, *Filius neſcit,id eſt, non vult ſcire*. Quòd ſi quæ in contrariam partem ex eodem ſcriptore teſtimonia proferat, quid ad nos?

Eadem ratione ad hoc quoque ſit reſponſum quod docet, eodem videlicet tempore Chriſtum pependiſſe exinanitione,& maieſtate ſolem obſcuraſſe. Nam etſi vtrumque toti perſonæ contra Neſtorii dogma propter vnitatem tribuitur,veluti quum eum paſſum,crucifixum,mortuum & ſepultũ,& totum in cælo ſimul & in terris fuiſſe dicimus, tamen crucifixio illa ſoli carni conuenit,& terræ concuſſio ſoli Diuinitati,tum in ipſius carne(vt veteres Patres)quieſcenti,nedum vt eam tunc redderet omnipotentem.

Neque verò quum hæc dicimus,carnis Chriſti gloriam extenuamus, vt pote quam Filij Dei propriam eſſe tueamur,& ipſius tum eſſentiæ tum gloriæ ineffabiliter participem:ſed naturarum proprietates diſtinguimus,quas quum Brentius confundit, Chriſti carnem certe non exornat,ſed Diuinitatis abyſſo immerſam adobruit.

Video tamen illum pag. 285,duplices rerum proprietates rectè conſtituere,quarum aliæ ſint eſſentiales,quibus ſublatis tollitur & res ipſa: aliæ inhærentes ſeu accidẽtales, quibus ſublatis non ſit neceſſe rem ipſam interire, quam diſtinctionẽ valde probamus.

Agè igitur, eſſentiales aliquas corporum proprietates ſublata circunſcriptione(nam de humano corpore agimus)nobis recenſeat,vt quænam illæ ſint intelligamus. De his igitur cogitabit.

Sed quod tam expreſſè iterum inculcat, *locum videlicet*, id eſt, *ſuperficiem quæ corpus cõtentum circunſcribat, non eſſe de eſſentia corporis*,ex qua tandem vel Theologia vel Philoſophia didicit?

Primùm igitur,etiamſi locus ſtatuatur non eſſe ex corporis eſſentia ſeu ſubſtantia, non efficitur propterea,illo ſublato corpus non tolli. Adhuc enim ſupererit probãdum non eſſe ex proprietatibus eſſentialibus,quibus ſublatis ipſemet paulò antè cõfeſſus eſt

res

res ipſas tolli. Neque hîc tergiuerſari poteſt. Omnino enim proprietas eſſentialis à ſubſtantia cui tanquam ſubiecto inhæret, cogitatione diſtinguenda eſt.

Sed ad rem. Locum hunc vel illum, putà ſupernum vel infernum, rotũdum vel quadratum: itémque hunc vel illum ſitum in aliquo loco, vt iacere, ſedere, ſtare, hoc vel illo habitu moueri, Corporibus accidere, ac ſubinde mutari quis inficiabitur? item omnem locum in genere, eſſe extra ipſum corpus quod eo continetur, quis ita eſt inſanus vt non confiteatur? Verùm quorſum iſta? Aliud enim eſt locus ipſe, aliud eſt locali & circũſcripta natura eſſe. Itaque quum de loco loquimur, localitatem & circunſcriptionem intelligimus, qua ſublata quis nõ videt ipſam veri corporis rationem ac definitionem tolli? Quid enim eſt corpus verè definitum, niſi quod tribus illis dimenſionibus conſtat? vbi aũt eiuſmodi finis & terminus auditur, neceſſe eſt naturam mente concipi, quæ vltra illum finem non porrigatur, ac proinde ſit circũſcripta, & ibi tantùm ſit vbi eſt, niſi finẽ conſtituamus qui finis non ſit. Videt ergo planè Sophiſticum eſſe quod reſpondit.

Nam quod de ſummo cælo refert, cuius exterior ſuperficies non ſit in loco, tum diſceptabimus, quum videbimus quæ Dominus præparauit diligentibus ſe. Quum autem de vero corpore Chriſti nunc à nobis quæratur, & quidem quale tum erat quum in hoc mundo verſaretur, quis tandem eſt illi ſpeculationi locus? & quoties Brentio reſponſum eſt, non eſſe conditionem vltramundani illius inenarrabilis manſionis ex locorũ huius mundi qualitatibus æſtimandam: & hoc tamen nobis conſtare, circunſcriptũ eſſe Chriſti corpus, quoniã verum ſit corpus: & cælo capi, eo modo quo nouit ipſe, & nos aliquãdo, vt ſpero, videbimus, ipſius cohæredes facti?

At erimus *ἰσάγγελοι*. Concedo. At nõ ſpiritus, quod ipſemet fatetur. Quid eſt autem Spiritum fieri ſi hoc non eſt quod dicit, nempe ſine exceptione ſpirituales habere conditiones? Cuiuſmodi enim erit corpus humanum circũſcriptionis proprietate ſpoliatũ? certè non ſpirituale, ſed ſpiritus. Quorſum enim mihi materiam corporis ſine forma corporeæ naturæ ſpecifica? Et quid in iſtis moror? Nam etiamſi nõ reſurgerẽt corpora, ſed in ſpiritus mutarentur, vt iam homines ex duobus ſpiritibus, anima videlicet & corpore Angelificato (vt memini ἀσϐολικῶς alicubi loqui Tertullianum) componãtur, an propterea pluribus imò etiam omnibus ſimul locis erunt incircunſcripta?

Apparuerunt, inquit, *Moſis & Heliæ corpora*. Quid tum? *& quidem animis ſuis prædita, colloquebantur enim cum Chriſto*. An verò fuit Filio Dei difficile, ſibi quocunque loco & tempore voluit, illos ſiſtere? Sed illos certè viderunt diſcipuli. Ergo viſibilia ſunt & circunſcripta etiam poſt glorificationem Sanctorũ corpora. *Ex æconomia*, inquiet. Nec ego in hac illorum apparitione extraordinariam diſpoſitionem nego. Sed ex inuiſibilibus facta fuiſſe repentè ad tempus viſibilia, & ex incircunſcriptis circunſcripta, ex quo Theologiæ ſinu depromet?

Sint ſanè, vt ipſe ſcribit, agilia, ſubtilia, adde etiam lucidiſſima corpora glorificata, & inter illa inenarrabiliter ſupra ipſos etiam Angelos excellat Chriſti noſtri glorioſiſſimi Capitis corpus, an propterea corporea ac proinde circunſcripta eſſe deſinunt?

Paulus reſurrectionem Chriſti probat etiam ex eo quòd ipſi quoque licet abortiuo ſit viſus, è cælo nimirum vnde fulgurabat. Hinc colligimus Chriſtum corporaliter in cælis eam formam retinere qua aſcendit. Ad hoc reſpondens Brentius, multis verbis conqueritur nos ambiguis verbis vti, quaſi ignoret ipſe quid ſentiamus, nempe Chriſtum ſicut vero corpore circunſcripto aſcendit, ita verè circunſcripto eodem corpore cælis capi, quoniam totam illam corporeæ, id eſt, circũſcriptæ formæ abolitionem, vt Eutychianam toto pectore execramur. Perinde tamen nobiſcum agit, acſi CORPORALITER applicaremus ad huius mundi Infirmas conditiones, quaſi videlicet illic quoque laſſata Chriſti caro cubet, ſedeat, edat, bibat, aut aliquid agat eiuſmodi: & quaſi formæ nomine, veſtitum aut habitum hortulani, vel peregrini, intelligeremus, quæ omnia deliramẽta Dialecticæ Cinglianæ nomine comprehendit.

Atenim ipſi Brẽtio quid ſignificat CORPORALITER? nempe VERO CORPORE: Quid forma? eſſentialem formam, quæ eſt ipſa ſubſtantia corporis. Nos igitur rogamus vt viciſſim nos doceat, in qua Dialectica etiam Theologica doceatur, verum corpus humanum eſſe quod ſit incircunſcriptum, & formam eſſentialem corporis, idem atque ipſam ſubſtantiam corporis declarare. Sed ad rem.

Reſpõdet ex ſua illa œconomia, *Chriſtũ nõ apparuiſſe Paulo perfecta ſua gloria*. Quid tũ verò? Nec enim dubitamus quin ſplẽdor ille fuerit alioqui Paulũ penitus abſorpturus,

quãuis mirificã fuiſſe oportet, quæ illum proſtratũ ad tẽpus excæcarit. Sed quæritur, an gloria vel perfecta vel imperfecta circunſcriptionem tollat. Hoc probet Brentius, &c. nobis ſanè gratulantibus, vincet veritas. ſin minus, rogamus vt det glotiam Deo.

Aliud præterea profert, nẽpe *Chriſtũ in terris, atq; adeò in caſtris quoq; locutũ eſſe Paulo*, vt refert Lucas Act. 23. 11. Locus autẽ ſic habet, Τῇ δὲ ἐπιούσῃ νυκτὶ ἐπιστὰς αὐτῷ ὁ Κύριος εἶπε, &c. id eſt, *Sequẽte verò nocte adſtãs ei Dominus*, &c. neq; viſionẽ nocturnã eſſe animaduertit, quæ non oculis, ſed intellectu ſeu vigilando, ſeu per ſomniũ percipiatur?

Obiectum eſt Brẽtio & illud, Corpora noſtra fore cõformia glorioſo Chriſti corpori, non poſſe aũt tolli circunſcriptionẽ noſtrorũ corporũ, quin ſimul negetur reſurrectio cũ Origeniſtis, quorũ dogma ſic ex Hieronymo D. Bullingerus deſcripſit: *Aliud nobis ſpiritale & æthereũ corpus promittũt Origeniſtæ, quod nec tactui ſubiacet, nec oculis cernitur, nec pondere prægrauatur, & pro locorũ in quibus futurũ eſt varietate mutabitur.* Quid verò Brẽtius? negat ſuum eſſe hoc dogma, vt qui doceat *fore vt noſtra corpora in vera ſua ſubſtantia reſurgãt, & in hac ipſa humana carne Dominũ videãt, ſed ita vt ſint ſpiritualia, id eſt, ſpiritui nõ in aliquibus tantùm, ſed in omnibus obediãt. Spiritus aũt*, inquit, *nõ habet oculos, non aures, nõ manus, nõ pedes, & tamẽ videt, audit, agit, ambulat, ſed totus, non aliqua ſui parte. Si hoc nõ fiet in corpore ſpirituali, non erit verè ſpirituale, id eſt, ſpiritui obſequens, ſed in aliquibus repugnans.* Deinde & illud addit, *Corpora noſtra fore glorioſa, ergo non loco circunſcripta, nec mobilia è loco in locũ.* Repetit denique, *nos fore ἰσαγγέλους, ac proinde fore vt corpora noſtra loco non indigeant.* Hæ ſunt Brentii reſponſiones, quibus quidnam aliud cõfirmat quàm quod ipſi obiicitur? Tantùm hoc intereſt, quòd Origeniſtæ non ita abſurdè vt Brentius loquebantur. Videbant enim, ſeruata carnis ſubſtantiæ quantumuis glorificatæ veritate, ſeruãdam etiam eſſe circunſcriptionẽ, ac proinde qualitates illas non corporibus carneis, ſed æthereæ vel aëreæ ſubſtantiæ conuenire: Brentius verò contradictoria ponere maluit, corporibus carneis proprietates ſpiritualis naturæ eſſentiales attribuens: quod ſi factum eſſet temporibus eruditæ illius vetuſtatis, ne reſponſione quidem tam abſurdum dogma eſſent dignati.

Cæterùm ex Hieronymi reſponſo videt Brentius non illud tantùm coargui in Origeniſtis, quòd æetherea corpora fieri dicebant, ac proinde reſurrectionem tollebant, ſed illud quoque in primis quòd per ſe inuiſibilia, intangibilia, omnis ponderis expertia, & tantùm proprietate ſubſtantiæ finita glorificata corpora conſtituerent, cui dogmati ſtabiliendo illud ipſum argumentum adhibebant quod Brentius aſſiduè inculcat, nempe quòd corpus Chriſti ianuis clauſis ad diſcipulos intrarit. Quid ſi igitur etiam cum Brentio ſenſiſſent nulla ſui parte, ſed tota inſtar ſpirituum videre, audire, agere, ambulare, & quid non? In iſtis enim etiam illos planè ſuperat.

Et vtcunque doceat, non fore euehenda corpora noſtra ad æqualẽ cum Chriſto maieſtatem, qua in re rectè ſentit, tamen ſi valet illud ipſius ſolenne argumentum, tam latè abſque loco patere Regis corpus, quàm ipſius omnipotẽs regnũ (ne videlicet abſens videatur illud adminiſtrare) neceſſe etiam eſt vt Sanctos pariter ſine loco extendat, niſi vult alicubi eſſe hunc Regem abſque ſuis Sanctis.

Quid quòd & ipſi iam dicimur (ſpe videlicet) ſimul excitati, & vnà collocati IN CÆLESTIBVS in Chriſto Ieſu? Itaque ſi Brentiana illa de cælis qui vbique ſint, & maieſtatem ac gloriam illam immenſam ſignificent, recipiẽda ſit opinio, neceſſe eſt omnipræſentiam etiam glorificatis corporibus tribui, quanuis non ſint Deo hypoſtaticè vnita: nullus erit denique falſiſſimarum & vaniſſimarum nugarum finis.

Erunt tamen, fateor corpora Sanctorũ ſpiritualia, id eſt, (vt inqnit Auguſtinus libello de Fide & Symbolo, cap. 6. vt citauit etiam Bullingerus) *Ita coaptabuntur, vt cœleſti habitationi conueniant, omni fragilitate & labe terrena in cœleſtem puritatem & ſtabilitatem mutata atque conuerſa.* Qui ſint autem illic talium corporum futuri motus, eundem Auguſtinum lib. de Ciuitate Dei 22. cap. 30. ſecuti, temere definire non audemus. Sed ſi futuri ſunt motus, certè & locus, ac proinde circunſcriptio detur neceſſe eſt.

Superſunt duæ illæ rationes refellendæ: vna, quòd circunſcriptio non ſit gloriæ, ſed infirmitatis: altera, quòd futuri ſumus ἰσάγγελοι, de quibus quũ antea iam ſæpe diſſeruerimus, eadem minimè puto nunc quoque repetenda. Tantùm attingam illud Hieronymi dictum, aduerſus Vigilantiũ, *Sequuntur Agnũ quocunque vadit. Si Agnus* VBIQVE, *ergo & hi qui cum Agno ſunt*, VBIQVE *eſſe credendi ſunt.* Hoc verò ſi ita vt vult Brẽt. accipiendũ eſt, quid opus erat Chriſti carnẽ Deificare, vt omnipræſẽs fieret? Deinde videar, obſecro,

obſecro, quantopere hallucinetur. Hunc ipſum Agnum ab Hieronymo non conſtitui omnipræſentem, hic ipſe locus quem citat, manifeſtè declarat. Non eſt enim itio conueniens omnipræſenti naturæ, niſi quis eo ire dicatur vbi iam erat. Quî fit ergo, vt quod iſti à D. Bullingero & D. Martyre de hac Hieronymi ſentẽtia verè & eruditè reſponſum eſt, non aliter prætereat quàm ſi nihil vnquam eiuſmodi audiſſet? an hoc eſt, obſecro, bona conſcientia veritatem ſcrutari, & piorum fratrum animis conſulere: an verò potius pertinaciter ſua defendere, & eccleſiarum offendicula negligere? In ſumma igitur, VBIQVE in illo dicto non coniunctim omnia loca, ſed diuiſim ſignificat, nempe vt quocunque libuerit Agno tranſire, eò & Sancti tranſeant. Loquitur autem Hieronymus non de corporibus, ſed de Sanctorum ſpiritibus iam cum Chriſto verſantibus. Ait enim, vt ipſemet Brentius citat, *Tu Apoſtolis vincula inijcies, vt vſque ad* DIEM IVDICII *teneantur cuſtodia, ne ſint cum Domino ſuo?*

Duplici igitur nomine conuincitur falſæ huius dicti interpretationis, nempe quòd VBIQVE de omnibus locis coniunctim accipiat, deinde quòd quæ de Spiritibus ſcripſit Hieronymus, ipſe ad corpora immeritò trahit. Quòd ſi Agnus, id eſt Chriſtus ipſe ſecundùm carnẽ, & ipſi Sanctorum ſpiritus nonniſi eundo quóuis tranſeunt, certè multo minus Brentii ſententia de corporibus glorificatis incircunſcriptis ſtare poteſt.

Illud tamen minimè negamus, totum illud Hieronymi ſcriptum quo Sanctorum inuocationem, id eſt, manifeſtam idololatriam defendit, nos nihil morari. Itaque hoc in ſumma dicimus, poſita incircunſcriptione & omnipræſentia, ſtare carnis reſurrectionem non poſſe, quoniam qui carnem in ſpiritum mutat (quod verbo quidem ſe facere negat Brentius, re autem ipſa facit) carnem non inſtaurat, ſed penitus tollit.

AD QVARTAM BRENTIANI *libri partem, De adoratione & inuocatione* CHRISTI.

HIC quoque quæritur de re longè maxima, ſed Dei beneficio certiſſima, nempe de Chriſti adoratione, non tantùm ſecundùm Diuinitatem, ſed etiam ſecundùm carnem: qua de re vt rurſus habeat Brẽtius quid ſentiamus (de his enim abũdè etiam ſuprà diximus) profitemur nos planè aſſentiri iis quæ ex Auguſtino citat, *In Chriſto Domino humanitatem non ſolam aut nudam, ſed Diuinitati ſuæ vnitã, vnũ Dei Filium, Deum verum & hominem verum qui adorare contempſerit, æterna mortis pœnã patietur.* Hæc ille, aut ipſa potius veritas. Quomodo igitur hominem Chriſtum adoramus? quia vnus & idem ille eſt Deus. Quomodo Chriſti carnem adoramus? quia eſt Dei caro. Itaque non ſubſiſtit in carne hæc noſtra adoratio, ſed ad eum penetrat cuius eſt caro, à quo tamen illam non ſeparat, quoniam hypoſtaticè eſt cum eo vnita.

Quid autem Brentius? *Non eſt*, inquit, *adorandus Chriſtus homo, niſi ſit omnipotẽs & omnipræſens.* Eſto. Et quis noſtrûm inficiatus vnquã eſt, Chriſtũ hominem eſſe Deum, quum vnus ſit Chriſtus Deus & homo? Qua igitur in re diſſentimus? nempe quòd Chriſtum hominem putet Brentius in ſeſe eſſe Deum quendam, omnibus videlicet proprietatibus Diuinitatis in ſe receptis exornatum, qui eſt ipſius in hoc argumento perpetuus error: nos autem ex Scripturis & Patrum aduerſus Eutychetem ſcriptis, ſentimus hunc hominem eſſe Deum, quia ipſa Filii Dei hypoſtaſis hanc carnem ſibi propriam effecerit, vt vnum eſſet ex duabus illis naturis ὑφιςάμενον abſque vlla vel eſſentiarum vel eſſentialium proprietatũ commixtione. Sed & alter hic eſt perpetuus ipſius error, quòd Chriſtum hominem & Chriſti carnem pro eodem accipit, quum tamen illo nominetur tota perſona: iſto verò vnica tantùm natura, vt ſingulis penè paginis inculcauimus.

Agnoſcimus ergo hunc hominem eſſe Deum, & hunc Filium Dei eſſe hominem, ac proinde hunc hominem eſſe omnipotentem, omnipræſentem, imò etiam æternum, increatum, infinitum, & quicquid Deo tribuitur, non tamen in ſeſe, ſed in ea natura quicum eſt vnitus. Qui enim Deum eſſe dicit, quomodo illi adimat ea quibus eſt Deus? Hanc autem carnem abſit vt Deum eſſe dicamus, vel omnipotentem, aut omnipræſentem, aut quicquam aliud quod ſit Dei eſſentiæ incommunicabiliter proprium. Sed ſit illa ſanè Dei caro, non Deus, ac proinde adoretur, non nuda ſeu per ſe conſiderata,

ſed vt eius caro, qui quum Deus ſit, non adorari totus ſine extremo exitio non poteſt.

Sed quid ſi hominem illum cum Brentio faceremus Deum, non propter ipſius τοῦ λόγου inhabitationem, quæ ſit ei cum reliquis creaturis communis (vt ipſe loquitur) ſed propter omnium Diuinitatis proprietatum effuſionem, an propterea eſſet adorandus? minimè profectò. Eſſet enim deificata creatura. Abſit autem à nobis vt quicquã præter vnicum illum Deum nobis in tribus perſonis, Patris, Filii incarnati, & Spiritus ſancti patefactum, vel in terra vel in cælis adoremus.

Euertunt ergo eum Neſtorio totum adorationis Chriſti fundamẽtum, qui Chriſti & Petri diſcrimen non ab ipſa hypoſtaſi Filii Dei, ſiue à Diuinitate quam Filius Dei in ſe ab æterno habuit (vt loquitur Brentius pag. 273.) ſed ab eius effectis, ſiue ab omnium Diuinitatis proprietatum in carnem effuſione petunt: quod figmentum etiamſi verum eſſet, tamen (quod iterum repeto) Chriſtum propterea adorandum eſſe minimè cõſequeretur. Adorandus enim eſt nõ qui Deus eſt per gratiam (quod nuſquam inuenitur, propriè loquendo) ſed qui Deus eſt per naturam, quod ſoli Patri, Filio incarnato, & Spiritui ſancto æqualiter & indiuiſè, non autem indiſtinctè, conuenit.

Sed de his hactenus. Nam quæ adiicit Brentius partim nullis argumentis fulciuntur, vt quæ de Diuina carnis Chriſti in Reguli illius domo præſentia inculcat: partim meræ ſunt calumniæ, veluti quum nobis impingit quòd Cœnam inter adiaphora numeremus, quòd ſentiamus Chriſti corpus à Cœna abeſſe, & quidem quantum abeſt cælum à terra. Idem enim illi eſt panis & vinum Cœnæ Domini atque ipſa Domini Cœna.

Sed illa duo in primis quis non miretur ab eo nobis obiici potuiſſe, nempe quòd perſpicuas Scripturæ locutiones in allegoricas, typicas, metonymicas transformemus, & Neſtorii hæreſin in Eccleſiam veluti poſtliminio reuocemus? Nam è contrario quid nõ ille in allegoriam transformat? aſcenſum, deſcenſum, cælos, inferos, totum regnum cæleſte, hæc, inquã, omnia nónne is ipſe eſt qui allegoricè interpretatur, & propterea nos vt impios Lucianos, Talmudiſtas, & Mahumetanos exagitat, quòd his ipſius allegoriis nolimus aſſentiri?

De Neſtoriana verò hæreſi, quam nobis obiicit, quid aliud dixerim quàm quod millies dixi? Certè ſi reſurgeret ipſe Neſtorius, non alio quàm Brentius ſermone vteretur, de Diuinitatis in Filio Mariæ ſecundùm οὐσίαν vulgari inhabitatione: quod ſuis locis declarauimus.

Quid amplius? dicit etiam nos omnipotentiam Dei tollere, quam tamen ei facimus adeò propriam, vt ſit incommunicabilis. Nos verò ſcilicet ſempiternam felicitatem in corporali voluptate collocamus, quoniam corporum ſubſtantiam nolumus abſque ſua eſſentiali forma ſiue circumſcriptione imaginari: & ſeparamus naturas quarũ proprietates nolumus confundi: & promiſſionẽ illam, *Semen mulieris conteret caput tuum*, non de Chriſtu, ſed de rebus & beneficiis corporalibus interpretamur, quoniã videlicet appellatione ſeminis dicimus non tantùm caput ipſum Eccleſiæ, ſed etiã omnes electos cum capite coniunctos intelligi. tollimus denique Chriſtum è medio, quoniam duas eius naturas dicimus ſuis proprietatibus diſtingui. Sed de his ſanè nimiũ multa. Iudicet Eccleſia quo iure tã atrocibus conuitiis petamur, & tantis offendiculis medeatur Dominus.

AD VLTIMAM PARTEM BRENtiani libri, cui titulus eſt, Appendix publicorum teſtimoniorum quibus oſtenditur Cinglianos mala conſcientia piam de Cœna Domini ſententiam

OPPVGNARE.

AN verò Brentius veretur ne qua concordiæ via reperiatur, ideóque omnem eius ineundæ rationem ſemel præcidendam putauit? Dabit tamen illam, vt ſpero, Dominus, & emerget veritas. Iſtius porrò malæ conſcientiæ, imò etiam Ethniciſmi, Talmudiſmi, & Mahumetiſmi (his enim floſculis ab eo coronamur) quod tandem argumentum profert? nempe quòd controuerſiam de Cœna Domini non tanti eſſe debere

crediderimus vt propterea inter fideles communionem & charitatem ſolui oporteat.

Atqui minimè omnium ignorat quũ illæ contentiones quibus viſum eſt Deo maximos illos viros exercere, paululum ſaltem deferbuiſſent, nũquam à nobis optimos ac doctiſſimos quoſque ita abhorruiſſe, vt vel nos pro fratribus nõ habuerint, vel eorũ qui hoc ſentirẽt furoribus obtẽperarint. Et tamen ne ipſe quidẽ illos dixerit vel quid ſentiremus non ſatis cognouiſſe, vel nobis contra ſuam conſcientiã blandiri voluiſſe, Obiicit nobis præter D. Lutheri Epiſtolam commune quoddam ſuum & D. Philippi ſcriptum, editum in ipſa triſtis illius Tragœdiæ epitaſi, ante annos triginta quinque, quo ſpatio mirum eſt iſtam bilem in quibuſdam cõcoqui non potuiſſe. Nos verò & ad ipſum & ad D. Philippum non dubitamus prouocare. Quid enim hic aliquot pòſt annis & ad mortem vſque ſenſerit, docuerit, ſcripſerit, tum de nobis, tum etiã de turbulentis quibuſdã hominibus quos nominatim perſtringit, neſcire Brentius non poteſt, ac multo etiam minus quàm blandè & quàm honorificè hunc ipſum quem nunc adeò intemperãter vexat, amicũ ipſe appellarit. Vnde igitur iſta tam ſubita viciſſitudo? Neque enim ex nobis vel vnam voculam audiuit prius inauditã, ac ne tantillũ quidem ab eo tempore receptæ in his eccleſiis doctrinæ vel adiectum eſt vel detractum. Quid porrò de infelici iſto ipſius dogmate iudicẽt doctiſſimi quique, etiã ex iis qui à nobis alioqui in Conſubſtãtiationis argumento diſſident: atque adeò quàm diſertè D. Philippus felicis memoriæ, hanc Brentianam omnipræſentiã totius eruditæ vetuſtatis teſtimonio damnarit, ecquis tandem ignorat? Et niſi bona fide hîc, vt & aliis in rebus omnibus, agere, ex Dei noſtri beneficio, cõſtituiſſemus, quàm latus hîc nobis cãpus patet? Sed quia nihil aliud quàm veritatem quærimus (& faxit Deus vt hîc nobis omnes, tanquam in quadriuio quopiam hactenus aberrauerimus, nunc tãdem occurramus) ideo ſimpliciter & candidè, & ſicut inter bonos bene agier oportet, ita agimus.

Age ergo, ſepoſitis hominibus rem ipſam aggrediamur. Dico igitur, niſi iſta controuerſia, quam olim penè extinctam ſua authoritate compeſcuit D. Philippus ad tempus, vt ipſe Brentius probè nouit, de Carnis Chriſti, tunc VBIQVITATE, nũc OMNIPRAESENTIA, tanto cũ feruore neſcio quo ſpiritu nunc erupiſſet, nullã inter nos quæſtionem fuiſſe tanti momenti, vt propter illam ſcindi eccleſias noſtras oporteat. Quid enim amplius poteſt in Cœna poni quàm nos quoque ponamus? Aiunt non tãtùm ſymbola, ſed etiam rẽ ipſam, id eſt, corpus illud ipſum quod traditum eſt pro nobis, & ſanguinẽ Domini pro nobis fuſum, nobis verè communicari. Aſſentimur. Quid enim eſſet alioqui Cœna Domini, niſi ludicrum ſpectaculum? Ergo nec de ſymbolis, nec de re ipſa controuertitur. Tantùm hoc intereſt, quòd nonnulli volunt carnẽ & ſanguinẽ realiter quidẽ ſed illocaliter & inuiſibiliter ibi eſſe vbi ſunt ſymbola, vt manibus etiam & ore præſentia ſumantur. Nos autem illa quod ad ſenſus externos attinet, ſacramẽtaliter duntaxat adeſſe dicimus, id eſt, eo ſignificationis genere quod ſit minimè vanũ, ſed quo res ipſa quæ ſignificatur verè & efficaciter ex Dei inſtituto nobis promittitur, ſicut ſymbola externis ſenſibus annuntiant: animi autẽ reſpectu illa dicimus eſſe ſpiritualiter fidei noſtræ præſentiſſima, adeò quidem vt nulla locorum diſtantia impediat quo minus reipſa per fidem ſpiritualiter vnum cum ipſo Chriſto fiamus, vt ab eo in nos vita illa ſpiritualis & æterna quã veriſſimè & efficaciſſimè promanet.

Duplex igitur quæſtio hîc occurrit: vna, quæ ſit rei & ſymbolorũ cõiunctio: altera, quæ ſit rei nobiſcum copulatio, vtraque, vt nobis quidem videtur, eiuſmodi vt quũ de re ipſa cõſtet, minimè tamen amittatur fidei fundamentum, nec propterea ſcindendæ Eccleſiæ videantur. Altera verò controuerſia ex eodem fonte exorta eſt. Volũt enim illi, quod etiam ex ſuperioris quæſtionis explicatione conſequitur, & rem & ſymbola ab impiis quoque percipi, ſed indignè ad mortẽ æternam: quãquam hîc quoque nonnulli ipſorum inter homines prorſus profanos & indignos diſtinguant. Nos verò ſola ſymbola dicimus ab iis ſumi qui fidem non afferant, nec tamẽ eos eſſe ſimpliciter reos panis & vini indignè ſumpti, ſed primùm quidẽ (quũ longè aliud ſit Sacramentũ quod ad qualitatem attinet, quàm vulgaris panis aut cõmune vinũ) reos eſſe profanationis ſacrorum corporis & ſanguinis Domini ſymbolorum: deinde etiã ipſius auguſtiſſimi corporis & ſanguinis Domini, non quæ ſumpſerint, ſed quæ obſtãre ſua incredulitate & indignitate nõ diiudicarint, ideóq; turpiter & ſceleratè ſint aſpernati.

Ergo hîc quoque de eo quod præcipuum eſt & eſſentiale in hac controuerſia inter nos cõſtat: indignè videlicet ex hoc ſacro pane comedẽtes, & hoc ſacro vino bibẽtes,

ſibi propter contemptum corpus & ſanguinem Domini, iudicium manducare ac bibere. Cur autem ob illud quoque ſcindantur eccleſiæ? & cur nō potius vel commoda aliqua ratio componendæ etiam iſtius diſſenſionis quæritur: vel placidè, ſicut monet Apoſtolus, inter nos non expectamus dum hæc quoque cunctis Deus patefaciat?

Hæc autem quum ita ſe habeāt, iudicet nunc, Illuſtriſſime Princeps, Celſitudo tua, quo iure nos Brentius tanquam Cœnam Domini inter adiaphora numerantes, atque adeò tanquam profanos & nihil credentes accuſet. Et hæc quidem hactenus vota & ſuſpiria noſtra fuerunt, bona, vt ſpero, conſcientia à nobis coram Domino & Deo noſtro effuſa, vt noſtri miſereri & ὁμοφρoσύνην nobis largiri dignetur. Nunc verò fateor apud T.C. non ſine maximo dolore, Illuſtriſs. Princeps, eò rem adductam eſſe, vt ſtante hoc diſſidio de duabus Chriſti naturis, ſtare, quæ tam diuerſa ſentiunt Eccleſiæ, ſimul non poſſint. Viderint quid corā Chriſti tribunali ſint reſponſuri, qui tantis malis occaſionem præbent, & nunc quoque nihil æquè atque remedia videtur fugitare. Et hic dicam intrepidè, bona conſcientia fretus, corā Domino Ieſu Chriſto, quod, vt ſpero, noſtris omnibus probabitur: Si nos mala conſcientia agimus, ſi Talmudiſtæ, Mahumetiſtæ, Luciani ſumus, non recuſamus, Domine Ieſu, quominus de manu noſtra ſanguinem eorum qui noſtra culpa pereunt, requiras, & nos ipſos, vt digni ſumus, cōturbes. Sin minus, benedic tamen, Domine, iis qui nobis maledicunt: & propter ſacrum Nomen tuum, abige à nobis ſpiritum illum diſſenſionis, & Paſtorum animos ad quærendam veram conſenſionem, & eccleſias tuas veritate tua paſcendas, inflecte, vt tibi omnes cum ſanctitate & iuſtitia ſeruiamus.

Hæ iam pridem fuerunt, & ſunt, & erunt, vt ſpero, noſtræ apud Deum preces. Quæ verò ſint Illuſtriſs. Principum partes, & quidem tuæ Celſitud. in primis, tum propter excellentem tuam pietatem, tum etiam quoniam in tuis potiſſimùm regionibus hoc doctrinæ genus feruet, quod multi pii doctique homines intolerabile eſſe iudicant, etſi meum non eſt exponere, tamen & cauſæ noſtræ bonitate, & ſumma illa tua humanitate fretus, non dubito à T.C. quamhumillimè flagitare, vt quum iam non de Cœna Domini propriè agatur, de cuius capitibus (vt dixi) inter nos conuenit: ſed Cœnæ Domini prætextu (vt verſutus eſt Satan) de re omnium maxima, id eſt, de ipſa Chriſti perſona quæri nunc cœperit, quod in ciuilibus controuerſiis facere pro tua æquitate ſoles, id ipſum in hac cauſa præſtes: id eſt, nō eos modò qui tibi quotidie ſunt ob oculos audias, ſed etiam tot contradicentium ſcholarum Chriſtianarum iudiciis, & duabus irrefragabilibus Synodis, Epheſinæ & Chalcedonenſi, quæ ex Dei verbo de his cōtrouerſiis iampridem deciderunt, tantū ſaltem tribuas, vt vtrique audiendæ parti integrum ac totum teipſum ſerues.

Maxima quidem eſt hæc controuerſia, ſed quam comperies (Illuſtriſſime Princeps) ita clarè, ita perſpicuè ex Dei verbo, in illis quas dixi Synodis, & orthodoxorum Patrum ſcriptis explicatam, vt ſi quando T.C. videatur, quod vtinam iam factum eſſet, ſeriam de his rebus cognitionem in legitimo doctorum & piorum hominum conuentu inſtituere, tute ſis admiraturus tātam eſſe Satanæ impudentiam, vt hæreſes profligatiſſimas auſit rurſus Eccleſiis obtrudere. Hi ſunt porrò cōtentionum fructus, quibus ſic eſt ira Dei vtrinque prouocata, vt magnopere ſit timendū, ne, quod inquit Præceptor ille noſter, poſteriora fiant longè deteriora primis. His autem malis vnus quidem Deus mederi poteſt, ac ſanè ſublata iræ ipſius cauſa medebitur: ſed quum vos, Illuſtriſs. Principes, Deus præ reliquis voluerit eſſe inſignia gloriæ ſuæ organa, veſtra quoque eſt iſta cogitatio, quū præſertim ab iis ipſis malum oriatur, à quibus tanquā Dei interpretibus ſperandum erat remedium. Paſtores dico & Doctores, quorū pleroſque vltrò profiteor, vt iſtorum diſſidiorum & authores & fautores, planè commeritos eſſe, vt quandoquidem nullo religionis metu iam retinentur, veſtra deinceps authoritate cauſam ſaltem ſuarum ſententiarum coram legitimo cœtu dicere, & Eccleſiæ iudicium ſubire teneantur.

Eſt autem omnibus Chriſtianis Principibus ac Rebuſp. eò magis de hac re cogitandum, id eſt, de communi tandē aliquo conſenſu, partibus auditis, conſtituendo, quòd hæc ipſa de duabus in Chriſto naturis controuerſia veluti fatalis Eccleſiæ pernicies iā olim ab anno Chriſti 432. primùm per Neſtorianos, deinde per Eutychianos, & poſtea demum per Monothelitas iſtorum ſobolem, vſque ad annum 746. totum orbem terrarum miſerrimè diuexauit, donec videlicet Saracenorū diluuio Dominus blaſphemias

mias in Chriſtum Filium ſuum tot annis, nempe 314, impunè à multis horrenda pertinacia defenſas, ac ne tribus quidem vniuerſalibus Synodis coercitas, infinitis cladibus vlciſceretur. Quòd ſi totam illorum temporũ miſerabilem hiſtoriam T.C. inſpexerit, ibi quæ ſit ſpiritus Satanæ audacia, quæ multorũ maximi nominis Epiſcoporum, tum in Cæſaribus ipſis, tum in prouinciarum Præfectis religionis prætextu circumueniendis, & illorum authoritate defendendis ſuis blaſphemiis, impudentia fuerit, liquidò perſpiciet. Hæc eadem verò nunc in Chriſtianum orbem rurſus à Satana omnium illorum ſcelerũ artifice procudi, vtinam ſatis tempeſtiuè omnes animaduertant, & maturè illius fraudibus occurrant. Iam videmus in Polonia & Lithuania velut ab inferis reuocatos, & apertè loquentes & ſcribentes audimus Tritheitas, Arianorum ſobolem, aliquot etiam potentum hominum, quos miſerè fefellerunt, authoritate ſubnixos, qui tres οὐσίας pro tribus in vna οὐσίᾳ hypoſtaſibus ſubſtituentes, Chriſtum apertè ſecundarium Deum faciunt: quorum etiam nonnulli iam Macedoniani facti, ex Tritheitis, Ditheitæ euaſerunt. Et quem tandem Chriſtum, quam Eccleſiam, quam fidem, quam denique vitam æternam intra paucos annos habebimus, niſi iſta perditiſſimorum quorundam luporum ſub Paſtorum nomine deliteſcentium audacia, ſemel publica authoritate profligetur? Vtinam verò eum diem videamus quo ſerium ac legitimum de his omnibus iudiciũ inſtituatur. Nos quidem coram vniuerſo terrarum orbe eorum quæ tum voce tum ſcriptis & tuemur & reprehendimus, rationem reddere nunquam pudebit. Atque adeò, vt de tota noſtrarum eccleſiarum in hoc argumento ſententia liquidò conſtet, paucis & perſpicuis verbis illam comprehendam.

NISI Chriſtus eſt verè & reipſa, neque duntaxat ἐνεργητικῶς, vnigenitus ille Dei Patris Filius, quatenus Deus eſt, nec eſt Seruator, neque nobis adorandus. I.

Niſi Chriſtus eſt verè & reipſa homo ex Dauidis ſemine, Spiritus ſancti virtute factus, imaginaria ſunt quæcunque noſtri cauſa paſſus eſt: ac proinde ſumus adhuc in morte. II.

Niſi idẽ ille qui Deus eſt, ſit homo, & qui homo eſt, ſit vnigenitus Deus, id eſt, Si totidẽ ſint perſonæ quot ſunt naturæ, neque in Deo illo, neque in illa carne ſeruati ſumus. III.

Niſi Verbũ ſiue vnigenitus ille Filius ſecundùm ſeipſum ita ſit in vna illa carne, vt de ſolo Chriſto dicatur, Verbum caro factum eſt, vel non eſt Chriſtus eſſentialiter Deus, vel omnes res creatæ ſunt eſſentialiter dij, quod vtrunque execramur. IIII.

Vnica Chriſti caro non à Patre nec à Spiritu ſancto, ſed à ſolo Verbo aſſumpta, eique σωματικῶς ſiue ſecundùm οὐσίαν, neque duntaxat ſecundùm ἐνέργειαν, in æternum vnita eſt: ideóque in Chriſto vno eſt quidem Aliud & Aliud, nempe Diuina & humana natura: non autem Alius & Alius, quum vnus ſit & idem Deus & homo, arcano ipſis etiam Angelis inenarrabili. V

Hanc vnionem σωματικὴν, ſiue οὐσιώδη, id eſt rerũ ipſarum, ſiue ὑποστατικὴν, ſiue perſonalem, conſequitur ſumma & inexplicabilis energia: ſecundùm quam tamen caro Chriſti à reliquis creaturis non ſimpliciter & propriè, ſed tantùm comparatè differt: ac proinde peſſimè ſentiunt qui Chriſti à Petro atque adeò quibuſuis aliis rebus diſcrimẽ non ab οὐσίας ſiue rei ipſius vnione, ſed à Diuinitatis energia ſumunt, ſecundùm quam nec Chriſtus, nec quicquam aliud vel in cælo vel in terra propriè Deus dici poteſt aut debet. VI.

Hæc οὐσιώδης vnio Verbi & Carnis ab ipſo incarnationis momento facta eſt, nunquã deſitura. energia verò Verbi, certis gradibus ſeſe aſſumptæ carni inſinuauit, tantiſper dũ in eius temporaria infirmitate totum ſalutis noſtræ myſterium impleretur. VII.

Temporaria hæc carnis infirmitas, noſtræ per omnia, excepto peccato, ſimilis, voluntaria quidem fuit, non tamen ficta, ſed veriſſima, & ex conſueto naturæ humanæ ordine: vt nulla hîc ſit, quod ad ipſam carnem attinet, extraordinaria œconomia imaginanda. VIII.

Veritas harum naturarum & ipſius infirmitatis tempore, & poſt eam depoſitã, ſemper retinenda eſt, ne Chriſtus vel Deus vel homo vnquam eſſe deſierit. IX.

Eſt autem hæc naturarũ veritas in eo poſita, vt illarum neque eſſentiæ ſiue naturæ, neque eſſentiales proprietates vllo modo immutentur, ac multò minus aboleantur. X.

Diuinitas igitur Verbi quum carnem ſibi vniret, qualis erat, talis etiam permanſit: quamuis reſpectu carnis, cui ſemetipſum vniuit, ſeſe dicatur exinaniuiſſe. Hoc enim eſt XI.

quod Paulus formæ Dei exinanitionem,& veteres orthodoxi Oeconomiam vocarũt.

XII. Homo iſte viciſſim hac ſui aſſumptione eſſe Deus & dici cœpit:at non in ſeſe, ſed quatenus in vnum ὑφιςάμενον cum Verbo coaleſcens hæc caro,facta eſt Dei caro.

XIII. Hæc eadẽ caro ſuo miniſterio in terris defuncta, & poſtea ſupra omnes cælos illos viſibiles euecta,ibidem ipſis etiam Angelis inenarrabili gloria perfruitur: quod vtrũque diſtinctè duobus illis articulis,Aſcendit in cælos,Sedet ad dextram Dei Patris, ſignificatur.

XIIII. Quæ ſit iſtius maieſtatis cõditio, nec mẽte percipi, nec verbis explicari à quoquã hominum poteſt.Teſtatur tamen Scriptura,& credendũ omnino nobis eſt,hanc gloriam Carni Chriſti neque corpoream eſſentiam, neque eſſentiales humanæ naturæ proprietates ademiſſe,ſed inenarrabiliter perfeciſſe.

XV. Vna eſt vnius Chriſti Dei & hominis gloria,cuius ſedes in cælis eſt,& non alibi:poteſtas autem & imperium per cælum & terram ſicut & ipſa Diuinitas patet.

XVI. Prudenter diſtinguenda ſunt in ſalutis noſtræ myſterio explicando quæ de Chriſto toto,ſiue de ipſa Chriſti perſona dicuntur,ab iis quæ alteri tantùm naturæ competũt: quoniam ſicut ſuis proprietatibus,ſic etiam operationibus naturæ ipſæ diſtinguuntur.

XVII. Si quando proprietates iſtæ videntur permutati,vt quum Deus gloriæ dicitur crucifixus.&,Filius hominis tum fuiſſe in cælo, quum eſſet cum Nicodemo in terris,tropus eſt ἀλλοίωσις intra verba conſiſtens:in quo tamen nulla eſt falſitas,quanuis re ipſa nec carni communicetur quod eſt in Deitate incommunicabile: nec viciſſim Deitati quod incommunicabile eſt in homine.

XVIII. Hæc autẽ ἀλλοίωσις,ſiue verbalis ἰδιωμάτων κοινωνία inde orta eſt,& ideo vera eſt, quòd propter vnitatem perſonæ Chriſtus totus interdum ex altera tãtùm natura denominetur.

XIX. Nullus ergo iſtius tropi vſus eſt in diſcreto, putà Diuinitate vel carne: ſed in concreto tantùm,putà Deo vel homine.

XX. Malè igitur Neſtorius naturas ſeparans, negabat Deum eſſe natum & crucifixum.

XXI. Et malè rurſus Eutyches naturas confundens, Diuinitatem natam & crucifixam putabat.

XXII. Sic etiam verum eſt,Chriſtum hominem eſſe vbique:Chriſti verò carnem eſſe vbique,non item.

XXIII. Nam huius vnius Chriſti eſſentialiter Dei & hominis Diuinitatem omnia cõtinere,& à nullo contineri:carnem verò quautumuis ſupra ipſos Angelos incomprehenſibiliter glorificatam,tamen veram & finitam,ac ſuis dimenſionibus corporeæ naturæ glorificatæ conuenientibus circunſcriptam, cælis vſque ad tempora reſtitutionis omnium capi,ex ſcripturis credendum eſt.

XXIIII. Nec propterea ſeparantur Chriſti naturæ,quum nihilominus vnum ὑφιςάμενον conſtituant,etiamſi caro,vtpote finita,non tam latè pateat quàm Diuina, vtpote infinita. Siquidem ne in merè quidem naturalibus compoſitis neceſſe eſt, vt ea ex quibus componuntur,vno eodémque loco ſimul contineantur.

XXV. Etſi autem vera illa corporea & finita caro nuſquã nunc eſt niſi in cælis, nos tamẽ ſpiritualiter per fidẽ verè corporis & ſanguinis Domini fieri participes profitemur, vt vnum cum ipſo facti vitam æternã inde hauriamus, quod ipſe nobis & Verbo promittit,& Sacramentis teſtatur,& omnipotente Spiritu ſuo in credentibus efficit.

SIC ex verbo Dei, accedente totius orthodoxæ & eruditæ vetuſtatis conſenſu, docemus,& quandiu dederit Dominus,docebimus.

TH. B.

DE

Hypoſtatica duarum in Chriſto NATVRARVM VNIONE, ADuerſus Iacobi Andreæ aſſertionem.

AD

ILLVSTRISS. DVCEM CHRISTOPHORVM, DVCEM VVIRTEMBERGENSEM, COMITEM *Monpelgardenſem, Tekenſem, &c.*

COGIT me Iacobi Andreæ biduanum quoddam reſponſum, Illuſtriſſime princeps, ruſum T. C. de eadem re moleſtum eſſe. Sic enim ille, qua eſt linguæ promptitudine, non expectata libelli mei integri editione, ad tres eius paginas bibuo reſpondit: vt nonnulla maximi momenti argumenta prætetierit, errores quoſdam Brentianos auxerit, quædam denique mihi impegerit de quibus nunquam cogitaui: quæ tria paucis declarare conſtitui, vt tandem veritatis fulgore diſſipetur errorum obſcuritas.

QVÆSTIO eſt quid ſit hypoſtatica duarum naturarum vnio, quam aliter Brentius & Andreas explicant, & nos ruſus aliter definimus ex verbi Dei, vt arbitramur, authoritate, & orthodoxi Chalcedonenſis concilii decreto.

BRENTIANAE igitur ſententiæ hæc ſumma eſt. VNIRI diuinam naturam cum humana, ſimpliciter acceptum, idem declarare atque implere eam ſua eſſentia, & præterea aliquid in eam conferre, adeò quidem vt omnes homines ſuo quodã modo conſtent ex iis duabus naturis inſeparabiliter vnitis quandiu durat compoſitum: PERSONALITER autem VNIRI duas illas naturas in Chriſto, idem ſignificare, atque aſſumentem naturam, nempe diuinam, non modò ſua eſſentia humanam aſſumptam naturam, vt alios homines, atque adeò quamuis creaturam implere, & aliquot dona in eam conferre, ſed etiam præterea omnibus, omnibus, inquam, diuinis donis, ac in primis quidem omnipræſentia, eam exornare. Denique ſi Brentio credimus, vnio eſſentialis diuinæ & humanæ naturæ, communis eſt Chriſto cum omnibus hominibus, in quibus eſt & ipſa *ἐνεργητικὴ*, ſed tantùm aliquatenus. Perſonalis autem, quæ eſt vnius Chriſti propria, nihil aliud eſt quàm perfectiſſima Diuinitatis *ἐνέργεια*, talis nimirum, vt quæcunque habet Diuinitas per naturam & eſſentialiter, habeat in ſeſe humanitas ex gratia, & per accidens.

HOC dogma coram omnibus Eccleſiis accuſaui, & adhuc accuſo, vt ex duabus inter ſe etiam repugnantibus blaſphemiis Neſtorii, & Eutychetis conflatum. Neſtorianum enim eſt in eo quòd Chriſtus hoc modo, quod ad diuinam naturam attinet, non aliter Deus quàm reliqui homines ſtatuatur, ac proinde in duas hypoſtaſes ſeu perſonas manifeſtè diſſoluatur: Eutychianum autem delirium eſt, omnes Diuinitatis proprietates in humanitatem collatas, ſiue (vt etiam loquitur Brentius) effuſas arbitrari.

Quod vtrunque tum his proximè ſequentibus tum etiam aliis argumentis demonſtraui.

1 Arg. DEVS Pater & Spiritus ſanctus implerit omnia, nec tamen cuiquam tei vniuntur eſſentialiter, nedum petſonaliter. Ergo diuinam naturam ſeſe vnire cum aliquo, vt id dici poſſit vllo modo ex diuina natura & altera ſibi propria conſtare, longè aliud eſt, quàm ſua eſſentia aliquid implere. Probatur antecedens, quia ſi res creatæ aliquatenus ex diuina natura cõſtarent, eatenus dicerentur Deo ὁμοούσιοι, quod tamẽ in vnam Chriſti perſonam competit, idque ſolius Verbi reſpectu, cum aſſumpta natura in ſolo Chriſto ſubſtantialiter vniti.

AD hoc antem argumentum ſic reſpondet Andreas, *Mirandum eſt*, inquit, *in Beza, quòd reprehendat Brentium, qui humanam naturam etiam extra humanitatem Chriſti, hominibus vnitam, & quidem inſeparabiliter quibuſdam vnitam dicat.*.

Brentius pag. Recognitionis 36 & 40. Andreas pag. Aſſertionis 16, & Theſi 20. AT ego miror, Andrea, qui factum ſit vt quod de quibuſuis hominibus, atque adeò de quauis re paſſim inculcat Brentius, & tu ipſe ad ſaxa vſque extendis in hac ipſa tua Aſſertione, hoc loco ad quoſdam tantùm, nimirum ad Sanctos, reſtringas, in quibus etiam ipſis PRAESENTIAM cum VNIONE manifeſtè confundis.

ADDIT poſtea Andreas, *Audiat viciſſim Beza quod Chriſtus orauit, Gloriã, inquit, quam dediſti mihi, dedi eis, vt ſint vnum ſicut nos vnũ ſumus: ego in eis, & tu in me. Num tibi quoque impropriè Chriſtus locutus videtur?*

MINIME verò, ſed quod de voluntatis & charitatis nexu dixit Christus, ad ipſius ſubſtantiæ vnionem imperitè accommodas. Deinde ſi verum eſſet quod hoc teſtimonio (niſi fortaſſe quæſtionis propoſitæ oblitus es) probare voluiſti, nempe ſuſtentationis præſentiam, VNIONEM eſſe, cur flagitaret Chriſtus ſuis tribui quod omnibus creaturis competeret?

Arg. 2. DAEMONIVM implens ſubſtãtia ſua dæmoniacum, & quidem maxima cum ἐνεργείᾳ, non tamen cum eo vnitur. Ergo ſubſtantia ſua aliud implere etiam cum efficacia, longè aliud eſt quàm ſecundùm naturam vniri: quo argumento vtitur ipſe Lutherus, vt prolato ipſius teſtimonio in libello meo declaraui.

RESPONDET Andreas, valde abſurdum eſſe hoc exemplum: *neque enim*, inquit, *dæmonium ita ſe cõiungit homini, vt ad hunc modum vniatur cum homine, ſed potius vt eum affligat & diſcerpat.*

ATQVI hoc non eſt argumentum ſoluere. Neque enim cur vniatur, ſed an vniatur, quærimus. Quòd ſi vera eſſet tua doctrina, diuerſus aut etiam contrarius vnionis finis, non impediret quominus dæmonium cum dæmoniaco ſecundùm naturam vniri meritò diceretur. Longè igitur rectius Lutherus, qui hoc diſcrimen in re ipſa ponit, id eſt, in eo quòd diabolus non poteſt homo fieri. Ex quo conſequitur naturas non vniri, ac proinde longè aliud eſſe præſentem implere aliquid ſua ſubſtantia, quàm ſecundùm naturam ſiue ſubſtantiam vniri.

IDEO ſubiecit Andreas, *Dæmonium tamen & hominem ſuo modo vnum dici nemo intelligens negauerit. ſi maximè hanc vnionẽ neque eſſentialem neque perſonalem dixeris, qua ratione Chriſtus dixit, Nónne ego vos duodecim elegi, & vnus eſt diabolus?*

ADDAT etiam, ſi libet, Andreas, Petrum fuiſſe vnum cum Satana, quia Dominus eum Satanam vocauit: & Iudæos illos contumaces fuiſſe diabolos, quia dixit Dominus eos eſſe ex patre diabolo. Atqui de iis nunc agimus quos dæmonium ſubſtantia ſua implet, non de iis quos afflatu ſuo regit. Inepta eſt igitur hæc reſponſio, nec vllo modo ſpectans ad propoſitam quæſtionem de ipſarum naturarum vnione.

Arg. 3. SI vnio perſonalis eſt omnium proprietatum aſſumentis naturæ in aſſumptam collatio, conſequetur aliquorum bonorum collationem eſſe aliquatenus perſonalem vnionem, ac proinde Chriſtum, quatenus Deus eſt, à reliquis hominibus, imò etiam à reliquis creaturis, non toto genere, ſed ſecundùm plus & minus differre: ſiue, ſicut Deus

& res

& res quæuis creata ſunt duo ὑφιστάμενα, ſic etiam Chriſtum hominem, & τὸν λόγον in eo quantumuis efficaciter agentem, eſſe duas hypoſtaſes. quod dogma eſt apertè impium, quia Neſtorianum. Aliud eſt ergo perſonalis vnio, quàm omnium bonorum ſiue particularis ſiue vniuerſalis collatio.

Ad hoc argumentum nihil reſpondet Andreas. Quanuis enim videatur, vt ſuo loco dicam, aliam in Chriſto vnionem quàm participationis donorum agnoſcere, mox tamen ad ſuam ἐνέργειαν totus relabitur, adeò quidem, vt niſi illi aſſentiar, hoc ipſum argumentum in me retorqueat, nullum videlicet diſcrimen inter Petrum & Chriſtum à me conſtitui. Verùm quid attinet tergiuerſari?

Si in ſola Chriſti perſona (quod nos affirmamus) Verbum eſt ſubſtantialiter vnitum aſſumptæ carni: quorſum attinet Chriſti & aliorum diſcrimen quærere in ἐνεργείᾳ perfecta vel imperfecta?

Sin verò, vt apertè in ſuis theſibus ſcribit, non alia eſt Dei in Chriſto quàm in creaturis reliquis omnibus, quoad οὐσίαν, Diuinitatis præſentia, quomodo Neſtorianiſmum excuſabit? Neque enim accidentalis proprietatum etiam omnium in carnem collatio, ſiue, vt ipſemet loquitur, effuſio, quenquã efficere poteſt natura Deum, ſed tantùm per gratiam diuinam.

Qvoniam autem inter illas Diuinitatis proprietates Omnipræſentiam imprimis vrgent, cuius etiam vnius cauſa certum eſt infelicem hanc controuerſiam ab iis excitatam eſſe: ideo propriè etiam aliquid aduerſus illam dicendum putaui.

Qveritvr vbique Brentius, perſonam diſſolui à nobis, niſi ſtatuamus Chriſtum vbique eſſe ſecundùm vtramque naturam, ex quo conſequitur Omnipræſentiam ab eo ſtatui pro ſpecifica hypoſtaticæ vnionis differentia. Etſi enim quædã etiam alia adiungit, veluti Omniſapientiam, Omniſcientiam, Omnigloriam, & cætera eiuſmodi, quæ omnia comprehendit Omnipotentiæ nomine, quod neque ignoraui, neque diſſimulaui: tamen certum eſt præcipuè de Omnipræſentia, ſiue de Vbiquitate ab illis laborari, vt ipſo etiam ore corpus Chriſti in, ſub, vel cum pane à quibuſuis ſumentibus manducari, nobis perſuadeant. Sic autem colligit:

Si diuina natura in Chriſto non vnivit ſibi humanã propius, quàm vt relinquat eam maieſtate ſua in vno certo loco, ipſa interim totum vniuerſum implente, quid quæſo Chriſtus differt hac in parte à quouis alio homine? Siquidem & Petri humanitas in vno tantùm loco eſt: diuinitas autem qua & impletur & ſuſtentatur, vbique ſe diffundit: & quum propter hanc cauſam Petrus & Deus, ſint duæ diſtinctæ hypoſtaſes ſeu perſonæ, quomodo non etiam propter eandem cauſam filius Mariæ & Filius Dei, qui eſt in Filio Mariæ, duæ fierent perſonæ?

Hvic autem argumento planè futili multiplicem tamen reſponſionem oppoſui, quam in hæc capita placuit digerere.

Primvm dixi nos nuſquam ſcribere humanam naturam à diuina relinqui, ſed contrà ſine controuerſia ſemper ſenſiſſe, inſeparabilem eſſe vtriuſque naturæ in Chriſto vnionem, etiamſi vtraque omnia non impleat, quoniam finitum & infinitum æqualiter non patent, cuius rationis duplex eſt fundamentum: Vnum, quia non cohæret λόγος cum humana natura in aliquo ſui puncto, ſicut in corporibus vnitis accidit: neque eſt corpori alligatus, ſed corpus ita continet, vt & in eo ſit, & extra omnia ſine quantitate, ſicut verè & eruditè ſcripſit Athanaſius. Alterum, quia ſicut ſecundùm ſubſtantiam ſeparata eſſe poſſunt, quæ tamen ita ſunt propinqua vt vnum alteri ſit præſens: ita ſimul ſubſtantialiter vnita eſſe poſſunt, quorum tamen alterum tertio cuipiam non ſit præſens. Exempli cauſa, Petrus & Iohannes ſimul in templum aſcendentes præſentes ſunt alter alteri, nec tamen propterea deſinunt eſſe ſecũdùm ſubſtantiam duo ſeparati. E contrario verò, quid impedit quominus mihi ſit præſens alicuius caput, quicum eſſentialiter cohæreant pedes qui à me abſint, nec tamen propterea caput à pedibus illis ſeparetur?

Deinde, ſi ſoluitur compoſiti vnio neceſſariò, niſi vbicunque fuerit vnum, ſit &

alterum: conſequetur, ſeparata Chriſti anima à corpore, ſicut in ipſius morte & ſepultura accidit, diſſolutam fuiſſe hypoſtaticam Chriſti vnionem: quod tamen falſum eſt, quoniam & anima & corpus (quamuis alterum ab altero verè ad tempus abſuerit) ſemper tamen diuinitati vnita fuerunt.

ITAQVE concluſi non ſolui compoſitum, etiamſi cuicunque præſens eſt vna pars non ſit etiam altera propter inæqualitatem ſitus, ſicut in ſuperiore ſimilitudine capitis & pedum oſtendi, vel etiam naturæ, ſicut cohæret ſolis corpus cum ſuo cælo, nec tamen eſt vbicunque eſt quæuis cæli pars, quum longè latius pateat cæli quàm ſolis corpus. Quanto minus igitur mirum eſt hoc accidere in hac de qua diſſerimus vnione, in qua duæ naturæ tam ſua eſſentia impares vniuntur, vna videlicet exiguis corporis humani quantumuis glorioſi anguſtiis concluſa: altera verò tam infinita, quàm ipſa eſt infinitas infinita?

3 PRAETEREA quis Brentio concedet ſuum antecedens, nempe Petrum & diuinitatem idcirco eſſe duas diſtinctas hypoſtaſes, quòd Petri humanitas ſit vno tantùm loco, diuinitas verò vbique ſe diffundat? Nam ſi ita eſſet, ſaltem vbi hæc cohærent, eſſent vna hypoſtaſis, quòd tamen falſum & ridiculum eſt exiſtimare. Petrus igitur & Deus nō tantùm diſtinctæ, ſed etiam ſecundùm ſubſtantiam ſeparatæ ſunt hypoſtaſes, quia Deus nuſquam cum Petro ſubſtantialiter vnitur, vt in Chriſto λόγος ipſe & aſſumpta caro in vnam perſonam coaleſcunt.

Pag.27. QVID autem ad hæc Andreas? nihil prorſus, niſi quòd illas ſimilitudines dicit ineptiſſimas eſſe, quoniam humanitas Chriſti non ita eſt vnita τῷ λόγῳ, ſicut ſolis corpus cælo, vel ſicut pedes capiti.

QVASI verò nos iſtis ſimilitudinibus vtamur, vt ineffabilem illam Verbi & carnis vnionem per illas exprimamus, ac non potius vt manifeſtè demonſtremus, quoties inæqualia inter ſe coniunguntur, non ſolui ſubſtantialem vnionem, etiamſi vbicunque vna eſt, altera non ſtatuatur, ac proinde ruere Brentiani argumenti baſin. Itaque hoc nō eſt nodum ſoluere.

4 VSVS ſum autem etiam hoc argumento in tribus illis pagellis, quod tamen intactum præteriit Andreas. Vbicunque eſt λόγος, (eſt autem vbique) ibi quoque eſt Pater & Spiritus ſanctus, & tamen ſolus λόγος eſt aſſumptæ carni vnitus. Ergo vnum eſſe vbi eſt & alterum, non eſt ſpecifica perſonalis vnionis differentia.

4.Arg. SI omnes Diuinitatis proprietates in aſſumptam carnem ſunt effuſæ, ac præſertim Omnipræſentia, quæ localitati ex diametro opponitur: neceſſe eſt inuehi Eutychianam naturarum confuſionem, quam Orthodoxa Eccleſia meritò eſt execrata.

Pag.11. HVIC argumento quantumuis & ipſa rei veritate, & omnium Orthodoxorum ſcriptorum authoritate cōfirmato, magnificè reſpondet his verbis Andreas. *Nullas*, inquit, *latebras quærimus, ſed perſpicuè reſpondemus, vt ab omnibus noſtrarum eccleſiarum doctrina quàm rectiſsimè intelligatur. Si natura humana per ſe & abſolutè intelligatur ratione ſuæ eſſentiæ, affirmamus in ſtatu inanitionis ſuæ vno loco phyſicè & naturaliter circunſcriptam fuiſſe. & non in omnia loca diffuſam: ita etiam nunc de glorificata natura humana in Chriſto docemus, quòd etiam in gloria, qua alÿ quoque Sancti ornabuntur, non ſit vbique diffuſa: ſed ſimpliciter retinemus articulum fidei noſtræ, quòd ſit in cælo, etſi cælum non loco, ſed ſumma beatitudine definitur, quia Deus omnia in omnibus erit. Tamen vbique diffuſam, aut, vt aduerſarÿ noſtri loquuntur, corporaliter Diuinitati coextēſam eſſe negamus, ſed in eo ſtatu eſſe dicimus, de quo Apoſtolus, quod auris non audiuit, &c. atque hoc modo dicimus quoque, humanam naturam non modò eſſentiam, ſed etiam proprietates glorioſi corporis retinere, &c.* & mox. *Habet igitur nunc D. Beza quod petit, videlicet ſaluam non modò naturam humanam, ſed etiam proprietates eius naturæ ſaluas.*

EGO, ſi hæc eſſet veritas, quàm libenter aſſentirer? Sed ingenuè reſpondeo me nullam hîc lucem perſpicere. Quid enim illud eſt, RATIONE SVAE ESSENTIAE, & illud NATVRALITER: & illud, RETINERE ſimpliciter articulum fidei, quòd ſit in cælo, & tamen cælum loco non definire: & illud, PROPRIETATES glorioſi corporis retinere, & quænam illæ ſint non explicare? Audite nunc autem viciſſim an latebras

bras reſpondendo quæramus.

QVAESTIO eſt,non an homo Chriſtus ſit vbique,quod abſit vt negemus, quum vnus & idem ſit Chriſtus Deus & homo:ſed an humana Chriſti natura ſit vbique, quam nos alibi quàm ſupra cœlos extra huius mundi ſpatia nunc eſſe pernegamus, Scripturę authoritate freti. Ille igitur diſtinctionem hic comminiſcitur, nempe humanam Chriſti naturam per ſe conſideratam adhuc permanere etiam in gloria finitam & circunſcriptam: qua in re candorem ipſius laudo,qui à præceprore ſuo nonnihil deflectens, localitatem ſiue circunſcriptionem, non inter accidentarias & infirmitati tantùm congruentes, ſed inter eſſentiales & inſeparabiles corporis proprietates recenſeat.

VERVM quum vnum idémque hoc corpus ea maieſtate induit, vt propter adiunctam ipſi diuinitatem ſit Omnipræſens,quid aliud agit, quàm quòd conſequens ponit abſque antecedente? Vult enim quod in ſe finitum eſt & circunſcriptum, adiunctæ tamen infinitæ naturæ proprietate frui, quod quum dicit,præterquam quòd abſurda dicit,& prorſus ἀσύστατα,non videt ſeſe in Eurychetis gurgitem abripi? Neque enim Eutyches in eo tantùm fuit reprehenſus,quòd ipſas creaturas permiſceret, ſed in eo quoque quòd proprietates etiam ἀκοινωνήτως confunderet. Fuit tamen ille,meo iudicio, nōnihil acutior,quòd rectè viderit eſſentiales proprietates, quum inſeparabiles ſint, non poſſe niſi vnà cum ipſa eſſentia communicari. Andreas verò mirificam quandam rationem ſibi videtur excogitaſſe, qua fiat,vt aliqua natura in ſeſe finita permanens, tamen aliunde infinitatem mutuetur. Sed cui tandem hæc portenta perſuaſerit, nulla neque verbi Dei authoritate,neque probabili oratione nixus:imò verò tot ſacrarum Literarum teſtimoniis conuictus, quot naturæ humanæ in Chriſto veritas perpetua confirmatur?

VOLVIT tamen, opinor, dicere quod res eſt. Sic enim ſcribit alio quodam loco, *Diuina natura*,inquit,*eſſentialiter adeſſe dicitur,quia eſt infinita eſſentia: humana autem* Pag. Aſſert. 19
natura, qua finita eſt eſſentia per ſe, & perpetuò manet, perſonaliter, quòd per vnionem perſonalem à Verbo ita ſit aſſumpta,vt per eam, & cum ea non naturaliter, ſed perſonaliter & verè præſenter omnia agat. Ergo ſi huic credimus, PERSONALITER & NATVRALITER opponentur, quod ſimulatque Andreas poterit diſcernere, ita vt oportet,id eſt,ſimulatque abſtracta à concretis diſtinxerit, compoſita erit controuerſia. Id enim quod ipſe dicit,(quod & ipſum tamen commoda interpretatione eget, de qua ſuo loco dicemus) non humanæ naturæ, ſed homini tribuendum eſt, quoniam humana natura in Chriſto,ſiue illam in ſeſe,ſiue relatiuè vt diuinitati perſonaliter vnitam conſideraueris,ſemper manet eſſentialibus ſuis proprietatibus diſtincta, ac proinde finita, & certo loco circūſcripta:homo verò nō itē,quia ex ſolo etiā hominis nomine totū ὑφιστάμενον, quod eſt Deus & homo,intelligitur: ex humanæ autem naturæ nomine,minimé. Vult, opinor, vt craſſius loquar. Quocunque modo humanitatem conſiderer, ipſa eſſe non poteſt diuinitas, neque eſſentia, neque proprietate vlla eſſentiali & incommunicabili, alioqui verum eſſet Eurychetis dogma: ſed verum eſt, hunc hominem aſſumptum, eſſe ſubſtantialiter Verbum Deum,propterea quòd hic homo aſſumptus, & Verbum quod eſt Deus,ſunt vna perſona:ideóque de perſona verè id quoque prædicatur,quod nonniſi alteri naturæ ſeorſim conſideratæ conuenit. Itaque ſi ſcriberet Andreas,Chriſtum hominem in ſeſe,ſiue quatenus homo eſt, conſideratum, eſſe nunc in cælis circunſcriptum,ac proinde quamlongiſſimè à terris abeſſe:quatenus autem ipſe,& Deus Verbū, ſunt vna eadémque perſona,hactenus eſſe vbique præſentem, vera diceret, & nos ipſi planè aſſentiremur.Eſt enim firma hæc regula, Totius alicuius ſiue vniuerſi compoſiti partes rum etiam adeſſe,quum alioqui abſunt,ſi per ſe,& quales reipſa ſunt in ſeſe,conſiderentur:cuius loquutionis exempla quum tam multa paſſim extent, vtinā hac de re deinceps nunquam ambigat.

SI ea proferam in quibus propter hanc perſonæ vnitatem, humana attribuūtur diuinis,obiiciet nonnihil,de quo poſtea ſuo loco dicam.Sumam igitur vnum & alterum, in quo diuina humanis attribuuntur.

ANTEQVAM Abraham fieret,inquit Dominus, ego ſum. An quum ſic loquitur

Chriſtus,ſeipſum diuidit? minimè profectó. Verè ergo dicitur de Chriſto toto, id eſt, quatenus vna eſt perſona, fuiſſe ipſum ante Abrahamum, adeóque ab æterno, quia quanuis hoc de humana natura quocunque modo conſiderata verum non ſit,tamen de homine verum eſt,non in ſeſe,ſed quatenus vnus iam eſt cum Verbo, quod erat Deus in principio.

Sɪᴄ filius hominis erat in cælo loquens cum Nicodemo in terris: humana autẽ natura non item. Quînam id veró? quia idem ille qui homo eſt ſecundum carnem, Deus eſt ſecundum ſpiritum:ac proinde,qui ſecundum humanam naturã eſt tantùm in terris,ſecundum diuinam eſt etiam homo in cælis.

Pag.[illegible] Nᴏɴ diſſimilis eſt proprietatum diuinæ naturæ diſtinctio,à Brentio & eius factionis hominibus excogitata. *Nam*,inquiunt,*proprietates diuinæ naturæ in Chriſto abſolutè & per ſe in ea conſiderata,ſunt prorſus incommunicabiles,nec ſignificant accidens in ſubiecto. λόγος enim non eſt potens potentia,aut ſapiens ſapientia, ſed eſſentia Verbi eſt ipſa potentia & ſapientia. Sicut ergo humanitas non poteſt fieri diuinitas:ita homo nunquam poteſt fieri eo modo potens & ſapiens,quo λόγος eſt. Iſtæ tamen proprietates dicuntur communicabiles ea ratione,non qua creatura Deus efficitur:ſed qua diuinam naturam participat, id eſt, ratione donorum quæ Deus ſui ipſius communicatione in creaturas confert:de qua Petrus loquitur,quòd efficiamur diuinæ naturæ conſortes.*

Aɢɴᴏsᴄɪᴛ,opinor,verba ſua Andreas,quorum hanc ſententiam eſſe opinor:Quę eſſentialia ſunt in Deo,accidentaliter & efficacia tenus creaturis communicari: ac proinde ſaluas manere diuinitati ſuas proprietates, etiamſi omnis earum efficacitas in Chriſti carnem effundatur.

Cᴀᴇᴛᴇʀᴠᴍ quod de eſſentia ipſa,& eius ſecundum efficaciratem participatione differit,verum eſſe concedo,ſed non ſine exceptione. Primùm enim quædam eſſe dico ſic eſſentialia in Deo,vt nulla prorſus ratione vlli creaturæ indantur: cuiuſmodi ſunt, à ſe ipſo eſſe,omnis quantitatis expertem,abſque principio & fine eſſe,& cætera eiuſmodi. Neque quum hoc dico, gradus aliquos in eſſentia Dei conſidero, vt aliquid ſit in eo magis & minus eſſenriale:ſed hoc dico,quædam ſic ſibi vni propria Deum eſſe velle,vt creaturæ nullas inde qualitates mutuentur. Hoc autem in omnibus,vt ita loquar,Dei attributis ideirco non valet,quoniam ſi Deus intra ſeipſum ita ſe contineret,vt nihil ſua luce irradiaret,nihil prorſus eſſet in rerum natura. Voluit ergo à ſuo Eſſe,res omnes mutuari,vt ſint: & varias exiſtentibus rebus qualitates indidir,vt totidem eſſent ſuæ perfectionis exemplaria: veluti quum ſapientes,iuſtos,fortes aliquos eſſe dicimus ab eſſentialis illius,quæ in vno Deo eſt,ſapientiæ,iuſtitiæ, fortitudinis efficacitate. Sed doceat nos Andreas,ab infinitate Dei factas res aliquas infinitas.

Aʟᴛᴇʀᴀ exceptio eſt,malè (quum de Chriſto agitur) detrahi homini quod humanæ naruræ non competit. Nam vt humanitas nunquam ſit deitas,homo tamen factus eſt ſubſtantialiter Deus, non in ſeſe quidem, ſed κατ' ἄλλο & Verbi reſpectu, à quo in vnam & eandem perſonam eſt aſſumptus. Itaque quanuis aſſumpta caro non ſit ſapiens vt ὁ λόγος eſt ſapiens, tamen omnino falſiſſimum eſt quod ſcribit, hunc hominem non eſſe ſapienrem,ſicut ὁ λόγος eſt ſapiens. Nam contrà,hoc agnoſcendum eſt,ſi Chriſtiani eſſe volumus,hunc hominẽ eſſe ipſiſſimum illũ τὸν λόγον. Itaque quanuis humanitas non ſir facta ὁ λόγος,tamen τῷ λόγῳ ita eſt vnita,vt aliud quidem ſit ὁ λόγος quàm hęc caro,ſed non alius quàm hic homo:& aliud ſit viciſſim hæc caro,non autem alius hic homo quàm ὁ λόγος:quod niſi fateamur,neceſſe eſt vt vel in Neſtorij,vel in Eutychetis caſtra tranſeamus.

Hᴀɴᴄ diſtinctionem abſtracti & concreti quia non intellexit Brentius, ſic etiam eſt argumentatus, *Si diuinitas Chriſti non habet vbiq; coniunctã humanitatem quam aſſumpſit, ſequetur Chriſtum vno tantùm loco Deum & hominem eſſe: in omnibus autem alijs ſolummodo Deum.*

Hᴏᴄ argumentum ſic ego refutaui. Conceſſi antecedens,nẽpe diuinitatem Chriſti inſeparabiliter vbicunque fuerit (eſt autem vbique abſque quantitate) habere ſibi adiunctam humanitatem,quæ nuſquã etiam ſit abſque Verbo, in quo in vnitate perſonæ ſuſtentatur. Negaui autẽ hinc cõſequi quod vult Brentius, vbique videlicet adeſſe

vtranque

vtramque naturam: ſed illud potius de quo optimè conſtat, totum videlicet Chriſtum vbique eſſe Deum & hominem, quanuis ſecundùm humanam naturam non alibi nũc ſit quàm ſupra cælos: quia quod toti ſimul conſiderato ſiue perſonæ conuenit, non tamen abſtractis eius (vt ita loquar) partibus, id eſt naturis, quadrat.

HOC autem ego veteres omnes Orthodoxos imitatus, ſimilitudine ab homine ſumpta declaraui, qui & ipſe ex duabus naturis planè diuerſis, anima videlicet & corpore, ſubſtantialiter & perſonaliter vnitis componitur. Hunc igitur mortalem & mortuum dicimus, quod tamen alteri tantùm parti, corpori videlicet, conuenit: & contrà, ſapientem & intelligentem nuncupamus, quod tamen ſic eſt animæ propriũ, vt corpori nullo modo competat: nec enim ſapiens, ſed ſapientis eſt corpus.

SIC de Chriſti perſona loquentes, ſi ſapientem eum vocemus, veriſſimè loquemur, quod tamen in ipſius corpus non cadit. Item ſi ipſum aſſeramus mortuum in ſepulchro iacuiſſe, dicemus quod nec diuinitati, nec animæ ipſius tribui poteſt: nec propterea tamen compoſitum diſſoluitur.

SED inter cætera, iſti in Chriſto perſonali vnioni hoc proprium eſſe dixi, quòd in ipſo duæ integræ, ſiue perfectæ naturæ perſonaliter coaluerunt: in homine verò non item. Nec enim vel anima, vel corpus eſt natura humana, ſed altera tantùm humanæ naturæ pars. Chriſti verò perſonam λόγος & natura humana integra cõſtituunt. Itaque homo vnico hominis concreto nomine vocatur: Chriſtus autem duplici, nempe & Dei & hominis, adeò quidem vt quoniam vnus eſt ex perfectis illis duabus naturis conſtãs; idcirco, etiam quum ex altera tantùm natura, vel Deus vel homo nominatur, totum Chriſti ὑφιστάμενον intelligatur: ac proinde incommunicabilia abſtractarũ naturarũ attributa de toto ipſo, quanuis ex altera tantùm natura denominato, viciſſim dicantur. Sic Filium æternũ Dei conceptum eſſe in Virgine, & poſtea mortuũ dicimus, quoniã iſte idem, & vnus qui Deus eſt, etiam homo eſt: & hunc hominem fuiſſe ante Abrahamum, quia ſic homo eſt, vt ſit æternus Deus. Chriſti verò diuinitatem conceptã in Virgine aut mortuam, vel humanitatem ante Abrahamum fuiſſe, nemo Orthodoxus dixerit. Cúrnam id verò? quoniam abſtracta nomina diuinitatis & humanitatis ipſum ὑφιστάμενον non declarãt, ſed tantùm naturas ex quibus vnitis cõſtat: vt ſemper aliud ſit diuinitas quàm humanitas, vnde fit vt quæ humanitatis ſunt, diuinitati, vel quæ diuinitatis, humanitati tribui nõ poſſint, quod Eutyches ignorauit. Quæ verò ſunt hominis, Deo, & quæ Dei homini meritò tribuuntur, quoniam vnus & idem eſt Deus & homo, vt nunquam ſit alius λόγος quàm hic homo, nec alius hic homo quàm λόγος: quod Neſtorius vel neſciuit, vel malitioſè diſſimulauit.

HAEC verò quum & iam olim toties ab omnibus Orthodoxis, & à noſtris nuper tam perſpicuè ſint inculcata, quis nõ miretur Andream rurſus ad infelicem hunc ſcopulum naufragium facere? Expendamus tamen quid reſpondeat.

RETORQVET in me hanc ipſam ſimilitudinem, vt ſuam perſonalis vnionis definitionem ſtabiliat, de qua ſuo loco dicemus.

SVBIICIT poſtea, *Intelligit Beza Chriſtum totum, & non dimidium adeſſe, quia neque ab homine Chriſto, neque à nobis ſeparetur ὁ λόγος, qui quaſi intermedius eſt inter hominem Chriſtum in cælo, & nos in terris exiſtentes* (impropria locutio, pro inter humanã Chriſti naturam) *quod in rei veritate nihil aliud eſt dicere, quàm τὸν λόγον tantùm adeſſe, qui tamen quum ſit infinita eſſentia, alicubi in cælo habeat ſibi coniunctam humanitatem* (concedo ſi τὸν λόγον in abſtracto pro diuina Chriſti natura accipiat: ſin verò in cõcreto, nego, quia quum vnus ſit Chriſtus, adeſt etiam homo quatenus eſt Deus.) *qua nihil nobiſcum agat. quo nomine ſibiipſi & aliis imponit.* Bona verba, Andrea. Nec enim impoſtorem me eſſe deprehendes. Videſis potius quomodo calumniatorem hîc non agas. Humanitatem enim Chriſti per quam cum noſtro Mediatore cohæremus, & ex cuius plenitudine ſcaturit quicquid beatitudinis habemus, demõſtra ſi potes vbi dixerim nobiſcum nihil agere. Sin minus, iniuriam inſignem mihi abs te fieri, dico, quam tamẽ ex animo condono.

ADDIT Andreas, *Beza de toto Chriſto interrogatus, reſpondet τὸν λόγον neque à car-* Pag. 6.

ne Chriſti neque à nobis ſeparatum eſſe. atqui non quæritur an ὁ λόγος adſit, de quo nemo dubitat, ſed hoc potius quæritur, quum totus Chriſtus non tantùm ſit ὁ λόγος, ſed etiam homo, num ſolùm ὁ λόγος adſit, an verò etiam homo: Chriſtus videlicet totus ſecundùm vtranque naturam. Hic D. Beza nihil aliud reſpondet, quàm hominem Chriſtum ea ratione adeſſe, quia ὁ λόγος qui adeſt, nō ſit ſeparatus à carne Chriſti quæ in cælo eſt. Hoccine verò eſt bona fide agere? ego iis ipſis verbis quæ ex meo libello deprompſit, duo planè & perſpicuè dixi, quæ ſi poteſt refellat: ſin minus, det gloriam Deo, & veritati aquieſcat. Vnū eſt, etiamſi humanitas non ſit vbique, ſed certo tantùm loco, nō conſequi tamen hunc hominem non eſſe vbique, ac proinde diuidi perſonam, quoniam qui alteram tantùm naturā præſentem dicit, eam tamen ab ea quæ eſt nobis abſens idcirco non ſeparat. Alterū, quanuis à nobis in terra verſantibus nunc abſit caro Chriſti in cælos ablata: tamē quum hic idem qui homo eſt, ſit vnus cum Verbo qui nobis adeſt, Chriſtum, quanuis non ſecundùm naturam vtranque, tamen ſecundùm inſeparabilem perſonæ vnitatem, totum præſentē à nobis poſſideri. Hæc mea ſunt, quæ refelli prius oportuit, quàm tam ineptè locutus eſſe diceret, quaſi de cæpe interrogatus de aliis reſponderim.

Vt autem ſemel de his tranſigam: Latum eſſe diſcrimen dico inter TOTVS & TOTVM, inter ALIVS & ALIVD, quoniam illa de perſona, iſta de naturis perſonam conſtituentibus dicuntur. Aliud eſt ὁ λόγος: aliud eſt aſſumptus homo, contra Eutychetem, quoniam inconfuſis in perſonali vnione manentibus & naturis ipſis & earum proprietatibus, aliud eſſe conſequitur τὸν λόγον natura diuina præditum, aliud hominem humana natura conſtantem. Alius tamen non eſt ὁ λόγος, alius homo ille aſſumptus, quoniam vnus hic eſt Deus & homo, contrà quàm credidit Neſtorius.

Totvs Chriſtus, id eſt Chriſtus perſonaliter conſideratus, Deus eſt, itémque Totus Chriſtus homo eſt, ſimili ratione. Totum autem Chriſti Deus non eſt, nec totum Chriſti homo eſt.

Sic Totum Chriſtum eſſe vbique, ea quam ſæpe repetii ratione, de toto ὑφισαμένῳ verè dicitur. Totum autē Chriſti vbique eſſe, ſiue vt illi loquuntur, Chriſtum eſſe vbique ſecundùm vtramque naturam, nemo vnquam niſi Eutychianus dixit.

Pag. 16. Svbiicit præterea Andreas, *Si non alia ratione dicitur homo Chriſtus adeſſe, cur non eadem ratione nos verè dicere poſſemus Petrum nobis quoque adeſſe, quia & λόγος à Petro non eſt ſeparatus, vbicunque ſit in cælo. Quod igitur diſcrimen inter Chriſtum & Petrum?*

Hic autem cogor, illuſtriſs. Princeps, D. Andreā obteſtari per Chriſti ipſius de quo agimus nomen, vt & ſui & eorum qui ab ipſo pendent maiorem habeat rationem. *Non eſt*, inquit, *ὁ λόγος à Petro ſeparatus.* Si ſeparationem opponit præſentiæ, concedo. Sed quorſum hoc? argumentor enim non à præſentia, ſed ab vnione ſubſtantiæ. Sin ſeparationem opponit vnioni, vt eum facere oportuit, an negare audebit τὸν λόγον quātumuis omnia ſunt ei præſentia, tamen ab omnibus rebus creatis præterquam ab aſſumpta illa carne non modò diſtinctum, ſed & ſeparatiſſimum eſſe? Ambulem ego Andreæ proximus, aut ipſi aſſideam, an propterea ipſe & ego non erimus duo ſubſtantialiter ſeparata? Sic autem ſum argumentatus: ὁ λόγος & homo ab eo aſſumptus ſunt vnum ὑφισάμενον, & ὁ λόγος vbique eſt: ergo & homo ille non quidem quâ homo eſt, ſed quâ in λόγῳ præſente ſuſtentatur in vnitatem perſonæ, vbique eſt. Iam videat an idem poſſit de Petro vel alia vlla re dici: & quum non poſſit, argumētationis ſuæ vitium manifeſtum agnoſcat. Non poteſt autem dici, quia ὁ λόγος & Petrus vnum ὑφισάμενον non conſtituunt, ſed duæ ſunt planè ſeparatiſſimæ hypoſtaſes. Itaque ſic potius Andream argumentari oportuit: Petrus & ὁ λόγος ſunt duo ὑφισάμενα ſeparata, ergo non ſequitur, etiamſi omnia ſunt τῷ λόγῳ, præſentia, vbicunque eſt ὁ λόγος, (eſt autem vbique) ibi eſſe Petrum. Habet iam Andreas diſcrimen illud Petri & Chriſti tantopere requiſitum, quod ſanè mirum, quum tam ſit manifeſtum, tandiu ab eo animaduerti non potuiſſe.

Arg. 5. Qvinto loco, protuli Chalcedonenſis Synodi decretum, quod à Brentio nec

bona

bona fide deſcriptum, nec commodè diſtinctum, nec rectè fuiſſe explicatum, optimis, vt arbitror, rationibus probaui.

Qvod autem ad hæc Andreas? certè nihil præter illa quæ nunc à me ſunt rurſus refutata: quæ quum ita ſe habeant, colligo & vnionem in genere cum præſentia perperam à Brentio confundi, & hypoſtaticam vnionem peſſimè ab eo nō ex ſubſtantiæ, ſed ex proprietatum ἐνεργείᾳ & communicatione æſtimari, adeò vt & perſonam cum Neſtorio diuidat, & naturarum proprietates cum Eutychete confundat.

Idcirco Andreas, quanuis & ipſe ad ἐνέργειαν totus reſpiciēs, tamē ratione quadam ſi non reipſa, ſaltem verbis diuerſa, myſterium hypoſtaticæ vnionis conatus eſt explicare, quam etiam expendere neceſſe eſt.

Primvm teſtatur ſe credere humanitatem illam ſimul exiſtere cœpiſſe, & aſſumptam fuiſſe. Hoc ſanè qui negat, Chriſtum negat fuiſſe conceptum ex Spiritu ſancto, ac proinde à recta fide aberrat. Neque verò hac de re inter nos, quod ſciam, controuertitur, ſed hoc quæritur, quid ſit hypoſtaticè aſſumere, ſiue ſeſe vnire. Hac igitur præfatione nihil ſanè opus erat, niſi hoc modo perſuadere voluiſſet ſeſe Neſtorianum non eſſe, vt qui Mariam θεοτόκον eſſe fateatur. Sed quàm rectè θεοτόκον nomen explicet mox videmus. Pag. 6.

Qvaeritvr, inquit, *an hæc ſit nuda tantùm appellatio qua Chriſtus quatenus homo, & Filius Altiſſimi dicitur, an verò res aliqua ſubſit, propter quam dicatur. Reſpondet Beza, cauſam eſſe quia ὁ λόγος humanam naturam ſibi fecerit propriam.* Pag. 7.

Dicit aliquid Andreas, ſed non omnia. Quàm multa enim hic præteriit? Ego ſic ſcripſi, *Ea eſt perſonalis vnio in qua aſſumens natura eam quam aſſumit ſuam propriam facit: ita tamen vt ſaluis proprietatibus vnum ὑφιστάμενον conſtituatur.*

Deinde oſtendi quomodo hæc demum vna ſpecies vnionis, & Neſtorianæ ſeparationi & Eutychianæ confuſioni opponatur. Cedò igitur cur altera tantùm parte meæ definitionis accepta alteram prætereat?

Assentitvr autem Andreas, in hypoſtatica vnione naturam aſſumptam fieri aſſumentis propriam. *Sed hoc eſt*, inquit, *ignotum per æquè ignotū explicare.* Nempe non nam explicationem ſciens ac prudēs hoc quidem loco vbi maximè additam oportuit, omiſit. Quid enim planius eſt his verbis, Vniri naturam perſonaliter quæ ita ſit alterius propria, vt cum ea abſque confuſione vlla vel eſſentiæ vel proprietatum, vnicum ὑφιστάμενον conſtituat?

Hanc autem loquendi formulam ab omnibus Orthodoxis ſcriptoribus & Synodo vtraque Epheſina & Chalcedonenſi, ex Scripturis commodè explicatis deſumptam bene eſt quòd nunc tandem Andreas approbat potius quàm portētoſas illas κενοφωνίας, quibus & Brentiani libri & ipſius Theſes ac earum defenſiones ſcatent; niſi ſiniſtra & planè falſa explicatione ipſam euerteret. Eſt autem huiuſmodi.

Imaginatvr duplicem humanæ in Chriſto naturæ gloriam. Vnam, qua ſibi eſt beatus, & inter omnes ſanctos excellit ex donorum communicatione: alteram, qua nobis eſt beatus, propter quam etiam vocetur Immanuel, id eſt, nobiſcum Deus, quia videlicet ὁ λόγος ita ſibi vniuerit humanam naturam, vt ſine ea nihil, ſed per illam & cū illa omnia agat, quam in conſortium adminiſtrationis cæli & terræ aſſumpſit. Nec alia eſt hypoſtaticæ vnionis explicatio, ſi Andreæ credimus, cui probandæ applicat articulum de Chriſti ſeſſione ad dextram Patris, & quæcunque paſſim in Scripturis de Verbi incarnati præſtantia commemorātur, adeò vt *Sedere ad dextram Patris*, & *Hypoſtaticè vniri diuinam & humanam naturam*, & *Aſſumptam naturam humanam factam eſſe aſſumentis diuina propriam*, vnum idémque Andreæ declarent. In eo tamen non penitus ſibi conſtat quòd Dextram Patris modò vult eſſe ipſum λόγον, modò maieſtatem illam & potentiam omnem, quam ὁ λόγος in carnem aſſumptam contulerit, vt ſine ea nihil agat, & per eam omnia efficiat.

HAEC eſt, vt arbitror, ipſius ſententia, non minus certè falſa, quàm abſurda. Primùm enim (vt futilem ac ſanè etiam falſam illam diſtinctionem omittam ſecundùm quam Chriſtus ſibi vel nobis ſit beatus) ſi verum eſt quod ſcribit, eadem erit res ipſa, atque ipſius effectum, quod non minus ridiculum eſt quàm ſi dicerem, ſolis exortum & mundi illuſtrationem, ſiue noctis depulſionẽ, idem declarare. Meminerit igitur Andreas, non quæ ſit hypoſtaticæ vnionis vis & ἐνέργεια, quam nos ineffabilem eſſe vltrò confitemur, ſed quid ſit ipſa hypoſtatica vnio à nobis quæri.

SECVNDO, quis non videt fucum nobis fieri, quum participationem donorum ab iſta carnis Maieſtate diſtinguit? Maieſtas enim iſta, quomodocunque tandem eam definiat, quid aliud fuerit quàm donum à Diuinitate in aſſumptam humanam naturam collatum?

TERTIO, ſi hac demum ratione homo iſte aſſumptus Deus eſt, quia Verbum nihil ſine ipſo, ſed per ipſum omnia agat, quis ita cæcus eſt vt non videat hunc hominem conſtitui tantùm θεοφόρον, ſiue Deum per accidens, ac proinde Neſtorium hoc dogmate ab inferis reuocari?

QVARTO, quum inficiari non poſſit Deum per ſanctos ſuos agere penè infinita, & ſanctos ipſos eſſe ſuo modo Dei συνεργούς, quò tandem delabitur Andreas cum noua iſta & inaudita ac prorſus intolerabili hypoſtaticæ vnionis explicatione? Eò nimirum vt dicere cogatur Chriſtum ſecundùm eam ipſam maieſtatem quam ipſius carni affingit, & qua vna illum pro Deo agnoſcit, à reliquis hominibus ſecundùm plus & minus differre: quoniam videlicet Deus per alios quidem homines nonnulla, per hunc verò omnia, & ſine illis quidem aliquid, ſine iſto verò nihil agat.

QVINTO, ſi non ex Dei verbo, ſaltem ex communi vſu proprietatem rei ipſius ab vſu diſtinguere oportuit. Quum enim naturam vnam alterius propriam factam eſſe dicimus, de naturarum ac ſubſtantiarum ipſarum propria & reali vnione agimus, non de attributorum communicatione: ideóque ſicut ὁ λόγος carnem ipſam dicitur ſibi propriam effeciſſe, ſic ipſius Verbi dicitur caro propria effecta, non vt exiſteret Deus humanis proprietatibus in ſeſe receptis exinanitus, vel homo diuina omnimaieſtate in ſeſe ornatus, (nam hoc pacto, nec ille Deus neque hic homo eſſet) ſed vt vnus & idem ſecũdùm diuinam naturam verus Deus, & ſecundùm humanam verus homo ſit, tum ſubſtantia, tum proprietatibus manentibus inconfuſis. Et hic eſt Andreæ perpetuus error, quòd Deum hominem in diuinum hominem transformet.

SEXTO, ſi nõ ex inhabitatione ipſius hypoſtaſeos τοῦ λόγου, ſed ex huius inhabitationis ἐνεργείᾳ hypoſtaticam vnionem definire oportet, duplex Andreæ afferẽda eſt ratio quam nuſquam inueniet. Vna, cur hæc vnio hypoſtatica vocetur. Scit enim hypoſtaſis nomine illud ipſum quod ſubſiſtit ſignificari. Altera, cur vnus Chriſtus ſecundùm diuinam naturam Patri, ſecundùm humanam nobis, ὁμοούσιος dicatur. Neque enim nomen οὐσίας aliter in vna quàm in altera natura explicari poteſt aut debet: & quanuis omnia ſint in Deo re ipſa οὐσιώδη, non poteſt tamen carnem Chriſti quacunque tandem maieſtate ipſam exornet, & quantuncũque ὁ λόγος cum ipſa, & per ipſam omnia agat, idcirco Patri ὁμοούσιον vocare. Ex quibus cõſequitur, illud ipſum quod in hypoſtatica vnione proprium eſt, nempe ſubſtantiarum ipſarum ad vnum ὑφιστάμενον conſtituendũ, abſque vlla tranſmutatione vel confuſione, concurſum, ab eo prætermitti.

SEPTIMO, ſi hypoſtatica vnio & ſeſſio ad dexteram Patris idem declararet, illud nempe conſequeretur, humanam naturam eo ipſo momento quo aſſumpta eſt fuiſſe ad dexteram Patris collocatam, quod illi quidem vbique affirmant, nos autem falſiſſimum eſſe confirmamus ex Paulo & ratione ipſa. Oportuit enim, inquit ille, Chriſtum pati, & ita introire in gloriam Patris. Quòd ſi excipiat Andreas noſtrî reſpectu, non autem ipſius Chriſti, hæc dici, videat quàm prope abſit à Marcionitarum delirio. Sin verò ad fictitiam illam formam ſerui transfugere (veram enim illam minimè inficiamur) & formam illam Dei ſecundùm quam Filius eſt Patri ὁμοούσιος, in illam participationem omnimaieſtatis transformare malit, tum ego ipſi aſſentiar, quum quæ contra hæc commenta ex verbi Dei & Orthodoxorum omnium perpetuo conſenſu in libello meo diſſerui, refutauerit.

Ex his autem intelligi facilè poteſt, cur hoc dogma, vt in Eccleſia Dei inauditum, repudiemus, quantáque nos iniuria afficiat, quum perinde nobiſcum agit, acſi ſummam illam Chriſti capitis noſtri maieſtatem ac gloriam inficiaremur, & articulũ illum conſolationis plenum de Chriſti ad dextram Patris ſeſſione expũgeremus. Vtri enim, obſecro, Chriſtum Deitate ſua ſpoliant, an qui illum duntaxat diuiniſſimum, an verò qui Deum Patri ὁμοούσιον eſſe prædicant, quoniam vnus & idem ſit ſubſtantialiter Deus & homo?

O c t a v o, videat, obſecro, Andreas, quouſque prouehatur. *Quemadmodum*, inquit, *Deus Pater nõ ſine λόγῳ, ſed per λόγον omnia creauit, ita ὁ λόγος per hominem quem aſſumpſit, naturam in genere humano collapſam recreauit ac reſtituit.* Quorſum hæc verò: nempe vt ſuam vnionis hypoſtaticæ explicationẽ nobis approbet, qua fiat, vt ſicut Pater cũ λόγῳ, & per λόγον omnia condidit, ita etiam ὁ λόγος ſine hac humana natura nihil, ſed cum illa & per illam omnia agat. Atenim ſi hoc argumentum verum eſt, quid obſtabit quominus Patrem quoque cum Filio hypoſtaticè vnitum eſſe dicat? quod tamen quàm ſit falſum non ignorat. Pag. 6.

A t e n i m, inquit, *ὁ λόγος non ita propriam ſibi fecit humanam naturam, vt eam tantùm poſsideat, aut nihil communicet, ſed ita fecit ſibi propriam, vt in eam omnem ſuam maieſtatem conferret.* Concedo quod dicit, imò etiam longè plus largior. Dico enim τὸν λόγον non modò omnem ſuam maieſtatem, vtpote quæ ſit ab ipſo inſeparabilis, ſed etiam ſeipſum illi aſſumptæ naturę vniuiſſe, vt iã non ſit hic homo diuiniſſimus tantùm, ſed etiam verè & ſubſtantialiter Deus. Qua igitur in re diſſentimus? in hac nimirum, quòd ipſe hanc humanam naturam vult in ſeſe diuinam omnimaieſtatem recepiſſe, quod planè eſt partim Neſtorianum, partim Eutychianum: ego verò hanc quidem humanam naturam fatear in ſeſe ſupra ipſos etiam Angelos & omne nomen ineffabiliter eminere, propter vnitæ cum ea Diuinitatis ἐνέργειαν: hunc autem hominem ſecundùm alteram naturam à qua ſic aſſumptus eſt vt aliud quidem ſit diuinitas, aliud humanitas, non autem alius Deus quàm homo, verè & ſubſtantialiter illum Vnigenitum Deum de Deo eſſe profiteat. Pag. 1.

I a m accedo ad ſimilitudinem corporis & animæ, quam ipſe ſic probat vt etiam in me retorqueat.

P r i m v m igitur quòd eam negat eſſe perſonalem, in eo dico ipſum planè hallucinari. Etſi enim verum eſt, quod nunquam etiam diſſimulaui, magnum eſſe inter hanc ſimilitudinem & perſonalem Chriſti vnionem diſcrimen, cum in aliis multis, tum verò maximè quatenus anima eſt forma corporis: Verbum autem non eſſe formam in materia rectè aduerſus Apollinarem conſtitutum eſt: & ad vnam quidem humanam naturam conſtituendam concurrunt corpus & anima, in Chriſto verò diuinitas & humanitas non vnam naturam (vt exiſtimabat Eutyches) ſed vnam perſonam conſtituunt: tamen hoc non impedit quo minus hæc vnio alio reſpectu verè ſit ac dicatur hypoſtatica, quatenus videlicet vtrobique, nempe & ex hoc corpore & hac anima, exempli cauſa, conſtituitur hæc perſona, Petrus: & ex Verbo & aſſumpta illa humana natura, hæc perſona, Chriſtus.

S i c autem colligit Andreas: *Sicut anima per corpus agit omnia, & ſine corpore nihil, ita ὁ λόγος per naturam aſſumptam omnia efficit, & ſine ea nihil agit: interim manet diſsimilitudo naturarũ cum vtriuſque proprietatibus quæ per ſe conſiderantur, quarum tamen diſsimilitudo eſſentiali vnioni nihil derogat.*

P r i m v m igitur etiamſi totum hoc concederem, quorſum ad id de quo quæritur? Neque enim quæ ſit hypoſtaticæ vnionis ἐνέργεια, ſed quid ſit ipſa hypoſtatica vnio quæritur, qua videlicet ipſæ res ad vnum ὑφιστάμενον conſtituendum abſque vlla confuſione coniunguntur.

D e i n d e quàm aptè ex iſta ἐνεργείᾳ, hypoſtaticam vnionem deſcribit? Omnia efficit Pater per Filium, & nihil ſine ipſo à Patre factum eſt, an ideo Pater & Filius ſunt hypoſtaticè vniti? Sit faber quiſpiam qui ſine certo aliquo inſtrumento nihil agat, & per id agat quicquid agit, an propterea hoc inſtrumentum & fabrum i-

ſtum dicemus hypoſtaticè vnitos? Sunt igitur iſta planè futilia, & indigna quæ refutentur.

TERTIO, quis nō putet ipſum præuaricari? *Anima*, inquit, *agit per corpus, quicquid agit*. Ergo, inquam ego, per corpus intelligit. An verò propterea corpus dicemus intelligere? Minimè profectò. Hominem tamen intelligentem vocamus, at non ſecundùm corpus, ſed ſecundùm animam duntaxat. Vbi igitur iſta omnimaieſtas realiter non grammaticè (vt Brentius & Andreas loquuntur) in carnem Chriſti effuſa? vbi iſta forma Dei, id eſt, perfecta ὁμοιώσεως exæquatio quam ipſi carni Chriſti ineſſe imaginantur? cur non verò potius ſic cum ipſa veritate loquuntur? Chriſtus eſt vnigenitus ille Deus vbique totus, vbique præſens, at non ſecundùm humanam, ſed ſecundùm diuinam naturam, quoniam ſic vnus eſt & idem hypoſtaticè Deus & homo, vt diuina natura non ſit humana, nec humana diuina: ſicut Petrus eſt animal intelligens, non tamen ſecundùm corpus, ſed ſecundùm animam, quia corpus & anima Petri ſic ſunt hypoſtaticè vnus & idem Petrus, vt anima non ſit corpus, nec corpus itidem anima. Hæc eſt ſanè recta de his rebus loquendi ratio, quam ſi ſequentur, definita erit controuerſia, & omnes ſimul gloriam dabimus Deo.

QVARTO, qui fit vt non videat quouſque prouehatur ſic loquendo? Dum intelligit & vult quippiam Petri anima, vnica eſt hæc operatio, quoniam videlicet vnica eſt hæc natura, & Petri corpore ſic vtitur anima tum in intelligendo, tum in volendo, vt patiatur corpus, non agat. Quòd ſi eadem eſt ratio diuinæ naturæ per aſſumptam humanam agentis, quomodo Eutychianorum & Monothelitarum dogma effugiet? Sin autem ſicut ſunt duæ in Chriſto naturæ, ſic duas eiuſdem actiones eſſe cum Orthodoxis confitetur, cur non hac in re conſtituit Petri & Chriſti diſcrimen, non autem in donorum participatione, vel omnimaieſtatis effuſione? Res autem ita ſe habet. Anima in ſuis propriis & intrinſecis actionibus, cuiuſmodi ſunt Intelligere & Velle, ſic vtitur corporeis organis, vt ipſa quidem agat, illa verò tantùm patiātur, ac proinde corpus dicatur harum actionum reſpectu, paſſiuum duntaxat animæ inſtrumentum. Sed inter hoc inſtrumentum & ſecurim, qua, exempli cauſa, faber quiſpiam vtitur, magnum eſt diſcrimen: quoniam hoc eſt extrinſecum & aduentitium inſtrumentum, illud verò eſt proprium & coniunctum, adeò quidem vt hæc anima & hoc corpus ſint vna hypoſtaſis, quod de fabro & eius ſecuri dici non poteſt. Et hoc eſt quod ſignificarunt Patres, quum aſſumptā naturā dicerent in hypoſtatica Chriſti vnione fieri aſſumentis propriā, vt ſit aliud quidem & aliud in vno ὑφισταμένῳ, alius verò & alius non item. Cæterùm iſta animæ & corporis vnio, ſi cum duarum in Chriſto naturarum vnione comparetur, hactenus conueniet, quatenus vtrinque hypoſtaticè conſtituitur perſona. Sed multiplex erit diſcrimen.

PRIMVM enim (vt cætera omittam) quum ὁ λόγος totam humanam naturam aſſumpſerit, quæ & ipſa intrinſecum habet ſui motus principium, conſequitur humanam hanc naturam aſſumptam ſic à Verbo moueri, vt & ipſa ſeſe intrinſeco ſuo principio moueat, ac proinde ſic agatur vt etiam agat: qua in re poſita eſt ſumma illa aſſumpti hominis obedientia voluntaria, qua iuſti omnes conſtituimur, ſicut vnius hominis voluntaria contumacia peccatum & mortem in mundum inuexit. Deinde, quū humanam illam naturam ea conditione aſſumpſerit ὁ λόγος, vt priuſquam illam ſupra omne nomen eueheret, neceſſe eſſet eam fieri maledictum, vt eius ſatisfactione tolleretur mundi peccatum, ſiue vt prius fieret victima pro peccatis noſtris, quàm nos efficeremur iuſtitia Dei in illo, oportuit τὸν λόγον quamuis hypoſtaticè, id eſt, ſecundùm ſeipſum cum illo homine ab ipſo conceptionis momento vnitum, tamen quod ad ἐνέργειαν attinet, certis gradibus ſeſe in illam veluti inſinuare. Alioqui enim ὁ λόγος infirmitatem carnis ſua potentia abſorpſiſſet, ac proinde pœnas noſtris peccatis debitas caro illa ſubire nō potuiſſet, & nos in ira Dei manſiſſemus. Reuera igitur Chriſtus non quatenus Deus eſt & homo, ſed ſecundùm humanā naturam duntaxat, quæ certis gradibus ſupra omne nomē euecta eſt, in ſapiētia, ſciētia, maieſtate, & gloria profecit, ac proinde nō eſt ad dexterā Dei Patris, niſi poſt certamē collocatus. Hinc aūt cōſequitur τὸν λόγον, cōtrà quàm putat Andreas, nō ſtatim quicquid egit, per naturā humanā egiſſe, ſiue nō ſtatim Rom. 5.

plenè

plenè in humana vnita ſuam totam ἐνέργειαν exeruiſſe. Ignorauit enim quædam Chriſtus ſecundùm humanam naturam quæ ſecũdùm diuinam ignorare non potuit, quum in Deum ignorantia non cadat: quod ſanè miror Andreæ mirabilius videri, quàm quũ dicimus, quod ipſe negare non poteſt, immortalitatem, quæ & ipſa non minus propria eſt diuinæ naturæ quàm omniſcientia, non ſtatim fuiſſe aſſumptæ carni communicatã.

PRAETEREA illud quoque non eſt prætermittendum, illam ipſam ἐνέργειαν, quæ Chriſti carni fuit ante triumphum communicata, fuiſſe extremo illo exinanitionis tempore velut abruptam, quod veteres orthodoxi Patres ſignificarunt, quum diuinitatem in Chriſto ad tempus quieuiſſe dicerent. Alioqui enim Andreas hunc nodum nobis, ſi poteſt, explicet, quomodo Chriſti corpus vno eodémque momento mortuum in ſepulchro iacuerit, & tamen cum Verbo, quod ipſa vita eſt, hypoſtaticè vnitum fuerit.

DICAM etiam aliquid amplius: quanuis carnem illam aſſumptã fatear ſupra omnes res creatas inenarrabiliter eſſe euectam, & quatenus in eandem perſonam aſſumpta eſt vnam eſſe Verbi & aſſumptæ carnis, id eſt, vnius Chriſti perſonæ gloriam, quam ob cauſam etiam à nobis totus Chriſtus adoratur: tamen finitũ infinito nunquam neque οὐσίᾳ, neque ἐξουσίᾳ exæquatũ eſſe affirmo. Stat enim illud Pauli, Caput Chriſti Deus: nec ſanè Chriſtus Mediator noſter eſſet ſi ſecũdùm vtranque naturã Patri, vel ſecundùm humanam ſuæ diuinæ naturæ eſſet æqualis.

QVORSVM autem hæc omnia? nempe vt tria euincã. Vnum, quod de ἐνεργείᾳ Andreas diſſerit, perperam ab eo accommodari ad proprietatem hypoſtaticæ vnionis explicandam. Alterum, in iſtius ſimilitudinis Athanaſianæ expoſitione inſignes errores ab eo committi, quoniam quod de rerum ipſarum vnione dictum eſt ad ἐνέργειαν transfert. Tertium, ſeſſionem ad dextram Patris, ſiue Plenam imperii & gloriæ communicationem, perperam ab eo cum hypoſtatica vnione, ſiue Verbi incarnatione, nulla etiam ratione temporum habita, confundi.

IAM ad aliam eiuſdem ſimilitudinis applicationem accedo: *Sicut*, inquit, *dicimus de toto homine, Vbicunque eſt corpus, ibi eſt anima: & viciſsim, vbicũque eſt anima, ibi eſt corpus propter eſſentialem vnionem: ita etiam propter perſonalem vnionem rectè dicimus, Vbicunque eſt λόγος, ibi etiam eſt homo in vnitatem perſonæ aſſumptus: & viciſsim, Vbicunque eſt homo Chriſtus, ibi etiam eſt λόγος, qui hominem aſſumpſit, manente proprietate humanæ naturæ, quæ pro ratione gloriæ in cælo eſſe dicitur.*

AD hoc verò reſpondeo quod millies in meo libello repetii, minimè nos inficiari vbicunque eſt λόγος, ibi etiam eſſe hominem in vnitate perſonæ aſſumptum, ac proinde vbique eſſe totum Chriſtum, ſi perſonaliter, id eſt, quatenus vnus eſt conſideretur. Qua igitur in re diſſentimus? in eo videlicet, quòd non tantùm Chriſtum hominẽ (qui etiam Deus eſt, non in ſeſe, ſed κατ᾽ ἄλλο & in λόγῳ ſibi hypoſtaticè vnito) vbique eſſe vult, quod vltro concedimus, ne perſonam diuidamus: ſed etiam humanam naturã eſſe vbique, quod nos fortiter negamus, & vt Eutychianum execramur. Cúrnam id verò? nempe quia Deus quidem ille homo eſt propter hypoſtaticam vnionem: humana autem illa natura, non eſt diuina, nec diuina eſt humana: ſiue illas in ſeſe, ſiue coniunctim ſpectes, quoniã non ſunt confuſæ, ſed ſalua & inconfuſa manente vtraque cum ſuis proprietatibus, ſunt in vnum ὑφιστάμενον vnitæ.

AT ENIM, dicet, *vbicunque eſt anima, ibi etiam corpus eſt, & cõtrà.* Quid ſi verò negẽ, vbicunque corpus eſt, ibi quoque eſſe animam ipſam? Nec enim ignorat, non deeſſe primariæ eruditionis philoſophos, qui animæ certam ſedem ſic conſtituunt, vt eam illic demum eſſe velint, quanuis ipſius virtus per omnia membra permeet, non aliter quàm immotum ſolis corpus diſſitas mundi partes illuſtrat. Sed hac de re illos ſinamus diſputare.

VT autem Andreæ quod petit concedam, nempe totam eſſe animam in qualibet corporis parte, quis tamen ſani iudicii homo concedet, quia duabus rebus æqualiter patentibus efficitur vt quocũque loco vna eſt, ibi quoque ſit altera: idem etiam conſequi, ſi res inæquales inter ſe coniungantur? Aut igitur finitum & circunſcriptum ſiue in

ſeſe,ſiue cum quocunque alio quocunque modo coniunctum ſeu vnitum, demonſtret æquale eſſe infinito quicum cohæret: aut argumentationis ſuæ vitium animaduertat & emendet.

Et hæc quidem hactenus,aduerſus ea quæ & Brētium & Andream partim ex Neſtorii,partim ex Eutychetis lacunis hauſiſſe dixi,& nunc etiam dico:quibus ſi quam facio iniuriā,coram legitimo Eccleſiæ iudicio ſiſtere me non grauabor,Illuſtriſſime Princeps,& culpam omnem non tantùm agnoſcere,ſed etiam impoſitam pœnam luere.

Nunc ſupereſt vt quædam in me non verè ſcripta diluam.

Pag.7. *Non cōtendemus*,inquit Andreas,*ſiue dicatur* in vnam, *ſiue* ad vnam *hypoſtaſin duas naturas conuenire*.Quorſum id verò? Neque enim hac de re quicquam dixi.Sed hoc dixi,ambiguam eſſe Brentianam iſtam locutionem,dvas naturas conuenire in vna Chriſti perſona,quoniam vna pro sola accipi poteſt,ac proinde potius dicendum ſit duas naturas ad vnam hypoſtaſin,ſiue perſonam conſtituendam, i Chriſto conuenire.

Pag.7,& deinceps quum perinde mecum agit Andreas, acſi hypoſtaticam vnionē ſimpliciter definiuiſſem eam eſſe, qua fiat vt aſſumens natura aſſumptam ſibi propriam efficiat,mihi iniuriam facit,vt qui prætermitrat additam à me huius proprietatis explicationem,qua nimirum fiat vt duæ naturæ vnum ὑφιστάμενον conſtituant.

Pag.15 & 16,duo mihi affingit:vnum,quòd dicam τὸν λόγον tantùm adeſſe:alterum quòd ſentiam humanitatem Chriſti nihil nobiſcum agere : quibus calumniis ſuo loco reſpondi. Interim hoc teſtor, quod & corde credo,& millies in meo libello inculcaui, quum vnus ſit Chriſtus Deus & homo,neceſſariò fatendum eſſe, totum Chriſtū nobis adeſſe. Et rurſus, quia Chriſti caro ſit à nobis in cælos ablata, fatendum eſſe totvm Christi nobis non adeſſe:quæ quomodo inter ſe non pugnent ſuo loco declarauimus.Humanitatem autem Chriſti nobiſcum nihil agere oſtendat Andreas vbi ſcripſerim,vel fratrem calumniari deſinat.Nam ſi fortè hoc ex eo colligit, quòd carnem illam à nobis tanto nunc ſpatio abeſſe dicā, quanto abſunt ſummi cæli à terra,diſcat ſaltem ex illo Centurione aliter argumentari,qui abſentis quoque ſecundùm carnem Chriſti virtutem credidit,& ipſa eſt expertus.

Pag.18.dicit communicationem maieſtatis Verbi cum aſſumpta carne,nō eſſe verbalem aut grammaticam,ſed etiam realem:quaſi videlicet contrarium doceamus. Ego verò ſic reſpondeo. Si reale opponit fictitio & vano,ſiue illi quod reipſa nō eſt: aſſentior realem eſſe omnem ἰδιωμάτων κοινωνίας,& omnia illa Marcionitarū deliria prorſus execror.Item ſi Chriſtus perſonaliter,ſiue quatenus vnum eſt ὑφιστάμενον,conſideretur,idem rurſus quod ſuprà profiteor,neque nos vnquam aliter docuiſſe vel Andreas vel quiſquā alius probabit.Sin verò naturæ ipſæ conſiderantur, tum ego affirmo, quoties vel diuina humanis,vel diuinis humana propter vnitatem perſonæ attribuūtur,veluti ſi vel Deum eſſe mortuum,vel carnem Chriſti deſcendiſſe de cælo dicamus, tot eſſe non reales, ſed duntaxat verbales ἰδιωμάτων κοινωνίας. Ratio eſt,quoniam hæ proprietates reipſa non inſunt ei naturæ cui propter perſonæ vnitatem attribuuntur : quod quiſquis negat,Eutychianum ſe fateatur oportet.

Pag.21.Quia Neſtorianā hanc locutionem, Filivm Dei fuiſſe in Filio Mariae in Brentio reprehendi, non poteſt quidem Andreas illam excuſare,ſed queritur me durius etiam eſſe locutum,quum dicerem duas in Chriſto eſſe vniones hypoſtaticas: Vnam,in corpore & anima ſimul perſonaliter vnitis:alteram in λόγῳ & homine ad vnū Chriſtum perſonaliter conſtituendū coeuntibus. *Quomodo enim*,inquit, *non erunt duæ perſonæ in Chriſto,ſi duas perſonales vniones in Chriſto dixerū?* Reſpōdeo,lōgè aliud eſſe duas hypoſtaticas vniones,quàm duas hypoſtaſes ponere, quod ego diſertè expreſſi quū dicerē hominem illum (qui ſi per ſe ſpectetur,hypoſtaticè ex corpore & anima compoſitus eſt)altera hypoſtatica vnione cum Verbo vnitum eſſe,vt ita vnicus Chriſtus perſonaliter conſtituatur.Itaque quum hanc explicationem addiderim, nullum eſt periculum ne quis arbitrari poſſit Chriſtū à me in duas perſonas diuidi. Quòd ſi excipiat quiſpiam, ſic tamen videri Chriſtum ex duabus perſonis non duabus naturis conſtitui : reſpondeo

ſpondeo ne hoc quidem ex illo meo dicto poſſe colligi. Neque enim quicquid hypoſtatica vnione coaluit, eſt tamen hypoſtaſis, niſi ſeorſim & per ſe ſubſiſtat, ſicut in reliquis humanæ naturæ indiuiduis euenit: in illo verò quod à Verbo aſſumptum eſt, minimè, vtpote quod ſeparatim & per ſe nūquam, ſed in alio, putà in Verbi Dei hypoſtaſi, ſemper ſubſiſtit ineffabili illa vnione eodem momento facta quo indiuiduum illud extitit. Et hæc cauſa eſt cur quod, ſi per ſe ſeorſim ſubſiſteret, perſona diceretur, in Chriſto non perſona, ſed natura humana in Verbi perſona ſubſiſtens, ſit ac vocetur. Non recuſo tamen quod ambiguè ſcriptum fuit emendare, quod ſaltem exemplum vtinam Brentius ipſe & Andreas imitari malint, quàm tot perperam ſcripta pertinaciter tueri.

PAG. 22. *Valde etiam*, inquit, *abſurdum eſt quod Beza affirmat, Paulum appellare Chriſtum παθητόν. quis autem, inquit, audebit vel τῷ λόγῳ vel animæ id tribuere? An, quaſo, anima Chriſti non eſt paſſa, quum Chriſtus dicat, Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem?* At ego quæro ex Andrea, Illuſtriſs. Princeps, quid ſit συκοφαντεῖν ſi hoc non eſt. Mea enim hæc verba ſunt: *Dicemus etiam cum Paulo Chriſtum παθητὸν fuiſſe, imò etiam mortuum. Et quis hoc audebit vel τῷ λόγῳ vel animæ tribuere?* Hæc, inquam, mea verba ſunt, ex quibus quis non videt me illud παθητὸν ad mortem reſtringere? Tu verò, Andrea, víderis qua tandem fide & conſcientia, vt ſententiam meam peruerteres, hæc verba, IMO ETIAM MORTVVM, in meis citandis expunxeris. Quaſi verò tam parum in ipſis Theologiæ elementis profecerim, vt Chriſtum ignorem præcipuos illos pro peccatis noſtris dolores fuiſſe animo perpeſſum: aut adeò communis ſenſus expers, vt corpus abſque anima, dolores illos pati potuiſſe credam.

EADEM pag. ſic ſcribit. *Non minus abſurdum eſt quod addit Beza: Dicimus, inquit, etiam illum omnia ſciuiſſe, quod tamen neque carni neque animæ ipſius (videlicet Chriſti) conuenit. Num propterea non omnia ſcire dicendus eſt qui ad breue tempus ſe quaſi abdicat ſua maieſtate: in quo tamen* OMNES, OMNES, *inquam, theſauri ſcientiæ abſconditi ſunt? Sic ipſe Caluinus quoque interpretatur, Chriſtum quum diceret ſe diem illum ignorare, ad munus ſibi à Patre iniunctum reſpexiſſe: quemadmodum quum diceret non eſſe ſuum hos vel illos ad dextram ſuam collocare. Perperam ergo omnium ſcientia naturæ humanæ à D. Beza negatur.*

RESPONDEO Andreæ, ipſius D. Lutheri verbis, qui locum illum Marci 13. tractãs in concione quadam, vt etiam in meo libello citaui, *Intempeſtiuam*, inquit, *narrationem quidam hic afferunt, dicentes, Filius neſcit, id eſt, noluit ſcire. Quid enim opus iſtis commentis? Chriſtus verus homo fuit, quare vt alius purus, ſed ſanctus homo, non quolibet tempore cogitauit, dixit, voluit, intellexit omnia: ſicut imperiti quidam omnipotentem in eo hominem faciunt, permiſcentes duas naturas, atque opera earum parum prudenter. Sicut enim non quolibet tempore omnia vidit, audiuit, atque ſenſit, ita etiam corde non omnia ſemper agnouit, ſed quantum illum duxit ac docuit Dominus.*

HAEC ille totidem verbis, in quibus nemo non videt manifeſtè illud ipſum quod Andreas negat affirmari, Chriſtum videlicet ſecundùm carnem, antequam glorificaretur, aliquid neſciuiſſe. non quia ſcire noluerit, ſed quia omnia ſcire tum nondum potuerit, nempe quia voluit non poſſe. Itaque cum Luthero prius, ſi libet, tranſigat, deinde mecum contendat. Quòd autem Caluinum beatæ memoriæ nobis obiicit, miror quo pudore id faciat. *Reſpiciebat*, inquit Caluinus, *ad munus ſibi à Patre iniunctum, quemadmodum ſuprà dixerat non eſſe ſuum hos vel illos ad dextram vel ſiniſtram locare.* Hæc ille, fateor. ſed cur integrum locum Andreas non ſcribit? *Sic etiam nunc intelligo*, inquit, *quatenus Mediator ad nos deſcenderat, donec ſua prouincia defunctus eſſet, non fuiſſe illi datum quod poſtea à reſurrectione accepit.* Paulò antè verò hæc etiam ſcribit, *Quia hoc indignum eſſe Chriſto multi putabant, conati ſunt huius ſententiæ duritiem ſuo commento lenire. Ad captandum etiam ſubterfugium eos fortè compulit Arij malitia, qui hinc euincere conatus eſt Chriſtum non eſſe verum & vnicum Deum. Ergo ſecundùm eos neſciuit Chriſtus diem extremum, quia alijs patefacere noluit. Sed quum palàm ſit Chriſto communem cum Angelis ignorantiam tribui, alius ſenſus aptior nobis quærendus eſt.* Et mox, *Scimus duas naturas in Chriſto ita fuiſſe coniunctas in vnam perſonam, vt ſua cuique proprietas maneret, præſertim verò quieuit diuinitas, ſeque minimè exeruit, quoties ad implendum Mediatoris officium interfuit humanam naturam ſeorſim operari quod ſuum erat. Quare nihil abſurdi fuit Chriſtum qui omnia ſciebat* (ſecundum diuinitatem videlicet, ſiue quatenus erat Verbum)

aliquid ſecũdùm hominis ſenſum neſcire. Neque enim aliter & dolori & anxietati obnoxius, & nobis ſimilis eſſe poterat. Hæc ille, de cuius teſtimonio nũc apparet, opinor, quo iure Andreas glorietur.

PAG. 23. negat ex ſuo dogmate conſequi, vel diuinam naturam mortuam fuiſſe, vel humanitatẽ Chriſti eſſe ab æterno. Quorſum id verò? neque enim ego hoc illi impegi, ſed tantùm, vt probarem de toto ſiue de perſona interdum dici, quod tamen reipſa alteri tantùm naturæ competat (cuius rei ignoratio effecit vt Brentius, & qui eum ſequuntur, iſtas controuerſias mouerent) hoc ſcripſi, Chriſtum dici & æternum & mortuum, quum tamen non poſſit ſine blaſphemia dici vel diuina natura mortua, vel humana natura æterna fuiſſe. Hæc ego, inquam, ſcripſi, quæ ne ipſum quidem inficiari poſſe credo. Nunc autem hoc apertè ſcribo. Si verum eſt quod ipſi ſentiunt, nempe omnes Diuinitatis proprietates, ſine vlla prorſus exceptione, fuiſſe in aſſumptam humanitatem realiter, vt loquuntur, collatas ſeu effuſas: neceſſariò conſequitur humanæ naturæ competere ex dono quicquid eſt diuinæ ex ſeſe proprium. Oſtendant nunc igitur cur æternitatem excipiant, & cur ſit abſurdius dicere, Chriſtum ſecundùm vtramque naturam eſſe ſine principio & fine, quàm ſecundùm vtramque naturam eſſe vbique, quod ipſi paſſim inculcant. Dico enim non minus eſſe incommunicabilem proprietatem vbiquitatis, quàm æternitatis.

QVOD autem attinet ad alteram *κοινωνίαν ἰδιωμάτων*, qua fit vt humana diuinis attribuantur, quum Andream hærere neceſſariò oporteret, conſiderandum eſt quo cuniculo elabi conetur. *Ingens*, inquit, *eſt inter iſta diſcrimen, quando Deus mortuus, vel comediſſe & bibiſſe dicitur, & homo omnia ſcire & præſens gubernare. Deitati enim nihil accedit: humanitati autem reuera aliquid ex vnione acceſſit, quod nõ eſt ipſius eſſentia.* Quid tum verò? quid ex iſtis nunc peruulgatis myſteriis colligere poteſt? nempe verè & reipſa humanitati tribui Diuinitatis proprietates, quas omnes ſummæ maieſtatis nomine intelligit, quæ nimirum perſonali vnione humanitati reuera acceſſerint: contrarium autem eſſe quoties humana Diuinitati attribuuntur: quoniã, inquit, deitati nihil acceſſit.

HAEC verò ſi ita ſunt, vt dicit, quid aliud conſequitur, quàm aliquam eſſe verbalem non realem *ἰδιωμάτων κοινωνίαν*, quod tamen ſolet, quum libet, fortiſſimè negare?

OMITTO etiam illud, quòd admodum impropriè ſcripſerit, *deitati nihil accedere*, quum potius ſcribere debuerit, *deitati nihil decedere*, ſiquidem moriendi & bibendi ac comedendi neceſſitas, non acceſſionis, ſed deceſſionis potius nomine ſignificantur, ſi Deo attribuantur. Omitto, inquam, iſtud, quoniam res ipſa oſtendit Andream, quum biduanam iſtam reſponſionem in me ſcriberet, nimiùm ſanè præcipitem fuiſſe.

ILLVD autem non poſſum prætermittere, quod addit, *Ita de eodem Chriſto quatenus homine aliter dicitur, quòd fuerit antequam Abraham eſſet, & quòd omnia per ipſum nunc ὁ λόγος gubernet.* Quid audio? nec enim reſpondent iſta ſuperioribus. Propoſuerat enim duo prædicationum genera vt diuerſa. Vnum, in quo humana diuinis, vt quum Deus mortuus dicitur: alterum, in quo humanis diuina attribuuntur, vt quum homo omnia ſcire & præſens dicitur gubernare. Hoc autem duplex dicendi genus quod ſubiicit, ad alteram tantùm, nempe poſteriorem, ſpeciem pertinet, qua videlicet humanitati Chriſti tribuitur ante Abrahamum, ſiue ab æterno fuiſſe, & in ſumma maieſtate eſſe collocatam, ſiue omnipræſentem factam eſſe, quod vtrunque diuinum eſt. Itaque rurſus eum fefellit nimius iſte ad reſpondendum ardor: ideóque longè præſtitiſſet vnum & alterum menſem potius, quàm biduum rei tam ſeriæ impendere.

NEGAT tamen vtranque illam propoſitionem ſimili modo intelligendam. *Humanitas enim Chriſti*, inquit, *reuera non fuit antequam Abraham eſſet, ſed Chriſto etiam ſecundùm humanitatem iam* REVERA, REVERA, *inquam, omnia ſubyciuntur, & ſubiecta ſunt, vt verè cum λόγῳ regnet & gubernet omnia, in ſummam maieſtatem collocatus. Hæc ſi quis dicat eadem ratione de humanitate Chriſti prædicari, qua dicitur eum fuiſſe antequam Abraham eſſet blaſphemiam eſſe, & ſeſſionis hominis Chriſti ad dextram Dei manifeſtam abnegationem, omnes pij pronunciabunt. Sed ab aduerſa parte ſine vllo diſcrimine proponuntur rudioribus, qui facilè hoc modo decipiuntur: quæ ſi ignorantia fiunt, emendanda: ſin ſtudio, nemo bonus id probare poteſt. Eſt enim hic palpabilis error, quæ longè diuerſiſsima ratione de eadem re dicuntur, per ſe inuicem explicare.*

ITA'NE

ITA'NE verò? Dixi & dico abſque blaſphemia has propoſitiones, *Chriſtus homo erat ante Abrahamum*, & *Chriſtus homo præſens omnia gubernat*, eſſe vna & eadem ratione explicandas, quia nimirum propter perſonæ vnitatem, fas eſt ex Scripturæ conſuetudine non modò perſonæ tribuere quod alterius tantùm eſt naturæ (veluti quũ Chriſtus mortuus, & ſemper fuiſſe dicitur) ſed etiam naturarum ſingularum proprietates reipſa incommunicabiles verbis tamen permutare: quem tropum veteres omnes vocarunt *ἰδιωμάτων κοινωνίαν* non realem, ſed verbalem, ſi natura cui tribuitur, ſeorſim conſideretur. Verum eſt igitur Chriſtum hominem fuiſſe ante Abrahamum; at non niſi ſecundùm diuinitatem, qua etiam hic homo præditus eſt. Itidem verum eſt Chriſtum hominem præſentem omnia gubernare, ſed ſecundùm diuinitatẽ, qua nunc ſic præditus eſt, vt ſit etiam cum ea glorificatus. Sic quoque verum eſt Deum gloriæ fuiſſe crucifixum, & ſanguine ſuo Eccleſiam redemiſſe, vt loquitur Scriptura, ſed ſecũdùm humanitatem duntaxat, ſiue in carne aſſumpta. E contrario verò propoſitiones iſtas, *Chriſtum ſecundum humanitatem, ſiue Chriſti humanitatẽ vbique eſſe præſentẽ*: & *Chriſti humanitatem ante Abrahamum fuiſſe*, ſimiliter falſas, blaſphemas, & penitus Eccleſiæ Dei inuſitatas eſſe dico & affirmo, eadẽ prorſus ratione qua & iſtæ falſæ ſunt & blaſphemæ, *Diuinitatem eſſe mortuã*, & *Chriſtũ ſecũdùm diuinitatẽ non eſſe alibi quàm in cælũ*. Ratio eſt, quoniã in abſtracto humanitatis vel diuinitatis nomine ſignificantur ſeorſim naturæ, quarum proprietates in hypoſtatica vnione ſunt prorſus & reipſa & verbis incommunicabiles: abſtracto autem vel Dei ſeu *λόγου*, vel hominis vocabulo totum ipſum *ὑφιστάμενον* ſiue tota perſona declaratur, quæ quoniam vna eſt & inſeparabilis, *ἰδιωμάτων κοινωνίαν* verè admittit. Hæc, inquam, affirmo Andrea, vt blaſphemiæ crimen effugiam, nedum vt metuã propterea blaſphemus aut impoſtor videri. Quæ verò hic in nos immeritò ſcripſiſti, Dominus tibi condonet.

PAG. 25, & 32, & alibi aliquoties Andreas nouũ & prorſus inſanum dogma mihi impingit, quaſi videlicet ſentiam *Chriſtum iuxta humanitatem nõ aliter nobis nunc adeſſe, quàm adfuit Abrahæ, quo tempore neque anima, neque corpus eius in rerum natura fuerũt*: Ego verò non recuſo quin ex iis ipſis verbis quæ ex meo libello profert, iudiciũ hac de re fiat. Dixi in ſumma propter perſonalem vnionẽ, quæ efficit vt vnus ſit Chriſtus indiuiſus, propoſitionẽ iſtam, *Totus Chriſtus Deus & homo eſt vbique præſens*, eſſe veriſſimè dictam, ſicut & illam, *Chriſtus fuit ante Abrahamum*, quanuis ſingulis partibus non cõueniat, quod de toto complexim dicitur. Deinde iſta ſubieci, quæ viderit Andreas qua fide prætermiſerit: *Inepta fuerit conſecutio iſta, Chriſtus fuit ante Abrahamum, ergo & diuina & humana eius natura fuit ante Abrahamum. Dicimus autem non minus abſurdã eſſe hanc conſecutionem, Chriſtus eſt vbique, Ergo Chriſti tum humanitas tum diuinitas eſt vbique.* Hæc, inquam, ſcripſi, vt vtramque illam propoſitionẽ ſimiliter explicandam eſſe docerẽ, de ipſa nimirũ forma locutionis differens, qua fit vt de tota perſona dicatur quod ſeorſim non niſi alterius, nempe diuinæ, naturæ reſpectu prædicat. Hoc verò an non inſignis eſt calumnia ad rem ipſam ſiue materiam enuntiationis transferre? Quæſo enim ſi dicam ſimiliter hæc eſſe vera, Andreas docet Tubingæ ſicut docet Geneuæ Beza, an conſequetur eadem me Geneuæ docere atque ille Tubingæ docet?

NEQVE hic verò duntaxat, ſed alibi etiam in eadem vocula SICVT argutatus eſt, quum vt illud Auguſtini dictum, *Non eſt conſequens vt quod eſt in Deo ſit vbique vt Deus*, eluderet, ſcripſit Auguſtinum ſentire quidem humanitatem eſſe vbique, ſed alio modò quàm diuinitatem: quem vnius voculæ paralogiſmũ quis non videt? Ergo vt ad rem redeam, non ſum ita inſanus, Dei gratia, vt id quod eſt in rerum natura ab eo quod nondum eſt niſi in ſpe, diſtinguere neſciam: & iſtos inconditos clamores, quaſi Chriſtũ hominem eſſe, ſiue in carne veniſſe negem, id eſt, putidas, & omnibus, vt ſpero, manifeſtas calumnias nihil moror.

IDEM dictũm ſit de hoc etiam quod pagina 26, & aliquoties alibi his verbis ſcribit, *Pium lectorẽ*, inquit, *admonitũ volo, vt diligenter attẽdat vbicunque Beza de toto Chriſto loquitur, cum de diuinitate tantùm intelligendũ, & dimidio Chriſto Deo tãtùm nõ homine*. Obſecro enim quæ hæc impudentia eſt, dicere, me, quia nego Chriſtum ſecundùm humanitatem adeſſe, negare Chriſtum etiam hominem adeſſe? quid enim? an homo

& humana natura idem ſunt? Chriſtus homo eſt Deus, quod negare non potes, quin Chriſtum diuidas: ſed humana Chriſti natura, an eſt diuina? Vides igitur magnum eſſe inter iſtas loquendi formulas diſcrimen, quoniam concretum hominis nomen de perſona quæ vna eſt duabus naturis cõſtans: humanitatis autem nomen abſtractũ, vt millies iam inculcaui, naturam tantùm alteram ſeorſim declarat. Quis autem nos ſic loqui docuit? certè Spiritus ſanctus. Vera enim eſt iſta locutio, *Deus gloriæ crucifixus eſt*: iſta verò falſa eſt & blaſphema, *Diuinitas gloriæ crucifixa eſt*. Sic & iſta vera eſt, *Chriſtus Deus & homo erat ante Abrahamũ, Filius hominis erat in cælis loquens in terris cum Nicodemo*: iſtæ verò falſæ ſunt & blaſphemæ, *Chriſtus ſecundùm humanam & diuinam naturam fuit ante Abrahamum*, &, *Chriſti humanitas erat in cælis quum eſſet in terris*. Sic etiam diſcat Andreas verè dici Chriſtum totum Deum & hominem vbique eſſe, quia idem vnus eſt & idem homo indiuiſus: falſam autem & merè Eutychianã eſſe blaſphemiam, qua dicitur Chriſtus ſecundùm vtramque naturam nunc in terris adeſſe. Hæc, inquam, diſcat, tum ex Scripturis, tum ex perpetuo omnium Orthodoxorum conſenſu, quorum innumerabilia teſtimonia alibi citauimus: & calumniari tandem deſinat.

PAG. 28, obtrudit nobis illud Apoſt. In ipſo inhabitat omnis plenitudo Deitatis corporaliter: & addit, *Num aliquid incommunicatum reliquit qui omnem plenitudinem cõmunicatam eſſe dicit corporaliter? quatenus Deus in ſanctis habitat, eatenus ſe ipſis communicat, videlicet ſecundùm menſuram donationis Chriſti, ſed in Chriſto eſt plenitudo deitatis. Quicquid ὁ λόγος eſt & poteſt, nihil excepto, per vnionem perſonalem homini aſſumpto communicatum eſt*. Pudet me toties eadem inculcare, ſed ita neceſſariò faciendũ eſt, vtinam cum aliquo fructu. Quum vnitas perſonæ conſideratur, neceſſe eſt toti eſſe commune quod alterius eſt per ſe proprium, niſi vnum velimus in plura lacerare: vt exempli gratia, Petrum vocamus mortalem λογικὸν, & verè quidem, quia Petrus eſt vna hypoſtaſis indiuiſa quandiu eſt Petrus: certum eſt tamen nec Petri corpus eſſe λογικὸν, nec Petri animam eſſe mortalem. Hac igitur ratione, quis tandem noſtrûm vnquam negauit, multo magis in iſta ineffabili vtriuſque naturæ vnione, nihil prorſus in Dei Verbo, imò ne ipſum quidem Verbum eſſe aſſumpto homini ἀκοινώνητον? adeò quidem vt Verbum quæcunque hominis illius ſunt, ſua & ſibi propria eſſe ducat, vtpote quòd illum ipſum hominem cui illa inſunt ſibi adeò proprium effecerit, vt alius non ſit aſſumens, quàm aſſumptus: quanuis aliud ſit aſſumptum, aliud à quo aſſumptum eſt. Imò tantum abeſt vt in hac controuerſia quidquam ex illa deitatis plenitudine detrahamus Chriſti perſonæ, vt è cõtrario hac in re potiſſimùm ab his diſſideamus, quòd ipſam τοῦ λόγου cum ſuis omnibus proprietatibus ſubſtantiam illi aſſumpto homini perſonaliter vnitam eſſe dicamus, qua re Chriſtus ab omnibus hominibus differat: ipſi autẽ apertè negẽt Dei οὐσίαν aliter habitare in Chriſto quàm in reliquis hominibus, ac proinde ſubſtantiæ ſiue ipſius deitatis vnionem in ἐνεργείας communicationem transforment. Hac autẽ ratione, fit vt Chriſtus ſecundùm Neſtorium diuidatur, vt qui ſecundùm οὐσίαν à reliquis hominibus non differat, ſed ſecundùm ἐνέργειαν, ſiue vt Neſtorius magis propriè loquebatur, κατ' ἀξίωσιν ſit omnium diuiniſſimus. Sin verò naturas ipſas conſideres, tunc & ipſas naturas & proprietates earũ eſſentiales dicimus eſſe prorſus ἀκοινωνήτως, quod quum ipſe quoque Andreas in hoc ſuo poſtremo ſcripto affirmet, nunc ei cogitandũ eſt de huius dicti interpretatione, ne à ſeipſo diſſentiat quum ſcribit, quicquid eſt & habet Verbum, perſonaliter eſſe homini illi aſſumpto cõmunicatum. Diſtinctio enim illa, qua vti ſolet, humanam naturam per ſe & abſolutè quidem cõſideratam ſuas proprietates retinere, ſed quatenus coniuncta eſt cum λόγῳ in ſummam maieſtatem (quo nomine præcipuè Omnipræſentiam intelligit) fuiſſe & quidem ab ipſo incarnationis momento euectã, falſiſſima eſt prorſus & inaniſſima. Nam quocunque modo humanam naturam conſideremus, nunquam eam inueniemus eſſentialibus diuinitatis proprietatibus ornatã: ſicut etiam viciſſim diuinitatem quocunque modo ſpectes, nunquam reperies fuiſſe exinanitam: ſed exinanitum Filium Dei fuiſſe, & hominem illum omnem poteſtatem in cælo ac in terra accepiſſe, hæc demum inuenimus, quæ abſit vt nos inficiemur.

QVA in re igitur illi peccãt? in hac nimirum quòd hominem & humanam naturam confundunt, nec animaduertunt hunc hominem aſſumptum eſſe duplici natura σωματικῶς ſiue ſubſtantiali vnione præditũ, vna quidẽ ſua quæ aſſumpta eſt, altera verò diui-

na

na aſſumente:ideóque ipſi aſſumptæ tribuit diuinas proprietates, quibus tamen non ipſamet, ſed ea demum natura prædita eſt in qua hypoſtaticè ſubſiſtit. Hæc eſt igitur plenitudo deitatis, quam meritò prædicat Apoſtolus, & propter quam etiam caput noſtrũ eſt Chriſtus, qua dignitate non nos Chriſtum priuamus, qui eum σωματικῶς, non quidem ſecundùm carnem, ſed ſecũdùm deitatẽ Deũ illum æternũ & verum eſſe fatemur. & propterea cum Thoma ipſum adoramus & inuocamus: ſed ipſi ſanè priuãt, qui deitatem ipſius ex ἐνεργείᾳ in carne, ſiue ſeorſim, ſiue ſimul conſideratã æſtimant, vt Chriſtus homo à reliquis hominibus non niſi ſecundùm plus & minus differat.

Eadem pag. affirmat Andreas ratione vnionis perſonalis vnam eſſe actionẽ τοῦ λόγου & hominis aſſumpti, quod, niſi dextra interpretatio addatur, falſum eſſe dico, & à ſexta Synodo meritò damnatum: quoniam etſi vna eſt Chriſti perſona, ac proinde Chriſtus eſt vnum agens: tamen quum Chriſtus ex duabus naturis perfectis conſtet, neceſſe eſt duo etiam actionum Chriſti eſſe principia, ac proinde rurſus dogma illud Monothelitarum ab Andrea ex inferis eſſe reuocatum, niſi fortaſſe ad conſenſus vnionem reſpicit: quæ tamen neceſſariò ab hypoſtatica vnione, de qua diſſerimus, fuit diſtinguenda.

Qvid ſi verò Andreæ nullam niſi perſonalem actionẽ in Chriſto ab ipſo incarnationis momento conſtituenti explicandum ſit illud Chriſti dictum, *Non ſicut ego volo, ſed ſicut tu vis*, quomodo tandem ſuam illam actionem vnicam numero, vt vnica numero eſt perſona, tuebitur?

Eadem pag. *Cupit*, inquit, *Beza, ſibi vel vnum à nobis demonſtrari, qui proprietates diuinitatis omnes ſcripſerit cum humana natura communicatas, quem nos ad Chriſti, Ioãnis & Pauli teſtimonia ſuperius allata ablegamus.* Rectè ſanè. Quis enim pius hos non modò teſtes, ſed etiam iudices refugiat? Proferant igitur ipſi vel vnicũ eorum teſtimoniũ, ex quo probetur vlla, nedum vniuerſalis, ipſarum naturarum vel eſſentialium proprietatum communicatio, qualem ipſi quidem imaginãtur, & vltro aſſentiemur. Hoc autem quum dico, illud dico, Verbum quidem factum eſſe carnem, ac proinde Chriſti hominis eſſe ſubſtantialiter quæcunque ſunt τοῦ λόγου, ſed ita vt neque diuinitas facta ſit humanitas (eſt enim Deus immutabilis) nec humanitas facta ſit diuinitas, ſiue ipſam deitatem, ſiue eius proprietates κοινώσεως ſpectes: ac proinde prorſus ſit falſum & Eutychianũ, quicquid iſti de omniſapientia, omniſcientia, omniglotia, omnimaieſtate, omnipræſentia denique à diuinitate in aſſumptam carnem effuſis cõtra Verbum Dei & totam Orthodoxam Eccleſiam cõminiſcũtur. Nec obſtat quòd omnia ſint eſſentialia in Deo. Quomodo enim nihilominus quædã ſint Dei attributa, alibi eſt abundè à noſtris explicatũ.

Eadem pagina. *Si nobis*, inquit, *ex Scriptura ſacra demonſtrauerit Beza ſeſſionem ad dextram Dei aliquid aliud ſignificare quàm hanc ipſam ſummæ maieſtatis communicationem, qua λόγος plenitudinem omnis diuinitatis homini Chriſto cõmunicauit, parati ſumus coram vniuerſa Chriſti Eccleſia παλινῳδεῖν, & errorem, ſi quis ſit, publicè reuocare.*

Ad hoc verò tria reſpondeo. Vnum, quot ſunt teſtimonia Scripturæ quibus aſſeritur Chriſtum eſſe Deum, totidem teſtimoniis damnari dogma eorum qui plenitudinem deitatis Chriſti non in ſubſtantiali à τοῦ λόγου vnione, ſed in plena & perfecta eiuſdem ἐνεργείᾳ ponunt, qui eſt Neſtorianus error & aliqua etiam ex parte Eutychianus. Alterum, nimiùm dilutum eſſe Communicationis verbum præ Vnionis vocabulo. Tertium, nos minimè inficiari per ſeſſionem ad dexteram Patris ſignificari plenã in cælis aſſumptæ carnis Chriſti glorificationẽ, qua nulla poſſit vlli creaturæ maior à Deo obtingere. Sed hunc ſupremum illius gloriæ gradum fuiſſe ab incarnationis momento Chriſti carni communicatum, ſiue Chriſtum fuiſſe ab initio ad dexteram Patris exaltatum dicere non poteſt Andreas, quin ſimul Chriſti non dico mortem duntaxat, ſed etiam mortalitatem, atque adeò totam exinanitionem neget.

Neqve enim quidquam hîc eum iuuat diſpenſatio qualem ipſe quidem imaginatur. Siquidem Chriſtus ante aſcenſionem in cælos, aut reuera fuit per omnia nobis ſimilis excepto peccato: aut per viſionem duntaxat, & non in ſeſe, ſed noſtrorum tantùm ſenſuum reſpectu. Si hoc poſterius affirmaret Andreas, prorſus eſſet Marcionita, quod non opinor. Sin verò alterum verum eſt, quia prius oportuit Chriſtum pati, & ita introire in gloriam Patris, aut probet Andreas Omnimaieſtate donatam, ſiue ad

dextram Patris iam tum collocatam fuiſſe carnem, quæ nihilominus reipſa eſſet in ignominia & morte: aut nobiſcum fateatur, Chriſti carnem non prius ad dexteram Patris fuiſſe collocatam, quàm omni infirmitate defuncta, & ſupra omnes cælos ſubuecta, reipſa fieret qualis nunc eſt.

Ex hoc autem cõſequitur hypoſtaticam vnionem cum ſeſſione ad dexteram Patris perperam confundi, quum hæc illam multo pòſt tempore ſit conſecuta: cui rei probandæ omnes illos locos adhibeo in quibus ſeſſio illa ad dexterã Patris in ſacris Literis explicatur.

Deinde & illud conſiderandũ eſt, quanuis vna & eadem ſit Chriſti perſonæ gloria: hoc tamen non obſtare quominus ſua diuinitati conſtet dignitas ac præſtantia, adeò vt ſtare nullo modo poſſit omnipræſentialis illa maieſtas in carnem effuſa. Stat enim illud pauli, caput Chriſti eſſe Deum: humanitatis videlicet aſſumptæ etiam poſt glorificationem reſpectu: & ſcriptum eſt, Deum excipi qui ſubiecit ipſi omnia: ac proinde rectè dixerunt Patres, Chriſtum ſecũdùm humanitatem ſeipſo quatenus Deus eſt minorem eſſe, & ſibi ipſi quodammodo ſubiici, nedum vt Chriſtus etiã glorificatus, ſiue quatenus ad dextrã Patris eſt euectus, Deo vel οὐσίᾳ vel ἐξουσίᾳ, vel ἐνεργείᾳ, aut alio vllo modo ſecundùm carnem ſit exæquatus, quod eſt planè Eutychianum.

Denique ſi nobis vel ex Dei varbo, vel ex vllo prorſus Orthodoxo ſcriptore demõſtrarit Andreas, vnquam in Eccleſia Dei receptum fuiſſe dogma, ſeſſione ad dextrã ſignificari Chriſti ſecundùm carnẽ omnipræſentiam, vel alibi nunc eſſe Chriſtũ ſecundùm carnem quàm in cælis, cælis, inquam, illis non allegoricis nec geſtatoriis, ſed quibus vltramundanæ regiones, quæcunque & qualeſcunque tandẽ illæ ſint (hæc enim ſuo tempore intelligemus) ſignificantur, tunc contenti ſumus παλινῳδεῖν, & quod dicimus, reipſa præſtabimus.

Dicam etiam aliquid amplius, Illuſtriſs. Princeps, Ni ex verbo Dei & perpetuo omnium Græcorum & Latinorum conſenſu conſtet, totũ hoc dogma quo dicitur Chriſtus ſecundùm vtramque naturam vbique eſſe, merè Neſtorianum eſſe & Eutychianũ, & omnibus modis execrabile, non recuſo quidquid æqui iudices cenſuerint: conueniãt tantùm quos conuenire oportet, aduocentur Eccleſiæ, moderetur principum æquitas, pſeudotheologorum quorundam peruicaciam, audiatur Dei verbum, adiungatur, duarum Synodorum vniuerſalium minimè ſuſpectæ fidei authoritas, & tandem obtineat veritas. Hæc petitio, ſi æqua eſt, cur non impetratur? ſi iniqua, cur melior aliqua Eccleſiaſticæ concordiæ ratio non aperitur? Ego quidem coram Deo & Angelis conſcientiam meam libero.

Pag. 29. ſomniat Andreas me ad Papiſtas trãsfugere, veritatis nimirum patrocinio deſtitutum. Ingenioſum certè commentum, præſertim quum addat me ex Ingolſtadienſibus neſcio quibus Ieſuitis habere quod doceo: quia ſcilicet longè nobis melius cũ Papiſtis conuenit quàm iis qui tranſſubſtantiationem in conſubſtantiationẽ transformarunt, vt vnica ſyllaba ab Antichriſti deliriis diſtẽt. Res aũt ita ſe habet. Papiſtas dixi, quũ alioqui iſto Vbiquitatis figmẽto maximè ſit illis opus, tamẽ illã, ſicuti par erat, maximè eſſe deteſtatos, vt eos qui puram religionem profitẽtur maximè pudere debeat, craſſius etiam quàm illos cæcutire. Cur enim mihi non concedat Andreas ipſius ſaltem Lutheri veſtigia ſectari? Notũ enim eſt qua ille cõmendatione Nicolai Papæ decretũ, & Berẽgarii damnationem, dum ſuas hyperbolas amat, ſit proſecutus. Si hoc exemplum ſatis non arridet Andreæ, ſaltem patiatur me Iſaiam imitari, qui populum ipſum Dei ablegat ad aſinos & boum præſepe, quibus minimè certè me pœniteat Nicolaum illum cũ ſuo Dreketo & tranſſubſtantiatoribus omnibus cõparare. Cæterùm quod ad Ingolſtadiẽſes illos attinet, mihi alioqui penitus ignotos, & quibus minimè omnium hominũ aſſentari velim: fateor me illorũ ſcriptũ aduerſus iſtud Vbiquitatis ſeu Omnipræſentiæ portentũ (quibuſdam tãtùm exceptis, quæ ad tranſſubſtãtiationis figmentũ pertinẽt) & libenter & cum fructu perlegiſſe: adeò quidẽ, vt ſi tempeſtiuè in manus meas incidiſſet, nihil fortaſſe de hoc argumento, quod abundè ab ipſis videtur refutatũ, fuerim vnquam ſcripturus. Legi quoque Andreæ reſponſionem, quæ quantum ipſi authori placuerit neſcio: me quidem certè coegit Germaniæ illius vicẽ, cui inſtaurati Euangelii beneficiũ maxima ex parte debemus, deplorare. Sed hoc me conſolatur, quòd multos in eadem

Germa-

Germania eſſe videam qui hanc patriæ inuſtam maculam contrario teſtimonio veritatis eluant.

SVPEREST appendix de veterum & nouorum Sacramentorum collatione, quam Andreas, nouas quaſdam theſes parturiens, velut ἐκ περιουσίας adiecit: obtruſa etiam nobis rancida illa diſtinctione ſignificatiuorum & exhibitiuorum Sacramentorum, non minus certè barbara quàm falſa & inepta, ſicut ſuo loco oſtenſurum me ſpero, ſi opus erit. Satis enim ſupérque cõtrouerſiarum eſt, Illuſtriſſime Princeps, & iampridem multi boni & docti homines optant petulantiam iſtam ingeniorũ ſic coerceri piorũ Principum authoritate, vt velint nolint, vel tacere, vel componendis potiùs veteribus diſſidiis, quam nouis excitandis operam dare cogantur. Ego quidem, Illuſtriſſime Princeps, ſi quid hic pecco, nolẽs pecco, nec legitimum iudicium recuſo. Quid optem videt Celſitudo tua: quid ſim impetraturus Deus nouit, & tempus oſtẽdet. Neque enim meam, ſed veritatis cauſam ago, cuius aſſertor & vindex erit Dominus.

INGENVA D. LVTHERI CONFESSIO DE DVABVS CHRISTI NATVRIS ET EARVM PROPRIETATIBVS ET

operibus incommunicabilibus, edita in magnis Poſtillis, concione de natali Domini: in qua quo minus perſeuerauerit fecerunt Germaniæ, atque adeò totius mundi peccata.

INTEMPESTIVAM quidem enarrationem adferunt dicentes, Filius neſcit, id eſt, non vult ſcire. Chriſtus verus homo fuit, quare vt alius purus, ſed ſanctus homo, non quolibet tempore cogitauit, dixit, voluit, intellexit omnia: ſicut imperiti quidam omnipotentem ex eo hominem faciunt, permiſcentes duas naturas, atque opera earum parum prudenter. Sicut enim non quolibet tempore omnia vidit, audiuit atque ſenſit, ita etiam corde non omnia ſemper agnouit, ſed quantum illum duxit ac docuit Dominus.

VIDEMVS Scripturam multò dexteriùs, & explicatiùs de Chriſto loqui, quàm nos ſoleamus. Pulchrè perſonam cum natura iungit, ac rurſus naturas nequaquam confundit, vt pauci ſint (quod debemus humanis commentis quibus ætatem noſtram attriuimus & ingenium corrupimus) qui id percipiant, vt ipſe profectò perſæpe in his & ſimilibus locis errauerim, & naturæ tribuerim quod competit perſonæ, & contra.

DE

Vnitate eſſentiæ Diuinæ, & tribus IN EA SVBSISTENTIBVS *perſonis, aduerſus Arianos* ὁμοιουσίους.

EPISTOLA AD ILLVSTRISSIMVM PRINCIPEM NICOLAVM RADZVVILVM, MAGNI DVCATVS LIthuaniæ *ſupremum Mareſchalcum.*

ILLVSTRISSIME Princeps, binas à Celſitudine tua literas vno tempore accepimus, vnas D. I. Caluino, beatæ memoriæ viro, alteras nobis inſcriptas, vtraſque copioſè & elegãter ſcriptas, quibus quòd tam ſerò reſpondeamus, rogamus C. T. vt neque negligentiæ, neque vlli alii rei tribuat quàm tabellariorum à nobis Tubingam, vnde miſſæ ſunt ad nos literæ, commeantium penuriæ. Quòd verò in re tam graui, támque ſeria, adeò paucis reſpondeamus, hæ ſunt cauſæ

LEGIMVS, idque non ſine horrore, quæ Gregorius, Paulus, Caſanonius, & alii nonnulli à Blandrata & Gentile faſcinati, tres perſonas, ſiue ὑποστάσεις in tres numero οὐσίας ſiue eſſentias transformantes, variis libellis ſcripſerunt: in quibus tam multa tum ambigua tum etiã ἀσύστατα comperimus vt de eorũ dogmatibus & argumentis ne nunc quidem penè nobis liqueat.

LITERAE verò tuæ, quanuis multò clariùs perſcriptæ, tamen noſtræ ruditati, vt ingenuè cum T. C. loquamur, non per omnia ſatisfaciunt, præſertim in tertiæ illius conciliatoriæ ſententiæ explicatione, quam ſi rectè intelligimus, putamus ab illa ſiue Gentilica ſiue Gregoriana parum admodum diſſidere.

ITAQVE quum de rebus ipſis, ac multò minus etiam de aduerſariorum argumentis nondum ita nobis conſtet, quin meritò vereamur ne videri poſſimus vel de rebus non controuerſis fruſtrà laborare, vel non ſatis appoſitè aduerſariorum ſententiã oppugnare, quæ res poſſet iſtas infelices cõtentiones potiùs accendere quàm extinguere: ac præterea etiam quum res ipſa oſtendat, ſcribẽdis vltro citróque tam multis, creſcere potiùs altercationes, quàm imminui, dum vnuſquiſque quod ſemel ſcripſit non patitur reprehendi: idcirco priuſquam iuſtum ad ſingula reſponſum edamus, hoc à T. C. pro Chriſti nomine flagitamus, vt iſtos quibus nõ placet hæc propoſitio, PATER, FILIVS, SPIRITVS SANCTVS SVNT VNVS ET IDEM DEVS, huc adigas, vt totum ſuum dogma tum de eſſentia, tum de hypoſtaſibus, ſigillatim, clarè, & diſtinctè, certis & perſpicuis theſibus perſcribant: deinde ſuas etiam rationes tum ex Dei verbo, tum ex Patrum Græcorum & Latinorum ſcriptis deſcriptas adiiciant, atque etiam, ſi libebit, noſtrorum argumentorum, quæ non ignorant, refutationes.

NAM ita demum fiet, vt & pleniùs & certiùs reſpondeamus: quod quum etiamſi T. C. à nobis pro ſuo in patriam atque adeò in totam Eccleſiam ſtudio non petiiſſet, vltro facturi eſſemus, multò nunc etiam à T. C. interpellati, libentiùs ac diligentiùs pro modulo gratiæ nobis à Deo Opt. Max. conceſſæ facere omnino decreuimus.

INTEREA verò ne nos arbittentur nonnulli vel tergiuerſatione, vel aſtu aliquo reſponſum differre, palàm teſtamur apud C. T. Illuſtriſſime princeps, nos pet Dei gratiã in vera & orthodoxa ſentẽtia de Patre, Filio, & Spiritu ſancto tribus quidẽ reipſa diſtinctis perſonis, & vno nihilominus ac eodem ſecundùm eſſentiam Deo, non modò perſeuerare, ſed etiam magnopere perlectis iſtorum commentis fuiſſe confirmatos.

QVID enim ineptius, imò verò quid magis impium, quàm ſimpliciſſimam infinitatem numero multiplicare?

Itaque eſt quidem horrenda Iudæorum cæcitas, qui perſonarum diſcrimen tollunt: & execranda Sabellii impudentia, qui perſonas ſic agnoſcit, vt verbo tenus non re diſtinguat: & horrenda Arianorum blaſphemia, quorum alii ἑτερούσιον, alii ὁμοιούσιον Chriſtum cõſtituunt: vt & Macedoniani execrabiles ſunt, à quibus Spiritus ſancti deitas oppugnatur.

SED omnes iſtos quantumuis deſtabiles, minùs tamen abſurdè, quàm olim Seuerianos, & nunc iſtos de quibus agimus, loquutos fuiſſe arbitramur.

RETINENT enim illi hoc fundamentum, vnicum eſſe Deum ſicut vnica eſt eius eſſentia, cuius realem in tres perſonas, abſque vlla eſſentiæ diuiſione, diſtinctionem quũ ſolum Dei verbum declaret, ex eo autem ſapere illi recuſarint: non mirum eſt eos iſtam perſonarum diſtinctionem non tenuiſſe.

ISTI verò quid tandem, diſcerpta in tres deos diuina eſſentia, integrum in religionis fundamento relinquent?

LIBENTER tamẽ nobis perſuaſerint ſeſe multitudinem deorum vitare, ſi dixerint, Pater, Filius, & Spiritus ſanctus ſunt vnũ, id eſt, vna diuina natura ſiue eſſentia. Quaſi verò etiamſi, exempli cauſa, Petrus, Iohannes & Iacobus dicantur vnum eſſe ſpecie, idcirco tres homines non ſtatuantur.

QVID igitur attinet tergiuerſari, & cur non potiùs liberè & ingenuè proferũt quod ex eorum dogmate prorſus conſequitur, nimirum vnam quidem eſſe Deitatem, ſed tres deos, & quidem inter ſe impares, quum maius ſit eſſe aliunde, quàm habere ſuum eſſe ab alterius eſſe, ſiue precariò Deum eſſe?

CERTE vel vnicum numero Deum conſtituant oportet, vel plures. Si vnicum, qua de re digladiantur? Sin plures (ita videlicet propagata Filii eſſentia à Patris eſſentia, vt ſint duæ numero eſſentiæ) qua fronte audebunt negare ſe plures numero deos ſtatuere?

ITAQVE, ſi iſtis credimus, non erant ſimpliciter accuſandi veteres illi idololatræ, quòd multos deos colerent, ſed quòd plures tribus, & quidem falſos deos colerent.

Iam verò iſta eſſentiæ diuinæ multiplicatio ſiue in duos (audimus enim iam etiã Spiritum ſanctum à quibuſdam illorum expungi) ſiue in tres deos, quomodo cum altero ipſorum dogmate conuenit, quæcunque videlicet de vno & ſolo Deo in Scripturis dicuntur, nec de Filio, nec de Spiritu ſancto eſſe intelligenda?

NAM ſi vnus & ſolus Pater eſt Deus, conſequitur Filium vel Deum non eſſe, vel alio Deitatis genere Deum eſſe, quàm Patrem, qui eſt Arianorum error: ſicut ſi nato Abele, ſolus & vnus Adam erat homo, Abel filius eius vel homo non erat, vel alia humana natura quàm pater ipſius præditus, ac proinde ſpecie differens.

QVOD enim reſpondent, ſolum Patrẽ eſſe αὐτόθεον, id eſt, vt interpretantur, à ſeipſo ſuum eſſe habere, ac proinde ſolum Deum dici, quàm ineptè dicitur?

NAM à ſe vel ab alio eſſe, aliam naturæ ſpeciem non conſtituit: ac proinde Pater ob illam cauſam ſolus & vnicus Deus eſſe dici non poteſt nec debet, ſed ſolus & vnicus Pater, ſicut ſolus & vnicus Filius, quia vnigenitus.

NEC tale quidquam quale iſti comminiſcuntur Apoſtolo in mentem venit, quum vnum ſolum Deum Patrem, & vnum ac ſolum Dominum Ieſum Chriſtum vocaret: ſicut copioſiùs aliquando, fauente Deo, declarabimus.

QVOD porrò nos vt Sabellianos accuſant, quo tandem iure faciunt? Sabellio eſſentiæ & perſonæ nomina confundenti, Pater, Filius, & Spiritus ſanctus erant vnus, qui nobis tres ſunt, ſuis incommunicabilibus proprietatibus verè & reipſa diſtincti. Quæ igitur inter illum & nos affinitas? nempe quæ inter tenebras & lucem.

NEC enim hæ duæ enũtiationes, PATER, FILIVS ET SPIRITVS SANCTVS SVNT VNVS, &, PATER, FILIVS, ET SPIRITVS SANCTVS SVNT VNVS DEVS, idem declarant. Illa enim perſonas confundit, quod eſt Sabellianum:

iſta verò docet ſic diſtingui perſonas, vt ſingulæ ſint vna eadémque tota diuina eſſentia: ac proinde ſingulæ ſint non tantùm vna Deitas, ſed etiam vnus & idem Deus, cuius in vno Deo triplicis ſubſiſtentiæ ordo à Patre incipit, & in Spiritum ſanctum deſinit.

I T A Q V E quum nos irrident iſti quaſi contradictoria loquentes, quum tres vnum eſſe dicimus, vix reſponſionem merentur. Neque enim dicimus tres perſonas eſſe vnam cum Sabellio, ſed hypoſtaſes in vna eſſentia ex verbo Dei diſtinguimus proprietatibus & numero.

A T E N I M, inquiunt, non dicitis V N V M, ſed V N V S. Imò verò non dicimus ſimpliciter V N V S, ſed cum adiectione, V N V S D E V S, reſpectu videlicet vnius eiuſdémque eſſentiæ, in qua tota tres illi ſic ſubſiſtunt, vt nec diuiſi ſint, nec etiam coniuncti ſiue *συνούσιοι*, ſed ita ſuis proprietatibus incommunicabilibus reipſa diſtincti, vt quilibet trium alius ſit ſecundùm hypoſtaſin, quàm reliqui duo: & tamen quia in tota eadémque eſſentia ſubſiſtit, ideo ſit vnus & idem Deus atque reliqui duo.

Nec aliud intellexit Nicenum Concilium, licet ambigua loquutione, quum ſcriberet D E V M D E D E O, non vt duos deos conſtitueret, ſiue aliquam deitatem ex deitate deduceret: ſed ſimpliciter, vt eſſentiæ identitatem in duabus perſonis aduerſus Arium aſſereret.

S I C Iohannes, Verbum quod Deus erat apud Deum, in principio fuiſſe ſcribit, non duas numero eſſentias, ſed duas in vna & eadem eſſentia ſubſiſtentes perſonas declarans.

N E C alio ſenſu Hilarius (quem vnum iſti authorem laudant) illud, V N V S E X V N O, T O T V S E X T O T O, P E R F E C T V S E X P E R F E C T O, ſic inculcat, vt tamen non modò duplicem deitatem, ſed etiam duos numero deos eſſe neget: quoniam videlicet ſic Filius eſt alius à Patre, atque adeò ſecundus ordine (non tamen gradu) quatenus eſt genitus, vt tamen quia totus in vna eadémque eſſentia ſubſiſtit, ſit vnus & idẽ atque Pater, quatenus eſt Deus.

Q V A ratione verò in ſpeciebus creatis ſimiliter non eueniat, ſic etiam T. C. accipiat. Species creatæ, vt homo, etſi ſecundùm formam diuidi non poſſunt, tamen quoniam indiuiduis quantitatiuis (vt ita loquar) ſubſternuntur: idcirco ſecundùm quantitatem reipſa diuiduntur. Itaque (quod dictum ſit exempli cauſa) Petrus, Iohannes, Iacobus, quanuis forma illa vniuerſali & ſpecifica vnum ſint, tamẽ non vnus homo, ſed tres homines dicuntur: reipſa nimirum, non tantùm ſuis proprietatibus incommunicabilibus diſtincti, ſed etiam ſua quãtitate diuiſi. Sic Gabrielem, Raphaelem, & Michaelem, non modò tres diſtinctas vnius Angelicæ naturæ hypoſtaſes, ſed etiam tres ſpiritus eſſe dicimus: quia etſi non quantitate corporea, ſubſtantiæ tamen proprietate finiti, reipſa inter ſe ſecernuntur. At in diuina eſſentia omnibus modis ſimpliciſſima, & actu infinitiſſima, nec diuiſioni nec compoſitioni locus eſſe poteſt, ſed ſoli diſtinctioni, quam nobis nec caro nec ſanguis, ſed Filius ipſe patefecit.

Q V A E autem eſt ipſius naturæ, eadem quoque eſt eorum ratio quæ abſolutè de ea prædicantur: ac proinde ſingulæ perſonæ ſunt vnus & idem æternus, immenſus, infinitus, & omnipotens Deus.

I T A Q V E quum apud illum & re & nomine Gentilem in illo aduerſus Athanaſium libello plures æternos & omnipotentes legeremus, agnouimus in illo impletũ eſſe quod fore prædixit Apoſtolus, nempe vt eiuſmodi homines in reprobam, ſiue in omnis ſenſus ac iudicii expertem mentem traderentur.

D E his autem quæ per relationem prædicantur, & eam quidem eiuſmodi, vt *ὑφισταμένην ἰδιότητα* deſcribant, aliter ſentiendũ: quoniam, vt aduerſus Praxeam rectè declarat Tertullianus, hæc eſt relatiuorum natura, vt neque eadem, neque alterum abſque altero eſſe poſſint.

Q V A T E R N I T A T E M denique qua tandem fronte nobis imputant? Somniant̃ enim (quod libro 4. ſatis tamẽ obſcurè arguit Hilarius) nos per *οὐσίαν* neſcio quid ſeorſim Patre, Filio ac Spiritu ſancto anterius ſignificare, quod ſit in ſeſe Deus, vt ſit hoc modo quartus quidam cõmunis Deus ad quem tres illæ perſonæ adiungantur, vt ſic quatuor euadant: aut certè tres illæ perſonæ tanquam totius partes illud commune conſtituant.

I L L V D autem commentum quàm ſit inſipidum, vel ipſe ſenſus communis in rebus naturalibus docet. Neque enim per ſe vniuerſalia, quæ vocant, exiſtunt, ſed hypoſtaſes in ipſis ſubſiſtunt. Niſi fortè iſti humanam naturam extra ſua indiuidua tanquam vnum

quidpiam

quidpiam numerent: ita vt ad indiuidua accedens eorum numerum augeat.

ITAQVE ſciant illi nos, quum eſſentiam diuinam nominamus, non communem aliquem ſeu aggregatiuum Deum, ſed id in quo toto & eodem ſingulæ illæ perſonæ ſubſiſtunt ſuis proprietatibus, vt ante diximus, diſtinctæ, animo concipere: & ita quidem vt Trinitatis nomine non vnum communem Deum ſeorſim, ſed tres in vna eſſentia ſubſiſtētes perſonas intelligamus: quia ſicut rectè ſcripſit Gregorius ille Nazianzenus, nec vnam eſſentiam extra illas tres perſonas, nec tres perſonas extra totam illam eandem & vnam eſſentiam animo concipere poſſumus. Hinc etiam factum, vt rectè parens ille noſter beatæ memoriæ D. Iohannes Caluinus, verus huius veritatis aſſertor, precationem illam, *Sancta trinitas vnus Deus*, ſcripſerit barbariem ſapere: quoniam nimirum niſi dextra interpretatione molliatur, quiddam extra tres perſonas ſubſiſtens, aut ipſas tres perſonas componēs innuere videtur, ad illud vniuerſale (quod tamen per ſe extra perſonas non eſt, ſed in quo potius tria illa ſubſiſtunt) inuocationem dirigens.

QVANQVAM aliud ſenſiſſe non dubitamus, qui ſic primi ſunt loquuti. Hoc autem qui ſic arripuerunt vt T.C. ſcribit, magnam optimo viro iniuriam faciunt, & ſuam impudentiam apertè produnt.

SED iam nobis videntur illi poſtulare, vt non rationibus, quas humanas vocant, ſed ex verbo Dei pugnemus. Quaſi verò tres perſonas, vnica numero manente ipſarum eſſentia, conſtituere, philoſophicum ſit commentum.

CAETERVM dum plenum illud à T.C. reſpōſum expectamus, vt ſingula verbi Dei teſtimonia accuratius explicemus, ſemel iſtis opponimus quæcunque pro vno Deo aduerſus deorum multitudinem in Scripturis dicuntur.

ET quoniam Filium & Spiritum ſanctum nō ſecus quàm Patrem adoramus, qui tamen vnū Deū iubemur adorare: idcirco Patrem, à quo tamen, vt principio, manat perſonarum diſtinctio, Filium & Spiritum ſanctum ſigillatim vnicum illum eſſe Deū credimus ac profitemur, qui ſolus eſt adorandus.

SOLVM Iehouam fuiſſe Iſraelis ducem teſtatur in cantico ſuo Moſes: hunc autem apertè nominat Chriſtum Paulus. Itaque non duos, ſed vnum numero Iehouam eſſe fateantur neceſſe eſt, qui ſolus dux fuiſſe dicatur: quamuis alia ſit Patris, alia magni ipſius Angeli perſona.

SED de his aliàs plura, vbi quod à T.C. petimus præſtiterint. Nunc ad T.C. redeamus. Precamur Illuſtriſs. Princeps, vt iſtos huc adigas, vt quam blaſphemiā de pluribus numero diis iampridem in animo habent, apertè tandem eloquantur.

OPORTET, inquam, eos vel vnum eundémque Deum nobiſcum fateri, vel plures ex vno deducere: ac proinde vni vero Deo, & omnibus eius ſanctis execrabiles fieri.

AGE igitur, probent apertè ſuum dogma, quod ex Philopono, Seuero, Damiano, & cæteris infelicis memoriæ monſtris hauſerunt, idque ſi poſſunt vel rationibus, vel ex Scripturis, vel Patrum veteriſque Eccleſiæ conſenſu confirment. Nos viciſſim eandem conditionē accipimus: & niſi tam manifeſtè ipſorum blaſphemiā patefecerimus quàm clarus eſt meridies, tum demū, Illuſtriſs. Princeps, pro pſeudoprophetis haberi ac traduci minimè recuſamus.

HILARIVM vnum præ cæteris laudant, nempe quoniam nihil eo durius nec obſcurius eſſe poteſt: quod tamen nulla ipſius iniuria dictum velimus.

AVGVSTINVM autem ſine controuerſia optimū ac doctiſſimū ſcriptorē, cur tandē non admittunt? nempe quoniam illis eſt ſophiſta: adeò vt Auguſtinianū quendā Deum per ludibriū iactent. Atqui vel vnica iſta vox, Illuſtriſs. Princeps, ſic mentes piorum omnium vulnerauit (ac meritò quidem) vt minimè miremur pios omnes qui nunc iſtic ſuperſunt, ab iſtis non minus quàm ab ipſo diabolo refugere. Quis enim ſano homini perſuaſerit aliter docuiſſe Auguſtinum de Trinitate, quàm Aphricanas Eccleſias? & iſtas rurſus aliter quàm Catholicus conſenſus ferret, ſenſiſſe?

SVNT quidem, fateor, ſui in Patribus næui (quis enim hoc neget?) ſed tales vt fundamentū iſtud ſaluum retineant: quo ſublato, quam fuiſſe illorū fidem, & quā Eccleſiam arbitrabimur?

ITAQVE, Illuſtriſs. Princeps, diſſimulare apud C.T. nec poſſumus nec debemus, inexcuſabiles eſſe quicunque iſtiuſmodi hominibus aditum iſtuc patefecerunt: quum

præſertim & quis homo ſit Blandtata,& quæ infamis ac periuri illius Gentilis impuri ta publicis etiam ſcriptis maturè ac verè ſimul ſimus teſtati.

DEINDE etſi grauis & ardua imprimis eſt iſta quæſtio,tamen eſt ex earum genere, de quibus poſt innumera illa cõtra hæreticos certamina,nõ magis fas ſit quærere,quàm an ſit aliquod numen,& æterna vita,ambigere.

QVòD igitur nunc adeò miſerè non modò impeditur præclarũ illud Domini opus, ſed etiam vniuerſum Poloniæ regnum triſtiſſimis diſſidiis laceratur, dolemus certè ex animo,& aſſiduis cum lacrymis deploramus. Interea tamen iuſtum Dei iudicium, ſic quorundam quos minimè oportuit(quod ſine conuitio dictum ſit) curioſitatem ac vanitatem iuſta excæcatione vindicantis,agnoſcere & adorare cogimur.

IPSIVS autem Regiæ maieſtatis pium ac prudens conſilium de blaſphemis iſtis ex ditione ſua ſemel quaque ratione tollendis, non aliter quàm ſancta illa Ezechiæ, Ioſiæ, Azæ,& piorum aliquot Regum Iudah edicta laudamus ac prædicamus: modò ne hoc prætextu vera religio aſturia quorundam damnetur, & qui ab iſtis faſcinati in errorem abducti ſunt, ab ipſis blaſphemiarum authoribus ac defenſoribus, ſicuti par eſt, diſcernanrur.

PRIVATOS autem fratres,ac imprimis orthodoxos eccleſiarum Paſtores hortamur in Domino,vt ſeditiones ac tumultus ab indiſcreto zelo proficiſcentes pro viribus impediant:& memores non ſibi,ſed Magiſtratui gladium eſſe conceſſum,Spiritu oris Dei, fide, patientia, precibus aduerſus iſtos animarum ſubuerſores indefatigabili labore decertent.

QVOD enim nonnulli quædam D.Caluini verba ex poſteriore ipſius ad fratres Polonos Epiſtola detorſerunt,quaſi ad mutuas cædes eos hortaretur, eſt intolerabilis impudentiæ calumnia.

DENIQVE fortiſſimam illam Polonicam Nobilitatem,ac T.imprimis C.Illuſtriſſime Princeps,quem audimus pietate ac dignitate in Polonico regno excellere,per ipſum Patrem, Filium, ac Spiritum ſanctum vnum Deum noſtrum obteſtamur, vt ſibi ac patriæ ab iſtis vaſtatoribus multò etiam ſtudioſius ac fortius, quàm ab vllis Tartaris ac Moſcouitis caueat: quod ſi fiat,tunc optima & maxima quæque florentiſſimo Poloniæ regno ominamur:quoniam ſcriptum eſt fore,vt Deus honoret à quibus honoratur. Sin minus,quod Dominus pro ſua bonitate auertat, proſpicimus maximo cum animi noſtri dolore futurũ,vt quibus olim cladibus cæleſtis ille Pater horrendas Arii præſertim, Neſtorii,Eutychetis,& aliorum eiuſmodi blaſphemias vltus eſt,iiſdem quoque non diſſimiliter peccantes inuoluat.

HIS autem malis impediendis libenter non tantùm operam noſtram, ſed etiam vitam, Dei gratia freti,impendemus.

QVOD ſupereſt, Illuſtriſſime Princeps, Dominum ac Deum noſtrum precamur, vt afflictæ Eccleſiæ ſuæ miſertus,Satanæ furores compeſcat, omnes Eccleſias, ac Polonicas imprimis,in vero ſanæ religionis conſenſu ſtabiliat ac confirmet, tuámque C. magis ac magis omnibus donis ad tanti regni pacem ac tranquillitatem neceſſariis pergat exornare.Geneuæ,14.Calend.Aprilis,1565.

V.C.addictiſſimi Geneuenſis Eccleſiæ Paſtores ac Profeſſores.

THESES

THESES SIVE AXIOMATA DE Trinitate Perſonarum & eſſentiæ Vnitate, Ex Theod. Bezæ prælectionibus.

VERÆ inuocationis Dei præcipua pars, eſt vera de Deo ſciētia: quia I.
ritè non poſſumus adorare quod neſcimus.

Vera Dei cognitio ex ipſius Verbo petenda eſt, quoniam plenè in II.
eo, nec alibi vſquam ſeſe nobis patefecit ad ſalutem, adeò vt qui de
Deo extra Verbum ipſius ſapit, nihil ad ſalutem ſapiat.

Quum. Deus in ſcriptis Prophetarum & Apoſtolorum non tan- III.
tùm veriſſimè, ſed etiam maximè propriè vocabulis & ſententiis appoſitiſſimis ſei-
pſum mundo patefecerit: danda nobis eſt opera, vt non modò quod ad rem ipſam atti-
net intra Scripturæ fines maneamus, ſed etiam formulas Scripturæ vſitatas mordicus
retineamus.

Fecit tamen hæreticorum importunitas, vt vitandis eorum cauillis aliqua interdum IIII.
vocabula excogitanda fuerint: quod tamen temerè à ſanctis Patribus non factum eſt,
ſed ſumma potius religione, ita vt de Scripturarum ſententia nihil prorſus imminuere-
tur, nec quicquam in verbo Dei nouaretur.

Hæc cauſa fuit, cur olim aduerſus Sabellium Afrum, qui perſonas cum eſſentia con- V.
fundebat, & Samoſatenum Antiochenum, qui Filii diuinam naturam tollebat, vſurpata
ſint Græca nomina *οὐσίας καὶ ὑποστάσεως*: quorum tamen poſteriore vſus etiam eſt author
epiſtolæ ad Hebræos, capite primo: à quorum vocabulorum explicatione ferè pendet
tota de his rebus controuerſia.

Sciendum igitur Patres de diuinis myſteriis loquentes, hæc vocabula à rebus natu- VI.
ralibus eſſe mutuatos, non quòd res tam diuerſas putarent iiſdem vocabulis propriè ex-
poni poſſe: ſed vt imparium rerum aliqua collatione, res diuinas quodammodo noſtris
oculis ſubiicerent, & eos ſuis armis iugularent qui Theologiam in philoſophicas argu-
tias transformabant.

Dicemus ergo quid ſit *οὐσία*, & quid *ὑπόστασις* in rebus naturalibus, quantum quidem VII.
feret præſens argumentum, & poſtea quo reſpectu hæc eadem vocabula ad diuina my-
ſteria transferantur.

Quædam nomina ſunt vniuerſalis & indeterminatæ cuiuſdam ſignificationis, quæ VIII.
pari ratione multis numero differentibus tribuuntur, in quibus commune quiddam con
templamur, quod ineſt quidem pluribus illis rebus de quibus pari ratione dicitur; ſed ta
men extra illas non ſubſiſtit, ſicut etiam illæ non niſi in illo communi ſubſiſtant: vt quū
hominem dico, nihil concipio propriè ſubſiſtens per ſe, ſed communem quandam na-
turam abſque peculiari vlla determinatione mente complector, in qua pari ratione Pe-
trus, Paulus, Timotheus, & ſimilia reliqua ſingularia ſubſiſtunt. Homo igitur eſt vocabu
lum ſignificans *οὐσίαν*, quæ hominis nomine declaratur.

Quoniam autem cogitatio ab illa vniuerſalitate poſtea ad ſingularia & propria quæ- IX.
dam delabitur, per quæ illæ res ſecernuntur, in quibus communis illa notio antea con-
cipiebatur, quæque iſtis proprietatibus circunſcriptæ ſubſiſtunt: idcirco inuenta ſunt e-
tiam nomina iſtis ſignificandis accommodata, vt, Petrus, Paulus, Timotheus, quæ dicun
tur nomina *τῶν ὑποστάσεων*, ſiue *τῶν ὑφισαμένων*, id eſt, rerum ſuis proprietatibus definita-
rum, & in illa ſua communi *οὐσίᾳ* ſubſiſtentium.

Hoc nomen, DEVS, declarat eſſentiam infinitam, æternam, ſua ipſius vi nitentem, X.
omnipotentem, creatricem & conſeruatricem rerum omnium conditarum, atque
adeò in qua omnis perfectio reſidet: & quum Deum nomino, eſſentiam illam intelligo
indeterminatè, quæ communi ratione dicitur de ſuis hypoſtaſibus in ea ſubſiſtentibus.

XI. Hæ res iſtis nominibus ſignificatæ, Pater, Filius, Spiritus ſanctus, ſunt ὑποστάσεις, id eſt, proprietatibus diſtinctæ, & in illa communi æternáque eſſentia ab æterno ſubſiſtentes, quia proprietatibus ſuis diſtinguuntur. Pater enim eſt ingenitus, Filium gignens: Filius ex Patre genitus: Spiritus ſanctus nec gignens nec genitus, ſed à Patre & Filio procedens.

XII. De procedendi & gignendi ſubtiliore differentia nō laboro: & certè qui de hac re litigarunt, inſcitè torſerunt Scripturæ locos, qui nihil ad eam rem faciunt. Nam quod alicubi dicitur Spiritus ſanctus procedere à Patre & Filio, ad manifeſtationem & dona refertur. Sufficiat communem eſſe Spiritum Patris & Filii, ac proinde ad vtrunque referri.

XIII. Quoniam tes creatæ finitam habent eſſentiam, idcirco neceſſariò finitæ ſunt, ac proinde non tantùm ſuis proprietatibus diſtinctæ, ſed etiam re ipſa ſeparatæ ſunt earum ὑποστάσεις. Itaque Petrus, Paulus, Timotheus, quamuis communi ratione dicantur homines: tamen re ipſa non ſunt vnus homo, ſed tres homines, ipſius etiam humanitatis reſpectu. Quoniam enim patres non poſſunt totam ſuam eſſentiam cum filiis communicare, ſed aliquid duntaxat, quod ſeminis rationem habet, ex ipſis excernitur, vnde manat filiorum eſſentia: ideo filii non hebēt eandem illam ſingularem humanitatem quæ eſt in patribus, ſed ſimilem duntaxat, quæ ex illa effluxit, ideóque ſingularis humanitas, vtpote finita, in diuerſis ſubiectis eſſe non poteſt. Idcirco, inquam, omnibus modis tres ſunt, Petrus, Paulus, Timotheus, non vnus.

XIIII. Sed in diuinis longè aliud eſt. Quoniam enim diuina eſſentia infinita eſt, & ſimpliciſſima & æterna, idcirco tres ὑποστάσεις in ea ſubſiſtentes, etſi verè ſunt tres numero, quoniam ſingulæ ſuis incommunicabilibus proprietatibus diſtinguuntur, tamen non ſunt nec dicuntur tres dii, ſicut tres homines: quoniam nec Filius genitus eſt à Patre, nec Spiritus ſanctus procedit à Patre & Filip, aliqua partis reſectione, id eſt, κατὰ μερισμὸν, vt quūm res quæpiam in tria fruſta diuiditur: neque fluxu quodā, hoc eſt, ἀποῤῥοίᾳ, qualis eſt liberorum procreatio ex paterno ſemine: neque productione, id eſt, προβολῇ, vt eſt propago in vitibus: ſed ineffabili totius eſſentiæ communicatione ab æterno, in qua nullum dari punctum poteſt nec principii, nec medii, nec finis.

XV. Vna igitur & prorſus eadem eſt eſſentia gignentis, geniti, & procedentis, quamuis nec Pater qui gignit, ſit Filius genitus, aut Spiritus procedens: nec Filius ſit Pater gignens, aut Spiritus procedens: nec Spiritus Pater gignens, aut Filius genitus. Nec Deus ipſe eſt trinomius, quum re ipſa, non autem nomine tenus ſubſiſtant tres perſonæ in vnâ eſſentia: nec triformis, quoniam proprietates perſonarum non ſunt imaginaria accidentia, quæ adeſſe vel abeſſe poſſint, aut re ipſa, aut cogitatione, ſed verè inſunt perſonis, & illas diſtinguunt: nec etiam aggregatiuus, idque duabus de cauſis: quoniam hæ tres perſonæ ita ſunt diſtinctæ, vt non ſint ſeparatæ: deinde quia in qualiber perſona non eſt aliqua Dei eſſentiæ pars, ſed tota eſſentia, eáque inſecabilis, quia infinita.

XVI. Quod de vnitate & identitate eſſentiæ dixi, neceſſariò etiam intelligitur de communibus eius attributis, vt ſicut vnus Deus eſt, ſic etiam vnus ſit infinitus, æternus, omnipotens, &c.

XVII. Ὁμούσια, ſiue ὁμοούσια, in rebus naturalibus dicuntur indiuidua, quæ in eadem eſſentia ſeu ſpecie conueniunt, vt homo cum homine, brutum cum bruto, ſtirps cum ſtirpe. Eſtque hoc vocabulum diuinis rebus accommodatum ad confutandos Arianos, qui Filium dicebant à Patre, non ex Patris ſubſtantia genitum, ſed ex nihilo factum, atque adeò participatione virtutis, non natura Deum. Aduerſus iſtos igitur conſtitutum eſt Filium eſſe ὁμοούσιον, ſiue ὁμοούσιον Patri: quo tamen nomine ſimilem eſſe eſſentiam Patris eſſentiæ Filii, non ſimpliciter voluerunt dicere, ſicut in rebus naturalibus (ita enim duæ numero eſſentiæ conſtituerentur, ac proinde duo numero dii, quod nefas eſt) ſed potius duo exprimere voluerunt. Vnum, eſſentia non differre Filium à Patre, quoniam non ex nihilo, ſed ex ipſo Patre eſt genitus, idque ab æterno: quod alio nomine συναΐδιον ſignificarunt. Alterum, ita eſſe ex Patre, quatenus eſt Filius, vt ſit vnum cum Patre quatenus eſt Deus, id eſt eſſentiam Filii non eſſe ſecundariam quandam eſſentiam, quæ ab altera primaria ortum ſui habuerit, quod vocarunt hæretici, Ex radice, & hodie quidam Eſſentiationis nomine efferunt: ſed eam ipſam eſſentiam totam,

totam, qua Pater Deus eſt, eſſe, Filium gignendo, à Patre cum illo communicatam, vt Pater & Filius quatenus in vna eadémque eſſentia ſubſiſtũt, ſiue vnius eiuſdémque numero eſſentiæ reſpectu, ſint vnus idémque Deus, quum tamen Pater non ſit Filius.

Meritò igitur damnati ſunt qui Filium vocabant ὁμοιούσιον, id eſt ſimilis eſſentiæ, vt XVIII
qui duas numero eſſentias inſtituerẽt: itémque Ariani reliqui, qui ἑτερούσιον, id eſt alterius eſſentiæ Filium eſſe dicebant: & vt vitaretur eorum fraus qui ex ὁμοουσίου vnica literula interiecta ὁμοιούσιον faciebant, cœperunt Patres ὁμούσιον per Craſin dicere, eadẽ manente ſententia.

Itaque quum Filium dicimus eſſe vnius eſſentiæ cum Patre, perſonas non autem eſ- XIX
ſentiam diſtinguimus: eſtque hoc dicendi genus de communibus eſſentiæ attributis potius quàm de ipſa eſſentia accipiendum: & maximè propriè loquimur, quum Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum vnum eſſe eſſentia dicimus, ſiue vnam eſſe Patris, Filij, & Spiritus ſancti eſſentiam.

Veteres his formulis vſi ſunt, non vt pluralitatem eſſentiarum inueherent, ſed vt in XX
relatione perſonarum, identitatem eſſentiæ oſtenderent aduerſus eos qui Chriſtum factum dicebant ex nihilo, & quidem in tempore. Huc enim ſpectabant iſtæ eorum Arianorum ſententiæ, ἦν ὅτε οὐκ ἦν, & ἐξ οὐκ ὄντων ἐκτίσθη, id eſt, ex non exiſtentibus conditus eſt. Patres igitur addiderunt Symbolo, Deum verum de Deo vero, vt oſtenderent Deũ à quo eſt Deus, id eſt Patrẽ: & Deum qui eſt à Deo, id eſt Filium, ratione eſſentiæ vnum eſſe Deum.

Quum aliqua ſit homonymia inter εἶναι & ὑφεστάναι, id eſt, eſſe & ſubſiſtere: itémque in- XXI
ter οὐσίαν & ὑπόστασιν, id eſt, eſſentiam & ſubſtantiam, adeò vt confuſis iſtis nominibus, à quorum diſtinctione pendet huius controuerſiæ explicatio, magnos errores conſequi neceſſe ſit, quod veterum multorum, & quidem imprimis Hilarij & Hieronymi ſcripta declarant: idcirco Latini Perſonæ nomen pro hypoſtaſi vſurparunt, quod & Græcis ſimiliter placuit.

T. H. B.

Quæſtionum & Reſponſionum

CHRISTIANARVM LIBELLVS,

IN

QVO PRÆCIPVA CHRISTIANÆ Religionis capita κατ' ἐπιτομὴν *proponuntur.*

ORNATISS. VIRO, ERVDITIONE ET VIRTVTE PRAESTANTI, D. Io. C. P. Domino & amico plurimum obſeruando, Th. Beza S. P. D.

EN tibi ἀντίδωρον minimè quidem ἀντάξιον, ſed cuiuſmodi à me proficiſci poteſt, quod tamen eſſe velim meæ in te obſeruantiæ μνημόσυνον, & quaſi ἀγαλμάτιον tibi merito tuo cōſecratum. Cauſam autem huic qualicunque ſcriptioni partim præbuerunt amici diũ varia ex me percontantur, partim ipſemet de multis dubitando veluti accerſiui. Etſi enim illa Academicorũ ἀκαταληψία noſtræ perſuaſioni ex diametro repugnās, ex Eccleſia prorſus explodēda eſt, & inanis curioſitas valde reprehēdenda: in hac tamen humani iudicii imbecillitate iudico dubitare de rebus neceſſariis & vtilibus non tantùm licere, verùm etiam oportere, modò eorum ſimiles non ſimus quos dicere conſueui ſemper quærere vt nunquam inueniant. Hunc igitur & in quærendo & in reſpondendo modum an ſatis ſeruarim, tu pro acerrimo tuo iudicio æſtimabis. Velim enim à te in hoc meum ſcriptũ quàm diligentiſſime & quàm ſeueriſſimè inquiri, vt hoc ſit nouum quoddã referendæ gratiæ genus. ſiquidem ita fiet vt tu quidem à me pro veteribus beneficiis nihil referas, ego verò nouum à te beneficium & quidem ſummum accipiam, quo nimirum & melior & doctior euadam. Bene vale. Geneuæ Idibus Februarii, anno nouiſsimi temporis M. D. LXX.

QVAESTIO.

Prou.16.4 Q*VISNAM in hoc mundo nos collocauit?*

RESPONSIO.

Deus pro ſua ſingulari bonitate.

QV. *Quorſum?*

℞. Vt nos quidem ipſum colamus, ipſe verò vitam æternam nobis tribuendo, glorificetur.

QV. *Quanam eſt verò ipſius legitimè colendi, ac proinde æternæ vitæ conſequendæ, & Dei propriè glorificandi ratio?*

Rom.1.17 Ioh.17.3 ℞. Si talis cognoſcatur & agnoſcatur, qualem ſeſe nobis Verbo ſuo patefecit.

QV. *Quid vocas Verbum Dei?*

Epheſ.2.20 ℞. Id quod Prophetæ & Apoſtoli à Dei Spiritu acceptum in tabulas retulerunt, quem librum ſignificamus Veteris & Noui teſtamenti nomine.

Rom.10.8 2.Tim.3.16 2.Pet.1.20 QV. *Quis eſt igitur illorum librorum auctor?*

℞. Deus ipſe. Deſcriptores aũt, ſiue exceptores eius fuerũt Prophetæ & Apoſtoli.

Act.1.16 1.Cor.1.17.18. &c Matt.1.23 Luc.11.15 Act.6.19 Ioh.5.10.Act.17.11, 2.Cor.4.4.& 4 Ioh.6.44.Act.13.48, Phil.1.29, Act.16.14 QV. *Vnde hoc noſti?*

℞. Res ipſæ quæ in ijs Scriptis tractantur: maieſtas Dei in illa ſermonis ſimplicitate reſplendens: cæleſtis puritas & ſumma ſanctimonia vbique emicans: principiorum quibus ea doctrina nititur, certiſſima firmitas: prædictionum cum euẽtis comparatio, quibuſuis vel maximè repugnantibus hæc ſcripta prorſus eſſe diuina ac cæleſtia, atque adeò perfectiſſimam hanc eſſe Veritatis doctrinam, ſatis ſupérque demonſtrant. Accedit ipſa hiſtoriarum ſeries, & per manus priorum traditum teſtimonium. Cur autẽ hæc

ita

ita nouerim, vt ijs prorſus aſſentiar quæ partim aſpernari & ridere, partim ſic amplecti homines conſueuerunt, vt tamen quid credere ſe profiteantur, minimè norint, id totũ debeo Spiritui ſancto, qui cor meũ aperuit vt hæc arcana auribus & animo perciperẽ.

QV. *Eſtne verò in illis Scriptis cõprehenſum quicquid nobis ad ſalutem credendum eſt?* 1.Tim.3.17

℞. Omnino.

QV. *Quid ergo nos in primis docent ſcripta Prophetica & Apoſtolica credendum eſſe de ipſo Deo?*

℞. Vnam eſſe Dei eſſentiam, tres aũt perſonas, Patrem, Filiũ, & Spiritum ſanctum. Deut.6.4 mat.28.19

QV. *Quid vocas eſſentiam?* Eſſentia Dei, quid.

℞. Naturam tribus illis perſonis communem.

QV. *Quid perſonas?* Perſona, quid.

℞. Eos qui in hac ipſa natura ſubſiſtunt.

QV. *Iſtæ igitur tres perſonæ, ſúntne tres Dii, ſicut tot ſunt homines, quot ſunt perſonæ natura humana præditæ?*

℞. Nequaquam. Sunt enim hæ tres ſingulæ perſonæ, vnus & idem perfectus Deus.

QV. *Quinam?*

℞. Quoniam eſſentia Dei eſt ſimpliciſſima, infinita & impartibilis, ideo tres iſtæ perſonæ non ſunt ſeparatæ vna ab alia, ſed duntaxat diſtinctæ, ita vt Pater non ſit Filius aut Spiritus ſanctus, ſed Pater dũtaxat: nec Filius ſit Pater aut Spiritus ſanctus, ſed Filius duntaxat: nec Spiritus ſanctus ſit Pater aut Filius, ſed Spiritus ſanctus dũtaxat: & ſingulæ illæ perſonæ ſint vnus idémque perfectus Deus, coæternæ, coeſſentiales & coæquales, quanuis ordine (non gradu) primus ſit Pater, qui à nullo eſt: ſecundus, Filius, qui à Patre eſt: tertius, Spiritus ſanctus, qui à Patre & Filio eſt, inenarrabiliter vterque æterna totius eſſentiæ Dei communicatione: ille quidem genitus, hic verò emanans.

QV. *Eſt ſanè, vt video, inexplicabilis abyſſus iſtius arcani.*

℞. Eſt omnino, ſi rationem qua id fiat ſcrutari velis. Sed ita eſſe conſtat ex Verbo Dei expreſſo. Itaque credendum & adorandum eſt arcanum quod Deus patefecit, non autem ſcrutandum quod nobis abſcondit, & cuius capaces non ſumus.

QV. *An ad ſalutem ſufficit iſta de eſſentia Dei cognitio?*

℞. Minimè. Nam inter alia multa quibus quodãmodo nobis Dei natura depingitur, Rom. 8.16,39 ne ſimilem ipſum rebus creatis faciamus, requiritur in primis vt nouerimus quomodo 1.Cor.2.12,16 erga nos ſit affectus. 1.Ioh.4.13 Gal.4.6

QV. *Vt hoc noris, quid in primis conſideras in Deo?*

℞. Perfectam iuſtitiam & perfectam miſericordiam. Exod.20.5,6, & 34.6,7

QV. *Quid vocas Iuſtitiam, quid Miſericordiam?*

℞. Non ſunt iſta in Deo veluti qualitates: ſed per Dei Iuſtitiam, intilligimus vſque adeò integram eſſe Dei naturam, vt ſummè oderit ac ſeueriſſimè vlciſcatur omnẽ iniuſtitiam. Perfectæ verò Miſericordiæ nomine ſignificamus, ex mera inſolidum gratia ipſius prouenire quicquid nobis largitur, ac præſertim æternæ vitæ beneficium.

QV. *Atqui iſta inter ſe non conſentiunt. Quomodo enim ſeueriſsimus vltor eſt eorum quæ ex mera gratia condonat?*

℞. Optumè hæc conſentire patefecit nobis Pater in Filio ſuo, qui pro noſtris peccatis plenè ſatiſfecit, & gratis eſt datus nobis à Patre.

QV. *Non luit igitur pro nobis mortem Pater aut Spiritus ſanctus?*

℞. Neuter ſanè luit, ſed vnicus Filius quem miſit Pater: docet autem & obſignat Ioh.1.14.& 15.26,& 16.13 in nobis Spiritus ſanctus. 1.Ioh.4.13 Rom.8.14

QV. *Nónne Filius eſt verus Deus naturâ, vt & Pater & Spiritus ſanctus, ac proinde ipſa immortalitas?*

℞. Eſt. neque noſter eſſet Seruator niſi Deus eſſet. Mat.1.23 Mat.1.7

QV. *Quomodo igitur mori potuit?*

℞. Homo factus, vt in carne moreretur, qui ſecundum diuinitatem eſt ipſamet æterna vita. Heb 2.9,14 15, gal.4.4

QV. *Atqui Filius eſt Deus immutabilis, quomodo ergo factus eſt homo?*

℞. Non permixtione naturarum vel proprietatum, aut tranſmutatione vlla Dei in hominem, vel hominis in Deum, quorum neutrũ fieri poteſt: ſed tam arcta & domeſtica Ioh.1.14 1.Ioh.1.1 deitatis Filii cum aſſumpta hominis natura connexione, vt Filius Dei iam ſit vnica perſona, verus Deus & verus homo, Ieſus Chriſtus. heb.2.16

QV. *Hæc autem vnio qualis eſt?*

R. Hypoſtatica Græcè, Latinè Perſonalis eſt ac dicitur.

QV. *Deſcribe illam quæſo, vt intelligi ſaltem vtcunque poſſit.*

R. Vniri natura dicuntur, quæ in vnam conueniunt naturam, ſiue id fiat abſque vlla concretione, miſtione, vel conuerſione, vt tres perſonæ diuinæ ſunt vnica ſimpliciſſima οὐσία: ſiue nuda compoſitione, vt anima & corpus, tanquam partes eſſentiales coeunt ad id conſtituendum quod eſt homo: ſiue interueniente aliqua permixtione aut conuerſione, vt in elementorum tranſmutatione, & mixtis rebus euenit. Vniri autem ὑποστατικῶς, ſiue perſonaliter dicuntur, quæ ſic iunguntur vt inde exurgat vna & eadem hypoſtaſis ſeu perſona, ſicut anima & corpus, ſic vniuntur ad conſtituendam vnam naturam humanam, vt in vnam perſonam, ſiue in vnum indiuiduum coeant. Huius generis quoque eſt vnio duarum naturarum in Chriſto, non ad vnum quiddam tertium, ſicut perperam cenſuit Eutyches, ſed ad vnam hypoſtaſin ſiue perſonam conſtituendam coeuntium, abſque vlla vel ipſarum naturarum, vel eſſentialium proprietatum confuſione. Vnionem autem dixi naturarum, non hypoſtaſεων, ne ex duabus hypoſtaſibus vna coaluiſſe exiſtimetur, quum vna ſit in Chriſto ſubſiſtentia, ipſius videlicet Verbi propria, in qua etiam ſubſiſtit altera aſſumpta natura, videlicet humana. Nec enim perſona perſonam, ſed natura diuina, eáque in vnius Filij hypoſtaſi (id eſt quatenus Filius, non autem quatenus Pater aut Spiritus ſanctus in ea ſubſiſtit) naturam humanam propria (vt ita loquar) perſonalitate deſtitutam aſſumpſit. In ſumma igitur, tres quidem in Deo ſunt perſonæ in vna eadémque natura ſubſiſtentes, in Chriſto verò ſunt duæ naturæ in vnam Filij hypoſtaſin coniunctæ: vt tres perſonæ non ſint tres dij, ſed vnus Deus, propter ſimpliciſſimam trium perſonarum in vnam eandémque naturam vnionem: neque ſint duo Chriſti, ſed vnus Chriſtus, propter duas perfectas non hypoſtaſes, ſed naturas: non ad vnam tertiam naturam conſtituendam coniunctas, ſed in vnam Filij hypoſtaſin, in qua vtraque natura ſuſtentatur, vnitas.

QV. *Ne hoc quidem arcanum capio.*

R. Adora igitur rurſum quod non capis. Nam id veriſſimum eſſe tota Scriptura clamat: & niſi ita eſſet, non eſſet nobis Ieſus, id eſt, Seruator, neque Chriſtus, id eſt, vnctus, vt ſummus & æternus Rex, Propheta & Sacerdos noſter.

QV. *An verò Deus alia ratione minus à ſenſibus noſtris remota, hominem ſeruare non potuit?*

R. Potuit ſanè. Sed maximè fuit opportuna hæc ratio declarandæ ſummæ illius tum iuſtitiæ tum miſericordiæ.

QV. *Quomodo?*

Heb. 2.14 Rom. 8 R. Quia ſi vel abſque plena ſatisfactione nos ſeruaſſet, vel ab alia quàm à debitrice natura hanc ſatisfactionem exegiſſet, iuſtitiæ illius ſuæ immemor fuiſſe videretur: ideóque Seruatorem noſtrum decuit hominem fieri. Quòd ſi duntaxat homo fuiſſet, nunquam iram Dei exhauſiſſet: ac proinde neque ſeipſum quidem inde extricare, 2.Cor. 5.19 nedum nos liberare potuiſſet. Ideóque à natura diuina, & quidem vniciſſima, ſuſtentari aſſumptam carnem oportuit. Iam verò quod ad miſericordiam attinet, an potuit vl- Rom. 5.8 lum certius, illuſtrius, diuinius denique teſtimonium edi perfectiſſimæ clementiæ, quàm quòd ſuum ipſius vnicum Filium pro inimicis ſuis tradidit Pater, & Filius viciſſim pro nobis indigniſſimis vltrò animam ſuam poſuit?

QV. *Ita eſt omnino. Sed ánnon fuit inſons ipſe Chriſtus?*

1.Pet. 3.18 Rom. 8.3 Matth. 5.20 R. Maximè. ideóque conceptus eſt ex Spiritu ſancto in virgine Maria, non modò nulla prorſus macula fœdatus, ſed etiam ſumma integritate & puritate donatus in carne. Nam ipſemet alioqui ſeruatore alio indiguiſſet, nec placere potuiſſet ipſius oblatio, imò ne vnire quidem ſeſe Deus huic naturæ impuræ ſuſtinuiſſet.

QV. *An verò ſumma illi iuſtitia conuenıebat, pœnas alieni peccati ab homine innocentiſſimo, imò verò etiam ſanctiſſimo, exigere?*

2.Cor. 5.21 R. Iniuſtus ſanè Pater videri poſſet, ſi Filium vt ſontem percuſſiſſet. Percuſſit igitur non vt ſontem, ſed vt eum qui ſeſe vltrò vadem pro iniuſtis ſiſtere voluit: ideóque Pater nihil à ſua iuſtitia alienum fecit.

QV. *Sed cur apud iudicis tribunal damnatus, & quidem ſupplicio crucis affectus fuit, quum aliter etiam pro nobis mori potuerit?*

R. Vt

℞. Vt eo melius appareret ipſum factum eſſe pro nobis maledictionem, & omnem iram Patris aduerſus noſtra peccata in ſe recepiſſe, vt nos plenè liberaret.

QV. *Sed mors corpori tantùm conuenit: ideóque corpora noſtra duntaxat videtur hac ſua morte liberaſſe. Morimur tamen omnes: ex quo effici videtur nec animarum nec corporum eſſe ſeruatorem.*

℞. Animam quoque vnà cum corpore aſſumi à Chriſto decuit, tum vt mori poſſet (prior enim mors eſt animæ à corpore ſeparatio) tum vt integer homo factus, totos & integros homines liberaret.

QV. *Vis igitur illum etiam pœnas quibus obnoxia ſunt animæ noſtræ pertuliſſe?*

℞. Omnino. Eſt enim hæc vel præcipua perpeſſionum Chriſti pars, quòd præter illos ſummos ſæuiſſimæ mortis cruciatus, horribiliſſimum illud iræ Paternæ pondus noſtra vice ſuſtinuit, quo nihil terribilius eſſe poteſt. Deitate videlicet hactenus per id tēpus in ipſo veluti quieſcente, vt humana aſſumpta natura, quanuis ſub hoc pondere ipſis alioquin Angelis intolerabili non deficeret, tamē totam iram Dei aduerſus omnia omnium electorum peccata inenarrabiliter inflammatam acerrimo ſenſu perciperet, ſentiret, ac denique perferret, quouſque plenè eſſet illi ſatisfactum. Itaque quo tempore in cruce pependit, in mediis etiam inferorum cruciatibus verſatus eſt, vt nos plenè ab vtraque morte liberaret. Gal.3.13

QV. *Atenim ſi venit vt nos à morte liberaret, cur ipſemet mortuus eſt?*

℞. Quoniam alioqui illa ſumma Dei iuſtitia, cui ſatisfieri oportuit, in noſtra redemptione non appareret: & glorioſior eſt etiam idcirco Chriſti victoria, quòd moriendo mortem vicit. Heb.2.14 Oſe.13.14 Eſa.25.8. &c.

QV. *Cur ergo moriuntur etiam electi, ſi mors eſt pro illis à Chriſto ſuperata?*

℞. Quoniā Chriſtus non venit vt nos in eum huius mundi ſtatū reſtituat, quem in Adamo amiſimus, ſed vt nos in longè meliorē immortalitatē transferat: quod fieri nō poteſt quin ex hoc mundo demigremus. Itaq; etſi iſta corporis & animæ ſeparatio, quæ prima mors dicitur, à peccato orta eſt, cuius reliquiæ ſunt in ſanctiſſimis etiam hominibus: tamen ſi Dei conſilium & ſcopū reſpicias, electis propriè nō infligitur à Deo vt iudice, ſed vt à clementiſſimo Patre mittitur, ſuos propius ad ſe euocante: ideóque credētes non modò non perterrefacit, verùm etiam reficit ac recreat. Rom.5.12 2.Cor.5.8

QV. *Cur ergo vis illa ipſius aduerſus mortem protinus ſeſe non exeruit?*

℞. Imò ſtatim ſeſe exeruit, quum nullam corruptionem ſit expertū ipſius corpus. Voluit tamen ſepulturæ ſpatium aliquod dari, tū vt vera ipſius mors, ipſorū quoque hoſtiū fuorū ſigillis cōfirmata, mox ſequuturā ipſius reſurrectionē probaret: tum vt mortem velut in intimum vſque ſuum antrum refugientem victor perſequeretur, adeóque ſepulchra noſtra viuifico ſuæ mortis odore perfunderet. Act.2.24 Mat.27.66 Rom.6.4

QV. *Reſurrectio igitur teſtis eſt quod volens mortem ſubierit, vt immortalitatem nobis pararet.*

℞. Ita eſt: quoniam ſua ipſius virtute reſurrexit nunquam moriturus, vt & nos in eo viuificemur in æternum. 1.Cor.15 Rom.6.10

QV. *Cur autem aſcendit in cælos, ac non potiùs manſit nobiſcum?*

℞. Corpore verò & reipſa migrauit à nobis apud quos erat, ſupra omnes cælos vbi antea corpore non erat: tum vt hoſtibus debellatis triumphans, cæleſtis regni poſſeſſionem primus à mortuis reſurgens iniret: tum vt eò contendere nos doceret vbi nobis locum parauit: ipſe interea ſuo Spiritu præſentiſſimus, Eccleſiam, vt caput coniuncta ſibi membra, gubernans. Ephеſ.4.8 & dein. Ioann.14.2 Col.3.1

QV. *Mutauit ergo locum, vt eò abiret vbi non eſt locus.*

℞. Mutauit ſanè locum, vt hiſtoria teſtatur, & corporis quantumuis glorificati veritas flagitat: ſed ſecundum eam naturam demum mutauit quæ circūſcripta eſt: idque non vt nos deſerat (adeſt enim ſuis nihilominus integra virtute præſentiſſimus, quum ſit verè Deus, & vna perſona ſit Chriſtus, Deus & homo ſimul) ſed vt à terris abductos cæleſtia quærere doceat. Quòd autem locum ibi nō eſſe dicis quò aſcēdit, inanis eſt cōmētatio. Illud ſufficiat, vnicā deitatē eſſe infinitā: cætera omnia, ſiue in cælis, ſiue ſupra cælos, ſiue in terris & abyſſis (nedum quāuis glorificatū, verè tamen humanum corpus) eſſe natura ſui finita & circunſcripta. Quomodo verò in illa æterna gloria cōtineantur, tum nobis liquebit quum & ipſi eò peruenerimus. Mat.28.20

QV. *Videris ergo Chriſtum diuidere, ſiue duos Chriſtos facere, quorum vnus ad-*

ſit, alter abſit.

℞. Chriſtum non diuido, ſed naturarum confuſionem tollo, quum illum ſecundũ carnem abeſſe dico: quem tamen & ſecundum deitatem, & ſi, vt totum quiddam, id eſt, vt vna perſona Deus & homo conſideretur, verè adeſſe dico.

QV. *Quid declarat illius ad Patris dexteram conſeſſus?*

Phil. 2. 9 Col. 1. 9 ℞. Ipſum depoſita, non carnis veritate, ſed omni infirmitate, in eum gloriæ gradũ euectum, qui ſupra omne nomen emineat, carne videlicet iam plenè à deitate, σωματικῶς in ea inhabitante, glorificata, neque tamen in ſui eſſentia, neque in proprietatibus Mat. 28. 18 Psal. 2. 10 Heb. 2. 8. & 9 1. Cor. 15. 27 eſſentialibus abſorpta: & omnia in cælo & in terra (excepto eo qui omnia ipſi ſubiecit) pleno iure adminiſtrante & gubernante.

QV. *Quidnam per eſſentiales proprietates intelligis?*

Luc. 24. 39 ℞. Id quo reipſa ſublato quippiam neceſſe ſit non eſſe amplius quod erat. Sic, exempli gratia, corpus, quantitate adempta, corpus eſſe deſinat neceſſe eſt.

QV. *Atqui Deus eſt omnipotens.*

℞. Quis hoc inficietur?

QV. *Ergo efficere poteſt vt vnũ idémq; corpus vel ſit ſimul multis locis, vel alicubi ſit vt in loco, & alicubi non vt in loco, ſed incomprehenſibili quadam ratione.*

℞. Quin poſſit Deus efficere vt quod eſt non ſit amplius, ſicut effecit vt eſſet quod non erat, nemo niſi prorſus inſanus dubitarit, tantum abeſt vt formas ipſas & qualitates rerum mutare pro arbitrio non poſſit. Efficere verò vt quicquam ſimul ſit & non ſit, aut ſimul tale ſit & tale non ſit, ideo non poteſt Deus, quia mentiri non poteſt. Mentiri verò non poſſe, non eſt infirmitatis, ſed inuariabilis potentiæ ſignum.

QV. *Concludis igitur Chriſtum ſecundum humanitatem à nobis nunc abeſſe.*

Col. 3. 1 ℞. Omnino, & quidem quanto ſpatio abeſt à terris, vbi ſumus, id quod eſt ſupra omnes cælos, quò eſt illa caro euecta.

Ioh. 3. 13 QV. *Dixit tamen ſeſe tunc fuiſſe in cælis, quum in terris Nicodemum alloqueretur.*

℞. Hoc intelligitur, cæteráque eiuſmodi, per *κοινωνίαν ἰδιωμάτων*.

Idioma. QV. *Quid vocas ἰδίωμα?*

℞. Id quod dialectici Proprium quarto modo vocant: cuiuſmodi eſt (exẽpli gratia) infinitũ eſſe ĩ diuina natura, in reb' aũt cõditis omnib', ac præſertim corporeis, τὸ ποσὸν.

QV. *Falſa eſt igitur iſta κοινωνία, quum eiuſmodi proprium deſinat eſſe proprium, ſimulatque commune euadit.*

℞. Hoc poſterius ſimpliciter concedo, illud non item.

QV. *Atqui iſta duo videntur prorſus cohærere.*

℞. Sic igitur rem accipe. Manent cuique in Chriſto naturæ, Deitati videlicet & humanitati, ſuæ eſſentiales proprietates, ita, vti diximus, incommunicabiles: quod niſi dicamus, infinita abſurdiſſima ac planè impia conſequentur. Deitas enim receptis in ſeſe illis humanæ naturæ proprietatibus in humanitatem transformabitur: & contrà, humanitas proprietatum deitatis communicatione fiet factitia quædã deitas, vt neque verus Deus neque verus homo Chriſtus dici poſſit, ac proinde nobis non ſit ſeruator. Itaque neque naturarum neque proprietatum eſſentialium vlla eſt communicatio, & quàm falſæ & impiæ ſunt iſtæ enuntiationes, Caro eſt Deitas, Deitas eſt caro: tã & iſtæ impiæ ſunt & falſę, Caro Chriſti eſt vbique, ſiue, Chriſtus eſt vbique ſecundum carnem: & Deitas Chriſti non eſt vbique, ſiue, Chriſtus non eſt vbique ſecundum Deitatẽ. Et iſtæ igitur falſiſſimę ſunt, Deitas eſt crucifixa, vel mortua: Caro Chriſti eſt infinita. Quãuis autem iſtæ naturæ vnà cũ ſuis eſſentialibus proprietatibus ſint, vt dixi, incõmunicabiles, tamen vnitæ ſunt vſque adeò vt vnũ idémq; ὑφιστάμενον, ſiue vnicã perſonã cõſtituãt. Itaque quàm falſæ ſunt illæ enuntiationes, Deitas eſt caro, &, Caro eſt Deitas, tam

ὁ λόγος. veræ & orthodoxæ ſunt iſtæ, Deus (*ὁ λόγος* videlicet) eſt hic homo, &, Hic homo eſt De', idq; propter vnitatẽ perſonæ, nõ ex naturarũ cõmunicatione quã nullã eſſe diximus (niſi cõmunicationem pro vnione accipias, quod eſt prorſus *ἄκυρον*) ſed ex naturarũ vnione exorientẽ. Nec enim Deus eſt hic homo quatenus eſt Deus, (quod tamẽ conſequeretur ſi naturæ ipſarũ eſſentiarũ eſſent cõmunicabiles) ſed *κατ' ἄλλο*, quatenus videlicet hominẽ illũ ſibi vniuit: neq; hic homo eſt Deus quatenus eſt homo, ſed *κατ' ἄλλο*, id eſt, quaten' eſt Deo vnitus. Quod verò de naturis ipſis dixim', itelligatur quoq; de eſſẽtialibus & pariter incõmunicabilibus ꝓprietatibus. Veriſſimę ſũt igitur iſtę enũtiationes, &

ſimili

ſimili ratione explicandæ, Deus (ὁ λόγος videlicet) conceptus, natus, paſſus, crucifixus, mortuus, ſepultus eſt & reſurrexit, quatenus videlicet hominē ſibi vniuit, non quatenus Deus eſt: & hæ quoque, Homo iſte eſt Filius Dei æternus, infinitus, inuiſibilis, omnia replens, cæteráque eiuſmodi: non in ſeſe, id eſt quatenus homo eſt, nec vlla proprietatum communicatione, ſed quatenus eſt à Filio Dei in vnam perſonam aſſumptus.

QV. *Sed dura & valdè inſolentes videntur iſta loquendi formula.*

℞. Imò ſi præiudicatam opinionem abiicias, valde propriæ ad ſignificandam naturarum vnionem: quæ tanta eſt, vt quod de abſtracto dici non poteſt, putà Deitate vel humanitate, concreto tamen alterutri, putà Deo vel homini, attribuatur: quoniam videlicet ex duabus naturis non eſt facta vna natura, ſed vna perſona. ideóque vnionem quidem in naturis, at non vnitatem, perſonæ verò vnitatem duntaxat ponimus. Inde fit, vt tota hæc perſona, non modò ipſo totius perſonæ, putà Ieſu nomine, vtramque vnitam naturam comprehendente ſignificetur, verùm etiam alterius naturæ (concretè tamen, non abſtractè conſideratæ) putà Filij Dei & Filij Hominis vocabulo intelligatur. Sic quoque Chriſtus, id eſt vnctus, quum ſoli humanæ naturæ propriè conueniat (nec enim Deitas vncta eſt, ſed vnxit) tamen totam perſonam declarat. Vſitatiſſimum eſt autem in omnibus linguis de perſonis ſimili modo loqui, ad declarandam partium vnitionem, ex quibus vnitas perſonæ conſtituitur. Sic iſta locutio maximè propria eſt, Petrus eſt Apoſtolus, toti nimirum perſonæ & ſingulis eius partibus, animæ videlicet & corpori Petri conueniens. Iſta verò, Petrus eſt filius Ionæ, toti quidem ſimul, & vt totum quiddam, id eſt, ſecundum vnitatem perſonæ conſiderato conuenit, at non ſingulis eius partibus. ſed alterius duntaxat, nempe corporis reſpectu: niſi fortè animam quoque vis eſſe à traduce. Similis eſt loquendi formula quum mortalem quempiam aut intelligentem vocamus: quæ toti quidem vt toti propter perſonæ vnitatem, alterius tamen partis duntaxat reſpectu competunt. Imò iſtius perſonalis vnionis tanta vis eſt, vt poſt diſſolutionem quoque illius, ſimilibus formulis adhuc ſit locus, vt ſi dicas, Petrus ſitus eſt Romæ (ponamus enim ita eſſe) vera fuerit enunciatio, corporis tamen vnius reſpectu, quanuis Petrum, id eſt, totam perſonam nomines.

QV. *Cur igitur κοινωνίαν ἰδιωμάτων vocas, ſi communicatio realis naturarum & eſſentialium proprietatum nulla eſt?*

℞. Communicationem proprietatum non vocamus ipſam vnionem perſonalem, aut huius vnionis formam, ſed prædicationem, vt loquuntur Dialectici, quæ fit propter vnionem perſonalem duarum naturarum: in qua proprietas eſſentialis, vel operatio vni naturæ conueniens, tribuitur perſonæ in concreto & non in abſtracto. Hæc autem prædicatio quum vera ſit, veritas etiam illi ſubſit oportet: eodem tamen, nempe totius perſonæ in concreto conſideratæ, reſpectu.

QV. *Rurſum ergo concludis Chriſtum ſecundum carnem verè & reipſa è terra demigraſſe ſupra omnes cælos, ac proinde nunc à nobis qui in terris ſumus, abeſſe.*

℞. Ita eſt, quanuis Chriſtum hominem nobis præſentiſsimum eſſe fatear: ſed κατ' ἄλλο, id eſt, quatenus hic idem homo, Deus etiam eſt. Imò, ſi vis, illud etiam concedam, Chriſti quoque humanitatem adeſſe præſentem: ſed κατ' ἄλλο, id eſt, non in ſeſe ſiue ſui eſſentia, ſed quatenus cohæret hypoſtatica vnione cum τῷ λόγῳ qui eſt vbique, nedum in Cœna reipſa præſens.

QV. *Quid nobis ergo nunc prodeſt Chriſtus ſecundum carnem, ſi ab eo deſerti ſumus?*

℞. Nos verò nequaquam deſeruit, quum etiam ſecundum ſuam carnem glorificatam nunc omnia in cælis & terris adminiſtret, accepto à Patre nomine quod eſt ſupra omne nomen. Hac autem ſua poteſtate fretus, Eccleſiam ſuam in hoc mundo arcana & inenarrabili vi ſua vegetat, fouet & gubernat, ſimúlque in medio inimicorum omnium dominatur: in cælis autem apud Patrem intercedit tantiſper dum vltimus hoſtis, Mors videlicet, penitus profligetur. Ioh.17.1.9 Matth.28.2 Ioh.17.4 Gal.2.20 Epheſ.1.21

QV. *Quanam eſt obſecro iſta interceſsio?*

℞. Intercedit primùm, integritatis & obedientiæ ſuæ perpetuo vigore Patrem nobis placante: deinde, quoniam non niſi in ipſius nomine Patrem rite poſſumus interpellare, adeò vt ſemper medius conciliator inter nos & Patrem interueniat, quò gratum ſit Patri quicquid offerimus. Quod autem nonnulli de Chriſti ſupplicatione & ad genua Patris abiectione ſomniant, inane eſt commētum eorum hominum qui Chriſtum infirmum à glorioſo, cæleſtia denique à terrenis diſtinguere neſciunt.

QV. *Quid ergo de ijs arbitraris qui tam pertinaciter tuentur Chriſtum ſecundũ vtranque naturam mediatorem non eſſe?*

℞. Organa eſſe diaboli cenſeo, ad opus Domini impediendum comparata, quod & ipſa experientia comprobauit.

QV. *Atqui medium eſſe, declarat locum ſummo inferiorem, & minoris eſt apud maiorem eſſe mediatorem. Hinc colligo Arrianos videri qui Chriſtum cenſent ſecũdum deitatem quoque eſſe medium & mediatorem.*

℞. Homines vllos inueniri potuiſſe mirarer in tanta Euangelij luce, qui tam leuibus præſtigiis ſe decipi paterentur, niſi res ipſa declaraſſet nunquam fuiſſe Euangelium Dei recto zelo ſectatos. De præfractis & αὐτοκατακρίτοις loquor.

QV. *Atqui hoc non eſt reſpondere.*

℞. Cogit me rei indignitas in hanc vocem erumpere, quum tam leui atque adeò tam nulla occaſione videam tam multos initiò quidem ad Arrianiſmum, poſtea ad Tritheiſmum, denique ad Samoſateni impia deliria defeciſſe. Agè igitur, ordine de ſingulis quæramus.

QV. *Ergo tibi aliud eſt Medius quàm Mediator.*

Medius aliud à Mediatore.

℞. Omnino. Medius enim ipſam perſonæ qualitatem declarat, qua fit vt inter duo extrema medium quippiam cenſeatur: Mediator verò ſequeſtrem & cõciliatorem declarat. quæ vſque adeò diuerſa ſunt, vt mediator aliquis eſſe poſſit, qui tamen media conditione non ſit, vt quum alios aliis reconciliamus: & contrà, nõ quiſquis medius eſt, ſit neceſſariò mediator.

QV. *Chriſtus tamen eſt tum medius tum mediator.*

℞. Concedo.

QV. *Si medius eſt, quatenus eſt Deus Verbum, ſiue Filius: ergo Filius inferior eſt Patre, quadam videlicet deitate inter ſummam Patris deitatem, & hominum naturam media, præditus.*

℞. Vis ergo Chriſtum ſecundum alteram duntaxat, nempe humanam naturam eſſe medium, aut nullo modo medium eſſe?

QV. *Imò ad illud priùs reſponde.*

℞. Reſpondeo igitur, vtranuis naturam per ſe ſpectes, Chriſtum dici medium non poſſe, quoniam quatenus Deus eſt, ὁμοούσιος eſt Filius Patri: quatenus autem homo eſt, ὁμοούσιος eſt reliquis hominibus. Itaque vt quiſpiam eſſet hac ratione medius, natura quadam media conſtare ipſum oporteret, qua nec ſummè Deus, nec infimè homo eſſet: quod dari nullo modo poteſt.

QV. *Sequetur ergo Chriſtum ſi neutrius naturæ reſpectu medius eſt, nullo modo medium eſſe.*

℞. Non ſequetur ſi naturas, ita vt faciendum eſt, non per ſe, vt iſti turbatores Eccleſiarum ſolent, ſed coniunctim in vnam eandémque perſonam vnitas conſideres. Eſt ergo medius Chriſtus vnus, quia ſic Deus eſt vt ſit homo, ac proinde Deus Patre inferior κατ' ἄλλο, nempe propter aſſumptam ſerui formam: & ſic homo vt ſit Deus, ac proinde ſupra ipſos Angelos, nedum ſupra homines eminens, ſed κατ' ἄλλο, nempe propter formam Dei aſſumentem. Medius eſt ergo ſecundum vtranque naturam perſonali vnione coniunctam: ſecundum alterutram verò per ſe conſideratam, nequaquam. Nam in Chriſto eſt quidem Aliud & Aliud: Alius verò & Alius non item.

QV. *De Mediatoris autem officio quid ſentis?*

℞. Idem proſus atque de Medio. Iſta enim in Chriſto penitus cohærent, quum factus ſit vnione naturarum medius, vt eſſet inter Patrem & homines mediator.

QV. *Ergo ſecundum neutram naturam per ſe conſideratam Mediator fuit Chriſtus?*

℞. Omnino. quia neque λόγος abſque iis quæ in carne peracta ſunt, homines Patri reconciliauit: neque rurſus hic homo victor ipſe euaſiſſet, nedum vt noſter eſſet liberator, niſi vnus & idem, homo ſimul & Deus fuiſſet. Hoc tamen intereſt, quòd ὁ λόγος vſus eſt hominis aſſumpti opera non ex neceſsitate, ſed ex mera voluntate. Hominem verò neceſſariò oportuit hanc efficacitatem ab aſſumente Dei natura mutuari. In hoc igitur mediationis, id eſt, reconciliationis opere, quædam opera toti perſonæ, id eſt vtrique ſimul operanti naturæ, quædam diſtinctè deitati, quædam diſtinctè humanitati tribuuntur: ſed in ſumma, neutra per ſe natura fuit mediatrix.

QV. *Sed quidnam credemus de interceſsionis officio? Nam certè inferior eſt qui apud*

alium

alium intercedit.

℞. Hoc verò falſum eſt. Quid enim obſtat quominus æqualis æqualem, adeóque ſuperior inferiorem pro alio interpellet? Nec ſanè conſequeretur Filium eſſe minorem Patre, etiamſi has partes in ſe vltrò, etiam abſque vlla aſſumpta carne, recepiſſet. Iam autem oſtendimus quæ de interceſſione Chriſti ſcribuntur, ad iſtam huius mundi imperiis & gradibus conuenientem rationem accommodari minimè oportere. Præterea quomodo vnionis naturarum reſpectu ὁ λόγος inter Patrem & nos ſit medius, & ratione officij habita, ſit inter Patrem & nos mediator, modò declarauimus.

QV. *Aiunt etiam videri deitatem apud ſemetipſam intercedere, ſi Chriſtus quatenus etiam Deus eſt, interceſſor dicatur.*

℞. Aiunt quidem, ſed admodum imperitè. Etſi enim in Filio, vt & in Patre & Spiritu ſancto, tota perfectáque eſt deitas, vtpote impartibilis: tamen hanc deitatem in perſonis non niſi relatiuè conſideramus. Itaque poſito, quod veriſſimum eſt, Chriſtum etiam ſecundum deitatem humanæ naturæ aſſumptæ vnitam intercedere apud Patrem pro nobis, non efficietur eum apud ſeipſum intercedere, quum alius ſit Pater, alius Filius, hypoſtaſibus verè diſtinctis: quãuis, ſi eſſentia abſolutè conſideretur, Pater & Filius ſint vnum, vnúſque Deus. Nam ſicut in Chriſto incarnato eſt Aliud & Aliud, non autem Alius & Alius: ſic in Deo eſt Alius & Alius, Aliud autem & Aliud non item.

QV. *Quid cenſes de Angelorum & mortuorum Sanctorum inuocatione?*

℞. Impiam eſſe idololatriam.

QV. *Poſſunt tamen Angeli & Sancti mortui ab ijs inuocari qui nulla idola fabricari ſuſtineant. Deinde diſtinguendi ſunt qui veros & beatos Angelos, aut verè piorum & ſanctorum hominum ſpiritus inuocant, ab ijs qui colunt fictitia numina, id eſt dæmonia, & eos qui ipſorummet confeſſione, etiamſi dij eſſent, tamen eſſent ſceleratiſſimi.*

℞. Fateor non modò imparia eſſe peccata, ſed etiam eiuſdem peccati reos, non eſſe pariter reos. Sed qui grauiùs peccat, leuiùs peccantem non eximit peccatorum numero. Itaque hoc totum ſinamus, de quo nunc à nobis non quæritur. Idola parit manus, concipit inanis phantaſia. Itaque ſunt iſti quoque idololatræ, quorum idolum tãquam informis fœtus in phantaſiæ vtero deliteſcit: nec vllum eſt tertius idoli genus, vtpote quod in ipſis animi penetralibus ſit collocatum. Ioh 19.11 Matth.21.20

QV. *Sed cur idololatriam vocas quod bona ratione nititur?*

℞. Apage rationem quæ non modò Dei verbo non innititur, verùm etiam planè repugnat. Quanquam ſanè quid bonæ rationis afferri poſsit ad tam craſſam impietatem confirmandam, non video.

QV. *Quid hoc ſit rei, quæſo vt paucis demonſtres.*

℞. Abſentem inuocare, cui ſignificare animi tui ſenſum non poſſis, extremi ſtuporis eſt. Exiſtimare verò mortuorum ſpiritus vel vbique præſentes eſſe, vel, vt abſentes ſint, neque verba exaudiant, tamen mentis cogitata perſpicere: hoc, inquam, vtrunque manifeſtum eſt idololatriæ ſcelus: ſi modò idololatria eſt, quod vni Deo proprium eſt, ad rem creatam transferre. Quod autem excipiunt, ſpiritibus Sanctorum petitiones noſtras à Deo patefieri, aut eos in neſcio quo mirifico Trinitatis ſpeculo res ſingulas intueri, quàm facile eſt dicere, tam facile eſt vt ſtultum & craſſum commentum repudiare. Iam verò quod ad Angelos attinet, audimus quidem eorum miniſterio vti Dominum ad ſuos protegendos: nec dubium eſt quin prout illis mandatur, ſuo munere fungantur, de piorum ſalute ſuo modo ſoliciti. ſed quid hoc ad inuocationem? Quomodo enim id fiat in fide, quum neque quando veniant aut diſcedant, adſint aut abſint, nouerimus: neque vllum hac de re verbum aut exemplum in ſacris literis inueniatur, imò ne externam quidem adorationem religioſam Angeli admiſerint? Denique quum nullus ſit prorſus ſiue potentia ſiue charitate erga nos conferẽdus cum Chriſto Deo & homine ad Patris dextram ſedente, vt pro nobis intercedat vnicus Dei & hominum mediator, vnde tandem niſi ex manifeſta diffidentia orta eſt ſubordinatorum interceſſorum turba? Quod verò de charitate non excidente à nonnullis inculcatur, etſi verum eſt, tamen vſque adeò abſurdè applicatur probandæ mortuorum inuocationi, vt ne refutatione quidem indigeat.

QV. *Precamur tamen alij pro alijs, & alij aliorum preces flagitamus, ipſo Apoſtolo nobis exemplo ſuo præeunte. Ergo poſtulare alterius quam Chriſti interceſſionem, non detrahit* 1.Theſſ.5.

vnius mediatoris officio, cui non dicitur Ora pro nobis: ſed, Miſerere nobis.

℟. Primùm, conſtat iſtius Angelorum & mortuorum inuocationis defenſores, in-
tra metas iſtas ſeſe minimè continere, ſed opem eorum in periculis & difficultatibus nõ
aliter petere, quàm à ſuis olim numinibus infra Iouis ſolium collocatis manifeſtiſsimi i-
dololatræ factitabant. Deinde mutuas preces petere inter ſe eiuſdem corporis membra,
tantiſper dum in hac vita alij alios de rebus noſtris certiores facere poſſumus, non eſt ſa-
nè homines inuocare, aut Chriſto mediatores ſubordinare, quod illi faciunt: ſed potiùs
vnà cum fratribus in eiuſdem mediatoris nomine communem Patrem inuocare, quæ
συμπάθεια gratiſſimum eſt Deo ſacrificium.

Rom.8.26 QV. *Sed ipſe Spiritus ſanctus dicitur pro nobis ἐντυγχάνειν.*

℟. Nempe quoniam nos ingemiſcere & rite precari docet, quemadmodum etiam
Rom.8.15 clamare ab eodem Apoſtolo dicitur.

QV. *At quis tandem erit iſtius interceſsionis Christi finis?*

℟. Nunquam ſanè, ne tum quidem quum apparuerit quod ſumus, cum Deo cohæ-
rebimus, niſi medij & mediatoris, adeóque capitis noſtri Ieſu Chriſti interuentu: cuius,
hac quidem ratione, æternum eſt regnum & æternus Pontificatus. Ceſſabit tamen tota
hæc regendæ & gubernandæ Eccleſiæ ratio, poſtquam nouiſsimo hoſte abolito, Morte
videlicet, & electis omnibus cum ſuo capite in æternam vitam aſſertis, Deus erit omnia
in omnibus.

1.Cor.15.28 QV. *Atqui hoc regnum Paulus dicit Patri tribuendum, Christum autem ſubijciendum.*

℟. Paulus Chriſtum, vt Filium quidem, ſed in carne manifeſtatum, & cum ſuis mẽ-
bris coniunctum cõſiderans, deitati ſummam gloriam meritò tribuit, tunc maximè do-
mitis omnibus hoſtibus patefaciendam. Subiectio verò iſta inferius quidem aliquid ipſa
deitate demonſtrat (nec enim vnquam creatura, ne in Chriſto quidem exæquabitur
creatori) ſed tamen ſummam ſecundum eam quæ deitatis propria eſt, beatitatem decla-
rat in eo poſitam, quòd Deus nos quidem vnà cum noſtro capite, quatenus homo eſt,
pro fidis & charis ſubiectis agnitos ſummè tunc demum beabit, reliquos autem vt re-
belles æternis pœnis plectet.

2.Tim.4.1 QV. *Sed quòd vltimo illo die dicitur venturus vt iudicet viuos & mortuos, difficulta-*
1.Pet.1.9 *te non caret. Iudicium enim mox conſequi ſingulorum tum piorum tum impiorum ex hac vita*
Luc.16.19 *diſceſſum, ex plurimis Scripturæ locis, ac præſertim ex diuitis illius epulonis ſiue hiſtoria ſiue*
parabola liquet.

Luc.16.9 & 23.43 ℟. Iudicium vel præiudiciũ potiùs iam tum exequitur Deus aliquatenus, adeò qui-
Act.7.60 dem vt à piorum ſpiritibus à Chriſto capite ſuſceptis deguſtari æternæ vitæ felicitatem,
Phil.1.23 & viciſsim ab impiorum ſpiritibus horrores æternæ mortis percipi minimè ſit dubitan-
dum. Sed prænterquam quòd illud præiudicium animas duntaxat reſpicit, corporibus ad-
Matth.25.31 huc in puluere dormientibus plena iudicij declaratio & exequutio qua toti homines vel
æternæ vitæ compotes fient, vel in æternos cruciatus mittentur, in vltimum illum re-
ſurrectionis diem differtur.

QV. *Mortuos igitur eos intelligis non qui mortui tunc erunt quum iudicabuntur, ſed*
qui priùs mortui tunc reſurrexerint. Quóſnam igitur viuos intelligis, mortuis illis oppoſitos?

1.Theſſ.4.5 ℟. Quos tunc adhuc in hac vita ſuperſtites Chriſtus in altero illo ſuo eóque glo-
1.Cor.15.51 rioſiſſimo aduentu deprehendet: quibus etiam ſubita in alterum futuræ vel mortis æter-
næ, vel ſempiternæ vitæ ſtatum commutatio vice mortis & reſurrectionis erit, vt Apoſto-
lus docet.

QV. *Quomodo æterna morte damnati dicuntur, qui tamen & ipſi nunquam morituri*
reſurrexerint?

℟. Quia viuere in tam horrendis & inenarrabilibus animi ſimul & corporis crucia-
tibus, non vitæ, ſed mortis potiùs nomen meretur.

QV. *Sed reſurrectio nónne eſt in genere ex Dei benignitate, & quidem in Chriſto, qui eſt*
primitiæ reſurgentium?

℟. Sicut in Filio Pater omnia condidit, ita etiam in eodem, id eſt interueniente e-
1.Cor.15.21 iuſdem potentia, vitam recipient etiam impij. Sed vitæ benedictio malis, vt & cætera o-
mnia, in maledictionem cedit. Non igitur reſurgent impij reſurrectionis Chriſti benefi-
cio ac virtute (cohæret enim hæc reſurrectio indiſſolubili nexu cum vita beata, ideóque
ſoli credentes & Chriſto verè inſiti, fiunt eius participes) ſed Filij vt iudicis poteſtate &
Gen.2.17 & 3.19 authoritate, qui quum ſententiam illam de vtraque ac potiſſimùm æterna morte pro-
nuntiaret

nuntiaret aduerſus humanum genus, iam tum (exceptis quos ipſe ſeruaturus erat à mor-
te) homines damnabat reſurrectionis pœna. Quomodo enim æterna eſſet pœna malo-
rum, ſicut omnino futura eſt, ſi corpora eorum perpetuò manerent in puluere, omnis ſen
ſus expertia?

QV. *Verùm quum corpus per ſe non moueatur, ſed ſit duntaxat animæ inſtrumentum, videtur æquum fuiſſe vt tota vel peccati pœna, vel iuſtitiæ gloria in animabus hæreret.*

℟. Contradicit tota Scriptura quoties reſurrectionis meminit, quæ certè animabus 1.Cor.15.35
propriè non competit. Deinde quanuis non per ſe peccet corpus, peccat tamen totus ho-
mo, ideóque totus iure punitur. Chriſtus autem non eſſet integer redemptor, ſi corpora 1.Theſſ.5.23
ſuorum in putrefactione deſereret: nec indiguit corporis aſſumptione, ſi ſolas animas Heb.2.14
noſtras liberaturus veniſſet.

QV. *Sed cuiuſmodi tandem erit illa vita æterna, & illa quoque mors ſempiterna?*

℟. Fruſtrà quidam hæc ſcrutantur: non modò quia damnanda eſt curioſitas ad ea quærenda impellens quæ Dominus nobis adhuc abſcondit, verùm etiam quia extremæ eſt dementiæ id velle comprehendere cuius non ſis capax. Illam verò beatitatem ſi capere nunc poſſemus, iam eſſemus quodammodo ipſius compotes, quum intellectus re intellecta hactenus ſaltem fruatur quatenus eam intelligit. Nec aliter de pœnis æternis exiſtimandum eſt, quarum vel tenui apprehenſione homines interdum ad deſperatiõnem & horrenda facinora ferri videmus. Quòd ergo nondum pleniùs intelligunt horrorem ignis illius æterni, patientiæ Dei tribuendum eſt, adhuc iram differentis. Quæramus igitur potius qua via illuc perueniatur, vt vitæ viam teneamus: & in iis acquieſcamus quæ nobis Dominus his de rebus Verbo ſuo patefecit, tantam videlicet futurã piorum quidem fœlicitatem, impiorum autem miſeriam, vt neutra nunc à nobis, qualis & quanta quidem eſt, comprehendi poſſit.

QV. *Quænam eſt igitur ad vitam æternam via?*

℟. Chriſtus ipſe, vt ipſemet teſtatur: nec aliud iter eſt quod ad vitam ducat. Ioann.14.9

QV. *Atqui non omnes viuificat.*

℟. Fateor, ſed eos demum qui hanc viam ineunt. Inire autem hanc viam, eſt credendo ſeſe Chriſto adiungere, atque adeò quodammodo ſeſe illi incorporare.

QV. *Quidnam autem Fidem vocas?*

℟. Fidem qua diſtinguuntur Filij lucis à Filiis tenebrarum, non ſimpliciter vocamus illam notitiam ipſis etiam dæmonibus communem, qua fit vt quis agnoſcat vera eſſe quæcunque in ſcriptis Propheticis & Apoſtolicis continentur: ſed præterea firmam animi aſſenſionem illius notitiæ comitem, qua fit vt ſibi quiſpiam peculiariter applicet
vitæ æternę in Chriſto promiſsionem, perinde ac ſi iam eſſet illius plenè ac reipſa cõpos. Rom.8.17

QV. *Hanc Fidem naturáne nobis ſuppeditat, an gratia, an verò partim natura, partim gratia?*

℟. Mera Dei regenerantis gratia.

QV. *Annon verò Dei notitia & κοιναὶ ἔννοιαι inſunt hominis quãtumuis corruptæ naturæ?*

℟. Inſunt profectò, ſed vt magnificentiſsimi ædificij rudera. Deinde hoc dico, fidẽ
hanc non eſſe in notitia naturali ſitam, ſed adiicienda eſſe quæ præterea Deus mundo Matth.16.17
peculiariter per Prophetas & Apoſtolos patefecit, de quibus ne ſuſpicari quidem caro Ioan.1.13 & 11, & 19.27.23
& ſanguis vnquam potuiſſet. Poſtremò & illud eſt obſeruandum in quo veluti ſpecifica 1.Cor.2.9
differẽtia fidei ſita eſt, quòd videlicet promiſſionem de vita æterna in Chriſto ſibi quiſ-
que credens peculiariter applicet, quod teſtimonium Scriptura πληροφορίαν vocat. Col.2.2

QV. *Digrediamur paululum, obſecro, & de corruptione hominis diſſeramus. Quæro igi-* 1.Theſſ.1.5
tur in primis quid eſſe corruptum in natura humana arbitreris: deinde quænam ſit illa corruptio, ac poſtremò quod ſit aduerſus illam remedium.

℟. Ad primum quæſitum reſpondeo, corruptum eſſe totum hominem, adeò quidẽ Ioan 3.6
vt quod dicit Paulus, nos mortuos eſſe in peccatis noſtris, de ſingulis partibus hominis Epheſ.2.5
ſit intelligendum.

QV. *Num hæc corruptio eſſentiam ipſam attingit?*

℟. Attingit ſanè quod ad corpus attinet, idcirco etiam mortale factum. De anima verò aliter ſentiendum eſt.

QV. *Quamobrem?*

℟. Quia corruptio corporis compoſiti tantùm diſſolutionem affert rei compoſitæ, non autem peremptionem eorum ex quibus componitur, ideóque ſine noua creatione

inſtaurari poteſt. Animæ verò eſſentia corrumpi non poſſet quin protſus perimeretur.

QV. *Quidnam ergo de huius corruptione ſentiemus?*

℞. In qualitatibus eſſe corruptam, quas, docendi gratia, nunc duas conſtituo, nempe Intelligentiam & Voluntatem.

QV. *Qualitates ergo in anima conſtituis?*

℞. Sanè, ſed ſpirituali & ſimplici naturæ conuenientes: alioqui ſi anima ſiue ſpiritus nihil aliud quàm eſſentia eſt: agè, tot ſecundarios deos conſtituamus quot ſunt animæ humanæ. Sed vt ſpinoſas multas Scholaſticorum quæſtiones ſemel vitemus, ſcito me vnicam in homine animam ponere, quoniam plures conditas non lego; & vnicum corpus à pluribus animabus animari abſurdum eſſe iudico. Deinde per qualitates animę duo intelligo: primum videlicet facultates ipſi animæ inſitas, quas non minùs ab ipſo animæ ſubiecto diſtinguendas dico (diſtinctione tamen quæ ſpirituali naturæ cõueniat) quàm attrahendi ferri vis à magnetis ſubſtantia diſtinguitur: deinde, iſtarum facultatū

Gen. 1. 31 quas duas eſſe dixi, integritatem, ſiue rectitudinem, ſiue, vt loquitur Moſes, bonitatem.

QV. *Atqui quum hominis lapſus nunquam poſſit ſatis grauiter intelligi & deſcribi, videntur ſuperficiarium quoddam malum & quod cute tenus hæreat, arbitrari originis vitium, qui in accidentibus ſiue qualitatibus duntaxat illud ſitum eſſe dicunt.*

℞. Hominum ineptorum ſunt iſtæ cogitationes, nec aliter olim quibuſdam impoſuit Satan, qui ad ſuæ ſtultiſſimæ rationis normam voluerunt Chriſtiana dogmata inflectere. Per qualitates illas intelligimus non accidentia quædam extranea & ſuperuenientia, ſed quæ rei ipſi naturâ hæreant, & tamē ab ipſa eſſentia & quaſi materia cui inſunt, ſecernantur non reipſa, ſed ratione vel cogitatione.

QV. *Ais igitur in ſumma, corruptas eſſe animæ qualitates, non eſſentiam.*

℞. Aio, & contrarium dogma dico eſſe certum & apertum ad Epicuræiſmum iter, id eſt ad mortalitatem animæ adſtruendam: quoniam poſita eſſentiæ ipſius vel leuiſſima corruptione, neceſſe ſit rem ipſam interitui obnoxiam confiteri. Deinde corruptio ſi eſt totius animæ, tota ſtatim interierit neceſſe eſt: ſin verò partis, quînam diuiſio partium in ſimplici eſſentia, cuiuſmodi eſt anima, ſtatuetur? Itaque iſtius tam abſurdi & tam impij dogmatis auctorem inſignitet inſanire oportet, nec minùs excæcatos eſſe qui aures illi præbent.

QV. *Iſtum mittamus, eorum videlicet delicias in quos iuſta ſua iudicia Dominus exercet. Nunc, agè, quænam iſta ſit corruptio, declara.*

℞. Nec Intelligentia nec Voluntas ſublata eſt, vt modò dixi, quoniam periiſſe, aut planè humanam amplius nullam animam extitiſſe ſublatis illis, oporteret. Sed ita læſa eſt vtraque hæc facultas, vt vbi limpidiſsimum eſſe oportuit intelligentiæ oculum (qualis etiam erat ante lapſum) in Diuinis rebus nimirum, & quæ rectam conſcientiam attingunt, partim protſus nihil videat, ne ipſius quidem Conditoris luce oblata, ſicuti videre eſt in præcipuis veræ religionis placitis, quæ non faſtidit modò, verùm etiam vt abſurda & falſa totis viribus oppugnat humana ratio: partim ſi quid videt, perobſcurè videat (cuiuſmodi nonnulla nemo eſt qui non habeat animo innata: nonnulli verò conſiderandis ſublimioribus rebus intenti, plura deprehenderunt) adeò vt ſtatim illæ qualiſcunque

Rom. 1. 20 lucis ſcintillæ ad hoc ipſum relictæ vt homo ſit prorſus ἀναπολόγητος, hominem in ipſo veritatis veſtibulo deſtituant, nedum vt hac face præeunte ad ipſum vſque ſacrarium veritatis perueniat. Iam verò quod ad æquitatem inter homines colendam attinet, etſi paulò minùs hebes eſt in his rebus humanæ mentis acies, ita videlicet iuſtum ſuum iudicium moderante Deo, vt humani generis ſocietas ex qua Eccleſiam colligit, eò faciliùs conſeruaretur, mox alioqui interitura ſi, prout merebatur hominis lapſus, omne æqui & iniqui, virtutis & vitij diſcrimen è mentibus hominum ſublatum eſſet: tamen magnam eſſe tum in ipſis theſibus, tum præcipuè in hypotheſibus dijudicandis hominum cæcitatem manifeſtè conuincunt repugnantiæ non modò in vulgi opinionibus, vbi quot capita tot ſenſus, verùm etiam in ſapientiſſimorum philoſophorum & legiſlatorum ſententiis, in quibus conciliandis iampridem ſeſe fruſtrà multi fatigarunt. Iam deſcendo ad alteram animi facultatem, quæ ſedes eſt affectuum. Eam verò quum ab intelligentia vt ab

Rom. 7. 19 auriga regi oportuerit, quoties tamen præceps illam rapit? neque id mirum, quum & ſpiritum interdum ipſum abripiat. Omitto ἀταξίαν omnium naturalium affectuum, quod malum aliquatenus videt & damnat intelligentia repugnans, vna verò Dei lex prorſus

Rom. 7. 8. & 9 detegit. Ad illam verò caliginem qua obtenebrata eſt & intelligendi & volendi facul-

tas

tas,accedit aliud etiam deterius malum,quod illa quidem haurit mendacium,& Dei ſapientiæ vltro reluctatur etiam conuicta: iſta verò tota ad vitium etiam contra qualeſcunque illas rationis reprehenſiones vltro fertur, nec quicquam rectè vel appetere vel fugere poteſt,tota videlicet peccato mancipata.

QV. *An igitur ſtipites ſumus?*

℞. Minimè:neque enim vel intelligendi vel volẽdi facultate hominem ſpolio, quũ & cæcam & peruerſam eſſe dico ipſius intelligentiam ac voluntatem.

QV. *Ergo liberum arbitrium tollis.*

℞. Si liberum vocas ſpontaneum, tantum abeſt vt id tollam, vt contrà totum animum ad malum vltrò ac ſponte ferri dicam. Sin liberum vocas quod ex ſeſe vel tantillum poſſit ad alterutrum,id eſt ad verè bonum etiam inclinari,hoc planè inficior,totius Scripturæ teſtimoniis penè infinitis fretus,& perpetua experientia edoctus:quum ne vnum quidem in tanto hominum numero proferre poſſis,(exceptis Sanctis) qui verè bonum cognouerit,nedum appetierit. Rom.3.9

QV. *Quo loco igitur Philoſophicas virtutes ponis?*

℞. Primùm dico veras virtutes pleraſque ne in mentem quidem philoſophis non Chriſtianis veniſſe: deinde eas ipſas quas cognouerunt non ſatis plenè ab eis deſcribi: denique ne philoſophicis quidem virtutibus vllum vnquam præditum hominem abſque regeneratione vllo ſeculo repertum.

QV. *At certè philoſophicæ virtutes peccata non ſunt.*

℞. Imò peccata,ſi peccatũ eſt *ἀνομία*, id eſt, quicquid à lege Domini vel minimùm aberrat. Ioan.14

QV. *Atqui poſita peccandi neceſsitate (poni autem neceſſe eſt ſublata conſultatione & electione) peccatum potiùs tollere videris.*

℞. Falſa eſt hæc conſequutio multis modis: Nec enim neceſſitas excuſat à ſcelere,ſi quis vltrò in eius compedes ſeſe cõiecerit. Iſta verò neceſſitas de qua nunc ago,nõ à natura eſt,ſed à voluntario hominis lapſu. Deinde neque deliberationem, neque electionem tollo,ſed hominem non regenitum dico non poſſe non malè deliberare,non poſſe non malè eligere:propter penitus corruptam & intelligendi & volendi facultatem.

QV. *Sed ridiculum videtur arbitrari aliquam eſſe electionem,niſi mediam illam inter bonum & malum ſtatuas.*

℞. Imò ridiculum eſt quod dicis. Aliqua enim eſt etiam inter malum & malum electio. Itaque tum quoque quum ſuadet ratio quod minùs malum eſt, voluntas verò vel quod deterius eſt amplectitur,vt plerunque ſolet,vel à ratione ſe regi ſinit,eligit profectò,ſed ſemper malè.

QV. *Imò rationis non eſt malum ſuadere.*

℞. Ita quidem illa ſibi perſuadet. Malum enim ſpeciem boni induit vt rationi probetur. Sed vera dignoſcendi boni regula ex Dei Lege petenda eſt, non autem ex corrupta hominis intelligentia. Ergo illud etiam quod homo ψυχικὸς (vt loquitur Apoſtolus) bonum eſſe putat,& tanquam bonum appetit,à Spiritu Dei malum dicitur,vt à verè bono ſemper aliquo modo deflectens. Nam certè quod ex tam impura cloaca promanat, etiam ſi non tam ſordidum eſt interdum quàm ipſæ meræ illius ſordes, tamen impurum ſit oportet. 1.Cor.2.14

QV. *Adhuc non intelligo quomodo liberum dicatur quod neceſsitate ad vnam tantùm partem feratur.*

℞. Memineris igitur differre Coactionem à Neceſsitate, quoniam neceſſaria ſimul & voluntaria multa ſunt, cuiuſmodi ſaltem fuiſſe Chriſti mortem non negabis: coactum verò ſimul & voluntarium eſſe nihil poteſt, ne in iis quidem quæ vellemus nolle, vt quum nautæ iacturam faciunt. Deinde vide quæſo paulò propius quomodo libertatem definias. Vter enim tibi pleniùs liber videtur, an qui in eo ſtatu eſt vt vel liber vel ſeruus eſſe poſsit, an verò qui tam liber eſt vt nullo modo de ſeruiendo ne cogitare quidem poſsit? Certè ſi liberum arbitrium id demum agnoſcis quod vel ad bonũ vel ad malum ferri poteſt,& Deum & Angelos,& nos ipſos poſtquam erimus in cælũ recepti,iſta libertate ſpoliaueris. Imò de hoc quoque ambigi poſſe videtur. Fueritne ante auditũ Satanã homo ille primus eo arbitrio præditus quo in vtranuis partẽ deliberaret. Qui enim cadere potuit malũ in deliberationẽ, quod nondũ in mundũ introierat? vt mihi quidem Adam antea videatur ad vnicum bonum ſponte toto animo & corpore

contendiſſe abſque vlla prorſus contraria cogitatione vel diſceptatione, nedum περισπάσει: quæ omnia in humanum ingenium inuexit Satan, introducta in nobis concupiſcentia. Itaque verè arbor illa cognominata eſt arbor ſcientiæ boni & mali, quum antea ſolum bonum ab hominibus noſceretur & appeteretur, cuius obliuionem fructus illius eſus ſic induxit, vt homines ab eo tempore de bonorum & malorum finibus diſceptare
Ioan.8.36 non deſierint, quamuis intra mali limites concluſi. Summa autem horum eſt, Libero de-
Rom.6.18, & 8.20 mum arbitrio præditos eſſe, qui à ſeruitute peccati ſunt manumiſſi, cuius libertatis tunc demum perfectæ futuræ quum prorſus erimus in altera vita æterna ἀναμάρτητοι, certum pignus habent Dei Spiritum.

QV. *Ergo in prima gratiæ receptione homines ſeſe habent merè παθητικῶς, nec ſunt gratiæ Dei συνεργοί.*

1. R. Sanè ſi ſpectes ordinem cauſarum & primum illud initium gratiæ, qua nos re-
Rom.5.10 1.Ioan.4.19 Tit.3.5 fingit Dominus, fateri neceſſe eſt illam à Deo in ſolidum proficiſci, qui nos prior diligit adhuc inimicos, à nobis verò duntaxat recipi. Sin verò temporis punctum quo Deus in nobis agit conſideres, ſimul eodémque momento nobis datur vt poſſimus velle recipere, & volumus recipere: alioqui inanis eſſet gratia. Itaque qui iſtiuſmodi συνεργίαν quaſi gratiæ Dei repugnantem oppugnant, multis modis imperitiam ſuam produnt, quum hæc ipſa συνέργεια ſit gratiæ Dei donum, ita illi cooperans, vt ſit quidem ordine cauſatũ poſterior, ſicut effectum efficientem cauſam ſubſequitur, ac proinde omnia in ſolidum vni gratiæ Dei accepta ferantur: ſed reipſa tamen, ſimul eodémque momento efficiat Deus vt per gratiam cognoſcere poſſimus, & nos per gratiam reipſa cognoſcamus: efficiat per gratiam vt velle poſſimus, & per gratiã reipſa velimus: efficiat denique per gratiam vt facere poſſimus, & per gratiam reipſa faciamus. Nec enim cauſa δυνάμει efficiẽs, dici poteſt ἐνεργείᾳ efficiens, quin reipſa exiſtat effectum. Præterea, quum homini nõ ſit per peccatum adempta neque intelligendi neque volendi facultas, vt antè diximus, ſed duntaxat rectè intelligendi & rectè volendi facultas, in eo ſaltem συνέργεια naturalis negari non poteſt, quòd quum prima gratia diſponens non niſi ab intelligente & volente recipiatur & homines natura ſint in genere intelligentes & volentes, homo non vt ſtipes, ſed vt intelligentia & voluntate præditus exhibitam gratiam recipiat: & quatenus quidem intelligit & vult, ſit Deo conditori συνεργός, à quo naturales illas facultates accepit: quatenus autem bene intelligit & vult, id in ſolidum aduentitiæ illi gratiæ tribuatur, qua fit vt ad ſe præparandum, ad rectè intelligendum, volendum, & faciendum accepta gratia, ſeſe præparet, rectè intelligat, velit, & faciat.

QV. *De prima verò gratia effectis quid tandem ſtatuendum?*

R. Quòd prima gratia efficax eſt, alteri Dei gratiæ tribuẽdum eſt, quoniam prima ſtatim excideremus niſi altera ſubſequeretur, quæ primã redderet efficacẽ, ac ſic deinceps à gratia ad gratiam progrediendum eſt.

QV. *Sed negari vix poſſit nos accepta prima gratia, cæteris ſubſequentibus συνεργεῖν, ac proinde prioris meritis poſteriorem tribui.*

R. Apage Meriti nomen, quod gratiæ repugnat ex diametro, quicquid Sophiſtæ
Rom.4.4 1.Cor.4.7 ſemipelagiani garriant. Gratiæ primæ nos συνεργεῖν qui negat, primæ gratiæ efficacitatem negat. Sed quod de prima συνεργείᾳ dixi, de conſequentibus dico. Quòd enim prima gratia vſque eò efficax eſt vt ea bene vtamur, ab altera gratia eſt: quæ niſi adeſſet & quidem gratis data & gratis efficax, non modò non promoueremus, ſed prorſus ad conditionem priore multò peiorem regrederemur. Deinde hæc συνέργεια quæ tota, vt diximus, ab altera gratia eſt, quid tandem habet quod compenſationem vllam mereatur? nihil profectò, quum etiam bene vtcunquè illa vtentes, idque per gratiam, ſi res ipſa in-
Matt.25.14 ſpiciatur, illa potius abutamur. Adduntur ergo talenta, fateor, fidelibus ſeruis, ſed rurſum ex mera gratia eſt quòd probatur ſeruorum opera, quòd fideles ſerui habẽtur, quòd de-
Rom.4.4 nique merces illis datur, non alia ratione debita, quàm quòd & gratuitò fuerit promiſſa & gratuitò tribuatur.

QV. *Sed illud quoque libenter quæſierim, Quomodo tandem hæc corruptio in genus humanum propagetur, naturáne videlicet an imitatione.*

R. Quum ingreſſam eſſe ſatis conſtet, quæſitum potiùs oportuit quomodo expellatur. Tamen hic quoque propter multos pernicioſos errores, tibi ſatisfacere conábor. Reſpondeo igitur natura propagari malum, quod poſtea imitatione confirmatur.

QV. *Quomodo id probaueris?*

℞. Multis Scripturæ teſtimoniis quum voles, ſed in primis argumento Pauli ab effectis ſumpto. Moriuntur enim etiam qui Adamum per ætatem imitari non potuerunt. Mors autem eſt peccati ſtipendium.
Rom 5.14 & 6.23

QV. *Quid ſi mortem illam primam quæ eſt corporis & animi ſeparatio, & poſtea eiuſdem corporis in ſua principia reſolutio, naturalem eſſe dixerim? Omnia enim compoſita naturaliter diſſolutioni ſunt obnoxia.*

℞. Refellet te Deus ipſe apud Moſem loquens. Præterea non eſt neceſſarium hoc argumentum. Etſi enim diſſolui ſuapte natura poteſt quicquid compoſitum eſt, tamen non priùs reipſa diſſoluitur quin deſinat à componente cauſa ſuſtentari. Quid igitur abſurdi loquor, quum dico ſic fuiſſe conditum hominem ex anima & corpore, & quidem corpus hominis ex elemẽtis compoſitum, vt hæc perpetuò, niſi peccatum interueniſſet, ſuſtentaturus fuerit Creator?
Gen. 2.17. & 3.19 Rom. 5.12

QV. *Fateor ergo ex mortalibus corporibus gigni mortalia corpora, ſed quorſum hoc ad animæ corruptionem, niſi fortè cenſes animas etiam eſſe ex traduce?*

℞. Quid veteres multi hac de re ſenſerint, nihil moror, nec magnopere contendere hac de re velim, modò cõſtet de naturali natiuæ labis propagatione. Tamen hoc nõ puto mihi diſſimulãdum, doctrinam de animæ traduce mihi perabſurdum videri, quoniam aut totam animam aut partem eius traduci oporteret. Si totam, interire certè patres ſtatim neceſſe fuerit: ſin verò partem, quomodo ſimplicis eſſentiæ pars aliqua decidetur?

QV. *Si non eſt anima ex patre corrupto, ſed ex ſpirituum Patre ac conditore, vndénam illa corruptio? an ex corporis coniuncti contagione, vt ab impuro vaſe vnguentum quò præſtantius eſt, eò citiùs afficitur?*
Rom. 7.

℞. Mihi quidem videtur hæc ratio moderatis omnibus ingeniis poſſe ſatisfacere. Sed vtcunque ſit, illud ſatis ſit, Adamum ſicut ſibi & ſuis imaginem Dei acceperat, ita ſibi ac ſuis amiſiſſe, Deo, ſicut interminatus fuerat, conditas & infuſas corpori animas ſtatim deſerente: vnde fit vt naturâ filij iræ omnes naſcantur, corruptionis videlicet & paterni quoque reatus hæredes.
Rom. 5.

QV. *Iam ergo ad remedium huius mali, vnicum videlicet Chriſtum fide, quæ donũ Dei eſt, apprehenſum redeamus. Velim igitur mihi explices quid per iſtam apprehenſionem, inſitionem, incorporationem, κοινωνίαν denique Chriſti intelligas.*

℞. Qui vllam ipſarum ſubſtãtiarum συναφὴν aut coniunctionẽ imaginantur, quemcunque tandem eius modum ſomnient, prorſus hallucinantur, corporaliter diiudicãtes ſpiritualia & μυστηριώδη. Qui rurſus ſolam Chriſti energiam ſiue efficacitatem ſtatuunt id eſſe cuius ſimus participes, non videntur ſatis expendiſſe expreſſa Scripturæ teſtimonia, quibus diſtinctè nobis Chriſtus ipſe donari dicitur: deinde ipſius in nos ἐνέργεια deſcribitur. Duo igitur ſunt conſtituenda, vt quæ ſit hæc communicatio intelligatur: quorum hoc prius eſt, quòd ipſemet Chriſtus noſter fiat ex Patris beneficio, vt poſſint dicere omnes credentes, Hæc res, nempe Chriſtus Filius Dei manifeſtatus in carne, mea eſt ex Patris dono & liberalitate, vt illa vti frui poſſim.
Eſa. 9.6 Rom 8.32 1. Cor 10.16 Eph. 5.30

QV. *Hîc rogo vt mihi liceat interfari. Dominus eſt certè rei donatæ, qui ſic loquitur. Nũ ergo domini ſumus ipſius Chriſti, ac non potius ille noſter eſt Dominus?*

℞. Dominum noſtrum eſſe Ieſum Chriſtum, & quidem optimo iure, quum & nos ipſi donarit Pater, & ipſe nos precio ſuiipſius redemerit, ſiquis inficiatur, anathema ſit. Quum ergo noſtrum, id eſt credentium eſſe dico, nullum nobis in ipſum imperium datum eſſe intelligo, ſed datum, & natum eſſe nobis dico: ſicut exempli gratia, Quiſpiam ſit vxoris maritus, cui pareat quidẽ vxor & obſequatur, ſed ita vt viciſſim dicere poſſit vxor, Sicut ego ſum viri iſtius cui dedit me pater, vt ipſe mihi dominetur, ſic ille viciſſim meus eſt maritus, qui ſeſe mihi vtendum tradidit, vt me videlicet vxorẽ diligat & foueat: qua ſimilitudine non ignoras Prophetas & Apoſtolum paſſim ad hanc deſignandam communicationem vti. Alterum huius communicationis caput eſt, quòd ipſe vſqueadeò fit noſter, vt nulla corporum coniunctio ſeu naturalis ſeu artificioſa poſſit cum iſta comparari: non huc tamen reſpiciẽs vt ex illius ſubſtantia vel perſona, & noſtris perſonis ſeu ſubſtãtiis, vna quæpiam perſona vel ſubſtantia coëat (quæ omnia commẽta craſſiſſima ſunt, & à regno cælorum prorſus aliena) ſed huc duntaxat ſpectans, vt eò certior, coniunctior, efficacior ſit ipſius in nos ſpiritualis energia. Interea tamen illud certum eſt, ita ipſum fieri noſtrum, vt verè fiat vnum nobiſcũ, nec tam firmè cohæreant naturaliter caput & mẽbra corporis alicuius, quàm firma eſt & arcta iſta Chriſti nobiſcum coniunctio, vt ſimus
Ioan. 13.8 & 19.12 1. Cor. 6.20. & 7.23 Rom. 7.2. & deinceps. 2. Cor. 11.2 Ephes. 5.29 Eph. 5.30

caro ex carne eius,& os ex oſſibus eius:tota tamen ſpiritualis & myſtica.

Q V. *Explica,quæſo,cur ſpiritualem voces.*

℞. Spiritualem voco,non reſpectu eius quod communicatur(certum enim eſt tota
humanitate,nec ſolo ſpiritu Chriſtum nobis cõmunicari)nec etiam quaſi imaginaria ſit
iſta coniunctio,& in ſola cogitatione poſita,cui res ipſa non ſubſit: nõ denique quaſi ſo-
Act. 4.32 lius conſenſionis habita ratione dicamur vnũ cum Chriſto fieri,ſicuti ſcribit Lucas,Cor
vnum & animam vnam credentium fuiſſe : ſed quòd animi quidem & fidei tota hæc ſit
apprehenſio,Spiritus ſanctus verò ſit is demum cuius vinculo res iſtæ tam procul quod
ad locorum interuallum attinet,diſſitæ connectantur : idque vt in iſta ſpirituali copula-
Eph.4.15 tione Chriſtus quidem inſtar capitis,Eccleſia verò ſit corporis inſtar, ab illo videlicet v-
no capite ſpiritualem vitam hauriens.Itaque tota illa ipſarum ſubſtantiarum realis coa-
litio,(de qua tam multi iampridem adeò pertinaciter cõtendunt,vnde poſtea in Cœnã
Domini inuectum eſt portentum illud Tranſubſtantiationis & Conſubſtantiationis)
craſſum eſt humanæ vanitatis commentum,neque ſpirituali viræ,neque corporis Chri-
ſti veritati,neque ipſi analogiæ fidei vllo modo conueniens.

Q V. *Audio quidem fide Chriſtum ipſum à fidelibus percipi,audio Spiritus ſancti vincu-
lo Eccleſiam cum ſuo capite ſpiritualiter copulari:ſed non percipio nihilominus, quinã iſta tam
procul diſsita vniantur.*

Eph.5.32 ℞. Concedo.Nec enim fruſtrà exclamat Paulus magnum eſſe hoc arcanum. Rectè
igitur monet quidam , Potiùs eſſe nobis laborandum vt Chriſtum ſentiamus in nobis
viuentem , quàm vt communicationis iſtius ratio nobis pateat:vtpote quæ captum no-
ſtrum ſuperet,quamuis ſpiritualem eſſe & fidei inſtrumento fieri conſtet.

Q V. *Quid ſi nobis Chriſtum communicari dicamus duntaxat quod ad energiam & effi-
Eph 5.30 caciam attinet? & illum Apoſtoli locum, Membra ſumus corporis eius ex eius carne & ex eius
oſsibus,ad Chriſti ἐνσάρκωσιν referamus?*

℞. Scriptura manifeſtiùs loquitur de ipſiuſmet Chriſti communicatione, vt poſtea
vitam ex eo nobiſcum vnito hauriamus , quàm vt ad ſolam energiam id accommodari
poſſit , quod eſt potiùs & *ἐνεργητικῆς κοινωνίας*,& beneficij imputationis fundamentum:
id quod etiam ex corporalis alimenti analogia,cuius Chriſtus ipſe auctor eſt , manifeſtũ
eſt.Quemadmodum enim vt ex cibo alimentum ad hanc ſuſtinendam vitam neceſſariũ
percipias,tuum euſque fieri oportet vt etiam comedas:ſic quoque vt ex Chriſto ſpiri-
tualis æternæque vitæ veluti ſuccum hauriamus , illum à nobis ore fidei apprehendi
Eph.5.32 & ſpiritualiter quaſi in nos traijci neceſſe eſt.Locus autem ille Pauli de aſſumptione hu-
manæ naturæ commodè explicari non poteſt. Secũdum hanc enim dicere fas eſſet qui-
buſuis ſine exceptione hominibus,ſe eſſe membra Chriſti:quod tamẽ vt Eccleſiæ vnius
proprium refert Apoſtolus:id quod etiam corporalis coniugij analogia requirit. Nec e-
nim vir quiuis cum quauis muliere eſt caro vna,ſed is demũ qui cum muliere cuius ma-
ritus eſt,& ea demum mulier quæ cum viro cuius vxor eſt,ſeſe coniunxit. Hæc igitur co-
pulatio in vnam carnem non eſt naturæ ſed pacti,vt & noſtra cum Chriſto in vnum ſpi-
ritum cõiunctio.Præterea ſi hoc ſignificare voluiſſet Apoſtolus,dicere certè potiùs de-
buiſſet Chriſtum eſſe ex carne noſtra , & ex oſſibus noſtris,ſiquidem ille ſua ἐνσαρκώσει
ſeſe nobiſcum coniunxit,nos autem illi fide coniungimur.

Q V. *Perge quæſo,& iam oſtende quid ex Chriſto ſpiritualiter, vt dixiſti , per fidem no-
bis communicato,percipiamus.*

Eph.1.18, & 3.8.19, 1.Cor 2.10 ℞. Rurſum ingredimur abyſſum cuius latitudinem , altitudinem , profunditatem,
quum alioqui teſte Apoſtolo,cognitionem noſtram ſuperet, hactenus nouimus , quate-
nus Spiritus quo donati ſumus profunda Dei ſcrutatur. Qui proprio Filio nõ pepercit,
Rom.8.32 inquit idem Apoſtolus , ſed pro nobis omnibus tradidit eum, quomodo non etiam cum
eõ donaret nobis omnia? reſpondeo igitur omnia ad ſalutem neceſſaria ex Chriſto per
fidem apprehenſo in nos promanare.

Q V. *Sed quænam illa ſint velim mihi,ſi fieri poteſt,per partes explicari.*

℞. Reſpondeo igitur quædam ſic eſſe Chriſti vt in ipſo vno ſemper hæreant , nec
aliter quàm imputatione noſtra fiant, cuiuſmodi ſunt quæ noſtri cauſa peregit , nempe
quòd factus ſub Lege omnem iuſtitiam impleuit , & pœnas noſtris peccatis debitas luit:
Gal.4.4, Matt.3.15, Rom 5.19, Phil 2.8, Rom.8.3 & 4 quod vtrunque intelligit Apoſtolus Obedientiæ nomine. Quædã verò ſic in Chriſto reſi-
dent,vt tamen eorum vis & energia in nos propagetur,cuiuſmodi eſt ſumma illa naturę
humanæ in Chriſto puritas omnibus abſque menſura donis exornata , quæ nõ modò fit

noſtra

noſtra per imputationem, verùm etiam eſt noſtræ regenerationis & omnium cōſequentium ſpiritualium donorum fons & origo. Rom. 6. 8 Gal. 4. 10

QV. *Quid vocas imputationem?*

℞. Dei Patris beneficium quo dignatur obedientiam illam Chriſti noſtram ducere, perinde ac ſi ipſimet impleuiſſemus Legem, & pro peccatis noſtris ſatisfeciſſemus.

QV. *Sed an hoc conuenit Dei naturæ, vt aliena iuſtitia quiſpiam iuſtus habeatur?*

℞. Aliena quidem hæc iuſtitia eſt, quatenus extra nos eſt & in alio ſubiecto, nempe in Chriſto reſidet: ſed aliena non eſt, quatenus illud ipſum ſubiectum, nempe Chriſtus, noſtrum eſt: atque adeò ſpiritualiter per fidem factum eſt vnum nobiſcum. 1. Cor. 1. 30 Ioã. 17. 20. 21

QV. *Imò ſi vnum eſt factum nobiſcum, iam videtur quicquid in ſe habet, reipſa quoque & non ſola imputatione noſtrum eſſe.*

℞. Poſita ſanè ipſius ſubſtantiæ Chriſti copulatione & vnitione reali cum noſtra, quod ex eorum dogmate ſequitur qui ore etiam ipſo comedi & traijci in nos carnem & ſanguinem Chriſti tradunt, illud cōſequeretur quod tu dicis: ex quo etiam intelligi poteſt quantopere & tranſſubſtantiationis & cōſubſtantiationis dogma, præterquã quòd carnis Chriſti veritatem tollit, ſit etiam doctrinæ de iuſtitia imputata repugnans. At ego antea dixi verè quidem nobis Chriſtum ipſum communicari, ſed merè ſpirituale eſſe hoc myſterium, cuius vinculum quidem ſit Spiritus ſanctus, ſcopus autem ſit non vlla ipſarum ſubſtantiarum aut perſonarum coalitio (quorſum enim hoc?) ſed vt ſpiritualis vita ſic à Chriſto myſtico capite, ad ſubiectum myſticum corpus defluat. Ephes. 5. 30 & 4. 16

QV. *Redeamus ad imputationem.*

℞. Redeo igitur & dico, ſicut quicquid in nobis eſt defectus iuſtitiæ, & labis peccati, extra Chriſtum eſt, & tamen Chriſto imputatum eſt: ſic viciſſim obedientiam Chriſti extra nos quidem eſſe, putà vni ſubiecto Chriſti inhærentem, & tamen nobis imputari. Huius autem imputationis hoc eſt fundamentum, quòd & ille vnum eſt nobiſcum & nos vnum cum illo (ſpirituali ſicut diximus modo & ratione) vt ille quidem fuerit non in ſeſe, ſed in nobis peccator, & nos non in nobis, ſed in ipſo iuſti cenſeamur.

QV. *Atqui dicitur fides Abrahamo imputata ad iuſtitiã, nõ autem iſta Chriſti obediẽtia.* Rom. 4. 3

℞. Noſti illud, Quæ ſubordinata ſunt non repugnare. Fides dicitur imputari ad iuſtitiam, quoniam organum eſt quo apprehenditur obedientia illa cuius imputatione iuſti ſimus: qua ratione etiã dicimur fide iuſtificari, quatenus nimirum fides Chriſti obedientiam apprehendit, cuius imputatione iuſti cenſemur. Rom. 5. 19

QV. *Supereſt adhuc hic ſcrupulus, Quomodo quod dicis Chriſtum fide apprehendi, cum eo conſentiat quod priùs declaraſti, quum affirmares à Chriſto per fidem apprehẽſo omnia dona in nos promanare. Videtur enim conſequi vel fidem non eſſe donum Patris in Chriſto, vel iſtud poſterius falſum eſſe: omnino enim fides apprehenſioni præeat oportet, ſi fide Chriſtus apprehenditur.*

℞. Principium ſalutis noſtræ à Deo eſt, qui prior nos nondum natos, imò etiam ante iacta mundi fundamenta, elegit in Chriſto, & prior nos ſuo tempore natos diligit & cognoſcit, non Chriſto iam reipſa donatos & inſitos, ſed donandos & inſerendos. Itaque ſi temporis momentum ſpectes, ſimul credimus, ſimul Chriſtum oblatum apprehendimus. Nec enim cauſa poteſt eſſe reipſa efficiens, niſi prodeunte ſimul effecto. Sin verò cauſarum ordinem conſideres, fateor fidei (& quidem veræ) rudimentum præire Chriſti apprehenſioni, ac proinde non re ipſa inſitis, ſed inſerendis dari. Minimè tamen hinc conſequitur fidem nobis in Chriſto non donari, quum Pater ille cæleſtis in vno Filio acquieſcens, non tunc primùm nos contempletur in Chriſto, quum iam ei ſumus donati, ſed in eo nos elegerit, cognouerit, dilexerit, etiam ante iacta mundi fundamenta, nedum quum adhuc ipſum odiſſemus, ſicut & ipſe Chriſtus prior nos apprehendit vt ipſum apprehendamus. Deinde quod in nobis per gratiam cœptum eſt, vt ita Chriſto inſereremur, ac proinde ſecundum ordinem cauſarum, præcedit ipſius Chriſti apprehenſionem: id in nobis poſtea augeſcit & confirmatur ex eadem gratia in eodem Chriſto iam per fidem apprehenſo. Epheſ. 1. 4 2. Tim. 1. 9 Rom. 11. 35 1. Ioan. 4. 19 Phil. 3. 12 Rom. 5. 6

QV. *Quænam igitur illa ſunt quæ in Chriſto adipiſcimur?*

℞. Paulus planiſſimè ſimul & breuiſſimè totum hoc argumentum pertractat, quũ Chriſtum dicit nobis factum à Deo Patre ſapientiam, iuſtificationem, ſanctificationem, redemptionem. 1. Cor. 1. 30

QV. *Quid illud eſt factum eſſe nobis ſapientiam?*

℞. Illud ipſum quod dicit Zacharias dum filium Ioannem Baptiſtam dicit miſſum
Luc.1.77 eſſe vt ſalutis ſcientiam, id eſt Chriſtum ipſum cõmonſtraret. Hæc enim eſt vera ſapien-
Mat.17.5 tia, quam vnus Chriſtus docet quum hominibus ſeipſum patefacit, quod etiam teſtifica-
tus eſt Pater ſonora è cælis voce dicens, Ipſum audite.

QV. *An hoc recenſes inter dona quæ ex Chriſto percipimus?*

℞. Ipſum Chriſtum ſic intelligo datum eſſe nobis vnicum veræ illius ac germanæ
Col.2.3 ſapientiæ magiſtrum, vt ſeipſum nos doceret. Eſt enim ipſe & doctor & illud quod doce-
tur. Itaque inter Chriſti dona præcipuum illud & primarium eſt, quòd ſeipſum nobis do-
nat, dum nos inſtruit ſui notitia.

QV. *Quid Iuſtificationem vocat Paulus hoc loco?*

℞. Illud quo iuſti ſimus, id eſt euſque perfecti, integri, ἀμεμπτοι, καὶ ἄμωμοι, vt ple-
Epheſ.1.4 niſſimè non tantùm aboleatur quicquid in nobis totis ineſt turpitudinis qua Deus ſum-
mè purus offendi vllo modo poſsit: verùm etiam in nos comperiatur quicquid in hac hu-
mana natura vſque adeò poteſt eum delectare vt illud vita æterna pro bona ſua volun-
tate coronet. Denique eius iuſtitiæ ex qua iuſtus quiſpiam coram Deo cenſetur, Lex Dei
certa & inuariata eſt norma & regula. Lex autem non modò prohibet non facienda, id-
Iac.2.10 que addita mortis æternæ comminatione, verùm etiam præcipit perfectam Dei & proxi-
mi dilectionem. Itaque vt iuſtus coram Deo ſit quiſpiam, duo requiruntur neceſſariò, nē-
pe abſentia omnis peccati, & omnis ſecundum Legem iuſtitiæ impletio.

QV. *At in nemine mortalium hoc vnquam inuentum fuit.*

℞. Chriſtum excipe, qui non modò nunquam peccauit, verùm etiam pleniſſimè to-
tam Legem impleuit.

QV. *Dic quæſo, Chriſtus ab ipſo conceptionis momento an non perfectè iuſtus erat?*

Mat.3.20 ℞. Quatenus Deus, non modò iuſtus eſt ab æterno, verùm etiam ipſamet iuſtitia,
Luc.1.35 id eſt, ſumma perfectiſſimáque puritas. Quatenus autem eſt homo, fuit ab ipſo conceptę
carnis momento ſupra ipſos etiam Angelos ſanctitate excellenti præditus. Sed iuſtitiæ
nomine nunc intelligimus id quod conſequitur perfectam Legis Dei præſtationē, quod
Mat.3.15 tum demum habuit Chriſtus poſtquam opus omne ſibi mandatum conſummauit. Hæc
Ioan.17.4. & 19.30 enim illa eſt iuſtitia cuius imputatione iuſtificamur: non illa eſſentialis quæ Deitatis eſt,
Phil.3.8.9 nec illa habitualis, vt ita loquar, puritas carnis Chriſti de qua ſeorſim agemus: quę quū
1.Pet.1.22 non diſtingueret Oſiander, fœdiſſimè eſt hallucinatus.

QV. *Sed nondum video quinam hæc iuſtitia ſufficiat. Quoniam enim non modò nō præ-
ſtamus Legem, verùm etiam infinitis peccatis cooperti ſumus, quomodo cenſebimur quaſi nū-
quam peccauerimus, id eſt nullis peccatis contaminati, niſi prius eluantur peccatorum noſtrorū
maculæ? Id autem fieri niſi perſolutis pœnis non poteſt.*

℞. Rectè dicis. Itaque quod dixi de Lege à Chriſto non modò non violata, verùm
etiam pleniſſimè & perfectiſſimè præſtita, ſic accipe vt ſatisfactionem pro omnibus cre-
dentium peccatis in primis comprehendat. Tenetur enim ex Lege quiſque Deum &
proximum perfectè diligere, non indefinitè ſed definitè, id eſt habita ſuæ vocationis ra-
tione. Vt, exempli gratia, ſi Magiſtratus duntaxat tanquam priuatus quiſpiam Deum di-
lexerit, officium feciſſe non dicetur, quia Deum diligere tanquam Magiſtratus tenetur:
quod de cæteris etiam vocationum generibus intelligendum eſt. Miſſus autem fuit Chri-
ſtus vt pœnas peccatis noſtris debitas lueret pro nobis, quod tota quidem ſua vita, in
Phil.3.8 primis autem illo ſuo ſacrificio præſtitit, factus obediens Patri vſque ad mortem, mor-
tem autem crucis. Itaque patiendo quoque agens, & pro nobis ſeipſum offerens, ſimul
& Legem pro nobis impleuit, & pro noſtris peccatis ſatisfecit.

QV. *Atqui Chriſtus quatenus homo factus eſt, videtur ad præſtandam Legis iuſtitiam,
id eſt ad Deum & proximum perfectè diligendum fuiſſe natura obligatus, quum hæc Lex ſit
humanæ ipſi naturæ impoſita. Itaque non nobis, ſed ſibi videtur Legem impleuiſſe, vt vitam ſi-
bi promereretur: id quod de pœnis peccatorum noſtrorum ab ipſo luendis dici non poteſt.*

℞. Etiam ſi Chriſtum dicamus ſecūdum carnem ſibi promeritum eſſe vitam æter-
nam impletione Legis ad quam teneretur, non eſſet tamen abſurdum dicere tantam eſ-
ſe vim iſtius meriti, vt etiam ad credentes vſque promanet. Sed illud ſatis rectè dici non
poteſt. Quum enim vnita fuerit hæc humanitas τῷ λόγῳ vnione perſonali, & ita quidem
vt etiam in ſeſe eſſet ſanctiſsima, quis exiſtimarit (ſi hæc aſſumpta natura extra mediato-
ris onus ſpectetur, quod non eſt per ſe humanitati coniunctum, ſed à Patre quidem pro
bona ſua voluntate Filio demandatum, à Filio verò vltro receptum) quis, inquam, exi-
ſtimarit

ſtimarit aliquid iſti aſſumptæ humanitati defuiſſe, quominus digniſſima iam tum eſſet æterna illa vita beari, ab ipſo illius vnionis primo momento? Itaque hæc carnis ad præſtandam Legem obligatio non eſt propriè naturæ ipſius, ſed voluntatis, neque ſimpliciter ex eo quòd Chriſtus homo eſt, ſed ex eo quòd homo factus eſt pro nobis: quam conditionem vltro ſubiit, & impleuit, non ſibi, vt qui iam pleniſſimo iure beatiſſimus eſſet, ſed nobis, pro quibus videlicet fieri voluit ſub Lege, vt eos qui ſub Lege erant redimeret. Præterea vide quàm illud ſit ἀσύστατον, quod poſtremò dixiſti de ſatisfactione pro noſtris peccatis. (Gal. 4, & 4) Nam ea eſt vel potiſſima pars illius obedientiæ, ſiue impletionis Legis, vt paulò antè probauimus. Ergo ſi Legem impleuit ſibi, ſua etiam cauſa mortuum fuiſſe fatearis oportet.

QV. *Ais igitur nos iuſtificari coram Deo, id eſt, iuſtos haberi ac pronuntiari, eo quòd imputetur nobis Chriſti obedientia, quæ duabus præcipuis partibus conſtet, ſatisfactione videlicet pro peccatis noſtris, & plena omnis iuſtitiæ legalis præſtatione.*

℞. Aio.

QV. *Chriſtus igitur quorſum præterea factus eſt nobis ſanctificatio? nam certè qui iuſtus habetur, itidem quoque ſanctus cenſetur.*

℞. Quiſquis iuſtus eſt, idem quoquè ſit ſanctus neceſſe eſt, at non contrà, niſi noua gratia prioribus accedat: vt nos quidem antea iuſti appellationem in hoc argumēto accipi diximus, pro eo videlicet qui præterquam quòd expiatis in Chriſto peccatis non tenetur vt Legis tranſgreſſor, in eodem etiam impleuit Legis iuſtitiam. In ſumma, ſanctitatem voco bonitatem & integritatem ipſius perſonæ: iuſtitia verò non illa imputata, ſed ea de qua nunc agimus, & à qua credentes denominantur in ſeſe iuſti, eſt illius (1. Ioh. 3) ſanctitatis partus: vt illa quidem arboris, iſta verò ſit fructus inſtar. Sic fuit ſanctus, id eſt, bonus & integer creatus Adam, qui etiam iuſtus euaſiſſet, ſi Legem à conditore poſitam ſeruaſſet.

QV. *At omnes homines ſunt natura corrupti.*

℞. Rurſum excipe Chriſtum alterum Adamum, ex Spiritu ſancto conceptum, vt (Mat. 1. 20) natura humana in ipſo non tantùm reciperet amiſſam puritatem, verùm etiam in gra- (Luc. 1. 35, Rom. 8. 3) dum bonitatis infinitis modis ſubllimiorem eueheretur. Prior enim Adam cōditus fuit duntaxat ad imaginem Dei, poſterior verò etiam Deus eſt, quoniam in ipſo æterno (Col. 1. 8) Dei Filio ſuſtentatur, qui aſſumptā naturam inenarrabiliter ſanctificauit, idque vt fie- (2. Cor. 5. 18) ret nobis ſanctificatio.

QV. *Cur verò Chriſtum vocas alterum Adamum?*

℞. Quia ſicut Adamus conditus eſt, ex quo omnes homines naturali propagatio- (Rom. 5. 19) ne naſcerentur: ita Chriſtus humanam naturam ea conditione aſſumpſit, vt omnes cre- (1. Corinth. 15. & 45) dentes in eo per gratiam ſpiritualiter regenerarentur.

QV. *An vero nobis ſatis non erat ſemel naturali ratione naſci?*

℞. Omnino quod ad hanc vitam attinet, cuius etiam reſpectu, ſtultum fuerit arbi- (Ioh. 3. 4, & 5) trari nos ſæpius naſci. Sed quū Adamus ſeſe & ſibi & poſteris reddiderit vtrique morti obnoxium, aut perire nos, aut alia prorſus conditione in vitam æternam renaſci oportuit. Idcirco igitur alter ille Adam nobis datus eſt, ex quo ſpiritualiter & per gratiā ſan- (Rom. 5. 18) ctitas & vita æterna in nos per gratiam defluerent, ſicut naturaliter & corporaliter ex priore peccatum & mors ſunt in nos propagata.

QV. *Explica igitur plenius hanc noſtri in Chriſto ſanctificationem.*

℞. Sanctificatum id dicitur quod à communi pollutione ſegregatum eſt, vt puriſſimum ſit, ac Deo omnis immunditiei ſummè aduerſario, penitus conſectatum. Sic igitur ſanctificata eſt in Chriſto natura noſtra ab ipſo conceptionis momento, idque vt (Rom. 8. 3) nos ſanctificaret. Id autem fit dupliciter: Primùm enim ſicut dixi, nos cenſeri imputata Chriſti iuſtitia plenè coram Deo iuſtos non in nobis, ſed in ipſo cui per fidem vniti ſumus: ita etiam dico noſtras perſonas imputata ipſius perfecta ſanctitate & integritate, plenè ſanctas & integras, ac proinde Patri acceptas, non in nobis, ſed in Chriſto cenſeri. Deinde iſtius puriſſimæ, quæ in Chriſti carne eſt, ſanctitatis vim & energiam, operante hoc in nobis Spiritu ſancto, in nos vſque promanare dico, vt & ipſi in nobis ſanctificemur, id eſt, ab inquinamentis huius mundi ſegregati, & ſpiritu & corpore Deo ſeruiamus: quod beneficium in Sacris literis Sanctificatio, Regeneratio, Illuminatio, Nouus homo, Noua creatura, Spiritus denique paſſim vocatur.

QV. *Ais igitur hanc poſteriorem ſanctificationem non eſſe quiddam extra nos, & ſola*

imputatione noſtram, ſed nouum eſſe habitum verè nobis inſitum & inhærentem, ex Patris cæleſtis mera gratia, & ſancti Spiritus virtute, nobis in Chriſto collatum.

℞. Aio.

QV. *Quorſum igitur nobis altera illa imputata ſanctificatione naturæ noſtræ opus eſt?*

Rom 7.23 Gal 5.17 ℞. Quoniam hæc inhærens nobis ſanctificatio tantùm eſt inchoata in nobis, ſicut ex perpetuo Carnis & Spiritus in ipſis etiam præſtantiſſimis hominibus diſſidio liquet. Idcirco vt noſtræ perſonæ Deo ſint acceptæ, ac proinde ipſi placeat quod à nobis proficiſcitur (eſt enim ſanctorum vita veluti perpetua quædam ſuiipſius oblatio ad quam Rom 12.1 nos etiam Apoſtolus hortatur) longè alia ſanctificatio interueniat neceſſe eſt, illa videlicet quæ pleniſſima & integerrima eſt in Chriſto. in quo nos intuens clemētiſſimus Pater, & tamen omnis impuritatis & labis perpetuus hoſtis acquieſcat, ſummè videlicet iuſtus, & ſummè miſericors.

QV. *At cur non plenè ſtatim nos ſanctificat?*

℞. Imò potius admirare ipſius bonitatem in eo quòd vel guttulam regenerātis gratiæ cuiquam inſtillet. Cur tamen plenam noſtri ſanctificationem in alterum ſeculū differat, cauſæ multæ ſunt, quarum duæ ſunt præcipuæ. Vna, quòd ſimus ὀλιγόπιστοι, ac proinde quantum in nobis eſt, energiam ſancti Spiritus impediamus. Altera, vt nobis per 1.Cor.1.31 meram gratiam ſeruatis, non autem ex operibus, qui gloriatur, in vno Domino glorietur. Nam ſi perfecta eſſet iſta in nobis ſanctificatio, perfecta etiam eſſet iuſtitia noſtra. ſiue nobis inhærens, ac proinde Chriſtus non eſſet nobis in ſolidum & propriè ſeruator, ſed duntaxat organum & inſtrumentum nobis ſic diſponendis, vt nos ipſos poſtea noſtra iuſtitia iuſtificaremus, qui fœdus eſt ac planè deteſtabilis Sophiſtarum Semipelagianorum error.

QV. *Ais igitur inter ſanctificationem & iuſtitiam noſtram eſſe hanc proportionem, vt quanta vna eſt, tanta ſit & altera.*

℞. Omnino. Nec enim otioſa eſſe poteſt vera ſanctificatio: & qualis eſt arbor fru-Luc.6.44 ctifera, talis eſt quoque vetus ipſius fructus. Itaque quoniam ex parte illuſtratus eſt veri Dei notitia noſter intellectus, ex parte quoque cognoſcimus: quoniam ex parte aſſentimur Dei promiſſioni, eámque nobis applicamus, idcirco ex parte credimus, quoniā ex 1.Cor.13.14 parte immutata eſt noſtra voluntas, idcirco ex parte bene volumus & agimus.

QV. *Quid ſibi vult iſtud Ex parte?*

℞. Id eſt, non perfectè, ſed duntaxat quatenus ſumus regenerati, vt in vno eodémque ſubiecto, diuerſis tamen reſpectibus, ſint puritas & ſordes, lux & tenebræ, fides & incredulitas, bona & à bono deficiens voluntas, ſpiritus denique & caro.

QV. *Quid igitur vocas Spiritum?*

℞. Omnes hominis facultates tum ſuperiores tum inferiores, quatenus ſunt ſanctificatæ ſeu regeneratæ.

QV. *Quid verò Carnem appellas?*

℞. In homine quidem non regenerato, totum ipſum hominē, quantus quantus eſt, intus & foris, à capite ad calcem. In homine verò regenerato, omnes itidem eius facultates, quatenus non ſunt ſanctificatæ ſeu regeneratæ.

1.Ioh 3.6 QV. *Atqui dicit Ioannes filios Dei non peccare.*

1.Ioh.1.8 ℞. Idem dicit eos mentiri qui dicunt ſe non habere peccatum. Dicuntur ergo non peccare, quia peccatum ſic in eis habitat, vt tamē non regnet. Pugnat enim Spiritus in Rom.7.19 eis aduerſus carnem, & tandē vincet. Ideóque ſoli regenerati dicere verè poſſunt, Facio malum quod nolo, non facio bonum quod volo.

QV. *Atqui ratio ipſa naturalis in quouis homine etiam non regenerato, repugnat ſæpe appetitioni: & in eo poſitas eſſe virtutes noſti, vt τὸ τῆς ψυχῆς ἄλογον τῷ λογικῷ ſubijciatur.*

℞. Quidnam ſentiendum ſit de philoſophicis virtutibus antea reſpondi. Concedo aliquam eſſe συντήρησιν, aliquam συνείδησιν in homine relictam ad coarguendam, & ali-Rom.1.20 & 2 & 4.15 quatenus etiam impediendam affectuum ἀταξίαν, vt quiuis ſit ἀναπολόγητος: idcóque diſtributionem illam philoſophicā veluti partium animæ, & quæ de mediocritate ſcribunt Peripatetici, non modò non reprehendo vt falſa. verùm etiam vt imaginis Dei reliquias laudo & admiror. Sed longè aliam partium hominis diſtributionem eſſe dico quā nos docet Spiritus ſanctus, ψυχικὸν & πνευματικόν, interiorem & exteriorem hominem,

vere

veterem & nouum hominem, carnem denique & ſpiritum inter ſe opponens: vt qui illis nominibus quibus vitium notatur, etiam illud ipſum philoſophorum ἡγεμονικὸν intelligat: quicquid denique à natura homines extra regenerationis gratiam habent, comprehendat.

QV. *Non eſt igitur Ratio, Ratio?*

R. Eſt profectò, & quidem ſemper appetitione oculatior, ſemper tamen, donec regenerata ſit, vitioſa primùm enim tum quoque quum bonum intelligit & dignoſcit, non tamen intelligit & dignoſcit vt oportuit ac debuit, propter originalem illam corruptionem quam philoſophi ne ſuſpicari quidem vnquam potuerunt. Deinde in pleriſque etiam grauiſſimis rebus non modò non cernit verum, ſed etiam veritati prorſus & ex profeſſo repugnat.

QV. *Quæſo vt hæc exemplis confirmes.*

R. Faciam. Quum de Deo ſummè bono egregiè ac planè excellenter multa tradant Philoſophi, quis tamen eorum vnquam naturali notitia vnam Dei in tribus hypoſtaſibus οὐσίαν cognouit? Et tamen hæc vnica eſt vera & ſaluifica ſummi boni notio. Ioh.17.3.& 5.11

QV. *Tale tamen quiddam Triſmegiſtus, & Platonici præſertim dicuntur tradidiſſe.*

R. Fieri quidem poteſt vt neſcio quid obſcurè de hoc myſterio à Patriarchis traditum, & Sacris libris perſcriptum cognouerint nonnulli: ſed apage iſtorum hominum ineptias, qui hanc veritatem in Philoſophorum ſcriptis quærunt. Iam verò quum ad Dei naturam explicandam ventum eſt, poſtquam multa verè dixerunt, quàm ſubitò præſtantiſſimi quique (vt rectè dicit Apoſtolus) euaneſcunt? Vnde enim πολυθεΐα, vnde diuinitatis in maiores & minores deos diſtributio, vnde Epicureorũ furores, vnde Stoica neceſſitas numen ipſum conſtringens, vnde Ariſtotelis deliria mundi æternitatẽ ſomniantis, & particularem prouidentiam tollentis, vt alias innumerabiles ineptias tot locis ab ipſo Ariſtotele refutatas prætercam? Cui verò niſi præclaro iſti ἡγεμονικῷ, omnium ſuperſtitionum initia debemus? Iam verò ſi ad hominẽ ipſum deſcẽdamus, quis Philoſophorum ſeipſum cognouit, ignorata primi hominis origine & ipſius lapſu? imò quid abſurdius, quid inſanius, quid magis portentoſum fingi poſſit ea ſententia quam nonnulli Ariſtoteli omnium Philoſophorum acutiſſimo tribuere non deſinunt, quòd videlicet humani generis vnica duntaxat ſit anima? quid quòd ne nunc quidem inter iſtos ſapientes conuenit de animi immortalitate? De affectibus quoque quantæ inter ipſos digladiationes? Quòd ſi ad mutua hominũ inter ſe officia deueniamus, quàm multa non tantùm abſurdè, ſed etiam flagitioſè & turpiter conſtituerunt illi ipſi qui maximè laudantur omnium populorum legiſlatores? veri aduerſus affectuum ἀταξίας remedij, quis tandem iſtorum meminit? neque id mirum, quum huius lethalis morbi neque cauſas neque effecta vnquam cognouerint. Vides igitur Rationem ipſam quoque quãdiu ψυχικὴ manet in iis quæ grauiſſima ſunt, planè cæcutire. Quàm multa ſunt verò in quibus non modò cæcutit, ſed etiam prorſus inſanit? præterquam enim quòd paucos è multis enumeratos errores adeò pertinaciter quiſque defendit, vt ſe rectiora doceri nõ ſuſtineat, Mundum è nihilo conditum, Verbum factum eſſe carnem, Natum quempiã ex Virgine, Alterius iuſtitia imputata nos cenſeri iuſtos, Corporum reſurrectionem, & alia plurima non modò non admittit Ratio, verùm etiam faſtidit & irridet: imò etiam ſi magis illam vrgeas, tandem furioſa totam illam cæleſtem ſapiẽtiã conculcat, niſi ex Dei gratia πνευματικὴ euadat. Quid quod ne tunc quidem deſinit cognitæ etiam illi ſapientiæ reluctari quatenus non eſt immutata? Vides igitur, opinor, id verum eſſe quod dicebam. Rom.1.9

QV. *Atqui inter vos quoque Theologos, quantumuis πνευματικοὺς non per omnia conuenit.*

R. Hoc quidem non fit ſacrarum literarum vitio, in quibus ſatis planè & perſpicuè explanãtur veræ religionis dogmata, ſed illi ipſi rationi tribuẽdum eſt, quæ tũ cæca eſt, tum etiam refractaria. Neque verò nos penitus (quod ſi verum eſſet, omnes planè in vna veritate per omnia conſentiremus) ſed ex parte duntaxat regeneratos eſſe dixi. Superesse igitur & ignorantiæ & refractariæ illius naturæ reliquias minimè inficior, ſed quæ paulatim quoque abolebuntur.

QV. *Agè igitur ex mera Patris cæleſtis in Filio ſuo gratia profeciſti fateamur quicquid in nobis eſt vel ſincera notitiæ, vel recti iudicij, vel iuſtæ appetitionis. Sed iuſtitiam hanc in-*

hærentem an non iuſtitiam eſſe, ac proinde Deo gratam fateberis?

Mat.17.3 ℞. Iuſtitiam eſſe concedo. Arbor enim bona bonos fructus edit: ſed comparatè, id eſt, ſi cum ijs fructibus comparentur qui verè putres ſunt. Sin verò vel ipſa optima ſan-
1.Cor.4.4 Rom 4.2 Tit.3.5 ctiſſimorum etiam hominum opera exegeris ad illam voluntatis diuinæ (Legis videlicet) normam, peccata eſſe dico, non quidem qualia ſunt illa quæ Legi ex diametro repugnant, cuiuſmodi ſunt, adulteria, furta, mendacia, & cætera id genus: ſed quoniam ab eo bonitatis gradu deficiant, quem Lex ab homine meritò flagitat: quamobrem etiã in vna Chriſti obedientia nobis per fidem imputata, vtpote quæ ſola ſit omnibus numeris perfecta & abſoluta, nobis acquieſcendum dixi.

QV. *Imò quo iure Deus aliquid flagitarit ab hominibus quos ipſa natura, cuius ipſe author eſt, ſoluendo non eſſe ſatis nouit?*

℞. Quòd ſoluendo non ſumus, non eſt à natura, quæ Conditori, ad cuius imaginẽ erat condita, quod ille flagitabat, & ipſa debebat, perſoluere maximè volebat & poterat, quum ad hoc ipſum eſſet condita: ſed à ſpontanea illius naturæ corruptione ortum eſt, quæ facit vt ne agnoſcere quidem debitum, ac multò minus perſoluere quiſquam aut velit aut poſſit: imò nihil aliud potius quàm illa debita omnes augeant. An verò (ſi vel ſecundum hominem loquamur) debitor eſſe deſinit qui ſua vnius culpa non eſt ſol-
Rom.5.15 uendo? Præterea quũ id quod à nobis optimo ſuo iure Cõditor flagitat, id ipſum, ac fortaſſis etiam aliquid amplius, liberaliſſimè nobis in Filio ſuo gratis dato nobis credentibus, ſic acceptum ferat, vt etiam nobis fidem pari liberalitate largiatur, qua donum oblatum percipiamus, quis tam immenſam Patris bonitatem non potius adoret, quàm cũ ea contendat?

QV. *Sit igitur, Deo ſummè bono gloria & laus ſempiterna. Hoc tamen fas ſit mihi percõtari: Saltem hæc iuſtitia inhærens, quatenus iuſtitiæ rationem habet, Deo, qui iuſtitia delectatur, placeat oportet.*

℞. Intelligo non tuam, vt opinor, ſed Satanæ verſutiam. Quoniam enim Chriſto non poteſt penitus adimere ſalutis noſtræ gloriam, idcirco decerpere ſaltem aliquam eius particulam conatur, quod ſanè fieret, ſi hominibus perſuaderet quod tradunt impuri ſophiſtæ, nimirum Chriſti iuſtitia duntaxat ſuppleri quod noſtræ iuſtitiæ deeſt. Sic
Pſal.5.5 igitur rem accipe. Deus vſque adeò iuſtitiam amat, vt quicquid vel tantillum iuſtitiæ
Rom.9.& 11 & puritatis habet, aliquatenus probet: ſed ex ſua infinita bonitate, non ex vllo iſtiuſmodi iuſtitiæ duntaxat adumbratæ merito. Sic pœnitentiã Niniuitarum & Achabi probauit, quanuis non vera eſſet pœnitentia, ſed qualiſcunque humiliatio ſub potente Dei manu. Nam eouſque bonus eſt, vt etiam indigniſſimis benefaciat, nedum iis qui quoquo modo afficiuntur Maieſtatis ipſius ſenſu. Ergo multò magis delectatur regeneratorum operibus, quanuis imperfectis: ſed primùm dico placere hæc regeneratorum opera non ob vllam ipſorum dignitatem, verùm ex mera Patris gratia, condonantis quod iuſtitiæ deeſt, & quod à ſuo Spiritu proficiſcitur, agnoſcentis. Deinde nego his operibus, quantumuis Deo ex mera gratia placentibus tribuendam vllo modo tanquam cauſæ iuſtifi-
Heb.2.4.& Rom 1.17.& 6.23 cationem noſtram, ac proinde vitam æternam. Stat enim illud, Iuſtus ex fide viuet: &, Donum Dei eſt vita æterna.

QV. *Atqui ſi placent, videntur aliqua ſaltem ex parte digna eſſe quæ placeant.*

℞. Falſiſſima eſt hæc conſequutio. Deus enim ne ex pacto quidem aliã iuſtitiã vt eo nomine dignam probare poteſt (niſi ſibi ipſi velit repugnare, quod dicere nefas eſt) quàm quæ Legi ad amuſſim reſpondeat. Itaque ſic potius colligere debuiſti, Placet Deo regeneratorum opera quanuis imperfecta. Ergo Deus eſt ſummè miſericors.

QV. *Præterea fit paſſim mentio Mercedis & Compenſationis.*

℞. Longius patet nomen Mercedis quàm vitæ æternæ: & certum eſt tẽporarias benedictiones etiã impiis quanuis indigniſſimis à Deo ſummè liberali rependi. Deinde ſiue ad vitã æternã ſiue ad alia beneficia referas Mercedis nomen, non tamen ſequitur
Rom.4.6 vt debitam perſolui. Imò hoc maximè cõmendat Dei miſericordiã, quòd indebitũ præmiũ ex mera gratia in Chriſto donatũ, dignatur tamen Mercedis nomine, vt nos quan-
Luc.17.10 uis reuera inutiles ſeruos (quis enim aliquid ipſi Deo adiecerit?) minimè tamẽ operã luſiſſe ſciamus. Denique etſi gratuitò promiſſa eſt, & gratuitò donatur hæc merces, tamen operanti donatur, idcóque vocatur merces.

QV. *Si operanti, ergo operibus.*

℞. Imò ſi donatur, certè non ſoluitur vt debita. Deinde longè aliud eſt operanti,

quàm

quàm operibus dare. Dico igitur bene operantibus dari vitam æternam, (quoniam ex
effectis æſtimabitur fides, ex fide verò iuſtitia) at non ipſorũ operibus perſolui: quo mo-
do explicare oportet quod dicitur, Vnuſquiſque ſecundum ea quæ in corpore geſſerit 2.Cor.5.10
iudicandus, & ſimiles alias ſententias.

QV. *Quamobrem?*

R. Quoniam bona opera non iuſtificant, ſed credentem & iam antea in Chriſto Mat.7.17, & 18.
iuſtificatum ſequuntur, ſicut boni fructus non faciunt vt arbor ſit bona, ſed arbor ex bo-
nis fructibus bona eſſe dignoſcitur.

QV. *Atqui paulo antè bona opera non ex iuſtificatione, ſed ex ſanctificatione e-
liciebas.*

R. Fateor. Sed nemo imputata Chriſti iuſtitia iuſtificatur, quin eiuſdem quoque Rom.6.[illegible]
Spiritu ſanctificetur.

QV. *Ais igitur bona opera neceſſaria eſſe ad ſalutem?*

R. Si fides ad ſalutem neceſſaria eſt, & veram fidem opera neceſſariò conſequun-
tur (vt quæ otioſa eſſe non poſſit) certè & illud efficitur, neceſſaria eſſe ad ſalutem bona
opera, non tamen vt ſalutis cauſam, (iuſtificamur enim, ac proinde viuimus ex ſola fide
in Chriſto) ſed vt quiddam cum vera fide neceſſariò cohęrens. Sicut dicit Paulus, Filios Rom.8.14
Dei eſſe qui Spiritu Dei aguntur: & Ioannes, Eum eſſe iuſtum qui iuſtitiam operatur. Et 1.Ioh.3.7
Iacobus quoque explicans, non Qua ratione iuſtificemur, ſed, Vnde vera fides & iuſti- Iac.2.21, & 25
ficatio dignoſcatur, probat Abrahami exemplo non eſſe iuſtificatos qui fidei opera nul-
la demonſtrant. Sic enim Iacobus cum Paulo conciliandus eſt, vt planè appareat con-
tentioſos eſſe qui neceſſitatẽ bonorum operum tanquam falſum dogma condemnant.

QV. *Quid ſi quis igitur in ipſo demum mortis articulo fide donetur? Hoc enim videtur
pendenti illi latroni vſuueniſſe. Quanam bona opera quiſpiam eiuſmodi protulerit?*

R. Imò fuit latronis illius fides breuiſſimo tempore inenarrabiliter ἐνεργητική, ſi- Luc.23.40
quidem alterius latronis blaſphemias & ſcelera redarguit, ſua crimina deteſtatur, certa
& planè mirifica fide Chriſtũ in ipſa crucis ignominia, tacentibus omnibus diſcipulis,
æternum Regem agnoſcit, & Seruatorem inuocat, Iudæorum denique crudelitatem, &
impias voces palàm redarguit. Sunt autẽ peccati agnitio, inuocatio Dei Patris in Chri-
ſto, & gratiarum actio, præſtantiſſima primæ Tabulæ opera, quæ in nemine prorſus à
fide ſeparari poſſunt. Vt verò quiſpiam morte præueniente nulla poſſit opera ſecundæ
Tabulæ demonſtrare: fides tamen in eo non eſt idcirco cenſenda otioſa, quoniam etſi
non ἐνεργεία, tamen δυνάμει charitatem habet coniunctam.

QV. *Vnus præterea mihi ſcrupulus ſupereſt, quinam malis operibus quiſquam damnetur,
ſi bonis operibus nemo iuſtificatur.*

R. Atqui ratio manifeſta eſt, quoniã videlicet vel leuiſſimum peccatum dignum
eſt, etſi non ſummis in æterna morte pœnis, at ipſa tamen æterna morte, quæ eſt in ge-
nere ſtipendium peccati. at vitam æternam dignè mereri nulla iuſtitia poteſt, niſi qua- Rom.6.23
lem Lex requirit, perfecta nimirum & integra ſecundum integræ humanæ naturę gra-
dum. Da igitur mihi qui Legem impleat, ſicut nemo non tranſgreſſor Legis inuenitur, Rom.3.10
& illud argumentum tibi concedam.

QV. *Ais igitur impares fore damnatorum pœnas?*

R. Etſi hac de re admodum ſobriè quærendum eſt, tamen id non temerè dixi. Præ-
terquam enim quòd ipſa iuſtitiæ ratio poſcit, vt, quum peccata omnia inter ſe paria non
ſint, niſi quatenus in genere conueniunt, qui grauius peccauit, grauius plectatur: (Stoi-
corum enim eſt, non Chriſtianorum paradoxon, quo paria eſſe peccata ſtatuuntur) id
etiam expreſſè teſtatur Chriſtus, tolerabiliorem fore dicens Sodomorum conditionem Mat.10.15
in die iudicij, quàm eorum à quibus ipſe reiiciebatur.

QV. *Ergo impar etiam erit eorum qui ſeruabuntur gloria?*

R. Omnino id poſcit eadem contrariorum ratio. Et quod dicit Apoſtolus, fore 2.Cor.9.6
vt qui parcè ſeuerint, parcè metant, non videtur ad ſolas temporarias benedictiones re-
ferendum.

QV. *Atqui ex ipſa ſemente prodit meſſis, ergo ex ipſis bonis operibus iuſtitia & vita.*

R. Imò nunquam ſunt ſimilitudines longius trahẽdæ quàm ferat rerum de quibus
agitur natura, & eius conſilium qui ſimilitudines adhibet: alioqui infinita abſurdiſſima
& falſiſſima conſequentur, quod dum non animaduertunt imperiti interpretes, inepta

ac falſa etiam multa proferant neceſſe eſt. Cæterùm eo loco Apoſtolus analogiam operum & gloriæ, non autem ipſius gloriæ cauſam declarat: qui tam conſtanter vbique iuſtitiam defendit merum eſſe Dei donum abſque operibus Legis, neque ſecundũ debitũ perſolui, ſed vt gratiam credentibus imputari.

QV. *Opera Legis Ceremonialis intelligit.*

Rom. 4. 4 ℞. Ridiculum reſponſum. Nec enim valere poteſt illa debiti & gratiæ oppoſitio, niſi omnia Legis opera ſine vlla exceptione excludantur, vt alia Pauli argumenta aduerſus ipſam Decalogi legem ex profeſſo contorta prætercam: cõtorta, inquam, non vt Legem vituperet (quæ eſt Manichæorum inſania) ſed vt iuſtificandi vim ipſi adimat. Deinde, obſecro, ſi quæ operibus accepta ferenda eſt iuſtitia, cur ceremonias rite vſurpatas excluſeris? Nã certè quarto ipſius Decalogi præcepto comprehẽduntur, & modò

Rom. 7. 9 rite vſurparentur, præſtantiſsima opera fuerunt.

QV. *Sed aduentu Chriſti abolitæ ſunt Ceremoniæ.*

℞. Abolitæ ſunt, fateor, quoniam in Chriſto ſunt completæ. Pauli verò argumenta, vbi de cauſis iuſtificationis diſputat, res ipſa declarat non eò ſpectare vt ceremonias abolitas eſſe doceat, ſed vt in vnius Chriſti iuſtitia credentibus imputata, ſemper poſitam fuiſſe ſalutem demonſtret, prolatis inter cætera Abrahami & Dauidis teſtimoniis.

QV. *Dicamus ergo à Paulo excludi duntaxat bona opera gratiam iuſtificationis præcedentia.*

℞. Non minus etiam ineptum eſt hoc reſponſum. Præterquam enim quòd iuſtificatorum exempla & teſtimonia manifeſtè profert Apoſtolus, putà Abrahami & Dauidis, vt alias eius rationes prætercam ab ipſa Legis natura deſumptas: quæ fuerit dementia laborare de iis excludendis quæ nuſquã ſunt? Vlla enim ſtatuere bona opera eorum qui non ſunt iuſtificati, nõ minùs ſtultũ eſt quàm ſi quis dicat prius ab arbore quapiam edi bonos fructus quàm bona eſſe cœperit.

Rom. 4. 6. & 13

QV. *Atqui ſi non ex operum ipſorum dignitate, ſaltem tamen ex pacto debetur vita æterna merces.*

℞. Quódnam, quæſo, pactum intelligis?

QV. *Pactum Legis, Hoc fac, & viues: &, Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata.*

℞. Quomodo hoc pactum intelligatur, ex comminatione promiſſioni contraria petendum eſt. Sic autem habet, teſte ipſo Apoſtolo, Execrabilis quiſquis non manſerit in omnibus quæ ſcripta ſunt in libro Legis, vt ſeruet ea. At Lex perfectam dilectionem

Gal. 3. 10 requirit. Nemo verò præter vnum Chriſtum plenè Legem impleuit. Itaque vni quidem Chriſto debetur vita ex pacto, nobis autem, quibus ipſemet ex mera gratia datus eſt, ex eadem mera gratia donatur.

QV. *Cur igitur bona opera vocas, ſi vitam æternam non promerentur?*

℞. Impropriè certè verbo MERERI vſi ſunt Latini Theologi etiã veteres, pro ADIPISCI: & MERITI nomine pro Bono opere, quod in Sacris literis nuſquam inuenias. Cæterùm etſi eouſque bona non ſunt opera regeneratorum, vt vitam æternã mereantur, tamen bona ſunt, quatenus à bono Dei Spiritu, & à corde per fidem purificato proficiſcuntur. & rurſum bona, quoniam ex eis glorificatur Dominus, iuuatur proximus, & nos quoque excellentem hunc fructum, ex iis percipimus, quòd nobis ſint noſtræ fidei, ac proinde electionis noſtræ teſtimonia. Denique Dominus nõ quidẽ ex merito, ſed ex mera liberalitate, bene & ſanctè viuentes multis donis cumulat.

QV. *Hactenus igitur de vtraque ſanctificationis parte dictum ſit. Supereſt illud quod etiam dicit Apoſtolus, Chriſtum videlicet factum eſſe nobis redemptionem.*

℞. Redemptionem illic vocat Apoſtolus, non ipſam redimendi actionem, ſed effectum: id eſt, finem ad quem nos illa iuſtificatio & ſanctificatio deducit, hunc videlicet vt in Chriſto à peccato & morte redempti, in eodem quoque fiamus æternæ vitæ participes, cuius etiam in hac vita pignus & arrhabonẽ habemus Spiritum ſanctum, à quo ſumus obſignati.

QV. *Atqui Dauid collocat hanc redemptionẽ & beatificationem in peccatorum remiſſione. Cur igitur adycis etiam ſanctificationis ipſi Chriſto inhærentis, & impletionis Legis imputationem?*

℞. Quid ſi tibi obiiciam illa, Beati qui ſunt mundo corde, Beati qui ſunt inculpati in

in via,& cætera eiuſmodi: an hinc collegeris excludi peccatorum remiſſionem? Nequaquam,opinor.Sic interdum nomine Iuſtificationis intelligitur etiam Sãctificatio, quoniam hæc duo prorſus cohærent. Quidni igitur illud quoque reſponderim: vnius peccatorum remiſſionis interdum mentionem fieri, non vt excludãtur aliæ beatificationis partes,ſed quòd tacitè cum illa comprehendantur? Quòd ſi etiam magis vrgeas,cõmodè quoque reſponderim,remiſſione peccatorum cætera quoque ſignificari. Quis enim negauerit originis quoque peccatum expiatione indigere? ergo in peccatorum remiſſione comprehenditur. Quis item dicat eum duntaxat habendum peccatorẽ qui prohibitum aliquid faciat,ac non etiam eum qui quod præceptum eſt non impleat? Ergo peccatum eſt quoque non impleuiſſe Legem,quod & ipſum remittatur neceſſe eſt.Superſunt peccata,id eſt opera contra Legem facta,de quibus controuerſia nulla eſt quin expianda ſint.Omnia autem hæc imputata Chriſti pro omnibus nobis ſatisfactione remittuntur.Iam ad Remiſſionis nomẽ veniamus. Remittere debitũ propriè dicitur qui debitorẽ gratis,& quidẽ prorſus,abſoluit,adeò vt nullã ſibi aduerſus eũ actionẽ relinquat. Atqui filij iræ ſumus non tantùm quod corrupti ſimus,quod Legẽ non impleamus, quod vetita faciamus,verùm etiã quia puros nos apparere corã Deo oportuit, quales ab eo cõditi ſumus:& non modò non eſſe Legis tranſgreſſores,verùm etiã perfectos Legis factores.Ergo ad eã remiſſionẽ quæ alterã tãtùm partẽ tollit,de qua antea diximus,altera quoque accedat neceſſe eſt,vt nobis (alioqui perituris) plena & perfecta cõſtet omniũ peccatorũ remiſſio. Vtrãque verò in vno Chriſto per fidẽ apprehenſo inuenimus,qui nõ modò pro noſtris illis omnibus peccatis paſſus eſt,ſed etiã naturã noſtrã in ſeſe plenè ſanctificauit pro nobis,& in eadẽ omnẽ iuſtitiã pro nobis impleuit,vt non tantùm à morte per eum liberemur,ſed etiam æternæ vitæ præmium in eodem conſequamur.

QV. *Concludis igitur in vno Chriſto,cui per fidem adhæreſcimus, inueniri omnia nobis ad ſalutem neceſſaria,vt in ijs qui in Chriſto ſunt,nulla prorſus ſit condemnatio.*

℟. Concludo,& hanc vnam eſſe ſalutis ſcientiam.

QV. *Ais etiam hanc fidem eſſe donum quod ex mera Dei gratia in nos confertur,ac proinde ipſius initium eſſe à Deo,non à nobis.* Act. 16. 14 Ephes. 2. 8 Phil. 1. 29

℟. Aio.

QV. *Nunc,obſecro,quæramus quibus detur. Omnibus enim non dari res ipſa teſtatur, quum tam pauci ſemper fuerint credentes.*

℟. At non conſequitur tamen omnibus non offerri.Itaque prius videtur quærendum an omnibus offeratur:quæ percontatio nos ad ipſos fontes, nempe ad prouidentiã & prædeſtinationem,deducet.

QV. *Ita eſto:ac proinde quæſo expone quid Prouidentiam appelles.*

℟. Sic appello non illam modò vim inenarrabilem,qua fit vt Deus omnia ab æterno proſpexerit, omnibúſque futuris ſapiẽtiſſimè prouiderit: ſed in primis decretũ illud æternum Dei ſapientiſſimi ſimul & iuſtiſſimi, ex quo quicquid fuit,fuit: quicquid eſt, eſt:& quicquid futurum eſt,erit,prout ipſi ab æterno decernere libuit.

QV. *Hanc igitur prouidentiam ais eſſe rerum omnium effectricem ac moderatricem?*

℟. Aio,& ita quidem vt excellentius quoddã quàm Cauſæ nomen mereatur.Hęc enim eſt quæ cauſas omnes ordinat, & ſingulariſſima etiam illarum effecta regit,vt ad decretum finem ferantur.

QV. *Atqui & Angelorũ pars mala eſt,& omnes homines natura mali ſunt, & quicquid ab his vel illis proficiſcitur.malum ſit oportet,(regeneratos homines excipio) vtpote à malo principio profectum. Atqui Deus author malorum eſſe non poteſt. Non igitur omnium author eſt,ſiquidem tam multa mala excipienda ſunt.*

℟. Et Angeli ſinguli(nec enim in ſpirituali natura dari poteſt propagatio)& homines primi,Adam videlicet & Eua,boni conditi ſunt. Itaque neutri extra Dei decretum collocandi ſunt.

QV. *Eſto,quod ad originem & primum illum ſtatum attinet. Sed quũ corrupti nune ſint ac deprauati,quomodo tandem eos ſubijcies æterno illi vſque adeò ἀπαρηγητικῷ decreto,quin Deum inuoluas ipſorum improbitate?*

℟. Æquum fuerit ſcilicet,vel ipſis ſedentibus iudicibus ſiue dæmonijs, ſiue hominibus corruptiſſimis, idcirco eximi iſtos Conditoris Dei imperio: quoniam in ipſum fuerint contumaces.Et tamen id conſequi ex tuo illo dicto neceſſe fuerit. Res autẽ ita ſe habet:Nunquámne,quæſo,horologia contẽplatus es,in quib' rota quędã maxima ad

dextram vergens, cæteras ſecum rapiat, vnas quidem itidem ad dextram, alteras verò ad ſiniſtram, contrario prorſus motu?

QV. *Sanè: & quidem ſæpe ſum demiratus induſtria humana poſſe oculis repræſentari, quod in cælorum orbibus vix aſſequi mens humana poteſt.*

℞. Scito hanc veram eſſe diuinæ illius prouidentiæ imaginem, ſi hoc exceperis, cui nihil ſimile ne in cæleſtibus quidem orbibus, nedum in illis mechanicis inſtrumentis inueniri poſſit: quoniam nihil eſt æquale: imò ne propriè quidem ſimile Altiſſimo. nempe quòd Deus ipſe omnipotens (quem nunc maximè cæterarum rotarum motrici rotę comparamus) ſic in mundo eſt vt mundi pars non ſit, & motum αὐτόματον ſingulis ſeſe mouentibus rotis indiderit, & ita quidem vt ipſe nullo modo moueatur, omnia verò ſecundum ſuam æternam prouidentiam moueat. Hoc autem prouidentiæ Dei μυστήριον
Ezech 1 nobis diuinitus in illa Ezechielis viſione fuit repræſentatum, in qua etiam illud nobis obſeruandũ eſt, quadruplices illas imaginès fuiſſe alis obtectas, & rotas rotis implicitas, altiſſimo Deo ſupra omnia illa collocato, ne cum cauſis moueri ipſum motorẽ arbitremur, néve nimium curioſè ſingularum illarum motionum rationes à nobis percipi poſſe ſperemus. Hoc poſito, tria tibi reſpõdeo. Primùm, animalia & ratione prędita inſtrumenta (cuiuſmodi ſunt Angeli & homines) ſic agi à Deo opifice, vt etiam ipſa interiore ſuo motu ſpontaneo agant, ac proinde ad vnam edendam actionem duæ concurrant cauſæ, Deus videlicet ſeiunctus ab inſtrumento, & tamen inſtrumẽto tribuens ſeſe mouendi principium: & ipſum ſeſe mouens inſtrumentum. Alterum, ſic à Deo moueri hæc inſtrumenta, vt ipſe quidem bene ſemper agat, illa verò, ſi mala ſint, contrario motu, id eſt, malè ſemper agant: ſin verò bona, tum demum quũ & primus author, qui bene ſemper mouet, & ſeſe mouens inſtrumentum conſentiant, bonam & laudabilem actionem ſequi. Tertium, ſic Deum mouere mala inſtrumenta (de his enim ſolis nunc quærimus) & viciſſim à ſeſe hæc eadẽ inſtrumẽta ſic moueri, vt propter duplex mouens principiũ, duplex ſit etiã opus quod vnicũ tamen videtur, ídque reſpectu boni principij ſit bonũ: reſpectu mali, ſit malum.

QV. *Velim hæc aliquibus exemplis illuſtrari.*

℞. Faciam, & quidẽ certis & illuſtribus, vbi hanc diſtinctionẽ adhibuero. Malis etiã quibuſuis Deus inſignis artifex bene vtens, aut illos inter ſe committit, aut per eos bonis benefacit. vtrumuis autem faciat, bonum id eſſe nemo ſanæ mentis negarit, nempe
Gen. 45. 7. & 50. 20 malos vlciſci, bonis autem benefacere. Nunc exẽpla proferamus. Dei prouidentia perueniſſe Ioſephum in Ægyptum, ibique in maximam potentiam euectum vt Eccleſiæ conſeruator eſſet, ipſemet dicit, & res ipſa declarauit. Quibus autem inſtrumentis ad eã rem vſus eſt Dominus? Satana fratres aduerſus innocentiſſimum fratrem impellente, ipſorum fratrum peſſima voluntate, mercatorum auaritia, ſceleratiſſimæ mulieris libidine. Omnes igitur iſti grauiſſimè peccarunt, quatenus fuerunt ſuarum actionum principia: Deus verò peſſimis etiam illis inſtrumentis nihil tale cogitantibus vtens, ſuis aduerſus famem præſidio fuit, eoſdem in terra fœcunda collocauit, Ioſephum denique fidum ſeruum ſuum erudiuit, ac tandem in ſummum honoris gradum euexit. Malos autem
Iud 7. 22 conficere ſeipſos, an non eſt iuſtiſſimum Dei opus? Sic vltus eſt Madianitas, vſus tamen ſpiritu diſcordiæ, & mala homicidarum voluntate, aliis in alios mala conſcientia,
2. Sam. 12. 13 iuſto tamen Dei iudicio, impetum facientibus. Bonum fuit caſtigari Dauidem, etiam poſt agnitum & condonatum peccatum. Bonum etiam fuit Achitophelis perfidiam,
2. Par. 1. 8 & Abſolomi ſceleratum animum pateſacere, & ſeuerè vindicare. Vtitur ad eas res per-
2. Sam. 15. 20. & 17. 1. & 16. 22. agendas Dominus, Satanæ rabie, Achitophelis perfidia, ſceleratiſſimi Abſolomi ambitione, nefaria libidine, impietate, quibus peſſimis inſtrumentis multa eſt optimè exequutus. Declarauit enim quantopere ſibi diſpliceant adulteria & doli: Dauidem paternè caſtigauit, Achitophelẽ ipſiuſmet manibus punit, facit denique vt ſemetipſum Abſolomus vltro perdat. Probari nos, ac prinde affligi ex bona Patris cæleſtis voluntate, vt
1. Pet. 1. 7. 2. Theſſ. 3. 9. Gal. 6. 14. 2. Cor. 12. 9 ita glorificetur ipſe, virtus aũt in infirmitate pficiatur, teſtatur Scriptura: & niſi ita ſtatuamus, quæ tandẽ erit piorũ in tantis malis cõſolatio? Atqui ad Iobũ hoc modo probãdum adhibetur Satanæ peruerſitas, & prædonũ auaritia, ſummáque crudelitas. Peccauit igitur Satan ſeruũ Dei tot malis afficiens, & prædones aliena diripiẽtes peſſimè egerunt: optimè autẽ egit Dominus ſeruũ ſuũ probans, & Satanæ conatus omnes aduerſus Eccleſiam irritos eſſe demonſtrans. Denique præſtantiſſimum omnium operum Dei eſſe non negabis humani generis redẽptionẽ. Tradidit enim eum Pater propter noſtra peccata,

peccata, definito ſuo conſilio, & præeunte æterno decreto, vt dicunt Petrus & Eccleſia [Act. 2.23. & 4.28] Hieroſolymitana: & Pater is eſt qui Filio ſuo propter nos non pepercit. [Epheſ. 5.2] Quænam autem inſtrumenta tantæ peragendæ rei adhibuit? [Rom. 8.32] peſſima certè: (quia nemo bonus innocentē perſequi, nedum prodere, damnare, crucifigere potuit.) nempe Satanæ malitiā in cor Iudæ ingreſſi, ipſius Iudæ auaritiam, & perfidiam execrandam, Iudæorum inuidiam, & [Luc. 22. 3] deſperatiſſimam improbitatem, [Ioh. 12.6] Pilati denique mollitiē & præpoſterum motum. [Mat. 27.18] Nullus eſt igitur iſtorū qui non grauiſſimè peccarit, eóque nomine poſtea ſunt omnes ſeue [Ioh. 19.8] riſſimis pœnis à Deo affecti. Sed nos interea hoc ipſo opere à peccato & morte ſeruauit.

QV. *Hinc verò nihil aliud colligi poſſe videtur, quàm malorum conſilia in contrarios fines à Deo conuerti.*

R. Imò hinc quoque conficitur, malos etiam à Deo bene & efficaciter moueri, vt ſuū opus per eos exequatur. Sed memineris eius quod dixi, bene videlicet moueri malos à Deo, ad bonum ipſius opus peragendum, non vt eſt malleus aut ſecuris in artificis manu, quæ organa ſunt merè παθητικὰ: ſed ita vt ipſi ſeſe malè quoque moueant ad malè volendum & agendum, quoniā & ipſi ſunt ἐνεργητικαὶ ſuorum malorum operum cauſæ. Nunc autem illud quoque adiiciendum eſt, Deum agere quidem in bonis & per bonos: per malos verò agere, at non in malis.

QV. *Quódnam eſt igitur in his voculis diſcrimen?*

R. Magnum profectò. Nam & his & illis vt inſtrumentis vtitur Deus quoties libet, ideóque & per hos & per illos agere ſuum opus rectè dicitur. At in iis demum agit [Rom. 8.14] Deus quos Spiritu ſuo afflat & regit, [1. Cor. 12. 11] vel in bonitate ipſos confirmans, Angelos videli- [Epheſ. 1.11] cet & regeneratos homines: vel noua bonitate ipſos donans, vt quum ſuos initio ſancti- [Ioh. 1. 3; Rom. 1. 26, & 28] ficat. In reliquis verò non agit ipſe aliquid intra ipſos efficiens, ſed partim ſuis cupidi- [2. Tim. 2. 26] tatibus, partim Satanæ mouendos & gubernandos tradens: ita tamen vt ipſorum improbitas id demum velit & poſſit quod ipſe iuſtè ordinauit.

QV. *Quid ergo iudicas de Permiſsionis nomine?*

R. Si Permiſſionis vocabulo intelligatur illud de quo modò dixi diſcrimen, quoniā videlicet in malis non agit Deus, ſed eos Satanæ & ſuis cupiditatibus permittit, id minimè repudio. Sin verò Permiſſio opponatur voluntati, hoc ego primùm vt falſum, deinde etiam vt prorſus abſurdum reiicio. Falſum eſſe ex eo conſtat, quòd ſi Deus quippiā inuitus permittit, Deus certè, id eſt omnipotens non eſt. Sin verò quaſi non curans permittere quippiam dicatur, quantum abſumus ab Epicureiſmo? Supereſt ergo vt volens permittat quod permittit. Voluntas igitur Permiſſioni non opponitur. Abſurdum autem illud eſt ſanè, ſi falſum eſt: ſed hanc abſurditatem ſatis attento cuiuis ex eo patêre poſſe dico, quòd huius diſtinctionis authores, qua Permiſſio Voluntati opponitur, hac ratione non modò non aſſequuntur quod volunt (nempe vt Deus author mali non cenſeatur, quod nos quidem vltro confitemur) verùm etiam contrarium prorſus efficiunt. Quis enim magis eſt in culpa quàm qui malum imminens longiſſimè proſpiciat, idq; ſolo nutu impedire poſſit, & tamen illud non modò non impediat, verùm etiam permittat, id eſt eius mali patrādi facultatem concedat? Nā ne hi quidem qui ſic ſentiunt, inficiantur Satanæ, nedum malis hominibus, non licere mali quicquam niſi ex præſcripto agere, quemadmodum ſiquis ſæuum leonem cauea incluſum non modò non prohibeat quēquam lædere, quum facillimè poſſit, verùm etiam vinculis liberet, & in hunc vel illum facere impetum ſinat. Dices fortaſſis ita mereri hominum peccata. Concedo. Illud manet tamen, interuenire Dei voluntatem in permiſſione, veluti quum Magiſtratus nocentē in carnificis manus præſcripto ſupplicij modo tradit, ac proinde abſurdam eſſe voluntatis & permiſſionis repugnantiam.

QV. *An igitur mali quoque faciunt Dei voluntatem?*

R. Si voluntatem accipias generali ſignificatione, pro eo quòd Deus volens decreuit vt fieret, & Faciendi verbum non ad cōſilium malorum, ſed ad ipſum rei exitum referas, ſanè per malos quoque exequitur Dominus voluntatem ſuam, id eſt quod ab æterno decreuit: iuxta illud, Voluntati Dei quis reſiſtit? [Rom. 9.19] Sin verò voluntatis nomine intelligas id quod Deo per ſe gratum eſt, [Pſal. 5. 5] & Faciendi verbo includas rectum obediendi af- [Mat. 7.15] fectum, tum ſanè reſpondero, malos non modò non facere Dei voluntatem, verùm etiā totos in contrariam partem ferri.

QV. *Non habeo quidem ego quod regeram. Redeo tamen ad illud quod reſponderas, nimirum bona omnia fuiſſe initio à Deo condita. Vnde igitur vitium? Nā ſi citra Dei decretum*

ingreſſum eſt, labefactatur quod dixiſti, nihil prorſus Dei prouidentia, & quidem ἀπρογνωστῷ, eximi. Sin verò Dei decretum præceßit, quinam ipſe non eſt (quod abſque blaſphemia dictum ſit) omnis mali author?

℞. Vitij cauſa eſt ipſa bonorum Angelorum & primorum hominũ voluntatis ſpontanea ad malum inclinatio. Crearat enim eos Dominus mutabiliter bonos, quoniã per ſe immutabiliter bonum eſſe, vnius Dei proprium eſt.

QV. *Ergo & Angeli qui nunquam exciderunt aut excident, & omnes qui in æternam vitam colligentur, dij fuerint.*

℞. Nego conſequutionem. Quòd enim nunquam exciderunt nec excident beati Angeli, nec vllus erit æternæ ipſorum beatitatis finis, non eſt ex immutabili natura, quę vnius Dei propria eſt, ſed ex eo quòd perpetuò immutabilis Dei virtute fulcientur: quæ ſi fortè illos deſereret, (deſereret autem ſi Deus vellet) tum ſanè non modò immutari, verùm etiam prorſus euaneſcere, & in nihilum redigi poſſent. Itaque vitij cauſam eſſe dixi voluntatis, bonæ quidem, ſed mutabilis conditæ, ſpontaneam inclinationem. Fuit enim mutabilis illa voluntas, Deo ſic eam condente: quoniam alioqui tot deos quot immutabiles naturas condidiſſet. Mutata eſt autem Deo quidem illam deſerente (cui enim adſtrictus eſt?) ipſa verò ſeipſam vltrò immutante, vt vitij cauſa potius deficiens quàm efficiens ſtatuenda videatur.

QV. *Verùm ſi abſque Dei decreto iſta mutatio non euenit, videri ſanè poßit omne hoc malum ipſi tribuendum.*

℞. Nequaquã id conſequitur, quũ decretũ Dei minimè ſuſtulerit primi hominis voluntatem, ac proinde deliberationem aut προαίρεσιν, ſed duntaxat ordinarit. Nã ſpontaneo prorſus lapſu mutatus eſt, quod multo etiam magis de Angelorum lapſu intelligendum eſt, in quos ipſum vitium prorſus οἴκοθεν irrepſit, quæ cauſa etiã fortaſſe Deũ impulit vt hominum, qui diaboli interuẽtu lapſi ſunt, miſereretur, diaboli verò & ipſius angelorum non item.

QV. *Verùm aliter fieri non potuit quàm Deus decreuerat vt fieret.*

℞. Concedo vtrunque. Neque enim fas eſt excludere à præcipui opificij mutatione decretum illud æternum, quo paulò antè demonſtrauimus, & omnia & ſingula, abſque vlla prorſus exceptione, comprehendi. Mutabile verò iſtiuſmodi decretum conſtituere impium eſt. Sit ergo vtrunque illud veriſſimum. Sed inde non efficitur vel Deum eſſe in culpa qui bene ſemper agit, ſicuti diximus, tum quoque quum peccant inſtrumenta: vel hominem extra culpam eſſe, vt qui nonniſi volens peccarit. Nec enim iſta neceſſitas, qua fieri neceſſe fuit quod Deus decreuerat, voluntatẽ aut cõtingentiã ſuſtulit, ſed potius ordinauit, quũ inter humanarũ actionũ cauſas vel præcipua ſit voluntas.

QV. *Vis igitur voluntati non repugnare neceſsitatem eius eligendi quod Deus ab æterno decreuerit. Atqui contingens dicitur quod vel euenire vel non euenire poteſt.*

Ioh.11.51 ℞. Apertius etiam dico, non neceſſitate ſed coactione demum tolli volũtatem aut
Mat.19.54 contingentiam. Oportuit Chriſtum mori ætate, tempore, & loco ab æterno cõſtitutis, alioqui potuerunt mentiri Prophetæ. Atqui ſi naturalem κρᾶσιν carnis Chriſti extra diuinum decretum, & per ſe ſpectes, non dubium eſt quin vitam protrahere naturaliter
Ioh.19.36 etiam potuerit, ac proinde quin hoc reſpectu contingenter ſit mortuus. Frangi potuerunt oſſa Chriſti, ſi naturam oſſium per ſe reſpicias: ſin Dei decretum, non magis frangi potuerunt quàm Deus ſententiam mutare. Itaque contingentiam ſecundæ cauſæ non
Act.17.3 tollit, ſed diſponit diuini decreti immutabilis neceſſitas. Chriſtus quoque neceſſariò ex Patris decreto mortuus eſt, & tamen volẽs. & abſit vt inuiti vnquam moriamur, quibus tamen ſtatutum eſt ſemel mori. Quid amplius? Deus ipſe liberrimè quidem, & maximè volens, tamen prorſus immutabiliter bonus eſt. Ergo voluntas & neceſſitas non repugnant. Duorum enim repugnantium quum neceſſe fuerit ab Adamo alterum tantùm eligi, etiamſi neutrum fuit determinatum intra ipſius voluntatem, at certè alterum definitũ erat in æterno Dei decreto, quod extra & ſupra ipſam voluntatem erat, neque illam coegit: quin potius ipſa vltro & ſponte, quoniam vtrunque accipere non potuit, in eam demum partem inclinauit quam Dei decretum conſtituerat.

QV. *Sed illa certè neceßitas, quæ vnà cum concupiſcentia ingreſſa eſt in cor hominis, adeò vt (ſicut antea declaraſti) non poßit non peccare, contingentiam tollere videtur.*

℞. Etiamſi ita eſſe faterer, homines tamen eximi culpæ non poſſunt. Primùm, quia hæc neceſſitas peccandi, qua nunc eſt oppreſſum humanum genus, non eſt à conditore,

re,ſed à ſpontanea (vti diximus) naturalis humanæ voluntatis inclinatione ad malum.
Quis autem eum miretur cremari,qui ſeſe vltro in ignem proiecerit? Deinde quoniã
etſi non contingenter, ſed prorſus neceſſariò nunc fertur homo ad malum poſt peccati
videlicet corruptionẽ(vt ait Apoſtolus)peccato mancipatus,tantiſper dum à Filio Dei Rom.7.14 Ioh.8.36
liberetur:tamen quod agit,ſponte agit,non coactè. Sicut enim non poteſt non malè a- Rom.8.7
gere,ita etiam non alio quàm malo delectatur, quanuis malum interdum ſub boni ſpe-
cie deliteſcens illum decipiat. Itaque ne hæc quidem per ſpontaneum lapſum inuecta
neceſſitas,ſpontaneum voluntatis motum tollit,quo poſito, efficitur hominem, quan-
uis neceſſariò,ſponte tamen peccantem,verè cauſam eſſe peccati. Sed tamen ne hac
quidem neceſſitate tolli contingentiam dico. Etſi enim in homine ſub peccati neceſſi-
tate conſtituto,necdum regenerato,nulla nunc ſupereſt deliberatio, vel de verè bono
vel de malo eligendo, qualis in natura humana fuit ante lapſum: tamen ſupereſt deli-
berario inter hoc vel illud malũ. Vbi enim de hoc vel illud eligendo non agitur,ibi nul-
la eſt deliberatio.Deliberant autem homines etiam maximè præcipites: ſed nec intelli-
gere quicquam,nec cogitare,ac proinde multo minus deliberare de quoquam poſſunt,
niſi vel à bono aberrantes,vel planè aduerſus conſcientiam. Omnis igitur eorum deli-
beratio & προαίρεσις inter duo vel plura mala verſatur. Quòd autem hoc vel illud ante-
ponunt,id totum quoque fit contingenter, quod ad ſponraneam ipſorum voluntatem
attinet: quam contingentiam non magis nunc tollit in hominibus corruptis Dei de-
cretum immutabile,quàm olim ſuſtulit in homine nondum corrupro.

QV. *Summa igitur eorum quæ de prouidentia dixiſti,hæc eſt: Nihil prorſus vel inuito vel neſciente Deo (id eſt,temerè & fortuitò) euenire, ſed ita omnino vt ipſe Deus ab æterno decreuit potentiſſimè & efficaciſſimè cauſas omnes intermedias diſponens, vt ad deſtinatum finem neceſſario,quod ad ipſum decretum attinet, ferantur: nec tamen vllius mali authorem eſſe vel approbatorem,quoniam iuſtiſſimè ſemper agat,quibuſcunque inſtrumentis opus ſuum exequatur.*

℞. Ita eſt.

QV. *Hoc illud eſt rurſus quod me torquet. Etſi enim video iuſtè operari Deum per malos,tamen ſi æterno decreto Dei omnia & ſingula fiunt,ita vt nihil prorſus excludatur, illud manet,Mala malorum opera,etiam quatenus mala ſunt,Dei decreto non eximi,quod mihi videtur ſine impietate dici non poſſe.*

℞. Neceſſe eſt eum vehementer & fruſtrà quidem torqueri qui de hoc laborat, vt
Dei ſapientiam rationis ſuæ finibus comprehendat. Nam,obſecro, ſi velles Oceanum
vaſculo includere ex quo bibis,quid tandem proficeres niſi vt operam luderes, & inſa-
nus meritò habereris? Atqui tolerabilior,quãuis ἄῤῥητος, eſt proportio inter Oceanum
& vel minimum vaſculum, quàm inter Dei ſapientiam, & humani corruptiſſimi inge-
nij ſtultitiam. Puto tamen poſſe commodè ad hoc quoque quod obiicis reſponderi. Cõ-
cedo igitur hoc quoque, Mala malorum opera, etiam quatenus illorum reſpectu mala
ſunt,non fieri Deo inuito vel ignorãte,quoniam hoc poſito vel Atheiſmum,vel Epicu-
reiſmum neceſſariò ſequi oporteret: ſed addo,ſi Decretum Dei ſpectes, ipſum malum
habere rationem boni,etiamſi in ſeſe malum eſt,vt illud Auguſtini παράδοξον ſit veriſſi-
mum,Bonum etiam eſſe vt mala ſint: quoniam non ſineret Deus vt mala ſint. non ſinit
autem nolens vtique,ſed volens. Pſal.5.5

QV. *Quid ergo? an dicemus Deum velle iniquitatem?*

℞. Abſit. Eſt.n.hæc omniũ blaſphemiarũ maximè horribilis. Sed ſuſtine,quęſo,pau-
liſꝑ dũ quid illud ſit exponã,qđ tã verè & piè dixi,vt negari non poſſit quin Deus ſtatua
tur nõ eſſe mũdi iudex. Voluntatis nomẽ interdũ latiſſima ſignificatione accipitur ꝓ eo
quod Deus decernit:qua ſignificatione dicẽdũ eſt omnino,vel Deũ velle omnia, id eſt,
nihil euenire quod Deus nolit vt eueniat: vel Deum nõ eſſe omnipotentẽ, ſi euenit vel
tãtillũ quippiã quod nolit euenire:vel Deũ nõ curare res omnes,ſi ipſo nõ curãte quic-
quã euenit. Interdũ verò Volũtatis nomine id vnũ ſignificatur quod ipſi gratũ eſt, quia
ſuapte natura bonũ eſt:& hoc modo ſoli credẽtes dicũtur Deo obedire,& exequi ipſius
voluntatẽ:quia hoc ſenſu Deus dicitur id tãtùm velle, id eſt ꝓbare & gratũ habere, qđ
bonum eſt,iniquitatẽ autẽ nolle:quæ voluntas plenè nobis eſt in Lege patefacta,illa ve- Pſal.5.5
rò nõ itẽ,niſi ex parte. Quis enim nouit quicquid vel hoc ipſo die futurũ eſt? Nihil au-
tem eueniet niſi quod ab æterno Deus voluit & decreuit vt eueniret.

QV. *An verò cenſeri poteſt Deus aliquid voluiſſe aut decreuiſſe quod non approbet,*

ac proinde quod malum ſit?

℞. Fatendum quidem eſt quicquid decreuit Deus, decerni merè ἑκουσίως, ſed hîc quoque elucet verè infinita eius ſapientia, quòd apud eum tenebræ etiam ipſæ habeant rationem lucis, & ita quidem vt tenebræ tamen ſint & maneant, id eſt, bonum ſit etiam aliquod eſſe malum: quoniam rationem inuenit Deus qua fit vt quod ſuapte natura malum eſt & permanet, tamen apud ipſum habeat boni rationem, & (vt verè & ſcitè dixit Auguſtinus) non eueniat præter ipſius voluntatem, hoc eſt, abſque eius decreto, id etiã quod eſt præter eius voluntatẽ, id eſt, quod ſuapte natura iniuſtum eſt, ac proinde Deo non placet. Sic exempli gratia, quòd Deus ſuos gratuita Chriſti Filij ſui redemptione ſeruat, maxima eſt ipſius gloria, quæ alioqui non eluxiſſet. At redemptione à peccato & morte non indiguiſſet homo, niſi peccatum & mors extitiſſent. Bonum ergo fuit Dei ordinantis reſpectu, peccatum & mortem in mundum ingredi: & tamẽ peccatum hoc vſqueadeò ſuapte natura peccatum eſt & manet, vt non niſi terribiliſſima pœna potue-
Rom.5.15 rit expiari. Rurſum longè plus recipimus in Chriſto, quàm in Adamo amiſerimus. Ergo optimum etiam & vtiliſſimum nobis fuit, Adamum labi, quod ad Deum, hoc admirabili modo nobis æternæ gloriæ regnum in Chriſto præparantem attinet: & tamẽ hic lapſus vſqueadeò ſuapte natura malus eſt, vt etiam credentes & iuſtificati, plurimas ex eo natas miſerias & calamitates ad mortem vſque experiamur. Item, hæc quoque eſt magna Dei gloria, quòd ſe oſtendit ſeueriſſimum omnis peccati vindicem. At ſi non extitiſſet peccatum, nullus iſti iudicio aditus eſſet patefactus. Bonum ergo fuit, Dei ordinantis reſpectu, vt peccatũ exiſteret, ac poſtea propagaretur, quod in dæmonibus & omnibus
1 Pet.3.17 extra Chriſtum poſitis æterna pœna damnaretur. Item, hæc quoque eſt (inquit Petrus) Dei voluntas, id eſt decretum, vt bene agentes, malis afficiamur. Atqui bene agens, lædi abſque peccato non poteſt. Bonum eſt ergo Dei volentis, hoc eſt, id ordinantis, reſpectu, exiſtere perſequutores Eccleſiæ, quos tamen iuſtè poſtea vt peccatores contra ipſius voluntatem, id eſt, contra id quod ipſe probat, facientes ſeueriſſimè vlciſcitur. Ergo diſertis ipſorum Apoſtolorum verbis non euenit præter Dei voluntatem ac decretum, quod tamen eſt contra ipſius voluntatem, id eſt contra id quod ipſe probat ac præcipit: nec propterea Deus ſibi contrarius eſſe, aut iniquitatem velle dici poteſt, vt rectè contra Iulianum definit ex Dei verbo Auguſtinus.

QV. *Ideo videtur rectè diſtingui Permiſſio à Voluntate.*

℞. De hac diſtinctione paulò antè dixi quid ſtatuendum mihi quidẽ videatur. Certè ſi permiſſio opponatur voluntati, id eſt decreto, non tantùm falſa, verùm etiam inepta & ridicula eſt hæc oppoſitio: ſiquidem in iis etiam actionibus quæ per ſe liberæ electionis non ſunt, vt quum periclitantes mercatores iacturam faciunt, & in genere quoties minoris incommodi vitandi cauſa homines minus malum eligunt, agnoſcunt etiam prophani homines τὸ ἑκούσιον dominari. Sin verò permiſſionem opponas voluntati, id eſt ei quod vult Deus, tanquam ſibi per ſe & ſuapte natura gratum & acceptum: vt id quod per ſe bonum eſt, opponatur ei quod κατὰ συμβεβηκός, & quatenus ex immenſa Dei ſapientia tenebræ quoque luci ſubſeruiunt, aliquam boni rationem habet (non ſuapte natura videlicet, ſed eius finis reſpectu ad quem à Deo dirigitur) tum ſanè hoc admittam, modò & illud adiiciatur, non eſſe hanc vanam & otioſam, vt nonnulli ſomniant, ſed maximè ἐνεργητικήν, & tamen iuſtiſſimam permiſſionem: quod vt planius intelligas, ſic paucis rem habe. Minimè (opinor) dixeris iudicem quempiam velut otioſum ſpectatorem eſſe, quando carnifici facinoroſum, cognita cauſa, tradit, hoc vel illo ſupplicij genere afficiendum. Nam certè carnifex non tam occîdit quàm eſt occidentis iudicis inſtrumentum: adeò vt ſiquid hîc crudeliter fiat ex iudicis ſententia, nõ tam id carnifici exequenti, quàm iudici imperanti tribuatur.

QV. *Concedo hæc omnia. Sed inter hæc & illa de quibus agimus quàm diſſimilia multa ſunt?*

℞. Fateor. Nam alioqui inter Simile & Idem nullum vel certè perexiguum eſſet diſcrimen. Velim tamen præcipua ſaltem abs te recenſeri, vt ad ſingula reſpondeam.

QV. *In iudicum ſententia præit cognitio: in ijs verò de quibus diſſeris, ſæpe nihil eiuſmodi animaduertitur.*

℞. Quàm multa iuſtè fiunt à Magiſtratibus huius ſeculi, quorũ cognitio ſubiectis non apparet? Et tu minus Deo tribues, præterita & futura omnia in ipſis etiã cordis intimis latentia penitus ſcrutanti?

QV. *Carni-*

QV. *Carnifex non niſi ex ſententia percepta quicquam agit. Vbi verò tale quodpiam mandatum acceperunt mali, quum mutuò ſe concidunt vel bonis nocent?*

℞. In eo deciperis, quòd quicquid Deus decernit, putas eum ſonora quapiam voce iis ſignificare quorum opera vti decreuit. Hoc autem in neutram partem ſemper verum eſſe ipſa experientia conuincit, id eſt, ſiue miſericordia vti, ſiue iudicio conſtituit, ne tum quidem quum inſtrumentis intelligentibus vtitur. Quis enim dubitet Pharaonem fuiſſe ad excipiendum Ioſephum & parandum Eccleſiæ hoſpitium à Deo deſtinatum? Ipſe tamen de ea re nullum mandatum foris accepit, imò ne apud ſe quidem tale quicquam cogitauit. Hoc tamen à Deo decretum erat, & tacitus cordis motus in Pharaone ad id exequendum tetendit quod Dominus decreuerat. Deſtinatos fuiſſe Chaldæos ad vlciſcendos malos, & erudiendos bonos Iſraelitas, millies prędixerunt Prophetæ: & quidem perinde acſi expreſſum ea de re mãdatum accepiſſet Nebucadnezar, adeò vt eum etiam vocet ſeruum ſuum Dominus. Nihil tamen eiuſmodi nominatim præcepit Dominus Chaldæis, ſed partim Satanæ & vatibus, vt ſcribit Ezechiel, partim ſuis cupiditatibus cor Regis traditum ſponte inclinauit ad id peragendum quod Deus decreuerat. Quanto magis idem ſtatuẽdum eſt quoties Deus rebus rationis expertibus, aut etiam prorſus inanimatis tanquam carnificibus vtitur? Sic enim vocauit muſcas, ranas, locuſtas, grandinem, mortem, ad Pharaonem vlciſcendum: ſic etiam ſortes ipſas temerè non cadere dicit ille hominum ſapientiſſimus. Nam arcano etiam motu omnia ſeruiunt exequendis Dei decretis, ſed hoc intereſt, quòd bona inſtrumenta nihil agunt, niſi ex fide, id eſt, certiores facti ſe ad id quod agunt vocari, & animo ad obediendum compoſito: mala verò, quia cæco impetu à Satana & ſuis cupiditatibus feruntur, nec quicquam minùs ſpectãt, quàm vt Deo pareant, cuius etiam expreſſo verbo ſciunt, aut ſcire ipſos oportuit ſua cõſilia repugnare, ideo non ſeruiunt Domino, quanuis ipſorum vel inuitorum opera ſic vtitur arcanè Deus, vt nihil aliud agant quàm quod ipſe admirabilis opifex decreuit.

Gen. 45.5 / Pſal. 105.17. & 23 / Ier. 25.9 / Ezech. 21.21 / Exod. 7.8 / Prou. 16.33

QV. *Hactenus ergo dictum ſit de æterna Dei prouidentia, cui nihil prorſus eximi poſſe video. Progrediamur ergo, ſi placet, ad prædeſtinationem, quam inprimis velim mihi deſcribi.*

℞. Prædeſtinatio in genere conſiderata nihil aliud eſt quàm hoc ipſum quod Dei decretum vocauimus, ſed habita finis & ſcopi ipſius decreti ratione. Nihil enim eſt quod tum ad medios fines, tum ad vltimum imprimis ſcopum aliquem non deſtinarit ſapientiſſimus rerum omnium Creator, qui nec temerè ſanè quicquam fecit, nec falli aut mutare conſilium poteſt. Sed vſus obtinuit vt prædeſtinatio in generis humani gubernatione potiſſimùm ſpectetur. Sic ergo illam deſcribimus, vt dicamus eſſe æternum & immutabile decretum, ordine antegrediens omnes ſalutis & damnationis cauſas, quo Deus conſtituit in aliis quidem in Chriſto ex mera gratia ſeruandis, in aliis verò in Adamo & ſemetipſis iuſto ſuo iudicio damnandis, glorificari. Illos autem gloriæ vaſa, & electos, id eſt ſaluti per miſericordiam ab æterno deſtinatos: iſtos, reprobos & iræ vaſa, id eſt iuſtæ damnationi itidem ab æterno deſtinatos (quos vtroſque ſigillatim Deus ab æterno cognouit) ex vſu Scripturæ vocamus.

QV. *Atqui durum eſt dicere aliquos eſſe prædeſtinatos ad mortem: & ideo noſti pleroſque Prædeſtinationis vocabulum ad ſolos electos referre, reprobos autem potiùs præſcitos dicere.*

℞. Scio quid hoc rei ſit. Veriti ſunt nonnulli ne Deum facerent exitij reproborum cauſam, ac crudelem quoque dicerent, ſi prædeſtinatos eſſe à Deo reprobos faterentur: ſed neutrum ſanè timendum erat, vt ſuo loco dicemus. Deinde vanum eſt hoc effugium. Nam ſi præſcientia (quam vocant) habet rationem cauſæ non minùs quàm prædeſtinatio, hoc ipſum dicunt quod dictum nolunt: ſin verò non habet, agè, dicant etiam prædeſtinatorum ſalutis cauſam non eſſe Deum. Siquidem Apoſtolus enumerans ſalutis electorum cauſas πρόγνωσιν, quam iſti Præſcientiam interpretantur, primo loco recenſet. Sed & πρόγνωσιν ſtatuit Lucas vt noſtræ redemptionis baſin. Rectè igitur Auguſtinus, quanquam interdum præſcitos à prædeſtinatis diſcernens, vtrinque tamen prædeſtinationem agnoſcit.

Rom. 8.29 / Act. 2.23 / Auguſt. de ci. lib. 5. c. 5.

Verùm abſit à nobis hæc λογομαχία. Tantùm oſtendere volui prædeſtinationem rectè à me pro genere conſtitui, cuius duæ ſint ſpecies: in ipſo tamen fine quod imprimis obſeruandum eſt, concurrentes, non minùs quàm in capite & origine. Caput enim vtriuſque eſt decretum Dei. Vtraque verò via quæ ab hoc veluti capite diffinditur, rurſus in extremo, nempe in Dei gloria, concurrit. His poſitis, vt ad illam tuam exceptionem reſpondeam, quòd videlicet durum videatur exiſtimare aliquos prædeſtinatos eſſe ad

mortem,dico mihi multò duriora hæc videri:

Deum non ſibi propoſuiſſe certum finem in condendis hominibus, quanuis (vt ipſi inſcientiſſimi artifices rectè teſtantur) finis ſit primus in agentis intentione.

Deum ſibi in incertum euentum propoſuiſſe finem in condendis hominibus, ita videlicet vt penes lutum, non autem penes figulum ſit facere, vt vel eueniat, vel non eueniat quod opifici propoſitum erat.

Deum voluntate opificij ſui cognita, mutare conſilium, vt quum decreuerit omnes ſeruare in Chriſto, tamen eos qui nolunt ſeſe ad hoc conſilium inclinare, mutata ſententia ſit perditurus.

Hæc enim omnia dico neceſſariò conſequi eorum dogma, qui volunt pereuntes, contra Dei deſtinationem perire.

Et ne videamur extra ſepta vagari, id eſt ſolis argumentorum conſequutionibus agere, primùm dico conuelli ex Scripturis omnia dogmata quæ analogiæ fidei repugnant, cuiuſmodi hoc eſſe oportet, quo poſito tam impia conſequantur. Deinde dico quoties prædeſtinationis electorum meminit Scriptura, toties confirmari reproborum prædeſtinationem, quum res ipſa poſtulet vt aliquibus ad vitam electis, reliqui deſtinati morti intelligantur. Præterea, ſi vaſa gloriæ dicuntur prædeſtinati ad gloriam, poſcit omnino

Rom. 9. 22, & 23 contradicentium oppoſitio, vt vaſa iræ interpretemur prædeſtinatos ad mortem.

QV. *Sed hic annotatur, quũ de vaſis gloriæ agitur, Apoſtolum vti verbo agente προητοίμασεν, quum de vaſis iræ, participio patiente κατηρτισμένα.*

℞. Concedo, ſi de cauſis mediis agitur, quibus vaſa iræ ad iram deſtinata feruntur,

Act. 13. 48 ipſos vnos ſibi cauſam eſſe exitij. Sed iſta diſtinctio ſanè eſt futilis. Lucas enim de electis agens vtitur patiente participio τεταγμένοι, an verò à ſeipſis, ac non potius ex mera Dei gratia? Deinde nihil hoc ad rem. Nec enim agimus de ſalute aut interitu, ſed de ſalutis aut interitus decreto, quod ipſas exequutionis cauſas diſponit, nedum vt ab iis pendeat, quod eſt prorſus ἄνω ποταμῶν, vt vetus prouerbium habet.

Iudæ 4. Denique an aſperius eſt dicere, aliquos prædeſtinatos eſſe exitio, quàm προγεγραμ-

1. Theſſ. 5. 9 μένους εἰς τὸ κρῖμα, vt loquitur Iudas, aut τεθέντας εἰς ὀργὴν, vt loquitur Paulus?

Poſtremò, non dixi exitium iſtorum eſſe finem Deo decernenti propoſitum, ſed gloriam ipſius. Neque etiam ſimpliciter dixi, iſtos eſſe exitio deſtinatos, ſed iuſto exitio deſtinatos dixi, hoc videlicet oſtendens, etſi nemo damnatur niſi quem Dominus damnationi deſtinauit (alioquin illæ de quibus diximus, blaſphemiæ neceſſariò cõſequerentur) tamen neminem damnari niſi qui iuſtas damnationis cauſas in ſeſe habere cõperiatur. Quid habet igitur falſi, quid aſperi noſtrum illud dictum?

1. Tim. 2. 4 QV. *Videris illo dicto refelli, Deus vult omnes homines ſaluos fieri: & ſimilibus ſententijs vniuerſalibus.*

℞. Dic igitur inuito Deo aliquos damnari, aut fatere dictum illud aliter accipiendum, quod etiam oſtendunt præcedentia: ita videlicet vt (quod ipſi quoque Scholaſtici viderunt) non ſinguli generum, ſed genera ſingulorum intelligantur: & (vt planiùs loquar) non ſit vniuerſalis, ſed indefinita enunciatio, quam potius interpretari oportuit,

Mat. 4. 23 Deus vult quoſuis ſaluos fieri, quo eodem genere dicendi vtitur Matthæus quum dicit, Omnem (id eſt quenuis) morbum & languorem à Domino fuiſſe ſanatum, vt & Latini interdum loquuntur. Obſecro enim an auſit quiſpiam dicere Deum velle omnes etiam in incredulitate ad extremum permanentes ſeruari? Minimè profectò. nam ſi hæc eſt vo-

Ioan. 6. 40 luntas Patris, vt qui credit in Filium, non pereat, conſequitur hanc eſſe eiuſdem voluntatem, vt qui non credit in Filium, pereat. Illa igitur duo, Saluos facere, & ad agnitionem

Epheſ. 2. 8 veritatis peruenire, coniungenda ſunt, vt eos demum intelligatur Deus velle ſaluos fie-

2. Theſſ. 3. 2 Rom. 9. 16 ri quos vult ad agnitionem veritatis venire. At fides (quæ eſt vera hæc agnitio) neque omnium eſt, teſte Apoſtolo, neque currentis aut volentis, ſed miſerentis Dei, ſed eorum

Act. 13. 48, & 16. 14 demum qui (vt inquit Lucas) ordinati ſunt ad vitam æternam, & quibus (vt idem ſcribit) Deus aperit cor vt attendant Dei ſermoni. Reſtat igitur vt ad quoſuis protẽdi Dei prædeſtinationem intelligamus, id eſt, tum Iudæos tum Græcos, tum priuatos tum Magiſtratu fungentes, tum viros tum mulieres, tum ſenes tum iuuenes, tum ſeruos tum ingenuos, tum plurimorum tum pauciorum peccatorum reos. Nam hæ demum & ſimiles eiuſmodi circunſtantiæ, eæ ſunt quæ illa ſententia excluduntur.

QV. *Vis ergo ſtatuere particularem electionem?*

℞. At ego quæro an ſit ſani cuiuſquam hominis imaginari vniuerſalem electionẽ.

Nam

Nam certè qui omnia accipit, nihil eligit: & qui eligit quippiam inter duo vel plura, neceſſariò dicitur quæ non eligit, repudiare.

QV. *At certè vniuerſalis eſt vocatio & promiſſio.*

R. Indefinitam intellige, (& quidem certarum, de quibus diximus, circunſtantiarum reſpectu) & rectiùs ſenſeris. Ita enim accipienda ſunt omnino quæ doctiſſimi nõnulli homines noſtra memoria de hac cõtrouerſia ſcripſerunt. Nam alioqui vide quàm neceſſariis rationibus illa vniuerſalis vocatio refutetur. Si hoc intelligis de vocatione per Verbi prædicationem, falſum eſt omnes ſigillatim ſic vocari aut vnquam fuiſſe vocatos, aut vnquam etiam deinceps vocandos. Quàm multi enim interierunt, intereunt, & interibunt priuſquàm de hoc Verbo quicquam prorſus audierint? Sin de altera illa vocatione hoc accipias quæ multo latiùs patet, nempe de naturæ contemplatione, ex qua intelligitur τὸ τοῦ θεοῦ γνωστὸν, ne hoc quidem adeò vniuerſaliter verum eſt vt ſingulos Rom.1.19 ſine exceptione comprehendat. Quàm multi enim priùs interierunt & quotidie intereunt in ea ætate quæ ad illam contemplationem ſit prorſus inepta? Ergo ne vocatio quidem, nedum electio vlla vniuerſalis, ſed duntaxat indefinita (& quidem certis illis duntaxat circunſtantiis excluſis) ſtatui poteſt ac debet.

QV. *Sed quid ſi dicamus vniuerſaliter ad ſalutem vocari omnes ſub conditione, ſi crediderint: ac proinde reſpectu quidem vocantis Dei vniuerſaliter offerri ſalutem, quòd autem hæc vocatio non ſit vniuerſaliter efficax, non ex Deo eſſe, ſed ex incredulorum contumacia qui bonum oblatum repudient?*

R. Hoc quidem aliquatenus verum eſt. Nec enim dubium eſt quin contumacia incredulorum illud ſit demum quod impedit oblatarum promiſſionum applicationem & efficaciam. Non dubium eſt etiam quin latiùs pateat Vocatio quàm Electio. Sed ta- Mat.20.16 men illa neque ſatis verè neque ſatis appoſitè dicuntur. Primùm enim oſtendimus ne externam quidem vocationem ſiue illam naturalem, ſiue eam quæ fit Euangelij verbo, ſpectes, ad ſingulos homines pertinere. Itaque nulla in iis de quibus diximus contumacia aduerſus oblatum Euangelium inuenitur, ſed originis corruptio duntaxat, quæ & ipſa tamen vel vna damnandis reprobis ſufficit. Præterea, etſi Credendi conditio appoſita eſt, tamen non pendet ab ea decretum, ſed ipſa potius à decreto pendet, vtpote quod omnes inferiores cauſas antegrediatur. Alioqui vide quàm falſa & abſurda conſequantur. Efficietur enim Deum in deliberando primùm ſibi proponere opus quaſi iam peractum, & prout id præuidet à ſeipſo non ab opifice efficiendum, inde ſumere decreti occaſionem, id eſt, vel ſaluti vel morti deſtinandi: aut ſi Deo etiam ipſi incertum eſſe manis vel implendæ vel non implendæ conditionis euentum, concludendum erit decretum Dei pendêre μετέωρον, & iudicium (vt ait eleganter Auguſtinus) non eſſe penes figulum, ſed penes lutum. Hinc autem aliud itidem falſiſſimum dogma ſtatuetur, nempe fidei initium non eſſe à Deo, ſed à voluntate hominis, ſiquidem eius præuiſio cauſam decreto electionis dederit. Neque eſt quod obijcias, non præuideri quidem fidem, vtpote quæ ſit donum Dei aduentitium, ſed præuideri corruptionem & incredulitatem, quæ ſint naturales in homine poſt lapſum. Omnino enim poſcit eadem contrariorum ratio, vt quo gradu conſtituitur fides in decreto electionis, eodem prorſus ſtatuatur incredulitas in decreto reprobationis. Itaque ſi fidem præuiſam facias decreti electionis cauſam (quod eſt merè Pelagianum, ideóque ab Auguſtino retractatum) neceſſe eſt vt idem de incredulitate ſentias in contrario reprobationis decreto. Et rurſum, ſi fidem ſubſternas illi decreto (vt omnino faciendum eſt, ſiquidem electi ſumus ad credendum, non idcirco electi quia credituri) in oppoſito membro incredulitatem oportet decreto reprobationis ſubordines.

QV. *An verò ſicut decretum electionis facis Fidei cauſam, ita etiam decretum reprobationis facies infidelitatis cauſam?*

R. Minimé. illud enim eſt fidei verè cauſa efficiens. Corruptio verò vel incredulitas cum ipſius fructibus ſic decreto ſubordinantur, vt tamen voluntas hominis ſit illarum prima cauſa efficiens, & tamen decreto ſubijciantur, quoniam etſi non per decretum, tamen non præter decretúm, nec abſque decreto illa incidunt, quorum (vt dixi) cauſa deficiens, non autem efficiens in Deo ſtatuitur. Sicut enim ij demum credunt, in quibus Deus fidem creat, ita peccatum inuaſit in humanum genus Deo voluntatem deſerente, & manet ac edit fructus in iis demum quos Deo placet ſuis ipſorum cupiditatibus tradere, vt ſibi ipſi ſint cauſa exitij, ad quod etiam deſcripti & deſtinati ſunt ab æterno. Præ-

tetea,vt ad alterã illam quæſtiooem redeã,quicquid de illa coodítione decreto appoſita dicitur,quaſi videlicet ab ea pendeat ipſum decretũ,parum appoſitè dicitur. Aliud enim eſt decretũ de ſeruandis electis, quàm ipſa electorum glorificatio: aliud eſt decretum de damnãdis reprobis,quàm reproborum damnatio, quum decretum ipſum neceſſariò ſit diſtinguendum ab eius executione. Pender igitur à fide Chriſtum apprehendente executio decreti electionis,nempe electorum ſalus:& à peccato & eius fructibus pendet executio decreti reprobationis,nempe reproborum damnatio,iuxta illud Prophetæ, Perdi-
Oſe.13.9 tio tua ex te eſt Iſrael. Decreti autem eligendi certos homines per gratiam ſeruandos,& reprobaodi certos homines per ſua peccata damnandos, cauſam hanc vnam nouimus, quòd ſic velit glorificari Dominus ſummè miſericors,& ſummè iuſtus. In hoc qui nõ acquieſcit, quum aliquid Dei voluntate ſuperius & iuſtius quærat, meritò vt reſponſator ab Apoſtolo redarguitur.

QV. *Ergo Deus odit aliquos non ob peccatum,ſed quia ita ipſi libet.*

℞. Calumnioſa eſt hæc obiectio. Certum enim eſt Deo neminem niſi ob peccatum eſſe exoſum,quoniam alioqui opus ſuum odiſſet. Verùm aliud eſt odiſſe,aliud iuſto odio deſtinare. Nam odij cauſa manifeſta eſt, nempe peccatum. Cur verò Deus iuſto odio quos libuit deſtinet,cauſa vt ſit nobis occulta (excepto gloriæ ipſius fine) tamen iniuſta eſſe nequit,quum voluntas Dei ſit vnica iuſtitiæ regula. Neque enim ſi de hac ſuprema Dei voluntate agamus quæ rerum omnium cauſas ordinat,dicendum eſt oportere prius aliquid eſſe iuſtum quàm Deus illud velit. Sed cõtrà prius oportet Deum aliquid velle, quàm ſit iuſtum,quod qui noo conſiderant,perturbatè de hoc argumento diſſerunt.

QV. *Sed videtur tamen Deus προσωπολήπτης ſi paria paribus non tribuit. Sunt autẽ homines in eo pares,quòd natura ex vno Adamo propagata ſint corrupti.*

℞. Imò oon eſt neceſſariò προσωπολήπτης quiſquis paria paribus non tribuit, ſed is demum qui cur paribus paria non tribuat,circunſtantiis aliquibus ipſi perſonæ inhærentibus iniquè mouetur, vt ſi iudex ex duobus pariter nocentibus alterum quia diues eſt aut affinis aut contertaoeus abſoluat. Hæc ſunt enim πρόσωπα quæ accipienda nõ ſunt incorruptè iudicaturo. Sed ponamus,quæſo,duos eſſe tibi eiuſdem ſummæ & iiſdẽ prorſus nominibus debitores. Si debitum liberaliter vni cõdones,quod ab altero exigas ſummo iure,an vlla hîc fuerit προσωποληψία? Quid ſi quiſpiam αὐτοκράτωρ ex duobus pariter nocentibus alteri peccatum ex mera gratia condonet,alterum meritis pœnis afficiat,an vlla hîc fuerit προσωποληψία? Imò ſiquid in eiuſmodi ſpecie peccetur, certè non in eo de quo ſumitur ſupplicium,ſed in eo potius cui parcitur,indulgentia peccari videbitur. Itaque in hoc quod nunc tractamus argumento multo minus vlla ſtatui poteſt προσωποληψία,quum Deus nonniſi imputata Chriſti ſatisfactione electos abſoluat, & ſi quid hîc vel minus iuſtè factum in diſquiſitionem vocari poſſet, videatur potiùs de miſericordia in electos quàm de iuſta in reprobos ſeueritate dubitãdum. Poſtremò quorſum hæc omnia? Decretum enim antegreditur cauſarum ordine ipſam humani generis creationem, niſi vis Deum tam inſipientem fuiſſe opificem vt prius condiderit humanum genus quàm quorſum id eſſet conditurus apud ſe decerneret. Quid autem potuit in ijs qui nondum exiſtebant contemplari,quò ad hoc vel illud de ipſis decernendum impelleretur? Pertinet igitur etiam hæc quoque diſceptatio non ad decretum, ſed ad decreti executionẽ, in qua tamen,vt modò dixi,nulla προσωποληψία deprehendi meritò poteſt.

QV. *Ergo apud Apoſtolum non intelligis Maſſæ nomine conditum & corruptum hominum genus,ex quibus Deus alios decori alios dedecori deſtinet.*

℞. Quin vtroſque illos ex eadem corrupta maſſa Deus ſumat ad contrarium finem deſtinatos, dubium non eſt. Dico tamen & prorſus affirmo, Paulum in illa ſimilitudine aſſurgere vſque ad ſummum illud decretum cui ipſa quoque creatio humani generis in cauſarum ordine ſubordinatur, nedum vt præuiſam eius corruptionem Apoſtolus præſupponat. Primùm enim Maſſæ vocabulo manifeſtè deſignatur materia adhuc rudis, & ad futurum opus duntaxat præparata. Deinde figulo Deum comparãs Apoſtolus humanum autem genus maſſæ ex qua poſtea condantur vaſa,proculdubio primam hominum creationem deſignat. Præterea impropriè ſanè diceret ex hac maſſa fieri vaſa iræ. Iam enim eſſent dedecoris vaſa,ſi maſſa illa corruptos homines deſignaret,nec dicendus eſſet figulus illa condere: ſed prorſus qualia iam ſeſe feciſſent relinquere. Poſtremò, ſic non minùs eſſet decreti reprobationis quàm ipſius decreti exequutionis, id eſt reproborum damnationis cauſa manifeſta,nimirum corruptio. Cur igitur Apoſtolus vſque ad illam

arcanam

arcanam & adorandam potius quàm ſcrutandam Dei voluntatem aſſurgeret, quum in promptu reſponſionem haberet, & quidem humanæ etiam rationi probabilem?

QV. *Cogis me quidem in hoc quoque tibi aſſentiri. Sed illud etiam me torquet: Si neceſſarium eſt hoc decretum & immutabile, vti ſanè eſt, quorſum ſeſe fatigant homines? Nam ſiue bene agant exitio deſtinati, nihilominus pereundum illis eſt: ſiue malè agant vitæ deſtinati, ſeruabuntur.*

R. Ridicula ſanè obiectio, quæ præſupponat quod euenire nunquam poteſt neque poterit. Vnde enim reſipiſcentia & eius fructus? certè à regenerante Spiritu Chriſti, per fidem apprehenſi. At ſolis electis vera illa fides datur. Ergo ſoli electi reſipiſcunt, & bonis operibus ſtudent. Reliqui ne cogitare quidem rectè quicquam volunt, nedum vt poſſint, quum à Dei gratia electis propria ſit ipſum rectum velle, & rectum facere. Itaque vana etiam eſt eorum vox qui ſe ſeruatum iri dicunt, ſi electi fuerint, cuicunque ſe vitæ dedant. Nam quicunque electi ſunt, filij Dei ſunt: quòd ſi filij Dei, inquit Apoſtolus, ergo Spiritu Dei aguntur. Itaque perire quidem non poſſunt electi, (excideret enim Dei decretum, aut certè mutabilis eſſet Deus) ſed ſicut perire non poſſunt, ita ſuo tempore donari fide, Chriſto inſeruntur, in quo demum iuſtificati & ſanctificati glorificantur. Rom. 8. 14

QV. *Sed perire tamen exitio deſtinatos neceſſe eſt.*

R. Cōcedo: ſed quia peccatores. Semper enim inter decretum & eius executionem interuenit peccatum quod quibuſuis quantumuis querulis os occludet. Quid enim iuſtius eſt quàm Deum vlciſci peccata? Cui verò adſtricta eſt eius miſericordia? Itaque nō ſoleo ego mirari quenquam perire, ſed mirari potius tantam eſſe poſſe Dei bonitatem, vt non omnes pereant.

QV. *Quoniam verò medias cauſas ſæpe à decreto illas ordinante diſtinxiſti, vellem etiam eas vtrinque recenſeri.*

R. Deus quum ab æterno decreuiſſet, vt ex euentis intelligi poteſt, in humano potiſſimùm genere gloriam ſuam pateſacere, quæ partim in exercenda miſericordia, partim in odio aduerſus peccatum demonſtrando poſita eſt, hominem condidit intus & foris integrum, recta intelligentia ac voluntate præditum, ſed mutabilem. Nec enim ipſe ſummè bonus quicquam mali condere potuit aut voluit. Et tamen niſi malum ingreſſum eſſet in mundum, neque miſericordiæ neque iudicio locus fuiſſet relictus. Homo itaque mutabilis quanuis neceſſariò, ſi Dei decretum & euentum ſpectes, tamen ſponte & merè contingenter quod ad principium homini ipſi inhærēs, nimirum voluntatem, attinet, ſeſe & ſuos omnes naſcituros peccato ac iræ Dei mancipauit. Inde Dominus prout ab æterno decreuit modò hos modò illos eductos homines, ſic ad illos decretos fines, vtrinque glorificandus deducit, vt eos, in quorum ſalute vult gloriam ſuam pateſacere, partim ad vitam æternam ſtatim transferat in ſuo fœdere gratis comprehenſos, partim ſi vult diutius illos in hac vita verſari, quo libuit tempore, modò ſeriùs, modò citiùs, efficaci verbo Euangelij vocatos Chriſto inſerat, in quo iuſtificatos & ſanctificatos tandē æterna ſalute donat: cæteros verò iuſtæ ſuæ vltioni deſtinatos (cui enim debitor eſt?) vel ſtatim perdit, vel patienter expectans, vt ſuæ bonitatis non ſint prorſus expertes, aut non dignatur vlla vocatione, aut hactenus vocat, vt eò magis ſint ἀναπολόγητοι. Inde fit vt ſeipſos indurent ſuis cupiditatibus relicti, donec completa iniquitatis ſuæ menſura ad iudicium tranſeant. Hæ verò perditionis reproborum cauſæ quomodo propter decretum Dei reprobos deſerentis & Satanæ ac ſibiipſis tradentis, ſic eueniant vt tamen tota in ipſis mali culpa hæreat, ſuo loco demonſtrauimus.

QV. *Ergo Dominum laudent oportet miſericordia vaſa, & ſeipſos condemnent iræ vaſa. Sed in illa periculoſiſsima particularis electionis tentatione, quò tandem confugiam?*

R. Ad effecta ex quibus ſpiritualis vita certò dignoſcitur, ac proinde noſtra electio, ſicut vita corporis ex ſenſu & motu percipitur. Nec enim qui in huius mundi cœno adhuc volutamur, attollere nos ad illam ſummam lucem poſſumus niſi iis gradibus ſubuecti quibus ad ſe Deus electos ex æterno illo ſuo decreto pertrahit, vtpote quos ad gloriam ſuam condidit. Electum igitur eſſe me primùm ex ſanctificatione in me inchoata, id eſt, odio peccati & amore iuſtitiæ intelligam. Huic adiiciam teſtimonium Spiritus meam conſcientiam erigentis, ſicut dicebat Dauid: Quid triſtis es anima mea & teipſam affligis? ſpera in Domino. Et huc ſpectat ſeria meditatio beneficiorum Dei, quæ etſi nos de ἀχαρισίᾳ noſtra ſimul cogitantes ad tempus terret potiùs quàm ſolatur, tandem tamen neceſſariò nos erigit, quum in ea ſemper animaduertantur manifeſta gratuiti & immu- Phil. 2. 13 1. Ioan. 3. 10 Rom. 8. 15, & 16 Pſal. 42. 12

tabilis illius in nos amoris paterni ſigna non adumbrata,ſed penitus expreſſa. Ex ſanctificatione iſta & conſolatione Spiritus colligimus Fidē. Inde ad Chriſtum aſſurgimus,cui quiſquis datus eſt,neceſſariò eſt ab æterno in eodem electus, nec vnquā eiicietur foras.

QV. *Quid ſi languida fuerint illa teſtimonia?*

R. Tunc ſciamus nos probari, ac proinde maximè tunc accuſandum noſtrum torporem,minimè verò deſpondendos animos,ſed promiſſionibus illis indefinitis corroborandos, ac regerenda in ipſum aduerſarium tela. Etſi enim certamē carnis aduerſus ſpiritum , præſertim quoties fatiſcere ac penè extingui Spiritus videtur, magnas conſcientiis dubitationes de fidei noſtrę veritate ingerit,tamen Spiritum hunc quantumuis languidè,tamen verè ſeſe carnis inſultibus opponentem, conſtat eſſe adoptionis Spiritum, cuius donum eſt ἀμεταμέλητον. Nam alioqui perire poſſent electi , & ſemel iuſtificati à Chriſto excidere: vnde cōſequeretur vel Deum eſſe mutabilem, vel incertum eſſe ipſius decreti exitum,quorum neutrum Deo ſine blaſphemia attribui poteſt.

QV. *At ſolis perſeuerantibus datur corona.*

R. Concedo,& ideo perſeuerantiam petit & obtinet quiſquis eſt electus.

QV. *Nunquámne igitur cenſes Spiritum adoptionis excuti?*

R. Interrumpi interdum fateor in grauibus tētationibus Spiritum , atque adeò ſic nonnunquam illius in nobis habitantis teſtimonia ſopiri , vt ad tempus penitus à nobis demigraſſe videatur: ſed nunquam tamen penitus eripi dico , quoniam firmum eſſe neceſſe eſt Dei de ſuis ſeruandis decretum : ideóque ſuo tempore tandem diſcuſſis carnis nebulis ſemper redditur lætitia ſalutis Domini,ſolis inſtar turbatis electorum cōſcientiis affulgens. Denique ſic veram fidem & eius effecta in electis interrumpi dico , vt in iis qui lethargo laborant,& in ebriis in quibus impediuntur animæ facultates, nō tamen anima ipſa tollitur , quum inter lethargum aut ebrietatem , & mortem ipſam plurimùm interſit, æternæ verò vitæ certum pignus habeant qui adoptionis Spiritum habent . Itaque in iſtiuſmodi periculoſiſſima lucta illud ipſum quo nos oppugnat Satan,poteſt ac debet certam nobis victoriam polliceri. Niſi enim Spiritus adoptionis(qui & ſanctificationis & iuſtificationis & fidei & vitæ ſpiritus eſt) in nobis adeſſet, nullum eſſet certamen, ſed pacatum eſſet in nobis peccati regnum. Hæc enim vox eſt hominis ſpiritu illo non præditi, Facio malum quod volo: nō facio bonum,& facere nolo: iſta verò regenerati ac
Rom.7.15, & 19,& 24 proinde electi,adhuc tamen luctantis,vox eſt, Facio malum quod nolo: nō facio bonum quod volo: Me miſerum,quis me liberabit ex corpore mortis huius? & hæc eiulans electus ſimul anchoram figit in ipſo Dei Patris throno , quem in Verbo prædicato & Sacramentis intuetur. Hæc denique electi iam victoriam plenam in altero ſeculo adepti vox erit, Facio bonum quod volo: non facio malum,& facere nolo.

QV. *Quid ſiquis eiuſmodi Spiritus teſtimonia nunquam in ſe ſenſerit?*

R. Non eſt tamen ſtatuendum quòd ſit ex reproborum numero. Vocat enim ſuos Dominus quo tempore ipſi libuit , ac proinde ad Verbum & Sacramenta amandandi ſunt iſtiuſmodi homines, vbi Deum loquentem & peccatores ad ſe vocantem audiant. Horum enim fructum ac efficaciam vt ad tempus non percipiant , hortari tamen ſeipſos & ab aliis etiam incitari ſedulò debent, vt in audienda Dei voce vel inuiti perſeuerent, tandem aliquando impetraturi quod adhuc differt Dominus, non vt eos abiiciat,ſed cōtrà vt deſiderium & ſolicitudinem ipſorum exacuat.

QV. *Vellem igitur de Sacramentis quoque, de quibus præſertim tanta hodie inter Eccleſias contentio eſt, agere inter nos liceret.*

R. Ne hoc quidem recuſo. Sed id tamen aliâs, vt ſpero, commodiùs fiet. Interim ſi tibi in iis quæ percontatus es ſatisfactum eſt , planè gaudeo , & hæc feriò dies ac noctes mediteris velim.

THEO-

Theodori Bezæ Catechiſmus compendiarius.

PRIMA SECTIO.

QVAESTIO.

QVORSVM *nos Deus in hoc mundo collocauit?*

RESPONSIO.

Vt eum cognoſcamus & colamus.

QV. *Vultne à nobis cognoſci & coli, qualem eum nobis ſenſus noſter aut voluntas repræſentat, an verò prout ipſe nobis ſeſe patefecit?*

℟. Prout ipſe nobis ſeſe patefecit.

QV. *Vbi verò ſeſe nobis patefecit?*

℟. In libro quem Biblia vocamus, qui quidem vnà cum multis hiſtoriis Legem & Euangelium complectitur.

QV. *At quiſnam eſt huius libri auctor?*

℟. Deus per Prophetas ſuos & Apoſtolos.

QV. *Quid eſt Lex?*

℟. Doctrina qua docentur homines quomodo ſe erga Deum & quomodo erga ſeſe mutuò gerere debeant.

QV. *Quid eſt Euangelium?*

℟. Doctrina cæleſtis, ex qua diſcimus quæ nobis credenda ſunt, ad noſtram per vnicum Ieſum Chriſtum ſalutem.

QV. *Num verò liber iſte quicquid nobis credendum & faciendum eſt comprehendit?*

℟. Maximè: adeò vt quicquam ei vel addere vel detrahere ſit nefas.

QV. *Recita ergo fidei tuæ capita.*

℟. CRedo in Deum Patrem omnipotentem, Creatorem cæli & terræ. Et in Ieſum Chriſtum, filium eius vnicum, Dominum noſtrũ, qui cõceptus eſt è Spiritu ſancto, natus ex Maria virgine: paſſus ſub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, & ſepultus deſcendit ad inferos: tertia die reſurrexit ex mortuis: aſcendit in cælum: ſedet ad dexteram Dei patris omnipotentis: inde venturus ad iudicandum viuos & mortuos.

Credo in Spiritum ſanctum.

Credo ſanctam Eccleſiam catholicam, Sanctorum communionem, remiſsionem peccatorum, carnis reſurrectionem, vitam æternam, Amen.

QV. *EX hac doctrina, vnicum eſſe Deum, an eſſe plures, diſcimus?* II. Sectio.

℟. Vnicum eſſe, & fieri non poſſe vt ſint plures.

QV. *Quamobrem?*

℟. Quoniam neceſſe eſt eum qui ſit Deus, ſuperiorem rebus omnibus eſſe: itaque nullus ei ſocius adiungi poteſt.

QV. *Nominas tamen tres: nimirum Patrem, Filium & Spiritum ſanctum.*

℟. Sunt quidem tres perſonæ in vna eadémque Deitate: ſed tres hæ perſonæ ſunt idem & vnicus Deus.

QV. *Intelligiſne Deum tres in partes eſſe diuiſum?*

℟. Nequaquam (neque enim Deus diuidi poteſt) ſed vnamquanque harum trium

perſonarum eſſe eundem & vnicum illum Deum omnino perfectum dico.

QV. *Quomodo fieri hoc poteſt?*

℞. Arcanum hoc eſt, quod ingenium noſtrum ſuperat: & tamen eſt certiſſimum, vtpote Dei verbo confirmatum.

QV. *Credíſne igitur in vnicum Deum, Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum?*

℞. Ita: & huic fidei immori volo.

III. Sectio. QV. *QVo nomine Filius Dei vocatur?*

℞. IESVS CHRISTVS.

QV. *Quid ſignificant hæc verba Ieſus Chriſtus?*

℞. Ieſus idem valet atque Seruator: Chriſtus, idem atque Vnctus & ſacratus: vt ſit ſummus Rex noſter, imperium in omnes res creatas obtinens: necnon ſummus Propheta noſter, qui plenè voluntatem Dei Patris ſui, quantum ad ſalutem noſtram attinet, nobis declarauit: quinetiam ſummus noſter Sacerdos, qui Deum nobis planè reconciliauit.

QV. *Quid fecit & quid paſſus eſt vt nos ſeruaret?*

℞. Conceptus fuit è Spiritu ſancto, natus ex maria virgine, &c.

QV. *Potéſtne mori Deitas?*

℞. Nequaquam.

QV. *Ieſus Chriſtus nónne verus eſt Deus æternus, cum Patre ſuo & Spiritu ſancto?*

℞. Maximè.

QV. *Quomodo igitur mortuus eſt?*

℞. Quoniam, quum verus eſſet Deus, factus eſt homo, vt natura noſtra in eius perſona pœnam omnem peccatis noſtris debitam lueret.

QV. *Intelligíſne Filium Dei ſeipſum mutaſſe in hominem?*

℞. Minimè: (Deus enim amplius non eſſet, & Deus eſt immutabilis) ſed, quum verus ſit Deus, naturam noſtram aſſumpſit, vt verus Deus verúſque homo ſit.

QV. *Niſi Deus foret, noſtérne ſeruator eſſe poſſet?*

℞. Nequaquam. Solius enim eſt Dei peccatis ignoſcere, & vitam æternam donare.

QV. *Quòd ſi verus homo non foret, eſſétne ſeruator noſter?*

℞. Si verus homo non fuiſſet, mortuus non fuiſſet: ideóque morti etiam nunc obligati eſſemus.

IIII. Sectio. QV. *SEruabitúrne vniuerſum genus humanum?*

℞. Minimè, nam bona pars hominum ſalutem ſuam repudiat.

QV. *Quínam igitur ſeruabuntur?*

℞. Qui fide præditi ſunt.

QV. *Sed quid eſt fides?*

℞. Certioratio qua vnumquenque Chriſtianum præditum eſſe oportet, & qua apud ſe ſtatuat, ſe à Deo Patre propter Ieſum Chriſtum amari.

QV. *Cur dicis, propter Ieſum Chriſtum?*

℞. Quoniam nos amare Deus non poſſet, vtpote omnino deprauatos & corruptos, niſi reſpectu eius ſolius qui homo eſt omnino iuſtus & perfectus. Is autem eſt Ieſus Chriſtus, eius filius.

QV. *Fides hæc proficiſcitúrne à nobis?*

℞. Minimè: ſed ſola Dei gratia electis illam donat.

QV. *Qui verò hac fide ſunt præditi, an ſeruabuntur?*

℞. Eos ſeruari neceſſe eſt. Deus enim Filium ſuum donauit vt quicunque in ipſum credit, vitam æternam conſequatur. Deus autem eſt eiuſmodi qui mentiri non poſſit.

V. Sectio. QV. *VErùm quod eſt huius fidei indicium?*

℞. Bona opera.

QV. *Quæ ſunt bona opera, & quæ mala?*

℞. Bona, ea ſunt quæ præcepit: mala, quæ vetuit.

QV. *Quæ ſunt igitur Dei præcepta?*

PRIMA TABVLA.

PRAEFATIO.

℞. AVdi Iſrael: Ego Iehoua Deus tuus, qui eduxi te è terra AEgypti, è domo ſeruorum.

PRI-

PRIMVM PRÆCEPTVM.

Non erunt tibi dij alieni coram me.

II. Non facies tibi ſculptile, neque vllam ſimilitudinem eorum quæ ſunt in cælo ſurſum, neque eorum quæ in terra deorſum, neque eorum quæ in aquis ſubter terram. Nõ incuruabis te eis, neque coles ea: ego enim ſum Iehoua Deus tuus, Deus zelotes, viſitans iniquitatem patrum ſuper filios, in tertiam & quartã generationem odio habentium me, & faciẽs miſericordiam millibus diligentibus me, & cuſtodientibus præcepta mea.

III. Non aſſumes nomen Iehouæ Dei tui in vanum: quia nõ inſontem habebit Iehoua eum qui aſſumpſerit nomen eius in vanum.

IIII. Recordare diei Sabbathi vt ſanctifices illum. Sex diebus operaberis, & facies omne opus tuum. At die ſeptimo Sabbathum erit Iehouæ Deo tuo. Non faciẽs vllum opus, neque tu, neque filius tuus, neque ancilla tua, neque animal tuũ, neque peregrinus tuus qui eſt apud te. Sex enim diebus fecit Iehoua cælum & terram, mare, & quæcunque ſunt in eis, & requieuit die ſeptimo: idcirco benedixit Iehoua diei Sabbathi, & ſanctificauit eum.

SECVNDA TABVLA.

V. Honora patrem tuum & matrem tuam, vt prolongentur dies tui ſuper terram quam Iehoua Deus tuus dat tibi.

VI. Non occides.

VII. Non committes adulterium.

VIII. Non furaberis.

IX. Non loqueris aduerſus proximum tuum falſum teſtimonium.

X. Non concupiſces domum proximi tui: non concupiſces vxorẽ proximi tui, neque ſeruum eius, neque ancillam eius, neque bouem eius, neque aſinũ eius, neque quicquam eorum quæ ſunt proximi tui.

SVMMA DECALOGI.

Hæc decem præcepta ſummatim his duobus comprehenduntur:

Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua:

Et proximum tuum ſicut teipſum.

Ab his duobus mandatis tota Lex & Prophetæ pendent. Matthæus capite vigeſimo ſecundo.

QV. *Scire verò præcepta Dei, non eſt illa duntaxat recitare poſſe: ſed intelligere ſimul oportet quod dicitur. Rogo igitur quid ſignificet in tertio præcepto, Accipere nomen Dei.*

R. Nominare Deum: quod nunquam niſi iuſta de cauſa faciendũ nobis eſt, & cum eius timore quem nominamus.

QV. *Multo magis igitur vetitum eſt iurare Deum in vanum: id eſt, ſumere illum in teſtem & iudicem, niſi ita ſit opus.*

R. Ita ſe res habet.

QV. *Quid eſt ſanctificare diem ſabbathi?*

R. Dicare illum ac conſecrare gloriæ Dei.

QV. *Nónne verò cæteri quoque vitæ noſtræ dies ei ſunt dicandi?*

R. Ita: ſed ſeptimus quiſque dies peculiariter huic rei deſtinatus eſt.

QV. *Vetitúmne nũc eſt aliquod opus facere die Dominico, quaſi operari per ſe res mala ſit?*

R. Minimè: ſed opera ordinaria vetantur, vt poſſit quis melioribus vacare.

QV. *Dixiſti, bona opera, eſſe quæ Deus præcepit: poſſumúſne igitur mandata Dei exequi?* VI. Sectio.

℞. Imò ne incipere quidē poſſumus ea exequi,niſi Dei gratia nos immutet. Perfe-ctè autem ea nemo alius vnquam impleuit nec impleturus eſt quàm Ieſus Chriſtus.

QV. *Quamobrem?*

℞. Quoniam Deo ſtatutum eſt nos ſeruare ſola ſua miſericordia in Ieſu Chriſto.

QV. *Bona tamen opera certè ſunt iter ad ſalutem.*

℞. Hoc quidem verum eſt,pœnitentiam & vitæ emendationem cum peccatorum noſtrorum remiſſione coniungi: ſed non inde conſequitur nos ex operibus noſtris ſalutem conſequi.

QV. *Quidni verò ex operibus noſtris ſeruabimur,quum bona ſint?*

℞. Quoniam non vſque adeò ſunt bona vt hoc poſſint efficere.

QV. *Ad quas igitur res efficiendas valent?*

℞. Ad honorandum Deum, ad lucrifaciendum aut confirmandum proximum, denique vt conſtet nos eſſe Dei filios.

QV. *Bona igitur opera non faciunt nos Dei filios.*

℞. Nequaquam: (contrà enim filios Dei nos eſſe oportet antequam bona opera faciamus)ſed ea ſunt filiorum Dei indicium.

QV. *Quid igitur nos Dei filios facit?*

℞. Sola Dei gratia & miſericordia per ſuum ſanctum Spiritum, prout nos ab omni æternitate elegit,quia ſic ei libuit.

VII. Sectio. QV. *Spiritus ſanctus igitur is eſt qui nos filios Dei facit:ſed quibus inſtrumentis vtens tanti boni nos compotes reddit,& in eo conſeruat?*

℞. Prædicatione Verbi,precatione & Sacramentis.

QV. *Quid vocas prædicationem Verbi?*

℞. Expoſitionem ſcriptorum Propheticorum & Apoſtolicorum, quæ fit in Eccleſia per eos quos ad hoc ſanctum miniſterium Deus vocauit: de quibus dictum fuit, Qui vos recipit,me recipit.

QV. *Quomodo verò precaris?*

℞. Pater noſter qui es in cælis, Sanctificetur nomen tuum. Adueniat regnum tuum. Fiat voluntas tua, in terra ſicut in cælo. Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie. Et remitte nobis debita noſtra, ſicut & nos remittimus debitoribus noſtris. Et ne nos inducas in tentationem, ſed libera nos à malo. Quia tuum eſt regnum, & potentia, & gloria in ſecula, Amen.

QV. *Quem verò iſtis verbis compellas?*

℞. Deum Patrem.

QV. *At quomodo tuus eſt Pater, quū vnicum Filium habeat, nimirum Ieſum Chriſtū?*

℞. Primùm,quoniam Ieſus Chriſtus,Filius eius æternus,quum ſe hominem faceret, ſimul ſe fratrem noſtrum fecit: deinde,quòd me in Ieſu Chriſto Filio ſuo pluſquam paterno amore diligat.

QV. *Quanuis igitur ſermo tuus neque ad Filium neque ad Spiritum ſanctum dirigatur, neutrum tamen prætermittis.*

℞. Sanè.Neque enim appellare poſſum Patrē,niſi in nomine Filij ipſius Ieſu Chriſti:neque inuocare,niſi per Spiritum ſanctum.

QV. *Quid?nónne licet quoque perſonam Filij ac Spiritus ſancti in precatione cōpellare?*

℞. Maximè.Quum enim tres hæ perſonæ ſint vnus & idem Deus, inuocandæ ſunt. Ac certè, ſiue inuocem Patrem in nomine Filij,per ſanctum Spiritum: ſiue compellem Filium vt me deducat ad Patrem: ſiue orem Spiritum ſanctum vt mihi Patris & Filij notitiam præbeat,hæc eòdem recidunt.

VIII. Sectio. QV. *Quid verò eſt Sacramentum?*

℞. Res eſt quam Deus nobis ob oculos ponit in ſua Eccleſia, vt per eam mentibus noſtris aliam,ad ſalutem noſtram, repræſentet quæ cerni non poteſt.

QV. *Cur hæc ſigna Deus ſuis promiſsis adiunxit?*

℞. Vt eo magis de certitudine promiſſorum perſuaſi eſſemus.

QV. *Quot ſunt ſigna eiuſmodi in Chriſtiana Eccleſia?*

℞. Duo:nimirum Baptiſmus,& ſancta Cœna.

QV. *Quid*

QV. *Quid vides in Baptiſmo?*
R. Aquam.
QV. *Cuius rei ſignum tibi eſt hac aqua?*
R. Sanguinis Chriſti.
QV. *Quorſum?*
R. Ad abſtergenda peccata mea, ſicut aqua infuſa maculas corporis abſtergit.
QV. *Aqua hac abſtergitne peccata?*
R. Nequaquam: ſed mihi ſignum eſt verax eius rei quæ peccata mea abluit, videlicet ſanguinis Chriſti.
QV. *Intelligiſne hanc materiem ſanguinis Chriſti abluere animam noſtram?*
R. Minimè. Neque enim materia quapiam anima noſtra lauari poteſt, ſicut corpus. Sed hic ſanguis me purgat, quatenus eum Ieſus Chriſtus effudit, vt pro meis peccatis ſatisfaceret.
QV. *Eſtne igitur aliquid inter aquam Baptiſmi & vulgarem aquam diſcriminis?*
R. Nullum eſt, quantum ad materiem attinet (neque enim aqua Baptiſmi deſinit eſſe aqua) ſed magnum eſt diſcrimen in vſu. Aqua enim vulgaris ad abluendas corporum noſtrorum ſordes vtimur, Baptiſmi autem aqua eſt ſacramentum ablutionis noſtrarum animarum.

QV. QVid in Cœna Domini vides? IX. Sectio.
R. Panem & vinum, quæ præbentur iuxta Dei præſcriptum.
QV. *Quid tibi panis hic & hoc vinum ſignificant?*
R. Panis, corpus pro me crucifixum, vinum ſanguinem pro me effuſum mihi ſignificat.
QV. *Quorſum?*
R. Vt teſtentur mihi ac confirmēt, ſicut huic pani atque huic vino attributæ ſunt nos in iſta vita conſeruandi partes, ita Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum corpus ſuū & ſanguinem ſuum pro me dediſſe, & ſeipſum mihi dare vt ab ipſo in me vita æterna promanet.
QV. *Hic panis & hoc vinum ſuntne alimentum noſtrum ſpirituale?*
R. Minimè: ſed nobis id ſignificant vnde vita æterna proficiſcitur, nimirum eum qui mortem in cruce paſſus eſt, vt mortis noſtræ cauſam, peccata nimirum noſtra, tolleret: atque vt in æternam vitam nos renouaret, vigore illo ſpirituali qui ab eo emanat.
QV. *Differúntne igitur panis & vinum qua ſunt ſacramenta, à pane & vino communi?*
R. Minimè, quantum ad materiem attinet (neque enim panis & vinum eſſe deſinunt) ſed valde diuerſus eſt vſus. Conſueta enim alimenta vſum huic vitæ præbent: Sacramenta autem nutritionem noſtram ſpiritualem & æternam noſtris mentibus annūtiant ac repræſentant.
QV. *Cur in Cœna Chriſtus duo ſigna conſtituit, quum in Baptiſmo ſit vnicum?*
R. Vt perſuaſi ſimus nos ex eo non aliquatenus, ſed prorſus vitam æternam accipere: vt qui non tantùm cibus noſter ſit, ſed etiam potus.
QV. *Vbi nunc eſt Ieſus Chriſtus ſecundum humanam ſuam naturam?*
R. In cælo, vnde veniet ad iudicandum viuos & mortuos.
QV. *Quomodo igitur tu qui in terra es, recipere ipſum potes?*
R. Sicut manu & ore Sacramenta recipio, id eſt, hunc panem & hoc vinum, alimentis huic fouendæ vitæ deſtinatis, ſic etiam efficacia ſancti Spiritus, & in anima mea recipio & amplector fide Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, verum Deum & verum hominem: vt hinc vitam æternam totus conſequar.
QV. *Qui fide carent, recipiúntne Ieſum Chriſtum in Cœna?*
R. Nequaquam (neque enim aliter quàm fide Ieſus Chriſtus recipitur) ſed ita recipiunt Sacramenta vt in condemnationem eis cedant.
QV. *Quamobrem?*
R. Quoniam nihil diſcriminis ſtatuunt inter conſuetum panem & vinum, & ea quæ ſunt Sacramentum corporis & ſanguinis Ieſu Chriſti, quem ſua incredulitate reiiciunt.
QV. *Quomodo igitur præparare ſe oportet eum qui ad Cœnam ita venire vult vt decet?*
R. Illum vitæ præteritæ pœnitere oportet, & peccata ſua coram Deo agnoſcere,

accoram fratribus emendare quantum fieri poteſt. Requiritur etiam vt omnino decretum illi ſit rectius viuere, & Ieſum Chriſtum per veram fidem in ſuis promiſſis & Sacramentis amplectatur, vt vnum & ſolum Seruatorem.

QV. *Verùm Ieſus Chriſtus dátne nobis optionem veniendi ad eius Cœnam, vel non veniendi?*

℞. Dum vetat ne indignè ad eam veniatur, iubet omnes quibus aliquid iudicij eſt, ſe ad dignè veniendum præparare.

Det igitur Deus nobis omnibus ſic ad eam accedere, vt hoc cedat ipſius honori, & noſtræ ſaluti.

QVÆSTIONVM ET RESPONSIONVM SVMMA CAPITA ORDI*ne alphabetico.*

ADAM ante peccatum ne cogitauit quidem de malo, pagina 666 & 667
christus cur ſecundus Adã vocatus 671
donum ſpiritus Adoptionis ἀμεταμέλητον 688
deus agit in bonis & per bonos: per malos verò vt agat, non tamen agit in malis 679
boni ipſi Angeli, & qui in vitam æternam colligentur, non propriè immutabiles 680
malorum Angelorum vitium οἴκοθεν irrepſit, hominũ verò ἔξωθεν, ibidē.
Anima non eſt ex traduce 667
Arbor ſcientiæ boni & mali cur ſic vocata 666
chriſti in cælum Aſcenſio 657. 658. & cur 658. 659

B.

Beatificationem an plenè definiat remiſſio peccatorum 677
Bonum eſt etiam vt mala ſint 681
Bona opera cur bona 676

C.

Caro quid 672
Chriſtus cur Deus 655
Chriſtus non eſſet nobis plena iuſtificatio, ſi tantum paſſus eſſet pro noſtris peccatis 670
Chriſtus nos non deſeruit 659
Chriſtus noſter eſt, nec tamen ſumus ipſius domini 667
Chriſtus à ſuæ conceptionis momento perfectè iuſtus etiã quatenus homo 670
quæ Chriſti ſunt, nõ vniuſmodi ſũt 668
quæcunque in Chriſto percipimus ad quatuor capita reuocantur 669
Chriſtus cur damnatus & crucifixus 656. 657.
Coactio & neceſſitas differunt 665.
qualis Deus ad ſalutem Cognoſcendus 655
Communicatio Chriſti cur ſpiritualis dicatur 668
ex Chriſto nobiſcum Communicato quid percipiamus ibidem.
Communicatione Chriſti quid intelligatur 667
Corpus quare cum anima damnetur 663
Corpus Chriſti verè nunc à nobis abſens 657
eſſentialis Corporis Chriſti proprietas 658
Corruptio non eſt in ipſa animi eſſentia 664
Corruptio quomodo in animam peruaſerit 667
Corruptio quomodo citra Dei decretum non incidit, nec tamen Deus illius author 680
homo totus Corruptus 664
homines Corrupti non tamen ſunt ſtipites 665
Credendi conditio pendet à decreto, non autem decretũ à credendi conditione 685
verus Cultus Dei 654

D.

Dæmonia nec homines quanuis corrupti, eximuntur à decreto Dei ἐνεργητικῷ 677
Damnationis reproborum cauſæ ſunt in ipſis, non in Deo, quanuis præter ipſius decretum non damnetur 684
Decretum eſt cauſa fidei efficiens, corruptionis verò & incredulitatis non item, ſed potius deficiens 685
Decretũ ab executione ſiue exitu decreti diſtingui debet 686. 687
inter Decretum & decreti executionẽ tum in electis tum in reprobis quæ cauſæ mediæ intercedant 687
Decretum Dei in malis non agendo, ſed deſerendo interuenit 680
Decretum Dei eſt rerum omnium neceſſitas, nec tamen Deus vnquam vult iniquitates 681. 664
Deus in primario ſuo decreto non ordinat aliquid quia iuſtum ſit, ſed potius aliquid ideo iuſtum eſt quia Deus illud ordinat 686
Deus nõ ſimili ratione approbat quicquid vult 682
Deus quomodo malis inſtrumentis præcipere dicatur 683
Deũ velle omnes homines ſaluos fieri, quomodo intelligendum ſit 684

E.

Electi reipſa neceſſariò bonis operibus ſtudent 687
qui nondum reipſa Electus eſt, non tamen neceſſariò eſt ex reprobis: & huic tẽtationi quomodo occurrendum 688
Electio neceſſariò eſt particularis 684. 685
Electio ex quibus argumentis intelligatur 687
non omnis Electio eſt media inter bonum & malum 665
tentationi de Electione quomodo reſiſtendum 687
Eſſentia Dei quid 655
Exitium reproborum non eſt vltimus finis Deo propoſitus 684
Exitio deſtinati nunquam poſſunt nec volunt bene agere 687
Exitio deſtinati neceſſariò quidem pereunt, ſed ſua ipſorum culpa, ibid.

F.

Fides non omnibus datur, imò ne offertur quidem 677
vera Fides dari nõ poteſt in quoquam ſine operibus 675
Fides penitus à gratia eſt 663
Fides quomodo imputetur ad iuſtitiã 669
Fides quomodo præcedat Chriſti apprehenſionem, & tamen ſit Patris donum in Chriſto 669
vera Fides & perſeuerantia ſemper cohærent

hærent, quamuis non ſine interruptione 688
nec Fidei nec corruptionis præuiſio decretum prædeſtinationis antegrediuntur, ſed conſequuntur 585.686
Filius Dei quomodo factus homo 653
Filius Dei Deus quomodo mortuus, ib.
Filius ſolus pro nobis incarnatus, ibid.
Filii Dei quomodo non peccent 672
Finis hominis 654

G.

Gloria ſanctorum impar 675
Gratia poſterior non tribuitur prioris merito 666

H.

Horologii rotarum cum prouidentia Dei & mediis omnibus cauſis ſubiectis comparatio 677.678
Hypoſtatica vnio 656

I.

Idiomatum cõmunicatio quid & quomodo intelligenda 658
deus vnus Immutabilis naturæ 680
chriſtus non ſibi ſed nobis Impleuit Legem 670
perſonæ noſtræ deo gratæ Imputata naturæ noſtræ in Chriſto ſanctificatione 671.672
Imputatio quid 669
Incarnatio Chriſti aliud eſt quàm noſtra cum illo vnitio 688
Inſtrumenta intelligentia ſic ſunt ſuperioris cauſæ agentis inſtrumenta vt ſint ſuarum actionum principia 678
Intelligentia & voluntas quomodo in homine corruptæ 664
ſpiritus ſanctus quomodo Intercedat 662
chriſti Interceſſio qualis 659.661
chriſti Interceſſio quomodo perpetua 662
Inuocatio Angelorum & mortuorum Sanctorũ & falſa & impia 661.662
Iudicium quomodo in vltimum diem dilatum dicatur 562
chriſtus quomodo factus nobis Iuſtificatio 670
Iuſtitia Dei quid 655
Iuſtitiæ Chriſti nomine nobis imputatę quid intelligatur 670
Iuſtitia & miſericordia Dei quomodo in ſalute noſtra concurrant 655
Iuſtitia aliena quomodo iuſti ſimus 669
Iuſtitia inhærens quatenus imperfecta, peccatum eſt 673.674

L.

Legem pro nobis impleuit Chriſtus pro nobis patiendo 670
Liberũ arbitriũ quomodo concedendũ & quomodo negandum 665

M.

Mala etiam quatenus in ſeſe mala, habent boni rationem Dei ordinantis reſpectu 683
lapſus Malorũ angelorum & hominis quomodo neceſſarius, nec tamen Deus illius culpam ſuſtinet 679
Maſſæ nomine quid apud Apoſt. intelligatur 636
chriſtus quamuis Mediator non tamen inferior Patre 653
chriſtus ſecundum vtranque naturam Mediator 660
chriſtus Medius, aliud quam Mediator ibidem
chriſtus Medius & mediator, ibidem.
Membra corporis Chriſti ex eius carne & ex eius oſſib. quo ſenſu fieri dicamur 668
Mercedis nomen nõ præſupponit meritum coram Deo 674
Meritum nullũ eſt ex condigno, ibid.
Miſericordia Dei 655
à Chriſto redempti cur Moriamur 657
cur Mors æterna eorum dicatur qui nunquam morientur 662
Mors prima non eſt à natura ſed à peccato 667
chriſtus cur mortuus vt nos à Morte liberaret 657
Mortuos quomodo dicatur iudicaturus Chriſtus 662
deus ſic eſt primus Motor vt ſit extra cauſas quas mouet & nõ moueatur 678
Mali etiã à Deo efficaciter Mouentur, nec propterea Deus peccati author 679
Inſtrumenta animata & intelligẽtia ſic Mouentur vt ſeſe moueant 678

N.

Natura humana in Chriſto perfectiſſimè pro nobis ſanctificata 671
Naturalis notitia Dei qualis 663
Neceſſitas cum liberrima voluntate coniuncta eſt, nedũ vt libertatis voluntatem tollat 665
Neceſſitas peccandi nõ tollit cõſultationem neque electionem, ibidem.
Neceſſitas quomodo non tollat cõtingentiam neque ante lapſum neque poſt lapſum 680
Neceſſitate peccandi poſita non tollitur peccatum 665
Nouus homo & noua creatura quid 671

O.

Obedientiæ Chriſti partes duæ præcipuæ 668
Odio deſtinare & odiſſe, in Deo plurimum differunt 586
quod Operanti tribuitur, non tribuitur tamen operibus 674.675
vnum & idem Opus ratione duplicis principij duplex eſt 678
Opera iuſtificatorum non ſunt pars iuſtitiæ coram Deo, quamuis Deo ex gratia placeant 674
Opera omnia ſemel à Paulo excludi in iuſtificationis diſputatione 676
Oſiandri delirium 670

P.

Parcè qui ſerunt, parcè metent 675
chriſt. præcipuè in anima Paſſus 655
chriſtus niſi paſſus eſſet, nõ impleuiſſet Legem 570
deus bene ſemper agit, etiam quũ Peccantibus inſtrumentis vtitur 678
Peccatũ ex naturæ corruptione, nõ ex imitatione propagatur 666
Permiſſio vt à nonnullis explicatur, Deum non excuſaret 679
Permiſſionis vocabulum in tractatu de Prouidentia quatenus tolerabile ibidem, & 681
Perſonæ in Deo quid 655
Perſonæ tres vnus Deus ibidẽ.
Philoſophicæ virtutes in nullo vnquã extiterunt 685
Philoſophicæ virtutes ſunt peccatã ibidem.
inter homines τῶν ματικῶν cur nõ ſit in omnibus conſenſio 673
Pœnæ damnatorum impares 675
Prædeſtinatio quid 683
Prædeſtinatio ad ſalutem non eſt ſimpliciter vniuerſalis, ſed indefinitæ atque certarum duntaxat circumſtantiarum reſpectu 684
Prędeſtinatio an reprobos quoque cõprehendat 683
Prædeſtinatio electorum & reproborum concurrunt in principio, & in fine, in medio vero diſsident vna ab altera ibid.
chriſtus etiam homo nobis præſens 659
chriſti omnipotentia non ſtatuit carnis præſentiam 658
paria paribus non tribuere, nõ eſt ſemper προσωποληψία 686
Prouidentia Dei quid 677
chriſtus inſons cur Punitus 656

Q.

Qualitates animi quid & quomodo intelligendæ 664

R.

Ratio nõ regenerata pars eſt hominis ψυχικοῦ 673
Rationis & appetitionis repugnantia apud Philoſophos longè aliud eſt quàm carnis & Spiritus certamen Paulo 672
non Regenerati luctantis & regenerati victoris diſcrimen 688
Regeneratio poſterior ad ſanctificationem neceſſaria 678
damnati ab Chriſti etiam virtute Reſurgent 662
chriſtus cur non ſtatim reſurrexerit 657
chriſti Reſurrectionis fructus ibid.

S.

Sanctificatio & iuſtificatio neceſſariò cohærent 675
Sanctificatio inhærens diſtinguenda ab ea quæ imputatur 671
Sanctificatum quid ibid.
aliquis Sanctus eſt qui nondum eſt iuſtus ibid.

quomodo Chriſtus factus ſit nobis Sapientia 669.670
homo an alia ratione quàm per Chriſtum Seruari potuerit 656
Simile & idem differunt 682
deus quo iure flagitet à nobis quod Soluere non poſſumus 674
Spiritus in homine regenerato quid 672
Spiritus ſanctus quomodo excuti dicatur 688
chriſtus, quomodo patri Subiiciendus 663
homines quomodo in ſubſequentibus gratiis συνεργοὶ 666.& primæ gratiæ ibid.

V.

Verbum Dei quódnam 654
Verbi Dei quæ authoritas ibid.
Vita æterna & mors æterna quid 663
Vita æterna nobis non debetur ex pacto Legis 676
chriſtus ſolos credentes Viuificat 663
Vnio Chriſti nobiſcum quomodo imputationis fundamentum 669
chriſtus quomodo cum Eccleſia Vnitus 668
Vocatio latius patet quàm electio 685
Vocatio & promiſsio an dici poſsit vniuerſalis ibid.
Voluntas & Permiſsio ſemper cohærent in Deo, nedū vt Permiſsio Voluntatem tollat 679
Voluntatis Dei nomine non ſemper idem declaratur ibidem,& 681
ne id quidem fit præter Dei Voluntatem quod eſt contra eius Voluntatem 682
an dici poſſunt mali facere Dei Voluntatem 679.681

FINIS.

SERIES CHARTARVM.

a.duernio.β.a.b.c.d.e.f.g.h.i.k.terniones.l.m.duerniones.n.o p.q.r.ſ.r.v.x.y.z. A.B.C.D.E.F.G.H.I.K.L.M.N.O.P.Q.R.S.T.V.X.Y.Z. Aa.Bb.Cc.Dd.Ee.Ff.Gg.Hh.Ii.Kk.Ll.Mm. omnes terniones. Nn.duernio. ¶.ternio.

LOCORVM

LOCORVM SCRIPTVRÆ SACRÆ QVI *in hoc Tractationum* THEOD. BEZÆ *volumine explicantur,*

INDEX.

Antecedentes numeri caput & verſiculum locorum: ſubſequens verò numerus paginam indicat.

EX LIB. GENESEOS.

3.15. Semen mulieris conteret,&c. 336.& 620
11.5. Deſcendit Dominus vt videret ciuitatem,&c. 583
17.7. Ero Deus tuus & ſeminis tui 331
17.10. Hoc pactum meum quod cuſtodietis inter me & vos,& inter ſemen tuum poſt te, vt circuncidatur, &c. 329
17.11. Et circuncidetis carnem præputij veſtri, &c. ibidem.
22.2. Tolle filium tuum & offer,&c. 323
27.42. Quæ miſit & vocauit Iacob 437
45.8. Non me huc miſiſtis,ſed Deus 317.350.409.& 410

EXODI.

12.12. Eſt enim paſcha Domini 219.& 220
20.6. Deus faciens miſericordiam,&c. 332.356.& 357
20.24. In quocunque loco facies mentioné nominis mei, veniam ad te,& benedicam tibi 344
22.20. Qui ſacrificat alijs dijs,&c. 155.& 156.
32.29. Conſecrate hodie manus veſtras Domino 159

LEVITICI.

21.1. Super anima non contaminetur 460
21.11. Super animas mortui 460
22.27. Ab octauo die & vltrà litabit 445

NVMERORVM.

14.18. Deus tardus ad iram,&c 356. Viſitans iniquitatem patrum,&c. ibid.
14.30. Non introibitis in terram propter quam leuaui manum meam 384
15.30.& deinceps. Qui deliquerit contumacia 108
16.33. Viui in infernum deſcenderunt 597

DEVTERONOM.

13. Si ſurrexerit in medio tui Propheta,&c. 157
17.19. Accipiat Rex Legis volumen vt diſcat,&c. 145
22.24. Mulierem proximi tui,&c. 436
29.18. Radix,fel & abſynthium germinans 368
29.19. Vt ſiti ebrietatem adiungat ibidem.

I. SAMVELIS.

16.14. Spiritus Domini diſceſſerat à Saule, & ſpiritus malus,&c. 400.403
20.21. Si puero dixero,ſagittæ ſunt à te & citrà,&c. 444.& 445
20.22. Sagittæ ſunt à te & vltrà,&c. 445

II. SAMVELIS.

16.10. Deus enim illi iniunxit vt Dauidi malediceret 366.403

I. REGVM.

19.10. Euerterunt aras tuas, & Prophetas tuos occiderunt 156
22.19. & deinceps. Et Deus dixit,Quis perſuadebit,&c. 595
22.22. Perſuadebis & vinces:egredere igitur, & ita facito 381

II. REGVM.

24.2. En adiecit iraſci furor Domini ſupra Iſraelem 403
24.20. Ideo Dominus vehementer iratus eſt,&c. 367

IOB.

1.7. Tunc Deus dixit Satanæ,&c. 565.395
1.21. Dominus dedit,Dominus abſtulit 377

PSALMORVM.

2.11. Seruite Domino in timore 150
8.3. Omnia poſuiſti ſub pedibus eius 520
8.6. Gloria & honore coronaſti eum 551
22.7. Ego ſum vermis & non vir 551
24.7. Portæ exaltate capita veſtra 148
78.49. Miſit eos in furorem indignationis ſuæ, &c. 379
103.8. Miſericors & clemens Iehoua, longus ira & multus miſericordia 356
140. Ne tradas Domine deſideria impio 378.& 379

PROVERBIORVM.

16.33. Proiicitur ſors in gyrum,&c. 365
21.1. Cor regis eſt in manu Domini,&c. 403

ISAIAE.

7.14. Et vocabitur nomen eius Immanuel 520
9.6. Puer nobis natus eſt 450
14.19. Tu autem proiectus es de ſepulchro tuo tãquam ſtirps abominabilis,&c. 461
19.18. Iurauit Ægyptus per nomen Dei viuentis 156
38.1. Diſpone de domo tua,nam morte morieris 323
45.7. Qui formo lumina,&c. 365
66.9. Ego qui partum facio non pariam? 342.& 344

IEREMIAE.

25.9. Et Nebuchadnezar ſeruum meum 354.377

EZECHIELIS.

14.9. Ego Dominus ſeduxi Prophetam illum 378.381
18.31. Facite vobis cor nouum & ſpiritum nouum 399.& 400
20.25. Tradidi eis præcepta non bona 380.& 381
20.39. Ite,ſeruite quiſque ſuo idolo 380
33.11. Nolo mortem peccatoris 353.& 354

IONAE.

2.3. De ventre inferni clamaui 598.& 599

AMOS.

4.4. Ite Bethel & peccate 381

ZACHARIAE.

1.15. Quum ipſe leuiter ſuccenſerem Iſraelitis, illi adiuuere malum 382.& 384

MALACHIAE.

1.2. Iacob dilexi,Eſau odio habui 376.348

I. MACHABAEORVM.

4.46. Et poſuerunt lapides in monte Templi loco opportuno,&c. 108

MATTHAEI.

1.1. Liber generationis Ieſu Chriſti 438.443.& 444
1.18. Nam quum mater eius Maria,&c. 444
1.19. Et nollet eam ignominiæ exponere 434.& deinceps.
1.20. Ne metuito accipere Mariam vxorem tuam 436

¶.2.

2.12. Et diuinitus admoniti in ſomnio 444
2.16. Miſsis carnificibus interemit omnes pueros 437. & 444
3.5. Tunc exiuit ad eum Hieroſolyma 437
3.6. Et baptizabantur ab eo 437
3.9. Et ne putetis vobis dicendum apud voſipſos 438
4.23. Et prædicans Euangelium regni 440. Sanans omnem morbum & languorem in populo 419
4.24. Et dæmoniacos 440
5.13. Et conculcetur à quibuſuis 445
5.18. Amen quippe dico vobis 445
5.21. Quiſquis autem occiderit, tenebitur iudicio 445
5.25. Nequando te tradat aduerſarius iudici 446
5.29. & 30. Expedit enim tibi vt pereat, &c. 456
6.2. Vt gloriam conſequantur ab hominibus 446
Amen dico vobis eos referre mercedem ſuam, ibidem.
6.9. Pater noſter qui es in cælis 605
6.13. Et ne nos inducas in tentationem 379. 405
6.14. Nam ſi remiſeritis hominibus 446
6.23. Quòd ſi oculus tuus malus fuerit 446
7.1. Nolite iudicare 369
7.5. Hypocrita, eiice prius trabem ex oculo tuo, &c. 369
7.17. Putris autem arbor fert fructus malos 447
7.23. Diſcedite à me qui facitis iniquitatem 447
8.12. Filios verò regni eiectum iri, &c. 448
10.1. Dedit eis poteſtatem aduerſus ſpiritus impuros 472
10.28. Et ne timete ab iis qui trucidant corpus 447
10. 31 Multis paſſerculis vos præſtatis 432
11.11. Quòd non maior aliquis Ioanne Baptiſta, &c. 386
11.14. Ioannes eſt Elias 221
11.19. Sed iuſtificata eſt ſapientia à filiis ſuis 443
11.28. Venite ad me omnes qui laboratis 422
12.32. Neque in hoc ſeculo neque in futuro 443
13.28. Serui autem dixerunt patrifamiliâs, Vis, &c. 128. & deinceps
14.10. Et miſſo carnifice decollauit Ioannem in carcere 387
18.6. Præſtiterit ei vt ſuſpendatur mola aſinaria in collo eius 456
18.20. Vbi duo vel tres congregati fuerint 235
20.23. Sedere ad dextram vel ſiniſtram meam, &c. 607
23.38. Ecce relinquetur domus veſtra deſerta, &c. 89
24.22. Non ſeruaretur omnis caro 433
24.64. Videbitis Filium hominis ſedentem, &c. 611
25.31. Veniet enim cum gloria ſua, &c. 611
26.46. Dormite & requieſcite 380
28.6. Non eſt hic 613
28.20. Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus ad conſummationem vſque ſeculi 233. 235

MARCI.

1.14. Venit Ieſus in Galilæam, prædicans Euangelium regni Dei 440
1.27. Quæ doctrina noua hæc, vt per poteſtatem imperet etiam ſpiritibus impuris, & auſcultent ei 467
5.2. & deinceps. Quidam habens ſpiritum immundum, &c. 512
6.7. Deditque eis poteſtatem aduerſus ſpiritus impuros 472
6.27. Miſit illico carnificem, &c. 387
13.32. De die hoc nemo ſcit 557
14.41. Dormite & requieſcite 380
16.6. Surrexit, non eſt hic 237. 613
16.15. Prædicate Euangelium omni creaturæ 419

LVCAE.

1.6. Incedentes in omnibus mandatis & conſtitutionibus Domini inculpatè 448
1.15. Et vinum ciceráque non bibet 448
1.16. Multóſque filiorum Iſrael conuertet ad Dominum Deum ipſorum 449
1.17. Nam ipſe præcedet in conſpectu eius, &c. 449
1.68. Quòd inuiſerit & redemerit populum ſuum 449
2.34. Ecce poſitus eſt iſte in caſum & reſurrectioné multorum 450
4.30. Ipſe verò quum tranſiiſſet per medium eorũ, profectus eſt, &c. 236
7.29. Et his auditis, totus populus & publicani iuſtificarunt Deum 384. & 385
7.30. Phariſæi autem & Legis interpretes reiecerunt cõſilium Dei aduerſus ſemetipſos 454
9.54. Viſne dicamus vt ignis deſcendat de cœlo, &c. 160
22.20. Calix eſt nouum teſtamentum in ſanguine 213
24.31. Sed ipſe ablatus eſt ex eorum conſpectu 236

IOANNIS.

1.9. Hic erat lux illa vera quæ illuminat omnem hominẽ venientem in mundum 420
1.12. Dedit eis hanc dignitatem vt filij Dei fierent 456
1.14. Et ſermo ille caro factus eſt 529. & deinc. Et cómoratus eſt inter nos 432. & 457. Et ſpectauimus gloriam eius, gloriam, inquam, vt vnigeniti egreſſi à Patre 544
1.29. Hic eſt agnus Dei, qui tollit peccata mundi 220
2.11. Edidit Ieſus hoc initium ſignorum 577
3.16. Deus ita dilexit mundum, vt filium ſuum, &c. 325
4.22. Vos adoratis quod neſcitis, nos adoramus quod ſcimus 528
5.19. Quæcunque facit Pater, facit & Filius 521
5.22. Tradidit omne imperium Filio ibid.
5.27. Et dedit ei poteſtatem iudicandi, quia Filius hominis eſt ibid.
6.29. Hoc illud eſt opus Dei, vt credatis in illum quẽ miſit 458
6.51. Ego ſum panis viuificus qui è cælo deſcendi 240
6.52. Et panis quem ego dabo caro mea eſt, quam ego dabo pro mundi vita 271
6.63. Caro non prodeſt quicquam 237. 238. 306. 330. 338
7.39. Nondum erat Spiritus ſanctus 248
8.44. Vos ex patre diabolo eſtis 343
8.46. Quis veſtrûm coarguet me de peccato 330
8.56. Abraham pater veſter, &c. 273
9.2. & 3. Quis peccauit, hícne an pater aut mater eius, &c. 343. 348. 455
12.8. Non me ſemper habebitis vobiſcum 239
13.18. Oportet vt impleatur Scriptura 455
13.33. Filioli, adhuc pauliſper ſum vobiſcum 238
13.36. Quò ego vado iam me ſequi non potes, ſequeris autem poſtea 238
14.2. Vado vobis paraturus locum 581
14.3. Et quum profectus fuero &c. 470
14.10. An neſcis quòd ego in Patre ſum, &c. 581
14.12. Vado ad Patrem meum 589. 590
14.16. Et ego rogabo Patrem, &c. 326
14.23. Ego & Pater veniemus, & manſionem apud eum faciemus 234. & 235. 271. & 272
14.26. Spiritus ille vos docebit omnia, &c. 489
14.28. Pater maior me eſt 557
15.2. Ego ſum vitis vera 221. & deinc.
15.15. Quia omnia quæ audiui à Patre meo, nota feci vobis 489
15.22. Si non veniſſem, & loquutus eſſem eis, peccatum non haberent 459
16.4. & 5. Hæc vobis à principio non dixi, quia vobiſcũ eram. Nunc autem abeo ad eum qui miſit me 238
16.10. Eò quòd ad Patrem abeam, & amplius &c. 235
16.12. Adhuc multa habeo quæ vobis dicam, ſed nunc non poteſtis portare 489
16.16. Vado ad Patrem 237. 238
16.26. In illa hora in nomine meo petetis, &c. 326
16.28. Relinquo mundum 237. 238
16.28. Exiui à Patre, & veni in mundum: iterum relinquo mundum, & proficiſcor ad Patrem 238
17.11. Non ſum amplius in mundo: ſed hi ſunt in mundo, &c. 237. 238
17.12. Quum eſſem cũ eis in mundo, ego ſeruabam eos in nomine tuo 238

20.19. Quum ergo veſpera eſſet die illo primo hebdomadis,& fores eſſent clauſæ illic vbi erant diſcipuli,&c. 231.236

ACT. APOST.

1.4. Et congregans eos 459
1.7. Sed recipietis virtutem Spiritus ſancti,poſtquam ſuperuenerit in vos 459
1.9. Aſpicientibus ipſis eleuatus eſt,&c. 235
1.11. Hic Ieſus qui ſurſum receptus eſt à vobis in cælũ, &c. 235
2.23. Eum æterno Dei conſilio & prouidentia,&c. 359
2.27. Quoniam non derelinques animam meam apud inferos 460
3.15. Deus ille Abraham,&c. 431
4.28. Vt peragerent quæcunque manus & conſiliũ 3.13
5.1. Vir quidam nomine Ananias,&c. 161.165
5.34. Tũc ſurrexit Phariſæus quidam nomine Gamaliel, & deinceps 109
6.3. Quos præficiamus huic negotio [illegible]
7.56. Video cælos apertos,&c. 615
8.23. Video enim te in felle amariſsimo & nexu iniuſtitiæ poſitum 460
14.16. Qui ſiuit præteritis ſeculis gentes ingredi vias ſuas 359
17.28. Ipſe eſt in quo viuimus,mouemur & ſumus 365
19.3. In quid ergo baptizati eſtis 461
20.27. Annunciaui vobis omne conſilium Dei 393.398
23.11. Sequente verò nocte adſtans ei Dominus,&c. 618

EX EPISTOLA AD ROMANOS.

1.4. Declarato filio Dei potenter ſecundum Spiritum ſanctificationis 467
1.20. Vt ſiant inexcuſabiles 415
1.21.& 22. Vani facti ſunt in ſuis,&c. 344
2.5. Sed pro duritia tua & corde quod reſipiſcere neſcit 467
2.15. Vna teſtimonium reddente eorum conſcientia 465
2.25. Quòd ſi transgreſſor Legis fueris 431
2.27. Damnabit te qui per literam & circuncilionem transgreſſor es Legis 462
4.9. Iſta igitur beatitatis prædicatio, in circunciſionem ſolum,an & in præputium cadit? 462
5.8. Hoc commendat Dei charitatem,&c. 325
5.20. Vbi abundauit peccatum, gratia ibi ſuperabundauit 419.& 420
6.5. Nam ſi cum eo plantati coaluimus,&c. 467
6.6. Vt eneruetur corpus peccati 468
6.17. Gratia autem ſit Deo quòd fuiſtis quidẽ ſerui peccati,&c. 432
7.5. Affectiones peccatorum per Legem exiſtentes, vigebant in membris noſtris 464
7.6. Nunc autem liberi ſumus à Lege,mortuo eo in quo detinebamur 418.464
7.14. At ego carnalis ſum,venditus vt ſubiicerer peccato 468
8.1. Igitur nulli ſunt damnationi obnoxij, qui in Chriſto Ieſu,&c. 428
8.10. Spiritus autem vita eſt propter iuſtitiam 465
9.3. Cuperem ego anathema,&c. 139
9.6. Fieri tamen non poteſt vt exciderit ſermo Dei 468
9.8. Hoc eſt,non qui filij carnis,ii filij Dei,&c. 445
9.13. Eſau odio habui 345
9.21. Nunquid figulus poteſtatem habet,&c. 360
9.22. Si autem volens Deus oſtendere iram & demonſtrare,&c. 378
11.32. Deus omnes incluſit ſub contumacia, vt omnium miſereatur 360.& 361
13.11. Nunc enim propius nos eſt ſalus quàm quum credidimus 469
14.1. Eum verò qui fide eſt infirmus, aſſumite 465.466
14.4. Tu quis es qui condemnas alienum famulum? proprio Domino ſtat aut cadit ibidem
14.10. Tu verò cur condemnas fratrem tuum? ibidẽ.
14.13. Ne amplius ergo alius de alio iudicemus ibid.
14.15. Pro quo Chriſtus mortuus eſt 157
14.22. Beatus qui non condemnat ſeipſum in eo quod approbat 456
15.7. Propterea aſſumite alij alios 466

I. AD CORINTHIOS.

1.21. Mundus in Dei ſapientia,&c. 344
3.1. Ego porrò, fratres,non potui loqui vobis vt ſpiritualibus 448
3.9. Etenim Dei ſumus adminiſtri,&c. 472
3.12. Et qui ædificauerit ſuper fundamentum hoc,&c. 157
4.5. Ne iudicetis ante tempus,&c. 139
4.19. Cognoſcam nõ verba iſtorum qui inflati ſunt, &c. 465
5.3. Enimuero ego vt abſens corpore,præſens autem ſpiritu,&c. 477
5.7. Paſcha noſtrum Chriſtus immolatus eſt 220
6.4. Itaque ſi iudicia habeatis de iis quæ ad huius vitæ vſum pertinent 470
7.15. Ecquid enim noſti vxor an virum ſis ſeruatura? 470
7.25. Cui dederit Dominus per miſericordiam fidum eſſe 478
7.34. Vt ſit ſancta cum corpore tum ſpiritu 477
9.12. Si alij ſui in vos iuris,&c. 472
10.2. Et omnes in Moſen baptizatos eſſe nube & mari 231.241.243
10.3. Et omnes eandem eſcam ſpiritualem ediſſe 221.273
10.4. Et omnes eundem potum ſpiritualem bibiſſe: bibebant enim ex ſequente ſpirituali petra 221
10.16. Calix cui benedicimus,&c. 272
10.17. Nam omnes vnius panis ſumus participes 280
10.18. Nonne qui edunt victimas, participes ſunt altaris? 281
10.20. Nolim autem vos participes dæmoniorum eſſe 281
11.18. Audio diſſidia inter vos eſſe,&c. 90
11.27. Itaque quiſquis ederit panem hunc,&c. 275.291. 292
11.28. Probet autem quiſque ſemetipſum 404
12.6. Et diſcrimina facultatum ſunt,ſed idem eſt Deus efficiens eas omnes in quibuſuis 367
12.13. Per vnum ſpiritum nos omnes in vnum corpus baptizati ſumus 218
13.7. Omnia ſuffert,omnia credit,&c. 101
15.22. Ita & in Chriſto omnes viuificabuntur 478
15.45. Ita etiam ſcriptum eſt,&c. 472

II. AD CORINTHIOS.

1.11. Vt donis ex multis perſonis in nos collatum 473
1.23. Ego verò teſtem Deum inuoco in animam meam 473
1.24. Non quòd dominemur veſtræ fidei,&c. 473
2.5. Quòd ſi quis triſtitiam attulit,&c. 474
3.16. Poſtquam autem conuerſum fuerit, tolletur velamen 477
5.3. Siquidem etiam induti non nudi reperiemur 478
5.7. Per fidem enim incedimus,non per aſpectum 436
5.9. Quapropter etiã ambimus & incolentes & migrantes,ei eſſe accepti 478
5.10. Vt vnuſquiſque reportet quæ in corpore fecerit 478
6.12. Non habitatis anguſtè in nobis: ſed anguſti eſtis in viſceribus veſtris 476
7.8. Nam etiamſi triſtitia vos affeci per epiſtolam, non me pœnitet,etiamſi pœnituerit 478
8.10. Nam hoc vobis conducit, qui nõ ſolùm facere,ſed etiam velle antè cœpiſtis anno ſuperiore 476
9.5. Et non vt extortum aliquid 476
9.11. Vt in quam abundetis,in omnibus ditati ad omnem benignitatem 479
10.4. Arma enim noſtri belli,&c. 126

11.6. Quòd ſi rudis ſum ſermone,&c. 479
11.8. Non obtorpui cum cuiuſquam incommodo 477
11.12. Vt in eo de quo gloriantur, reperiantur quales & nos 477
11.21. Nempe quia nos infirmi fuimus 477
12.7. Poſitus mihi eſt ſtimulus in carne 426
12.18. Nónne eodem ſpiritu inceſsimus 477

Ad Galatas.

2.4. Nempe propter emiſſarios falſos fratres,&c. 479
3.10. Nam quotquot ex operibus Legis ſunt,&c. 438
3.22. Scriptura omnia incluſit ſub peccato,&c. 360.305
3.28. Non eſt neque Iudæus neque Græcus, &c. 419
4.12. Eſtote quaſi ego 479
5.17. Caro concupiſcit contra ſpiritum 425.428
6.4. Opus autem ſuum probet vnuſquiſque 480
6.9. Tempore enim ſuo metemus,&c. 480
6.14. A me verò abſit gloriari,&c. 465

Ad Ephesios.

1.3. Qui benedixit nos omni,&c. 480
3.17. Vt inhabitet Chriſtus per fidem in cordibus veſtris 480
5.33. Itaque & vos ſinguli ita facite,&c. 456

Ad Philippenses.

1.22. Vtrum verò viuere in carne mihi,&c. 481
2.7. Exinaniuit ſemetipſum,formam ſerui accipiens 432.551,557.558.560
2.9. Et dedit illi nomen 522
2.10. Vt flectatur omne genu ad nomen Ieſu 522
2.25. Quique mihi ſubminiſtrauit quibus mihi opus erat 481
3.21. Qui transformabit noſtrum corpus humile,vt conforme fiat corpori ſuo glorioſo,&c 231

Ad Colossenses.

1.19. Quoniã in eo placuit Patri vt omnis plenitudo inhabitaret 481
2.9. In ipſo inhabitat omnis plenitudo,&c. 542.543.544
2.17. Quæ vmbræ erant rerum futurarum,&c. 285
2.22. Quæ omnia ipſo vſu pereunt,&c. 482
3.2. Quæ ſurſum ſunt,quærite,non quæ ſuper terram 381.382
3.16. Sermo Domini inhabitet in vobis,&c. 496

I. Ad Thessal.

4.16. Nam ipſe Dominus cum hortationis clamore,&c. 231
5.4. At vos,fratres,non eſtis in tenebris,&c. 466

I. Ad Thessal.

1.11. Et compleat omnem ſuę bonitatis gratuitam beneuolentiam,&c. 483
2.11. Propterea mittet illis Deus efficaciam erroris 381

I. Ad Timoth.

2.2. Hortor vt preces fiant pro Regibus,&c. 94
2.4. Qui vult vt omnes ſalui fiant 414
2.5. Vnus enim eſt Deus & mediator,&c. 327
2.6. Qui ſemetipſum dedit redemptionis pretium, &c. 483
3.1.& 2. Fidus hic eſt ſermo,&c. 483
3.16. Magnum eſt pietatis myſterium, quòd Deus ſit in carne manifeſtatus,&c. 484.518.534.609
4.14. Cum impoſitione manuum presbyterij 484
5.23. Ne amplius eſto abſtemius 486
6.20. Et auerſare prophanos de rebus inanibus ſermones 484

II. Ad Timoth.

1.7. Non enim dedit nobis Deus ſpiritũ timiditatis, &c. 486
1.9. Qui ſeruauit nos,&c. 473
1.9. Data eſt nobis Dei gratia per Ieſum Chriſtum ante tempora æterna. 342
2.7. Det igitur tibi Dominus intelligentiam in omnibus 486
3.16. Tota Scriptura diuinitus eſt inſpirata,&c. 648

Ad Titvm.

3.10. Hæreticum deuita,&c. 87.88.132.139.494

Ad Hebraeos.

2.7. Gloria & honore coronaſti eum,&c. 552
3.6. At Chriſtus,vt filius,domui ſuæ præeſt,&c. 495
3.14. Chriſti enim participes facti ſumus 496
4.3. Introimus enim in requié nos qui credidimus,&c. 497
4.14. Habemus Pontificem,&c. 593
5.7. Qui in diebus carnis ſuæ 497
5.9 Et conſecratus factus eſt author ſalutis ęternæ 498
7.18. Prius mandatum inutile 306
7.26. Excelſior ipſis cælis factus 605
9.10. In cibis duntaxat & potionibus,&c. 496
10.1. Lex etenim vmbras habens futurorum bonorũ,&c. 285
11.1. Eſt autem fides,&c. 496
11.3. Per fidem intelligimus cõſtructum fuiſſe mundum, &c. 498
11.11. Per fidem & ipſa Sara,&c. 477
11.27. Per fidem reliquit Ægyptum 498
11.40. Quòd Deus de nobis melius quiddam,&c. 498
13.4. Honorabile eſt inter quoſuis cõiugium,&c. 498
13.9 Doctrinis variis & peregrinis ne circuferamini 496

Iacobi.

2.13 Et gloriatur miſericordia aduerſus damnationem 431

I. Petri.

1.11. Scrutantes in quem aut cuiuſmodi temporis articulum,&c. 502
1.20. Præordinatus ante iacta mundi fundamenta 325
2.8. Nempe iis qui offendunt ad ſermonem, immorigeri,ad quod etiam conditi fuerunt 499
3.20. Olim immorigeris,&c. 500
3.21 Quo fit vt bona conſcientia Deum interroget 501
4.6. Nam idcirco mortuis quoque prædicatum eſt Euangelium,vt damnarentur quidem ſecundum homines, &c. 501
4.8. Charitas multitudinem tegit peccatorum 102

II. Petri.

1.4. Datæ nobis ſunt promiſsiones, vt fiamus noſtræ naturæ diuinæ participes 271
1.19 Et habemus firmiſsimum ſermonem Propheticum, cui rectè facitis quòd attendatis velut lucernæ ſplendẽti in obſcuro loco,&c. 502
2.14. Oculos habentes plenos adulterij,&c. 502
3.6. Quamobrem is qui tum erat mundus, aqua inundatus periit 503
3.8. Dilecti ne hoc vnum,&c. 354.355
3.9. Nolens vllos perire,ſed omnes,&c. 354.355
3.12. Expectantes & properantes ad aduentum diei Dei 504

I. Ioann.

2.1. Aduocatum habemus 357
2.5. Qui autem ſeruat ſermonem eius, verè in hoc charitas Dei expleta eſt,&c. 504
2.8. Quia tenebræ prætereunt,& vera lux illa iam lucet 505
3.2. Chariſsimi,nunc filij Dei ſumus,&c. 476
4.2. Quicunque ſpiritus confitetur Ieſum Chriſtum in carnem veniſſe,ex Deo eſt 432

Ivdae.

12. Arbores emarcidæ 505

Apocal.

6.10.& 11. Vſquequo Domine,&c. 355
13.8. Agni occiſi ab origine mundi,&c. 342
19.15. Et ex ore eius prodibat gladius acutus, &c. 460

A.

ABEVNDI verbum quo ſenſu à Chriſto vſurpatur 218
Abraham à Deo fuiſſe tentatum quo ſenſu accipiendum 405
ἀνατέταυται 502
Accidentis ſignificatio quàm latè pateat 565
Accuſare an quis teneatur 414 & 415
Adamum cur bonum creari neceſſe fuerit 349.361.370 & 371
per Adami lapſum Satan quid molitetur 362
adam ſponte lapſus 310.311.312
adami lapſum Dei ordinatione & nutu accidiſſe quomodo accipiendum 322
adamû labi cur Deus decreuerit 418
adami in lapſu quod propoſitû 320. 361
in Adamo iræ ac mortis filij quomodo dicamur 344
ᾅδης 460
Adminiſter quid 473
Admonitionu nomen multo leuius quàm ſacramenti 242
admonitiones piis cur proponuntur 414
Adoptio paruulorum 190
ἀδρύνει 413
in Adulteriis quomodo Dei volũtas interueniat 395 & 396
Aëtius 227
Affictiones ex Dei voluntate & decreto 377 & 378
afflictiones piis cur immittantur 386
Agnus dicitur Paſcha 219 & 220.109
agni eſus optimè cõuenit cum Cœna Domini 220
agnû occiſum à mundi origine quomodo accipiendum 142
Agri nomine in zizaniorum parabola quid ſignificetur 129
ἀλλοιῶσις 494 & 495
Altaris participem eſſe quid 281
Ambroſij locus de Cœna Domini 268.292.571
ambroſij locus de manna ſpirituali cibo,& petra ſpirituali potu 240
Anabaptiſtæ 118.163
Anaxagoras 399
ἀναβλέψας cur dicatur Chriſtus Patrem alloquens 587
Ananias & Sapphira à Petro cur interfecti 161.162 & 164 Petrus hoc facto Magiſtratus poteſtate functus 164. hoc Petri factum à Verbi miniſtris in exemplum nõ trahendum ibid.
Anatolius Antiochenus 167
Angeli finiti & certo loco comprehenſi 592
angeli interdum Magiſtratus munere functi 122
Anglicanû Eccleſiarû perſecutio 140
Anthropomorphitæ 270
ἀντίχειρ μαδῶν 446
ἀφαιρέσεως 236
ἀνὰ pro ἄνω 497
ἀνωτέρω 447
Apollinaris 227
de libero Arbitrio 456 & 457
arbitrij libertas homini poſt peccatû cuiuſmodi reliqua facta ſit 3
Arbor putris 447
ἀρχὴ 493
Aſa qua ratione Excelſa deiecerit 146
Aſcendere in cælum,quid 579
Aſcenſio Chriſti nõ abſorpſit corporis naturam,ſed infirmitatem 230
aſcenſio Chriſti cur ſit facta 585
ἀσεβείας iudicium 132
ἀδιαιρέτως 477
ἀτρέπτως 385
Auen-Ezra 159
AVGVSTINI locus, De Martyribus 122. De hæreticis 119. de Chriſti & apoſtolorum temporibus 124 de perſecutione 127 de zizaniorum parabola 131.136. de pœnarum metu 139. de prædeſtinatione 371.314. de voluntate 392. de carnis concupiſcentia 427. de corporum proprietate 300.521.586. de reſurrectione 600. de inferis 598 de veterum ſacramentorum cum noſtris collatione 243 de Baptiſmo 272. de præſentia Chriſti in Eccleſia 233. de capernaitis 229. de duplici præſentia Chriſti in Cœna 215. de Cœna Domini 223.246.276.277. 573 de corporis Chriſti per oſtia clauſa ingreſſu 609.610 de Chriſti vtraque natura 266.305. 542.545.548.552.564.565.582.604. EIVSDEM locus quo demõſtratur, Dei decreto ſpontaneum noſtræ voluntatis motum non impediri 410 Quo declarat mala non tantùm Deo permittente ſed & volente & decernente fieri 378. 379. Quo oſtendit figuratam eſſe locutionem in Cœna Domini 212. 226. Quo declaratur quid impij in Cœna percipiant 248.294. 295.573. In quo dicit curioſum eſſe inquirere quomodo corpus Domini ſit in cælo 252. Quo declarat nõ omnes viuificari qui ſacramenta participant, ſed eos demum qui fidem afferant 274
Auguſtinus plus ſatis allegoriis addictus 157
αὐτεξούσιον philoſophicum 35
αὐτοκατάκριτος 495

B.

BAptiſmus quid 332.334
Baptiſmi ſacramento cur initiemur 187 & 188
Baptiſmus infantium ab adultorum quatenus differat 333
in Baptiſmo communicatio corporis & ſanguinis Domini 228.272
à Baptiſmo ſalutem noſtram nõ pendere 255 & 256
in Baptiſmo caſus neceſsitatis ad quid olim inſtituti 334
Baptizandi ritus Eccleſiæ Geneuenſis 333
Baptizare mulieribus vnde permiſſum 334
Baſilij locus de angelis 592 eiuſdem locus de corporis natura 563
Bethel cur Porta cæli à Iacob vocatur 224
Bibendi & Comedẽdi vocabulis cur Spiritus S. vtatur 209
Bibere ſanguinem Domini quo ſenſu intelligendum 209
Blandrata 646
Blaſphemus quis in genere 136
Blaſphemus Theologis quis ibid.
Blaſphemia quantum ſcelus 138
Blaſphemi à Magiſtratu ſeuerè coercendi 138
in Blaſphemiis puniendis circunſtantiæ prudenter conſiderandæ 137
Blaſphemiæ quædam ab ira & inconſiderato animi impetu procedunt 137 quædam ab ignorantia, ibid.
Blaſphemiæ ignorantium non excuſandæ 137
Bona opera quorſum nobis vtilia apud Deum & homines 14
Brentij error in vocabulo diſpenſationis 612 & 613
Brentius ab Eutychete quatenus differat 549.625
quatenus à Neſtorio 531.625
Buceri locus de cælis 252
Bullingeri locus de circunſt. in hær. puniend.conſiderandis 167 & 168 de hæreticis vitandis 139 de Chriſti humanitate 545

C.

CALVINI locus de Pharaonis induratione 399 400 de Chriſti merito 324.325. de Chriſti interceſſione 326.327. de Cœna Domini 245.246. de Fato Stoico 338. de Gamalielis conſilio 109. de Chriſti humana natura 619. de ſanguinis Chriſti cõmunicatione 281. de corrupta noſtra natura 415. Chriſti ſacerdotio 326.327. de Tentatione 405. de Iobi afflictione 370 de Dei voluntate 374 de Reprobatione 341 de Adami lapſu 320.321.357.358. 359.370.372. de Immutabili Dei decreto 314.315.335.386. de his verbis, Caro nõ prodeſt quicquam 304. Eiuſdẽ locus quo declaratur, Deum per impios operari 409.410 Deum non eſſe mali authorem 318.319. Eiuſdem tractatus aduerſus Libertinos 363.& deinc.
Capernaitæ qui 228
Capernaitæ in quo hallucinati fuerint 229
Carnem Chriſti ſolã viuificare poſſe

quomodo intelligendum 526.527
Carne Chriſti quomodo veſci dicatur impij 287
Carnem nó prodeſſe quomodo accipiendum 306.330.331
carnem pro Diuinitate quomodo interpretatus eſt Zuinglius 222
Carnale 224.225
Carpocratiani. 88
Carthaginéſis concilij decreto mulieres baptizare & docere vetitur 334
Caſaubonius 646
καταναρκᾶν τινός 477
κατ' ἀνθρώπον 467
καταργεῖσθαι 468
κατ' ἐξουσίαν 467
καθίζειν 470
mali Catholica Auguſtino qui dicantur 89
κατοικεῖν pro κατοικίζειν 481 & 482
Cauſarum certus ordo à Deo conſtitutus 341
καῦσαι 451 & 452
καυχᾶσθαι 437
Ceremoniç circa quid verſentur 154
Ceremoniç quampaucisſimæ in Eccleſia retinendæ 254.255
quare Deus per Prophetas ſæpe teſtatus ſit ſe Ceremonias à ſemet inſtitutas abominari 154
Chalcedonenſis ſynodi ſymbolú 505
χάρις 496
Charitas 110
charitas Dei, incarnationis & meriti Chriſti primaria cauſa & origo 325
charitas nunquam electorum animis euellitur 188 & 189
Chiliaſtæ 591
χρηματίζειν 444
Chriſtum cur oportuerit verè Deum eſſe 4
Chriſtus quomodo omnia impleat 303
Chriſtus quatenus ſit nobis factus iuſtitia & ſanctificatio 330
Chriſtus quatenus nos iuſtificauerit 330 ſanctificauerit ibidem.
Chriſtus & Pater ſimili modo ſe nobis offerunt in Verbo & Sacramétis 235
Chriſtus quo reſpectu aliter in nobis habitare dicitur quàm Pater 235
Chriſtus ſecundum Iacob. Andræam quare vocetur Immanuel 633
Chriſtus quatenus vbique 230
Chriſtus quomodo euanuit ab oculis diſcipulorum 236
Chriſtus quatenus à reliquis ſanctis differret ſecundum Neſtor. 535
Chriſtus vnicus Mediator à Deo conſtitutus ac promiſſus 3.181.326.327. quare ibidem.
in Chriſto mediatore quot ſpectanda 206
Chriſtus quomodo adeſt & ſumitur in Cœna 215
Chriſtus in Cœna nũ adorandus 245
Chriſtus poſt reſurrectionem qua ratione cum diſcipulis ederit 584
Chriſtus per fores clauſas intraſſe quomodo dicatur 231.232.
236.237.303.609.610
Chriſtus quatenus nobiſcum ſit 585 quatenus non ibid.
Chriſtus è cœlis deſcendiſſe qua ratione dicatur 587.589 quis in eiuſmodi locutione tropus ibidem.
Chriſtus ſeipſum exinaniuiſſe quomodo dicatur 557 & 558.560. 576 & 577.615
Chriſtus quomodo præſens Eccleſiæ ſuæ 233
Chriſtus qua ratione vitis dicatur 268
Chriſtus quomodo cum ſuis donis à nobis percipiatur 206
Chriſtus homo & Chriſti humanitas quid inter ſe differant 520.642
Chriſtus homo remittere peccata quomodo dicatur 527
in Chriſto omnem plenitudiné deitatis habitare corporaliter quomodo intelligendum 642 & 643
Chriſtus dú in terris verſaretur cur nocentes homines nó punierit 260
Chriſtus an inuiſibilis per hoſtes tranſiit 236
Chriſtus quomodo nobis imitandus 115
Chriſti meritum ad Dei gratiam & miſericordiam referendum 325
Chriſti corpus non eſſe inuiſibile 235. & 236
Chriſti mébra Patres quomodo fuerint 284
Chriſti regnum nobis quàm Patribus lucidius reuelatum, quomodo accipiendum 285 & 286
Chriſti regnum ex hoc mundo non eſſe quomodo intelligendú 119.120
Chriſti humanæ naturæ cur omnipotentia tribui non poſſit 546 & 547
Chriſti humanitatem ſupra omnes creaturas euectá quo ſenſu intelligendú 546.548.575 & 576.quomodo accipiat Brent. ibid.575 & 576
de Chriſti perſona 206
de Chriſti officio ibid.
de Chriſti inábulatione ſuper aquas 303
de Chriſti corporis diſparitione ibid.
de Chriſti ex clauſo ſepulchro egreſſu ibidem.
Chriſti carné huius mutabilis naturę legibus fuiſſe ſubiectam quomodo accipiendum 301
Chriſtum in, vel ſub pane ſiue ſacramento ſumi, quo ſenſu dixerint veteres 270
Chriſtum in nobis prius habitare oportet quàm nos iuſtificet 332
Chriſti hominem ante Abrahamum fuiſſe quo ſenſu accipiendum 515. 640 & 641
Chriſtum in cœlú aſcendiſſe quomodo intelligendum 579
Chriſti pro nobis intercedere quomodo accipiendum 326 & 327
Chriſtum ſedere ad dextram Patris quomodo accipiendú 252.602.607 Brentio quid ſit ibid & 603
Chriſtú aliquid neſciuiſſe quomodo intelligendum 637.
645
Chriſtiani cur liberi dicantur 116
Chriſtianum debere omnia in ſuam vtilitatem conuertere quo ſenſu accipiendum 368 & 369
CHRYSOSTOMI locus de cœna Domini 212.247.280.582.606. de Hæreticis puniendis 96. de zizaniorum parabola 131 de Eliæ pallio & Chriſti carne 293
Circuncelliones hæretici 106.118
Circuncìſio Abrahamo quid eſſet 273
circumciſio quo ſenſu à Paulo laudatur & vituperatur 241. 244
Circunciſio vocatur fœdus 309
Ciuilis iuriſdictio 92
Clebergius. principes qui Monaſteriéſium Anabaptiſtarum furorem compeſcuerunt, vt ſæuos accuſat 140
Clebergius Anglis afflictis inſultat ibidem.
Clinici 314
Cœlum, quid 251.579
Cœli variæ ſignificationes 595
Cœlum cur ſtatuatur Dei domiciliú 251.587
Cœlum cum cœleſti gloria confundit Brentius 591
Cœlis ipſis chriſtum factum excelſiorem quomodo intelligendum 605
Cœna Domini quatenus ſit myſteriú 211 & 212
cœna Domini ad quid inſtituta 273. 286
cœna Domini nó differt ab Agni eſu 220
cœna Domini fidem in nobis obſignat 187 & 188
cœna priuatim ægrotis cur non adminiſtranda 256
cœnæ verba, hoc eſt corpus meum, quomodo intelligenda 570
in cœna amplius nihil quàm in Baptiſmo & Verbo conferri 272
in cœna panem metonymicè vocari corpus quomodo intelligendum 261 & 262
in cœna res ſacramenti quæ 274. 569 ſymbola quæ ibid.
in Cœnæ ſacramento quid ab infidelibus percipiatur 274 & deinceps 573 & 574
chriſtus in Cœna quomodo offeratur 209.260.262.331 & 332
cœnam indignè ſuméntes cur rei corporis & ſanguinis cenſeantur 291. 309
chriſti naturæ in Cœna quomodo coniunctæ maneant 269
in pane Cœnæ num Deus adorandus 311
Cœnæ domini communicationem ſpiritualem eſſe quo ſenſu accipiendum 261
Cognitionis Dei duæ viæ 143
κατανοεῖν Heshuſio quid ſignificet 281
Collegium pro ſynagoga malè dici 439

Come-

Comedendi & Bibēdi vocabulis cur Spiritus S vtatur 209
Concilium Toletanum 127
Concupiſcentia quid 426
Conſcientiæ pax à prędeſtinatione pendet 199 & 200
an omne quod ex Conſcientia fit, ſit rectum 113
Conſtantinus quando baptizatus 334
conſtantinus Arij vitæ pepercit 141
conſtantinus in eos qui Arij libros celarent edictum capitale tulit 141.267
Conſubſtātiationis nomine quid intelligat Heſhuſius 263
Contingenter aliquid fieri quomodo accipiendum 313
Corporis ſolidi definitio quæ 563
corporis proprium localitas 563
corpore D. malè vti, quid 248
corpus quomodo de pane dicitur, 211
corpus phyſicum num diuerſis in locis eodem tēpore eſſe poſsit 212. & 199
corpus & ſanguis chriſti in cœna quomodo ſumantur 222.226. 279.293.569.570.571.572
corpus D. in cœna conſumi qua ratione ab Auguſt. dicatur 246.& 247. in terram cadere ibidem
corpus chriſti ab impiis in cœna ſumi quomodo accipiendum 249. 250.309
corpus Domini manducare & bibere eius ſanguinē ad iudiciū quomodo dicantur impij 276,& 277
Corpora glorificata certo etiā loco comprehendi 586
Corporaliter 224.225
Corruptio hominis 178
Creatio hominis 178
Credere filium dei eſſe Ieſum Chriſtum, quid 99
Criminis magnitudo ex eius qui offenſus dicitur qualitate æſtimanda 351
Crux 437
Curioſus quis 252
Cynoſura 143
Cyprianus martyr quid ſenſerit de baptiſmo 215
Cypriani locus de cœna domini 268. 290.606. de capernaitis 219
Cyrillus Neſtorium anathematizat 288. [illegible] interdum locutus 273 duris interdum locutionibus vſus 526 acerrimus veritatis aduerſus Neſtorium defenſor 531
Eiuſdē locus de cœna domini 271 de corporis proprietate 588 de Incarnatione 615 de Neſtorij dogmate 531 de chriſti vnius adoratione 522 de vtraque chriſti natura 232. 253. 273.305.527. 540.541.545.547.548.552.556.558. 558.564.565.577.604

D

DÆmonia & diabolus 441
Decalogus 153
Decalogi diuiſio 256
in Decalogo quatenus Dei voluntas nobis pateſiat 393
Decretum dei quomodo contingens 412, & 413 quomodo neceſſarium ibidem
cum Definitione multa pugnare quę eam non ingrediantur 563
Δεῖ ſubauditum 455
Deſiderus ſua tradere aliquem quid 318.403
Deus perfectè iuſtus & perfectè miſericors a immutabilis ibid.
deus per creaturas quomodo operetur 365
deus ubiqſi finitus ſecundum Brent. 552 quid de eo ſentiendum 553
deus in cælo habitare cur dicatur 589.590
deus quomodo figulo à Paulo comparetur 360
deus cur mali auctor dici non poſsit 371
deus Satanæ malitia ad quid vtatur 324
deus quomodo creet quenquam ad miſeriam 346.348.352
deus omnium in Adamo pater an omnes ex æquo diligat 341 & deinceps
deus in vniuerſi adminiſtratione tribus modis operatur 364 & deinceps
deus multa vult quæ nō probat ſimpliciter 353 & 354
deus quomodo peccato hominis ad gloriam ſuam vtatur 3
deus laudari à quibus velit & quomodo 406
deus mala immittens extra culpam 317.319
dei decretum immutabile 313
dei decreto ſpontaneum voluntatis motum non impediri 313.314.410
dei cognitio vnde petenda 652
dei conſilium, decretum & voluntas, fons omnium cauſarum 171 & 172
dei conſilia imperueſtigabilia 171 & 172
dei ordinatione & nutu lapſum fuiſſe Adamū quomodo intelligendū 320.322
dei voluntas occulta non perſcrutanda 323
dei voluntas non poteſt non eſſe iuſtiſsima 318 & 340
dei volūtas & decretum, omnium etiam malorum cauſa 316.317.319. 350.351.365.390.392
dei præſentia cū arca fœderis, qualis 219
dei filij vnde dicantur electi 544
dei propoſitum in condendis hominibus, quod 173 & 174
Deo quatenus aliquid impoſsibile 299
Deum vnum eſſe 5
deum vnum tribus perſonis non diuidi ſed diſtingui 1
deum eſſe omnipotentem, quomodo intelligendum 299 300 Deū gloriæ fuiſſe crucifixum 520
deum eſſe in homine 546 Deum omnia in omnibus efficere 367
Deum iraſci 387 Deum è cœlo ſpecie viſibili deſcendiſſe 582.583
Deum de deo eſſe 648 Deum in reprobis agere 307.317.319 Deum pœnitere 323
à Deo abducere homines qui dicantur 157
à Deo omnia moueri & dirigi quomodo accipiendum 401 & 402 & 403
quæſtiones de Deo & Angelis quatenus neceſſariæ 101
de Deo variæ opiniones 104
Deitatis plenitudinem omnem corporaliter in chriſto habitare, quid Brentio declaret 541 & 544 quid verè ſignificet 544
Deitatis idiomata ſiue proprietates quæ 302
Dextra pro fide 224.309
ad Dextram vel ſiniſtrā ſedere, quid 600.607
Diabolus quomodo dicatur impiorum pater 343
Diaboli vnum deum eſſe credunt & contremiſcunt 97
Diaboli ſuum infernum ſecum circumferre qua ratione dicantur 589.598
διαφωνία 448 & 496
διχονοία quid 90
Didym. locus de Angelis 592 de creaturarum propriet. 564
de Diebus feſtis 256 & 257
Dionyſij Alexandrini locus 590
Diſpenſatio latinis theologis quid 584.612 qua ratione formatum ibid. qui errores inde orti, ibid.
Diſſidiorum diuturnitas mundi cæcitatem coarguit 105
Diuinitas filij Dei 2
Diuinitatis plenitudinem in Chriſto corporaliter habitare quo ſenſu intelligendum 524 & 525
diuinitatis nomine in Chriſto quid veteres intellexerint 613 quid Brentius ibidem
Doctrina, ab exemplis quomodo diſtinguenda 361
Dolores inferni quinam à Dauide vocentur 599
Donatiſtarum per Africam multitudo 142
Δεξάζεσθαι 446
Dubitantium multitudo religionem non reddit incertam 105
δύναμις 469 & 470

E.

E'ὰν pro ἐπειδὰν 470
Ebrietatē ſiti adiungere, quid 308
Eccleſia domus Chriſti 495 Ex pluribus ſocietatibus 92 Quomodo errātes caſtiget 218 Cur vocetur regnum cœlorum 594 Quis eius ordo in inſtituendo & corripiendo 117 Eius controuerſiæ num poſsint ex ſcripturis decidi 103.104
Eccleſiæ veteris in controuerſiis decidendis conſuetudo 127
Eccleſiæ corruptelæ, vnde 525
Eccleſiaſtica iuriſdictio, quæ & qua-

¶.iiij.

re inſtituta 92 quatenus à ciuili differat 119
ἐκδημεῖν & ἐνδημεῖν 478
ἐκπέτασις 469
Edendi & bibẽdi vocabula quomodo intelligenda ſi de ſimplici verbo dicantur 227 ſi de ſacramentis ibid.
ἐκμυκτηρίζειν 412 vnde dicta 314
ἐκπεπληχότες 497
εἰς ἑαυτοὺς 385
Efficacia qua res aliqua pollet an ipſius rei pars 274
Elegit pro Eligere conſtituit 342
inter Eligẽdi propoſitum & electionem diſtinctio 176 & 177
Electos non poſſe non credere, quomodo accipiendum 421
Electio æterna vnicum totius Chriſtianæ fiduciæ fundamentum 15 & 17
Electio in propoſito Dei latens 174 & 175
Electionis teſtimoniũ certum quomodo haberi poſsit 200
Electio ſola firmam conſolationem ſuppeditat 201
Eliæ nomẽ quatenus Ioanni tribuatur 225
de Eliæ facto, quum ignem è cœlo deuocauit quo milites abſumpſit 160. hoc exemplum Apoſtoli Luc. 4. imitari volentes cur à Chriſto reprehendantur ibid.
ἐνέχειν 445
ἐνυπάρχειν Chriſti 3
ἐξέρχεσθαι & ἐκπορεύεσθαι pro venire 497
ἐξουσία 456
ἐξουσία τῶν πνευμάτων 472
ἐπέρχεσθαι 449 & 459
ἐπιφώνημα 501
Epheſinæ ſynodi de duarum naturarum vnione ſententia 548
ἐπιβαρῶ 474
Epictetus 117
Epicurei 104
Epiphanij locus de cœna Domini 291
ἐπιτίθεσθαι 449
Epiſcopat' quomodo καλὸν ἔργον 485
ἐπιτρέπειν 449 & 477
Eraſmus varius & quid crediderit diſſimulans 95
Eraſmi de hæreticis locus ibid.
Eſau odio habui, quo ſenſu accipiendum 348
Eſt, in verbis cœnæ D. quomodo accipiendum 218.263 Non ſemper ὑπαρκτικῶς ſumitur 218 pro Significat 228
Ἐπι_διδασκαλία qua pœna vindicaretur apud Iſraelitas 153
Ἐπι_διδασκαλεῖν 90
εὐαγγέλιον 433 quid doceat 99. 393
Euangelium regni quid 440
Euangelij miniſterium tyrannorum crudelitate non impediri 125.126
εὐλογία 476
Eutyches Cyrilli teſtimoniis abuſus 540
Eutychetis dogma quod 519.531.536
Excommunicatio ad ſolam Eccleſiã pertinet 126

F.

FAtum Stoicum 314
Fati Stoici & diuini decreti differentia 358
Fides, quæ 202 Quatenus pœnitentiæ pars 327 Ex quibus ſignis cognoſcatur 200 Diabolis quare tribui non poſsit 103 ab intelligentia quomodo diſtinguenda 107 Eius effectus, quis 202.325 πληροφορία 327 ad eam nemo cogendus 117
Fidei doctrina inutilis ſi ab Electione ſeparetur 199
Fideles, qui 89 Eorum arma ad Mundi furores expugnandos, quæ 516
Figuratus ſermo orationem exornat 246
Figuratus ſermo num ſemper obſcurus 277
Figuriſtæ 214
Filius Dei ab æterno mediator conſtitutus 2
Filius hominis quo ſenſu dicitur fuiſſe in cælis quum eſſet in terris 265. 270 560.567
Filij regni, qui 442
Finitum eſſe, Corporis proprium 523 & 524
Frugalitas 486
Fulgentij locus de vtraque Chriſti natura 545.548.564
Furiæ & furioſi 440 & 441

G.

GAmalielis conſilium 109
γῆ 471 & 444
Generatio 443
Geneuenſis Eccleſiæ baptizandi mos 333
Gentilis 646
Germanorum principum de Gallicarum eccleſiarum confeſsione iudicium 215
Gladius Spiritus 157
Gladius Dei, pro perſequutoribus 177
Grabbatarij 334
Græcia ab AEgyptiis inſtituta 341
Gratia quid 345
Gratiam ſuperabundaſſe vbi peccatum abũdauit quo ſenſu accipiẽdum 419 & 420
Gratia Dei nobis data eſt, pro, Deus propoſuit dare 342
Gratiani de religione edictum 165
Gregorius hæreticus 646
Gregorius Nazianzenus quando baptizatus 334

H.

HAEreſis, cur Auguſt. dicatur Inueteratum ſchiſma 89 In veteri Eccleſia cur ſupplicio capitali non punita 141 Aliud, de ea, quàm de hæreticis, cognoſcere 124 Nihil ea peſtilentius 152 Quidã eius gradus ex circunſtantiis poſſunt conſtitui 92
Hęretici, qui 90.143.150 Sibiipſis αὐτοκατάκριτοι 134. Ad quid ſcripturã amplectantur 119 Quando deuitandi 90 Magiſtratui cur tradantur ab Eccleſia 121. Iudæis quomodo punirentur 153
Hæretici in moribus qui 88
Hæretici reſipiſcentes quare in Zizaniorum numero non poſsunt comprehendi 130
Hæretici Paulina definitio 90
Hæreticis quid propoſitum 162
de Hæreticis puniendis ſententiæ Patrum 95.96
Hæreticos cur eſſe oporteat 507
Hananias, qua ratione ſceleratus aut mendax 89 qua ſchiſmaticus ibidem
de Hebraiſmis retinendis 431 & deinceps.
Hebraiſmi commentitij 347.445.455
Hebraiſmus notandus 449
Henricus Bullingerus 149
Heſhuſij de Caluino fabula 535 In eundem, Zuinglium, & omnes fideles calumniæ 296.297 298
Heua & Adam quid per lapſum ſuũ molirentur 110
Hic eſt ſanguis meus, quomodo explicandum 209
Hieronymi de Cœna D. locus 248. 272.295.572. de Spiritibus 609
Hilarius Epiſcopos obiurgat quod ſolis armis in hæreticos ſęuiant 96
Hilarij præceptum 269
Hilarij locus de Cœna 270.290 & 291.572
Hoc, in verbis Cœnæ D. quid declarat 217.263
Hoc eſt corpus meũ, quomodo explicandum 209.217
Homeri locus, ad probandam metonymiam 214
Homo à ſeipſo qualis 366 qualis à Deo creatus 2.177.178 ad quid à Deo creatus 2.418
Homines pro quibuſuis 445 & 446
Hominis lapſus ſine Dei voluntate & ordinatione euenire non potuit 178 & 179
Hominem factum ad imaginem Dei quid 381
Humanitas à Deo quomodo aſſumpta 525
Hypocritæ qui 89
Hymenæus hæreticus 143

I.

IAcobus quare Bethel vocauit portam cœli 214
Ἰδιώματα in Chriſti perſona, quid ſignificent 587
Idolum, quid 117
Idolum interdum Scripturæ quicquid in alicuius animo pro Deo regnat 117
Idololatræ, qui ibidem
in quos Idololatras legem Deus conſtituerit ibid.
Idololatras partic pes fieri dæmoniorum quomodo accipiendum 285

Idololatria

Idololatria deus acerbius nihil vindicat 137
Ieſum Chriſtum confiteri in carne veniſſe, quomodo intelligendum 99
Ignatius de Cœna 288
Ignorantes quatenus ferendi 118
Ignorantiæ pertinaciter inſiſtentes non pro infirmis ſed improbis habendi 137
Imagines in templis nõ habendæ 235
Impij qüo ex patre diabolo 143
Impij malefaciendo vtcúque Dei decretum exequantur, nihil minus quàm Deo obediunt 319.378
Impij ab æterno reprobati 415
Impij in Cœna quid percipiant 247 & 248.& 249
Impiorum facta quatenus Deo probentur 353 & 354.380
Impietas tanto maius ſcelus, quanto Dei gloria dignitati hominũ antecellit 152
Ἵνα κρεμασθῇ pro κρεμασθῆναι 496
Incarnationem domini qua ratione ἐνανθρώπησιν veteres appellarint 585 & 584.613
Indignè accedens ad Cœnam, quomodo reus corporis Domini 225
Indurare, quid 399
Indurare cor Pharaonis quomodo Deus dicatur 399
Induratio quatenus Dei opus 400 quatenus Satanæ ibidem, quatenus eorum qui indurantur ibid.
Infantes fidelium pro ſanctis quare habentur 112 & 113
Inferorum nomine quid intelligat Brent. 594.596.599
Inferos eſſe vbicunque ſit Satan, vult Brent. 595
ad Inferos deſcendere pro mori 597 pro in ſummis eſſe doloribus ib.
Infernus pro ſepulchro 585
Inferni dolores, quinam vocentur à Dauide 599
Infideles, qui 89 in mundi diſpoſitione quid agnoſcant 364 quid ſumant in Cœna 210 quare rei dicãtur corporis & ſanguinis Domini 210
Infinitum quid 527
Infirmi in fide qui 90 patienter erudiendi 118.137 quamdiu tolerandi 90
Inſtituta 448
Intelligẽtia & fides quomodo diſtinguantur 107
Intrare in gloriam, quid declaret VVeſphalo 238
Inuadere 449 & 459
Inuocare Deũ in animam ſuam 473
Inuocationis Dei quæ pars præcipua 651
Ioannes quomodo Elias 221
Io. Brentij de Anabaptiſtis ſententia 95
Iobum qua ratione dicatur deus afflixiſſe 318.370 Satan ibidem Chaldęi ibidem
Iraſci Deus quomodo dicatur 367. 385
non Iraſci optimũ à Philoſophis qua ratione dictitatum 348
Irenæi locus de Cœna D. 289.572
Iſaacum immolare ad quid Deus Abrahamo præceperit 323
Iudas in Cœna D. quid perceperit 248
Iudæi, Scribæ & Phariſæi hypocritæ potius quàm hęretici vocandi 88
Iudicandum non eſſe, quo ſenſu Matth. 7. dicatur 369
Iudicium Dei in paruulos 190 & 191
Iudicium ſanguinis Eccleſiaſticis agitare non licet 127
Iudicabit deus mundum ex euangelio, quid 406
Iulianus Pelagianus 405
Iurare per nomen Dei viuentis Ieſa. 19, quid 156
Ius municipale 92
Ius ciuile quid & quale in ciuitate Dei 95
Iuſtificatio & ſanctificatio quomodo differant 110 & 131
Iuſtificatio & ſanctificatio noſtra in Chriſto 181 & 182 & 183

L.

LAuſanenſis academia 551
Lex ad quid data 367 373
Lex nemini mortua 464
Lex Moſ. iudicialis quatenus à decalogo differat 154 quatenus non abrogata 154
Lex ceremonialis per Chriſtum abrogata 153 & 154
Lex moralis 155
Legis Moſaicæ in tres partes diuiſio 153
Legis prædicatio 183
Legis primum officium quod 328
Legis ritus quatenus conueniat cum ſacramentis noſtris 242
Legi eſſe mortuum, quid 464
Legis iudicialis & Ceremonialis diſcrimen 154
Legem futurorũ bonorum vmbram habuiſſe 283
Leges, quas Deus naturæ rerum indidit, triplices 300
Leges Moſis politicæ, quatenus ad nos non pertineant 155
Legibus quando quis puniendus 117
Leonis de Chriſti vtraque natura locus 547
Leonis I. Ro. Epiſcopi de Nat. vnione ſententia 548
quæſtio de Libero arbitrio perutilis 101
Liberum arbitriũ poſt lapſum quale 185 & 186
Libertini cuiuſdam cerdonis hiſtoria 364
Libertini Carpocratianorum hæreſim renouarunt 88
Libertinorum origo 366
Libertinorum opinio quæ & quàm peſtifera 363 & 364
Liuij, de Principum Rem. in tuenda ſua ſuperſtit. diligentia, locus 267
Localitas corporis proprium 363
Loci nomine quid intelligat Brẽt. ib.
Λόγος 469
Λογικὴ λατρεία 157
Lutheri N. Teſtamentum Germanicum 94
Lutheri locus de Chriſti humana natura 557.559.560
Lycurgus Thrax 126

M.

MAcedoniani 647
Machabæorum libri quatenus reijciendi 108
Magdeburgum 126
Magiſtratus, quid 91.92.93 Ad quid à Deo conſtitutus 122.134 Dei ad iram miniſter 134 de occultis non iudicat 119 animam occidere non poteſt 133.134 Quare facinoroſos plectat 134 Quem ſcopum ſibi debeat proponere 139 Quæ eius ex philoſophorum ſententia origo, definitio atque officium 91 Eius auxilium aduerſus vim externam Eccleſiæ non repudiandum 126 Pro eo cur precandum 484.485 cur dij vocentur 92
Mahumetani quomodo idololatræ 137
Mala Dei reſpectu quomodo bona ſint 389.394
Mala Deo volente fieri 378 & 379
Maleficium vnde æſtimetur 378
Manducare, metaphoricè quid 286
Manducare corpus Domini quo ſenſu admittendum 209
Manducatio Chriſti corporalis, belluinum quiddam 226
Manichæi 104
Manna cur cibus ſpiritualis vocetur 221. 240
Manna & Petra qua ratione ſacramenta vocantur 240 241 quatenus à Paulo cum noſtris comparantur ibid.& 242. 243
Manus Deo qua ratione tribuantur 520
Manus pro potentia ibid.& 521
Manus Dei, pro perſequutoribus Eccleſiæ 377
Manum leuare quid 384
in Manu excelſa peccare quid 108
Marcion 551
Maria virgo, mater Chriſti Dei & Hominis 5
Maria quo ſenſu dicitur Θεοτόκος 230
M. Buceri ſententia de Magiſtratus officio 149
Martini Lutheri de magiſtratus officio locus 148
P. Martyris de immutabili Dei prouidentia loci aliquot 411.412 & 413
Martyres Gall. à VVeſphalo contumelia affecti 215
Maſſechet Sanhedrin 147
Medea 318
μὲν particula ſubaudita 433
μὲν & 470
Mendacium hominibus, vnde 406
Mendacium à Deo præcipi quomodo accipiendum 400
Mens idolũ prius concipit quàm manus pariat 138
Mentiri Spiritui ſancto, quid Monſortio 166

μήποτε 446
ἀπὸ μέρους 474
μεταμέλεια idem quod fides aliquando 327
μετάνοια Chriſtiana quid 318
μετάνοια fidei effectus ibidem
μετέχειν 472
Metonymia Prophetis frequens 214
Metonymia in verbis Cœnæ D. quã efficax 218.247
Miniſtris quatenus Dei voluntas pateſiat 398
Miniſtrorum munus quod ib. & 421
Miniſtri verbi vtraque interdum & ciuili & Eccleſiaſtica poteſtate functi 122
Miracula per ſanctos fieri quomodo accipiendum 532
Miſericordia quædam iniuſta 110
Monachorum cum anabaptiſtis collatio iniqua 138
Monetarius anabaptiſticus rex Monalleriensis 247
Monfortij, de Anania & Sapphira, locus 163
Monſortij locus de blaſphemis 158
μόνον ſubauditum 465
Monophyſitarum quæ fuerit opinio 517
Monothelitarum hæreſis quæ 517
Mors prior quid ſit, & qua via ad eã peruenitur 3. cur ſempiterna eſſe non poſsit ibid.
Mors poſterior, æterna ibidem
Mortificatio carnis Paulo quid 318
Mundus in Script. quot modis accipiatur 238 ad quid conditus 92 Vnius vrbis inſtar 92 VVeſphalo quid ſignificet 238
μυστήριον quomodo plerunque differat à Sacramento 212

N.

NAtura qua ratione à Philoſophis Nouerca appelletur 348
Natura humana dupliciter conſideranda 523
Natura quomodo alteri ſeſe perſonaliter vnire dicatur 532
Naturæ ordine quid intelligendum 364
Naturæ humanæ Chriſti nomine quid intelligat Brent. 509
Naturæ duæ diuina & humana in vnam perſonam vnitæ 4
Naturã rei tollit quod pugnat cum eius definitione 563
Naturarum confuſio quanta abſurda ſecum trahat 541
Naturarum proprietates non rectè pro ipſa earum ſubſtantia exponi 517
Nazianzeni de baptizandorum infantium tempore opinio 334
Nebuchadnezar cur ſeruus Dei vocatus Ier. 25. 353
Neceſsitas quędam voluntaria 454
Neceſsitas ſimplex quę 411
Neceſsitas ex hypotheſi quæ ibid.
Nectarius quando baptizatus 334
Neſtorij dogma quod 519.538.536. 551
Neſtoriani dogmatis origo 530 & 531
Nicolai Papæ opinio de Cœna Domini 229
Nomen pro dignitate 522

O.

OBedire Deo quis dicendus 371 an Obediẽs ſit ille qui mori malit quàm dicere quod non ſentit 113.114
Obedientia vt iuſta dici poſsit quid requiratur 400
Oculus malus 446
Odi pro odiſſe decreui 342
Odium non cauſa ſed effectus Reprobationis 341 & 342.346
Oecolampadius reprehenſus à VVeſphalo 222
Οἰκονομία veteribus Theologis quid 583.612
Οἰκονομία diuinitatis quid 583 & 584
Οἰκονομία rerum creatarum duplex ibidem
de Omnipræſentia carnis Chriſti dogma quàm pernicioſum 508 quid in eo potiſsimum quærendũ 509
Omnes pro quiuis 419
ὁμοίωμα & ὁμοίωσις 467
Operum bonorum origo ac principium 13 & 14
Operum bonorum quę vtilitas apud Deum & homines 14
Opera charitatis erga proximum 15
Operari iniquitatem 446
Ordo naturæ quid 564
Origenis locus de Cœna D. 213
Origeniſtarum dogma de reſurrectione 618
Originis peccatum quid 5
Oſiander Iuſtificationem cum ſanctificatione confundit 330 & 331
ὅσιος 461

P.

PAnis Cœnæ cur Corpus dicatur 246.270.292
πανταχουσία 293
inter Papiſtas & Vbiquitarios quid differentiæ in Cœnæ manducatione 262
Parabola de filio prodigo 386 de tribus farinæ ſatis 132
in Parabolis quid ſpectandum ibid. in ſingulis parabolæ verbis nõ inſiſtendum ibid.
παραδειγματίζειν 414
Paradiſi nomine cœleſtis gloria qua ratione intelligatur 350
παραλαμβάνειν 416 & 497
Paria non ſemper paribus comparantur 165
παρείσακτος 479
Parricidiũ à ſimplici homicidio quare diſtinguatur 151
quæ Partibus propria ſunt toti ὑφισταμένῳ accommodantur 513 & 514
Paſchæ nomen Agno tribuitur 219, & 220
Paſcha fuit verum & ordinarium in Eccleſia Dei ſacramentum 220
Patrem Filio tradidiſſe omne imperium quo ſenſu accipiendum 581
in Patre eſſe quid ſit Brentio 581
Patres habuiſſe rerum futurarũ vmbras quo ſenſu accipiendum 285
Patres eadem cum nobis eſcam percepiſſe, quomodo dicatur 273
Patrum auctoritas quatenus probanda 127.608
Patropaſsiani 550
Paulus hęreticus 646
Pauli virtutes in dicendo 479
Pauli iuriſconſulti locus de iis qui in Relig. aliquid innouarent 167
Peccatum quid 315
Peccatum originale 335
Peccatum voluntarium 313 & 314
Peccatum & damnatio, ſynonyma Caſtellioni 428
Peccatum à Deo præcipi quo ſenſu intelligendum 400
Peccato vnius ſæpe totum aliquem populum iræ Dei obiici 434 & 435
Peccato omnes obnoxij ab ipſo concepto 408.414.425
Peccata quatenus à Deo decernũtur non ſunt peccata 315.323
Peccata cum fidelium tum contemptorum Dei quorſum à Scriptura recitentur 369
Peccatorum tres ſpecies 3
Peccandi neceſsitas vnde 415 non excuſat ibid.
Peccante inſtrumẽto quomodo bene vtatur Deus 361
Pelagianorum de prauis affectibus doctrina 408
Pelagij pontificis de hæreticis decretum 128
πίστιν absolutum 437
Perfecti 489 & 504
Peripatetici 104
Permiſsio Dei à voluntate nihil differt 315 & deinceps
Permiſsionem à voluntate non poſſe ſeiungi 387.399
Perſæ 517
Perſeuerantiæ & ſalutis ſpes certa in electis 182.189.201
Perſona Dei Patris 1
Perſonalis vnio in quo poſita 509
Petra cur vocetur Chriſtus 310 & deinceps 309 cur ſpiritualis cibus 240
Petri, hęretici definitio 90
P. Martyris locus 212
φαρμακός 484
Pharao indurare cor ſuũ quomodo dicatur 400
Pharaonis cor à Deo induratũ quomodo accipiendum 399
Philetus hæreticus 143
Phil. Melanchthonis de Principis officio liber 148
φθαρτοποιόν 505
φύσις ab οὐσία quatenus differat 517
φωσφόρος 502 & 503
Pilati cum noſtri temporis perſecutoribus collatio 124 & 125
πλεονέκτημα 476
πλεονεκτεῖν ibid.
πνεῦμα 477
Pœnitere Deum quomodo intelligendum 385
Pœnitentia quid 328.18

Pœni

Pœnitentiæ varia ſignificata 327
Pœnitentia fidei effectus 228
Pœnitentiæ cauſa efficiens,quæ, ib. inſtrumentalis ibid. Finis ibidem, exordium quod 328.329. & 330
Pœnitentiæ pars,fides quomodo dicatur 327
[illegible] 293
[illegible] 294
Poſtillæ veteri eccleſię incognitę 257 vnde originem ſumpſerint ibid.
Prędeſtinatio ex mera Dei voluntate 319 & 340
Prędeſtinatio ex vocatione intelligitur 201
Prædeſtinatio Dei à fato Stoicorum quomodo differat 351
Prędeſtinationis doctrina vanam ſecuritatem euertit 201
in Prædeſtinationis doctrina ſedulus in re & verbis adhibendus delectus 197 auditorum ratio qualis habenda ibid. quomodo pergendum 198 doctrina quomodo applicanda ibid. quæſtio de Prædeſtinatione nec curioſa nec parum neceſſaria in eccleſ. 100.101.171
Prędeſtinationem Dei cum códitione coniunctam vnde probet Caſtell. 384
Prętentú pro futuro cur in ſcripturis aliquoties vſurpetur 342
Preſbyteri 484
[illegible] 117
Primus homo quomodo ſeſe cú vniuerſa poſteritate morti obnoxium fecerit 2
Primum hominem oportuiſſe purú creari 2 & puritate ſua excidere ibidem
Principum officium in religione aduerſus pręfractos eccleſię perturbatores vindicanda 168
in Principum tyrannide, Eccleſiæ quid faciendum 126
[illegible] 460
Procurare 450
Profunditas pro mœrore 581
[illegible] 499
Propheta 443
Proprietatis nomen in vnione perſonali Brentio quid ſignificet 523
[illegible] 466
Protagoras Abderites 152
Prouidentia Dei æterna 1 immutabilis 411 an aliquam patiatur contingentiam 411 & 412 vnde appelletur grecis [illegible] 413

Q.

QVantitas corporum propria 524
Quemadmodum & Sic non ſemper paritatem declarare 566
Quintinus 363

R.

RAdix fel & abſynthium germinans,Moſi quid 368
Regum in religione tutanda officiú 124
Regnum cœlorum pro Eccleſia 594
Regnum Patris ſui quid vocet Chriſtus 592
Regnum Chriſti quale à Prophetis deſcribatur perſępe 107
Religio Chriſti gladio defendi non propagari poteſt 97
veræ Religionis notę quę ſint Bellio 96.& 97
Religionis curam ad magiſtratum pertinere 91.94.484
Religionem nullam aliam eſſe poſſe veram niſi Chriſtianam 5
in Religione homines cur facilè hallucinentur 118
Reprobi,cur admonendi 424 Neceſſariò peccare quomodo dicantur 415.416 Non omnes æquè inexcuſabiles 425 Fruſtra Deo reluctantur 205
Reprobatio facit vt bonitas Dei melius intelligatur ab electis 204 piam ſolicitudiné gignit in electis ibid. confirmat electos aduerſus omnia offendicula,ibid. Procreat humilitatem,ibid. Nec poteſt nec debet ſigillatim applicari non addita conditione 203.204 In propoſito Dei latet 176 Cauſæ eius nobis abſconditæ 340.341 Odium eam ſubſequitur non pręcedit 341.342.346 Quid per eam ſpectet Deus 348 Doctrina eius non ſepelienda 203 à Reprobandi propoſito quid differat 176.177
Res ſacramenti quomodo nobiſcum communicatur 209
Rerum omnium cauſa Dei voluntas & decretum 316 & deinceps
Reſipiſcentia Chriſtiana quid 328 partes eius quæ ibidem
Reſipiſc. cauſa,fidei effectus 328
Reſipiſcere quis dicatur ibid.

S.

SAbbathum qui violaſſet qua lege Iudæis puniebatur 153
Sabellianorum hęreſis,quæ 647.651
Sacerdotij Chriſti munus 326.327
Sacramenta,quid 242.250 à myſterio quid differant 212 Quorſum & in quem finé inſtituta 187. 181.207.312 Quatenus ab iis quę ſub Lege fuerunt differant 242.285
Sacramenta veteris Teſtamenti temporaria 225 fixa,ibid. cur vmbrę & figurę vocentur ibid.
Sacramentorum efficacia,vnde 207 dignitas 241 Natura quæ 211 Cauſa formalis 207 Vis cauſæ formalis ibid. Materia 207.274 Res 249.250.294 Res cum ſignis quomodo coniuncta 208.226.270. Res terrenę,Irenęo quę 274
Sacramentalis coniunctio quomodo differt ab ea quę in ſimplici verbo fit 228
Sacramentalis mâducatio quid VVeſphal. 225
Sacramentaliter,quid 209
Sacrificandi vocabulo Cultum Dei interdum intelligi 155 & 156
Sacrificium corporis Chriſti quomodo toto orbe diffuſum 254
Salutis myſterium quomodo fuerit impletum Chriſto exhibito 4
ad Salutem cur omnes non creati 418 & 419
cauſarum Salutis electorum & exitij reproborum ſummaria diſtributio 170
Samoſateni Antiocheni hęreſis 651
Sanguiné Domini in calice eſſe quomodo intelligendum 292
Sancti pro nobis an intercedant 327
Sanctorum afflictiones ex Dei voluntate 377
Sanctos agnum quocunque vadit ſequi quo accipiendum 618 & 619
Sanctificationis & iuſtificationis diſcrimen,quod 330 & 331
Satanas nihil niſi Dei permiſſu poteſt 324
Satan faciens quod Deus præcipit, cur Deo obedire dici non poſſit 400 & 401
quod Satá operatur qua ratione Scriptura Dei opus eſſe affirmat 410
Satanę in Adami lapſu quid eſſet propoſitum 110
Saxonicarum Eccleſiarum cófeſſionis loci aliquot de magiſtratus officio 148
Schiſma quid 89
Schiſma quomodo in hęreſim degeneret 89
Schiſmatici ab hęreticis quatenus differant 90
Scholæ in Eccleſiis Chriſtianis ad quid inſtitutę 117
Scripturę non ænigmaticę 105.& 106
Scripturas quare oportuit impleri 412
Seminis nomine Gen. 3. quid intelligendum 336
Seruetus in carcerem coniectus 85 quare pœnas dederit 163 Chriſtum pro æterno Dei filio agnoſcere recuſauit 115
Serueti fautores eorúmq; calumnię 85
Seſsio ad dextram Patris & vnio hypoſtatica nihil differunt ſecundum Andream 633
Seueri antiocheni ſcripta cremari iubentur à Iuſtiniano 141
Seuerianus Gabalarú epiſcopus 328
Seueriani 647
Sibyllas quanti faciat Caſtellio 393
Sic & Quemadmodum, non ſemper paritatem declarare 366
Signum qua ratione admittat in cœna VVeſphalus 212
Signa peculiaribus quibuſdam rebus deſtinata, diſtinguenda ſunt à ſacramentis 242
Simoniaci inter ſacrilegos potius quàm hæreticos numerandi 138
Socrates à Melito qua ratione ἀσεβείας accuſatus 152
Socratis morientis dictum 343
Solœciſmi 479
[illegible] 504
Spiritus S.donum Patris 326
Spiritus efficacia 185 & 186.200
Spiritus Dei non otioſus in Eccleſia 324
Spiritus aduerſus carnem concupiſcit, Caſtellioni quid 428
Spirituale 225

Spiritualis communicationis modus quis 209
Spiritualis manducatio quomodo diſferat à ſacramentali ex VVeſph.opinione 225
Spiritualiter ibid.
Stancarus 523
συγχωρῆσαι 476
Stephanus quomodo viderit Chriſtũ ad dextram Patris 611 & 612
Stephanus à fabrica 364
Stimulus pro concupiſcentia 426
Stoici 104 & 300
quæ Surſum ſunt quærere quid ſit 581 & 582
Symbola, non inania 236
Symboliſtę 214
σύμφυτος 467
συναλίζεσθαι 459
συγκατάβασις 584.612
συμβολὴ 472
συμφέρεσθαι 486
συμφερομένη ibid.

T.

TEλεῖν 504
Temetum 448
Tentandi verbum πειράζομεν 404
Tentare nos Deus quomodo dicatur 404
Tentatio pro afflictione ibid.
Tentare ſemetipſum quid ibid.
Tentare Deum quid ibidem
in Tentationem inducere Deus quomodo dicatur ibidem
Tentationis nomen quo ſenſu Deo non conueniat 404 & 405
Tentare diabolus qua ratione dicatur 405
Tentari à noſtra concupiſcentia qua ratione dicamur ibid.
Tentatio pro quacũque probatione ibid.
Tertulliani de infantibus baptizandis opinio 314
Tertulliani locus de cœna Domini 223.268.289.574
Teſtamenti veteris & noui conuenientia & diſcrimen 4
Θέλειν interdum aliquid exprimit amplius quàm ποιεῖν 476
Theodoſius 167
Theodoretus damnat Meſſalianos 288
Theodoretus Cyrilli ad tempus fuit aduerſarius 613
Theodoreti locus de cœna Domini 268 de Naturarũ proprietate 514 de Tranſnominatione in verbis cœnæ Domini 269 de Stephani viſione 611 & 612
Theodorus ἄθεος 152
Theodori Bezæ de Auguſtino iudicium 141
Theophilactus Heſhuſio improbatur 574
Theſis Tubingenſ. de Chriſti deitate 135 quadruplex earundem vnionis diuiſio 517
Τιθέναι 499
Toti attributum ſingulis partibus nõ ſemper conuenit 515
Tranſitus nomine Agnus appellatur 309
de Tranſſubſtantiatione 261
Tranſſubſtantiationis excogitãdę ratio 216
Trinitatis opera inſeparabilia 1
trinitatis cognitio an neceſſaria 100
trinitatis cognitionem inter ἀδιάφορα numerant Serueti fautores 112
Tritheitæ 543
Tropi in Scriptura quando non explicantur 283
tropi cur inuenti 309
Tropiſtæ 214
Turcæ & Iudæi quatenus ſint à magiſtratu puniendi 117
Turcica vaſtatio 116
Typi quomodo diſtinguẽdi à ſacramentis propriè ſic appellatis 242
Tyrannis Papiſtica 116

V.

VAlentini æones 104
Verbum Dei & decretum Dei interdum differre 454
verbum Dei ſcriptum 503
verbum ſacramentorum anima 261
verbum caro factum eſt, quo ſenſu accipiendum 529 quomodo intelligat Brent. ibid. 534 & 335. & 336.554
Veteris & noui teſtamenti diſcrimẽ. 4 & 285
Victimæ cur fœdera vocãtur ab Homero 214.309
Vigilius, quo tempore vixerit 305
Vigilij de vtraque Chriſti natura loci aliquot 233.253.305.545.564.574.604
Vindicianus medicus 411
Virgilij locus quo probatur metonymiæ tropus 214
Virtutis nomen pro rei ab Auguſtino aliquoties vſurpatum 274
Vitia occulta Dei iudicio relinquenda 138
vitia aliquo modo ſe patefacientia, citra tamen proximi iniuriã, quomodo coërcenda 138
vitia, quando à magiſtratu punienda 138
Viuificare pro à mortuis excitare 526
Vnio perſonalis quæ 529.633
vnio hypoſtatica in quo conſtituenda 550.560
vnio hypoſtatica & ſeſsio ad dextrã Patris idem valent Io. Andreæ 633
Vnionẽ perſonalẽ quid vocet Brentius 518
vnio perſonalis à donorum collatione prorſus diuerſa 518 & 519
in Vnione perſonali quæ ſingulis inſunt, alterius viciſsim fiunt 540
Vocabulorum nouitas 47
Vocationis efficacia ex fide intelligitur 201
Voluntas duplici modo vſurpatur 375 & 376.395
voluntas Dei ſemper eadem & ſui ſimilis 383
voluntas Dei quatenus patefacta 393 quatenus occulta ibid. & 396
voluntas Dei mera indurationis hominum cauſa 399.410
Voluntatem à permiſsione non poſſe ſeiungi 315.387.399
Sola Dei voluntate omnia gubernari 364 & 365
Vrbanus Regius 148
VVeſphalus à ſeipſo diſſentit. 242 cum Nicolao papa conſentit 229 in Gall. martyres iocatur 215 duplicem ſacramẽti ſignificationem ponit 231 qualem præſentiam in cœna imaginatur 223.225 Mannã & Petram vult non fuiſſe ſacramenta, ſed miracula 240 negat illa poſſe cum noſtris ſacramentis comparari, ibid. & deinceps. Cur putet Mãnam ſpiritualem cibum vocari 240 & Petram, ſpiritualẽ potum ibid. ſolam circumciſionem ſacramentum Patribus fuiſſe dicit 242. quid vocet ſacramentalem manducationem 225. & ſpiritualem ibid. quid per rem & veritatem ſacramenti intelligat 227. qualem Chriſti humanitatem conſtituat 235 quid cœlum ſecũdum eum ſignificet 238
VVolph. Capitonis libellus de iure Magiſtratus in religionem 149
VVolph. Muſculi de regia in religione poteſtate locus 150
Vxor 436

X.

Xenophon 117

Y.

ὑδροποτεῖν 486
ὑπόστασις 496

Z.

ZIzaniorum parabola 128.129.135.136
Quid in genere parabola hæc nobis proponat 132.133.136
Zizaniorum nomine quinam intelligendi 129.135
Zuinglius quomodo carnem pro Diuinitate interpretatur 122
Zuinglius quomodo Corporis nomine paſsionem ac mortem intelligit 222
Zuinglii confeſsio ed regem Franciſcum, ibid. item ad Carolum, ib.
Zuinglij mors 560 in eundem Bezę epitaphium ibid.
Zuinglij locus de cœna Domini 270

FINIS.